


W tym exemplarzu brakuje dwóch map = Polski i Litwy – umieszczonych przed wizerunkiem Batorego. 11/6 869





MARTINI CROMERI VARMIENSIS EPISCOPI

POLONIA:

Siue

DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBRI XXX.

ORATIO FVNEBRIS SIGISMVNDI PRIMI REGIS,

DEQVE SITV, POPVLIS, MORIBVS, MAGISTRATIbus & Republica regni Poloniæ, libri duo.

Omnia nunc vltimò ab ipsomet Auctore recognita, ac multis locis emendata & aucta.

His accesserunt recèns ad historiæ continuationem, quæ sequens pagina demonstrat, & chartæ geographicę cùm Poloniæ, Prussiæ Masouiæ Russiæ &c. tum etiam Lithuaniæ, Liuoniæ & Moscouiæ, æneis formis expressæ,

Cum indice rerum memorabilium locupletissimo.





Sola temporum ratio dissideratur ab aliis in Cromero: Sed ille historiae rationes secutus videtur non Chronologiam quod solent Annalium scriptores. quanquam nec ille caret suis rationibus cum magna lux sit historiae ex accurata temporum et locorum descriptione.

Cr.

quarta editio. 421

Vide in fine ... 328.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
In Officina Birckmannica sumptibus Arnoldi Mylij.
ANNO M. D. LXXXIX.
Cum gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.

Adiecta

Bernardi Vapouij fragmentum, Sigismundi senioris Regis Polon. res gestas, Cromeri descriptione posteriores, continuans: nunc primùm in lucem editum.

Martini Cromeri Epistola ad Regem, proceres, equitesq; Polonos, in Comitijs Varsauiensibus congregatos, florentiore ætate ab eo scripta & edita.

Philippi Callimachi de rebus gestis à VVladislao Polonorum atque Hungarorum Rege libri tres.

Reuerendissimi D. Stanislai Karnkouij, tunc Vvladislauiensis Episcopi, nunc autem Gnesnēsis Archiepiscopi, & Primatis Regni Poloniæ, ad R. D. Martinum Cromerum Coadiutorem & design. Episcopum Varmiensem epistola, de modo & ordine electionis noui regis apud Varsauiam habitæ 1573.

Eiusdem, ad Henricum Valesium Poloniæ Regem design. Panegyricus.

Item, in funere D. Sigismundi Augusti Regis Poloniç, &c. Oratio, Reuerendiss. D. Ioannis Demetrij Solicouij, Archiepiscopi Leopoliensis: tūc autem eiusdem Regis Poloniæ Secretarij.

Probi, & Galliæ ac Poloniæ amantis viri, ad Gallos & Sarmatas Oratio. 1575.

Stephani I. Poloniæ Regis &c. imago, ære ad viuum expressa, cum eiusdem elogio & vita, capitalibus litteris vnius folij pagina breuiter comprehensa.

Reinoldi Heidensteinij, Secretarij Regij de bello Moscouitico, ab Stephano I. Rege Poloniæ gesto, commentariorum libri sex.

Christophori Varseuicij in obitum Stephani primi Regis Poloniæ &c. oratio.

AD IN-

AD INCLYTVM
ET POTENTISSIMVM DOMINVM D. STEPHANVM BATOREVM, DEI GRATIA REGEM POLONIÆ &c. ET PRINCIPEM TRANSYLVANIAE,

M. Crom. Varmiensis Episcopi, Epistola nuncupatoria.



Vartùm iam prodit in lucem opus hoc nostrum, cui initio, de origine & rebus gestis Polonorum titulum dedimus. De quo cùm me Oporiniani Typographi post secundam editionem admonuissent, velle se id tertiùm recudere, si quid in eo castigâsse͂, vt sibi mitterem. Nihil equidem castigationum tu͂c habebam: Sed resumpsi librum in manus: & quoàd per alias occupationes, huic ætati meæ & instituto vitæ conuenientiores, licuit, recognoui: no͂nulla partim adieci, partim de͂psi, partim mutaui. Quæ tame͂ ferè eiusmodi sunt, vt quod ad historiæ veritate͂ attinet, nihil ferè à prioribus editionib⁹ varient; eam enim potissimùm in conscribendo co͂nsectatus sum. Id adeò verum esse, vel illud argumento est, quòd nonnullorum nostratium hominum nobilium offensionem incurri initio, non modò æmulorum meorum obtrectationibus incitatorum; verùm etiam priuato cuidam suo dolori indulgentium. Sed resedisse iam videntur iræ, vel submotis diuinitus folli bus, vel temporis diuturnitate & assuetudine lenitæ, vel denique sedatiori maturioriq; iudicio concoctæ. Id adeò, si vnquam aliâs, ante sex certè annos in Comitijs Versauien. luce meridiana clarius comperi, cùm me amplissimus Regni Senatus cum nuntijs terrarum, hoc est, vniuersa Respub. honorificis elogijs publicè co͂decorauit: teq; fautore & authore, Rex sapientissime & cleme͂tissime legibus siue mo-

ribus,quæ ad summos honores capessendos, & senatoriã dignitatem obstare videbantur,soluit:Poloniã honestis nostris scribendi,& honoratissimas legationes obeundi laborib⁹ (quod sine inuidia dictum sit) illustratam professa. Sed ad rem. Sic igitur castigatũ opus suprà memoratis Typographis sine mora misi. Sed fefellerunt ij,asseruantes in tenebris complurib⁹ annis castigationes meas. Interim alius quidã, inscio me,excudit opus, verùm è prima editione; & quidẽ scatens mendis. Quod cùm mihi displiceret, curaui, vt quartùm, ex vltima illa mea recognitione id ederetur:Maiestati autem tuæ Rex sapientissime & magnanime,secundum D.Sigismundum Augustũ Regem benigniss.cui vita piè defuncto, tu secundum Hẽricum Valesium nobilissimum Principem,quasi in somnis regno potitum,electione libera gentis nostræ;nonnullis magnis & inclytis principibus prælatus successisti: & sororem defuncti Annam Iagelloniam fœminam lectissimam & pientiss. Regum nostrorum filiam,Regum neptem, Reginarum etiã externarum sororem,& Cæsarum propaginem vxorẽ duxisti:tibi,inquam,nunc id quasi hæreditario iure nuncupandum dedicandumq; esse iudicaui,vt sit nõ modò summæ meæ erga te obseruantiæ, & de mirifica in me voluntate & benignitate tua , gratitudinis qualequale nõ modò apud nostrates, verùm etiam apud exteras nationes & lõgam posteritatem testimonium;verùm etiam rerum contra contumaces, ne dicã rebelles subditos primùm dextrè simul & clemẽter,mox contra immanem & prępotentem Moschorum magnum ducem, præclarissimè & moderatissimè abs te gestarum publicum monumẽtum. Et illos enim,cùm domare posses,clementer indulgendo,& ad officium reducendo seruasti: & hunc præferocem tyrannum,vt rebus suis diffideret, & in latebras sese abderet,armis illatis(prȩstãtissimus,& in Trãsyluanico ciuili bello antè exercitatus & felix imperator)adegisti,

egisti, munitionesq; natura, arte & præsidijs munitissimas partim surreptas ab eo ante cōplures annos, & firmatas, partim denuo exædificatas, Lituaniæque vicinæ obiectas cum ingenti strage validorum exercituum atque præsidiorum in potestatem tuam redegisti: & ad extremum tota Liuonia, ampla & fructuosa prouincia, tibi decedere compulisti. Quo nomine etiam M. Tuæ Polonico Lituanicoque, addo & Vngarico Germanicoq; militi fortiss. & iniuriarum cœli patientissimo, vniuersè vnà cum ducib⁹ suis viris clariss. paucis hisce verbis gratulor; & vt vltima primis respōdeant, vtque superbam & barbarā gentem ad genua tua procumbentem videamus, vel audiamus, opto. Hoc igitur me adduxit, vt M. Tuæ hoc munusculo gratularer. Mitto, quod acer & constans catholicæ religionis, nō modò sectator, verùm etiam propugnator & vindex, feroculorū & inquietorum eius nouatorum vafros ac turbulētos conatus placido cōsilio, & authoritate tua frangere studes, eāque cùm in nostra Polonia magno animo & constanter tueri, sed etiam in Liuonia, & in Trāsyluania tua restituere, & indeuicta siue recuperata Poloscēsi prouincia propagare satagis. Sed hæc, & quæ præterea expectantur abs te, in alijs regijs & regalibus actionibus preclara & sempiterna laude digna opera tua, alij ętate, ingenio & eloquētia florētiores luculētiùs celebrabunt, atq; adeò iam celebrant; Mihi seniculo summis ea labijs hîc delibâsse sat est, ne prorsus assymbolus ac de p̄stitis hactenus abs te regno tuo, & patrię meę charissimæ beneficijs ingratus esse videar. His igitur de causis opus hoc, ad regnū laudatissimi Regis Sigismūdi senioris productū à me, & tertiùm recognitum & correctum (quod plurimorum manib⁹ apud exteras iuxta ac nostram nationē teritur) Maiestati tuę Regię dedico, non dubitans studium hoc meū gratum ipsi fore. Quin etiam filio fratris tui ornatissimo iuueni, Illustriss. & Reuerēdiss. D. Andreę Batoreo S. R. E.

tituli S. Adriani Diacono Cardinali, dignitate patri, ætate, & sacra adoptione filio meo; qui iuuenili sua ętate, ad præclaras virtutes patrui sui omni conatu sedulò enititur. Adiunxi autem descriptionem ipsius Poloniæ (quæ sola Polonię nomē priùs habebat) quater antehac editā. Quæ quasi clauis est ad historiā planiùs, & rectiùs intelligendam. Accessit etiā viri nobilis & eruditi Bernardi Vapouij fragmentum, ad relictam à me D. Sigism. Augusti vitæ prosecutionē pertinens: dediq; toti operi commune Poloniæ nomen. Legetis igitur ea, imò veriùs relegetis (legistis enim vterq; iam antea) quando eritis cōsiliorum publicorum, & iudiciorum, alijs curis & negotijs, grauioribusq; & pijs studijs vacui: Et laudatorum quorundā Regum & Principum decora suauiter in vobis ipsis recognoscetis & agnoscetis, atq; ex præteritis futurorum rationē, successus, & euentus prouidè æstimabitis: qui est vel præcipuus historiæ fructus. Nā quòd ea hortamento & exēplo Maiest. Tuę sint ad imitandū, nihil est; lōgè enim ea in omnibus actionibus suis superiorum Principum & Regum exempla, & omniū exhortationes alacritate sua præcurrit. Cæterùm ea, quæ Sigismundis patre & filio regnātibus à Polonis nostris domi forisq; gesta sunt, alij elegantiori & sublimiori stylo, nisi fallor, prosequūtur. Senioris tamē vitā ego ipse breui oratione funebri cōplexus, quasi materiam ijs relinquo. Quod restat, Deum precor sedulò vnà cum grege mihi commisso, vt Maiest. T. R. vnà cum ornatissimo nepote ipsius diutissimè nobis seruet saluam, incolumem, & omni felicitate florentem. Ex arce nostra Episcopali Heilsberga Calend. Augusti, Anno Domini

M. D. LXXXVI.

AVTHOR

AVTHOR LECTORI.

Dum typographus incumbit excudendo huic operi, deceßit è viuis Sereniβimus & omni laude digniβimus, & cum priscis heroibus comparandus Rex Stephanus, cui viuenti nos id, quartùm edentes, dedicauimus: nihilomagis consilium dedicandi mutauimus. quo certius esse debet, in superiori præfatione nihil datum esse auribus optimi Regis, qui in pace Christi quiescat.

IN MARTINI CROMERI ANNALES Epigramma.

HErodotum Graij, te Liui habuêre Latini:
Historicus gentis primus vterq; suæ.
Sarmata Cromerum parem habet, licet impare cœlo,
Suspectum & falsò nomine Barbariæ.
Magnanimos Lechos in apricum protulit, omnes
Romano ore, animo penè pariq; fide.
Non cedit Lechus, tibi victrix Roma, triumphis:
Non cedit noster Liuio in eloquio.
Viue itaq;, Historiæ fama, te authore, Cromere,
Sarmatiæ antiquæ reddita vita viget.

Andreæ Schonei
Magi. Craco.

AD SI-

AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM INCLYTVM REGEM POLONIAE &c.

PROOEMIVM PRIVS.

Petrus Gamratus archiepiscopus Gnesnensis, & episcopus Cracouiensis.



VM PETRVS GAMRATVS archiepiscopus Gnesnensis, idemq; Cracouiensis episcopus vir consilio promptus,gratia populari,& autoritate, quam partim liberalitate,& beneficentia singulari, partim egregio in parẽtes tuos, SIGISMVNDE AVGVSTE, Rex inclyte,& in Rempub. Polonam studio collegerat,florentissimus honestum ac luculentum præsidium ad vitam degendam, & ocium literarium mihi parauisset, post mortem eius retuli me totum protinus ad ea studia, quibus ab ineunte ætate delectatus eram, quæque ne in ipso quidem aulicæ vitæ cursu penitus deserueram. Tunc autem longè liberior & expeditior,non habui satis,mihi ipsi(quod aiunt)& Musis canere,sed cœpi circumspicere, quónam modo fructum studiorum meorum ad publicam plurimorum vtilitatem referrem.

Occasiones scribendæ historiæ.

Perpendebam cum animo meo,non solùm quid à nostris quidem hominibus potissimum expeteretur, ab externis verò cupidè,& cum nõnulla Polonici nominis illustratione acceptum iri videretur:sed etiam,quid à me, hac ingenij,doctrinæ,iudicijq; tenuitate & angustia præstari vtcunque posset. Occurrit mihi in primis historia nostræ gentis, quæ tractata quidem est ante nos à Vincentio Cadlubco episcopo Cracouiensi,& Gallo quodam monacho ante trecentos annos, ab Ioanne autem Dlugosso, & Mathia Miechouiensi, & alijs quibusdam Anonymis longè posterius, nostra verò ætate ab Iosto Ludouico Decio, & Bernardo Vapouio: Verùm ita tractata,vt homines partim accuratius,partim emunctius , & elegantius aliquid requirerent. Qua de re memineram, Rex optime, quem sermonem Vilnæ mecum familiariter habuisses, prius quàm ad regni gubernacula accessisses: cùm eò non modò à suprà memorato Petro Gamrato patrono meo,verùm etiam à parentibus tuis preclarissimis allegatus ad te venissem : Tenebam etiam, quam ego spem honestissimi desiderij tui explendi tibi ostendissem, cùm indicassem,datum quidem esse à patre tuo rege sanctissimo & sapientissimo negotium viro in primis docto ac pio,& eloquentia iudicioque singulari, Stanislao Hosio præceptori meo, qui nunc opera tua Varmiẽsis episcopus est, vt historiã Bernardi Vapouij, quam is ante viginti annos mortuus imperfectam & rudiusculã reliquit, recognosceret, atque expoliret:sed eum negare , id à se, alijs grauioribus negocijs occupato,commodè præstari posse : & maioris autem negocij videri,alienis scriptis limam admouere , quàm proprio Marte opus detexere. Hoc igitur magis de conscribenda Historia cogitare cœpi, quæ & originem veram,& res gestas gentis nostræ complecteretur. Et intelligebam equidem , quid res tanta requireret. Sed cùm neque Hosius , neque quisquam alius laborem illum susciperet, suscepi ego : non tam virium mearum,& ingenij,stylique fiducia, quàm ne præclaro tuo,multorumque nostra-

Polonicarũ rerum scriptores.

Sigism. Aug. regis sermo de historia.

Stanislaus Hosius, episcopus Varmiensis.

1568 20 1548

Autoris consilium.

Impedimenta.

ſtratium hominum deſiderio,& publicę vtilitati deeſſem. Verùm in proſequendo Opere plus, quàm credideram initio, difficultatis reperi. Neq; hoc dico, quod viri clariſsimi,& cùm alijs præclaris virtutibus, tum integritate & honeſtate vitæ, humanitate, elegantia, lenitate & manſuetudine ornatiſsimi, Samuelis Maceouij epiſcopi Cracouienſis, & Cancellarij Poloniæ voluntate primùm, deinde tua quoque Rex benigniſsime, autoritate ad ſcriptionem, iudicia aliaque aulica negotia, & ad longa ac frequẽtia itinera tecum, legationesque pro te obeundas ab inſtituto opere identidem reuocatus ſum: non has, inquam remoras mihi obiectas eſſe queror (quanquam hæ quoque diutius me ab abſoluendo opere inchoato diſtrahebant) ſed illud magis, quòd in tot ſeculorum hiſtoria quem certum ducem ſequerer, non habebam. Animaduertebam Vapouium, Decium, & Miechouienſem, Dlugoſſum potiſsimum ſecutos eſſe: illum verò nõ magnopere verſatum in externis hiſtorijs, quæ Polonica ſcribenti magno adminiculo eſſe poterant, nonnunquam perplexum eſſe, nec perpetuò ſibi conſtare, nec rationem temporum tenere: & πλείω πάρεργα τῶν ἔργων, vt Græcis eſt in prouerbio, perſecutum eſſe, & operi imperfecto immortuũ, ad recognoſcendum id nihil temporis habuiſſe. Neque tamen magis reprehenſione dignum eum iudicabam ob id, quòd non omnia prçſtitiſſet, quàm laude, quod primus maximo labore, & indefeſſo ſtudio glaciem, quod dicitur, perfregiſſet. Quamuis enim ſcripſiſſet ante eum Vincẽtius, & quidam alij, quemadmodum ſuperius attigi, ſed cõciſè admodum, nõnulla etiam fabulis, vt mihi videtur, quàm hiſtoriæ propiora. Itaque coactus ſum externas veterum iuxta ac recentiorum hiſtorias, vicinarumq; gentium annales conquirere, & peruigili cura euoluere. Nec tamen in eo poſita erant omnia. Multa à ſcriptoribus partim ignoratione rerum externarum peruerti, aut omitti, partim maleuolentia & inuidentia, vel aſſentandi, ſuaque extollẽdi ſtudio deprauari ſolere non ignoramus. Sic autem æſtuanti, tu mihi SIGISMVNDE AVGVSTE licet aliud agens ſuccurriſti: idque ſiue vltrò, ſiue viris omni ingenij, prudentiæ, dexteritatis, fidei, virtutiſque laude cumulatiſsimis, & erga me propenſiſsimis, Ioanne Oceſsio affini meo Cancellario, & Ioanne Prœrembio Procancellario conſultoribus: dum mihi archiuum regium recognoſcendi, & in ordinẽ redigendi prouinciam mandaſti. Ibi enim reperi non pauca publica literarum monumenta, quæ magnam in hac altera editione hiſtoriæ noſtræ lucem attulerunt, quemadmodum ſuis locis planum fiet. Iure igitur optimo hoc Opus noſtrum tu tibi quaſi proprium vendicabis, quod & incitator atque autor quodammodo ad id ſuſcipiendum initio mihi fuiſti, & in eo perficiendo non ſolùm fauore tuo, verùm etiam archiuo aperiendo magnopere me adiuuiſti. Non ornabit fortaſsis, augebit quidem certè hic liber bibliothecam tuam, quam omni genere librorum inſtructiſsimam exornandę arci Vilnenſi, ſplendidè & magnificè à patrę quidẽ tuo inchoatæ, abs te verò exædificatæ quaſi colophonem addidiſti. Cognoſces tamen hic incunabula, incrementa & conuerſiones Reipublicæ noſtræ, & regni tui. Cognoſces non ſolùm Polonorum & Lituanorum tuorum, ſed etiam aliorum quorundam finitimorum populorum origines, & ſucceſſus varios. Cognoſces quaſi in ſpeculo imaginem rerum præſentium, & quem quæq; conſilia noſtrorum hominum atque regum exitum

Samuel Maceouius, epiſcopus Cracouienſis, & Cancellarius Poloniæ.

Ioannes Oceſsius Cancellarius.

Ioannes Prœrembius Procancellarius.

Archiuum regiũ ab autore in ordinem redactum.

Vilnẽſis arx, & bibliotheca regia.

Fructus legendæ huius hiſtoriæ.

habue-

habuerint:ita vt quamuis abſque eo abundes conſilio & ingenio, rectius tamen è præteritis præſentium moderandorum rationem inire poſſe videaris. Et ſcitus eſt ille poetæ cuiuſdam verſiculus:

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

Cognoſces denique res geſtas bello & pace clariſsimas proaui, aui, cæterorumque maiorum tuorum, in gloriam tuam redundantes. Quibus non inferiora ſunt, quæ pater tuus D. SIGISMVNDVS Rex geſsit, quæq; abs te etiam expectantur. Sed ea nos ſegregauimus, ſiue ipſi alio rurſus opere proſecuturi, ſiue (quod malim) alijs vegetiori ingenio, vberiore doctrina & eloquentia præditis relicturi. Nam ad alia nos iam vocat inſtitutum *[Veritas huius hiſtoriæ.]* vitæ noſtræ. Nihil autem hic auribus hominum noſtrorum dedimus, nihil domeſticorum malorum diſsimulauimus, neque alienas res geſtas data opera eleuauimus: ſed veritatem, quæ prima eſt hiſtoriæ virtus, vbique *[Styli attemperatio.]* potiſsimum conſectati ſumus. Ita verò ſtylum temperauimus, vt Latinè quidem, quoad à nobis præſtari potuit, ſcriberemus, & ſuccinctè; intelligi tamen cùm ab alijs, tũ à noſtris hominibus, etiã qui leuiter literis tincti eſſent, non difficulter poſſemus. Quo factum eſt, vt nobis nonnunquã verbis minus puris vti neceſſe fuerit, dum Lectorum captui ſeruimus. Cæte- *[Barbarorum nominum inflexio.]* rùm locorum & hominũ barbara nomina exẽplo veterum Græcorum & Latinorum ſcriptorum inflexímus, ita vt Romanũ quidem ſonũ, & quaſi ciuitatem acciperent: indolẽm tamẽ ſuam genuinam, quoad fieri poſſet, retinerent, quo agnoſci à peritis linguæ Polonicæ & Slauicæ abſque nego- *[Operis diſtinctio.]* cio poſſent. Totum autẽ Opus triginta libris diſtinximus. Ac primis quidem decẽ originẽ, & prima quaſi incunabula gentis ſub barbaris & idololatris ducibus: deinde florem iuuentæ ſub Chriſtianis regibus: morbum denique & καχεξίαν quaſi ægrotantis Reipublicæ ſub pluribus prius ac diſſidentibus inter ſe Principibus vacante regno perſecuti ſumus. Medios à reſtituto regno orſi, ad exitum Vuladiſlai Iagellonis proaui tui, Rex, detexuimus. Extremos verò cæteris quatuor regibus, vſque ad SIGISMVN- *[Origo gentis Poloniæ exquiſita.]* DVM patrem tuum dedimus. Operæprecium autem facturi videbamur, ſi gentis noſtræ originem, non admodum celebrem, neque multis cognitam, initio diligentius perſequeremur, verumq; in profundo latens erueremus: in quo multum ſanè laborauimus. Cæterùm aſſecuti ne id ſimus, an minus aſſecuti, æqui & candidi Lectoris erit iudicium: alijs quidem duntaxat acriori ingenio, maiorique ſiue vſu & cognitione rerum, ſiue felicitate præditis ad perueſtigandum & inueniendum verum viam aperuimus. Quod ſi cui moroſulo reprehendendis claris receptiſq; ſcriptoribus pluſculum indulſiſſe videbimur, cogitabit is, modicè & verecundè, ac non niſi neceſſariò id à nobis factum eſſe, cùm verum intelligi, & animis aliquo fortaſſe præiudicio præoccupatis infigi, nõ facile poſſe videretur, niſi falſa aut incerta refellerentur. Deus opt. max. M[tem.] T. diu ſeruet incolumem & fortunatam. Cracouiæ anno à Chriſto nato 1568.

AVTHOR

AVTHOR LECTORI S. D.



Oannes Oporinus Basileensis typographus eruditus ac diligēs certiorem me reddidit, velle se tertiū recudere libros nostros de origine & rebus gestis Polonorum. Vnde cùm ego spem cōcepissem, victurum esse Opus tam vendibile, nec in eo me oleum, quod dicitur, & operam penitus perdidisse, resumpsi id in manus, eodem studio, quo fui aggressus initio ante tertium decimum vel quartumdecimum annum: nimirum bene pro virili mea merendi de communi hominum societate: recognouique diligentius, & quasi extremam ei manum imposui, cùm in aula pientissimi ac sapientissimi Imperatoris Ferdinādi legatione perpetua præstantissimi Regis Sigismundi Augusti nomine in septimum annum fungens, ocio nō carerem. Cuius laboris maximam partem in itinere confeci ante vnum annum cum eo ipso Imperatore ad Francofordiensem Septemuirum Electorum conuentum proficiscens, quo filius eius Maximilianus iam Rex Boemorum, Princeps omni genere bonorum ad miraculum ornatissimus, rex Rom. creabatur, & successor Imperij designabatur. Et fortè incidit tunc in manus meas Opus idem in Germanicam linguam traductum ac editum, quod mihi ad perficiendam recognitionem magis etiā calcar addidit. Præter typographi autem errata correcta, non pauca in hac editione limauit ætas, rerumque vsus maior: & exactior noticia, quæ approperata initio prodierant, quo multorum desiderio satis fieret. Cumque legatione illa, & mox alia pacificandorum regum Septentrionalium defunctus, ad ocium me recepissem, resumpsi Opus in manus iterum atque iterum, & liberiorem ei limā adhibui, primo prȩsertim libro, quem totum ferè mutaui, siue aliter disposui, sic tamen vt argumentum & res sùbiecta maneret propè eadem. Quem laborem nostrum non ingratum tibi fore confidimus. Adiecimus autem iudicium viri in primis eruditi Francisci Robortelli primarij apud Pataujum Veneti Græcarum & latinarum literarum professoris, quod etiam nobis ad edendum denuò opus calcar addidit. Dabimus tibi, spero, aliquando etiam exactiorem Poloniæ descriptionem, duobus libris absolutam: in qua non modò regionum rationem, naturam, cultum & prouentus, verùm etiam ingenia, mores & instituta inhabitantium eam populorum, formamque reipubl. cum magistratibus suis tanquam in tabula inspicere licebit. Vale. Cracouiæ mense Iulio. Anno M. D. LXVI.

Maximilianus rex Rō. creatus.

Commonendus autem es nobis, optime Lector, in Polonicis & alijs barbaris nominibus, quo peculiarem sonum vocum exprimas, vt legas:

Vu sequente litera consonante medio sono inter b & f, quomodo Grȩci β pronunciant, vt in Vuladislao.

Z pro c exili nonnunquam, quemadmodum à Latinis in cibo vel cera legitur: vt in Iablanez: nonnunquam asperiore sono, quemadmodum Germani sz proferunt, vt in Zarnouecia. ſſ etiam asperius sicut Germani sch: vt in Zauissa.

Ci in principio nominum pro cz. Boemorum imitatione vsurpauimus, vt in Ciapla: interdum etiam in medio, Sochaciouiam, pro Sochaczouiam scribentes.

Alicubi inter plures consonantes vocalem interseruimus, quo mollior esset vox: vt pro Msciſlao Mesciſlaus, Mesciugus pro Msczugo.

In summa, stridores omnes & sibilos vocum barbarorum, qui vix, aut ne vix quidem Latinis literis exprimi possunt, quoad potuimus, emolliuimus.

FRANCISCVS ROBORTELLVS VTINENSIS MARTINO CROMERO S. D.

LVCAS Podoſius auditor meus, iuuenis propter ſingularem virtutem & eruditionem mihi chariſsimus, quo ego familiariter vtor, hiſtoriam à te ſuperiore anno editam rerum Polonicarum, non modò mihi legendam tradidit, ſed etiam librum ipſum, vt ſui eſſet amoris erga me monimentum, dono dedit. Legi igitur ſtatim omnem, & auidè quidem percurri. Alliciebat enim me rerum varietas ipſa: plurimum verò me delectabat, ac veluti in medio curſu defatigatum recreabat orationis tuæ ſuauitas & puritas, quam in ea deſcribenda adhibuiſti: tam enim politè, tam grauiter, tam copioſè & eleganter omnia es perſecutus, vt qui in eo genere tecum conferri poſsit, non videam. Valde mihi probatur diſputatio illa quidem ſubtilis & docta, quam ab initio libri habuiſti, de origine & antiquitate Slauorum, vnde tu Polonos tuos verè ortos ſcribis. Quid verò potuit ingenioſius aut acutius dici de lingua ipſa, de moribus, de commigrationibus ipſorum, quàm quod à te dictum fuit? vt erat hoc maximè neceſſarium cognitu, antequam hiſtoriam ſcriberes, ita planè in eo explicando non recentiores modò, ſed veteres omnes mihi videris ſuperaſſe. Nam de Gallis & eorum origine multa Liuius & Cæſar: de Germanis etiam: multa de Opicis & Siculis, alijsq; Græcis Thucydides: ſed omnia perpuſilla ſunt, ſi cum ijs, quæ à te veterum teſtimonio comprobata ſcripta fuerunt, conferantur. Huc accedit quod nomina Slauica tam aptè ad ſonum Romanum redegiſti, vt nihil inconcinnum, nihil durum, nihil aſperum in ijs relictum ſit: quod te exemplo Cæſaris, & aliorum feciſſe video, qui, vt ſatis cōſtat, Dumnorigis, Orgetorigis, & aliorum nomina quàm plurima ita effinxerunt, vt Romanorum aures non offenderet. Tam verò aptè efficta, præterquam quod gratiora nobis ſunt, etiam ad memoriam videntur eſſe firmiora: nec tamen à communi loquendi conſuetudine ita recedunt, vt quiuis prouincialis ea non agnoſcat. Sed hæc leuia fortaſsis ſunt: illa multo maiora. Singulorum regum Poloniæ res geſtas, Reipubl. formam & mutationem omnem, procerum dignitatem & autoritatem, comitiorum habendorum rationem, ſuffragij ius omne, legum ſanciendarum cauſas, & mores omnium populorum ita explicas, vt, quod in primis hiſtoricum ego efficere debere ſentio, ex tuis libris πολιτεία tota Polonorũ colligi atque agnoſci, & ad veterum philoſophorum Platonis & Ariſtotelis, qui de tota hac ciuili ſcientia vberrimè ſcripſerunt, normam dijudicari poſsit. Temporum ſeries prætereà ita conſtat vniuerſa,

cauſæ

causæ & euentus rerum, ipsarumqúe gerendarum ratio tam liquidò apparent, vt nihil requirere, quamuis diligens & attẽtus lector possit amplius. Laudo etiam, quòd nullam vllius actionem priuati hominis persecutus es, quæ non esset cum publicis actionibus coniuncta; quod video à multis nostræ ætatis factum temere, dum assentari nõnullis volunt. Tu sine assentatione vlla liberè omnia profers, vt & virtutis & vitij genus omne ac vitæ cuiusque modulus cognosci possit. ἐπιφωνήματα quoque illa tam crebra: quæ veteres etiam ipsi falsò existimarunt esse historici propria, vt quale quidq; sit ipsi iudicarent, quod vitaueris, valde probo. Sic enim Lectori ipsi, si bene nauus fuerit, & industrius, potestatem fecisti iudicandi, quid de quoque negocio, ac re gesta sit sentiendum. Habeo ego mi Cromere, comprehensam animo quandam historiæ scribendæ formam multis rationibus comprobatam, ad quam cùm tu vnus proximè accedas, non possum summum ingenium tuum, & prudentiam singularem non admirari. Te igitur plurimi facio, sicuti debeo, atque vt huius meæ erga te præclaræ voluntatis testimonium extaret aliquod (etsi cum Luca Podoßio sæpe, & Andrea Patricio, quos ego in primis amo, adolescentes doctos & modestos, collocutus eram) has ad te volui dare literas, quas ita planè legas velim, vt ab homine tui amantiß. scriptas.

AVTHORES IN HOC OPERE CITATI.

Aeneas Syluius.
Albertus Crantius.
Annales Russorum.
Annales Lituanorum.
Anonymos Polonus.
Antonius Bonfinius.
Appianus Alexandrinus.
Bernardus Vapouius.
Berosus Chaldæus.
Blondus Foroliuiensis.
Cornelius Tacitus.
Eginhartus.
Erasmus Stella.
Eusebius Cæsariensis.
Eutropius.
Ezechiel propheta.
Franciscus Irenicus.
Gallus monachus.
Gregorius Magnus pont. max.
H. Mutius.
Helmoldus.
Hermannus Contractus.
D. Hieronymus.
Ioannes Dlugossus
Ioannes Dubrauius.
Iornandes Alanus.
Iostus Ludouicus Decius.
Iosephus Hebræus.
Lambertus Schaffnaburgensis.
Luitprandus.
Martinus Gallus.
Matthias Miechouiensis.
Moyses.
Nauclerus Tubingensis.
Nicephorus.
Olaus Magnus Gothus.
Otto Frisingensis.
Paulus Diaconus.
Paulus Iouius.
Paulus Constantinus Phrygio.
Philippus Callimachus.
Plinius.
Pomponius Mela.
Pomponius Lætus.
Procopius Cæsariensis.
Ptolomeus Alexandrinus.
Radeuicus.
Sabellicus.
Saxo Grammaticus.
Sigismundus Herbersteinus.
Strabo.
Terentius.
Venceslaus Hagecus.
Vincentius Cadlubcus.
Vitichindus Saxo.
Zonaras.

PRIN-

PRINCIPVM ET REGVM POLONORVM INDEX.

Principes idololatræ.

Lechus.
Duodecim Duces seu Palatini.
Cracus.
Lechus II.
Venda.
Duodecim Pal. iterum.
Præmislus siue Lescus primus.
Lescus secundus.
Lescus tertius.
Popielus senior.
Popielus iunior.
Piastus.
Ziemouitus.
Lescus quartus.
Ziemomyslus.

Christiani.

Princeps
Miecislaus primus Christianus anno 965.

Reges.

Boleslaus cognomento Chrobrus ab Ottone tertio Imp. Rom. Rex Pol. appellatus, & Gnesnæ coronatus, anno 1001.
Miecislaus.
Cazimirus I.
Boleslaus II. cogn. Ferus.

Principes siue Monarchæ.

Vuladislaus I.
Boleslaus III. cogno. Criuoustus.
Vuladislaus II.
Boleslaus Crispus.
Miecislaus senex, ter.
Cazimirus.
Lescus Albus cum Helena matre.
Vuladislaus Lasconogus.
Boleslaus Pudicus.
Lescus Niger.

Reges rursus.

Præmislus Regium titulum repetiuit, anno 1295.
Vuladislaus Locticus reiectus & receptus.
Venceslaus Boemus.
Cazimirus II. cognomento Magnus.
Ludouicus Vngar. & Pol. rex.
Vuladislaus Iagello.
Vuladislaus III. Pol. & Vng. rex.
Cazimirus III.
Ioannes Albertus.
Alexander.
Sigismundus I.
Sigismundus II.
Henricus Valesius Gallus Poloniæ & Franciæ rex.
Stephanus Batorius Vngarus rex, Transyluaniæ & Liuoniæ princeps.

MARTI-

STEPHANVS Primus, Dei gratia REX POLONIÆ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Transsyluaniæ Princeps, &c.



Sic STEPHANVS frontem viuens oculosque gerebat
REX, pius, et sapiens belloq. et pace coruscans.

ELOGIVM MAGNI STEPHANI I. POLONIAE REGIS, QVI GRODNAE, MVLTIS REBVS PRAECLARE GESTIS, PACEQVE PVBlica relicta, mortuus est Anno Domini *1586*. Die 12. Decembris.

IN templo plus quàm Sacerdos.
In Repub. plus quàm Rex.
In sententia dicenda plus quàm Senator.
In iudicio plus quàm Iurisconsultus.
In exercitu plus quàm Imperator.
In acie plus quàm Miles.
In aduersis perferẽdis, iniurijsq; condonandis, plus quàm
In publica libertate tuenda plus quàm Ciuis. (Vir.
In amicitia colenda plus quàm Amicus.
In conuictu plus quàm Familiaris.
In venatione ferisq; domandis plus quàm Leo.
In tota reliqua vita plus quàm Philosophus.

STEPHANVS REX POLONIAE

STEPHANO PALATINO SVB IOANNE REGE TRANSILVANIAE, MATRE ANNA THELEGDI ANNO S. CIↃ. IↃ. XXXIII. DIE DD. COSMAE ET DAMIANI NATVS, IN PVERITIA BONARVM LITERARVM STVDIA DOMESTICO STVDIO ATTIGIT: ADOLESCENTIAM, IN AVLA FERDINANDI IMPERATORIS, EIVSDEMQVE VNGARIAE REGIS: MATVRIOREM AETATEM, IN BELLIS VNGARIAE CIVILIBVS EGIT. IN QVIBVS ET CANDENTES GLOBOS, NOVVM INCENDIORVM GENVS, ALIIS OMNIBVS INCENDIIS PRAESENTIVS, PRIMVS INVENIT INSTITVITQVE. A IOANNE PRINCIPE TRANSILVANIAE PRIMO AD FERDINANDVM AC MAXIMILIANVM IMPERATORES, ITERVMQ. AD MAXIMILIANVM SOLVM LEGATVS MISSVS, IN SECVNDA LEGATIONE, OB TVRBATAS EO ABSENTE CONDITIONES PACIS CAPTVS, VLTRAQ. BIENNIVM IN CVSTODIA HABITVS, TOTVM ID TEMPVS OPTIMARVM ARTIVM STVDIIS, ANTIQVORVMQ. OMNIS GENERIS AVTHORVM LECTIONIBVS TRANSMISIT. POST MORTEM IOANNIS PRINCIPIS TRANSILVANIAE IOANNIS REGIS FILII, GASPARI BEKESSIO, QVEM IOANNES PRINCEPS SVCCESSOREM SIBI DESTINARAT, POPVLARIVM STVDIIS PRAELATVS, AD HONOREM EVM EVOCATVS FVIT. BEKESSIVM RES NOVAS TENTANTEM EIECIT: ITERVMQVE A MAXIMILIANO IMPERATORE, AD QVEM PROFVGERAT, PROFECTVM, AC PRAESIDIIS EX ARCIBVS VNGARICAE DITIONIS CAESAREAE DEDVCTIS TRANSILVANIAM INVADENTEM, FVDIT, FVGAVITQVE. NON MVLTO DEINDE TEMPORE INTERIECTO, MAIORVM RERVM MATERIAM FORTVNA STRVENTE, AB ORDINIBVS REGNI POLONIAE IN DVAS PARTES DIVISIS, ALTERIS MAXIMILIANVM IMPERATOREM ELIGENTIBVS, AB ALTERIS IPSE IN REGNVM VOCATVS FVIT. QVOD MOX, VT DELATVM ERAT, INGRESSVS CELERITATE EX INCERTO CERTVM SIBI FECIT: MAXIMARVM DISCORDIARVM SEMINA PRIMO ADVENTV OPPRESSIT: REMQ. PVBLICAM EX TVRBATISSIMA TRANQVILLISSIMAM REDDIDIT: PRAESIDIVM ADVERSAE PARTIS EX LANDSKORONA DEIECIT: GEDANENSES IN PARTIB. OBSTINATIVS PERSISTENTES PRIMVM PRAELIO DIRSAVIEN. TVM ALIQVOT MENSIVM OBSIDIONE AD OFFICIVM REDVXIT. COMITIIS INDE VARSAVIAM INDICTIS IVDICIA A NOBILITATE INTERREGNORVM TEMPORE SINE CERTO ORDINE AC RATIONE VSVRPATA FIRMAVIT: CONSILIO AC PRVDENTIA CERTISQVE LEGIBVS CIRCVMSCRIPSIT. IISDEM COMITIIS BELLVM CONTRA IOANNEM BASILII F. MAGNVM MOSCOVIAE DVCEM AB ORDINIBVS DECRETVM, SVSCEPIT: PERQVE TRIENNIVM ITA GESSIT, VT PRIMO ANNO POLOTIA, SOKOLA, SVSSA, KRASNA, VSVIATA, SITNA, IESERISCIA, KOSSIANO, NESCERDA, TOTOQVE DVCATV POLOTIENSI: ALTERO, LVKIS, NEVELA, SAVOLOTIA, AGROQVE LVKANO VNIVERSO HOSTEM EXVERET: TERTIO, OSTROVIA PRIMVM CAPTA PLESCOVIAM PER INIQVISSIMVM ANNI TEMPVS EO VSQVE OBSIDERET, DVM AD PACEM PETENDAM CEDENDAMQVE LIVONIAM VNIVERSAM, DVCATVM POLOTIENSEM AC AGRVM VELISIENSEM AMPLISSIMVM, HOSTEM ADIGERET, QVAEQVE ILLE TRIGINTA FERE ANNORVM SPATIO MAXIMA CVM SANGVINIS AC LABORIS PROFVSIONE VIX PEPERERAT; IPSE TRIENNALI BELLO RECVPERARET. OMNIVM IN HVNC VSQVE DIEM, CVM EXTERNORVM TVM DOMESTICORVM HOSTIVM PARTIM ARMIS, PARTIM CLEMENTIA AC IVSTITIA

VICTOR.

MAGNI DVCATVS LITHVANIAE LIVONIAE ET MOSCOVIAE DESCRIPTIO.

Matthias Strubicz Nobilis Polonus describebat

Cum privilegio

Septentrio

Meridies

Occidens





POLONIAE,
LOCORVMQVE
VICINIORVM
DESCRIPTIO.
Auctore Wenceslao
Grodeccio Polono.
Milliaria Germanica
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
Venedicus sinus
BALTICVM MARE
LIVONIAE PARS.
SAMOGITIA
MAGNVS DVCATVS LITVANIAE
PODOLIA.
MOLDAVIAE PARS.
HVNGARIAE PARS
SILESIAE PARS.
PONTI EVXINI PARS.

MARTINI CROMERI, EPISCOPI VARMIENSIS POLONIA, SIVE DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER PRIMVS.

POLONORVM ET SLAVORVM EXORTVS ET SEDES. CAP. I.



Poloniæ situs. PRIMVM omnium constat, Polonos, gentem maximam, à Sarmaticis montibus & Carpatho, secūdum vtrunque latus Vistulæ fluminis, & ad Odrā (siue is Viadus, siue Gutalus est antiquis) versus Septentrionem & Occasum æstiuum longè latèque habitare, magnā Sarmatiæ iuxta ac Germaniæ partē complexos. Quorum fines, mores, & rationē reipub. nos alio opere, quod quater iam in lucem prodijt, diligenter persecuti sumus. *Polaci.* Polacos ipsi se appellāt, atq; ita ferè etiam à vicinis & externis populis appellantur. *Polonorum nomen recēs.* Vtrumq; autem id nomen recens est, & vix à septingentis vel octingentis annis vsurpari cœptum: quemadmodum *Ciechi.* Ciechorum quoque, quos Latini & Germani Boemos vocitant. Sunt autem eiusdem linguæ, & consanguinei, hi duo populi, & ab vna stirpe orti: quemadmodum communis omniū fert opinio. A Slauis, seu Slauinis, pleriq; omnes eam deriuant: ipsique eam originem libenter agnoscunt, linguaque profitētur, Slauos se communi appellatione vocitantes. *Slaui, seu Slauini quādo.* Sed ne Slauorum quidem, & Slauinorum nomen (vtroque enim modo enunciatur) admodum antiquum est. Primus, quod equidē sciam, Procopius Cęsariensis, ante mille & triginta vel quadraginta annos, de bello Gotico Iustiniani Imperatoris Romani scribens, mentionē eorū facit: itēque eius æqualis Iornandes Alanus. *Proc. de bel. Got. lib. 1. & 3. Iorn. de rebus Get. & de regn. & temp. success. Blon. ab inclin. imp. dec. 1. lib. 1.* Tametsi Fl. Blōdus Foroliuiēsis, qui ante centum annos historiam ab inclinatione Romani imperij conscripsit, amplius centum annis antiquiora Arcadij & Honorij tempora persequens, Slauorum meminit. verùm Iornandes non obscurè indicat, nomen id nouum suo tempore extitisse: quod postea planū faciemus. Olim quidem tempore suprà memoratorū scriptorum, Slaui, seu Slauini ab Istro siue Danubio in Septentrionem habitarunt. *Slauorū domicilia & amplitudo.* Indeque transmisso eo flumine, Mysiam, Pannoniam, Macedoniam, Thraciam, Istriam diuexarūt. Inter Drauum & Sauum siue Saum flumina, & in Illyrico ac Dalmatia consederunt, eique regioni Slauoniæ nomen dederunt, Romanumque imperium prorsus debilitarunt, eodem Iornande & D. Gregorio primo eius nominis Pontifice max. testibus. *Greg. in ep. ad episcopos Istrien.* Ne Germaniæ quidem pepercerunt. Ad eam denique amplitudinem peruenēre, vt propè dimidiam Europæ, nonnullam etiam Asiæ partem teneant. Etenim in ea natione censentur non solū ij, qui Dalmatiā, Illyricum, Istriam, Carpathum, & Vngariæ mōtana tenent, Slauorumq; seu Slauinorū nomē peculiariter retinent: verùm etiā alię multę maximæ & fortissimæ gentes, Bulgari, Rascij seu Rasciani, Serbi, Bosnenses, Carni, Croatæ, Russi, Podolij, Volynij, Moschi, Cercassi, Pietihorsci, hoc est Quinq; mōtium accolæ: itemque Pomerani, accolæ sinus Venedici siue Balthici Albi tenus: quorum reliquiæ hodieque à Germanis Slaui, & Vindæ seu Vendi vocātur, olim *Vindæ, seu Vendi.* varijs distincti nominibus ac populis: vt est videre apud Vitichindum, & alios recentiores historicos. *Vitichind. de reb. gest. Sax.* Denique Lusacij, Cassubij, Silesij, Moraui, Boemi siue Ciechi: & ipsi, de quibus hoc nobis institutū est opus, Poloni. Operæ preciū igitur factu ri esse videmur, si primū vniuers è Slauorū originē, & quasi in cunabula peruestigemus. Sic enim planū fiet, ab ijsne Poloni, an ab his illi, an verò aliunde vtrique, atq; etiā Boemi communem ducant originē. Quid autē Scriptores de Slauorum stirpe senserint, iam exponendum est.

De Slauorum origine tres opiniones. Cap. II.

Origines gētiū obscuræ antiquitatē affectant. NON inusitatū est, vt maximæ & nobilissimæ quæque gentes, cū obscuros ortus habeant, & ex paruis initijs creuerint: vetustate tamen originis, & generis nobilitate, seu vera, seu ficta, sese venditent: authoresq; & conditores suos vel cœlo à fabulosorum deorū stirpe deuocent, vel ab ipso vsque orbis terrarum diluuio & ex arca Noe memoriter repetāt. Ita Romanos è pastorum & fugitiuorum colluuie ad summam potentiam & claritatem euectos, Romuli sui pœnituit, *Romanorum origo.*

nisi genus eius atque suum, ad Martem & Venerem, falsos deos, referret. Ita Persæ Persea Iouis filium: Thraces Martem, & ipsi generis sui authorem iactarunt. Athenienses ἀυτόχθονας, hoc est indigenas se esse voluerunt: itemque Aegyptij, argumento animalium, quæ secundum Nili inundationes in limo, imperfectis etiam dū mēbris reperiuntur. Iam et Prisci Itali Aborigines ex eo sese dixēre, quasi iā inde ab initio & origine mundi ibi extitisſent. Hebræi porrò, apud quos vt antiquissima, ita certissima est historia, ab Abraamo, clarissimo & cōstantissimo veri Dei cultore ortos se esse memorant: eiusque stirpem non modò à diluuio, sed ab ipso vsque orbe terrarum condito repetunt. Ad eundem Abraamū, Arabes quoque & Saraceni, origines suas referunt. Galli ad Comerum, siue Gomerum: Iberi, siue Hispani, ad Iobelum seu Tubal, Iapeti filios, Noe nepotes: autoribus Iosepho Hebræo, & Beroso Chaldęo, scriptoribus peruetustis. Germani siue Teuthones, à Tuiscone, prisci Iani, quem eundem Noam esse volunt, & Araxæ filio orsi, Mannum, Ingæuonem, Hermionem, Marsum, Grambriuium, Sueuum, Vandalum, Teuthonem, Alemānum, & alios deinceps reges & progenitores suos Corn. Tacito, & eodem Beroso authoribus, longo ordine recensent. Sic Hunni & Vngari, magnitudine rerum gestarum Attilæ sui non contenti, ab Hunore vsque, & Magore, Nemroti, siue Nini primi Asſyriorum regis filijs, perpetua sucſesſione (veráne an falsa, non disputo) originem suam deducunt. Sic denique, vt ad rem veniamus, Slauorum genus ab ipso vsque Iapeto Noe filio repetunt ij, qui Polonorum & Boemorum annales conscripserūt. Nec id tamen vno modo. Nam alij ex Iapeto quidem Iauanum ortum esse, ex hoc Philaram, ex eo porrò Alanum, inde Anchisen, inde Aeneam, inde Ascanium, ex eo Pamphilum, hinc Reasilinam, hinc Alanum secūdum, qui primus ex Asia in Europam commigrarit. Eum verò quatuor habuisse filios. Ex his natu maximum Vandalum, Vistulæ flumini, et Polonis nomen dedisse, vt Vādali dicerentur. Hunc denique multos liberos suscepisse, qui quartam partem Europæ occupauerint: & Polonorum, Russorum, Cassubiorum, Silesiorum, Boemorum, Morauorum, Slauorum, Dalmatarum, Pannonum, Bosnensium, Croatarum, Bulgarorumq; regna condiderint. Atque hîc subsistūt, quasi aut Phædriæ aut Thrasones è Comędijs, aut Capeti Tyberiniq; ex historijs eis defuerint, aut comminisci plura ipsi arbitratu suo non potuerint. Alij verò ridiculam fabulositatem, nulla neque authoritate neque probabilitate nixā, auersati, longam quidem stirpis enumerationem prætermittunt: ab ijsdem tamen Iapeto & Iauano, sed ꝑ Helisam filium, harū gentium genus deriuant: illam rationem secuti, quòd Slauos, Dalmatas & Illyrios esse opinantur, qui retineant etiamnum ferè ea loca, in quibus hæ gentes, Dalmatę inquam & Illyrij, ab initio, cùm à turri Babylonica in vniuersum orbem terrarum coloniæ deducerentur, cū Ionibus, Aeolibus, Hellenibus, siue Græcis, ac cætera Helisæ & Iauani siue Ionis posteritate cō sedisse, à supra memoratis authoribus Iosepho Berosoque memorantur. Addunt que: Iuani quoque siue Iani nomen, ab Ione & Iauano ductum, ei rei argumento esse, quo Slaui etiam nunc multum vtantur in hominibus appellandis. In hac autem sententia fuēre Ioānes Dlugossus, & Matthias Miechouiensis, & alij quidā nostrates. Tametsi Miechouiensis variat in eo libro quem de Sarmatijs scriptum reliquit: è Boemis Venceslaus Hagecus, & qui ab eo recensentur Pribislaus & Cosmus Boemi, Ioānes Merignola archiepiscopus Florentinus, & Philippus Callimachus Itali. Alij porrò, cùm Vandalos antiquitùs hæc loca, quæ nunc Poloni, Silesij, Marchiani Brandeburgenses, Mysnij, Cassubij & Pomerani sinus Codani siue Balthici, marisq; Sarmatici accolæ tenent, antiquitùs ad Chersonesum vsque Cymbricam, atque adeò ipsam quoque Chersonesum (quę nunc Holsatiam Ditmarsiam, ac Daniam complectitur) tenuisse, ex antiquioribus historicis & geographis recognoscerēt, & eos qui posterius ea loca tenuerunt, aut etiam nūc tenent, Slauos, Vendos seu Vindas à Germanis appellari animaduerterent, eosdem esse existimarunt Slauos ac Vandalos: cognatione nominum quæ est inter Vandalos & Vendos siue Vindas, etiam adstipulante. Cumque Germani homines (nam hi ferè sunt in hac sententia) iure suo, vt mihi quidem videtur, Vandalos sibi vendicarent, ad eos Slauorum originem retulerunt: ad amplitudinem & gloriam nationis suæ pertinere iudicantes, ne ea Vandaliæ ac Boemiæ antiquissima posſessione, à noua & obscura gente Slauorum, qui nec ipsi certam originem suam edere possent, depulsa esse videretur, cùm Gallias per Francos & Gotos, Britaniam per Saxonas, Hispaniam & Africam

Persarum, Thracum, Atheniensium, Aegyptiorū, Itali Aborigines. Hebræorum. Arabum, Saracenorum, Gallorum, Hispanorum. Iosf. antiq. Iud. lib. 1. cap. 11. Berof. antiq. lib. 4. & 5. Germanorū origo. Corn. Tacit. de situ & moribus Germa. Berof. antiq. lib. 4. & 5. Hunnorum, & Vngarorum. Slauorum origo secundū quosdam.

Alia opinio. Dalmatæ et Illyrij. Ian. Iuan. Ioan. Dlugoss. Mat. Miech. Vencesl. Hagec. Tertia opinio. Vandalorū sedes. Vindæ, seu Vendi, & Venedi. Germanorū res gestæ illustres.

fricam per Gotos atque Vandalos, Italiam primùm per Cymbros, deinde per eosdem Gotos, Vandalos & Longobardos, Pannonias item & alias Orientis regiones & gentes nobilissimas per eosdem populos partim vexasset, partim domuisset, subiugasset, atque tenuisset. Iam huic ita prçiudicatæ opinioni non solùm necesse, verùm etiam facilè erat cætera attexere, quæ de Vandalorum origine ex Beroso & Corn. Tacito colliguntur: nempe Vandalum gentis conditorem à Tuiscone prisci Noç filio, post diluuium orbis terrarum nato, duxisse originem: eumque ipsum Tuisconem, à Tanai ad Rhenum vsque regnasse. Hanc opinionem adstruxit in primis Albertus Crantius, qui patrum nostrorum memoria Vandaliam conscripsit, & in eo opere cunctas res gestas Polonorum, Boemorum, ac cæterorum Slauorum Vandalis, atque ita Germanis suis honorificè attribuit. Idem sensère Ioannes Dlugossus & Matthias Miechouiensis alicubi, & complures alij recentiores. Antonius quoque Bonfinius, in eo opere quod in gratiam regis Matthiæ scripsit de Origine & rebus gestis Vngarorum, licet non figat ferè vestigium, non videtur tamen ab illis in hac parte dissentire. Nec defuit eis è vetustioribus author, quem sequerentur, Iornandes: qui in eo libro, quem scripsit de rebus Geticis, Slauos siue Slauinos Vandalorum gentem esse, asserere ipsis videtur: quàm rectè, postea viderimus.

Crant. in Vand. *Dlugossus, Matt. Miec.* *Bonf. de orig. & reb. gest. Vngarorum.* *Iornandes.*

Superiores opiniones falsas esse.

Cap. III.

SED horum nihil nos probamus: nec id temerè, aut leuibus argumentis adducti, quemadmodum iam demonstrabimus. Et illam quidem fabulosam genealogiam, quam primo loco posuim⁹, pluribus, quàm suprà fecimus, refellere operæprecium non est. Contra reliquas, duas opiniones, quæ quamuis diuersæ, eodem tamen ferè argumẽto locorum, quæ Slaui incolunt, nituntur, illud communiter dici potest: Non esse necesse, Slauos eosdẽ esse siue cum Dalmatis & Illyrijs, siue cum Vãdalis, propterea quod eorũ loca incoluerunt, atque etiamnũ incolunt: sicut neq; Vandalis cõmunis fuit origo cum Pœnis, Mauritanis, & Afris: neque Gallis, Gotis, & Longobardis cum Italis: neque Francis cum Gallis: neque Hebræis siue Israelitis cum Chananæis: quamuis Vandali Africam: Galli, Goti, Longobardi Italiam, alij post alios: Franci Gallias, Hebræi Chananitidem, pulsis vel deletis vetustioribus habitatoribus, tenuerint. Pannoniam quoque olim Galli, deinde Goti, Sarmatæ, Vandali, Longobardi, Hunni, Slaui & Vngari inuicem sibi succedentes inuaserunt. Nec tamen omnes hi populi ijdem sunt, aut eandem habent originem: nisi fortè illam omnium gentium communem à Noa, vel Adamo etiam, si quis altius velit repetere. Non semper sanè eædem gentes easdem sedes tenent, aut tenuêre: verùm aliæ subinde ab alijs pelluntur suis sedibus, aut etiam delentur. Nonnunquam vltrò in alias regiones commigrant, aliqua vel cõmoditate inuitatæ, vel necessitate adactç, quemadmodum cùm de his: quas modò enumerauimus, tum de Tyrijs, Phocensibus, Lacedæmonijs, Arcadibus, Troianis, & alijs compluribus vetusti & graues historici literis prodidêre: ita vt, quod vniuersè à Comico seruo dictum est, Omnium rerũ vicissitudinem esse, de hac etiam commigratione populorum regnorumque mutatione verum sit. Sed in alijs quidem gentibus facilius id probari ac demonstrari potest, siue quòd eæ à literis & humanitate non abhorruerunt: siue quòd ipsæ quidem barbaræ, vicinos tamen habuerunt excultos literis, quibus neque ocium ac studium ad perquirendum, neque facultas ac diligentia ad conscribendum non modò vicinarum, sed etiam remotarum gentium res gestas & origines defuit. Poloni & Slaui omnes antiquitùs literas & literatos contempserunt: ac ne ocio quidem ad studia doctrinç & humanitatis abundarunt, cùm Barbari inter barbaros consedissent, & continentia cum finitimis bella gererent. Cumque prius obscuri & ignobiles in vasta barbararũ gentium colluuie latuissent, ijs temporibus extiterunt, quibus Romani atque Græci, apud quos literarũ atque doctrinæ studia semper in primis floruêre, barbaricis Parthorum, Gotorum, Vandalorum, Alanorum, Sueuorum, Langobardorum, Saracenorum, Hunnorum, & ad extremum ipsorum Slauorum armis implicati, diuexati, & penè deleti, doctrina quoque & eloquentia propemodum exciderunt: & domesticis perpetuis malis atque calamitatibus impediti, ne ocium quidem ad perquirendum, & literis mandandum origines & res præclarè gestas externorum, eorum præsertim quos meritò oderant, habuerunt. Itaque cùm omnis illorum temporum historia perplexa & incerta est, tum Slauorum in primis: qui ad faciendum res memo-

Gentium mutationes & migrationes. *Pannoniæ habitatores* *Terent. in Eunucho.* *Cur obscura Slauorum origo.* *Poloni & Slaui alieni à literis.* *Romani & Græci à barbaris euersi.* *Slaui ad faciendũ quàm ad scribendũ*

vel dicendū aptiores.

memoratu dignas, quàm ad memorandum promptiores, & magis appositi, ne gloriæ quidem valde cupidi fuere. Quo factum est, vt non modò nihil de rebus gestis & origine sua comminiscerentur, quemadmodum Goti fortassis, & multi alij: sed ne tenerent quidem memoria, aut posteris suis vicissim quasi per manus traderent, si quid veri certique à maioribus suis accepissent. Vixdum sexcenti, aut septingenti certè anni sunt, ex quo Slauica siue Bulgarica gens literas vnà cum religione Christiana, vel posterius etiam amplexa est: nec magnopere sanè earum studium postea coluit, satisque habuit vnusquisque sensa animi sui alteri absenti literis vtcunque aperire, præteritorum iuxta ac futurorum neutiquam curiosus. Sed nos ita adhuc egimus, vt ostenderemus duntaxat, non esse necesse eandem esse nationem & gentem Slauorum cum Dalmatis, Illyrijs atque Vandalis. Deinceps ergo, prorsus non eandem esse, demonstremus, si possumus: & quidem distinctè, prius de Dalmatis & Illyrijs, mox de Vandalis.

Goti gloriosi.

Slaui quando literas acceperint.

Slauos non esse Dalmatas, neque Illyrios.

Caput IIII.

Dalmatæ & Illyrij.

MVLTA de Dalmatis & Illyrijs veteres Græci & Latini Scriptores memoriæ prodidere. Nam & Macedones & Romani olim cum eis bella gesserunt. Appianus quidem Alexandrinus etiam peculiarem de his librum conscripsit, cui nomen dedit Illyrico: in quo originem harum gentium, quamuis diuersam à Beroso, persequitur. Sed nihil ad rem nostram. Commemorat autem is, itemque Ptolemæus in Geographia, & alij scriptores ante & post eum, vrbes earum gentium, Segestam, Delminium, Salonem, Promonā, Terponum, Metulium, Scardonam, Iaderā: fluuios, Naronem & Saum, siue Sauum: populos Scordiscos, Triballos, Liburnos, Dardanos, Atintanos: quorum nominum etymologia nihil commune habet cum lingua Slauorum, sicut habet eorum quæ posterius indita, hodieque in vsu sunt: nempe Iaice, Zagrabia, Cluz, Camennygrad, Bielograd, Nouigrad, Cremē, Otoc, Iablanez, Gurka, Lipa, arces & oppida: Reca & Dobra, fluuij: Craina regio; siue territorium. Vnde apparet, nouam & peregrinam gentem post tempora Ptolemæi & Appiani in illis oris consedisse, veteribus habitatorib⁹ vel pulsis, vel subactis, & pedetentim extirpatis, quæ partim antiqua retinuerit, partim noua nomina locis dederit, longè diuersa à veteribus. Iam verò quæ ratio excogitari potest, cur populi ijdē, qui prius Dalmatæ & Illyrij dicti sunt, posterius Slaui, & regio Slauonia dici cœperit, si ab initio Slaui eam tenuêre? Sed hæ quamuis graues, coniecturæ tamen sunt. Quòd si demonstramus, quo tempore primùm Slaui Dalmatiam & Illyricum, alienas sedes, armis inuaserint & occuparint, nullus opinor dubitationi locus relinquetur. Ad hoc autem demonstrandum, vnus Procopius suffecerit: qui cùm Iustiniano imperatori à commentarijs, & Belisario duci & magistro militiæ eius nonnullarum expeditionum bellicarū comes fuerit, certissimus eorum quæ ipsius tempore, & sub oculis penè ipsius, acciderunt, testis esse potest. Is igitur de bello Gotorum libro primo sic scribit: Martinus interea, Valentinianusque ad Belisarium peruenere, milites mille ac sexcentos ductantes, quorum pars maxima Huni erant, Slauini, Antæque: qui trans Istrum fluuium, nec procul ab eius ripis incolunt loca. Libro autem tertio sic: Magnæ nuper Slauinorum hominum manus Istrum fluuium traijcientes, & eius regionis loca depopulati, Romanorum vim maximam cœperant. Et mox: Sed Childibius posthac adeò terrori barbaris fuit, vt per triennij spacium, & quamdiu eo præfecturæ munere hic fungebatur, Barbarorum nemini vnquam id flumen licuerit Romanos causa inuadendi pertransire. Quin potius in alteram continentis partem Romani, Childibio duce, sæpe transuecti, barbarorum vim maximam trucidarāt, & in seruitutem abduxerant. Slauinos hic vocat barbaros. Nec multo post, de ijsdem Slauinis, & consanguineis eorum Antis memorans: Affatimque, inquit, terras habent, vt qui in vlteriore Istri fluminis ripa incolunt partem. Trans Istrum, qui idem Danubius est, Slauinos tunc incoluisse, scribit. Constat autem, Dalmatiam & Illyricum cis Istrum esse Romanis & Constantinopolitanis. Aliquanto verò pòst eodem libro idem Procopius ita scribit: Per id tempus Slauinorum exercitus flumine Istro traiecto, Illyrios omnes ad vsque Epidamnum malis ingentibus affecere, partim hos trucidando, & partim sine vllo ætatis discrimine in seruitutem, quos licuit, abigendo: & eorum bonis direptis, desæuiebant. Adhæc & præsidia illis in locis

App. in Illyr.

Ptol. Geogr. lib. 2. cap. 7.

Dalmaticarū vrbium, populorum & fluminū vetusta nomina.

Noua nomina diuersa à veterib⁹.

Mutatarum gentium in Dalmatia et Illyrico argumentum.

Slaui & Slauonia.

Slaui quando Dalmatiam & Illyricum occuparint.

Procop. de bello Got. lib. 1.

Idem lib. 3.

Ister, Danubius.

et lingua mutantur etiamsi eorundem posteritas succedat sine migrationibus aliarum gentium

locis non pauca, & quidem prævalida, occuparunt. Et rursus memorat idem, Slauinorum nõ vltra tria millia Istrum, nemine obsistente, traiecisse, & partim in Illyricũ, partim in Thraciam excurrisse, ac vtrobiq; Romani exercitus duces prælio vicisse: hisque ita peractis, omnia Illyriorum Thracumque loca depopulatos esse, & pleraque præsidia obsidione cœpisse: aliàs nunquam, nisi semel, Istrum pertransire ausos. tunc autem primùm eos agrum Romanum inuadere cœpisse: & captiuorum numero infinito prædaque ingenti abactis, ad pristinos lares (nempe trans Istrum) se recepisse, easque excursiones subinde repetiuisse: & Illyricis montibus superatis, in Dalmatiam peruenisse, ac multas Romanorum copias profligasse. Additque ad extremum, eos non incursantium & prędas agentium in morem ea loca infestasse: verùm perinde ac domi hyberna habere iam tum cœpisse, nihil hostile reformidantes. Atque hæc fermè Procopius. Vnde manifestè apparet, alios tunc à Slauis fuisse Illyrios ac Dalmatas. Addamus huic & Blondum, recentiorem quidem, sed diligentem antiquitatis indagatorem. Is ergo nonnullis D. Gregorij verbis descriptis hæc addit: Quanquam verò Gregorius plura de hac Slauorum in Istriam irruptione non scribat, tamen nos compertum habemus, eam gentem, quam vltra Danubium sedes habere, & socerum filiumque Mauritij illis oppositos fuisse diximus, tunc primùm oram Adriatici sinus dextri litoris occupasse, & ita habitationem in ea continuasse, vt quicquid prius Istria & Dalmatia dicebatur, ad tempora vsque nostra dicatur Slauonia. Sequenti autem libro, Phocæ, qui Mauritio successit in imperio, tempora persequens, ita scribit: Per id tempus etiam, imperio Constantinopolitano tumultibus illis in Africa & Asia agitato, Slaui, quos ostendimus in Dalmatiæ & Istriæ ora consedisse, quæcunque propinquis in regionibus Imperio parentia inuaserunt: & militibus, quos Phocas præsidio imposuerat, subita irruptione occisis, omnem Dalmatiæ & Illyrici Adriatico adiacentis prouinciam subegerunt. Hinc igitur satis iam constat, ni fallor, Slauos nõ esse Dalmatas, aut Illyrios: verùm è Transistranis regionibus progressos, deuictis & subactis, vel deletis ijs populis, in Dalmatia & Illyrico consedisse: atque ita accommodari eis non posse, ea quæ de illarum gentium origine & literis memoriæ prodita sunt. Iam igitur ad Vandalos quoque, quos Procopius Vandilos vocat, transeamus.

Blond. ab inclin. imp. li. 8. primæ Decadis.

Greg. ad episcopos Istriæ.

An Slaui, Vandali sint.

Caput V.

AC tenuisse quidem Slauos, atque adeò etiam nunc tenere eas sedes, in quibus olim Vandali habitasse memorantur, dubium non est. Nec de ijs modò locis hoc dictum volumus, quę à Vistula, Danubio & Albi tenus, & secundum mare Balthicum nunc à Polonis, Boemis, Silesijs, Cassubijs, Pomeranis, Vendis seu Vindis, Mechelburgensibus, & Saxonibus quoque tenentur: verùm etiam de alijs quibusdam, quæ & ipsa Vandalis à nonnullis scriptoribus attribuuntur. Nam & Procopius, cuius etiam dudum mentionem fecimus, à Mæotide palude Vandilos prodijsse, indeque fame pulsos in Francos Germanos impetum fecisse, scriptũ reliquit in eo libro, quem peculiarem de bello Vandilico conscripsit: & Iornandes memoriæ prodidit, eos quodam tempore ea loca tenuisse, quæ ab Oriente quidem Gotos, quos tunc in Dacia habitasse scribit, ab Occidente Marcomannos, à Septentrione Hermunduros, à Meridie verò Istrum siue Danubium finitimum habuerint. At Slauini quoque, quemadmodum inferius ostendemus, circa Mæotim incoluêre. Quin modò quoque ad eam vsque paludem & pontum, Moschi & Russi, Slauici generis populi, pertingunt. Ad Septētrionale etiam Istri latus, & in Pannonia, à Dacis qui nũc Transyluani & Valachi sunt, ad Boemiam vsque, quam Strabo Buiemum vocat, aliquando Slaui habitarunt: & inde Illyricum, Dalmatiam & Istriam Romanas prouincias infestarunt: quemadmodum dudum demonstrauimus. Fatemur hæc ita esse. Nec tamen hinc necessariò colligitur, hos populos eosdem esse cum Vandalis. Nihil enim prohibet, diuersis temporibus diuersas gentes ijsdem in locis habitare: ac vno etiam tempore amplam aliquam regionem, qualis est Sarmatia, non ab vno, vniusue nationis populo teneri. Constat autem, & Mæotidis oram longè & latè patêre: & quod ea per Pontum nauibus adita, notior esset Græcis & Romanis: interiora verò Sarmatarum Scytharumque incognita, propter barbariem & feritatem: eos loca remotiora etiam à Mæotide, de quibus auditu aliquid accepe-

Vandalorũ sedes, eædemq; Slauorum.

Procop. de bello Vandilico.

Iornand. de reb. Geticis.

Moschici imperij termini ad Mæotin fermè.

Strabo in Geographic. lib. 7.

Diuersi populi etiã in vna regione habitantes.

rant, Mæotidi adſcripſiſſe, & cùm Vandalis, tum Roxanis ſiue Roxolanis atque Slauis attribuiſſe. Et inter Dacas autem, Marcomannos, Hermundulos, ſiue Hermunduros, & Iſtrum, permagna locorum intercapedo eſt, quæ Vngariæ nomine nunc cenſetur: & cùm à Valachis, Ceculis, Saxonibus, Vngaris, tum à Slauis, eiuſdemque ſtirpis & linguæ populis Raſcijs & Morauis incolitur. Deniquе tractum eum, qui ſecundùm Viſtulam, & mare Germanicum, Vandalis attribuitur, multorum populorum capacem eſſe conſtat. Facile autem eſt, cùm è ſupra memoratis Iornande & Procopio, tum ex alijs etiam ſcriptoribus deprehendere, quid de diuerſis hiſce Vandalorum ſedibus ſentire debeamus: nempè, eos ſiue è Scania, ſiue à mari Balthico & Germanico, ſiue aliunde ad Mæotin prius venerint, inde quodam tempore verſus Meridiem & Occidentem profectos, inter Sarmaticos montes & Iſtrùm in Iazygum Metanaſtarum finibus & in Pannonia conſediſſe, & ad extremam oram Germaniæ ſeſe extendiſſe, Francoſque bello vexaſſe: indeque in Galliam & Hiſpaniam, denique in Africam & Italiam commigraſſe: Slauos autem in loca habitatoribus vacua, vel ſemiuacua ſucceſſiſſe. Quod quidem non obſcurè Fl. Blondus oſtendit, ſcribens, Slauos in ſedes Burgundionum Vandalorumque à Stilicone concitatorum, & patria profectorum, ſe contuliſſe. Quid alibi de Polonis & Boemis idem ſcribat, paulo pòſt recitabimus. Perinfirmæ igitur coniecturę ſunt, quibus iſti adſtruere nituntur, Slauos eandem eſſe nationem cum Vandalis. Blondus quidem aliam prorſus hanc ab illa eſſe, apertè indicat. Nam quòd quidam, cùm Vandalos à Vandalo fluuio, qui nunc Viſtula eſt, dictos eſſe velint, ridiculè hunc à Vanda Polonorum regina nomen accepiſſe exiſtimant: alij verò opinantur, Vandalos Slauica lingua dici à voce vernacula, quæ ipſis ſedes mutantibus frequens in ore fuerit (Vendalei enim, apud Slauos vox eſt cohortantium ſe inuicem, vt porrò ire pergant) eiuſmodi ineptas coniecturas ne refellere quidem libet. Vandalorum quidem nomen Vanda ſeu Venda antiquius eſt. Nos certioribus longè argumentis, Polonos & Slauos, Vandalos non eſſe, probabimus. Primùm enim, mores his gentibus diuerſi ſunt. Ac Vandalos quidem ſub regibus ſemper fuiſſe, & molliſſimos atque delicatiſsimos eſſe, teſtis eſt Procopius.

Vandali vnde, & quò progreſſi.

Blond. hiſt. dec. 1. lib. 1.

Vandalus fluuius.

Vendali falſa etymologia Vandalorum.

A diuerſitate morum. Procop. de bello Vandil.

Idem verò Slauinos Antasq; vitam duriorem, & incultã, neglectamque ducere, & ſordibus ſeſe ingurgitare, & incondita quędam tuguria longo ab inuicem interuallo habitare, & ſingulos domicilij locum ſæpe mutare, indeque Sporos à Gręcis cognominatos eſſe: nec ab vno aliquo eos regi, ſed plebeia communique libertate viuere memorat. Deinde lingua penitus diuerſa vtuntur Slaui omnes, ab ea qua Vandali vſi ſunt. Apertè id indicat Fl. Blondus, de Polonis & Boemis ita ſcribens: Incoluerant autem prius, vt ſuprà docuimus, ea loca Vandali. Quos credendum eſt, quando ad inuadendas Rom. prouincias ſunt profecti, partem gentis in patria reliquiſſe. Quare Slaui paulo poſt ſuperuenientes, ita locutiones commiſcuêre, vt ex vtraque tertiam effecerint. Ita Blondus. Conſtat ſanè inter omnes, Vandalos Gotorum & Germanorum gentem fuiſſe, eademque lingua cum eis vſos fuiſſe. Teſtes ſunt eius rei Eutropius, Paulus Diaconus, Procopius, & his omnibus antiquior Corn. Tacitus: neque negat Crantius. Quin citat is etiam ex Methodio martyre, epiſtolam Vandalorum ad Conſtantinum Magnũ imperatorem, Germanos ſe eſſe profitentium. Quod Franciſcus quoque a Irenicus facit. His adſtipulantur ducum ac regum eius gentis nomina, quæ Germanicam originem atque etymologiam redolent. Qualia ſunt, b Genſericus, Hunericus, Gildericus, Sigericus, quaſi ex anſerum, gallorum gallinaceorum, auri, & victoriæ, opulentia deriuata: itemque Fredebaldus, Traſamundus, Gutamundus, Sigiſmundus, & alia eiuſdem modi: quorum cognata & ſimilia etiam alia Goti habuerunt, & partim c Burgundiones, (qui & ipſi inter Vandalos numerantur) partim ij qui nunc peculiariter Germani ſiue Teuthones appellantur, adhuc retinent. Slauicum verò vocabulum ne vnũ quidem mihi quiſquam ex omni Vandalorum hiſtoria protulerit: niſi fortè illa apud d Crantium Lubecę, Roſtochij, Viſmariæ, Stargardi ſeu Starogradi: apud Helmoldũ, Vartiſlai & Pribiſlai, & alia eiuſdẽ modi locorum, vrbium, & principum nomina: quę nos à Slauis poſt migrationem Vandalorũ indita eſſe, in Hiſtoria ſuo loco indicabimus. Satiſné igitur argumenti eſt, Slauos, quorum lingua nihil penitus commune habet cum lingua Gotica & Germanica, Vandalos non eſſe? Hîc hæret omnino Crantius, & qui eũ ſequuntur, e Iornandis teſtimonio abutentes: quaſi is cum Vãdalis Slauorũ gentem

Item de bel. Go. lib. 3.

Linguæ diuerſitas

Blon. hiſt. dec. li. 1. 8.

Vandali Germani ſunt.

Eutrop. hiſt. l. 10. & 14.
Paul. l. 1 c. 1. de geſ. Lãg.
Procop. de bello Vand.
Tacit. de ſitu & moribus German.
Crant. lib. 1. Vandaliæ.
a Irẽ. Germ. exegeſi lib. 1. cap. 33.
b Vandalica nomina.

c Burgundiones Vandali ſunt.

d Venedicarum vrbium nomina.

e Iornan. de reb. Get.

Ire. Germ. exegesi lib. 1. cap. 13.

gentem coniungat. Franciscus verò Irenicus vi veritatis victus, manus dat: quamuis repugnante, vt & ipsi videtur, & alibi etiam dictum est, Iornande.

Slauos Germanos non esse.

Caput VI.

Germanicæ linguæ vsus apud Boemos & Polonos.

NAM quòd idem Crantius, ex vsu Germanicæ linguæ non infrequenti apud Boemos, addam ego, & apud Polonos, & è Germanicis concionibus colligit, eos Germanicam gentem esse: eadem ratione colligat licebit, Italos vel Latinos eos esse. Nam hæ quoque linguę in vsu esse cœpêre, apud Polonos præsertim. Hispanis quoque & Italis nostra tempestate, ijs præsertim qui vel militarunt, vel negociati sunt in Germania, non insolens est vsus linguę Germanicæ. Ne Latinæ quidem olim fuit Græcis, cùm Romanis parêrent: neque Romanis Græcæ. Ergóne ijdem erunt aut Græci cum Romanis, aut Itali & Hispani cum Germanis? Non rectè hic ratiocinatur Crãtius. Quòd si Slaui Germani sunt, vel ex Germanis orti, eademque olim lingua vsi: vnde igitur peregrinæ, hoc est, Slauicæ linguæ vsus, & quidem vulgatior ac frequẽtior quàm Germanicæ, apud eos inoleuit? quæ vt à Germanica, sic ab omnium finitimorum populorum linguis penitùs diuersa est. Quid quòd apud Bulgaros, Russos, Albos præsertim, atque Moschos, qui & ipsi Slauici generis sunt, vel nullus omnino, vel certè rarissimus, & in tiecticius est eius ipsius Germanicæ linguæ vsus: Slauicæ autem purior, quàm apud istos Crantij Vandalos, Polonos videlicet & Boemos? Cùm magis degenerare soleat ea, quæ lõgius absunt à suo fonte. Fateatur ergo necesse est Crãtius, non esse gentem Germanicam Slauos. Quòd autem Germanica lingua ij vulgò vtuntur, inde esse existimet, quòd vel non extirpati sunt penitùs olim ab eis Germani, vel certè posterius eò coloniæ è Germania deductæ sunt: rursusque virtute & industria Germanorum Slaui oppressi, vel ad paucos certè redacti. quorum hoc in ora maritima & Marchijs Saxonicis, illud in Polonia & Silesia quibusdam temporibus factũ esse, nos suis locis exponemus. Iã, ne ex illo quidẽ Berosi testimonio, quo is Tuisconem Germanorũ omnium conditorem à Tanai ad Rhenum vsque regnasse, & ab eo Sarmatas maximos populos conditos esse asserit, satis rectè probatur, Slauos Germanos esse. Nã vt illibata sit fides & authoritas Berosi, (cuius tamen, opus illud quod circumfertur, viri nonnulli eruditi ac diligentes antiquitatis indagatores esse negant) vt etiam demus Slauos Sarmatas esse (sicuti paulo post libenter dabimus) & cum Tuiscone in Europam profectos, in his oris quas nunc incolunt, consedisse: certè non statim consequitur, eos Tuisconis posteritatem esse. Neque enim necesse est, populos alicui regi subiectos, vel ab eo conditos, ab eodem etiam procreatos, aut eadem cum illo stirpe ortos esse. Quin cernere est non modò in priscis annalibus, verùm etiam nostro tempore, multas gentes externi generis regibus parêre. Legimus etiam, nonnullorum populorum colonias ab externis ducib⁹ deductas esse. Iam verò Sarmatiam Berosus ob ortu Solis Tanai fluuio, ob occasu Rheno terminat: Sarmatæ verò Grecorum, & Latinorum scriptorum testimonio, à Rheno quidem longissimè semper abfuerunt: vltra Tanaim autem multum terrarum tenent, & quidem antiquitùs: ita vt inde huc progressi esse videantur potius, quàm hinc illuc, cùm & solum hic sit vberius, & cœlum mitius, & propinquior sit Asiatica quã Europæa Sarmatia Babyloniæ, vnde in totum orbem terrarum coloniæ post diluuium vniuersæ terræ deductæ sunt. An non licebit autem credere, vel interpretem perperam intellexisse, & nobis reddidisse scriptoris Chaldæi sententiam, cùm in diuersis linguis, diuersis nonnunquam nominibus & flumina, & loca, & gentes appellentur? vel ipsum etiam authorem de rebus tam procul à se remotis hallucinari potuisse, & aut ignorasse fines harum gentium, aut Sarmatarum nomine Germanos pariter & Sarmatas complexum esse? Sicuti Sarmatis quoque nonnulli vicissim Germanorum nomen accommodant. Scytharum verò nomen vsque quaque transire in Sarmatas atque Germanos, testis est C. Plinius. Sarmatæ quidem certè Germani non sunt, sed ab ijs Vistula flumine ad ortum Solis vergentes antiquitùs dirimuntur: quod ex hoc ipso Plinio, Corn. Tacito, Strabone & Ptolemæo colligimus. Non igitur Vandali, neque Germani omnino sunt Slaui, neque ab ijs oriũdi, quemadmodum neque Dalmatę aut Illyrij: sed aliunde profecti, quodã tempore in Illyrico ac Dalmatia, Vandaliaque & Germania consederunt. Quanquam de Vandalia & Germania dicemus pòst explicatius.

Berof. lib. 4. & 5.

De Beroso iudicium.

Sarmatiæ fines.

Scytharum appellatio.

Plin. nat. hist. lib. 4. cap. 12.

Vnde autem venerint, iam peruestigandum est.

Slauos siue Slauinos è Sarmatia profectos esse.

Caput VII.

ET iam quidem paulo antè Procopius & Blondus nobis ostenderunt, eos tempore Iustiniani Imperatoris è Transistranis regionibus in Illyricum & alias Romanas prouincias inuasisse. Cæterùm ex iisdem & alijs eorundem & superiorum temporum scriptoribus constat, ea loca prius à Pannonibus, Dacis, Iazygibus, Getis, qui ijdem Goti sunt, ni fallor, Vandalis & Hunnis habitata esse. Aliquanto pòst autem, vtrosque Hunnis cedentes, Gotos quidem in Mysia Thraciaq; domicilium fixisse, indeq; Italiam petiuisse: Vandalos verò à Stilicone euocatos, in Galliam commigrasse: denique Hunnos quoque duce Attila in Germaniã, Galliam & Italiã impetum fecisse: indeque reuersos post Attilæ mortem, à finitimis populis debellatos, & in angustũ redactos esse. Per ea ergo tẽpora Slauos illa, quæ memorauimus, vicina Danubio loca occupasse verisimile est, siue concedentibus primũ Vandalis, deinde Hũnis, siue victis. Quanquam ante ea quoque tempora ij loca illa tenuisse videntur, quemadmodum paulo pòst ostẽdemus. Vnde autem eò progressi sint, non est difficile ex eo ipso, quem superi9 citauimus, Iornande colligere. Scribit enim is, Slauinos cum consanguineis Antis iuxta sinistrum latus Alpium, quæ Daciã claudunt, in Aquilonem, & ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spacia consedisse. Ac Slauinos quidem à ciuitate noua & Slauino Rumunnense, & lacu qui appellatur Musianus, vsque ad Danastrum, & in Boream Viscla tenus commorari. Vt autem alia commemorata hîc à Iornande loca ignoremus, Alpes quidem Daciam claudentes ab Aquilone, Sarmatici montes sunt: Vistula autem, quam ipse Visclam vocat, Sarmatiam, vt antè diximus, à Germania diuidit. Danaster verò, qui Iornandi Boristhenes est, ni fallor alijs verò Tyras, qui è Sarmaticis montibus profluens, etiamnũ Nester siue Dnester ab accolis dicitur, & ipse in Sarmatia est. Proinde è Sarmatia Slauinos seu Slauos versus meridiem ad Danubiũ, eoque transmisso versus Occasum progressos esse, apparet. His consentaneum est, quod scribit Fl. Blondus: Slauos à Bosphoro Cimmerio in Tanaim habitare solitos in Dalmatiam Illyricumq; emigrasse. In eandem sententiam scribit & M. Antonius Sabellicus. Iam autem peruestigandum est sintne Sarmaticum genus Slaui, an aduenæ: & vnde, quandoque in Sarmatiam venerint. Id verò rectè fiet, si veteres Sarmatiæ populos, nobiliores præsertim, stylo persequamur.

Slauorum sedes. — *Iorn. de reb. Get.* — *Sarmatici montes.* — *Vistula fl.* — *Danaster fl.* — *Blond. hist. dec. 1. lib. 1.* — *Sabel. Ennead. 8. lib. 2.*

Sarmatiæ populi.

Cap. VIII.

A vetustioribus quidem Geographis & historicis Sarmatiæ populi cùm alij multi, quorũ iam exoleuerunt vel mutata sunt nomina, tum Bulgari, Roxani siue Roxolani, Serbi recensentur: quorum nonnulli etiamnum antiquas sedes suas retinent: nonnulli mutatis sedibus, nomina tamen non mutarunt. Ac Roxolanos quidem Europæos tempore Othonis Syluij Imperatoris, hoc est, ante annos mille quingentos Mysiam Romanorum prouinciam ad Pontum & Danubium sitam infestasse, Cornelius Tacitus author est. Tenent autem ij nunc quoque ferè eadem loca, & quicquid terrarum est inter Carpathum montem, & Nestrum fluuium inde orientem; Pontum Euxinum, & Mæotin paludem, qua Tanais eam influit, vsque ad glacialem Oceanum, & Sueciæ, Liuoniæ, Lituaniæ, Poloniæque fines complexi. Imo vltra Tanaim quoque in Asiatica Europa: præter quod vicinis Mæoti paludi & Ponto Euxino locis à Tataris ferè depulsi sunt. Zonaras quidem (cuius opus post alterã huius nostri editionem, græcè & latinè in lucem prodijt) Rossos gentem Scythicam Tauri montis accolam esse scribit. Rossi autem ab eo, & à cæteris recentioribus græcis Roxolani & Roxani, ab alijs verò Russi appellantur. Ruthenos vulgo Latinè scribentes & loquentes, per errorem vocant, à Ruthenis Galliæ Aquitanicæ populis nomen mutuati. Memorant Saxo Grammaticus, Albertus Crantius, & Ioannes Magnus Gotus, Gotos & Sueonas Scandiæ incolas, multa bella iam inde à priscis seculis, etiam ante Christum natum cum finitimis Russis gessisse.

Roxolani seu Russi. — *Tacitus annal. li. 17.*

Moschi quoque seu Moscouitæ, vt vulgo vocantur, Russis vicini, vel potius eorum soboles & pars, permagnam Sarmatiæ Europeæ iuxta ac Asiaticæ partem tenent; Quos Ptolemæus Modocas & Amaxobios appellat, & Moschorum tractum commemorat. Strabo quoque Moschos populos Colchis finitimos esse scribit. Russica & Slauica lingua ij vtuntur. Cæterum non ita pridem celebres esse cæperunt: Nempe ex eo ferè tem-

pore

pore, quo poſt diuiſum in multos Principatus Ruſſorum imperium ante ducentos annos Ioannes quidam princeps Danielis fili9 vni illi territorio, quod à Moſqua arce nomen habet, præfuit, arcemq́; modicam & obſcuram inſtaurauit, & amplificauit; quemadmodum vir grauis ac diligens, & mihi amicus, Sigiſmundus Herberſteinus, Ferdinandi Imperatoris deſignati, et Vngarorum Boemorumq́ue regis Conſiliarius, ærarijq́ue Auſtriaci præfectus, in Moſchouia ſua, ex eius gentis annalibus, & ſermonibus, dum ter apud Principem eius Maximiliani ſenioris & Ferdinandi Cæſarum nomine legatione fungitur, compertum memoriæ prodidit.

Moſchorum Imperium quomodo dilatatum.

Cùm autem Ioannis ducis dudum memorati poſteri, adiunctis ſibi partim per connubia & ſucceſſiones, partim per fraudem, partim per vim, proximis quibuſque eiuſdem nationis atque linguæ populis, feraliter inter ſe diſſidentibus, Polovvciorumq́; ſiue Poliouuciorũ ac Tatarorum armis & crebris incurſionibus debilitatis, principatum ſuum dilataſſent: tum demum Vuladimirienſes quoque, Nouogrodenſes, Iaroſlauienſes, Thvverenſes, Mozaiſcenſes, Suſdali, Pſcouenſes, (quos nonnulli Pleſcouienſes appellant) Rezanenſes, Seuerienſes, & alij Ruſſorum populi Moſchis longè nobiliores atque potentiores, vt quique ad imperium adiecti ſunt, in Moſchorum nomen tranſiêre; ſic tamen, vt cuncti pariter Ruſſorum nomen etiamnum retineant, & libenter agnoſcant. Itaque & maritimi Germani magis Ruſſorum quàm Moſchorum nomen, de Moſchis loquentes, frequentant: & Goticarum ac Danicarum rerum Scriptores, quod antea quoque attigimus, Gotos, & Sueonas, atque Noruegios, Scandiæ incolas, multa cum finitimis Ruſſis bella geſſiſſe antiquitùs memorant. Non eſt autem dubium finitimos eſſe Scandiæ Moſchos. Iam verò Moſchicus metropolites, alius à Kiouienſi, ac longè poſterius illo à Patriarcha Conſtantinopolitano in gratiam Ducis Moſchorum inſtitutus, Ruſſiæ metropolites, idem atque Kiouienſis, cùm ab alijs, tum ab ipſo Patriarcha vocatur: & ipſe hunc titulum, velut ampliorem & auguſtiorem quàm Moſchouiæ, vſurpat. Quin ipſi quoque Moſchorum principes, Ruſſiæ totius dominatum in inſcriptionibus ambitioſè ſibi arrogant. Cumq́; omnes principatus ſuos, quos dudum recenſuimus, & alios inſuper longo ordine enumerarint, ad extremum totius Ruſſiæ regis, vel imperatoris titulum, quaſi omnia complectentem, magna vanitate adiciunt. Vnde liquet, hos, de quibus nunc agimus, Moſchos, vnum de multis Ruſſorum populis eſſe, non ita pridem ab arce & oppido appellationem mutuatum. Bulgarorum autem ſedes antiquæ, in Aſiatica Sarmatia ad Rha ſeu Volgam fluuium memorantur: quæ loca Ruſſis vicina ſunt. Inde autẽ eos Ruſſis prætcritis, vel certè ſocijs in Myſiam commigraſſe veriſimile eſt. Iornandes quidem eos cum Slauinis & Antis, Romanum Imperiũ in Europa ſuo tempore vexaſſe ſcribit: & ſupra mare Ponticum ſedes eis attribuit. Blondus Danubij accolas eos eſſe refert: is autem in mare Ponticũ influit. Iam Põponius Lætus memorat Anaſtaſiũ Imperatorẽ duxiſſe longum murum à mari ad Selibriam, ne incurſiones Myſororum, Bulgarorum & Scytharum Conſtantinopolitanis obeſſe poſſent. Eas autem ſedes ad Pontum Euxinum ac Danubium tenent etiam nunc Bulgari. Myſorum eæ fuerunt antiquitùs. Serbos Ptolemæus in Sarmatia Aſiatica collocat. Ijdem poſtea non ſolùm Bulgaris & Raſcijs & Croatis proximi in Europa conſedêre, verùm etiam in Myſniam & vicina Albi loca peruaſêre: vbi nunc quoque idem nomen, vel paululum deflexum in Sorabos, retinent.

Ruſſorũ Septentrionaliũ populi qui Moſchorum principi pareant.

Metropolitæ in Ruſsia duo

Moſchorum Principes Ruſsiæ toti9 dominatum ſibi arrogant

Rex Ruſsiæ.

Bulgari.

Iorn. de ſucceſ. regn. Item de reb. Get.

Blond. dec. 1. lib. 9.

Põp. in hiſt. Imper. Rom. lib. 2.

Serbi & Sorabi.

Venedos eſſe antiquos Sarmatiæ populos.

Caput IX.

IAM verò Venedicos montes, & Venedicum ſinum maris ad oſtia Viſtulæ, in extrema Sarmatiæ Europeæ ora Ptolemæus idem, qui ſub Traiano & Adriano Imperatoribus floruit, memorat. Additque: Tenere Sarmatiam maximas gentes Venedas, per totum Venedicum ſinum; qui loca Pruſſi nunc tenent, & Liuones, ni fallor. Iornandes autem, trecentis amplius annis Ptolemæo poſterior, ad ſiniſtrum latus Sarmaticarum Alpium, in Septentrionem ab exortu Viſtulæ, Vinidarum nationem populoſam ad Danaſtrum conſediſſe, indeque ad Pontum ac Danubium extendi memoriæ prodidit. Hinc nos colligimus, eam gentem, permagnam Europeæ Sarmatiæ partem antiquitùs obtinere. Et aut relictis quodam tempore primis ſedibus, ad Auſtrum & Eurum commigraſſe: aut ſi-

Ptol. geogr. lib. 3. cap. 5.

Iorn. de reb. Get.

aut simul quicquid terrarum est inter mare Sarmaticum & Ponticum, ac Danubium, ditione domicilioque complexos esse. idque, siue iam inde ab initio, siue successu temporum: quod est verisimilius. Atque inde se in finitimam Germaniam ac Vandaliam diffudisse ante Cornelij Taciti tempora, hoc est, ante mille trecentos, vel propè quadringentos annos; ita vt non immeritò is dubitarit, Sarmatisné, an Germanis Venedi adscribendi sint. Ij quidem, qui etiam nunc Vendæ & Vindæ à Germanis, paululum contracto vocabulo, vocitantur, & proculdubio Venedarum sunt reliquiæ, maritimam atque adeò remotiorem quoque à mari Germaniæ oram incolunt: sed inter Germanos tamen non habentur. Et quamuis à Germanis postea, quemadmodum suo loco ostendemus, locis illis potitis, ad paucos redacti sint: diuersis tamen moribus, diuersaq; ab ijs lingua vtuntur, quamuis commercijs & assidua consuetudine corrupta. Vandalos eos Latinè scribentium & loquentium vulgus appellat: rectené, an secus, iā nunc expendendum est.

Venedos seu Vinidas, non esse Vandalos. *Cap. X.*

Vendel.

AC permagna quidem est nominum cognatio, ita vt Vandali à Vendis blandè ac diminutiuè, sicuti loquuntur grammatici, Germanica lingua dicti esse videantur. Et his autem & illis, eadem ferè loca ad mare Germanicum & Vistulā Sarmaticosque montes attribuuntur ab historicis, & alijs scriptoribus. Quinetiam ciuitates, eius ipsius oræ maritimæ, Lubeca, Hamburgū, Stralsunda, Rostochium, Vismaria, & sexta mediterranea Luneburgum (ni fallor) à Germanis habitatæ, Venedicæ ab ipsis, à Latinè verò loquentibus & scribentibus Vandalicę nuncupantur. Vnde multi conijciunt, eādem esse gentē Vendos seu Vinidas, & Vandalos. Cornelius quidē Tacitus, vt dudū attigimus, dubitat, Germanisnè an Sarmatis Venedos adscribat. Ptolemæus verò, Venedas vult esse gentem Sarmaticam. Vādalos autem Germanos esse, iam satis, opinor, demonstratum est. Porrò Iornandes, alios omnino esse à Vandalis Venedos & Vinidas ostendit. Cùm enim Vandalos à Gebericho rege Gotorum profligatos, & ad paucitatem redactos, migrasse ex suis sedibus, & à Constantino magno Imperatore in Pannonia nouas sedes impetrasse narrasset, mox Ermanarici, qui aliquanto post Geberichū apud Gotos regnauit, mentionem faciens, in Venedos eum arma mouisse, & quamuis abundante multitudine, victos tamen ab eo & subactos eos esse memorat. Hîc mecum diligenter perpendant ij, qui Venedos & Vinidas eosdem cum Vandalis esse autumant, verba scriptoris huius, de rebus sui temporis & sibi notis scribētis. Profectò si is eosdem esse vellet Venedos cum Vandalis, non temerè mutasset nomina, vt illico post factam Vandalorum mentionem, Venedos, ac non Vandalos, ab Ermanarico bello petitos esse memoraret. Nec mihi quisquam obijciat, in Venedis quoque idem eum fecisse, vt Venedos appellaret, cùm prius Vinidas dixisset: quos eosdem esse dubium non est, ipsomet etiam authore attestante. Maior est enim cognatio nominum in Venedis & Vinidis, quàm in his vtrisque & Vandalis. Iam illud etiam efficacius longè argumentum est, non esse eosdem Vinidas & Venedos cum Vandalis, quòd post deuictos & ad paucitatem redactos, pulsosque suis sedibus Vandalos, Venedos multitudine abundantes ab ijsdem Gotis infestatos & subiugatos esse scribit. Illud verò longè efficacissimum, quòd Venedos atque Slauinos, Antasque, quos in Boream ad Vistulam, Danastrum, & Danubium flumina, Musianū lacum & mare Ponticum commorari paulo antè dixerat, vbique desæuire suo & Iustiniani Imperatoris tempore queritur. At Vandali aliquanto antè, cùm res magnas in Septentrione gessissent, & à Gotis victi pulsique Pannoniam Constantino Imperatore permittente tenuissent, Arcadij & Honorij Imperatorum tempore à Stilicone nouas res in imperio moliente inde euocati, in Gallias & Hispanias populariter migrauerant. Atque adeò illis etiam regionibus relictis, in Africa Iustiniani armis attriti, afflicti, ac deleti sunt. Quod quidem tum Paulo Diacono, tum hoc ipso Iornande & Procopio, oculatis ferè testibus, confirmare possumus. Nam quod Vendi seu Venedi, Vandali appellantur à nonnullis, potest id errore factum esse videri, propter similitudinem nominum, præsertim in lingua Germanica, quæ Venden & Vendeln exiguo discrimine pronunciat. Leue est autem id argumentum, eandem esse gentem vtranq;. Maior sanè similitudo nominū est inter hos ipsos Venedos, siue, vt à quibusdam vocantur, Venetos, & eiusdem nominis Italiæ popu-

Vandalicæ ciuitates.

Corn. Tacit. de Germ.

Ptolemæus geogr. lib. 3. cap. 5.

Iorn. de rebus Get.

Vandalorū migratio in Pannoniam.

Veneti à Gotis victi.

Vandalorū migratio.

Vandalorū è Pannonia migratio.

Vandali deleti.

Paulus Diacon. de gest. Lang. lib. 1. cap. 17.

Iorn. de reb. Get. & de reg. ac temp. success.

Procop. de bel. Vand.

Veneti.

Iberi.

populos. Iteque inter Iberos Hispanos, et Ponticos: & tamen lōgè diuersi sunt Itali Veneti à Sarmaticis & Germanicis, & Pontici Iberi ab Hispanis.

Populorum appellationes.

Iam verò non est inusitatum, populos, qui aliunde aliò cōmigrarūt, cùm à locis & regionibus nomina sumere: tum eorum populorū, quibus successerint, nominibus appellari, quēadmodum superius etiam memoraui mus. Nec longè huius rei exempla petemus. Constat certè, Prussiā ab alijs, quàm nunc, populis olim habitatam esse: qui siue

Prußi prisci. Eras. Stella in Borußia.

Prussi, siue Borussi, siue Borusci (secūdum Stellam) dicti sunt: quorum extant adhuc reliquiæ quædam in vicis atq; pagis tractus Varmiensis & Sambiensis, lingua vtentes Lituanicæ nō absimili. Quodam autem tempore eam prouinciam

Prußiā qui homines inhabitent.

partim à Polonis, partim à Teuthonibus crucigeris Marianæ militiæ adscriptis subactam & occupatam, in hoc vsq; tempus mixtim à Germanis & Polonis habitari, deletis ferè veteribus illis Prusis. Nihilo tamen minus hi quoq; Poloni & Germani commixti, Prussorum nomen retinent. Quis autem nescit, Gallias Gallis siue migratione, siue bellorum cladibus exoneratas quodam tempore,

Franci, Galli appellantur.

Francis Germanis cessisse? & tamen hos etiam à Latinis Gallos appellari? Sic Troiani cum Aenea profecti, in Latinorum & Italorum: Goti & Alani, qui corruptè

Catalani.

Catalani nunc vocantur, in Hispanorum nomen transierunt. Eadem igitur ratione credibile est, Venedos seu Vendos, eos qui priscorum Vandalorum sedes occuparint, Vandalos appellari non desijsse, si

Slaui cur Vindæ appellantur.

militudine nominum etiam suffragante. Quæ quidem erroris causa fuit Crantio, & qui eum secuti sunt, vt Iornandis authoritate sese tuerentur, quasi is Slauos Vandalorū gentem esse afferat: cùm ille cum Venedis eos cōiungat, vt iam demonstrabimus.

Slauos & Venedos cognatos esse.

Cap. XI.

Iorn. de rebus Geticis.

SIC autem scribit Iornandes: Introrsus illi (Gepidarum genti nimirū) Dacia est, ad coronæ speciem arduis alpibus emunita. Iuxta quarum sinistrum latus, quod in Aquilonē vergit, & ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spacia venit, Vinidarū natio populosa consedit. Quorum nomina, licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamē Slauini & Antes nominātur. Aliquanto autem pòst: Post Erulorum cædem idem Ermanaricus in Venedos arma commouit. Et paucis interiectis, prosequitur de Venedis: Nam hi, vt initio expositionis vel catalogo gentis dicere cœpimus, ab vna stirpe exorti, tria tūc nomina reddidêre: id est, Veneti, Antes, Slaui.

Anta.

Antarum quidē, quos Iornādes à Danubio ad Danastrū extendi, & fortissimos esse eorum qui ad mare Ponticum curuantur, memorat, nomē iam exoleuit. Ac si quidem

Danaster fl.

Danaster Boristhenes est, vt Iornandes velle videtur, & nos ante diximus, (quem nos

Neper.

Neprum seu Dneprum vocamus) Valachi ac Podolij nunc ea loca tenent: sin

Nester.

Nester siue Denester, vt etiam nunc ab accolis Rußis & Moldauis appellatur, qui veteribus Græcis & Latinis Tyras est, soli

Valachi. Podolij.

Valachi ab eo ad Pontum ac Danubium extenduntur. Diuersine ab Antis, an ijdem cōmutato nomine, an mixti, nunc non disputamus. Nisi fortè Antę sunt potius finitimi Valachis, ac Transyluanis

Rascij.

Rascij, Slauica & ipsi lingua vtentes, & vtramque Danubij ripam accolentes, etiam nunc bellicosi, licet à Turcis ad paucitatem redacti. Quamuis autem & hìc perplexior sit Iornandes, non obscurè tamen Slauinos & Antas non cum Vandalis, sed cum Vinidis seu Venedis coniungit: & qui prius Ermanarici tempore Venedi dicti sunt, nūc, hoc est suo tēpore, per varias familias & loca, nomina eorū mutari, principaliter tamē Slauinos et Antas eos nominari: posterius verò tria nomina, id est Venetos, Antas & Slauos eos reddidisse, testatur. Ita vel ōnes eos ex vna stirpe, vel Slauos & Antas è Venedis exortos esse ostēdit.

Idem de regn. & temp. success.

Alibi autē Venedos prętermittēs, Bulgaros Antis & Slauis socios adiūgit, Romanam rempub. ab ijs suo tempore diuexari memorans. Et congruunt cum his ea quæ superius de prouincijs Rom. Imperij Slauica inundatione afflictis, è D. Gregorio, Blondo atque Procopio descripsimus.

Sarmatas esse Slauos & Venedos.

Cap. XII.

IAM igitur ipsa quasi Slauorum cubilia inuestigasse nobis videmur. Cùm autem ij vnà cum Vinidis seu Venedis inter Sarmaticos populos numerentur, eademque cum illis & cum Bulgaris, Serbis Roxolanis seu Russis ac Moschis lingua vtantur, communem etiam cum ijs omnibus habeant originem necesse est. Tenent quidem & Lituani, Prussi, Liuonesque & Tartari, siue Tatari, (nihil cōmune cū Slauica lingua habentes) magnam partem Sarmatiæ: sed aliunde eos quibusdam temporibus eò immigrasse, nos alibi ostendemus. Quod de Slauis & Venedis nōdum peruestigare potuimus. Crantius

Crantius in Vandalia. tius sanè Vandalos seu Slauos, ab omni memoria regionē suā ad Sarmaticos mō tes tenuisse scribit. Quo fit, vt Slauos & Venedos ipsos esse priscos Sarmatas, vel vt Græci dicunt, Sauromatas: *Sarmatarū origo.* dispersisq; à turris Babylonicæ ædificatione post diluuium vniuersæ terræ hominibus, has oras occupasse opinemur, non à Tuiscone, sed ab Asarmote seu Sarmate, quem Moses & Iosephus, Hebræi scriptores, *Genes. 10. Ioseph. antiqu. Hebr. lib.1. ca.14.* Istri vel Iectani filium, Semi nepotem, Noæ pronepotem fuisse memorant, nomen originemque ducentes. Peculiaria deinde nomina eos vel à locis, vel à principibus, vel ab euentu aliquo, vt fit, sibi sumpsisse: quemadmodum Græci ab vna itidem stirpe oriundi, alij Dores, Iones alij, vel Aeoles, Bœotij, Thessali, Attici, *Græcorum populi.* Achæi, Argiui, Pelasgi, Arcades, discriminis causa nominātur: Germani, siue Teutliones, partim Goti, partim Vādali, partim Longobardi, partim Sueui, partim Frāci, partim Saxones, partim Turingi, & aliter alij. *Iornand. de reb. Get.* Quod Iornandes Vinidis quoque, seu Venedis vsuuenisse apertè indicat. De Slauis igitur & Venedis intelligenda sunt pleraque omnia, quæ scriptores historiæ Romanæ iam inde à Traiano imperatore de Sarmatis memoriæ mandarunt. *Sarmatarū bella cum Romanis.* Iornādes quidem, eum Imperatorem deuictis Sarmatis vrbem Nicopolim in Thracia condidisse, & à victoria nomen ei indidisse memorat. *Iorn. de reg. ac tēp. success. & de reb. Get.* Nec tamen Sarmatici, sed Dacici cognomen is vsurpauit. Quod sanè argumento est, Daciā tunc tenuisse Sarmatas. Quin scribit idem, eos cum Quadis Pannonias, Valeriano & Galieno imperatoribus inuasisse. Idipsum Eusebius quoque Cęsariensis annotauit. *Euseb. in Chron.* Sed repressi sunt ac depulsi inde à Claudio & Probo, qui post Galienū imperarunt. Rursus tamen cùm Pannoniam, tum Valeriam, quæ regio inter Drauum & Sauum fluuios est, Constantij tempore eos infestasse, & in Illyrico præsidia contra eos collocata esse, Ammianus Marcellinus prodidit. *Ammian. histor. libr. 17. & 19.* Pomponius Lætus etiam duces limitis Sarmatici in Mysia cum copijs à Rom. Imperatoribus constitutos fuisse, eosque tempore Valentiniani præsidē, quem ipsis Romanus Imperator dederat, expulisse scribit. *Pompon. in Rom. hist.* Idem, Constantem Imperatorem in Dacia fuisse, pugnantem contra Getas & Sarmatas, memorat. Paulus verò Diaconus scribit Sarmatas anno imperij Valentiniani vndecimo sese ꝑ Pānonias diffudisse, easq; vastasse: *lib.1. ca.1.* Et cùm legationem ad Imperatorem misissent, ipsum ei respondentem apud Brigitionem Quadorum oppidum ira vehementiore percitum subita sanguinis effusione & apoplexia extinctum esse. Quod ad eundem ferè modum Nicephorus quoq; Callistus & Pomponius Lœtus referunt. *Hist. Eccl. l. 11. cap. 33. Pompon. in Rom. hist.* Brigitionem autem siue Brigionē Germanię castellum esse perhibent. Vtrumque sanè vero consentaneum est, quandoquidem Quados constat Germaniæ populos esse vicinos Sarmatis, à Romanis trās Danubium repulsos. Quæ loca nunc tenent Moraui & Silesij. Extat etiamnum in Silesia Poloniæ finitima Briga seu Brega oppidum, à ripa etymō retinens Polonicum. Eadem autem loca posterius, atque adeò etiam per ea ipsa ferè tempora tenuisse Slauos & Venedos, indeque Pānoniam infestasse, *Slauorū & Venedorum sedes.* & ad extremū in Illyricū, Dalmatiam & Istriam penetrasse, & vbique desæuire, superius è Procopio, Iornāde, Gregorio, Blondo & Sabellico demonstrauimus. Iidem igitur sunt, quos hi magis iam sibi notos, distinctè ac peculiariter Slauos & Venedos, illi vniuersè & in genere Sarmatas, nonnunquam & Scythas vocāt. *Sarmatæ Scythæ vocantur.* Neque enim constat, hos ab illis intermedio tempore sedibus suis depulsos esse. Tenuêre quidem partim per eadem tempora, partim prius, Hunni quoque & Vandali, & Goti, eadem ipsa loca pleraque, vel nōnulla: *Gotorū, Vandalorum & Hunnorum sedes eædem quæ Slauorum & Venedorum.* sed victorijs ac dominatu magis, quàm domicilio, non vt priores habitatores inde pellerent vel extirparent, sed subigerent modò. *Slauorum et Venedorum nomen quando propagatum sit.* Ac Vandali quidem partim Gotis, partim ipsis (ni fallor) Vinidis, Goti Hunnis cessêre. Hi verò locorum illorum potiti, victos Vinidas & Slauos, relicta (vt credibile est) domi imbelli multitudine, ad vlteriores expeditiones socios secum traxêre. Quod ex earum ipsarum gentium, & Romanis illorum temporum historijs non difficulter deprehenditur. Inde verò ij reuertentes, partim ad sua se recepêre, partim obuias & proximas Rom. Imperij prouincias, viribus eius debilitatis, inuasêre, & ipsis quoque victoribus Hunnis post Attilæ mortē graues extitêre. * Cæterùm ** Slaui. Venedi.* in Illyrico ac Dalmatia post Iustinianum demū Imperatorem, & annum à Christo nato 550. vel (vt vult Blondus) Mauritio Imperatore, circa annum Christi 600. sedes certas domiciliumq; fixêre. Vandaliam verò, & eam Germaniæ partem, quam nunc maiore sui parte Polonia & Silesia, Morauia, Boemia, Lusacia, Marchię Brandeburgensis & Mysniensis, Pomeraniaque & Mechelburgensis ditio secundum sinum maris Balthicum seu Venedicum complectitur, aliquan-

to antè, vt suprà ostendimus, ij vel eiectis Vandalis subegerunt, vel vltrò cedentibus & Pannoniā petentibus occuparunt. Ac hi quidem Venedi, seu Vinidæ, & Vādali etiam: illi verò, qui in Pannonia, Valeria, Dalmatia, & Illyrico consedere, Slaui seu Slauini peculiariter appellati sunt. Posteaverò promiscuè hęc nomina vsurpari cœperunt, à Germanis pſertim.

Venedi & Slaui seu Slauini vnde dicti sint.
Cap. XIII.

AC Venedorum quidem etymologiam indagare neutiquā possumus. Neque enim loci vllius in terris, neque hominis cuiusquam prisci nomen apud geographos vel historicos adhuc reperimus, vnde popul⁹ ita appellari cœptus esse videatur. Extant quidē in æstuarijs maris Germanici, siue sinus Balthici, inter ostia Odræ fluuij, Camenumque oppidum, ruinæ vrbis maritimæ magnæ & emporio nobilis, Vinetæ: cuius mentionem faciunt scriptores rerum Saxonicarum. Sed ei populum potius, quàm eam populo nomen dedisse, illud nobis argumento est, quòd is in Sarmatia etiamnū sic appellatus est: & inde ad illam & alias Germanię oras delatus, quemadmodum dudum ostendimus, vrbem illam condidisse existimandus est. Nec de Slauorum seu Slauinorum nomine quicquam cōpertum habemus, nisi quòd Iornandes Slauini Rumunnensis, loci, ni fallor, cuiuspiam obiter meminit. Slauoniæ quoque regionis & regni nomen nobis & scriptoribus superiorum temporum nō incognitum est. Sed Slauinus ille Rumunnensis qui sit, aut fuerit, ne coniectura quidem assequi possumus. Slauoniam autem à Slauis, non hos ab illa appellationem accepisse, satis opinor constat, cùm ex deflexione nominis, tum ex his quæ suprà memorata sunt. Plerique Slauorum etymologiam à Slaua, quod famam siue gloriam genti significat, deriuant: ita vt cùm ipsi se Slavvnos, & Slauacos, quasi celebres & illustres dicerent, à Latinis Slauini & Slaui dicti sint. Itaque & proprijs hominum nominibus ex hac voce compositis, etiam nunc hæc natio libenter vtitur. qualia sunt, Stanislauus, Venceslauus, Boleslauus, Suētoslauus: siue vt vsus obtinuit, Stanislaus, Venceslaus, Boleslaus, Suentoslaus. Est autem verisimile, eos qui ad Istrum incoluerunt, cùm res magnas & præclaras contra Romanum imperium & finitimos quósque gererent, à celebritate & gloria peculiare nomen sibi sumpsisse: vel ab alijs popularibus suis inditum obtinuisse, & regioni à se subactę dedisse: atque id alios quoque postea propter cognationem, gloriæ participandæ causa, vsurpare cœpisse. Corrigendus autem hîc est error eorum, qui eos Sclauos siue Sclauinos vocant. Qui quidem etiam in pleraque Procopij, Iornandis & Blondi exemplaria irrepsit, ab Italis, nisi fallor: quòd ij dum mollius loqui student, sæpe i pro l proferunt: vt pro flatu, fiato: pro placet, piacet. Sic pro Slauo, Siauo. Et cùm ferè nihil intersit apud eos in enunciando, si quis dicat, Siauum, siue Sciauum, c litera interserta: inde fortasis imperiti, cùm Latinè loqui vellent, vel scribere, non Slauum reddidere, sed Sclauū. Quo nomine nunc quemlibet seruum appellant Itali cùm alij, tum Adriatici maris accolæ, ex nomine gentis, cum qua multa bella gessere: quemadmodum Romani olim Getas & Syros. Sed ad institutum reuertamur. Igitur à Slaua, Slaui & Slauini nomen sumpsere. Nisi quis fortè id à Slouo, hoc est verbo deductum esse malit: vt ij Slovvni & Slouaci, quasi veraces, & dictorum ac promissorum tenaces appellari voluerint. Vel nunc etiam apud Polonos & Boemos in primis probrosū est, promissum bono verbo (sic.n. loquimur) factum fefellisse: ita vt bene nati homines malint extrema quæque pati, & mortem oppetere, quàm fidem promissi in se requiri: & non modò alapis, sed etiam ferro probrum id vindicatur. Vel hinc ergo gens hæc nomē accepit. Slouaci quidē, non Slauaci vernacula lingua vocantur. Quanq̄ non est magnum in ea discrimen in enunciando, inter Slaua & Slouo, in priore syllaba. Nā quòd Albertus Crātius Slouacos, quasi verbosos dici vult, ridiculū est. Neque.n. credibile est, eos nouum nomen contumeliæ causa vsurpasse, aut à cognatis inditum accepisse. Externi sanè linguæ eius imperiti inde re id ipsis nō potuêre. Sed vt vt est, Slauorum ac Venedorū cubilia iam tenemus: ad Polonos & consanguineos eorū Boemos veniamus.

Vineta vrbs. — *Slaui à Slaua dicti.* — *Nomina è Slaua composita apud Slauos.* — *Sclauos perperam dici.* — *Sclaui ab Italis serui vocantur.* — *Slouaci à Slouo.* — *Poloni & Boemi promissi tenaces.* — *Crantius in Vand.*

Polonorum & Boemorum origo, secundum quosdam.
Cap. XIIII.

COnuenit inter omnes, quicunque de Polonis & Boemis aliquid memoriæ prodiderunt, eos populos ab vna stirpe ortos, Slauorum, de quibus hactenus egimus, esse progeniem: & aliunde profectos, quodam tempore in his oris, quas nunc incolunt, consedisse. Vnde autem & quando eò venerint, non perinde conuenit.

uenit. Plerique memorãt, è Croatia pariter eos commigrasse. Est autem Croatia pars Slauoniæ, regno peculiari patrum vel auorum nostrorum memoria insignis: nunc Turcarum prouincia. Lechum enim & Ciechum fratres, principes viros, apud Crapinam & Psaros degentes, cùm pertæsi essent dissidiorũ & bellorũ ciuilium, coadunata suorum hominum & aliorum voluntariorum manu, ad q̃rendas nouas sedes è patria versus Septẽtrionem æstiuumque Occasum per syluas & montes iter habuisse, donec in Boemiam & Albim flumen peruenerint. Ibi Ciechũ maiorem natu soli bonitate delectatũ, cum parte multitudinis in incultis & syluestribus locis consedisse: Lechũ verò cum ceteris postea ad Aquilonẽ inde ire perrexisse, eumq; tractum qui Silesiam & Poloniam cõplectitur, & ipsum syluestrem, & habitatoribus vacuũ tenuisse. In hac sententia fuerunt AEneas Syluius Senensis, qui postea Romanus pontifex factus, Pius secundus appellatus est: & ferè Boemi Poloniq; Chronographi. Adijcit præter cæteros AEneas Syluius, Ciechũ cædis perpetratæ iudiciũ fugisse, eiq; fratrem Lechum fugæ comitẽ adhæsisse. Vnus est, q̃ sciam, inter nostrates, atque is anonymos (cuius mihi copiã fecere Cracouiæ sodales Dominicani) qui suprà memoratos fratres, ac tertium cum his Russum, nõ è Croatia, sed è Pannonia profectos, Boemiã, Poloniam & Russiam occupasse scribit. Neque verò cõuenit inter eos, quo tẽpore id factum sit. Syluius nullũ huic migrationi tempus adscribit. Ne Dubrauius quidẽ Olomucensis episcopus, cuius historia Boemica post priorem huius nostri operis editionẽ ad manus nostras puenit. Tametsi is ante Ciechum quoq;, Boemiam à Vandalis, eiusdem Slauicę lingue populis, habitatã fuisse scribit. Nostrates ferè, non multo post Oecumenicũ diluuium opinantur eam migrationẽ accidisse: quippe qui fratres illos partim filios, partim nepotes, partim pronepotes, aut non remotam certè posteritatem Iauani & Noe fuisse memorent. Quod itidem adstruere par est eos, q̃ Slauos, Vandalos & Germanos esse volunt. Non.n. ij necesse habent affirmare, Polonos ac Boemos cũ suis ducibus aliũde in has oras post priscã illam Tuisconis migrationẽ venisse, si modò constare sibi volũt. Videntur tamen & ij cum Syluio & nostratib⁹ congruere, pręter Albertum Crantium: q̃ Slauos & Vandalos Polonorum progenitores, quod prius etiã memorauimus, regionẽ suam ab omni memoria ad Sarmaticos cãpos tenuisse scriptum reliquit. Nec tamen quisq̃ eorũ certum migrationis eius tempus memorat, præter Venceslaum Hagecum, scriptorem huius ætatis Boemicum, qui imperante Constantino tertio, post Iesum Christum Deum & hominem natum anno 644. à creatione verò mundi 5084 3. fundamenta gentis Boemicæ à Ciecho iacta esse, memoriæ prodidit. Vincentius Cadlubcus licet migrationis nullam faciat mentionem, antiquissimã tamen Lechitarum gentẽ (sic enim ipse Polonos appellat) in his locis esse ostẽdit. qui eos cum Gallis olim per Europam & Asiam sese diffundentibus, & cum Alexandro Magno rege Macedonũ bella gessisse, Craco, & Lesco, qui post Cracum lõgè regnauit, ducibus prodidit. Quin iactatur à Boemis diploma quoddam eius ipsius Alexandri, quo is merita Slauorum erga se collaudãs, donat eis quicquid terrarum est ab extremo Septentrione vsq; ad fines Italiæ. Hæc ferè de Polonorũ & Boemorum origine & aduentu, à recentioribus memorantur. Nã Bernardi Vapouij, qui nostra memoria historię Polonicæ opus imperfectum reliquit, sententiam paulo pòst exponemus.

Croatia. — *Aeneas Syl. in Boem.* — *Anonymos.* — *Ioan. Dubr. hist. Boem. lib. 1.* — *Alb. Crant. in Vãdalia.* — *Hagecius scriptor Boem.* — *Boemi & Poloni quãdo extiterint.* — *Vincent. in Chron. Pol.* — *Vapouij historia Polõ.*

Refutatio superiorum opinionum.
Cap. XV.

SEd nobis horũ nihil satisfacit. Primũ enim, illa de Ciecho & Lecho, eos videlicet filios aut nepotes Iauani fuisse, aut certè è propinqua posteritate ei⁹ & Noæ progenitos, non multo pòst diluuium in Boemiam & Poloniã commigrasse, qua leuitate prodita sunt sine vllo vetustiori authore, eâdem creduntur. Quin cõstat Boemiã, & maximam partẽ Poloniæ, & quicquid terrarum est inter Vistulã flumen, Sarmaticos montes, Bauariã, & mare Germanicum, vsq; ad Albis fluminis ostia, Germanis adscribi antiquitùs: & ante mille ducentos annos à Vandalis, Boijs, Sueuis, Quadis, Catis, Marcomannis, Burgundionibus, Germanicis populis habitatum fuisse. Constitit & illud, Polonos & Boemos siue Ciechos Slauici generis populos, qui posterius terras illas tẽnuere, lingua & origine diuersos esse ab illis quibus successere. At enim Vincentius Cadlubcus Alexandrum Magnum, & ante eum priscos Gallos cum Lechitis bella gessisse memorat. Quo authore? Ipse enim, cùm ante trecentos & quinquaginta annos vixerit & scripserit, non est idoneus testis eorum, quæ ante duo millia annorũ gesta esse prodidit. Diploma verò illud Alexandri Boemicũ ficticiũ ac sup-

Ciechum & Lechum lõgè pòst diluuium fuisse. — *Boemiæ & Polon. situs.* — *Vincẽt. Cadlub. quando vixit.*

Alexãdri diploma apud Boemos ſictitium.

ac ſuppoſititiũ eſſe,non leuibus coniecturis cõuinci poteſt. Regis quidem illius tēpore nondum notum erat,aut etiam natum, Slauorum & Slauinorum nomen: quod incognitum fuiſſe Græcis iuxtà ac Latinis ante Iuſtiniani imperatoris tempora,amplius mille annis poſt Alexandrũ, ſuperius à nobis oſtenſum eſt. Nõ igitur vel diplomate illo commenticio, vel illo alio documento probatur,tanta horũ populorum cum ſuis ducibus Ciecho & Lecho vetuſtas. Nec tam recens autē eorum origo eſt, & aduentus in has oras, quàm vult Hagecus:cùm nos certiores& antiquiores authores habeamus, nempe Albertum Crantium,& Fl. Blondũ,Slauos(quos eiuſdem cũ Polonis & Boemis linguæ & originis eſſe, nec Hagecus negat) Mauritio imperante, quadraginta vel quinquaginta annis ante illud tẽpus qđ Hagecus prodidit, hæc loca tenuiſſe.

Hageci error.

Crant. lib. 1. Vand.
Blõd. dec. 1. lib. 1. & 8.

Iornand. de reb. Get.

Quin antiquior his Iornandes, qui ante Mauritij tẽpora hiſtoriam ſui temporis ſcripſit,Slauorũ & Slauinorum mentionem faciens,ad ſiniſtrum latus Sarmaticorum montiũ, & ad Viſtulam fluuium habitare eos memorat. Atq; his ipſis authoribus refutatur & illud, quod idē Hagecus& plerique alij recētiores memorię mandarunt, quòd è Croatia primùm hi populi cum ſuis ducibus in has oras aduenerint. Et Crantij quidem verba ad eam rem pertinentia,proximo capite, Blondi ſuperius recenſuimus: Iornādis verò,id ꝙ modò recitauimus,teſtimoniũ de Slauorum ad Sarmaticos montes & Viſtulã ſedibus ſuffecerit. Etenim cùm è D.Gregorio ac Procopio,tũ ex ipſomet Iornande demonſtratur,per ea tempora, quibus ille Slauos ad Sarmaticos mõtes & Viſtulã habitare ſcripſit,Dalmatiam,Illyricum, & ea loca quæ Croatiam & Slauoniã cõplexa ſunt,infeſtata quidem , ſed nondũ habitata fuiſſe à Slauis.

Polonos & Boemos non è Croatia veniſſe.

D. Gregor. Procop. de bello Got. lib. 2.

Quamuis contrarium aſſeueret Dubrauius, idq; leui argumento:nempe quòd ſacra vtriuſque Teſtamenti ſcriptura à D.Hieron. Dalmata traducta in linguam Dalmaticam, quam eandem ipſe vult eſſe Slauicam, extet etiam nunc apud Dalmatas. In quo, quem authorem ſecutus ſit,præter vulgi opinionem,nõ inuenio. Quid autem,ſi tranſlationem illam Cyrillo & Methodio, primis(ni fallor) Slauicę nationis apoſtolis, non modò D.Hieron. ſed etiam Mauritio Imperatore longè poſterioribus (qđ nos alio loco demonſtrabimus)adſcribamus?

Biblia in Slauicã linguam verſa, non à D. Hieronymo.

Neque verò è Pannonia eos populos veniſſe , valde probabile eſt : quippe quam ante Valentis imperium à Vandalis, mox ab Oſtrogotis, deinde vſque ad Martianum imperatorem ab Hunnis habitatam: poſt Attilæ verò mortem ab Oſtrogotis recuperatam eſſe, ex Procopio & Iornande conſtat : deinde verò circa Iuſtiniani tempora à Langobardis ſubactam:& poſt quadraginta duos annos ab his ipſis in Italiã populariter cõmigrantibus,ſub pacto Vgris ſiue Vngaris relictã eſſe,ex Paulo Diacono cõſtat.

Procop. de bello Got. lib. 2.
Iorn. de reb. Get.

Pau. de geſt. Lãgobard. lib. 1. & 2.

Quod quidem paulo ante Mauritij tempora factũ eſſe,dubium nõ eſt:quo tempore Slauos iam ad Viſtulam habitaſſe, dudum oſtēdimus. Manifeſtũ eſt igitur,neque è Croatia, neque è Pannonia tunc, aut etiam prius,eos populariter veniſſe in has oras: multo minus poſterius. Quanquam .n. regnauêre pòſt vſq; ad Suaten,ſiue Suatibolugum,ſiue Suatoplugum Marothi filiũ, Slaui in Pãnonia, & ad vtramq; ripã Danubij,ſubiugatis(vt reor)poſt Attilę mortem, vel in Tranſyluaniã,vicinâue Trãſyluaniæ loca compulſis Hunnis: quæ q modò tenent,Cuni,ſeu Chuni,& Cumani vocantur:ſed iam tunc longè antè habitata fuit ab iiſdē Slauis Polonia.

Slaui regnauerunt in Pannonia.

Quin iſtum ipſum ſiue Suaten, ſiue Suatoplugum(q poſt 740.à Chriſto nato annum, vel,vt alij volunt,longè poſterius ab Vngaris ex Aſia per Daciam ac Myſiam irrũpentibus deuictus,fugiensq; Danubij vorticibus hauſtus perijt) nõnulli ſcriptores Polonum,nõnulli Morauũ fuiſſe memorant. Slauũ quidem, vel ipſa etymologia prodit.

Suatoplugus.
Bonf. rerum Vngar. dec. 1. lib. 9.

Iam ne cauſa quidē migrationis ab iſtis prodita nobis probatur. Nam ſi Ciechus patrati homicidij iudiciũ fugitans,vt vult Syluius,ſedes mutabat:quid cauſæ erat,cur Lechus frater inſons eum ſequeretur? cui manenti in patria, fratris fuga bono futura erat, ꝓpter acceſſionē fortunarum ab illo relictarum? Aut ſi is tantopere dilexit fratrem,vt omnem fortunam cum eo ſubeundam ſibi eſſe duceret,vel ſocius & conſcius admiſſi ſceleris pœnam & ipſe metuebat : quid multitudo illa tanta,quanta ad occupanda duo perampla regna ſuffecit, nõ potuit ea tã charos principes ſuos iudicio ſuppliciõque eripere? Quomodo autē ea cũ vxoribus,paruulis liberis, & omni ſupellectili fugam, ad q̃ celeritate opus eſt, expediebat? Deinde ſiue patratũ facinus, ſiue inteſtina diſſidia(qđ volunt alij) migrandi è patria cauſam eis præbebant,ſiue commodiores atq; patentiores ſędes ij mõtanis, viniferis & frugiferis relictis quærebant:q ratio fuit tã longinquæ & incertę peregrinationis per auios montes atque ſyluas ſuſcipiēdæ? Cur nõ potius petiêre

Migrationis cauſa refellitur.

Macedoniā,aut Epirum & Acarnaniam, aut Italiam, finitimas & non incognitas sibi,tum autem cęli clementia pariter & vbertate soli,& omni cultu agrorū vrbiumque præstantes regiones? Et sanè vsitatius est,gentes à Septētrione ad Meridiē, velut è rigidis ad tēperatiora, ex incultis ad cultiora loca migrare.

Populi à Septentrione ad Meridiē ferè migrāt.

Exemplo sunt Galli,Cymbri,Goti,Vādali,Lāgobardi, Scythæ,Hunni,Normanni,Cercassi,Turcæ denique.Aut si ęstuantib⁹ fortè Boreę flatus adlubescebat, cur nō in Pannonia, vel Bauaria,& ipsis cultis ac fertilibus terris,per quarū alterutrā iter facere necesse habuerunt, substitêre? Quod si lacessere bello horū locorum populos nolebant, qui scire poterant,si porrò versus Occidētem solē,vel Septentrionē ire pergerent, inculta & habitatorib⁹ vacua loca se repturos esse? Aut si id alicūde cognouerāt, cogitare certè secum poterant,ea nō futura fuisse vacua & inculta,si excoli cura& industria humana posse putarētur. Hæc nunc aduersus suprà memoratas opiniones dicta sunto. Russorum siue Roxanorum & Roxolanorū antiquitatem superius,vndecimo Capite ostendimus. Porrò de Dubrauij aliquanto diuersa à Blōdi Crantijque sententia,mox viderimus. Nunc prius nostram explicemus: & quidem de Polonis tantū,quam Boemi quoque,si videbitur,amplectantur licebit.

De Polonis & Lecho,vnde & quando extiterint,probabilior sententia.

Cap. XVI.

QVid igitur certius, aut probabilius duntaxat,nos afferimus. Illud nimirū,quòd è citatis superius à nobis authoribus rectè,ac temporū locorumq; rationi,& receptæ constantique multorum seculorum famę conuenienter colligitur. Cùm enim constet,communem esse harū gentiū & nationum,q̄ Slauico & Venedico nomine censentur,originē: ostensū sit autē,antiquissimas earum sedes esse in Sarmatia : inde siue abundante multitudine, siue dominādi & plura possidēdi cupiditate,siue vrgentibus Gotis & Hunnis, examina hominū prodijsse, sedesq; suas cùm versus Meridiem in Daciam , Mysiam,Pannoniā , Dalmatiam, Illyricū & Istriam vsq;: tum versus Occasum vltra Vistulā in Vandalorum sedes & Germaniā lōgè lateque protulisse existimandū est.

Poloni Sarmatæ.

Antonius quidē Sabellicus, quemadmodū antè memorauimus, disertè scribit : Slauos à Cimmerio Bosphoro bipartitò digressos, partem vnam ad dexteram deflexisse Septentrionē (rectius dixisset Occasum) versus : scissamq; in duos populos,Boemos & Polonos,alterā trāsmisso Istro, secundum Sauū amnem ad Dalmatiam vsq; sedes tenuisse,nihil mutato nomine. Quē secutus est Bernardus Vapouius.

Sabell. Ennead. 8.li.2.

Vapouius in proem. hist. Polon.

Blōdus verò & Crantius velle videntur,eos,Slauos inquā,è Polonia demùm & Boemia profectos, Oriētales illas, quas memorauimus, Rom. Imperij prouincias inuasisse. Quibus Iornandes quoq;,his lōgè vetustior,adstipulari videtur: qui eos etiamdū in patria sua ad Sarmaticos mōtes & Vistulā fluuiū habitantes,Slauos siue Slauinos appellat.

Blond. hist. dec.1.lib.1. Crantius in Vandal. Iorn. de reb. Geticis.

Eā autem migrationem per Iazygū Metanastarum fines,vel Morauiam & Pannoniam fieri necesse fuit: quas & ipsas sedes tenuisse Slauos quodam tēpore,prius ostendimus,& aliqua ex parte adhuc tenere constat. Secundum Sabellicū verò per Getas, Dacas,& Mysos. Siue aūt hæc, siue prior illa verior est opinio,in Germaniā quidē credibile est tunc eos populos progressos esse, cū Vandali,qui ea loca tenuerant,in Pannoniā, impetratis à Cōstantino Magno Imperatore sedib⁹(siue id ij vberioris soli desiderio,siue necessitate & vi armisq; Sarmatarū adacti fecerūt) populariter cōmigrassent, trecentis ampli⁹ post Christū natum annis : cumq; cōmuni Sarmatarum siue Scytharum, siue quo alio nomine appellarētur, discriminis gratia diuersis ex causis noua nomina subinde accepisse.

Polonorū & Boemorum migratio.

Nominum mutatio.

Et cōmuniter quidem Venedos seu Vinidas & Vandalos,peculiariter autē alios Serbos vel Sorabos à stirpe, alios Boemos à regione, alios Morauos à flumine,vel à Marotho rege, alios denique Polonos vel Polanos & Polacos appellari cœpisse. Duplex autē huius nominis ratio redditur. Vel enim à Pole,quod & planiciem & venationē Slauis significat,Polonos,quasi Polanos & Polacos appellari volūt, propterea quòd & planā ferè apertamq; regionem ij tenent, & apprimè tenentur venandi studio: vel à conditore ac primo duce gentis Lecho siue Lacho, Polacos, quasi Polachos, hoc est posteritatē Lachi,dici autumant.

Poloni vnde appellētur.

Polachi.

Cui rationi ac denominationi adstipulatur illud,quod Russi & Moschi, nec scio an alij quoque Slaui,præter Boemos, nō Polonos, neq; Polacos,verùm Lachos eos in hanc vsq; diem vocant. Nec multū ab hac diuersa esse videtur ratio nominis Vngarici, qui Polonos Lēgel,quasi Lechel,vt videtur, hoc est,à Lecho cōditos appellant.

Lechi.

Lengel.

Conuenit certè inter oēs,Ciechum & Lechū, siue Lachū,germanos fratres, hunc quidem apud Polonos, illū verò apud Boemos,eorū cognatos,primos regnasse. Nihil

Ciechus & Lechus fratres principes.

hil autem prohibet credere, nō statim initio hæc Ciechorum & Lachorum siue Polachorū nomina extitisse: recentiora enim ea videntur esse. Sed cùm initio gētes eę (quemadmodum ait Procopius, de Slauis scribens) nō ab vno aliquo homine regi, sed ab antiquo plebeia cōmuniq; libertate viuere solitæ, posteriori tēpore mutata certa ratione, aut aliqua necessitate consilio suo principes habere cœpissent, ex eo Lachos & Polachos à Lecho, Ciechos verò à Ciecho q primi apud eos regnassent, vocatos fuisse. Quod itidem in alijs multis populis factū fuisse legim⁹, vt cū aliter antea fuissent appellati, à claris & bene meritis principib⁹ noua nomina acciperent. Nec est incredibile id, qđ antiquitatis fama & cōsensu celebratur, Lechū siue Lachum illū cum fratre Ciecho e Croatia in has oras venisse, non nouas quidem colonias deducentes: sed ad consanguineos populos, q iam ante loca hæc habitabant, sese cōferentes. Nec multum refert, suáne sponte, an necessitate, nēpe pulsi, vel reformidantes vim domesticā, id fecerint, an acciti sint. Non est. n. nouum, externos homines ad principatus expeti, & anteponi etiam domesticis: præsertim si ij vel illustri apud suos loco nati sint, vel rebus gestis clari, vel virtute ingenioq; prę̄stent. Quid si aūt Ciechus & Lechus non peregrini ad has oras venerunt, sed ad suos reuerterunt, vnde vel ipsi, vel parentes, maioresúe eorū in Croatiam profecti erant? Ab hac sententia nō multum dissentit Dubrauius. Scribit enim, (& ipse de nostro, vt reor, mutuat⁹) Sarmatiam communem esse omniū gentium, quę nunc Slauinę vocentur, patriā. Nec multo post (vt intermedia, quæ perplexa sunt, omittam) prosequitur idē illā Ciechi & Lechi migrationem: eos videlicet Croatia patria extorres per Pannoniā superiorem ad Morauiam peruenisse. Cumq; eam à cognatis gentibus pridē teneri didicissent, ab ijs iussos per saltum Herciniū in finitimam Boemiam se contulisse, à Germanis quondam habitatā: tunc autem penè vastam ac desertā, nisi quòd à paucis Vandalis, & ipsis populari b⁹ suis, p tuguria sparsim incoleretur. Ab his autem eos venientes benignè acceptos, in vnum populum sub Imperio Ciechi coaluisse. Nec multo pòst Lechū fratrem, ab eo cum parte multitudinis digressum, ad Septentrionem, transmissis mōtibus & sylua Hercinia, Lechitarum siue Polonorum gentem condidisse, & à se denominasse. Ita Dubrauius. Non prodit autem is tempus migrationis vtrinq;, neque an & Lechus ad cognatos & eiusdem linguæ populos accesserit. Vapouius noster, qui & ipse in eadē sententia fuisse videtur, circa annūChristi 550. vult id factū esse. Hagecus, centū ferè annis posterius. Nos dirimere litem hanc non habemus. Vtroque sanè hoc tempore Slaui & Venedi Sarmatiam, Vandaliam, Dalmatiā, Illyricū, Pannoniam, & intermedias Iazygum Dacarumque oras ditione tenuerunt. Atque hæc nos de Polonorū & Slauorum, Venedorumque origine, è profundis eruta tenebris, in mediū proferre habuimus: æquissimo animo laturi, & gratiā habituri, si quis certius quippiā protulerit. Nūc iam instituto nostro ad Polonorum res gestas aggrediamur, à Lecho sumentes initium, quandoquidē de vetustioribus gentis temporibus, nihil compertum habemus.

Lechus quādo regnauit. *Procop. de bel. Got. li. 3.* *Lachi & Polachi.* *Slaui è Sarmatia profecti in Dalmatiam & Illyricum.* *Dubrauij sententia.* *Vapouius.*

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER SECVNDVS.

LECHVS.



LECHVS igitur Vandaliam permagnā Germaniæ, nōnullamque Sarmatiæ partem ditione & imperio complexus, cùm vulgus promiscuū apertos campos secundum flumina, lacus, riuos, & fontes pagatim & vicatim incoleret, castellum & oppidū sexto à Varta flumine milliario versus Septentrionem, in patenti planicie ex rudi & nō dolata materia inter lacus & paludes, ad necessitatē magis & quale quale receptaculū, quàm ad splendorē atque delicias extruxit: & Gnesno, seu Gnesnę nomē ipsi imposuit: à nido, quē Boemi Gnisdo, nos Gnasdo vocamus, paulum deflexo vocabulo: siue quòd eo sibi loco arx futura esset, quo nidus auibus p apertū aëra vagantibus: siue quòd aquilarū nidū ibi reperisset. Indeq; insigne boni auspicij acceptum mansisse, & manere successoribus eius principibus Polonorum existimatur, alba aquila erecta expāsis alis. Fundato igitur principatu, Lechus partim Gnesnæ manēdo, partim obeundo regiones, ius dabat populo ęquabile, non ex pręscripto legum, q nullæ erant,

Poloni quomodo habitent. *Varta fl.* *Gnesna condita. Gnasdo.* *Aquila alba Polonorum principum insigne.* *Lechi studia*

læ erant, ſed ex arbitrio ſuo: hoc eſt, ex æquo & bono: imperio (ꝙ credere par eſt) moderato vtēs, magis vt patris charitatē, quàm domini ſeueritatem obtineret in eos, ꝗ vltro fidem ſuā ſequerentur. Nec enim facile liber & ferox populus aſperū, ſuperbū, ſtolidū & impotentē tyrannum aut initio amplexus eſſet, aut poſtea ꝑtuliſſet. Reditus tūc & agros peculiares nullos habebat princeps, ſed ei cūcti ſeminabant & metebant, deq; omniū rerum prouentu fructibus ipſis vectigal pendebant. Nā numus tunc incognitus erat apud Polonos: ſed permutatione rerum, ꝙ cuiq; opus erat, ſibi cōparabat. Quamdiu verò Lechus regnauerit, ꝗd præclari bello paceque geſſerit, quoſq; liberos reliquerit, cōpertum non habemus. Aliquādiu quidem poſteri eius poſt eum regnaſſe feruntur, ita vt natu maximus principatū cęteris libenter cōcedentibus obtineret. Sed quinam ij, quotque ſibi inuicem ſucceſſerint, donec ſtirps omnis deficeret, non liquet. Bernardus Vapouius, neſcio quē authorē ſecutus, vult, Lechū aliquoties cū Germanis ſecundo ꝑlio dimicaſſe, ac de regulo quodā ſingulari certamine victo & interfecto opima ſpolia retuliſſe: multas munitiones partim vi, partim ꝑ deditionē cepiſſe, & ad Veſerā ſeu Viſurgim vſque imperium ꝑtuliſſe, & in eius flumi nis ripa vrbem cōdidiſſe, eiq; ꝓpter onus perpetui præſidij Brzemię nomē impoſuiſſe. Quæ etiā nunc Brema, paulū emollito vocabulo, à Germanis habitatoribꝰ dicitur, ciuitas ampla & potēs. Poſteritatē verò Lechi, ſcribit idē centū 50. fermè annis regnaſſe in Polonia, nēpe ad 700. ferè annū à Chriſto nato: multaque bella geſſiſſe cum Germanis & alijs finitimis gentibus. Nec eſt horum quicꝗ incredibile. Ij. n. tunc erant fines Polonicæ ditionis, quos in ſemiuacuis Vandalorū migratione regionibus gladij mucro terminabat. Nā ea quæ ſequuntur apud Vapouium, è Saxone Grammatico & Alberto Crātio paulū immutata ſumpſiſſe is videtur: nēpe maris quoque fortunam Polonos tūc feliciter tentauiſſe. Inſtructa enim claſſe, traiectoque ſinu Venedico ſiue Balthico, Rugiam, Fęoniā, & alias quaſdā inſulas de Danis eos tunc cœpiſſe, & cū ea gente vario marte terreſtribus & naualibꝰ ꝑlijs dimicaſſe. Ad extremum duce Viſſimiro, vno de Lechi poſteris, Syuardū Danorū regem nauali pugna inſigni ab ijs profligatū, pulſumq; precario regni partē ſub annuo tributo recepiſſe, cōceſſa Polonis lutia Scaniaq;: filias verò eius duas captiuas, alterā Noruegijs, alterā Germanis vēditas: filiū autē Iarmericum in obſidis loco aſſeruatum eſſe. Inde Viſſimirum principē captiuis abundantem, duas vrbes maritimas cōdidiſſe: & ex his alterā Viſſimiriam, ꝗ nunc Viſmaria dicitur, de ſuo nomine, alterā Dantiſcū, ſiue Gdanū, à Danis deuictis, eoq; deductis, appellaſſe: quæ vrbs parua obſcuraq; aliquādiu, ad eum ſplendorem poſtea peruenit, vt ſit celeberrimum, & non ſolùm Septētrionis & Occidentis, verùm totius ferè orbis terrarum copioſiſſimum, & omni genere merciū refertiſſimū emporiū, portu ac tribus oppidis ꝓmunitū. Addit idē Vapouius, Syuardū poſtea ſeruitutis impatiētē, Viſſimiro rebellaſſe, & in pugna occubuiſſe: filiū verò Iarmericū aliquāto pòſt è cuſtodia elapſum, nouos motus in Dania cōcitaſſe. Verùm eos à Polonis tūc ſedatos eſſe. Horum fides penes authorē eſto. Quo tēpore autē Dani iugum Polonorū penitus excuſſerint, nō memorat Vapouius.

Imperium placidum. — *Principis reditus.* — *Pecunia incognita.* — *Bernardus Vapouius.* — *Brzemia. Brema vrbs condita.* — *Lechi poſteri quādiu regnauerint.* — *Sax. in Dania libr. 8. Crant. in Vand.* — *Dani à Polonis bello petiti, & vi cti.* — *Syuardus rex Danorū victus à Viſſimiro.* — *Viſſimiria, quæ nunc Viſmaria.*

DVODECIM DVCES, SEV PALATINI.

CVm autē ſtirps Lechi defeciſſet, Poloni comitijs de cōſtituenda rep Gneſnę habitis, ad neminem vnum principatū deferunt: vel quòd in pari multorum dignitate variarēt ſentētiæ, vel quòd monarchiæ ad tyrānidem (vt ſunt res humanæ in deterius mutabiles) declinātis pertæſi iam eſſent: Duodecim verò ex omni procerum numero potentes & ſpectatos in primis viros, deligūt, ꝗ ſiue nouo tūc populi placito, ſiue vſitato etiā ſub principibus inſtituto, ſuæ quiſque regioni, diuiſa in totidē regiones tota Polonia præeſſent: & Voieuodæ, hoc eſt, duces belli & copiarū, vernacula lingua dicerentur. His reip. in pace iuxtà ac in bello ſummā in cōmune mādant. Et rectè ꝗdem illi initio, eoq; rep. initum magiſtratum geſſêre, legeſq; pauciſſimas & ſimpliciſſimas, vt rude illud ferebat ſeculum, nō in libris, neq; in tabulis, ſed in animis hominū atque in vſu, pinde atq; Lycurgus apud Lacedęmonios quōdam, incidêre: ꝗ inſtituta verius dixerimꝰ. Sed pòſt aliquanto ad ambitionē verſi, dū ſuo quiſque nutu omnia geri vult, & rē priuatā potentiāq; ſuā augere ſtudet, aſſentari multitudini, eiuſque licentiā alere, ſuos quiſq; ꝑ fas nefasque defendere & euchere, terrori eſſe ijs, quos beneuolētia ſibi adiūgere nō poſſet. Inde cōtentiones, ſimultates, & factiones denique à ſtudijs partiū exortæ: inde edicta & imperia ipſorū vulgo negligi cœpta, rēp. ab vnius imperio ad paucorū dominatū dudum traductā, nec multo pòſt eò redactā, vt rex iam ſibi quiſq; & lex eſſet,

Voieuodæ, ſiue Palatini. — *Ambitio rerumpub. peſtis.*

ſet, penè funditus euerterũt. Quib⁹ rebus cõmoti finitimi populi, Polonorũ vim atque potentiã dudum veriti, & experti etiã, celatum bene ad eam diẽ timore odium atque dolorẽ in apertum proferendũ, & armis vindicandũ, nomenq; Polonum delendũ, vel affligendũ certè ſibi eſſe exiſtimarunt, tã luculẽta occaſione ſeſe offerente. Quãdiu verò horum duodecim ducum imperiũ durauerit, nihil cõperti habem⁹. Manſit ꝗdem deinceps etiam ſub principib⁹ & regibus, manetq; in hanc diẽ is ſiue honor, ſiue magiſtratus: verùm aliquantũ reſtricta poteſtate & iuriſdictione, & ab ijs ꝗ Latinè loqui volũt, Palatini vſurpãtur: Quo nomine à nobis quoq; deinceps appellabũtur. Cũ autẽ nõ ijdẽ ꝑpetuò fines Poloniæ fuerint, ſed acciſi aliquãdo, rurſusq; ꝓlati ſint, ne regionum quidẽ eadem diſtinctio, nec idẽ Voieuodarũ ſiue Palatinorũ numer⁹ mãſit.

Palatinorũ dignitas.

CRACVS.

PErtæſi igitur malorum Poloni, q̃ ſub duodecim Palatinorum imperio agminatim ipſis incubuerãt, ad vnius principatũ reſpexêre: & aliquid de deguſtata libertate ipſi ſibi detrahere, quàm perire prorſus malebãt. Itaque conuentu apud Gneſnã inſtituto, poſt longã conſultationem vna oẽs ſententia ad Cracum principatum deferunt: quem noſtrates ꝗdam ſimilitudine nominis decepti, perperam Gracchum appellant, Romanumq; exulem fuiſſe, & ſupra 400. vel vt alij volũt, 500. annum ante Chriſtũ natum apud Polonos regnaſſe, fabulantur. Quo quidem tempore, necdum Polonorum gens extiterat: & incognitum, ni fallor, adhuc erat apud Romanos Gracchorum nomẽ. Ac ne ijs quidem temporibus, in q̃ nos hunc Gracum cõijcimus, aliquem de Graccho rũ familia ſuperfuiſſe, in Romana hiſtoria reperimus. Veriſimilius eſt igitur, qđ etiam Dlugoſſus ſentit, Polonos Polonũ potius, quàm externum ſibi regẽ creaſſe. Ac Vapouius quidem, circa 700. annũ à Chriſto nato id factum eſſe vult. Hagec⁹ verò, paulò poſterius: fingitq; idem, Lechi filium Cracum ſiue Crocum hũc fuiſſe: verùm neq; hoc, neq; item alia multa nobis probat. Siue autem Cracus vnus de Voieuodis fuit, ſiue non, domicilium quidẽ habebat apud Viſtulam, 13. milliario à fontib. eius fluminis: vir cùm amicitijs, copijs & facultatibus potens, tum prudentia, animi magnitudine, & iuſtitię atque integritatis opinione apud oẽs gratioſus, ita vt ſolus rectè dilabentem remp. ſuſtinere & recreare poſſe videretur. Is multũ diuq; reluctatus, eo ꝙ perdifficile eſſe videret rẽp. partim ciuiũ licentia & inteſtinis diſſidijs ꝑturbatã, partim externis bellis quaſſatã reſtituere & reficere, tã dẽ precibus & cõtentione multitudinis, & charitate patrię victus, reip. curã ſuſcepit: hoſtes alios fœderibus, alios armis à ceruicib. patrię remouit. In his Gallos, vt volunt noſtrates pleriq; omnes, ꝑ Pannoniã ſeſe magnis copijs in Poloniã infundentes, ꝓfligat atq; depellit. Vnde verò hi Galli venerint in has oras, inueſtigare difficile eſt. Nã Scordiſci ac Tauriſci Gallorum populi, ꝗ Mœſis mixti, vt author eſt Strabo, multo antè ad Iſtrũ cõſederant, iã à Romanis primùm, deinde à Gotis, & mox ab Hunnis deleti erant. Boij quoq;, & ipſi Gallica gens, qui Boemię, quemadmodũ ſuperiore Libro indicauimus, nomen dedêre, multo antè iã à Marcomannis Germanis, & hi porrò à Ciechis Polonorũ cõſanguineis, vel pulſi, vel ſubacti erant. Nec ꝑ Pannoniã certè ijs Polonos adoriri neceſſe fuiſſet. Niſi fortè eos Boemia pulſos, in Morauia vel extremis finib. Pannonię cõſediſſe, & inde in Poloniã inuaſiſſe exiſtimandum eſt. Aut certè credendũ eſt, eos Francos fuiſſe orientales, quorũ regnum Auſtraſiam & Bauariam cõplexum, ad Pannoniam & Vngariam vſque pertinuiſſe fertur: apud quos ꝑ ea tẽpora Pipinũ, Caroli Magni proauũ, dominatũ eſſe, Blõdus & Sabellicus memorię prodidêre. Illud autẽ fortaſſe noſtris errandi occaſionem ꝑbuit, quòd ea gens, cùm Gallias ſubegiſſet & inſediſſet, priſcorum Gallorũ nomine etiam nunc à Latinis appelletur. Sed quicunque tandẽ ij fuêre populi, qui tunc Poloniam bello vexauerũt, eos Cracus repreſſiſſe memoratur. Vincentius etiam in Carinthiã cũ expeditionẽ feciſſe vult ante ſuſceptũ principatum: indeq; reuertentẽ, cùm perſuaſiſſet Polonis, vt ſub vnius principatu, quàm ſine principe viuere mallent, omnium cõſenſu principem factum eſſe. Penes authorem fides eſto. Lõgiſſimo ſanè terrarum interuallo, Carinthia diſtat à Polonia. Deinde verò Cracus pacatis foris rebus, domi licẽtiam & audaciam perditorũ coercuit: iudices priuatarum controuerſiarum per loca conſtituit: vrbem in læua Viſtulæ ripa in loco domicilij ſui condidit, ac de nomine ſuo Craconiã appellauit: eiq; arcẽ in colle Vauelo, Viſtula eã ab oppido tunc dirimẽte, felicib⁹ auſpicijs ſuperædificauit: ꝗ regni caput, Gneſna relicta, fecit. Quę ꝗdẽ vrbs è paruis illi⁹ ſeculi initijs ſucceſſu tẽporum ad eam, ꝗ videmus, amplitudinem & ſplendorem, principum poſteriorum habitatione & fauore peruenit, vt mœnium ac

Cracus qui, & cuius fuerit, & quo tempore.

700. annus poſt Chriſtum natũ.

Cracus inuitus regnum ſuſcepit.

Frãci à Craco repulſi.

Frãci orientales.

Pipinus Caroli magni proauus.
Blondus.
Sabellicus.

Cracus expeditionem fecit in Carinthiam.

Pacis ſtudia.

Craconia cõdita.

Regia Craconiam trãslata.
Craconiæ laus.

turrium firmitudine, ædificiorum publicorum iuxtà ac priuatorum magnificentia, copia rerum q̄ non modò ad sobriū victum cultumquè corporis, verùm etiā ad luxum & voluptatem requirūtur, denique vrbanitate & elegantia ciuium & incolarū, cum Germanicis & Italicis vrbib⁹ certet: inter Poloniæ verò vrbes principatum teneat. Fertur etiam, immanem beluam, quam Holophagum vocāt nostri, Solinus Boam, ni fallor, appellat, in antro montis, cui arx Cracouiēsis superposita est, cubile habentem, & viciniam omnem deuorandis pecudib⁹, iumentis & hominibus vastantem, à Craco astu interemptam esse, cùm corpora illi obijciēda, pice, sulfure & fomite succenso infarciri iussisset, & ignis conceptus viscera beluæ torruisset. Quod nescio an fabulosū sit. Antrum quidem in hanc vsque diem extat saxo exeso profundum, quod Specū draconis vocant: quòd tamen etiā natura sic extitisse potuit. Celebri Craci fama moti cōsanguinei Polonorum Ciechi siue Boemi, ipsi quoq; vltrò principē sibi eum asciuerunt, vti Dlugosso & Vaponio placet. Dubrauius cōtrà, eum Boemum Boemorum principem à Polonis quoque expetitū esse, memoriæ prodidit: nescio quē secutus. Nā AEneas Syluius, & Hagecus, nō hunc, sed alium Cracum siue Crocum tunc apud Boemos regnasse volunt, & Crocouiam siue Crocouecìam arcē in Boemia condidisse: morientemque eo ferè tempore, quo noster regnare cœpit, tres filias reliquisse (in quo cō sentit cum eis Dubrauius) è quibus vna Libussa saga paternum regnū susceperit, assumpto sibi in societatem thori & principatus Præmislo rustico homine: quem missi ad hoc equites in ferrea tabula secū dum prędictionem Libussę, hoc est, in vomere prandentē repererant: eorumque posteritatē longa & perpetua successione per multa secula Boemis præfuisse. Verùm ad nostra reuertamur. Cracus cùm per multū tēpus bene & feliciter regnasset, obijt, & è cōspectu Cracouiæ vltra Vistulam in mōte Lassotino, aggesto instar montis tumulo, quemadmodū mandauerat ipse, sepultus est. Extatque in hūc vsque diem is tumulus, haud procul à delubro, quod diui Benedicti nomine appellatur.

Holophagus à Craco extinctus.
Solin. Polyhist. cap. 8.
Cracus an idē apud Boemos regnarit.
Dubr. Boem hist. lib. 1.
Crocouecia arx Boem.
Boemorum principum genus.
Craci monumentum.

LECHVS SECVNDVS.

CVrato Craci funere, filius eius natu minor Lechus, maiorē, cui Craco & ipsi nomē erat, per speciem venationis in syluas eductū, incautum occultè interimit: ac fortuito casu eum perijsse mentitus, simulatis lachrymis atq; luctu honorificè sepelit: principatumq; sceleratè appetitū, qui maiori natu debebatur, sublato illo suscipit. Verùm aliquanto pòst patefacto scelere, principatu deiectus, & in exiliū actus est. Alij dolore & consciētia patrati parricidij, cùm dijs hominibusq; exosus esset, domi eū contabuisse, nullis relictis liberis, aiunt. Vincentius, viuente adhuc patre parricidiū ab eo patratū: sed mortuo demum patre, & iam ipso regnāte, scelus patefactum esse, memorat.

Lechi parricidium, & pœna.
Vincentius.

VENDA.

TAm gratam autem atq; iucundā sui memoriam Crac⁹ princeps apud Polonos reliquerat, vt vtroq; filio eius, quēadmodū iam commemorauim⁹, orbati, Vendæ filiæ superstiti, virgini, principatū mandarent: ea spe ducti, quòd præstantē aliquem & inclytū de externis regibus, aut principibus, cōiugio eius inuitatum, Principem se habituros esse existimarēt. Erat Venda venustissima puella, ita vt merito vendæ, hoc est, hami nomen ipsi inditū esse videretur: quòd quasi pisces hamo, specie eius contemplantes caperentur. Nec sanè fefellisset Polonos opinio, nisi per Vendā stetisset. Nā Ritigerus (Ritogarum ferè nostri vocāt) illustris & potens ea tempestate in Teuthonibus finitimis, siue Germanis (apud quos in vsu est etiamnū Rutigeri, seu Ritigeri nomen) princeps, missis oratoribus coniugiū eius petiuit. At illa excelsi & minimè muliebris animi virago, facundaq; iuxta ac prudens, negare se cuiq̄ nupturam: principē, quàm principis vxorē esse malle. Indignè repulsam illam Ritigerus ferre: orare iterum atque iterum, & minas adijcere. Vbi frustra se omnia tentare videt, coacto exercitu, armis negatum coniugium atque principatū contemptu muliebris imperij persequi statuit. Nec segnius Venda cum expeditis suorum copijs aduenieti hosti ad fines regni sui occurrit. Miscere rursus Ritiger⁹ preces atq; minas. Exprobrare illa armato importunam libidinē. Renunciant oratores duci suo eximiā puellæ pulchritudinem & sapientiam, & animū ad belli dimicationē quàm ad nuptias paratiorē: ad hæc, permagnas & instructissimas armatorū copias. Quibus auditis, labascere Teuthonum animi: monere & orare ducē suum, ne se exercitumq; suum, ꝑpter intempestiuū amorem, atq; cupiditatem suam, tā turpiter cōijciat in periculum. Ingloriū esse viro cum fœmina certamen, etiamsi exploratam habeat victoriam. Ni desinat, relicturos se eum, domumque signis conuersis reuersuros.

Vendæ etymologia.
Ritigerus dux Vendæ coniugium ambit.
Teuthonicū bellum.

Ille

Ille vbi omnibus tentatis, obstinatos suorum animos, & à prælij dimicatione alienos esse videt, cùm amoris impatientia, tum ignominiæ conscientia, quòd à muliere sine vllo prælio victus esse videretur, mortem sibi consciuit. Teuthones ictis cum Venda fœderibus, finibus Poloniæ decesserunt. Hæc ita magno consensu à nostris prodita sunt. Quænam autem illa gens Teuthonum fuerit, nihil comperti habemus. Marcomannos siue Morauos, vel Saxonas certè fuisse, suspicari nihil fortassis prohibet. Hagecus Prussos fuisse scribit. Lętata hoc successu Venda, ouans Cracouiam inuehitur: mactatisque quamplurimis victimis, ad extremum ipsa dijs patrijs solenni ritu sese deuouet, ac de ponte in profluentem Vistulæ, ne quis aduersus casus felicitatem eius cōtaminaret, proijcit. Proceres inuentum cadauer eius, vno ab vrbe milliario editiore loco è conspectu vrbis supra amnem Dlubniam sepeliunt, aggesto itidē vt patri tumulo. Indeq; subiacens pagus Mogilæ, hoc est, tumuli nomen adeptus, adhuc retinet.

Ritigeri interitus.

Vendæ virilis animus, & mors.

Dlubnia flumen. Mogila.

DVODECIM PALATINI ITERVM.

POst Vendæ obitum, cùm nemo Regiæ stirpis superesset, commutata rursus reipub. forma, à duodecim ducibus vel palatinis iterum Polonia cuncta militiæ domiq; administrata esse fertur aliquandiu: donec ex huiusmodi euētu rursus ad vnum principatus delatus est. Vincentius memorat, Alexandrum magnū regem Macedonum legatos misisse ad Polonos, qui tributum ab ea gente exigerent: eos cùm Poloni viuos excoriassent, cutesque auro pariter & herbis infartas ipsi remisissent, Alexandrum indignatū, permagnas copias in Poloniam immisisse. A quibus cùm ea crudeliter vexaretur, vastareturq;, Polonique sua defensuri occurrissent, & aliquoties profligati animos despondèrent: hominem quendā plebeium & aurificem, Præmislum nomine, coadunata aliquanta manu voluntariorum militum, huiusmodi arte hostem circumuenisse: nempe galeas & clipeos eum è tenerioribus arborum corticibus & quauis alia materia magno numero fabricari curasse, eaque partim felle, partim litargyrio extrinsecus illita, noctu è conspectu hostilium castrorum in extrema sylua truncis arborum, arbustis & ramis terræ infixis imposuisse, vel appendisse ad exorientem solem obuersa, ita vt repercussu radiorum solis armati exercitus speciem eminus inspectantibus exhiberent. Id conspicatos hostes, paucos tumultuariè correptis armis, contēptu sæpe victi fugatique à se hostis, quasi ad certam prædam procurrisse. Et quoniam nostri interea galeas & clipeos sum mouerant, siue combusserant, fugere crēditos esse: ibi illos, cùm longius in syluas fugientes Polonos persequi instituissent, in præparatas à Præmislo insidias præcipitatos, & concisos esse. Polonos deinde cæsorum armis indutos, ad castra hostilia contendisse, & pro socijs atque commilitonibus habitos, in imparatos & nec opinantes impetum fecisse, magnamque stragem edidisse. Ad extremū re inopinata perterrefactos, hostes in fugā sese effudisse: omni rerum copia referta castra, nostris diripienda reliquisse: & inglorios Polonia excessisse. Ita quidem ferè Vincentius. Verùm Dlugosso id nō probatur. Itaque non Alexandrum, quē nos quoque multis seculis hæc tempora prēcessisse, superius attigimus: sed Pannonas & Morauos is ab hoc Præmislo, hoc ipso quem modò retulimus euentu, atque etiam stratagemate profligatos & eiectos esse refert: prēter, quod vult is, exercitum hostilem, cùm Polonos, qui sese ostentarant, non reperisset, ad castra reuersum esse, securumque liberius genio indulsisse: Præmislum deinde prima noctis vigilia è syluis prouolantem, crapula somnoque stratos adortum esse. Sed verisimilius futurum erat, si galeis illis & clipeis de nocte suspensis, relictisque ibidem paucis hominibus, qui sub exortum solis clamore sublato, tubarumque ac tympanorum sonitu, & galearum clypeorumque illorum assimulatorum agitatione, exercitus aduentantis speciem hostibus præberent, Præmislus cum reliquis copijs diuersa parte in castra hostium impetum fecisset, eosque ancipiti periculo perterrefactos in fugam vertisset. Sed vt vt gesta res est, illud quidem conuenit, arte ac dolo hostes illos à Præmislo deuictos & pulsos esse. Quinam autem hostes illi fuerint, Dlugosso, quàm Vincentio, libētius assentimur: nisi quod non explicat is, quinam ij Pannones fuerint. Nos Vngaros, qui ex Asia, vt superiori Libro indicauimus, egressi, Pannoniam tunc iterum occuparant, fuisse existimamus: eisque Morauos, vtpote victoribus victos, militasse. In illa quidem tempora Præmisli huius principatus incidere videtur, nempe post septingentesimum & quinquagesimum vel sexagesimum annum à Christo nato.

Alexandri Macedonis bellum cum Polonis fabulosum.

Præmislus aurifex magni animi. Stratagema

Pannones & Moraui à Polonis pulsi.

Vngari ex Asia venientes Pannoniam occuparunt.

760 Anni.

PRAE.

PRAEMISLVS, SIVE LESCVS PRIMVS.

OB tam præclarum igitur facinus atq; meritum in rempub. Præmislus omnium acclamationibus princeps renunciatur: & blandum Lesci nomen, gratiosum apud Polonos, ob Lechi conditoris memoriam, oblatum accipit. Quanquã Vincentius Lesticum, ab astu vult appellatum fuisse. Post susceptum principatũ, nullum Lesci hui⁹ insigne factum, quod ad laudem vel vituperium pertineat, me moratur: nisi quòd in pace, vna illa victoria sibi suisque parta, moderatum in suos gessit principatum. Nec ausus est quisquam eo viuẽte, Poloniæ fines infestare. Quamdiu verò regnauerit, vbi, quaque morte absumptus sit, non cõstat. Liberos quidem post se nullos reliquisse fertur.

Lestici etymon.

LESCVS SECVNDVS.

PRæmislo, siue Lesco vita defuncto, exoritur noua de principatu contentio. Cumq; nullus appareret neque modus, neque finis, multis ambientibus, neque quoquam eorum alium sibi præferri patiente, placuit rem fortunæ committere: indicto ad certam diem maculosorũ equorum cursu, qui primus ad metam peruenisset, eius dominus vt princeps esset totius Poloniæ. Figitur meta apud Prãdnicum amnẽ, in aperta planicie ad Septentrionalem plagã Cracouię. Status curriculo dies adest: effunditur ad spectaculum ingens hominum multitudo: varia studia, sollicita omnium, quem det euentum fortuna, expectatio. Confident delecti iudices, & munerarij, dant signũ certaminis. Ibi Lescus quispiam, procerum & competitorum vnus, cùm stadium vafro consilio stratis clàm in sabulo ferreis hexagonis, siue stylis cæcis, quibus currentium equorum pedes læderentur, impediuisset, ipse obliquo & minimè impedito tramite primus, cæterorum equis in cursu offendentibus ac cespitantibus, ad metam peruenit. Munierat is etiam equi sui calces ferreis soleis, vt ne offenderet in stylis, si fortè cum impetu currens in eos incidisset, cùm omnes omnium aliorum equi de more illius temporis soleas nullas haberent. Rei prorsus ignaris & miraculo attonitis omnibus, & iam victorem atque principem diuinitùs sibi oblatum Lescum conclamantibus, techna deprehenditur. Protrahitur Lescus in medium: conuincitur: damnatur: cõcerpitur. Notarant commentũ illud impediti curriculi, duo quidam iuuenes tenues & obscuri. Cũ enim, nemine etiamdũ præsente, in stadio illo pedestri cursu fortè certarent, ioco principatum inter se pacti, offendũt in stylis: subsistũt: inuestigant rem curiosius: notant tramitem stylis vacuum. Eorum alter, equitib⁹ à carceribus procurrentibus, procurrit & ipse pedester noto iam sibi tramite, omnibus effuso risu eũ prosequentibus. Omnium verò equis, cùm ad stylos ventum esset, ita vt par erat, cespitantibus, iuuenis ille pedester primus post doli fabricatorem ad metam peruenit. Eum igitur, Lesco interfecto, principem populus omnis salutat: & ne quid ad authoritatẽ ac maiestatem ipsi desit, Lescus commutato nomine appellatur. Atque is cùm tã insperato euentu rei mirabundus atque dubitabundus, principatum suscepisset, sedulò dedit operã, ne tanto munere indignus iudicaretur. Nec modò repressit finitimorum vim & incursiones, sed quibusdam etiam populis vltrò bellum intulit. Quantũ verò ocij dabatur ipsi à bellis & serijs reip. negocijs, in exercẽda militari virtute atq; disciplina ferè consumere: varios ludos & certamina equitibus pariter & peditibus indicere: certantib⁹ honorifica præmia ꝓponere: ipse arbiter atque iudex præsidere, & pro meritis quenque collaudare. Fuit autẽ in hospites splẽdidus & munificus: in suos cùm virtute aliqua ꝑstantes, tum egestate pressos, liberalis: ita vt egere ipse mallet, quàm tristẽ aliquem à se dimittere: adeuntib⁹ facilis & comis: eorum q potentiorum vi & iniurijs premebantur, acer vindex. In victu cultuq; corporis singulari parsimonia: rudibus & crassis pãnis aulæorũ loco vtens: nisi si quãdo in publico dare aliquid splẽdori atq; maiestati principatus, maximè propter externos homines, cogebatur. Quin ibi quoq; crassos pannos, quib. ante adeptum principatũ vsus esset, ob oculos poni sibi iubebat, quib⁹ admoneretur assiduò fortunæ suæ pristinæ, & vnde ad tãtum honoris fastigiũ euectus esset. Quod non absimile est illi, quod de Agathocle Siculorum tyranno memoratur: quem, quòd figulo patre nat⁹ esset, fictilia inter aurea vasa apponere in mensa solitũ esse ferunt. Ab ebrietate verò Lescus maiorẽ in modũ abhorrebat, quòd pecudis, quã hominis similiorẽ esse ebriũ hominem iudicaret. His moribus & hac moderatione animi quàm diu, quibusq; rerũ successibus regnauerit, & quomodo vita defunctus sit, itidẽ atq; alia illius tẽporis incertũ est: nisi fortè ad hunc Lescũ pertinere existimandũ est id, quod Dlugossus Martinum Gallum memoriæ prodidisse refert, Lechum, seu Lechonẽ, vt scribit ille, princi-

Prandnicus fluuius.
Cursus equorũ de principatu.
Styli cæci.
Lescus arte victor, deprehensa fraude truci datur.
Principatũ obscurus homo fortuitu adeptus est.
Lesci studia in pace & in bello.
Certamina militaria.
Mores digni principe.
Pristinæ fortunæ memoria.
Agathocles Siculorũ Tyrannus.
Sobrietas.
Lesci mors.
Mart. Gallus.

Caroli magni bellum cum Polonis.

principem, in prælio cum Carolo, Caroli magni imperatoris Rom. filio notho, quem pater contra Polonos & Boemos, Saxoniam bello vexantes, cum exercitu miserat, occubuisse: idque actũ esse anno

804. anno. quarto vel quinto post octingentesimũ à

Imperiũ ad Frãcos translatum.

Christo Seruatore nostro nato, translato iam ad Francos & Germanos Occidentis imperio. Quanquam Blondus Foroliuiensis, Sabellicus, Leonem Boemorum ducem ab hoc Carolo interfectum esse scribunt.

Blon. Dec. 2. lib. 1.
Sabell.

Sed nullũ per ea tempora Leonem apud Boemos regnasse comperio: ne Lechonẽ quidem. Apud Polonos Lescus regnauit: quem Gallus & H. Mutius Lechonem, cæteri Leonem vocant. Facilis est autem Lechonis in Leonẽ commutatio.

H. Mutius de Germ. lib. 9.

Nihil vetat credere, Polonis pariter & Boemis eũ præfuisse. Tam Dlugossus autem cum Gallo, quàm Blondus & Sabellicus, Carolũ eo bello Poloniæ fines depopulatum, repressis modò hostibus, citò ad patrem reuertisse memorãt. Eginhartus qui Caroli magni vitam cõscripsit, eumque dominum ac nutritorem suum appellat, Polonorum quidem nusquam meminit: sed omnes barbaras ac feras nationes, quæ intra Rhenum ac Vistulam fluuios, Oceanumq; & Danubium positæ, lingua quidem penè similes, moribus verò atque habitu valdè dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuisse Carolum scribit, vt eas tributarias effecerit.

Eginhartus in vita Caroli magni.

Sabellicus verò, Slauorum, Polonorum, & Boemorum legatos Aquisgranum cum amplissimis muneribus ad hunc ipsum Carolum venisse refert, vt pax sibi cum Gallis (quos equidẽ Francos fuisse crediderim) incolumis maneret. Verùm de his sententiam nostrã statim aperiemus.

Sabell. Ennea. 8. lib. 9.

LESCVS TERTIVS.

LEsco huic è rebus humanis sublato, vnicus filius eiusdem nominis successit, nõ degener à paternis virtutibus: Qui ita se gessit in principatu bello paceque, vt patrem non adæquare modò, sed superare etiam videretur. Multa hic cum finitimis, qui nouitate & humilitate generis eius despecta, nouos ciebant motus, bella gessit: eosque vel perdomuit, vel ad officium reuocauit: Slauis consanguineis Polonorum, Pannoniam tunc imperio tenentibus, vt vult Dlugossus, & cum Orientis atque Occidentis imperatoribus bellum gerentibus, rogatus, auxilio affuit aliquoties, collatisque signis cum vtroque hoste prosperè dimicauit. Nec tamẽ is memorat, quinam hi fuerint imperatores.

Poloni cum imperatoribus Rõ. bella gessere.

Fabulosius autem id est, quod scribit Vincentius, C. Iulium Cæsarem tribus prælijs ab hoc Lesco superatum, sororẽ suam Iuliam in matrimonium ei collocasse: Crassum item Romanum cum exercitu ab eo deletum esse.

Vincẽtius.

Magis consentaneum est rationi temporum, Lescum superiorem Vngaris & Slauis, promiscuè Pannonias tunc incolentibus, contra Carolum magnum, paulo antè quàm Imperatoris Romani titulũ Pontificis maximi beneficio adeptus est, octo annis in Pannonia bellum gerentem præstò fuisse, & nonnunquam bene rem gessisse: ad extremum verò post debellatos Vngaros, propter latam illis opem, vel infestatam, vt vult Blondus, Saxoniam, à Carolo Caroli eiusdem filio, bello petitum, commissoque prælio interfectum esse.

Caroli magni bellum cõtra Polonos.

Ac dum demum illud accidisse, quod è Sabellico superius memorauimus, vt interfecti filius, de quo nunc agimus, legationem Aquisgranum ad Carolum patrem de pace mitteret, & quidem cum muneribus: eaque munera tributi nomine ab Eginharto, Carolum suum ornante, appellata esse.

Legatio Polonorum ad Carolum magnum.

Posterius quidem certè hoc bellum cõtra Boemos siue Polonos, quàm illud contra Pannonios & Vngaros, à Carolo magno gestum esse, ab ijs, qui res gestas eius quoquo modo attigerunt, memoratur. Ante Carolum verò trecentis plus minus annis vacauit Occidentis imperium.

Imperium Occidentis quàm diu vacauerit.

Orientis quidem imperatores nullum per hæc tempora bellum in Pannonia gessisse reperio. Cum Bulgaris gesserunt & antè, & post etiam, sed in Thracia: ac non inferentes, sed illatum depellentes.

Bulgarorum bella cũ imperatoribus.

Quanquam Nicephorum imperatorem in Mæsia contra Bulgaros bellum gerentem, victum & interfectum esse huius Caroli tempore, scribit Sabellicus.

Niceph. imp. à Bulgaris occisus.

Suscepit autem Lescus hic liberos mares, ex legitima quidem vxore Popielum: è concubinis verò Boleslaum, Cazimirum, Vuladislaum, Vuratislaum, Otam, Barnimum, Pribislaum, Præmislum, Iaxam, Ziemianum, Ziemouitum, Ziemomyslum, Bogdalum, Spicigneuum, Spicimirum, Sbigneum, Sobeslaum, Vissimirum, Ciessimirum, & Vislaum.

Sabell. Ennea. 8. lib. 9.
Lesci filij.

Ex his Popielum in spem principatus liberaliter educatum, successorem sibi viuens designauit: cæteris sacramento vt Popielo pareant adactis, occidentalem & maritimam oram omnẽ inter Habelam & Albim fluuios, quemadmodum Dlugossus prodidit, ad mare & Germaniam spectantẽ, inter eos partitus est. Et Boleslao quidem

Lescus successorẽ sibi designauit Popielum.
Poloniæ diuisio.

natu

natu maximo, Barnimo atque Bogdalo *Pomerania.* Pomerania obtigit: Cazimiro & Vuladislao *Cassubia.* Cassubia: Iaxæ & Zieemiano *Serbia.* Serbia siue Sorabia, Vuratislao *Rugia.* Rania siue Rugia, quæ nunc Mysnia est: quæ & ipsa Polonicum etymon habet, à muribus. (nisi fortè ea potius insula est sinus Venedici, è conspectu Stralsmidæ, & aliarum eiusdem littoris maritimarum vrbium, Chersonesique Cymbricæ sita: quæ etiãnum Rugia vocatur.) Porrò Pribislao, Ciessimiro & Otæ cessit Dituonia, quæ *Dituonia, siue Lusatia.* nũc Lusatia siue Lusitia dicitur: Prẽmislo, Ziemouito & Ziemomislo, ea q̃ nunc est Marchia Brandeburgensis, à metropoli Brãdeburgo: quę à nostris Sgorelecia vocata fuit. *Sgorelecia, siue Brandeburgensis.* Reliquis reliqua eius oræ, ad Saxoniã & ostia Albis fluuij vergentia. De quibus Vislaus Mezibozum arcem, quã nunc Meideburgum siue Magdeburgũ *Magdeburgum vrbs.* vocant: Sobeslaus Dale, quod Dalemburgum: *Dalemburgum.* Visimirus Visimiriam, quæ antiquum nomen Vismaria *Vismaria.* deflexum retinet, condiderunt. Quanquam de Vismaria variat Vapouius. Nunc enim ab hoc Visimiro, nunc à quodam eiusdem nominis de Lechi posteris, multo ante vult eam esse conditam, vt nos quoque in Lecho indicauimus. Alias preterea complures arces & oppida ijdem duces posteriq́; eorum ædificarunt, & vernaculis suis vocabulis appellarunt. de quibus sunt, *Brema.* Brema, vt vult Dlugossus, in confinio Frisiorum: (tametsi aliter sentit Vapouius) Luna, *Luneburgũ* quam Germani Luneburgum vocant, à resplendentia: Bucouecia, quæ à *Lubeca.* Germanis Lubeca vocatur: (tametsi Lubecæ quoque nomen Slauicam etymologiam redolet) Bacchiborum, *Bacchiborũ.* Zuerinum: *Zuerinum.* Lubouia, siue Lucouia, Germani Mechelburgum, *Mechelburga.* eiusque oræ duces Mechelburgenses, nonnulli verò Græcè Megapolenses vel Magnopolenses, ineptè cõposito vocabulo, dicunt: item Rostocũ, *Vrbes Polonicæ seu Venedicæ.* Verla, Suanouum, Ostrouia, quæ nunc fortè Custrouia est: Cessinum, Marlouũ, Bolelum, Trebessouum, Vologostum, (Volgastum Germani vocant:) Ciasny, Slauunum, Dyminum, Lenzinum, Ilouum: Starigradum, Bielogradum, Nouigradum, quæ Germani Stargartam, Belgartam, Neugartam appellant: Sciecinũ, *Alb. Crant.* quod nunc Stetinum est. Addit Crãtius Vinetam & Iulinum, vrbes insignes, quę à vetustioribus quoque memoratur. Ac *Vineta.* de Vineta superiori libro nobis mentio facta est. *Iulinum, seu Volynum.* Iulinum verò id fuisse existimatur, quod nunc Volynum est, à bobus dictum, ignobile oppidum, olim vrbs magna: quemadmodum ruinæ indicant. Hę omnes fuêre Polonorum coloniæ. Helmoldus *Helmol. li. 2. Chrõ. Slau.* sanè, qui ante 400. annos Slauorum Chronica scripsit, Mechelburgum, Ilouum & Rostocum à Pribislauo Obotritorum duce (ab aliquo horum Popieli filiorum, vt est credibile, oriundo) condita esse memorat. Constat autem Obotritos siue Abotritos inter Venedorũ siue *Abotriti.* Vinidarum populos numerari, & ea incoluisse loca, quæ nunc Mechelburgensi & Raceburgensi ditione ferè continentur. Iam Dresnam quoque, Lipscum siue *Polonicæ coloniæ in Germania.* Lipsiam, Mysniam, Costrinum, Sgorelecíam, & alia Mysnensis & Brandeburgẽsis Marchiæ veteris & nouæ oppida & castella à Polonis constructa esse, etymologia nominum argumento est. Venedorum quidem populis ea quoque loca habitata fuisse, dubium non est. Subactæ au*Slaui Septẽtrionales seu Venedi quãdo subacti à Germanis.*tem atque possessæ sunt regiones illæ posteriori tempore à Francis, Saxonib⁹, Turingis, Frisijs, & Vestphalis, Teuthonum populis, siue per ignauiam, siue per conniuentiam posteriorum principum Poloniæ, cùm duces earum Lesci huius nepotes ab imperio ipsorum, quemadmodum dicemus inferius, desciuissent. Quãquam Eginhartus, cuius dudum mentio*Eginhart. in vita Caroli.*nem fecimus, iam inde à Carolo Magno Slauos Vilsos siue Velatabos, australe latus sinus Codani siue maris Germanici tenentes, vna expeditione ita contusos ac domitos esse perhibet, vt deinceps imperata facere non renuerent. Verùm ij, vnus modò de multis Slauorum oræ illius populus fuêre. Idem sanè Eginhartus scribit paulo pôst, Salam fl. Turingos à Sorabis, qui & ipsi Slaui erant, diuidere. *Serbi, seu Sorabi.* Blondus addit, & Bonfinius, eo ipso tem*Blond. dec. 2. lib. 1.*pore Albi & Salæ fluuijs præsidia contra Sorbienses Slauos (sic ille Serbos vel So*Bonf. dec. 1. lib. 9. hist. Vng.*rabos vocat) à Carolo, Caroli huius magni filio, viuente patre imposita esse. Vi*Vitich. de gest. Sax. lib. 1. & 2.*tichindus quoque Eginharto longè recẽtior, bella quædam cum Slauis eius oræ ab Henrico I. Germaniæ rege, & filio eius Ottone I. Imperatore gesta esse: eosque ab Oriente & Aquilone Saxonibus finitimos tunc fuisse, & non semel Germanis rebellasse memorat: itemque Crantius *Crantius in Vandal.* & H. Mutius. Ita vt ij à Carolo magno debellari cœpti, longè pôst partim à succes*H. Mut. de Germ.*soribus eius imperatoribus & regib⁹, partim ab alijs ducibus & populis Germanorum paulatim subacti esse videatur: subactaque loca Marchiarum, quasi termi*Marcha, seu Marchia qui.*norum seu limitum nomen acceperint. Hermoldus etiam Vertislauum & Pribislauum Obotritorum duces, Nicloti filios, ab Henrico Leone, iuniori Saxonũ

duce

duce deuictos esse, & ex his Pribislaum ad Pomeranos profugisse scribit. Pagos quidem atque vicos complures Slaui in tractu illo maritimo & Luneburgensi,& in Marchia Brandeburgensi etiamnum colunt: communi cum Polonis lingua, quamuis Theutonicæ admixtione corrupta, vtentes. Retinent & monasteria quædam, posteriori tempore à Polonis siue Pomeranis condita,Polonicas appellationes:veluti Dobranum, Ribnicia:pleraque hoc tempore barbarico, eorũ qui tueri ea debebant,furore vastata.quę ego non sine dolore aspexi, Rostocum à Sigismundo Augusto rege ad conuentum de pace inter ipsum Danumque & Suecum reges, cum viro ornatissimo & humanissimo Ioanne Costka Gdanensi castellano & Prussiæ thesaurario(qui deinde Palatinus Sendomiriẽsis, & Præfectus Marieburgensis nuper obijt) allegatus: vbi hæc recognoui,& priori editioni attexui.Sed ad institutũ reuertamur. Lescus igitur cùm ita inter filios imperium diuisisset,vita pariter atque principatu defunctus est.

Slauicæ linguæ vsus in Germania. — *Monasteria.* — *Ioan. Costka castel. Gdā.*

POPIELVS SENIOR.

SVscepit destinatum à patre principatum Popielus, proceribus pariter atq; fratribus assentientibus, patris auique dissimilis,ignauus atque timidus.Itaque nihil is præclari in principatu gessisse memoratur. Regiam quidem & domiciliũ suum Cracouia Gnesnam primùm retulit:indeque non multo pòst Crusuiciam transtulit(cùm eam arcem in planicie ad lacum Goplũ, & inter paludes, in ea ora quæ Cuiauia dicitur,ipse condidisset) vel quòd cliuosæ regionis,in qua sita est Cracouia,pertæsus,apertis campis delectaretur:vel quòd ab Vngaris & Russis,ferocibus populis longius,à fratribus verò propius abesse,tutius sibi fore existimaret. Iuuenili adhuc ætate, cùm aliquot annos regnasset,in morbum incidit:&priusquã fratres fratrem visitaturi aduenirent,obijt. Fertur autem in familiaribus sermonibus subinde solitus esse murium depastioni se suosque deuouere. Quo malo filius eius, vt mox dicemus, absumptus est.

Popieli ingenium. — *Crusuiciæ regia.* — *Cracouiæ situs.*

POPIELVS IVNIOR.

PEracto solenni ritu Popieli funere, filius eius eiusdem nominis, impubes etiamtum,principatui concordi patruorum procerumque voluntate inauguratur, omnibus subiectionem ipsi interposito iureiurando promittentibus. Pupilli tutela, reique publicæ administratio delectis aliquot de numero patruorum,qui maximè idonei videbantur, mandatur. In regia ij sedulò & ad latus principis esse, causas & controuersias cognoscere ac disceptare: nec vlla in parte deesse reip. quoad princeps ipse per se publica munera obire posset, siue adeò donec regi se illorum consilijs passus est. Nam cùm is pubertatem attigisset,quæ maximè lubrica & procliuis ad licentiam voluptatesque ætas est,suo iam arbitratu viuere:patruorum monita aspernari:cum æqualibus consilia capere: conuiuia compotationesque cum ijsdem frequentare:in lustris,choreis, lusibus & amplexibus puellarum pernoctare: deinde crapulæ stuprique plenus ad multam diem stertere: rempub. iudicia, & querimonias hominum negligere. Ad res agendas ineptus, ingenio nullo, stipes,caudexque: indeq; omnibus iã erat despicabilis, ita vt Chostek vulgò per contemptum appellaretur, cùm dissolutos & perditos mores eius deformis facies, rarus in capite & in barba pilus, quales ferè lasciui sunt, magis etiam deformaret. Capiunt patrui cũ alijs proceribus consilium,quónam modo tam dissoluta illa principis sui vita, tamque profligata licentia refrenaretur. Vxorem ei petunt eleganti forma puellam, Theutonici principis cuiusdam filiam. Et videbatur sanè mulier auara & ambitiosa, mariti vitam ad meliorem frugem reductura, torporemque ignauo excussura. Sed res aliter cecidit:nimirũ, vt nihil ille de flagitijs & nequitia sua remitteret: quibus verò vitijs antea caruisset, vxoris consuetudine ea sibi adiungeret. Nã & auarior fact⁹,decreta, honores, atque magistratus vendebat: &,cùm virtute ac dignitate non posset,quotidianorum peccatorum suorum sibi conscius, fastu & crudelitate principatũ sibi stabilire:& metui à suis volebat,cũ amari non mereretur. Atque hæc omnia vxore & impellente,& sequestra faciebat.Quę degustata semel dominatus atque lucri dulcedine, despectaque viri inertia, mulie bri astu imperium omne ad se transtulerat:maximè cùm duobus filijs Lecho & Popielo aucta, mollem viri animum amore sui penitùs adstrictum teneret,& firmum perpetuumque apud Polonos dominatum suum fore,sibi persuaderet. Vnus obstabat scrupulus,patruorum viri sui gratia,& authoritas apud multitudinem, integritate vitæ, grauitate morum,& prudentia collecta. Hos metuebat: hos iam blandius admonentes, iam liberius obiurgantes oderat: horum tacitam etiam conscientiã pertimescebat.

Tutores principis. — *Iuuenilia studia & consilia.* — *Chostek.* — *Auaritia & tyrannis.* — *Muliebris improbitas.*

Muliebre cō silium atrox

Itaque viro eos quàm maximè potest suspectos & inuisos, cōfictis etiam criminibus reddit: persuadet, illis viuis & incolumibus principatum ipsi certum firmumque esse non posse. Quem si retinere ipse vellet, & liberis suis relinquere, tolleret patruos de medio. Si ipse animi satis ad id facinus non haberet, sibi mandaret eā prouinciā: illos armis atque viribus, se dolis instructiorē esse. Confecturam se negotium sine vlla populi offensione, siue adeò suspicione. Quibus dictis, facilè ægrum atq; timidum viri animum in deteriorem partem impulit. Initur necandorū illorum ratio. Grauē & periculosum morbum princeps simulat: patruos neci destinatos acciri eius nomine vxor iubet. Conueniunt sine mora: circumstant mœsti ægrotum principem: consolantur. Ille morbi magnitudinem gemitu assimulabat: adesse vitæ suæ finem, diuinitùs sibi indicatum: vxorem paruosque filios illorum tutelæ fideique etiam atque etiam commendabat. Completur muliebribus eiulatibus, planctibus & lamentis regia: parantur funebres exequiæ, ipso iubente principe. Absumpto in his die, cū iam ad Occasum sol tenderet, princeps patruos quasi moribundus iam dimissurus, nomine quemq; blandè cōpellat, & in signum amoris & beneuolentię suæ erga ipsos, circumferri medicatum poculum, paratum ad eam rē, iubet: prægustare se simulat: cæterùm spumam tantùm à medio extantem halitu difflat, potum ne extremis quidem labijs attingit. Cùm oēs bibissent ordine, fingit somno se premi, & velle quiescere. Discedunt illi, reuerenter salutato principe. Conceptum præcordijs hominum venenum vitalia membra occupat. Nec mora, de statu mētis dimoti, & furentes maximo cum cruciatu exanimantur. Ibi mulier re statim per exploratores nunciata, cadauera insepulta proijci mandat. Insidiatos eos vitæ necessarij & bene merentis principis: iusta & euidenti deorum immortaliū vindicta percussos, repentè perijsse, diuulgat. Quanquam autem liuores corporum, & effusa ruptis præcordijs viscera, manifestum veneni indicium faciebant, nemo tamen indignum optimorum principū interitum apertè deplorare ausus est, metu tyranni nō amplius morbum mortēque simulantis. Sed non sinit inulta esse diu diuinum numen scelera. Nam ex cadaueribus putrefactis enati mures inusitatæ magnitudinis, impium parricidam cū scelerata vxore atque liberis fugientē quoquò versus per aquā flammamque persequuntur: nec claustra prosunt, aut abigentium satellitū præsidia. Ad extremum diffugientibus omnib⁹, absumptis prius filijs, deinde vxore, postremus ipse infelix miserabiliter lenta morte consumitur in arce Crusuicia. Ita non cassæ ceciderūt patris eius imprecationes. In hoc tempus incidere videtur id, quod H. Mutius in annum Christi 823. confert: nempe duos fratres, quos in Saxonia Polonici siue Slauici generis fuisse constat, cùm de principatu paterno contenderent, Francofordiam ad Ludouicum Pium imperatorem, Caroli magni filiū, venisse: eoque authore principatum natu minori, concedente maiore, attributum esse, cū eū magis gens illa per legatos expeteret.

Popielus patruos & proceres veneno extinxit.

Popielus cū vxore & liberis miserè à murib⁹ absumptus, perijt.

H. Muti⁹ de Germ. li. 10. 823. annus.

Ludouicus Pius Imp.

INTERREGNVM.

Extincto, vt iam diximus, Popielo cū vxore & liberis, conuenit magna procerum multitudo Crusuiciam, ad creandum nouum principem. Agitata re aliquandiu, eò quod varia essent hominū studia, & ambitiosi quidam magnas post se traherēt factiones, infecta tandem disceditur. Ac dum nemo alteri paret, neq; cedit, in summa omnium licentia cædes & latrocinia passim exercebantur, & iustis interdum prælijs inter dissidentes cōcurrebatur. Nec finitimæ gentes, occasionem impunè vel proferendorum finiū suorum, vel prædas agendi pretermittūt: diuexatur miserè Polonia. Reditur ad comitia, cōsultatur diu frustrà. Nā non modò nō remittuntur: sed intenduntur etiā studia partium. Non desunt sibi interfectorū Popieli senioris filiorum filij, quasi hereditarium principatum poscentes. Verùm ij quasi nothi, ex nothis certè orti, & indigni qui bene natis imperent, repelluntur. Iam tanta multitudo, quantam illuc partim vltrò, partim à potentioribus euocatam & adductam conuenisse credibile est, caritate annonæ atque penuria premebatur, neque apparebat tamen, quorsum tanta contētio euaderet, quique comitiorum exitus futurus esset: cùm ecce insperata salus, diuinitùs, afflictæ Poloniæ oblata est. Erat Crusuiciæ oppidanus, Piastus nomine, Cossisconis filius, statura infra mediocrem, crassis atque robustis artubus mediam ętatem supergressus, agello modico colēdo & mellificio vitam sustentās, homo simplex & iustus, & beneficus in egenos, atque hospitalis pro modo facultatum suarum. Is ex vxore à suis moribus non aliena, cui Repichæ nomē erat, vnicū filium susceperat: eique viuente adhuc Popielo primā comam gentili ritu tonsurus, & nomen

Comitia de rege Crusuiciæ.

Polonia tumultuatur.

Piasti genus & conditio.

Tonsura primæ comæ.

men impositurus, amicos ad eã ceremoniam atque conuiuium porco mactato, & aquæ mulsæ vase infuso, inuitârat. Priusquã stata dies adesset, fortè obtulerunt ei sese ignoti duo homines habitu peregrino: quos ille, cũ regia excluderentur, comiter inuitatos, hilarè domum suam introduxit: instruxit mensam, apposuit affatim ex ijs quæ ad futurum conuiuiũ præparauerat. Ibi res mira & stupenda accidit. Accreuit porcina, redũdauit ex vase mulsa. Excepit Piastus, vasis admonitu hospitum conquisitis. Ijsdemque authoribus nõ ciues modò & amicos suos, verùm etiam principem ipsum (vt tunc minimè fastuosi ac delicati erant principes) cum omni comitatu ipsius destinato conuiuio accepit. Eisdem igitur hospitibus sub tempus comitiorum reuenientibus & iubentibus, Piastus ex tenui pœnu cellaque sua conuentum illum omnem penuria laborantem, augescente rerum earum, quæ promebantur, copia refecit. Quo miraculo vulgato, vna voce omnes Piastum non humanis suffragijs, sed diuino iudicio principem sibi dari conclamant. Fit domum eius concursus, orantium & obsecrantium, labenti reipub. vt succurrat. Recusat ille. Tandem hospitibus illis suis authoribus assensus, ita vt erat veste & peronibus ex tiliæ cortice textis indutus, in regiam à primoribus deducitur. Hospites illi perfuncti officio suo, disparuerunt. Existimantur autem ij fuisse angeli Dei, beneficentiam & hospitalitatem etiam in alieno à vera religione remunerantis. Neque id magnopere mirabitur, quisquis de Abimelech rege in Genesi, ac de Cornelio centurione in Actis Apostolorum non omnino dissimilia legerit. Alij volunt, eos Ioannis & Pauli martyrum, quos Iulianus Imperator ob Christi nomen & magnas facultates in vsus egentium expensas ante aliquot secula necauerat, vmbras fuisse: itaque percontati Piasto nomina sua edidisse, queãdmodũ Dlugossus memorat.

Miraculum.

Beneficentiæ remuneratio.

Ioannes & Paulus martyres.

PIASTVS.

INauguratus principatui Piastus, non mutauit cum statu vitæ animũ. Quin auctus copijs, multùm ad pristinam suã beneficentiam atque benignitatem adiecit: vxore non modò non dehortante, verùm adiuuante etiam. Conquierunt autem sub eius principatu hostium incursiones: cessarunt & intestina dissidia, cædes & latrocinia, reuerentia magis boni & vigilantis principis, quàm armis, seueritate & supplicijs: præsertim quòd cum dijs curæ esse, & ipsorum non obscuro iudicio in illa reipub. specula collocatum, certò sibi persuaderent. Nihil enim æquè valet ad religandos atque deuinciendos hominum animos, & ad moderandas stabiliendasque respub. quàm religio: quæ pietate & integritate principis maximè excitatur, & continetur. „Nam principum diligentiam & animaduersionem multi frustrantur sæpe: legum etiã vincula vel perrumpunt, vel subterfugiunt: diuini verò numinis, nemo est qui se vel prouidentiam fallere, vel vindictã effugere posse credat." Hoc ergo præsidio Piastus & bonis charus, & malis reuerendus, & finitimis venerabilis erat, & longam principum regumq; Poloniæ posteritatem per multa secula vsque ad Cazimirum secundum, qui Magni cognomen adeptus est, propagauit. Cuius etiã nunc quædam, licet tenues, extant reliquiæ, in Alberto duce Cessinensium in Silesia, & Anna filia Conradi ducis Masouiæ. Quæ non ita pridem cum Stanislao Odrouanzo Palatino Russiæ, iuuene nobilissimo, nupta fuit, eique filiam peperit: quam nuper Ioannes comes Tarnouius, Castellanus Cracouiensis, vir non solùm genere illustris, sed etiam peritia rei militaris & rebus bello gestis domi forisque clarissimus, ætate, consilio ac dignitate facilè princeps senatus Polonici, vnico filio suo Ioanni despondit. Ei verò iuuenili ętate mortuo, viduam vir clarissimus Ioannes Costca, cuius mentionem fecimus superius, & ipse viduus vxorem duxit. Nihil autẽ ad felicitatem Piasto defuisset, si liberos interfectorũ à Popielo ducum, qui prælatum sibi in principatu hominem plebeium atque humilẽ dolebant, & parêre ei dedignabantur, ad officium & parendi necessitatem reduxisset. Qui ex eo tempore non modò alieni à rep. Polona, sed hostes etiam Polonis, progenitoribus suis, nonnunquã fuerunt. Abominatus verò Crusuiciam Piastus, nefario scelere diroque interitu Popieli contaminatam, Gnesnam Prisci Lechi regiam, domiciliũ suum transtulit: cumq; per multos annos sapienter clemẽterque regnasset, senex admodũ mortuus est, annum agens 120. Per hæc sanè tempora tres fratres Varaij, Ruricus, Sineus & Trubor, dominari apud Russos septentrionales cœpisse memorantur, partiti inter se principatum, quemadmodũ Libro primo ex ipsorum annalibus retulimus: nempe circiter annũ 6370. à creatione mundi, secundũ supputationem ipsorũ: qui nobis videtur esse à Christo nato 861. Apud Australes verò, tres item, nẽpe

Piasti beneficentia.

Religio efficax ad regẽdam remp.

Piasti posteritas.

Stanislaus Odrouanzus Pal. Russiæ.

Ioannes Tarnouius comes.

Regia Gnesnam rursus translata.

Piasti ætas.

Russiæ principatuũ initium.

6370. annus mũdi secundum Russos.

861. Ann.

Kius, Sciecus,& Choreuus, cum sorore Libeda, quatuor principatus fundasse, ac de suis nominibus appellasse feruntur, aliquanto antè, vt videtur. Quorũ stirps cùm defecisset, post mortem Rurici, Ascoltum ac Dyrum Kiouiam vrbẽ à Kio conditam, occupasse, & per Pontum inuectos, nauali bello Constantinopolitanum imperium vexare adortos, naufragium fecisse. Deinde Olgum, cui Ruricus veluti propinquo, vnici filij sui Igori tutelam moriens mandauerat, interfectis illis, Kiouiensem principatum Igoro adiunxisse, & cum Græcis bellũ gessisse: cũque amplissima dona ab ijs accepisset, reduxisse exercitum Kiouiã, ibiq; serpentis seu viperæ morsu extinctum esse. Postea quoque cum iisdem Græcis & Bulgaris Russos bella gessisse Zonaras memorat: Et quidem quodã tempore classe quindecim milliũ nauiũ: Quæ à Græcis aliquot prælijs profligata sit. Monoxyla autẽ ferè fuisse eas naues. Mansit autẽ deinceps im perij Russici sedes Kiouiæ. Circa hæc eadem tẽpora scribit H. Mutius, Ludouicũ cognomento Balbum regem Germaniȩ, Ludouici Pij imperatoris filium, Caroli Magni nepotem, aduersus Slauos, gentẽ irrequietam, & rapinis intentam, in Germania bellum gessisse, victisque pacẽ certis conditionibus dedisse. Principem autem eorum luminibus priuasse, vt homo ferox inutilis ad ciendos motus redderetur. Hunc aliquem de Popieli posteris fuisse oportet. Mutius quidem nomen eius nõ edidit. Paulus verò Cõstantinus Phrygio, Rasliz eum vocat. Sed ad institutum nostrum reuertamur.

Kiouia condita. *Russorũ bellũ cũ Græcis* *Olgus.* *Igorus.* *Kiouia sedes Rusṡici imperij.* *H. Mut. lib. 11.* *Ludouicus Balbus rex German.* *Germ. bellũ cum Popieli nepotibus.* *Rasliz dux excæcatus.*

ZIEMOVITVS.

SVccessit Piasto vnicus filius Ziemouitus, cuius vicaria opera viuens adhuc, & senio cõfectus pater, imbellis & grauissimis quibusque negocijs magno omniũ fauore & beneuolẽtia vsus erat: vir impiger, & ad rem militarẽ factus: æstus iuxtà ac frigoris, laboris & inediæ patiens: somni parcissimus: victu cultuq; corporis nõ multum à gregarijs militibus differens: alieni abstinens, de suo munificus: facilitate, & liberalitate militum procerumq; studia & voluntates tenere solitus: in animaduertẽdo, si quãdo necesse erat, lenis: noctu excubias ipse per se crebrò obibat. His artibus atque studijs summã sibi hominũ suorum charitatem cõparauerat. Principatum post patrem adeptus, cõstituta primùm disciplina militari, creatoque magistro militiæ, & ordinum ductoribus, ex ijs, quos maximè dignos & idoneos nouerat, ad recuperanda ea quæ Vngari, Moraui & Germani sub Popieli principatu & in interregno inuaserant, neque ad eam diem recuperata erant, totum se conuertit: easque res ex animi ferè sui sententia confecit, eo quidem minore negocio, quòd eæ tunc gentes inter se belligerabant. Moraui enim bello exagitati à Ludouico Balbo rege Germaniȩ, post mortem eius, Suatoplugo rege, qui primus cùm ea gente Christo nomen dedit, ductore, Germaniam vehementer afflixerant. Contra quos Arnolphus imperator, idemque successor Ludouici in regno Germaniæ, Vngaros in auxilium euocauit: qui profligatis Morauis, & rege eorum interfecto, cùm sibi merita stipendia ab imperatore non exoluerentur, magnis deinde & ipsi cladibus Germaniam affecêre. Sic igitur distentis Morauis, Vngaris atque Germanis, facile fuit Ziemouito ab ijs sua recuperare, ac plura etiam, de Morauis præsertim, capere, & regno suo adijcere: cùm Suatoplugus, quemadmodũ Venceslaus Hagecus memoriæ prodidit, filium Suatoboium, è sorore Arnolphi susceptum, iuuenem admodum reliquisset: atque is ob impietatem in Deum, & acerbitatem in sanctum episcopum Methodium, Christianæ religionis in Slauorum natione propagatorem, afflictus, & suis exosus, in solitudinem & auias syluas sese subduxisset: Vbi etiam pœnitentia anteactæ vitæ compluribus annis religiosè peracta, vitam finiuit: & moriens demũ, tribus instituti eiusdẽ socijs, quinã esset, indicauit. In hoc autem Suatoboio Morauorum, qui & ipsi Slaui sunt, regnum finem accepit, à Germanis, Vngaris, Boemis & Polonis discerptum. Sic igitur prosperè ab eâ parte rebus gestis, Ziemouitus à Prussis quoque, quæ ij superiori tempore de Polonis cœperant, bello repetiuit. Ad extremum Pomeranorum & Cassubiorum, & Vinidarum siue Slauorum ducibus, Popieli senioris nepotibus & posteris, qui à patre suo defecerãt, bellum intulit. Quod quidem illi, locorum difficultatibus magis quàm viribus freti, diutius extraxerunt. domitique essent ad extremum, nisi Ziemouitus rebus humanis, Gnesnæ moriens, exemptus esset, altero & tricesimo principatus sui anno.

Principis virtutes. *Moraui Germaniam vexarunt.* *Moraui Christiani facti.* *Arnolphus imperator.* *Vngari Moraviam, ac deinde Germaniam, infestarunt.* *Morauia dirrexata.* *Suatoboius, Morauorum rex monachus factus.* *Morauorum regni finis.* *Ziemouitus de Pruß. sua recuperauit.* *Pomerani & Cassubij illati bellũ à Ziemouito.*

LESCVS QVARTVS.

MAgno, tam boni tamque bene merentis de Republ. principis desiderio ducti proceres, filium eius vnicum, cui Lesco nomen erat, in principatu ipsi surrogant adolescentulum, eique custodes & moderatores consiliorum primores

Cõsilij regij moderatores ignaui. mores aliquot adiungunt. Quorum incuria & ignauia bellũ aduersus Slauos seu Venedos, Pomeranos, & Cassubios à Ziemouito susceptum, & nonnullo iam successu prospero gestum, intermissum est. Quod ne ipse quidem Lescus postea, cùm adoleuisset, vnquam prosecut⁹ est, quietis & ocij, quàm bellicæ gloriæ amantior: contentus eo, quem à patre per manus acceperat, principatu. Quin & ipse, & filius eius Ziemomyslus, de quo mox dicemus, habuit eos derelictui, cum Germanis bellum gerentes. Itaque vehementer ij tunc diuexati sunt, & attriti, *Vitichindus Saxo lib. 1.* quemadmodum Vitichindus memorat *Henricus Cæsar.* ab Henrico Cæsare, siue rege Germanorum, qui Conrado successit: & nonnulli ex ijs cùm deditionẽ fecissent: tributarij *Brandeburgũ & Grona à Germanis capta.* facti, Sgorelecia, quod Brẽnaburgum seu Brãdeburgũ Germani vocarũt, & Grona vrbes captæ. Cumque paulo pòst quidã ex eis rebellassent, apud Lunchinos vrbẽ maritimã ab exercitu & legatis eiusdem *Poloni occidentales debellati à Germanis.* regis ad internecionem profligati sunt, ita vt ad ducenta millia hominũ eo prælio perijsse putaretur. Boemi quoq; ab eo- *Boemi tributarij Cæsaribus.* dẽ Henrico deuicti in fide eius duce Venceslao, viro pio & sancto, permanserunt, *S. Vẽceslaus* donec Boleslaus, interfecto per summũ scelus fratre Venceslao, dominatum in- *Otto Cæsar. Vitich. lib. 2. & 3.* uasit, & Ottoni eius nominis primo Cæsari, Henrici filio, semel atq; iterum rebellauit, Germanos magna strage vicit, Boemiaque eiecit. Sed & ipse tandẽ bello *Brandeburgum proditione receptum à Germanis.* fractus, & Brandeburgum cum omni regione Slauorũ seu Vinidarum citra Odram, cùm defecisset, proditione Tugumiri ducis pecunia corrupti, in potestatem Cæsaris reuenit. Nec ita tamen gens ea quieuit, & Germanorum iugum pertulit, quin subinde eis negocium facesseret. Lesco certè Polonorum principi, & Ziemomyslo filio nihil horũ curæ fuit. Tametsi Venceslaus Hagecus, subegisse *Pomerani à Polonis subacti.* Lescum hunc Pomeranos, & Polonis adiunxisse scribit. Et fieri sanè potuit, diuisa in tot principatus ea gente, vt alij cũ Germanis bellum gererẽt, alij subigerentur à Polonis. Principatum quidem iu- *Lesci moderatio.* stè, continenter & clementer, magna ciuium beneuolentia complures annos gessit Lescus, vt vult Dlugossus: qui eum senem obijsse, & adultum filium reliquis- *Temporum ratio. 921. ann.* se scribit. Quod si verum est, pauciores ergo Ziemouitus regnauit, aut multo ante nongentesimum vicesimumprimũ, vt idem vult, regnare cœpit. Nos quidem potius desijsse eum tunc regnare credimus: nisi Hagecum sequi malumus, qui Ziemouitum anno Christi nongentesimosexto vult obijsse, cùm viginti annos *906.* regnasset: aut nostrum quendam anonymum, qui Lescum hunc anno 913. post *913. Ann.* Christum natum obijsse, & Ziemomyslum filium ei successisse memorat. Alioqui non quadrabit ratio temporum ad posteriorem supputationem, quæ certior est apud nos ex eo tempore, quo Polonia religionem Christianam suscepit.

ZIEMOMYSLVS.

SVccessit Lesco patri Ziemomyslus, probus & ipse, lenis, beneficus, hospi- *Ziemomysli virtutes.* talis, & quietis amans, quas virtutes quasi hæreditarias à maioribus suis habebat. Sed non alia re nobilior, quàm filio. Nã cùm aliquot annis, nullos ex vxore susciperet liberos, nascitur ei tandem filius, *Mesco cæcus natus.* sed cæcus. Quæ res ipsi, breui gaudio delibuto, maioris mœstitiç causa fuit: prçsertim cùm vxor vno illo partu edito, parere desijsset. Septimũ annum puer attigerat, quo prima coma pueris gentili ritu attonderi, & nomen imponi solebat. Adsunt ad celebritatem frequentes proceres, epulãtur cum principe mœsto, & sortem suam, orbitatis non ita multum dissimilem, deplorante, mœsti & ipsi, ac principis vicem dolentes: cùm ecce insperata omnibus affulsit lætícia. Puer abs- *Miraculum.* que vlla medicorum, aut cuiusquam omnino ope, lucem aspexit. Nec mora, videntem mater exultans ad patrem in conuiuium adducit. Conuiuæ miraculo attoniti, effuso gaudio principibus, sibi & Reipubl. tantum bonum diuinitùs oblatum certatim gratulantur: festum diem largioribus inuitationibus, concentibus, plausibus, choreis, acclamationibus, & omni iucunditate instaurant. Puero, Miecislao, quasi qui gladio *Miecislai etymologia.* gloriam sibi pariturus sit, nomen inditũ, vt vult Dlugossus: is postea à matre & pedissequis blandius, vt fit, Miesco seu Mieciek vocitatus est. Vincẽtius eum cæcum adhuc, cùm tonderetur, ex tumultu atq; turbatione ominosè Miesscam appel- *Miessca.* latum, idque nomen postea boni ominis gratia in Miecislaum in baptismo commutatum esse scribit. Ziemomyslus peracto conuiuio, splendidè remuneratis ac dimissis proceribus, diuinos & ariolos *Arioli.* de filij successibus, & quid portenderet, quòd is cæcus natus, tanto interuallo videre cœpisset, sciscitatur. Respondent illi, Poloniam eius principatu illustratam iri. Accuratè igitur puer, & vt principe dignum est, iussu patris educatus est. Quamdiu verò Ziemomyslus regnauerit, non

 constat

constat sibi Dlugoſſus, qui octo tantum annorum principatum ei tribuit: & ad Piaſti tamen proaui ætatem, perducto ad maturitatem filio, perueniſſe eum, & anno Christi nongenteſimo ſexageſimo-quarto obijſſe ſcribit. Venceslaus, ſupra quadraginta annos vult eum regnaſſe.

964. Ann.

Sed iam hic liber vnà cum Ziemomysli, qui mortuus Gneſnæ ſepultus eſt, principatu finem habeat, alterius initium à mutata religione, quemadmodum par eſt, faciemus, pauca prius de priſca Polonorum & Slauorum religione præfati.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER TERTIVS.

DE RELIGIONIBVS PRISCORVM Polonorum & Slauorum, & religione Christiana ab ijs ſuſcepta.



TOTVS quidem penè orbis terrarum, iam inde ab initio propemodum humani generis, poſt maximũ illud vniuerſę terrę diluuium, fallacium dæmonum fraude inductus, veram vnius veri Dei religionem impio multorum & falſorum deorum cultu & ſuperſtitione commutauerat: mortuos homines primùm propter merita & beneficia accepta: deinde impios dęmonas, ementitis miraculis & prodigijs hominum oculis atque mentibus ſeſe inſinuantes: poſtea ſolem, lunam, & eximia quæque naturæ Deique opera veneratus, deinde verò mutis etiam animantibus, feris, beluis atque ſerpentibus, cepis atque allijs: & ad extremum, nullum exitum inueniente inſania, ſculptis, fictis, pictiſque humana arte ſimulacris, diuinum honorem impertitus. Verùm eas tenebras tetras & horribiles, Ieſu Chriſti Dei hominiſque benignitas, poſt multa ſecula quaſi lux clariſſima cœlitùs affulgens, diſpulit, dimiſſis quoquò verſus certis hominibus, omnium, præter vitæ integritatem, miraculorumque & inſpiratæ diuinitùs doctrinæ efficaciam, egenis, qui genus humanum, demonum fallacia peſſundatum, ab errore ad veritatem, à ſcelere ad innocentiam, à nequitia ad ſanctimoniam, denique à falſorum deorum innumerabili multitudine, & abominandis ritibꝰ, ad vnius veri Dei agnitionem, & verã ſanctamque religionem reducerent. Sed enim à Slauis, cæteriſque Septentrionalis plagæ populis diutius, quàm ab alijs gentibus, inueterata illa de multis dijs opinio & ſuperſtitio retenta eſt, cùm propter barbariem & feritatem, vt equidem exiſtimo, difficilis ad eos externis hominibus eſſet aditus: nec verò multum homines militiæ & bellis dediti, de religione diſquirerent. Colebant itaque pro dijs Poloni, & cæteræ Slauici nominis gentes, præcipuè Iouem, Martem, Plutonem, Cererem, Venerem, Dianam: quos Ieſſam, Ladum ſiue Ladonem, Niam, Marzanam, Zizililiam, Zieuanam ſiue Zieuoniam, vocabant. De his eadem quæ cæteri homines ferè ſentiebant: his delubra lucoſque dedicabant: his ſimulacra & ſacerdotes conſecrabant: his libabant, his immolabant: his feſtos dies epulis, choreis, plauſibus, cantibus, luſibuſque varijs indulgentes, agebant. Quem ritum feſtorum dierum Dlugoſſus vſque ad ſuam tempeſtatem, aliquot poſt ſuſceptam religionem Chriſtianam ſeculis, perduraſſe memorat.

Religiones falſæ. *Gradus impietatis.* *Chriſtiana religio.* *Ieſus Chriſtus.* *Apoſtoli.* *Slaui diutius falſas religiones retinuerunt.* *Polonorum & Slauorũ dij falſi.*

Solitos enim viros & mulieres, ſenes & iuuenes, ad luſus & choreas pariter conuenire ijs diebus, quos nos Pentecoſten vocamus: eumque cœtum, Stado, quaſi gregem vel armentum, appellatum eſſe. Nec ſcio an hoc ſit, quod Ruſſi & Lituani, præſertim in pagis, adhuc retinent, dum Ladonem choreas ducentes, & manibus complodentes, ingeminant. Fuiſſe verò Gneſnæ ſanctiſſimum Niæ ſiue Plutonis templum, idem Dlugoſſus refert. Adhæc autem Ziuie, quaſi tu dicas vitalis (aura nimirum) Pogoda, hoc eſt, ſerenum, ſiue temperies: Pochuiſt, quam Miechouienſis auram, nos intemperiem interpretamur, (indeq; Pochuiſcel à Maſouijs adhuc cæli

Ludi priſci in Polonia. *Stado.* *Niæ templũ Gneſnæ.* *Pochuiſcel.*

cæli intemperies dicitur) Polonis dij fuêre. Sunt qui his addunt Lelum, & Polelum, quos in conuiuijs & compotationibus appellari adhuc audimus, eosque Castorem & Pollucem esse autumant. Piorunum autem, hoc est, fulmen, & Stribum, & Chorsum, & Mocossum Rusi peculiariter coluêre, vt proditum est eorum annalibus: Balthici verò sinus accolæ Radogostum, Suateuitum siue sanctum Vitum, & Proue. In hoc igitur errore & vana superstitione hæc natio diu perstitit. Primi Slauorum Bulgari, Nicolao eius nominis primo Pontifice maximo, post annum Christi octingẽtesimũ: sexagesimũ: hinc minus quàm triginta annis interiectis, proximi his Rascij, Serbi, Bosnenses, Croatæ, Dalmatæ, Illyrij, Suatoplugo siue Sueropilo, vt est apud Blondum, regnante, religionem Christianã, cultumque ciuiliorem à vicinis Græcis & Italis acceperunt. Venceslaus Boemus ac Dubrauius Suatoplugum hunc apud Morauos, Velegradi domicilium habentem regnasse, & cum ea gente Christo nomen dedisse, eiusque opera Boriuoium Boemorum ducem & ipsum Christianum factum esse, & vxorem Ludimilam gentemque suam in eandem sententiam adduxisse, circa annum Christi 900. memorat. Dlugossus verò tres duces Slauorum, Roscislaum, Suatopolcum, & Cocelum à Græcis Christianæ religionis leges accepisse vult, circa octingentesimum annum, imperantibus in Oriente quidem Michaele, in Occidente verò Arnolpho, qui pediculari morbo perijt. Nos Blondum & Sabellicum, vtpote diligentiores, & qui magis sibi constant quàm Dlugossum, in supputatione horum temporum sequi malumus. Præclaram autem his populis noua religione imbuendis operam nauarunt Methodius & Cyrillus episcopi: à quibus & illud perfectum est, assentiente Pontifice maximo, vt Slauis sua lingua in sacris vti liceret. Aliquanto pòst Rusi, imperantibus apud Græcos Basilio & Constantino fratribus, Ioannis Zimiscæ filijs, post non gentesimum octogesimum annum à Christo nato, hoc est, 6497. ab orbe condito, vt ipsorum annales habent, publicè ad eandem religionem accesserunt: cùm Volodimirus dux eorum Suentoslai, siue, vt alijs placet, Stoslai è concubina filius, sororem imperatorum in matrimonium, & magistros religionis Græcos accepisset: ac Metropoliten quidem Kiouiæ, archiepiscopum verò Nouogrodi, in alijs autem vrbibus episcopos à Constantinopolitano patriarcha sacris initiatos, collocasset. Itaque ergo Græcos ritus ex eo tempore Rusi mordicùs retinent. Tametsi scribit Zonaras, aliquanto antè Rusis à Basilio Macedone Imperatore Constantinopolitano episcopum missum esse, eiusque opera eos publicè religionem Christianam suscepisse, cùm flagitantibus ipsis miraculum, codex Euangeliorum in ignem ab eo coniectus illæsus mansisset. Sed mox eos ab ea rursus desciuisse, illud argumento est, quod Olga siue Helena Volodimiri auia, postea Zimisce, vel, vt est apud Zonaram, Constantino Leonis filio imperã te profecta Constantinopolim, Christiana facta esse, ipsorum Russorum annalibus memoratur. Lambertus Saffnaburgensis, qui ante quingentos ferè annos Chronicon rerum Germanicarum annotauit, scribit, anno Christi nati 960. Rusciæ gentis legationem ad regem Ottonem primum venisse, orantem, vt sibi episcopus aliquis, qui religionem Christianam apud se docendo propagaret, mitteretur: missumq́; esse Adalbertum, qui vix manus eorum effugerit. Sed hallucinatur Lambertus. Nisi fortè Rugiæ, ac non Rusiæ, neque Rusciæ legendum est. Fuit enim Adalbertus non Boemus quidem, de quo nos paulo pòst attingemus: sed Germanus, primus Magdeburgensis archiepiscopus, cum alijs quinque episcopis ab illo ipso Ottone Slauis Saxoniam & Rugiam tunc incolentibus datus: quemadmodum scribit Helmoldus presbyter, cuius Chronica Slauorum ante annos 400. ferè scripta, nunc demum in lucem edita sunt. Qui si Russos docuisset, cum Romanis ij, non cum Græcis sentirent. De Rusis verò certiora sunt, quæ ipsi de se memoriæ prodidêre: qui Volodimirum adhuc impio dæmonum cultui deditum, misisse exploratores ad nonnullas gentes ferunt, cognoscendarum religionum gratia: Christianamque ipsi in primis apud Græcos & Constantinopolitanos placuisse. Aliquanto autem ante Poloni, Miecislao authore, & ipsi Christo nomina dedêre. Quod quomodo & quando factum sit, omissis ijs quæ superius attigimus, cum ipsius Miecislai principatu pariter prosequemur.

[Marginalia: Russorũ dij. — Bulgari Christiani facti. 860. ann. — Rascij, Serbi, Bosnenses, &c. Suatoplugus. — Morauι. Velegradũ. — Boemi. Boriuoius & Ludimila. 900. ann. — Methodius & Cyrillus episcopi. — Slauicæ linguæ vsus in sacris. Rusi. — Ioannes Zemisces Imp. Constantinop. 980. ann. 6497. mundi annus secundum Rusos. — Rusi Græcorum sectam amplectuntur. Zon. annal. tom. 3. — Olga. — Lamb. Saffnaburgensis error. 960. — Adalbertus episcopus. — Poloni Christiani.]

MIECISLAVS.

Peracto Gnesnæ solẽni ceremonia Ziemomysli funere, Miecisla⁹ filius principatũ suscepit: & iustè quidem admini-

strabat, sed tamen infra spem omnium, diuinorumque vaticinia, quorum superiori Libro meminimus: ex quibus præclarum quiddã & eximium Poloni de ipso sibi vulgò pollicebantur.

Vxores septem.

Vxores septem barbarico more duxit: ijsque & libidini suæ liberius indulgens, nullos suscipiebat liberos.

Christianismi occasio apud Polonos.

Erant iam tũc inter Polonos nonnulli, qui peregrè reuertentes à Boemis & Morauis, religionem Christianam domum referebant. Erant & externi partim in ministerio & comitatu principis, partim mercaturũ in Polonia exercentes, partim etiam in recessibus syluarum & solitudinũ, quo liberius cultui diuino vacarẽt, degentes, Christiani non pauci. His monentibus atque suadentibꝰ, & religionis Christianæ veritatem castitatemque prædicantibus, posteritatem denique & felicitatem principi, si eam religionem amplecteretur, pollicentibus,

Dãbrovuca Boema Miecislai vxor.

Miecislaus priores vxores dimittit, Dambrovucamque Christianam, Boleslai primi Boemorum ducis filiam virginẽ, de consilij sententia nouo matrimonio sibi iungit.

Boemorum ducum propago.

Libet autem hic Dambrovucæ huius ac Boemorũ ducum genꝰ paulo altius repetere. Præmislus rusticus, Boemorum princeps, Nezamislum filium è Libussa susceptum, successorem reliquit: huic Mnata filius successit. Hunc porrò Voien filius, quem Aeneas Syluius Vorcium vocat, excepit: post hũc filij Cresomyslꝰ & Vuratislaus principatũ inter se partiti sunt, ita vt Cresomyslo Vissegradensis, Vuratislao Lucensis siue Zatecensis cederet. Huic Vulastislaus, illi Neclã, filij successêre. Neclã porrò, victo & interfecto Vulastislao patruele, & filio eius Zbislao puero, Turingi curatoris fraude sublato, principatũ Boemorum redintegrauit. Hunc Hostiuitus filius excepit:

Boriuoius dux Boemorum primus Christianã religionem fundauit in Boemia.

cuius filius Boriuoius, primus Boemorum principum, cum vxore Ludimila, quemadmodum superius attigimus, religionem Christianam in Boemia fundauit: priuatamque vitam secutus, Spitigneuo filio natu maiori, deinde eo breui sine liberis vita defuncto, Vuratislao minori principatum concessit. Hic autem è Dragomira vxore impia, & à Christiana religione aliena, Venceslaũ & Boleslaum

Diuersæ educationis diuersi fructus

filios suscepit. Quorũ hunc mater, illum auia, suis vtraque moribꝰ conuenienter cùm educasset, patre mortuo sic ij diuisẽre dominatum, ut Australẽ oram ad Albim vsque Venceslaus, inde porrò Septẽtrionalem Boleslaus obtineret.

Venceslaus à fratre occisus.

Sed crudelis & impius Boleslaꝰ, pio sanctoq; fratre, cui Otto Imperator diadema imposuerat, per dolum interempto, redintegrauit rursus principatum:

Dambrouucæ parentes.

& ex Brena vxore Boleslaum filium, & hanc, de qua nunc agimus, Dambrovvcam suscepit. Paulo aliter hæc Ioãnes Dubrauius. Sed nos Dambrovucę nuptias persequamur. Quæ posteaquã Gnesnã splendido comitatu aducta est,

Miecislaus fit Christianus.

Miesca siue Miecislaus princeps baptismo, vt conuenerat, ritu Christianorũ initiatur, & subsequentibꝰ diebꝰ nuptias magna celebritate peragit, anno Christi nõgentesimo sexagesimoquinto. 965. ann. Deinde Boemos, qui nouam nuptam deduxerant, honorificè habitos, & splendidè donatos, remisit.

Religionis propagandæ cura.

Mox totum sese ad propagandam per omnem principatum suum religionem, hortante & adiuuante vxore, conuertit.

Episcopæ & Basilicæ primæ in Polonia.

Basilicas nouẽ diuersis locis ædificat, easque supellectili omnis generis preciosa ornat, censibus & possessionibus locupletat: & in dioeceses distributas, duas quidem ex his archiepiscopis, nẽpe Gnesnensem & Cracouiensẽ, reliquas verò, hoc est, Posnaniensem, Smogorouiensem (q̃ postea Bicinensis, ac demũ Vratislauiẽsis dicta est) Crusuiciensem, quæ Vuladislauiam successũ tẽporis translata est, Plocensem, Culmẽsem, Lubussensem, & Camenẽsem, singulis episcopis attribuit:

Decimæ episcopis attributæ.

ijsq; decimas omnis generis frugũ, de suis iuxtà ac nobilitatis, plebisq; agris edicto ꝑpetuo adscribit, ita quidẽ, vt eæ decimæ post messem ab ipsis aratoribus, ad constitutũ locum cõuehantur. Inde autem inferioris ordinis sacerdotibus & ministris ecclesiasticis, prælatis videlicet, vt vocantur, Canonicis & parochis, siue parœcis, in sua cuiusque diœcesi certæ portiones episcoporũ arbitrio iure sempiterno decisæ & attributæ sunt, vt essent ij socij, consiliarij, & administri ipsorum in propagãda ac tuenda religione, cultuq; diuino. Quibus etiam pagi, prędia, & possesiones à principe, & locupletioribus quibuq; adiũctæ sunt. Templa etiã in oppidis & pagis permulta, studio pietatis certantibus inter se omnibus, extructa. Anonymus quidam vetustus rerum Polonicarum annotator verius quàm scriptor, Cracouiæ quoque initiò non Archiepiscopum, sed Episcopum vult esse constitutum: deinde verò Aaronem Abbatem Tinecẽsem à Benedicto papa nono primum Archiepiscopum Cracouiensem renunciatum esse: eam verò prærogatiuam successorem eius proximum, Lampertum Zulam, neglexisse. De Culmensi quoque episcopa Dlugosso non assentior. Longè enim posterius eam conditam esse,

ac

Culmensis episcopa quando condita sit.

ac de Plocensi quasi deductã, certa extant monumenta literarum cùm alibi, tum in archiuo regio Cracouiensi, quẽadmodum suo loco indicabimus. Nisi fortè initio quidem à Miecislao conditam, posterius verò à Prussis subacta ea regione deletam, ac deindeà Conrado Masouiorũ duce denuò resuscitatã potius quàm conditã fuisse, existimare volumus. Vt vt est, tunc quidẽ primùm episcopæ & basilicæ in Polonia conditæ, & solenni ceremonia dedicatæ sunt. His autem rebus perficiendis AEgidius Cardinalis, episcopus Tusculanus, Ioannis tertijdecimi Põtificis max. qui per illud ipsum tempus Leoni octauo successerat, legatus præfuit: qui primos Archiepiscopos & Episcopos Italici, nõnullos etiam Gallici & Germanici generis fecit. Quod deinceps quoq; aliquandiu factitatũ est, cùm nostri rudes adhuc essent, & nouitij. Horum itaque opera, studio atq; diligentia religio Christiana celeriter magna cepit incrementa in Polonia, præsertim cùm alij muneribꝰ & honoribꝰ à pio principe, ditionem suam omnẽ eius rei gratia circumeunte, allicerẽtur: alij minis adigerentur: deorũ simulacra vbique in oppidis atque pagis confringerentur, cõburerenturq;: & vani priscę superstitionis ritus atque ceremoniæ abolerentur à magistratibus edicto regio, constituta ad eam rem publicè peragendam septima die Martij. Repræsentari autem eius rei memoriam etiam sua ætate Dlugossus testatur, quòd in pagis quibusdam simulacra Marzanæ & Zieuoniæ contis præfixa, vel (vt nos è maioribus natu didicimus) trahis imposita cum querulo & lugubri cantu vulgò in pompa gestari, & in paludem, vel in flumen abijci soleant, ea die, quæ est quarta Dominica Quadragesimæ. Dũ in his totus est Miecislaus, nascitur ei filius ex vxore Dambrovuca, anno Christi nongentesimo sexagesimoseptimo, vt vult Dlugossus: eique apud sacrum fontem aui materni Boleslai, qui ꝑ idipsum tẽpus è viuis excesserat, nomẽ imponitur. Adulto deinde, pater viuens adhuc vxorẽ accepit Iudithã, Geisæ siue Iessæ Vngarorũ principis affinis sui filiã, ex priore vxore susceptam. Nam ea mortua, sororem ei suam Adleidam Miecislaus in matrimonium collocarat: à qua persuasus Geisa, cum Vngaris suis Christianam & ipse religionem quinto post Polonos anno suscepit, queadmodũ Dlugossus & Vapouius memorãt. Vngarici annales nullam Adleidę huius, aut omnino alterius vxoris Geisæ, mentionem faciunt: sed eum Christianum iam antè factum Vngaros ad suscipiendam religionem eandem adduxisse, & ex Ascolta Giulæ Transyluanorum ducis filia Stephanuum filium & hæredem reliquisse. Quanquam certam eius temporis historiam Vngari non habent, nec satis sibi constat etiam in temporũ ratione Bonfinius: nec nos litẽ hanc dirimemus. Illud quidẽ constat, vel eodem tẽpore, vel certè paulo posterius Vngaros, quàm Polonos, populariter cũ suis principibꝰ Christo nomina dedisse, Stephanumq; Geisæ filiũ à Diuo Voicecho siue Adalberto (de quo paulo pòst plura narrabimus) primis Christianorũ mysterijs initiatum, vel certè confirmatum esse, anno pòst Christũ natum nongentesimo nonagesimo. Anno 974. narrat Dlugossus acrem & niuosam hyemem à principio Nouembris vsque ad ęquinoctium vernum in Polonia perdurasse. Tertio autem anno pòst, Dãbrovvcam rebus humanis exemptam esse, quæ serto & corona redimita incedere, nec vnquã velare caput solita sit. Pijs autem & quietis consilijs ferè principatũ suum Miecislaus annis trigintaquinque administrauit: præter, quòd cum Vulodimiro Russorum duce, ditiones suas inuadente, necessarium bellum gessit, successu quidem vario, iam huc, iam illuc inclinante victoria, euentu verò nõ satis prospero. Nam Præmisliam, Ceruenum, & aliquot præterea arces & oppida à Vulodimiro capta amisit. Quo planior autem decurrat historia, non abs re fuerit, Vulodimiri genus paucis repetere: à quo Kiouiensium, ac totius Russiæ duces, cũ quibus multa bella nostri gesserunt, orti sunt. Iorus, siue Igor Rurici filius, Kiouiæ ac Nouogrodi principatum obtinẽs, multa cum Græcis Imperatoribus bella prospero euentu gessit: itoq; cum eis fœdere, à Dreslianis siue Drevvlanis populis (qui nescio an Bulgari sunt, à lignis vel syluis ita dicti) cum grauibus tributis eos premeret, Corostani interfectus est. Luitprandus, Ingerum Russorum regem (sic enim ille eum appellat) cum ingenti classe venientem, à Romano imperatore Constantinopolitano, nauali prelio victũ, & magna strage repulsũ esse prodidit. Zonaras aũt suppresso nomine ducis, Rossos quindecies mille nauiũ classe vrbẽ Constantinopolim adortos, & à Græcis ita ꝓfligatos esse memorat, vt ex omni numero paucæ naues euaderent: atq; ita eos postea lacessendis Græcis abstinuisse.

Falsò

Legatus Põtificis max.

Episcopi Italici in Polonia.

Religionis propagandæ studium in Miecislao.

Simulacrorum demersio.

Boleslaus natus 967. ãn.

Boleslai vxor Iuditha.

Vngari Christiani facti.

Bonfinius.

Stephanus Geisæ regis Vng. filius.

Anñ. 974. hyems aspera.

Dambrouũ ca mortua.

Russicũ bellum.

Præmislia amissa.

Vulodimiri Russorũ dux.

Russorum principum stirpe.

Igorus.

Dreslianĩ.

Corostani...

Luitprand. rerum per Europ. gest. lib. 5 cap. 6.

Ingerus rex.

Zon. an. al. Græc. tom. 3.

Rossi profligati.

Quo anno debuit esse sub littera Dominicali C? NB

Si septima Martii erat Dominica Laetare hoc est quarta Quadragesimae Pascha fuit 28 Martii, quod non potest contingere nisi anno 997 quo martyrium subiit Sanctus Adalbertus

Zonaræ lapsus. Falso autem is putat, Rossos à Tauro mõte profectos esse. à Taurica peninsula rectius scripsisset. *Taurosc ythæ.* Et inde enim ij Taurosc ythæ appellari potuêre: quo nomine ipse eos nonnũquam appellat. Post Iori mortem, *950. ann.* circa annum Christi 950. vxor eius Olga vidua principatum aliquandiu administrauit. Drevvlanosque dolo vlta, Suentoslao filio, cùm adoleuisset, principatum tradidit: *Olga vidua Constantinopoli facta Christiana.* & Constantinopolim profecta Ioanne Zemisce imperante, religionem Christianam suscepit. *Suentoslaus* Suentoslaus verò (Sphendosthlabum Zonaras appellat) nequicquam suadente matre, vt ipse quoque Christianus fieret, in impietate perseuerans, agros Bulgariæ longè lateque populatus est: eáque subegit, septuaginta arcibus secundum Danubium captis. *Piecinigi, siue Peucini, et Pacinacæ.* Reuocatus autem à matre, Piecinigos (quos Zonaras Pacinacas vocat, Vapouius Peucinos esse vult.) eius oræ, qua Danubius in Pontum influit, populos ditionem suam infestantes, & Kiouiam obsidentes, repressit. Sed ab his deinde, cùm eis vicissim bellum inferret, cæsus est. Zonaras eum apud Dorostolum siue Dristram, *Pereaslauia* capta Pereaslauia, quam ipse Perstlaben appellat, magna clade à Zimisce Imperatore afflictum, & pace æquis conditionibus impetrata ad sua reuertentem, à Pacinacis insidijs exceptum & interfectum esse memorat. Adhuc autem viuens is principatum inter filios Iaropolcum & Olgum, *Iaropolcus. Olgus. Vulodimirus dux.* ex iusta vxore natos, partitus erat: Vulodimirum porrò è Malussa concubina susceptum, Nougrodensibus petentibus principem dederat. Sed non diuturna mansit concordia inter fratres. Post mortem enim patris, *971. ann.* & annum Christi 971. Iaropolcus Kiouiensium dux Olgo fratri Pereaslauicensium duci bellum intulit, incitante Suenceldo, (qui principem gratiæ & honoris locum apud Iaropolcum obtinebat,) quòd filium eius Olgus interfecerat: Olgoque suorum perfidia perempto, dominatum eius in potestatem suam redegit. Nec multo pòst ipse quoque Iaropolcus à Vulodimiro per speciem colloquij euocatus, similem exitum habuit. Vulodimirus verò paterno principatu omni potitus, finitimos Bulgaros, Croatas, Viaticos, Dulepios, & Iazygas, *Vulodimiri res gestæ, et vxor.* quos Iazvuingos nostri vocant, subegit, ac tributarios sibi fecit. Cum Piecinigis quoque, siue Peucinis prospero marte bella gessit. Imperatoribus Constantinopolitanis Corsunum vrbem Põti, *Sabell. Enne ad. lib. 2.* quam Chersonam vocat Sabellicus, eripuit, ductaque in matrimonium Anna sorore imperatorum Basilij & Constantini, & religione Christiana suscepta, reddidit. *Russi Polonorum fines infestarunt.* Quibus successibus elatus, proximas Polonorum ditiones adortus est: & quas dudum memorauimus munitiones, *985. ann.* anno Christi nongentesimo octuagesimoquinto, de ipsis cœpit, quemadmodum Dlugossus scriptum reliquit. Russorum annales nullam cuiusquam expeditionis Vulodimiri huius contra Polonos mentionem faciunt. *Hageci error.* Venceslaus autem Hagecus memorat, Miecislaum viuente adhuc Boleslao Pio Boemorũ duce, Dambrouucæ fratre, anno Christi 994. crebris incursionibus Boemiam tunc infestasse, cùm Vulodimirus illas, quas dudum memorauim9, munitiones Polonorum in potestatem suam redegit. Contra quẽ cùm Miecislaus, Boemis omissis, duxisset exercitũ, & bello illo Russico distineretur, *Boemicum bellum.* Boleslaum magnas Boemorũ copias duce Crasota Suchoradio in Poloniam immisisse: & cùm alias munitiones, tum Cracouiam expugnasse, & præsidijs muniuisse. Sexto demum anno pòst, cũ Boleslao Pio Boemorum principi extincto, filius Boleslaus terti9 in principatu successisset, à Miecislao & Boleslao filio eas recuperatas esse, eiectis & ad internecionem cæsis Boemis. Sed viderit Hagecus, quẽ secutus sit authorem in eo, quòd Miecislaum, mitem, & quietis amãtem principem, nulla iniuria prouocatum, cum affine suo Boleslao bellum gessisse vult. Nostrorum quidẽ nemo quicquam eiusmodi memoriæ prodidit. *Vitichin. de gest. Sax. l. 3.* Vitichindus verò etiam adiutum esse à Boleslao socero Misicam ducẽ (sic fortassis ille Miesconẽ siue Miescam appellat) Ottonis imperatoris amicum, contra Vigmãnum, & concitatos ab eo Vuoloinos Slauos, indicat. Nisi fortè alius è Miecislao nostro hic est Misica, vnus fortè de posteris Popieli: quem Vitichindus Licicauicorũ Slauorum ducem siue regem appellat: qui potuit & ipse gener esse Boleslai Boemi, sed fratris potius, quàm patris Dãbrouucę: si diligentiorẽ temporum, quibus hæc gesta esse vult Vitichindus, rationem ineamus. Scribunt quidẽ nostrates Dlugossus & Vapouius, Miecislaum vnà cum filio suo Boleslao fecisse expeditionem in Boemiam, *Boemicum bellum.* sed post Russicũ illud bellum, & post mortẽ Boleslai Pij, in gratiam filij ipsius pupilli, cui & ipsi Boleslao nomen fuit: cuius imperium proceres Boemi proteruè contemnebant, & bona principis inter se diripiebant. idq; bellum magna celeritate ab eo confectũ esse, *Praga expugnata.* Praga metropoli, quæ sola ipsi venięti

portas clauserat,expugnata,præsidioque militum aduersus rebellionem procerũ in ea relicto. Cracouiam quidem à Miecislao & Boleslao Polonorum principibus expugnatam & receptam esse:& quidem anno post Christũ natum 1000.nẽpe altero post Miecislai mortẽ,falso Venceslaus & Dubrauius affirmant. AEneas verò Syluius eam ipsam vrbem per fraudem à Mescone Polonorũ principe Boemis ereptam esse refert:qua de re nos paulo inferius in Boleslao, sentẽtiam nostrã exponemus. Nunc de Russico & Boemico Miecislai bello hæc dicta sufficiant. Cæterùm quò augustiorem posteris suis principatum relinqueret Miecislaus,hortante senatu, Lampertum Cracouiẽsem archiepiscopum,siue episcopum, virum doctum & eloquentem oratorem mittit ad Benedictum eius nominis septimum Pontificem maximum,vt regium diadema sibi mitteret,regemque Polonorũ se & posteros suos esse iuberet. Quo tempore etiam Stephanus Geisæ filius, post defunctum patrem Vngariæ princeps, eadem de re miserat. Atque ille quidem impetrauit: (quanquam Vngari vulgò crediderunt, ab angelo cœlitùs ei diadema esse allatum & impositum.) Nostro negatum est,vel quòd de morte eius nunciatum esset: vel quòd differre eam rem Pontifex diuino oraculo iuberetur: eò quòd Poloni venationibus,rapinis ac cædibus mutuis dediti, duri & immanes, contumeliosi & asperi aduersus tenuiores atque subditos, minus castè religionem colere dicerentur. Regnauit Miecislaus annis trigintaquinq; ferè: mortuus verò vicesimosecundo post vxorem lectissimã & pientissimam fœminã defunctam, & nono post natum sibi nepotem Miecislaum anno, Posnaniæ honorificè sepultus est. Qui annus fuit à Christo nato nongentesimus nonagesimus nonus. Non videtur silentio prætereundũ esse, quòd sub hoc principe mos inoleuit apud Polonos,vt homines equestris ordinis in templis,dum sacerdos apud altare pronunciat vnde recitaturus sit Euangeliũ,gladios mediotenus stringerẽt, quasi profitentes Euangelij & religionis defensionem. Choro autem respondente, Gloria tibi Domine: rursus reconderẽt. Diuque hic mos mansit in Polonia. Fuerunt etiam hoc tẽpore in solitudine apud Donaiecium fluuium,qui è finibus Vngariæ profluens, Vistulæ apud Opatouecium oppidum miscetur, duo monachi sanctimonia vitæ celebres: quorũ Benedictus ab Vngaris,quòd Christum profiteretur,

Diadema regium à Pontifice max. petitum.

Vngarici regni principium.

Polonorum mores antiqui.

Miecislai regni & vitæ finis.

999. ann.

Mos distringẽdi gladiũ, dum Euangelium recitatur.

Donaiecius fluuius.

Benedictus & Suiradus monachi.

cæsus: Suiradus post vitam durissimè exactam,in monasterio Mõtis ferrei in Vngaria,quò ambo commigrarãt,sua morte absumptus est.

BOLESLAVS PRIMVS REX, COGnomento Chrobry.

SVscepit paternum principatum Boleslaus,summa Polonorum omnium voluntate: quippe quos non indoles tantùm eius egregia,sed specimen etiam virtutis nec vulgare, nec vnum viuente patre ab eo editum, spe optima impleret. Nam præter ingenij prompti & perspicacis,ad omnia cum decoro atque dignitate sese accommodantis, acrimoniam: præter studium laudis, rerumque & hominum militarium singulare: præter animi deniq; magnitudinem summo principe dignam, elucebat in eo rara modestia, verecundia, comitas, suauitas morũ grauitate temperata: nullum intemperans dictum aut factum, sordes nullæ, sed cum delectu ac iudicio paulatim sesè proferens liberalitas, & cæteræ mitiores virtutes, quæ magnoperè adolescentiam commendant. Nec sanè spem & opinionem hominum fefellit. Hic enim princeps, Polonorum nomen regia dignitate, externorum principum necessitudinibus, & clarissimis rebus gestis vehementer illustrauit: militarem disciplinam auxit: regni fines longè lateque propagauit: religionem stabiliuit, & augustiorem reddidit: denique feros & agrestes homines ad ciuiliorem aliquanto vitæ cultum redegit. Quæ priusquam explicemus, operæpretium est paulùm ab instituto cursu deflectere: quò maiorem sequenti historiæ lucem afferamus. Erat apud Boemos secundus ordine Pragensis episcopus Voicechus, qui Adalbertus ab externis appellatus est, vir nobilis, & sanctimonia vitæ, pietatisque studio clarus. Is Boemicæ pertinaciæ in retinendo impio idolorum cultu, & feritatis, iniustitiæ, rapinarum, & neutiquã conuenientium Christianæ professioni morum pertæsus, cùm crebris admonitionibus acribusque obiurgationibus nihil proficeret apud populum, atque adeò multos etiam infestos sibi reddidisset, Romam primùm, ac deinde impetrato à Pontifice max. commeatu, tentatis tamen iterum, an resipiscerent, Boemis, in Vngariam, Razimo siue Gaudentio, quẽ in loco fratris habebat, & aliquot alijs viris religiosis comitantibus, profectus erat: ibique annum & amplius commoratus, Geisa principe cum vxore fauentibus, Vngaros religione Christiana non

Boleslai virtutes.

Boleslai merita erga Poloniam.

Voicechus, siue Adalbertus episcopus, vir sanctus.

Boemorum priscorum mores.

Adalberti iter in Vngariam.

ita pridem, nec vniuersè adhuc suscepta, per interpretem accuratius imbuit: Stephanum eius filium vel baptizauit, vt volunt quidam, vel baptizatum iam antè confirmauit. Inde in Poloniam ire perrexit. Acceptus honorificè à primoribus & cetera multitudine, & ab ipso Boleslao duce, eandem Polonis, quam Vngaris, nauauit operam, cùm Cracouiæ & in itinere, quà veniebat, tum Gnesnæ in primis: & eò quidem maiore studio & alacritate, quòd linguæ & sanguinis cognatio Boemis suis cum Polonis intercederet. Mortuo verò illis diebus Roberto Gnesnensi archiepiscopo, Adalbertus magnis principis precibus exoratus, quemadmodum volunt nostrates, sufficitur. Sed nō multo interiecto tempore, viso nocturno diuinitùs admonitus, iam inde ab initio susceptam ad Prussos, de quibus paulo pòst dicemus, peregrinationem, ægrè dimittentibus eum principibus, persequitur: relicto pro se Gaudentio, siue Razimo archiepiscopo. Ibi dum religionem Christianam magna cum difficultate & patientia disseminat, à gente barbara & immani, dæmonū & idolorum sacrificulis cum antistite instigantibus, veneranda mysteria peragens propè oppidum sinus Venedici, siue Sarmatici, quod Fischausum Germani postea dixêre, confossus interficitur, die vicesimatertia mensis Aprilis, anno Christi nongentesimo nonagesimoseptimo. Cuius corpus postea Boleslaus dux, dilata in aliud tempus vltione, à Prussis redemit: & minimo quidem, propterea quòd appensum in statera corpus, perexiguum ponderaret, diuina (vt creditum est) virtute efficiente. Tantum enim argenti, siue auri, vt alij volunt, barbari pacti erant, quātum corporis pondus adæquaret. Deductum solenni pompa, primùm in Tremesnensi monasterio collocauit: nec multo post ad Gnesnensem basilicam trāstulit. Nec mora, cœpit locus & monumentum inclyti martyris Christi plurimis & salutaribus humano generi clarere miraculis. Hac igitur fama motus Otto Ruffus, tertius eius nominis (quamuis Crantius secundum fuisse velit) imperator Rom. ab Italica siue expeditione, siue peregrinatione reuertens, cum permagno & splendido comitatu pacatus in Poloniam ad sepulchrum noui martyris venit, siue ex oluendi voti, quod graui morbo implicatus vouerat, gratia: siue expiandi sceleris causa, quo comitem quendam insontem, calumnia libidinosæ vxoris suæ incitatus, pro adultero indicta causa interfici iusserat. Et erant inter se cum Boleslao Polonorum principe paterni amici. Acceptus est à Boleslao, habitusque vnà cum suis omnibus plusquàm regali magnificētia & liberalitate: & cùm alijs amplissimis donis, tum abaco & instrumēto mensæ omni aureo & argenteo, quod tri duo nouum semper promebatur, aulæisque & vestibus preciosis donatus. Volens autem tam splendido hospiti & amico principi parem referre gratiam, collocutus cum consilio, quod secum in comitatu habebat, regem eum appellat, sociumque & amicum Rom. Imperij, à tributo & omni iurisdictione Imperatorum immunem. Ac diadema, Gaudentio archiepiscopo solennes cæremonias peragente, ipsi imponit: eumque honorem sempiternum ipsi & posteris ipsius, in Polonia regnaturis, esse iubet. His adiungit hospitale munus, lanceam D. Mauricij: quę in basilica Cracouiensi, vbi sedes est episcopi, adhuc visitatur. Dlugossus etiam sacrum clauum addit: quem tamen idem longè pòst à Pont. max. Vuladislao Iagelloni missum esse scribit. Vicissim autem brachium diui Adalberti à nouo rege accepit, quod Romæ in insula apud diui Bartholomæi ædem ab eo postea depositum esse fertur. Et quo arctior firmiorque esset inter ipsos & posteros ipsorum necessitudo, Rixam Hezonis siue Azonis Erenfridi comitis Palatini Rheni filiam, è sorore sua Machtildi susceptā, Miecislao regis filio, puero duodecimū annum agenti, despondet Imperator. Quæ paruula aducta in Poloniā, & à socru educata, duodecimo demùm anno pòst, adulta adulto Miecislao nupsit. Annus autem, quo hæc acta sunt, & Boleslaus rex appellatus est, millesimus prim9 à Christo seruatore nostro nato fuit. His ita peractis, Otto Romam rursus ad sedandos nouos motus contendit: ijsque compositis, sequēti anno cum Gregorio eius nominis quinto Pontifice max. propinquo suo, cui Bruno prius nomen fuerat, constituit, vt penes certos Germaniæ principes semper deinceps libera electio Rom. regis siue Cæsaris esset: nimirum tres archiepiscopos, Moguntinēsem, Coloniensem, & Treuerensem: Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandeburgensem. Quibus postea rex Boemiæ septimus à Rudolpho imperatore adiunctus est, qui paribus illorum suffragijs, controuersiam dirimeret. Nec tamen prius is qui electus esset, Imperator appellaretur, quàm à Pōtifice max. confirmaretur, & ritu solenni vn-

Adalb. in Poloniam aduentus. *Robertus primus archiepiscopus Gesnensis.* *Adalberti in Prussiam iter.* *Gaudentius archiepiscopus.* *Adalberti cædes.* 997. annus *Miraculum.* *Adalberti corpus Gnesnam translatum.* *Miracula.* *Ottonis Imperatoris aduentus in Poloniam.* *Crant. lib. 2. c. 36. Vand.* *Boleslai splēdor & munificentia.* *Regni Polonici initium.* *D. Mauricij lancea.* *Rixa Miecislao desponsa.* 1001. Annus *Otto Imp. Romā profectus.* *Imperij Romani Electores.*

ni vngeretur, atque coronaretur. Conrado autem Sueuo imperãte, quemadmodum scribit Blondus, illud quoque his legibus additum est, vt Imperator designatus, priusquam Romæ à Pontifice confirmaretur, siue inauguraretur, Modoeciæ primùm palea, deinde Mediolani ferro coronaretur. Nõ multo pòst Otto, cũ ex Italia in Germaniã reuerteretur, veneno, vt creditum est, extinctus, Henricum Bauarorum ducem nouo instituto electum, successorem accepit, anno Christi 1003. Boleslaus autem nouus rex, non recuperatis ijs quę Volodimirus Dux Russorum patri ipsius ademerat; pacem cum eo fecit, ad Boemicum bellum spectans, ne pluribus eodem tempore bellis implicaretur. Nam Boleslaus Boemorũ dux, ferox iuuenis, & futuri incogitãs, de quo superius in Miecislao mentionẽ fecimus, improbo quorũdam procerũ suorũ consilio adductus, quòd ij non permissos se à Miecislao, Boemiã pro libidine sua vexare dolerent, Poloniæ fines circum Closcum oppidũ ferro & igni, prędisque agendis vastabat. Mittit ad eum Polonus legationem res repetitum, cognationi ætatique illius aliquid remittens. Componitur pax. Eam non multo pòst Boemus, repetita in Poloniam incursione, rupit. Ibi rex læsam iterum patientiam suam indignatus, & grauibus suorum iniurijs & querelis irritatus, tumultuaria manu Boemum persequitur: quem cùm intra regni sui fines non esset assecutus, auctis copijs Boemiam longè lateque populatus est: oppida & arces partim vi expugnauit, partim in deditionem accepit: Pragam metropolim, & Vissegradum arcem, quò se dux Boleslaus cum Iaromiro filio receperat, biennio filio receperat, biennio obsessam, fame ad deditionem compulit, fautoribus & adiutorib⁹ ad omnia vsus Cochano, & cæteris Rauitis, siue Versouicijs, principe tunc inter Boemos familia. Ducem Boleslaum, ne nouos posset ciere motus, Boemorum suasu oculis priuauit: Iaromirum filium eius, Versouicijs in custodiam asseruandum tradidit: ipse, cùm præfectos, qui nomine suo Boemiam administrarent, partim de suis, partim de Boemis, quos fideles sibi expertus erat, constituisset, præsidijsque opportuna loca firmasset, victorem reduxit exercitum: Vdelricum alterum Boleslai filium, ab Henrico imperatore affini suo, qui tunc bello Gallico valde distinebatur, petenti sibi deditum, cùm in custodia habuisset aliquandiu, non modò liberum, sed etiam equis, vestimentis, satellitibus & viatico lautè instructum, domũ remisit, motus lachrymis & pollicitationibus cognati adolescentis: & quòd sanctè is deieraret, semper se in potestate regis Poloniæ futurũ. Verebatur etiam rex, ne si Rauitæ vel fidem erga se mutarent, vel populi cõsensum reformidarent, Iaromirus, cui propter ætatem paternus principatus debebatur, ex ipsorum custodia elaberetur, & nouos cieret motus. Hunc ergo alterum beneficio suo sibi obligatum, ac dominandi cupidum, illi obijciebat. Is posteaquam ad suos peruenit, principatum suscipit, regi Polono obnoxium ac tributarium: fratrem Iaromirum excæcat, quo minus eum metuat. Ita de hoc Boemico bello Dlugossus, Miechouiensis & Vapouius nostri memoriæ prodidêre. AEneas Syluius, qui postea fuit Pontifex max. assumpto Pij secundi nomine, aliquanto aliter hæc refert. Scribit is, à Mescone Cracouiam Boleslao tertio duci Boemorum per fraudem ereptã: ipsum deinde per inducias, post bellum vtrinq; gestum, & agros vastatos, factas, eòdem ad colloquium euocatum, non seruata fide captum, & luminibus orbatum: comitatum autem eius, exceptis Versouicijs, quos ille Vrsouicenses, ab vrso fortasse vocat, trucidatum: Boemiam vastatam, & in ditionem Polonorum redactam: excepta arce Vissegradensi, quã Iaromirus non filius, sed frater, vt ipse vult, ducis, è manibus Versouiciorũ necare eum volentium, populi concursu liberatus, retinuerit. Vdelricũ postea tertium fratrem, re cognita, ab Henrico imperatore dimissum, Boemiam omnem deiectis Polonorum præsidijs recuperasse, & Iaromiro fratri oculos eruisse: filium Prędislaum, quem ille deprauatè Bizetislaum vocat, (nisi fortè typographi hic error est, quòd secundam literam i pro r posuit) ex Bozena rustica vxore suscepisse, eumque adultum Iutham Ottonis Ruffi imperatoris filiam rapuisse. Eã bellum inter patrem & socerum atque virum, propter se exuscitatum, interuentu suo sustulisse. Tametsi Vẽceslaus Hagecus eam Ottonis, non Imperatoris, verùm Comitis Bauari filiam fuisse vult. Hæc fermè, tametsi non iisdem verbis, AEneas Sylui⁹: vir magnus quidem ille, & in magnis rebus versatus: sed vel Polonis ob negatam episcopam Varmiẽsem, vt aiunt, nimio plus iniquus: vel à Boemis malè edoctus, cum quibus in aula Friderici tertij Imperatoris, qui tũc Ladislai pueri, Boemorum regis, propinqui

sui

Blon. dec. 2. lib. 3.

Imperij diademata.

Ottonis mors.

Hẽricus Imperator I.

1003. Ann.

Boemicum bellum.

Boemia subacta à Polonis.

Praga & Vissegradũ regi Polono dedita.

Rauitæ, seu Versouicij.

Boleslaus Boemus excæcatus.

Vdelricus dux Boemiæ Polono regi tributarius.

Boemi regi Poloni tributarij.

Iaromirus dux excæcatus à fratre.

AEneæ Syluij error.

Prędislaus Vdelrici filius.

AEneas Syluius cur Polonis iniquior.

ſui tutor erat, familiariter vixit. Obſeruare is certè aliquanto diligentius conuenientiam rerum atque temporum debuit, ſi ſcriptis ſuis fidem derogare noluit. Primùm. n. confundit Aeneas hanc expeditionem Polonorum in Boemiã cum ſuperiori, cuius nos in Miecislao mentionem fecimus: & nullam facit Boleslai Poloni, clariſſimi principis mentionem. Noſtri eas diſtinguunt, diſerteque vtriuſque cauſas produnt: nec vllum à Miecislao, ſiue Meſcone, bellum contra Boleslaum affinem ſuſceptum, ſed principatum ei puero ſtatim poſt mortem patris vindicatum memorant: & quidem eo ipſo anno, quo Miecislaus quoque mortuus eſt. Porrò à Boleſlao rege ſuſceptum quidem eſſe bellum contra illũ ipſum Boleſlaum, ſed prouocato iniuria. Et ſanè, vt demus Syluio, quamuis contradicente Hageco, longè pòſt quàm Boleſlaus Boemis in principatu patri ſucceſſit. Miecislaum noſtrũ obijſſe, tamque cupidum eũ fuiſſe, vt affini principatum per ſcelus eriperet, haud ita pridem ſuſceptu, ac tam ſanctè, quàm oſtendimus, culta religione Chriſtiana: eſtne credibile, eum ab obſidione Viſſegradenſi, re infecta, dimiſſaque è manibus victoria, diſceſſurum, & Iaromiro renouandi belli, atque eripiendæ ſibi tanto ſtudio, labore & ſumptu petitę Boemiæ opportunitatẽ relicturũ fuiſſe? Non conueniunt cum tãta cupiditate, tanta incogitantia & ignauia. Iam Cracouia in Polonico ſolo, à Polono condita, & minimum quadraginta milliarijs Germanicis à finibus Boemicę ditionis tũc remota, quî eripi Boemis potuit, quam illi imperio nunquam obtinuerunt: nec ſanè potuerunt, niſi pariter interiacentem partem Poloniæ per magnam, quæ poſtea Sileſia dicta eſt, aut Morauiam etiam finitimã obtinuiſſent? At Sileſia quomodo aut quando Polonis adempta ſit, nuſquam ille oſtendit: nos alibi oſtendemus. Tunc autem eam in Polonorum ditione fuiſſe iam liquere debet ex eo, quòd Smogorouienſem ſiue Vuratiſlauienſem eccleſiam ac diœceſim, quæ Sileſiam ferè omnem cõplectitur, ab iſto ipſo Miecislao, quem Aeneas Meſconem vocat, conſtitutam, & in Gneſneſi prouincia etiam nunc eſſe conſtat. Morauiæ verò permagnam partem à Polonis ſubactam fuiſſe, Arnolpho Romanis imperãte (qui ſunt ſexaginta plus minus anni ante Meſconis tẽpora) ipſe etiã Sylvius teſtatur, & nos ſuperius memorauimus. Boemi verò poſterius in ea pedem poſuêre, vel ipſo Hageco teſte: qui hæc non vidit, cùm Syluium ſequeretur. Quanquam illud tamen animaduertit, non potuiſſe hæc geri à Miecislao ſiue Meſcone, præſertim qđ ad excœcationẽ Boleslai tertij Boemi attinet. Proinde ipſe Boleslao Miecislai filio id attribuit. De Iaromiro quoq;, & Vdelrico, & Prædislao, diſſentit idem à Syluio: propterea quòd ille temporũ rationem ita cõfundit, vt ipſe ſe paulo pòſt refellat. Cùm enim & ipſe Vdelricũ iuuenem etiamtũ ab Henrico imperatore, cuius tẽpora in Meſconis principatum nuſquam incidunt, liberum dimiſſum, ac non Polonorum regi, quemadmodum ſuperius nos diximus, condonatum eſſe ſentiat, mox Prædiſlaum Vdelrici filium, Ottonis imperatoris filiam vxorem ſibi rapuiſſe, eamque contumeliam Ottonem bello perſecutum eſſe vult. At enim, non Otto Henrico, ſed Henricus Ottoni defũcto, & quidem priuſquam naſceretur Prædislaus, in imperio ſucceſſit. Fratres quidem Boleslai huius Boemi fuiſſe Iaromirum & Vdelricum, ac non filios, vt vult Dlugoſſus noſter, atque etiam Hagecus, non difficulter Syluio conceſſerimus. Nam cùm pauciores quàm decem anni, inter ſuperius illud Miecislai, & alterum hoc Boleslai filij eius bellũ, ſecundum eundem Dlugoſſum, interceſſerint, nõ eſt veriſimile, Boleslaum Boemum iuuenem etiamtum, hoc bello adultos iam filios habere potuiſſe. Tametſi Hagecus aliter ſentit de ætate illius, incõſtanter quidem & inconuenienter, vt nobis videtur: de Vdelrico autem fabuloſè etiã, ſicut pleraque alia. Quẽ diuinitus liberatũ è carcere Henrici Cæſaris, & in Boemiam delatum, ſubulci opera cũ paucis adiutoribus Pragã, pulſo ignominioſè Boleslao rege Polono exercituque eius cõciſo, ſe recepiſſe ſcribit. Idem aliquanto pòſt memorat, Boleslaum, cùm bellum contra Vdelricum & Boemos inſtauraret, graui morbo à cœpta expeditione retractum eſſe: reſumptis autem viribus, mox proſecutum intermiſſam expeditionem, Cloſcum obſediſſe: inde verò coorta in exercitu eius dira peſte, quaſi diuinitus admonitum, inglorium ab inauſpicato bello reuertiſſe. Vno autem anno intermiſſo, Morauis eum bellum intuliſſe, totamque Morauiam per uaſtaſſe: nec potuiſſe ab Vngaris inde depelli, ac ne à Boemis quidem, cùm ij Morauis amicis ſuppetias iuiſſent. Ac Morauici quidem belli etiam Vincentius ac Dlugoſſus, & alij noſtrates mentionem faciunt, voluntque illam quoque gentẽ tunc

Polonorum expeditiones in Boemiam

Cracouia an fuerit in ditione Boemorum.

Sileſia pars Poloniæ.

Morauiæ magna pars ſubacta à Polonis.

De Vdelrico duce fabula.

Morani Polono regi tributarij facti. tunc tributariam regi Polono factam esse: Boemici verò istius alterius nemo. Et sanè leiusculus in eo, sicut in plerisq; videtur esse Hagecus. Hęc nos, nō ꝙ dissimulandū nobis esse in historia domesticum aliquod scelus aut crimen existimemus, neque contentionis studio, sed veritatis vindicandæ gratia ab instituto digressi, disputauimus. De quibus liberum Lectori iudicium relictum esto. Vincentius quidem noster, & qui post eum, ante Dlugossum, Polonorum res gestas literis, mandarunt, breuiter, subactos esse ab hoc Boleslao Boemos & Morauos, ac tributarios factos prodidêre. Vtrumque autem bellum, Boemicum scilicet ac Morauicum intra quintum annum post susceptum regnum ab eo confectum est. Deinde anno Christi 1008. quemadmodum Dlugosso placet, Russicum bellum eum excepit, maiore apparatu, ac prolixius, sed non minus prospero euentu gestum. *1008. ann. Rußicum Bellum.* Russiæ principatum amplissimum Vulodimirus viuens inter duodecim filios partitus erat, & Visseslao natu maximo Nouogrodum, Isaslao Poloscum, Stopolco Torouiam (nescio an Tuueram potius) Iaromiro Rostouiam. *Vulodimiri filij.* Nec multo pòst, cùm Visseslaus obijsset, translato Nouogrodum Iaroslao, Rostouiā Borisso, Glebo Muromum, Stoslao Dereuos, Vusieuolodo V Vlodimiriā, Mescislao Torocanū, Stanislao Smolēscum, Plescouiā siue Pscouiā Sudislao, Volyniā Posuisdo attribuerat. Verū ij partitione paterna non contenti, post mortem eius principatus inuicem inter se inuadebant, bellumque ciuile concitabant. *Russorū bella ciuilia.* Ex his Stopolcus, siue Suentopelcus, qui cognita morte patris Kiouiam occuparat, duobus fratribus Glebo & Borisso, quos Russi in diuorum numerum postea retulerunt, dolo occisis, ab Iaroslao tertio fratre, cæsorum necem vlciscente, superatus, & Kiouiensi principatu eiectus, in Poloniam ad Boleslaum regem confugit. *Gleb. & Boriß. sancti apud Russos.* *Stopolci fuga in Poloniam.* Eius rogatu suscepit impigrè Boleslaus expeditionem aduersus Russos, cùm vt exulē supplicem reduceret, tū vt ea q̄ patri suo Miecislao Vlodimirꝰ eripuerat, recuperaret, & regni sui fines cū gloria longius proferret. *Boleslai regis expeditio in Rußiam.* Ingressus fines Russiæ, obiter obuia quæq; populatur, incendit, diripit, arcibus oppugnandis abstinet, quæ tamen perpaucæ munitæ erant. Nam pagis, vicis, & oppidis ferè nulla arte munitis, Russi, itidem atque Poloni, & omnes ferè Septentrionales gentes, antiquitùs habitant. *Septentrionales populi carēt vrbib. munitis.* Iamque ad Luscensem siue Volyniensem oram rex cū infesto exercitu peruenerat. Ibi occurrit ei ad Bugum fluuiū, Iaroslaus cū expeditis suorū copijs, & magnis Varaiorum atque Pecinigorum auxilijs: quarum gentiū memoria quoque iā extincta est. *Bug fluuius Axiaces.* Prior rex Iamedicto Bludi Palatini Russi, Iaroslao charissimi, irritatus, copias suas celeriter armatas fluuiū traijcit: hostes subita re tumultuantes, & instruēda acie impeditos adortus, magna strage, quamuis acriter repugnantes, profligat: castra opulenta diripit: Iaroslaum fugientem persequitur: *Rußi profligati à rege.* quem vbi suis diffisum, in remotiores paludes sese recepisse accepit, Kiouiam, insignem ea tempestate vrbem, cuius amplitudinem & splendorem ingentes ruinæ adhuc testantur, non longi temporis obsidione & fame, propter infinitam hominum multitudinem, quæ vndique eò confugerat, adactam, per deditionem accepit: *Kiouia per deditionem accepta.* intactamque, thesauro tantùm principis in donatiua militum & in sumptus belli ablato, Stopolco restituit. Distributo in hyberna exercitu, ipse Kiouiæ cùm paruo præsidio stabiliendi Stopolco principatus gratia hyemare statuit. Quo explorato, Iaroslaus raptim coacto exercitu, eum securum & inopinantem opprimere conatus est. *Iaroslaus bellū renouans iterū superatur.* Sed re per exploratores regi nunciata, non modò frustratur: sed magna iterum occidione superatus, Nouogrodum, quæ vrbs in ditione eius, patris instituto, erat, profugit. Aliud autem hoc est Nouogrodum in ditione Seueriensi, ab illo quod magnū vocatur: quod quidem ad occidentē solem & Liuoniā vergens, longissimè abest à Kiouia. *Nouogroda duo in Russia.* Nouogrodenses, vt erant potētes & opulēti, ducē suū vlteriorē fugam, abiecta spe omni, meditantē, recreāt, cōfirmant, stipendio militibusque ad instaurandum bellum iuuant. Dum hæc fiunt, Kiouienses pertęsi impendiorū, tamq; diuturnę moræ regis apud se, milites Polonos nihil tale metuentes per omnem occasionem clàm excipere ac trucidare, siue iubente, siue conniuente Stopolco. Hac iniuria commotus Boleslaus, cùm nihil amicè monēdo proficeret, in prædam dat Kiouiam militibus indignantibus. *Kiouia direpta.* Arcē receptam de potestate ducis, & alia quædam loca opportuna præsidijs munit: ipse cum reliquo exercitu, primoribꝰ Russis compluribus, atque duabus filiabus Vulodimiri ducis in loco obsidum deductis (quarū vnam Prædislauam, vt habent annales ipsorum, per vim stuprauerat) primo vere victor in Poloniam reuertitur, cùm tres columnas ferreas per- *Columnæ*

Boleslai in Borysthene. magnas fixisset in Boristhene seu Nepro, ad memoriam victoriæ sempiternā. Discedente Iaroslaus cum valido exercitu, apud Nouogrodū comparato, ad Bugum consequitur: sed tamē victorē, quamuis incomposite reuertentē, ac dilabentem iam, exercitum aperte adoriri nō ausus bene gerendæ rei occasionē clam subsequens captabat. Cuius aduentu ab exploratoribus cognito, rex, reuocatis celeriter quos potuit militibus, pauca apud eos cōcionatus est, quibus eos fiducia superiorum victoriarū ad delendas reliquias bis victi hostis inflāmaret: simul periculi imminentis & ignominiæ admoneret, si pugnam detrectarent, aut adeò trepidarent: & cùm præteritas victorias sibi eripi, tum patriam cædibus & incendijs fœdari, vxores, liberos & parentes suos charissimos in seruitutē & in contumeliam abripi paterentur. His dictis incensos, & ad mortem, si quid durius accidat, pro patria, pro libertate, & pro gloria nuper parta, paratos in hostem ducit. Ille Polonorum paucitate contempta, acriter initio manus conserit: sed vrgentibus nostris, regeque & imperatoris & militis officium faciente, pelluntur Russi. *Russi tertiò profligātur.* Magna in prælio, maior multo in fuga cædes editur, ita vt Bugus sanguine cæsorum rubuisse dicatur. Viui multi in potestatem venêre: capta impedimenta: relata complura signa militaria: dux hostium abiectis ducalibus insignibus, mu- *Russica historia.* tatisque equis euasit. Russorum annales nullam neque secundi, neque tertij huius prælij mentionem faciunt. Sed post discessum regis, Iaroslaū contra Stopolcum arma resumpsisse memorant. Eum verò Pecinigorum auxilium implorasse: commissoque prælio prope eum locum, vbi Borissus interfectus erat, totum diem dubio Marte dimicatū esse: ad extremū, Stopolcum victum in Poloniam profugisse, & in solitudine quadam inter Poloniam & Boemiam hiatu terræ haustū perijsse. Verùm hæc etiam post tertiam victoriam, & posteaquam Boleslaus rex Russia excessit, accidere potuerunt. Ille quidem victor in regnum suum reuectus, vota Deo persoluit: templa complu- *Donaria ex manubijs Deo dicata.* ra, sed Gnesnæ in primis, hostiū spolijs ditauit, ornauitq́; proceres & milites eos, quorum virtus maximè præclaro aliquo facinore enituit, pro meritis collaudatos, ho- *Chrobri.* noribus & præmijs affecit: Chrobri, hoc est, acris appellationē, propter excellentē virtutē & animi magnitudinem à Russis tributā, accepit: indeque nouam arcē, *Chroberſ. arx condita.* vno à Vislicia miliario conditam, Chrobersum nuncupauit: vsus Chabrū Boleslaum pro Chrobro dici obtinuit. Monasterium Secechouiense supra Vistulā in tractu Sendomiriensi Benedictinis sodalibus construxit, conferente patrimonij sui partē Sececho Palatino Cracouiensi, & magistro militiæ Polonæ, ex gente Topororū, à quo monasteriū id nomen accepit. *Secechouiense monasteriū conditū.* Construxerat etiam idē rex iisdem monachis paulo ante Russicum bellū aliud monasterium in mōte Lysecio, siue Caluo, orante & hortante Emerico, Stephani regis Vngariæ filio, viro sancto & casto, q lubens cū Boleslao, ppinquo vitā degebat in Polonia. *Lysecense monasteriū. Emericus sanctus, Stephani regis Vngar. fil.* Atq; is portionē crucis Christi, q̄ Constantinopolitanus imperator patri eius Stephano magni muneris loco miserat, quaque ipse pro amuleto vtebatur, in eo loco reposuit: vbi in hanc vsque diem salutaria hominibus edūtur miracula. *Crucis Christi portio in mōte Caluo.* Hoc tempore, atq; adeò ante Russicum bellum, quemadmodum Dlugosso placet, sex viri religione & sanctimonia vitæ insignes, Benedictus, Ioannes, Matthæus, Isaac, Cristinus, & Barnabas, duram & incultam vitam degebant in solitudine maioris Poloniæ, vbi nunc est Cazimiria oppidum: ex his quinque à consceleratis quibusdam crudeliter excarnificati, pridie Idus Nouemb. interfecti sunt: sextus, qui tunc abfuerat, aliquāto pòst sua morte vitam finiuit. *Sex eremitæ martyres insignes. Cazimiria maioris Poloniæ.* Cū diuo Adalberto eos ex Italia in Poloniā venisse, Hagecus existimat: Dubrauius postea cōsecutos ad Gaudētiū Archiepiscopū venisse, petentesq́; in solitudine illa collocatos: Dlugossus verò, duos ex his Boleslao regi postulāti, à Romualdo Camaldulensi abbate sancto missos esse, his deinde reliquos quatuor nostrates in societatem vitæ sese adiunxisse, scribit. *Romualdus abbas sanctus.* Causa autē sceleris fuit, aurum, quod latrones à Boleslao rege ipsis donatum esse cognouerant, sed repudiatum remissumque ab ipsis nesciebant. Ferunt, tuguria eorum ab ijsdem latronibus incensa, non arsisse: ipsos latrones, cùm exitum sylue non inuenirent, regis iussu cōprehensos, & ad martyrū tumulū alligatos, vt acerbissimum famis supplicium expenderēt, diuinitùs cadentibus vltrò vinculis solutos esse, cùm pœnitentia patrati sceleris ducti, ad Dei clementiam, & eorum, quos dudum necarant, patrocinium confugissent. *Miraculum.* Per hæc eadem tempora Turcæ, Scythica gens, Caucasi montis accola, subacta Armenia, Cappadocia & Bithynia, imperiū in Asiā, Syriamq́; protulerunt, & Ierosolyma vrbem anno Christi 1012. ceperūt. *Turcarū incrementa. Ierosolyma capta. 1012.* Deinde verò ex paruis pudendisque ini-

tijs

tijs,ad tantam,quantam nunc cernimus, magnitudinem imperium suum successu temporum perduxerunt, Christianis imperatoribus & principibus inter se belligerantibus, & ad restinguendum commune quasi incendium nō concurrentibus. Confecto, vt iā diximus, Russico bello, Boleslaus rex, ne sui diuturno ocio torpescerent, & vt ea quæ Poloniæ maiorum suorum negligentia adempta erant, recuperaret, eo ipso anno, cuius modò mentionem fecimus, Saxonibus bellum intulit. Saxones enim, Henrico primo Saxone rege, & filio eius Ottone primo eius nominis Imperatore Rom. regnantibus in Germania pleramque Poloniæ oram, quam Lescum III. inter 20. filios partitum esse suprà narrauimus, partim armis, partim proditione Tugumiri ducis, ditioni suæ subiecerant, quemadmodum superius exposuimus. In hos ergo duxit Boleslaus, & sub signis progreditur, sperans hostes ad dimicationem prælij venturos esse. Quæ postquam eum opinio fefellit (nam hostes in auias syluas ac impeditas paludes sese abdiderant) longè lateque excurrit, rapidi torrentis in modū obuia quæque sternens & euertens: ita vt Meideburgum, siue Magdeburgum, Misna, Hiltenseimum, Mechelburgum, insignia oppida, exitiali illa quasi inundatione & incendio Polonorum consumerentur. Quæ Henricus Bauarus imperator, de quo superius mentionem fecimus, aliquanto pòst à Gallicis & Italicis bellis, quibus tunc impeditus abfuerat, reuersus, instaurauit. Porrò qui Polonici seu Slauici erant nominis, certatim Boleslao, partim propter cognationem linguę & sanguinis, partim clementia & liberalitate eius inuitati, partim etiam metu adacti, sese dedebant. Ita is hostico vexato, vastatoque, cùm nusquam in aciem prodirent hostes, & sua quoque auertendorum nostrorum causa ipsi exurerent, omnem illam oram latissimam, quæ olim à Slauis & Polonis possessa fuerat, vsque ad Albim & Salam fluuios, & Chersonesum Cymbricam, magna celeritate in suam potestatem redegit: Principibus Slauis & Vindis Polonici generis, qui adhuc supererant, Saxonum dominatu liberatis, nullum tributum imposuit. Ac cæterà quidem eos sui iuris esse passus est, sacramento tantùm in sua & successorū suorum regum Poloniæ verba adegit & obstrinxit, & ad suscipiendam religionem Christianam, quam propagare quoquò versus in primis studebat, adduxit. Tametsi Henrici Bauari imperatoris armis eos Christianos factos esse, apud Bonfinium Vngaricarum rerum scriptorem, & alios quosdā historicos reperio: vultque idem Bonfinius, Boemos quoque & Polonos vniuersè ab eodem imperatore armis ad professionem Christi adductos esse. Verùm facile id ratio temporum refutat, cùm vtrāque gentem longè ante hunc imperatorem, religionē Christianam suscepisse constet. Ille enim anno Christi millesimo ac tertio imperare cœpit. Posuit autem Boleslaus rex itidem in ripa Salæ tres columnas ferreas, victoriæ suæ monimentum, & regni Poloniæ limites. Venceslaus Hagecus, nescio quo authore, scribit, Henricum Imperatorem crebris Boleslai in Marchiam Brandeburgensem & Saxoniam excursionibus, duriorique responso legatis suis ab instituto eum reuocātibus dato commotum, cum magnis copijs ingressum in Poloniam, haud longè à Cracouia abfuisse. Ibique duobus prelijs victorem Boleslaum, dum pertinacius fugientes Germanos persequitur, captum, Henricoque traditum, ingenti pecunia sese redemisse. Verùm viderit ille, ne imprudens is Henrico & Boleslao accommodarit, quæ de alijs memoriæ prodita sunt à nostris: & quidem affingens nonnihil, ne dicā multa de suo, quæ nos suo loco attingemus. Aliorum quidem quotquot de Henrico hoc literis aliquid mandarunt, nemo quicquam eiusmodi de eo scriptum reliquit, quod ego sciam, prẹter Lampertū Saffnaburgensem: qui tamen Henricum bis duxisse modò exercitum contra Polonos memorat, nimirum anno Christi 1015. & iterum anno 1017. nisi fortè huc detorquendum esse duxit Hagecus id, ꝙ apud H. Mutium, vel alium quempiam Germanum scriptorem legerat: Henricum hunc exercitum duxisse in Boemos & Slauos, & cum his sæpius congressum, semper victorem discessisse, admodum exiguam suorum iacturam passum. eos verò prẹlio prꝏter alia maiore postremò victos pacem petiuisse, & iugum admisisse: Subiugatis autem Boemis, & eorum principe Boleslao, quem Mutius Bodislaum deprauatè vocat, apud illos iura & leges in rebus profanis ac sacris ordinasse. Hæc ipsis ferè Mutij verbis relata, videritæquus Lector, an ad Boleslaum nostrum & Polonos pertineant: nos ad curriculum nostrum reuertamur. Non multo tempore pòst hoc bellum quieti dato, aliam rursus expeditionem Boleslaus rex in Prussos suscepit, indignam diui Adalberti necem vlturus, & illam quoque

Saxonicum bellum.

Saxonia vastata à Polonis.

Magdeburgum.

Misna.

Hiltēseimū.

Mechelburgum.

Henricus Bauarus Imp.

Vindarū seu Slauorum deditio.

Chersonesus Cymbrica Dania.

Vindæ religionē Christianam suscepēre.

Bonf. dec. 2. lib. 1.

Poloni & Boemi ante Hēricū Imp. Christiani fuēre.

Boleslai columnæ in Sala.

Hagecus.

Falsa quædā de Boleslao Chrobro.

Lampert in hist. Germ.

H. Mutius li. 14. Germ.

Prußicum bellum.

gentẽ suo adiecturus imperio. Fuerit autem operæprecium hic paulò altius eius gentis originem ac mores repetere. Inter multas Sarmatiæ Europeæ gentes Borusci à Ptolemæo in geographia ad Septentrionem valdè remoti ponuntur in ea ora, quam nunc Liuones & Moschi, vt opinor, obtinent, vltra Cherniscum amnem, Ryphæis vicini. Eos ego aliquo tẽpore cum vicinis Alaunis siue Alanis ad Meridiem & Occidentẽ progressos, magnam Sarmatiæ partem, quæ ab Oriente Russis & Moschis cõiungitur, à Meridie nemoribus & Hercinia sylua clauditur, & omnem illum syluestrẽ tractum, qui secundum Venedici, siue Balthei & Codani sinus litus, vsque ad Vistulam & Ossam fluuios pertinet, tenuisse: & Borussos siue Prussos, deflexo paulum nomine, dictos esse, cum Erasmo Stella crediderim. Quibus finibus nunc Liuones, Samagitæ, Lituani & Prussi vetus nomen retinentes, continentur, gentes imperijs quidem & reipu. ratione nunc distinctæ, sed eadem penè inter se lingua vulgò adhuc vtentes, Slauicę prorsus dissimili, sed quæ non paucas habeat admixtas Latinas voces, corruptas ferè, & magis Italica vel Hispanica nota signatas, quàm Latina. Quanquam Teuthones & Germani in eam oram, quæ maritima est, & Prussia ac Liuonia nunc vocatur, deuictam, colonias posteriori tempore deduxerũt: quod suo loco attingemꝰ. Hinc vsitatior iam est apud eas gentes lingua Germanica, quàm vetus illa & vernacula, pręsertim in vrbibus & oppidis: quemadmodum & apud Lituanos vsu venit, vt propter vicinitatem commerciaque Russorum, & colonias etiam deductas, multum vtantur sermone Russico. Nam quod Dlugossus à Prusia Bithyniæ rege originem illius gentis deducit, fabulosum est omnino, nec refutatione indiget. Quidam Borussos, quasi Russis finitimos, à Germanis lingua vernacula dictos esse existimant: veréne an falso, non disputo. Quando autem & quónam modo Latina lingua cũ vernacula Prussorum, Lituanorum, Liuonumque sese miscuerit, dicere non habemus. Erasmus quidem Stella Prussiam Romanis armis tentatam magis, quàm victam esse, memorat, Pliniumq; authorem citat: Negat Strabo eos Albim transcendisse. Quo fit, vt cùm imperio Latina lingua eò peruenire non potuerit. Dlugossus verò scribit, ciuili bello, quod inter Cæsarem & Pompeium gestum est, manum quandam Romanorum deserta Italia, in ijs oris consedisse, vrbemque cõdidisse, & Romoue de Romæ nomine dixisse, eamque diu metropolim gentis fuisse. Quod si vera est Dlugossi sententia, suspicari quis posset (si quis tamen locus est suspicioni in historia) eam Romanorum manum, duce Libone aliquo, ad ea litora Venedici sinus, quæ ad exorientem solẽ spectant, & Russis finitima sunt, vel vi tempestatum appulsam esse, vel certo cursu Cæsarum tyrannorum sæuitiã fugientem, secessisse, & Liuonum appellationem à Libone accepisse, eique rei argumento esse potest flumen Liba, & oppidum eiusdẽ nominis ostio eius in mare Baltheum decurrentis impositum. Deinde verò propagatis finibus alios Lituanos magis iam corrupto vocabulo dictos esse, alios vetus Prussorum nomen retinuisse. Quanquam autem Pomeraniæ quoque magna pars, & Culmensis, ac Michalouiensis ora, posteaquam eodem cũ Prussis iure vti cœperunt, & in ditionẽ Teuthonum Crucigerorum, vti pòst dicetur, concesserunt, Prussiæ nomine censeri cœperunt: atque ita nos quoque non nunquam posterius vtemur eo nomine, reuera tamen, ac propriè Prussia ea est, quæ est inter Vistulam, Deruanciam, Ossam & Nemenem fluuios, & sinum maris suprà memoratum: & à Lituanis atq; Masouijs, densis ac palustribus syluis dirimitur. Nemenem autem eum esse volunt, qui à veteribus geographis Chronõ & Chrones appellatur, Germani Memelam vocant: qui in finibus Russiæ ortus, Lituaniamque & Prussiæ partem secundum Samagitiam emensus, in sinum Venedicum, siue Habum Curoniensem lacum sese exonerat. Fuit autẽ antiquitùs gens Prussorum fera & bibax, lac equinũ in delicijs habens ante mellis cum aqua despumationem cognitam: vxores quot cuique libuisset ducere ius fasq; erat, easque pro ancillis habere: hypocaustorum siue balneorum vsu penè quotidiano lassitudinem, labore vel intemperantia & ebrietate contractam, depellere, indeque excalefacta corpora frigidæ aquæ immergere aut abluere, etiamnũ hyberno quoque tempore solent. Corpora defunctorum cum preciosissima quaque & charissima vestium, equorum, & armorum supellectili cremabant: manibus interfecti cæde humana parentabant: Solem, lunam, bestias, serpentes, aues, aquam, ignem, & nescio quid non pro dijs colebant. Criue autem vocabant sacrorum antistitem. His ergo Boleslaus rex bellum intulit, & per Culmensem tractum, qui Polonicæ ditionis erat, hostiles terras

Marginal notes: *Prussorum origo. Borusci.* — *Eras. Stella.* — *Prussi, Lituani, Liuones & Samagitæ, eadem ferè lingua vtuntur.* — *Germanicæ linguæ vsus in Prussia.* — *Russicæ in Lituania.* — *Russi vnde dicti.* — *Preisẽ. quasi beireissen.* — *Latina verba apud Prussos.* — *Strab. Geograph. lib. 7.* — *Romoue vrbs in Prussia.* — *Liuones.* — *Prussiæ nomine etiam Pomerania & Culmẽsis quandoque accipitur.* — *Prussiæ fines.* — *Ossa fl. Deruancia.* — *Nemen, qui & Chronẽ siue Chronus fl.* — *Balnea Prussorum & Lituanorũ.* — *Prussorum exequiæ.* — *Dij.* — *Criue antistes Prussorum.* — *Culmensis tractus Po-*

Ionicæ ditionis. ras ingressus, agros vastat: arces nullo negocio capit & incendit: vicos & pagos diripit. *Prussi munitionibus caruere olim.* Oppida enim pauca, eaque ferè natura locorum, non arte manuque munita, tunc Prussi habebant: sed in syluas atque paludes ad primum aduentum hostilis exercitus sese occuluerant. Ex quibus cùm regionem suam vastari longè lateque prospicerent, supplices pacem à rege petunt, & impetrant: *Prussi tributarij Polonorum regi.* tributum pendunt, & pensuros se deinceps quotannis promittunt. Dimittit ibi rex, qui barbaram gentem rationem & ritus Christianæ religionis docerent. Ipse victor recedens, *Colũna Boleslai in Ossa.* in Ossa flumine ferream columnã ponit, mille passibus à Rogosno oppido, quod Germani Reghausen vocant. Vnde vicina villa Slupi, hoc est, columnæ nomen accepit. Biennium ab eo bello quieuit Boleslaus quo tempore multa quæ ad religionis maiestatem, & ad rempub. belli domique administrandam pertinere videbantur, sapienter constituit. *Iaroslaus Russorum dux.* Interim optatam pacem Iaroslaus dux Russorum turbauit. Is enim, dum Boleslaus his bellis, quæ modò commemorauimus, distinetur, *Kiouiensis principatus à Iaroslao occupatus.* Kiouiensem principatum, Stopolco fratre vno, quemadmodum suprà indicauimus, siue duobus, secundum Dlugossum, secundis prælijs victo, & dum ad Boleslaum refugit in itinere mortuo, denuò inuaserat: Nouogrodensem etiam à Prædislao, Isaslai fratris filio sibi ademptum, receperat: Rededam Cosarorum ducem singulari certamine victum interfecerat, gentemque illam tributariã sibi fecerat: & quamuis à Mescislao fratre superatus, & Kiouiensi principatu exutus esset, tamen fratris eiusdẽ benignitate & misericordia restitutus erat, quemadmodum à nostris memoriæ proditum est. Nam Russorum annales hoc loco Kiouiæ captæ & restitutæ nullam faciunt mentionem. Illud modò memorant: Post atrox prælium inter fratres commissum, Mescislaum partitum esse cum Iaroslao principatum Russiæ, ita vt ei quicquid cis Neprum est concederet, ipse Seueriensi ditione vltra Neprum contentus. His igitur rebus cũ fratre constitutis, Iaroslaus bellum aduersus Boleslaum regẽ magno apparatu renouabat. Rex non rumoribus modò, sed crebris atque certis præfectorum suorũ, & præsidij, quod in Russia reliquerat, nũcijs excitus, contra hostem cum exercitu *Russicum bellum.* proficiscitur. Ducebat & Iaroslaus ingentes copias, in Poloniam inuasurus. Veniunt in conspectum apud Bugum amnem exercitus. Decreuerat eo die Boleslaus prælio non dimicare, ob reuerentiam diei Dominici simul vt hostium copias & consilia prius cognosceret. Sed magnam in bellis vim fortuna habet, paruisque interdum momentis permagna fit rerum atque consiliorum mutatio: vt tunc accidit. Nã pugna inter paucos primùm lixas & aurigas, dum adaquant equos, apud flumen, quod castra dirimebat, orta, mox pluribus vtrinque concurrentibus incaluit. Eminus res sagittis & iaculis, & cominus etiam ab audacioribus nonnullis in flumine gerebatur: cùm Polonicus exercitus omnis celeriter armatus fluuium tranat. Committitur acre *Prælium.* prælium: cedere loco hostes, nostri magis instare. Ibi dux hostium à suis impulsus, fuga saluti suæ consuluit. Tunc effuso cursu omnes passim ex acie diffugiunt. Magna strage cùm in prælio, tum *Boleslai victoria de Russis.* in fuga concisis atque debilitatis hostibus, rex pacem dedit supplicibus, tributum modicum imposuit: captiuos omnes, quos vel hoc, vel superiori bello ceperat, vel obsidum loco habuerat, liberaliter dimisit. Hoc bellum anno post Christum natum 1018. confectum est, vt vult *1018. ann.* Dlugossus. Non assentior autem ijs, qui *Falsa causa belli Russici.* siue alterum hoc bellum Russicum: siue priusetiam, à Boleslao propter negatum sororis Iaroslai coniugium, quam postea in concubinæ loco ipsi fuisse aiunt, susceptum esse autumant. Nam vt faciam, principem tam temperantem, vt nõ melius populis & gentibus quàm suis cupiditatibus dominaretur, prouecta iam ætate, tot rebus gestis clarissimis, tantum libidini indulsisse, vt bello vxorem sibi querendam existimaret. quid causæ erat, cur eam aliunde peteret, negatamque bello persequeretur, quam domi ipse obsidis loco, vt diximus superius, habebat? aut partam bello cur viduus pro concubina, ac non pro iusta vxore haberet, cuius amore tantum exarsisset, & in qua ipsa nulla hærebat culpa, quòd à fratre tradita non esset? Sed mitto disputationem. Pace per circuitum parta, auctoq; & propagato in omnes partes cum laude atque gloria imperio, Boleslaus rex reliquum *Boleslai studia in pace: Consiliarij duodecim.* vitæ tempus quieti & constituendæ domi reipubl. dabat, duodecim vtens consiliarijs, quos è tota Polonia probatissimos, & annis iudicioque graues delegerat. Quos etiam, quoties animum remittere volebat, vnà cum vxoribus ipsorum mensæ suæ & conuiuio adhibebat: iudicia exercebat: tenuiores, dum litis finem expectant, sumptu mensaque sua subleuabat. Fertur autem quadra-

ginta mensas longas exceptis minoribus alijs, quotidie apud eũ solitas esse instrui, ad quas accumbere volentibus licuerit. *Comitas regis.* In itinere si quem rusticum hominem, aut alioqui pannosum conspexisset, accersebat ad se vltrò, & num quid à se vellet, percontabatur. Quòd si is de potentioris iniuria querebatur, euocatum illum qui accusabatur, causâ cognita placidè obiurgabat: ac in posterum ne quid eiusmodi committeret interminatus, satisfacere iniuriam passo iubebat. Si quis autẽ è pauperibus causam ipse suam agere nesciebat, ei causidicum attribuebat, mercede de suo data. *Polonorum ius atque studia.* Quanquam simplicissimum tunc ius erat apud Polonos, & non summo iure disceptabantur, sed ex ęquo & bono, aut armis nonnunquã & singulari certamine dirimebantur priuatorũ „ controuersiæ. Pluris erat fortis vir, quàm „ disertus causidicus: mentiri, fallere, ca„ lumniari, alienum appetere, iniquam li„ tẽ alere, turpe & infame ducebatur. Hinc „ maius, ac solum ferè existebat in homini„ bus illis laudis & bellicæ rei studiũ. Hoc rex comitate, clemẽtia & liberalitate sua alebat, hoc moderata seueritate vindicabat: Iuditha regina, fœmina lectissima, q̃ sub alterius belli Russici tempus extincta est, mariti iram & seueritatem lenien- *Iuditha reginæ clemẽtia.* te, & sontium supplicia, deprecante. Cuius clementiæ illud in primis exemplum prædicatur, quòd nobiles quosdam adolescentes ob latrocinium damnatos à rege, occultè seruari insciente rege iussit: aliquanto pòst captato tempore, & iniecta eorum quasi necatorum mentione, vbi regem ad misericordiam flexum vidit, supplex cum nonnullis proceribus adolescentum illorum mortem deprecata est. *Religio Boleslai.* Nulla autem in re Boleslaus erat seuerior, quàm in contemptu religionis, templorum profanatione, & sacerdotũ iniurijs atque contumelijs vindicandis: ad quæ facinora, cùm plerique equestris ordinis homines partim pristinæ impietatis consuetudine, partim licentia militari incitati ferrentur, & decimarũ quoque onus detrectarent, sacerdotesq́ue pulsarent, in authores quidem pœna capitis animaduertit, cæteros partim verberib⁹, *Sacerdotib⁹ bonos habitus.* partim verbis atque minis castigauit. Episcopos & sacerdotes ipse magnopere colebat, & ab omnibus coli volebat: nec se debat stante aut veniente Episcopo, nisi & ille assedisset. Ab hoc etiam rege, ipso statim initio regni, descripta est equitib⁹ *Militãdi ratio.* Polonis militandi ratio per regiones atque satrapias, quas nostri vulgò Palatinatus ac districtus vocãt: ita vt ex præscripto certum numerũ armatorum quilibet Palatinus è ditione sua ad expeditionem à rege indictam educeret. Oppidanis quoque pedites & currus onusti commeatu ad numerũ imperati sunt. Sed hæc abusu arbitraria postea facta sunt, magno reip. detrimento: de quo nos alibi vberius scripsimus. *Cursus publici, siue subuectiones.* Equorum quoque dispositio & subuectio oppidis iniuncta, per quam celerrimè regi, si quid cognitu dignum aut necessarium vsquam in regno extitisset, nunciaretur, & rex vicissim q̃ vellet, iuberet, huius regis est institutum. Quod quidem abusu nostri tẽporis, valde onerosũ est oppidanis. Podwodam vocamus lingua vernacula. Tametsi his aliquot annis post priorem huius Operis nostri editionẽ, ratio eius mutata, & lõgè tolerabilior, commodiorq́; facta est, benigno Sigismundi Augusti regis cõsilio: quæ à nobis in Poloniæ descriptione explicatur. *Arcium munitio.* Muniuit etiam Boleslaus arces plerasq; in finibus regni, quo receptus esset nobilitati iuxtà ac plebi, ad subitos vicinarũ gentium motus, & vnde furta & latrocinia domestica, excursiones, prædationesque finitimorum reprimerentur, domi inter ciues pax & tranquillitas præstaretur: ijsque arcibus pręfectos cum modicis *Præfecturæ & reditus earum.* præsidijs imposuit, & certos pagos adscripsit, qui & excubias nocturnas per vices seruarent, & materiam ad reficiendas, cũ opus esset, eas arces comportarent, & certam siliginis atque auenæ mensuram in cellam arcis & alimentum præsidij hostiatim vel iugeratim quotannis præberent. *Stroza.* Indeque id vectigal Stroza, hoc est custodia, eo quòd custodibus expensum ferretur, dictum est. *Ecclesiastici ordinis immunitas.* Cæterùm hominib⁹ ecclesiasticis omnium onerum, laborũ, & pensionum regi & reip. præstandarum immunitatem sempiterno iure cõcessit. *Regis peragratio, regno salutaris.* Ipse rex crebrò arces & præfecturas, atq; omne regnum obibat, vt superstitiones ritusque priscæ religionis, si qui adhuc vsquam extarent, penitùs extirparet, ac de iniurijs atque controuersijs omnium cognosceret, & quid quoque loco opus esset præsens mandaret: dicere solitus, mal- „ *Præclarè dictum.* le se gallina vescentem, salutem atque trã- „ quillitatem suorum tueri, quàm delicijs „ indulgentem, pati vt quispiã vexaretur, aut opprimeretur. Pecuniam contemne- *Liberalitas.* bat: omniaque ad decus religionis, salutem reip. ornamentum templorum, & præmia bene merentium de rep. conferebat. Cùm autem laboribus, & contentione animi confectum atque debilitatum se esse animaduerteret, indictis Gnesnam *Successor designatur.* comitijs, Miecislaum filium successorẽ sibi

signatus. Iudicia filio mandata. sibi sũmo totius conuentus consensu designauit, eũque deinceps iudicijs pro se pfecit: cætera ꝑ seipse administrauit. Nec multò pòst in morbum incidit. Quẽ vbi mensiũ aliquot spacio inualescere, mortẽque appropinquare sibi sensit, sacris mysterijs ritu Christianorum procurari minimè neglexit. Primores sacri pariter ac militaris ordinis Posnaniam, vbi decumbebat, ad se conuocauit. *Pia cohortatio.* His mandata dat de concordia inter ipsos, & beneuolentia erga posteritatem suam retinẽda. Seorsum filio cùm de rebus priuatis, tum vt senatoribus suis honorem habeat: ab omnibus amari magis, quàm metui studeat: pietatem erga Deum, virtutem, iusticiam, benignitatemque in omnes colat: ocium & voluptates tãquam pestem fugiat. Ad extremum, multa coram omnibus de futuro statu & motibus reipub. *Prædictio futurorum.* & posterorum suorum successibus quasi diuinitùs prædixisse fertur, quæ rerum euentus postea comprobarit. His actis, dictisque, summo omnium dolore atque mœrore moritur: *Boleslai mors.* & Posnaniæ moderata, quemadmodum viuus præceperat, pompa sepelitur, cùm annos vigintiquinque regnasset, vixisset octo & quinquaginta. *Aetas. 1025. ann.* Fuitque is annus post Christũ natum millesimus vicesimusquintus. Per quod tempus Conradus Sueuus Henrico Imperatori mortuo à principibus Electoribus successor datus est. *Conradus Sueuus imperator electus.* Fuit autem Boleslaus statura mediocrem non excedente, oris & corporis totius habitu eleganti, & ad modestiam composito: *Habitudo corporis Boleslai.* capillo denso, crispo, nigroque: victu cultuq; corporis nõ neglecto, neq; nimis tamen exquisito. Eius morte vniuersa Polonia, optimè merenti rege orbata, annum totum in luctu fuit: *Luctus publicus.* ita vt neque conuiuia vlla, neque choreæ celebrarentur, neque cultioribus vestibus quisquam nobiliũ virorum aut fœminarum sese vestiret. Scribit Vincentiũs, frequenter Vngaros, *Vngarica bella.* ab hoc rege superatos, & vsque ad Danubium subactos esse. Mihi non fit verisimile, aliquid ei hostilitatis cum Vngaris intercessisse, regnante tum apud eos Stephano, cum quo magna necessitudine coniunctus erat. Et iam diximus, Emericum Stephani filiũ libẽter in Polonia cũ Boleslao vixitasse: dicemusque posteriꝰ, eiusdem Stephani fratres patrueles fuga in Polonia salutem sibi quæsiuisse. Nisi fortè Stephano regi propinquo aduersus Cupan cognatum, res nouantem in Vngaria, præsto fuisse existimandus est.

MIECISLAVS REX.

CVrato Boleslai regis funere, Miecislaus filius trigintaquinque annos natus, destinatum iam prius regnum init, frequenti procerũ & nobilium conuentu, qui ad exequias regias cõuenerant. His stipatus Gnesnam venit: ibiq; diadema regium ipsi & Rixæ vxori eius, Hippolytus archiepiscopus Gnesnensis cum alijs episcopis solẽni ceremonia imposuit, *Coronatio Miecislai.* ea die quæ Christianis Pentecoste dicitur. Inde dies aliquot festis epulis & conuiuijs dantur: sparguntur in vulgus missilia: apparantur & in egenos atque mendicos piæ viscerationes. AEstate sequenti rex in Russos facit expeditionem. *Rußicũ bellum.* Nam ij Boleslai regis morte nunciata, Iaroslao & Mescislao ducibus rebellauerant. Quas oras rex ille ditionis suæ fecerat, eas armis infestabant: Ceruenum & alias arces & præsidia Polonorum oppugnabãt: abactosque ex Polonia agrestes complures, ad Porsum amnem nõ procul à Kiouia collocarũt, vt agros ob assidua bella cultoribus exinanitos colerent. Hos primo aduentu Miecislaus repressit: & multos ex Russis primores compræhensos, in arces suas custodiendos distribuit: sed Iaroslaum tamẽ ducem ad officium nõ reuocauit. Quin monarchæ is titulum, qui apud Russos Iedinovuladez dicitur, *Iedinouuladez monarcha.* postea Mescislao fratre defuncto vsurpauit. E Russia reuertens Miecislaus plerasque Poloniæ regiones obit, cùm iuris dicendi, tum visendi gratia: filium Cazimirum septennem literas doceri curat. Boemicum bellum vix suscepit, & nulla cum laude gessit: *Boemicũ bellum.* cuius hæc fuit causa. Obtinebat Boemiæ principatum Vdelricus, cuius in Boleslao superius mentiõnem fecimus. Is morte Boleslai cõfirmatus, & Prædislao filio, impigro & feroci iuuene fretus, tributum, quod Boleslao quotannis pensitarat, Miecislao negauit: nec eo contentus, regia præsidia per filiũ (nam ipse cæcus erat, & iurisiurandi religione teneri se simulabat) vndique deturbauit & interfecit: Morauiam, quæ tunc in Polonorum ditione erat, inuasit: oppida aliquot cum arcibus obsessa & oppugnata, nemine opem ferente, in deditionem accepit: quorũ autoritatem secuta Morauia omnis, breui tẽpore in potestatẽ Boemi venit, Polonis vel eiectis, vel trucidatis. *Morauiam Poloni amittere.* Qua de re nõ fuit necesse Hageco citare autores Critiũ & Callimachũ, quorũ neuter de tẽporibus illis quidq̃ scriptũ reliquit. His itaq; rebꝰ motus rex Miecislaus, & magnis populi clamoribꝰ & cõuicijs vix tandẽ impulsus, & sibi iam regno que timens, in Morauiã duxit exercitũ: & oppidum quidem nullum oppugnatione

tione tentauit, quippe qua Boemorũ presidijs tenerentur: & per se etiam oppidani conscientia deditionis atque defectionis, obstinatè ea defensuri esse viderētur:

Morauiam populatus est Miecislaus.

sed agris tantùm & suburbanis vastatis, magnaq; hominum, pecudum & iumentorum præda abacta, domum reuersus, dimisit exercitum. Boemorũ exemplum secuti duces, & præfecti regij, earum regionum, quas Boleslaus de Saxonibus vindicarat, molliciem & ipsi ignauiamque regis contemnunt:

Vindarũ defectio.

imperium detrectant: vectigalia regia, impendens à vicinis bellũ causificantes, pro se vsurpant, cum vicinis Teuthonibus clam fœdera, amicitias & affinitates iungunt: postremò vbi inulta hæc esse vidēt, in apertam rebellionem erumpũt: & partim nouos ipsi sibi dominatus constituunt, partim Romano imperio socios & vectigales se se faciunt: idq; vel conscientia defectionis, & metu regis Poloni: vel, vt Germanici scriptores prodidêre, vi & armis Cōradi Imperatoris subacti.

Otto Frising. Naucler. Tubing. H. Mutius. Bonfinius. Falsa de Boleslao & Miecislao.

Nam quod ijdē scribunt, & sequitur Bonfinius, Boleslaum regium titulum imperante adhuc Henrico vsurpantem, tributumque negantem, à Conrado multis & grauibus prælijs superatum & subactum esse, Miesconemq; filium eius aliquanto pòst eadem molientem eiectum: & fratrem eius Ottonem, qui à Miescone pulsus fuerat, restitutum: Miesconem verò profugum ad Boemos, ab Vdelrico quidē penè proditum, Imperatoris verò clementiam & magnanimitatē expertum, eus fidei sese commisisse, reuersumq; in Poloniam, principatum cum fratre partitum, regia dignitate se abdicasse, contentum principis nomine: Poloniam verò Imperatori tributariam mansisse. Longè in his aberrasse à vero videntur. Nam neque Conradus imperium viuente Boleslao adeptus est, neque Boleslaus præter Miecislaum siue Mesconē alium filium habuit, neq; diadema regium ille ipse Boleslaus temerè vsurpauit: sed ab Ottone tertio imperatore vltrò oblatum accepit, atq; posteris suis reliquit: neque Conradus, cōpluribus alijs externis pariter ac ciuilib⁹ bellis distentus, ocium ad persequendos bello Polonos habuit.

Poloni nunquam fuère tributarij Rom. imperio.

Neq; verò Polonos principes cuiquam omnino imperatori Romano vnquam tributarios fuisse, isti vetustiorib⁹ & fide dignis testimonijs aut argumētis docere possunt. Sed cùm partem aliquam Poloniæ Germani, vt superius meminim⁹, seu per deditionē, seu vi cepissent, vniuersam se Poloniam subiugasse iactarunt. Hoc vnus aliquis ab alijs auditũ, vel ne ne auditum quidē fortassis, postea literis mandauit, & cæteri secuti sunt.

Gallus anonymus Polonicarum rerum scriptor.

Gallus quidã, qui non ita multo post hæc tēpora Boleslai tertij & superiorum regũ Poloniæ res gestas tribus libris cōplexus est, nullam neq; de fratre Mesconis, neq; de vlla Conradi huius imperatoris expeditione in Poloniã facit mētionem:

Lãp. Saffnaburg. de rebus gestis Germ. Herm. Contractus in supplemēto Chron.

ac ne Lampertus quidē Saffnaburgensis, aut Hermãnus Cōtractus, quã uis propinquiores etiã illis temporibus, nec indiligentes eorum, quæ ad gloriam Germanicæ nationis pertinebãt.

Luitici seu Vilsi à Cōrado Cæsare vectigales facti.

Hermãnus quidē Luiticos, quos eosdem Vilsos à Crantio vocari video, Slauos scilicet, citra & vltra Panim Cassubiæ seu Pomeraniæ fluuiũ habitãtes, nō pterijt. Quos, cùm Virbinam castellũ in confinio Saxoniȩ intercepissent, à Conrado deuictos, & vectigales factos esse memorat.

Lubecensis respub. Holsatiæ comites. Mechelburgensis. Rugiæ & Pomeraniæ duces. Marchia Brãdeburgensis. Lubussensis & Camenensis diœceses olim in Polonia.

Ab illa autem defectione ducũ & præfectorũ regiorũ, Lubecēsis respub. abrogato posteriori tēpore vnius dominatu, opibus creuit. Hinc Holsatiæ comites, hinc Mechelburgēses, siue Magnopolenses & Aldenburgici, Rugij, Pomerani, & nõnulli alij eius oræ duces & comites originē habuêre. Hinc Marchionum Brandeburgensiũ ditio exorta, magna cepit incrementa. Quanquam Lubussensem & Camenensem diœceses posteriori tempore detractas esse Polonis, argumento est pensio nummi S. Petri, de qua paulo inferius dicemus: quæ ijs tantùm, qui tunc Poloniæ finibus regnoq; continebãtur, imposita est. Quam Lubussensis quidem diœcesis adhuc pendit: Camenensi verò posterius singulari sedis Apostolicæ indulgentia, ob liberatum captiuum legatum Apostolicum, remissa est. Cæterùm ex eo tempore nunquam illa loca, quæ tunc sese abalienarunt, in ditionem Polonorum reuenêre: præter Pomeranos, hoc est maritimos, cis Odram sitos,

Pomeranicũ bellum.

quibus, cùm ducem sibi potentem quendam & factiosum inter ipsos creassent, intulit bellum Miecislaus, habens secum in exercitu Andream, Belam, & Leuentam Vngaros, Ladislai Calui filios, Stephani regis fratres patrueles:

Andreas, Bela & Leuenta, duces Vngari in Poloniam profugi.

qui, cùm Petrus eiusdem regis sororis filius regnũ Vngarorum Stephano moriente inuasisset, in Poloniam confugerant. Cum his igitur & magnis suorum copijs quum ingressus esset Miecislaus in Pomeraniã, occurrit illi cum armatis Pomeranus, & in aciem suos educit necessitate magis, nequa suos defectionis & noui dominatus ipsius pœnitentia subiret, quàm aliqua suarum virium fiducia.

Quan-

Quanquam nonnullam etiam bene gerendæ rei ſpem ignauia Miecislai regis ipſi dabat. Concurritur infeſtis armis; hinc ira ſtimulante, illinc conſcientia defectionis ſpem veniæ præcidente. Ad extremum inclinata acie, fundun-

Pomerani victi & recepti.

tur Pomerani, & in poteſtatem regis veniunt: autores defectionis capitali pœna afficiuntur, cæteræ multitudini parcitur. Nã dux in prælio occubuit. Nõnulli à Bela eũ ſingulari certamine victũ & interfectũ eſſe volũt. Pręclara quidẽ certè co prę lio virtus atq; opera Belæ enituit. Itaque

Bela Gener regis Poloniæ, & Pomeraniæ dux.

generũ eum ſibi rex filiæ matrimonio adoptauit: Pomeraniam ipſi in dotem dedit: cætera neglexit, nec vnquã ad recuperãda quæ amiſerat, animum adiecit. Ve-

Vitia Miecislai.

rùm torpori ac deſidiæ ſe dedit, voluptatibus ijs, quę guſtu tactuq; percipiũtur. Aliarum etiam, præter vxorem, mulierũ

Muliebre imperium.

contubernio vſus eſſe dicitur. Vxori tamen, mulieri auaræ & importunæ, ita fuit obnoxius, vt eius maximè nutu & arbitrio regnum adminiſtraret. Quę quidem deinceps, cùm rex amentia correptus, ſui

Miecislaus à mentia correptus.

compos non eſſet, dominatum omnem regium ad ſe tranſtulit: quo maius etiam hominum in ſe & in regem odium concitauit. Moritur haud ita multo pòſt ex morbo illo Miecislaus, anno Chriſti

Ann. 1034.

1034. & Poſnaniæ ſepelitur: homo tardus & hebes, leuitate iuuenili, & iuuenũ atq; vxoris cõſilia plerunq; ſectatus. Quibus rebus factum eſt, vt ſuis atque externis, hoſtibus pariter atq; ſocijs eſſet contemptui: ſic vt in ſe verum eſſe comprobaret, id quod Græcis eſt in prouerbio, Heroũ filios noxas eſſe. Regnauit autem annis ferè nouem, vixit quadraginta quatuor. Sunt qui eum in colloquio quodã

Miecislaus captus, & exectus à Boemis.

inſidijs exceptũ à Boemis, gignendo inutilem redditum, & mox mente captum, non diu patri mortuo ſuperſtitem fuiſſe volunt.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER QVARTVS.

INTERREGNVM.



NICVM reliquit poſt ſe Miecislaus rex ſuperſtitem filiũ, Cazimirum: ſub cuius ortum tremor terræ

Terræ tremor inſolens in Polonia.

acciderat. Quod ita rarum & inſolens eſt in Polonia, regione mediterranea, vt magni prodigij loco habeatur, quoties accidit: & tunc quoque

Cazimiri ætas.

habitum ſit. Is igitur Cazimirus, ſiue iam viceſimum annum, vt placet Dlugoſſo, attigerat: ſiue paruus puer adhuc erat, vt vult Gallus, nondum regiam dignitatem & reipub. curam ſuſtinere poſſe videbatur. Itaque ex vniuerſi conuentus, qui Gneſnam ea de re conuocatus erat, ſententia, differtur noui regis coronatio.

Rixa regnũ adminiſtrat.

Interim penes Rixam reginam pueri matrem regia poteſtas relinquitur: qua abuſa mulier, pia alioqui & religioſa, quęadmodum videri volebat, cæterùm audax & auara, varijs & grauibus exactionibus, viuo marito inſtitutis, homines magis ac magis premebat: nouas rationes

Nouæ exactiones, & contemptũ gentis.

cogendæ pecuniæ exquirebat: Polonos deſpicatui habebat: Teuthonas ſuos in conſilium adhibebat, hos ad honores & magiſtratus euehebat: hos diuitijs & poſſeſſionibus augebat, etiamſi nullum induſtriæ & virtutis ſpecimen præ ſe ferrent. Indignè hæc ferre Poloni: orare reginam, vt quorum armis atque ſanguine regnum defenderetur, & ad tantã amplitudinem, quanta regnante Boleſlao fuit, perductum eſſet, eorum maiorem quàm externorum, quamque

Polonorum obſequium erga principes ſuos.

Pol. humanitas ergà externos.

ſuæ cupiditatis, rationem duceret. Multa Polonos principibus ſuis vltrò concedere & indulgere, aſperioris dominatus inſuetos eſſe: externis hominibus, in quibus aliquid modò ingenij virtutiſq; ſit, maiorem, quàm gens vlla habeat, honorem habere: Sed poſthaberi ſe omnino in patria ſua, digniſq; indignos præferri non oportere. Cæterum vbi vident, orando apud reginam ſe nihil proficere, fremebant inter ſe vulgò, atque adeò palam etiam loquebantur: non ferendum eſſe viris tam graue & contumeliosum

liosum

liosum externæ mulieris inperium. Cōtemnebant vicissim potētiores iussa reginæ, & regias possessiones atque reditus nonnulli inuadebant: atque vt inter quosque simultates & clandestina odia ante id tempus fuerant, tunc in apertam hostilitatem erumpebant. Comparabantur factiones, & omnia dissidijs atq; seditionibus plena erant. Regina verita, ne in tanta licentia, & irritatis in se hominum animis, maius aliquod malum in se redundaret, consilium fugæ cum filio atque Teuthonibus suis clàm init: regium fiscum, in quo cùm preciosæ res multæ, tum duo diademata Regis & Reginæ erant, compilat. Regno excedens, in Saxoniam se contulit: ab imperatore Conrado, oblatis ei magnis muneribus, & inter ea duabus coronis è Polonia asportatis, Salefeldum, vti vult Vapouius, seu Magdeburgū & Brunsuicum oppida, cum suis territorijs, vel emit, vel dono accepit. Cazimirum volunt nonnulli, non cum matre pulsum esse: verùm aliquanto pòst, cùm ij, qui maternæ eius fugæ autores fuerant, magnasque clientelas & factiones comparauerant, impotentius agerent, ipsum quo que solum vertisse, & in Vngariā ad Stephanū regem propinquum suum profugisse. Deinde post Stephani mortem, qui anno Christi 1036. obijt, & cum Emerico filio in numerum diuorum relatus est, à successore & sororis eius filio Petro cōmeatu & comitatu instructum, ad matrem in Saxoniam missum esse, nec Boemis proditum: qui simulatione misericordiæ eum deposcebant, vlturi in eo clades ab auo ipsius acceptas: & in posterum vt sine metu essent, sibi prospecturi. Quā enim Vincentius præterea refert nescio cuius opinionē, quasi Cazimirus hic paruulus post matris in puerperio mortem, clam nouerca (quæ vt necaretur infans, apud virum instabat) in monasterio quodam educatus sit: mortuoque patre cùm res reginæ odio turbatę essent, proditus ab eo à quo educabatur, ad paternum regnū vocatus sit: eam inquā opinionem, ne refellere quidem pluribus libet. Apertè.n. ijs refellitur, quæ statim exponemus. Profectus est autē Cazimirus Lutetiā, voluntate matris, vt ingenium honestis disciplinis excoleret: inde post aliquot annos visa obiter Italia, & Romualdo abbate sancto, Cluniaci in Benedictinorum monachorū sodalitatē se dedit, monasticam vitam professus. Reginæ & regij filij discessu, quasi lymphatico furore Polonia omnis exagitatur. Miscentur omnia cædibus mutuis: latrocinijs viæ publicæ infestantur: incēduntur pagi atq; oppida: tumultuatur: collatisque signis inter ciues atque proceres concurritur: vt quisque audacissimus est, ita maximam perditorum hominum manum cogit, aliena inuadit, veteres possessores possessionibus deturbat: trucidantur passim diuites & locupletes patresfamiliàs, liberi eorum elidūtur, cęsorum coniugijs atque bonis interfectores per vim potiuntur: stuprantur honestæ virgines & matresfamiliàs. In tanta vastitate atque confusione, agrestes quoque à laboribus & agricultura feriati, in patronos ac dominos suos insurgunt: in nobilitatis excidium conspirant: veteres nonnullorum iniurias & oppressiones, concepto in omnes odio, omni crudelitate summaque acerbitate vlciscuntur. Neque ministris sacrorum, ac ne ipsis quidem templis, aris atque sacris parcitur: & in pristinam barbariem atque impietatem Polonia relapsura esse videbatur. In latebras sese abdebant proceres & episcopi, eratque miserabilis vbique rerū facies. Nihil vsquam tutum: nihil cuiusquam proprium: nemo mali exors erat. Per hoc tempus Maslaus, siue Masos, qui pocillator regis Miecislai fuerat, vir potens & audax, dominatum inter suos in tractu Plocensi & cōfinio Prussorum arripuit: confluenteque ad eum vndique magna hominum, partim vi & armis exercitatorum, partim potentiorum vim & iniurias vitantium multitudine, permagna potentia auctus est: & Masossiæ, siue Masouiæ nomen ei oræ, quam dominatu complexus est, dedit. Ad hæc domestica mala accedebant hostiles incursiones: erumpebant deuota deuictarum dudum gentium in Polonos odia. Hinc Iaroslaus Russiæ dux terrestribus & naualibus copijs secundo Bugo viciniam omnem, quæ nunc Polessia siue Podlassia est, & à Russis atque Lituanis tenetur, (ante aliquot tamen annos in Polonorū potestatem reuenit) vsque ad eam oram quam Masouia post ea tempora finibus suis complexa est, infestauit. Illinc Prædislaus Boemus, quum post Vlderici patris mortem, Iaromiro cæco patruo cōcedente, principatum suscepisset, cum valido exercitu ferro & igni Silesiam, quæ sic posterius dicta est, & maiorē Poloniam quàm longissimè populatus est: Vuratislauiam, Posnaniam, aliaque minora oppida complura diripuit & incēdit, nulli neque sexui, neque ætati hominum pepercit, nec à templis impias & sacrile-

Turbantur res in Polonia.

Rixa profugit è Polonia.

Salefeldum Rixa emptū.

Cazimirus in Vngariā.

1036. ann. *Stephanus Vngar. rex cū Emerico filio in diuos relatus.*

Cazimirus monachus fit.

Poloniæ status turbatissimus.

Rusticorum tumultus cōtra dominos.

Vis illata sacris, & ministris sacrorum.

Maslaus tyrannus.

Masouia.

Rußi vastāt Septentrionalem oram Poloniæ.

Prædislaus dux Boemorū meridionalē & occidentalem.

Vuratislauia.

crilegas manus abstinuit:(nam de Cracouia Syluio & Hageco non assentimur, refellitq; eos locorũ ratio) Gnesnam metropolim nec manu munitam, & habitatoribus defensoribusq; vacuã primo impetu cepit: ad basilicam eius oppidi spoliandam, vbi iussu ipsius venêre milites, aliquoties irrumpere conati, subitò cæcitate & lethargo diuinitùs percutiũtur. Erat in castris Prædislai, Seuerus Pragẽsis episcopus. Is miraculo attonitis omnibus, & spoliationem templi in religionẽ vertentibus, persuasit, non ob id quod putabant omnes, sed propter nefanda flagitia & enormia scelera Boemorum, cæcitatẽ illam & obliuionem ipsis accidisse: triduanoque ieiunio diuinam iram placandam esse censuit. Quo expleto, Boemi liberè iam episcopo authore templum ingrediuntur, aurum & argentum omne, vestes sacras & omnem basilicę supellectilem, itemque quinque eremitarum, de quibus in Boleslao mentionem fecimus, corpora, quæ illic à pio rege translata erant, auferunt. Gaudentij corpus, pro Adalberti corpore à ministris templi pio mendacio indicatum, etiam tollunt. Nã Adalberti corpus ijdem ministri in adyto templi clàm defoderãt. Quamuis Boemi eius reliquias habere se iactent. Qua de re ego ante paucos annos cum FERDINANDO Imperatore designato, perpetua in septimum annum legatione Sigismundi Augusti regis nomine apud eum fungẽs, apud ipsum diui delubrum familiariter contuli. Sed ad rem redeo. Hanc igitur prædam asportauit è Polonis Prædislaus, & in basilica arcis Pragẽsis deposuit: præter Cristini, vnius de quinque illis eremitis, corpus, quod Olomucensibus concessit. Atque hæc anno Christi 1038. acciderunt: Hagecum enim multa temerè de hoc bello nugãtem nõ sequimur. Nec vnquã postea Prędislaus, quæ iure belli ceperat, Polonis restituit: quamuis postulatus ea de re apud Pontificem maximũ à Stephano archiepiscopo Gnesnẽsi, qui Polonus Polono Bozẽtæ successerat. Grauioribus etiam fortasse incommodis ferox Boemus Poloniam tunc affecisset, ni metus domestici belli, à Cõrado quidẽ imperatore intentati, ab Henrico autẽ filio & successore eius illati, eum repressisset. Conradum quoq; imperatorem Rixæ reginę precib⁹ & muneribus adductum, ad vexandos & infestandos Polonorũ fines exercitum misisse, Dlugossus memorat. Sed eũ non multum progressum, nec magnis dãnis illatis, cito domũ reuertisse, vel quòd inuitus eo se bello cum Polonis implicabat, & reginæ tamen vtcunq; satis esse faciendum putabat, vel quòd ad sedandos motus Burgundicos, & Italicos, & Boemicum fortassis bellũ, auocabatur. Nec multo pòst, vitam is cum morte cõmutauit, Henrico filio, sicut modò attigim⁹, Imperij successore relicto: quẽ longè ante mortem, Cæsarem, siue regem Rom. ipse de principum electorũ sententia designarat. Nec tamen huius belli Polonis à Conrado tunc illati, quisquã omnino, præter Dlugossum, mentionẽ fecit. Cæterum Pomeranos quoque defectores Poloniam tunc diuexasse, Gallus innuit. His tam sæuis tempestatibus totos penè sex annos iactati ac fatigati Poloni, & acerbiora etiam, extremumque tam florentis dudum regni naufragium metuẽtes, vt maximè quisque consilio, dignitate & authoritate pollebat, remittũt nonnihil de intestinis dissidijs, condonant sibi mutuò priuatas offensas, de republica cogitationem suscipiunt, req; per internuncios inter se communicata, comitia Gnesnæ instituunt. Ibi de summa reip. consultatur. Et inter omnes quidẽ conueniebat, rempub. nisi ad vnũ rursus deferatur principatus, saluam esse non posse. Quémnam verò potissimum deligãt, variabant sententiæ. Nonnulli reuocandum esse Cazimirũ, optimè de ipsis meriti Boleslai regis nepotem, censebãt: alij negabant, quòd metuẽdum esse dicerẽt, ne is paternam ignauiam & maternam auaritiam imitatus, vniuersa perderet: néue memor iniuriæ, crudelis vltor & acerbus tyrannus in se existeret. Sed cùm de proceribus atque ciuibus neminẽ deligi placeret: externi verò principes ij qui erant finitimi, partim hostes essent, partim impares tanto oneri iudicarentur, partim etiam domesticis malis atq; dissensionibus laborarent, vicit tandem ea sententia, quæ Cazimirũ, vbi vbi sit, quærendũ, & placãdum, & reducendum esse cẽsebat. Iuuenẽ esse, & liberali facie, nec sanè crudelis patris filium: facilè veniam daturum, culpam deprecantibus: indolem verò eius omnia meliora, quàm de patre matreque polliceri. Ad hęc autẽ, calamitate & exilio nõ ad ociũ & nequitiã, sed ad industriã & modestiã eruditũ esse. Oratores delecti primores viri ad reuocandum eum, luculento viatico & amplis muneribus publicè contributis instructi, ad Rixam in Saxoniam proficiscuntur: ei dona dant: quo in statu sit res Polona, curúe ipsi veniant, supplici & miserabili oratione exponunt. Illa im-

Gnesna capta, ac direpta.

Miraculum.

Episcopi impietas.

Quinque eremitarũ & Gaudentij corpora asportata à Boemis.

S. Adalberti corpus occultatum.

1038. ann.

Romæ litigatũ cũ Boemorum duce de spoliatione templorũ.

Cõradus imperator Poloniam vexauit.

Henricus filius Conradi successor in imperio.

Pomerani Poloniã infestarunt.

Procerũ Polonorũ prudentia.

Comitia & consultatio de repub.

Cazimirus reuocatur.

placabilis mulier, aspernari preces: exprobrare eiectionem suam: insultare malis miserorum: negare filium postulata ipsorum facturum esse, ipsorum scelere eò redactum, vt calamitatis tædio, exilijq; pudore, in Gallias secederet, Cluniaciq; vitę monasticę sese addiceret. Hoc accepto à regina respōso, oratores Cluniacum rectà contendunt: inueniunt Cazimirum mutato nomine Carolum, non modò professum religionē, sed iam diaconum. Deprecantur culpam exilij ipsius, quæ tamen penes reginam ferè fuerit. Orant, respiciat afflictam & penè euersam patriam: suscipiat paternum & auitum regnum, ab extremo interitu vindicandum: in eo solo spem Polonorum sitam esse. Qua si decidant, funditùs se perisse. Respondet ille modestè, obortis lachrymis: Exilium suum non ipsis, verùm arcano Dei iudicio, & nonnulli fortassis parentum suorum culpę se imputare: casum dulcissimæ patriæ, quam sui maiores florētissimam reliquissent, miserari. & adiutam eam omni ope & consilio „ uelle, si integrum id sibi sit. Nec ignora„ re, maioris esse pietatis & meriti, publica „ administrantem multorum saluti con„ sulere, quàm priuatum, & in solo loco cō „ clusum, innocentiam vitæ suæ tueri. Sed alieni iam se iuris factum esse: datam semel Deo, atque ijs quorum se potestati vltrò subiecisset, fidem fallere non posse. Mœsti hoc responso legati, ac de spe propemodum deiecti, omnia tamen tentanda sibi esse existimant. Abbatem monasterij adeunt: eadem illa orant: muneribꝰ animum eius mollire conantur. Ab eo ad Pontificem max. reijciuntur. Ne eum quidem itineris laborem & molestiam defugerunt. Romam è Gallijs profecti, magna diligentia importunisque precibꝰ tandem à Pontifice maximo Benedicto, eius nominis nono, vel à Clemente secūdo, vt alij volunt, impetrant, vt Cazimirus monachus & diaconus, professionis & sacramenti religione solutus ad regnū maiorum suorum redeat, vxorem ducat, liberos procreet. Pro hoc Polonis, quo beneficium sedis Apostolicæ agnoscant, iniūctum, primū vt de singulis capitibus, exceptis nobilibus siue equitibus, & qui sacris addicti sunt, quotannis obolus vnꝰ in lucernam perpetuò in æde diui Petri Romæ arsuram pendatur: qui etiamnū sancti Petri numus dicitur. Tametsi Dlugossus, regnante apud Polonos Vuladislao Loctico, ad hanc rationem vult redactam esse pensionē illam, cùm priꝰ tres oboli & cribrum auenæ de vnaquaq; familia pensitari solerent. Deinde pręscriptū est, vt omnes Poloni rotunda, in mōrem monachorū, tonsura capillorū vtātur, nec infra auriculas ritu barbarico quisquam omnino comā promittat: festis solennibus, dum sacra peraguntur, vt singuli equites fasciam lineam candidā in modum stolæ, qua in sacris vtuntur sacerdotes atq; diaconi, è collo suspensā ferant. Suscipiunt nō grauatim pręcepta & leges Pontificis oratores, & Poloniā omnem ad seruanda hæc obstringunt. His rebus è sententia confectis, curriculo Cluniacum repetunt, cum mandatis Pontificijs: atque inde porrò læti Cazimirum reducētes, ad Rixam, ita volente ipso, diuertunt. Ea cùm frustra reditionē filio dissuadere conata esset, ad Henricū deinde imperatorem adeunt, orant, vt diademata, quæ Rixa è Polonia sublata Conrado patri ipsiꝰ donarat, propinquo regi reddat, eumque auitum socium & amicum Rom. Imperij tuendum ac defēdendum suscipiat: Boemum ducem ab inferendo Polonis bello cohibeat: & ad reddenda, quæ superiori tempore abstulerat, cogat. Non difficilem se in ijs, quæ petebantur, Henricus præbuit. Nam & coronas reddidit, & sexcentorum equitū præsidium Cazimiro deducendo addidit: & de Boemo, cū quo bellū tunc gerebat, curæ sibi fore promisit. Igitur auctus comitatu Cazimirus, & plenꝰ bonę spei, salutato Imperatore, in Poloniā cōtendit. Cū autē Poloniæ fines attigisset, effusa obuiā hominū omnis generis, ætatis atque sexꝰ ingēs multitudo officij gratia, læta ac tripudiās regem suū tantopere expetitū, quasi pręsens quoddā numē atq; salutē suam faustis ominationibꝰ & acclamationibus, gaudioq; ꝓfluentibꝰ vbertim lachrymis excipit: reducem gratulatur: certatim oēs pręteritorū veniā & obliuionē supplices petūt. Ille lachrymās et ipse, comiter omnes cōsolatus, suspicione culpę metuq; supplicij liberat. Quicquid factū sit, non sine diuino nutu factū ꝓ suis fortasse & maiorū suorū meritis. Adesse iā se, quē alio vitæ generi deditū, & in eo acquiescentē, tanto studio expetissent & reuocassent, salutem omnibus, ac non perniciem cuiquam afferentem. Confidere autem se vicissim, ipsos omni fide atque beneuolentia complexuros se esse, boni ac vigilātis principis officio fūgentem. Ita densissimis lęticiaque exultantibus hominum cateruis præcedentibus & subsequentibus, Gnesnam honorificētissimè deducitur, anno septimo post quam excesserat.

Cazimirus diaconus.

Cazimiri modestia.

Oratores Poloni Romam profecti.

Votum relaxatur Cazimiro.

Polonis iniuncta onera à Pontifice max.

Numus S. Petri.

Henrici imperatoris animus erga Cazimirum.

Cazimiri reditus.

Cazimiri comitas & pietas.

CAZI.

CAZIMIRVS PRIMVS REX.

Restitutus igitur in paternum regnũ Cazimirus, & summa omnium ordinum gratulatione lætitiaq; Gnesnæ de more inũctus & coronatus, legatis externorum principum gratulantibus, celebritatemque illam cohonestantibus, benignè & sapienter respondit, eosque liberaliter donatos dimisit. Mox ad reipub. vulnera sananda animum adiecit: pacẽ publicam grauibus edictis sanxit. & quoniam ex tanta rerum perturbatione, obducendam potius afflictæ reipub. cicatricem, quàm acerbis quæstionibus & iudicijs vulnus refricandum esse existimabat, vetus Atheniensium exemplum imitatus, præteritorum quidem obliuionem edicit, restitutis modò in suas possessiões ijs, quibus per vim ablatas esse constabat: in posterum verò eis qui se vi, cæde, latrocinio nõ abstinuissent, omnem spem veniæ præcidit: in paucos contumaciores, qui à consuetis rapinis ægrè recedebant, ad terrorem cæterorum, non sine moderatione tamen, animaduertit. Rebus domi maxima ex parte bene constitutis, ad externa circumspicit: & vt debilitatas regni vires externis auxilijs confirmaret, simulque vt posteritati consuleret, amplissimi senatus suasu atque rogatu cũ Iaroslao Russorum principe fœdus & affinitatem init, sorore eius Maria, cuius mater Constantinopolitanorum imperatorum, sicuti suprà memorauimus, soror fuerat, vxore cum ampla dote ducta. Quã ingenti pompa Cracouiam aduectam iuxtà ac exceptam, Gnesnam deduxit: Græcorum schisma abdicantem, ecclesiæ catholicæ reconciliauit: reginam solenni ceremonia fecit: & pro Maria Dobrogneuam appellauit. Iaroslaum affinem iure omni, quod pater auusq; suus in Russia habuêre, donauit: societatem tantũ, & auxilia contra quosuis hostes pactus. Quibus auxilijs, itemque sexcentis Germanis equitibus, quos præsidij sui causa ex Germania secum duxerat, fretus, insequenti æstate Masouios infesto exercitu adoritur. Nec segnius Maslaus tyrãnus, nõ parua suorum manu raptim coacta, aduenieñti regi occurrit: nec mora, pugnæ copiã facit: Prussorum, quos in societatẽ belli asciuerat, auxilijs nõ expectatis. Fit acre præliũ, hinc iusta ira, illinc veniæ desperatione pugnãte. franguntur tandem, funduntur que Masouiorum acies: dant manus victori regi. Dux ipse & author belli Maslaus, nihil sibi tutum fore inter suos ratus, ad Prussos fugit: ab his simul & à vicinis Slonensibus & Iazygibus, siue Iazuingis facilè non modò auxilia, sed validos exercitus contra regem impetrat, quod ipsorum rem agi diceret. Non quieturum enim esse regẽ se victo, quin ipsis quoque arma inferat: & non tantùm tributum quod pendere desijssent exacturum, verumetiam graues pœnas rebellionis de ipsis sumpturum esse. Tuerentur libertatem, in quam se asseruissent: cogitarent, non eas iam Polonorũ vires esse, quæ Boleslai regno floruissent, quibusque ipsi debellati essent: magnam vim hominum partim externis bellis, partim intestinis cædibus exhaustam esse: qui superśint, quique maximi bellicosi sint, eos ferè secum sentire: & partim apertè id profiteri, partim clàm consilia communicare: in regem non optimè animatos esse, quippe qui ocio & superstitioni in monasterio imbibitæ deditus, militaribus hominibus minus indulgeret. Se quidem cum paucis non tam iusto prælio superatum, quàm inopinantem oppressum, non incruentam tamen hosti victoriam reliquisse: ipsos tantis pollere copijs, vt Poloniam omnem nullo negocio possint subigere, afflictam præsertim atque laceram, vt tunc esset. Ad hæc, ipse etiam de suo ingentibus pollicitis eos onerat: nec difficulter homines barbaros ad societatem prædæ magis, quàm belli, quemadmodum videri volebat, allicit. Iazuingos autem & Slonenses, Prussici tractus populos fuisse, Dlugossus indicat. Siue autem ijdem fuerunt Iazuingi cum Iazygibus Metanastis, quorum extant adhuc reliquiæ quædam ad Tibiscum fluuium in Vngaria, nomen antiquum retinentes, & quodam tempore ad Septentrionem in mediã Sarmatiam pro gressi colonias deduxerunt: siue diuersi prorsus ab illis, inter Poloniam quidem, Russiam atque Prussiam medij in extrema ora Lituaniæ habitasse, & acerrimi ac bellicosissimi fuisse memorantur, donecà vicinis attriti, & ad extremum deleti sunt. Quanquam feruntur adhuc tenues quædam eorum reliquiæ superesse in Lituania & Russia diuersa prorsus à Slauis & Litvvanis lingua vtentes. Extat etiam Slonscum oppidum ignobile in confinio Prusiæ & Masouiæ, nunc à Masouijs habitatum. Hi ergo cum Prussis pariter ad inuadendam Poloniam exciti, publico consensu belli totius administrationem Maslao mandant. Per id tempus Cazimiro regi Boleslaus filius natus est. Æstate sequenti Maslaus cum ingentibus barbarorum copijs in fines Masouiæ ingressus, facilè eam recepit.

Consilium salubre in rebus turbatis. *ἀμνησία.* *Fœdus & affinitas cũ Russis.* *Dobrogneua regina Russorum schismate abdicato, coronatur. Russiæ ius Iaroslao duci donatum.* *Masouiense bellum.* *Maslaus victus reparat exercitum.* *Maslai suasio.* *Iazuingi & Slonenses populi.* *Iazyges.* *Prußicum bellum.* *Boleslaus Cazimiro natus.*

Carebat enim præſidijs & munitionibus. Nec multo pòſt Cazimirus de aduentu hoſtium certior factus, adeſt & ipſe, auctis numero & robore militum ſuperioris
1043. anni copijs. Venientem apud Viſtulam Maſlaus ſpei & animorum plenus, operitur: conferuntur propemodum caſtra caſtris. Rex vbi copias hoſtium ſuis longè maiores vidit, concidere animo:

Cazimiri pœnitentia.

pœnitere præſentis fortunæ atque regni: priſtinam monaſticę vitę quietem atque tranquillitatem animo requirere. His curis atq; cogitationibus fatigatum ſopor opprimit. Ibi per viſum diuinitùs recreatus & confirmatus, poſtero die pro concione militibus viſum exponit: & repletos fiducia diuini auxilij, alacres in aciem educit. Nec hoſtes pugnam detrectarunt. Canunt ſigna: clamor vtrinque attollitur: nuſquam deeſt ſuis regis prouidentia & adhortatio, vt duce Deo certam victoriā amplectātur.

Viſum.

Et ferunt conſpectū eſſe in aere iuuenē auguſta ſpecie corporis, veſte candida, cādido equo inſidentem, & in hoſtiles turmas vexillum inferentem. Nec mora, terga vertunt barbari.

Pruſſi & Iaziges profligati à Polonis.

Inſtant acrius noſtri fugientibus: fit ſtrages maxima. In eo prælio cæſa feruntur hoſtiū quindecim millia, capta duo. E regijs pauci ſaucij, pauciores deſiderati ſunt.

Cazimiri labor in prælio.

Rex inter primos hoſtem fugientem perſequens, vociferando, cædendoque laſſus, & cruore reſperſus, ſemianimis propemodū à gregario quodā milite in caſtra relatus eſt: quem poſtea militaribus affecit præmijs, & in equeſtrē ordinem retulit. Cæterū Maſlaus ex fuga perpetuo curſu in Pruſſiā contendit. Ibi à barbaris cognito euentu prælij excarnificatus, in crucē actus eſt, inſultātibus, vt

Maſlai interitus.

„ alta teneret, qui alta petiuiſſet. Sic mali
„ cōſilij author, malè perijt. Ab hoc pręlio Maſouia penitus in ditionē regis reuenit: nomen tamen ſemel acceptum in hanc diē retinet, quamuis mutatis poſtea finibus. Pruſſi clade ſuorum permoti, & veriti ne ſtatim ſibi Cazimirus victricia ſigna inferret, miſsis legatis culpam rebellionis deprecantur. Regi ſe & ſua ſubjiciunt: tributa debita perſoluūt, ac deinceps quotannis ſoluturos ſe eſſe recipiunt. Ita pax eis data eſt, & captiui dimiſsi.

Vuladiſlaus naſcitur.

Rex altero filio Vuladiſlao auctᵒ eſt. Interim autē dum hæc geruntur in Polonia, Henricus imperator, cùm meditatum etiam à patre bellum Boemis intuliſſet, ſuperbo Prædiſlai ducis reſponſo (quo negabat ſe regi Polono redditurum eſſe ademptas munitiones) magis etiam fortaſſis irritatus, principiò quidem rem non ſatis proſperè geſſit, ſed altero anno repetita maioribus viribus in Boemiam expeditione, victum fractumque Prædiſlaum grauiter multauit: & iureiurando in ſua verba adactum, quas de Polonis cæperat, vel ipſe in finibus Poloniæ munierat munitiones, Cazimiro reddere coegit: conceſſaq; ipſi Morauia, tributum auxit, ita vt quingentas marcas, vt vulgo vocant argenti, (quæ ſunt 250. libræ) ac centum viginti boues dux Boemus deinceps Romano Imperatori quotannis penderet.

Boemi ab Hērico Imp. victi, ac denuò tributarij facti.

Morauia Boemis ceſſit.

Boemorum tributum.

Atque hoc illud eſt, quod Æneas Syluius, & alij nonnulli hiſtorici ſcribunt, ab hoc Henrico Boemorum ducem domitum eſſe, quòd is iniuſſu ſuo Poloniam vaſtaſſet. Neque enim exiſtimandum eſt, Poloniam tunc in ditione Romanorum imperatorum fuiſſe. Nam quod addit Syluius, Sileſiam Boemis ab imperatore, impoſito tributo, traditam eſſe: de Morauia id rectius accipitur. Sileſiam enim etiam tunc in Polonorum ditione manſiſſe, vel S. Petri numus cuius dudum mentionē fecimus, argumento eſt.

Sileſia in Polonorum ditione manſit.

Nam cum Sileſij quoque, itidem ac cæteri omnes, qui tunc regno Polonico continebantur, etiam nunc pendunt, & aliquanto poſt, vt nos inferius oſtendemus, ea regio Sileſia dici cœpta eſt. Adde quòd poſterius Cazimirus rex Polonorum, cuius tempora nunc proſequimur, Smogorouienſem ſiue Bicinenſem cathedram & epiſcopam, Vuratiſlauiam tranſtulit: quæ vrbs in vmbilico Sileſiæ ſita eſt.

Vuratiſlauia vrbs.

Et multo poſterius autem in ea Polonos reges & principes dominatos eſſe, multaque dominationis ſuę monumenta publicè reliquiſſe conſtat, quemadmodum nos ſuis locis exponemus. Rectius igitur Sileſiæ munitiones Polonis tunc à Boemo iuſſu Henrici redditas eſſe crediderimus. Pacato per circuitum regno, Cazimirus memor priſtinæ conditionis, & vitæ monaſticæ, victoriam que contra Maſlaum atque barbaros diuino beneficio acceptam referens, Cluniacum, vbi monachus fuerat, legationem cum amplis muneribus mittit, benignitatem erga ſe Dei prædicat: ſodalitati vniuerſæ ſe ſuoſque commendat: aliquot monachos ad ſe mitti poſtulat, qui ſectæ illius quaſi colonias quaſdam in Poloniam deducant. Mittuntur duodecim. His partim Tineciam arcem, vno à Cracouia milliario ſupra Viſtulam, cū centum amplius pagis: partim Lubēſum

Benedictini monachi Cluniaco acciti in Poloniam.

Tinecenſe monaſteriū Lubenſenſe.

oppidum ad Odram situm, cum compluribus itidem pagis & prouentibus alijs attribuit: domicilia monachis extruxit, atque templa, eaque perampla supellectili ad cultum diuinum apta ornauit. Fuit autem primus abbas Tinecensis Aaron Gallus: cuius integritas, pietas & industria Cluniaci adhuc Cazimiro perspecta erat. Atque is deinde Rachelino sexto archiepiscopo siue episcopo Cracouiensi vita defuncto, à sacro eius basilicæ collegio postulatus septimus successit, regis fauore & commendatione adiutus.

Aarō archiepiscopus Cracouiēsis.

Decimas, quæ ex agris Tinecensis monasterij episcopo Cracouiensi prębebantur, Abbati & monasterio iure sempiterno addixit & adscripsit: diœcesim psalmodijs & precationibus, ijs quæ Graduum vulgo dicuntur, onerauit.

Graduū preces in Cracouiensi diœcesi.

Multa item alia Cazimirus rex fecit & instituit, quæ ad religionis & reipub. instaurationem pertinere existimabat: pace ꝑpetua, post Maslaicum bellum fatigatam superioris temporis malis Poloniam, mirum in modum recreauit, eoque instauratoris pacifici cognomentum meruit.

Cazimirus instaurator pacificus.

Henrico imperatori bellum in Polonos paranti, quòd auxilia contra Petrum regem, propinquum ipsius, Andreæ & Leuentæ Vngaris misisse dicerentur, missis legatis, & refutatis Boemorū, qui Imperatorem in Polonos irritabant, calumnijs, satisfecit: & contra Vngaros ipsi, Petri necem vlciscenti, auxilia postea misit.

Vngaricæ res.

Vngari enim pulso Petro, Abam, siue Ouonem, cum quo soror diui Stephani regis nupta erat, regē sibi creauerant. Atque is ob receptū ab imperatore Petrum æmulum suum, Austriam & Bauariam infestarat.

Petrus rex Vngarorum.

Quare irritatus Hēricus, defunctus bello Boemico, in Vngariam semel atq; iterum exercitum duxerat, quo Petrū in regnum restitueret. Sed resistentibus Vngaris, re infecta recesserat. Deinde verò accitus ab Vngaris, quibus Abas ob crudelitatem et contemptum nobilitatis exosum se reddiderat, Petrum, profligato & interfecto Aba, restituerat.

Abas rex Vng.

Sed cùm is quoque impotenter dominaretur, ac Teuthonas Italosque Vngaris non modò in consuetudine vitæ, sed etiam in honoribus mandandis anteponeret, Vngari Andream & Leuentam, Ladislai Calui filios, apud Russos tunc post Miecislai Poloni regis mortem exulantes, clàm acciuêre, & regnum ad Andream, Leuenta concedente, detulêre: ea conditione, vt sibi, abiecta Christiana religione, extirpatisque sacerdotibus & externis omnibus, pristinam & Scythicam impietatem publicè resumere liceret.

Andreas rex Vng. Vngari à religione Christiana defecêre.

Quod vbi factum est, Petrus fuga sibi consuluit. Sed retractus & excæcatus, paulo pòst angore animi perijt.

Petri regis mors.

Andreas regno potitus, edictū suum de religione abrogauit, capitalique pœna sanxit cultū religionis Christianæ.

Andreas religionē Christianā apud Vngaros reuocauit.

Nec tamen ea re Henricū imperatorem placauit, quo minus is Boemorum & Polonorum auxilijs accitis, denuo contra Vngaros expeditionem faceret, vt Petri regis mortem vlcisceretur, & Vngariam Romano imperio vectigalem redderet.

Hēricus Imperator bellū infert Vngaris.

Ad hoc igitur bellum Cazimirus auxilia ipsi misit. Verùm id æquis conditionibus direptum est, vt mox in Boleslao referemus.

Polonorum auxilia contra Vngaros.

Scribit Bonfinius, & vetustior quidam Vngaricarum rerum scriptor, quem in plerisque sequitur Bōfinius, Andreā hunc Boemiam, Poloniā & Austriam tribus cōtinuis annis infestasse, et vectigales sibi reddidisse: irritatū, vt videtur, ob missa contra se Imperatori auxilia.

Bonf. rerum Vngar. dec. 2. lib. 2.

Cæterorū nemo vllam huius rei mentionem facit. Hagecus verò memorat, Latrunculos è Polonia, ducibus Versouitijs siue Rauitis Boemis agrum Closcensem infestasse: & multos ex his à Cazimiro rege captos, & suspendio necatos esse, Prędislao Boemorum duce postulante. Atque ita pacem inter Boemos & Polonos redintegratam, nequicquam dissuadentibus Prædislai filijs: Vuratislauiamque & alias vrbes Polonis à Prædislao redditas, ea lege, vt Boemorū principi certum tributum quotannis inde penderent.

Boemorū cū Polonis pacificatio.

Sed hoc quoque inconuenienter & obliuiosè ille, vt cætera ferè. Quomodo enim ad Closcum prius Poloni excurrissent, Boemis Vuratislauiam & cæteras intermedias munitiones tenentibus? Syluius quidem, ex quo pleraq; sumpsit Hagecus, Boemorum principi tributum id ab Henrico imperatore, Silesiæ nomine impositum esse vult. Sed is quoque re ipsa, quemadmodum superius attigimus, facilè refellitur. Nos cætera de Cazimiro persequamur. Suscepit autem is ex Dobrogneua vxore liberos, mares quidem quatuor, Boleslaum, Vuladislaum, Miesconem & Ottonem: fœminam verò vnam, Suentochnam.

Cazimiri regis liberi.

Ex his Otto puer admodum, viuo patre: Miesco adultior iam, octauo post patrem anno, rebus humanis exempti sunt. Cùm autem Cazimirus decimumoctauum regnaret annum, incidit in grauem morbum: quo mensem vnum afflictus, vbi finem vitæ suæ adesse sensit, proceribus liberos commendat: & sacramentis ritè procuratus, religiosè tranquilloque ani-

mo, quarto Calendas Decembris, extremum vitæ clausit diem : & magno omnium mærore Posnaniæ sepultus est, anno post Christum natum 1058. Mortem eius cometes portenderat. Nec multo post, Aaron Cracouiensis episcopus regem secutus est. Fuit autem Cazimirus procera statura, forma liberali, bona & vegeta corporis habitudine, capillo denso, promissa barba, cōptus & elegans: literis mediocriter eruditus, primus quidem inter reges Poloniæ: in pupillos & viduas clemens & beneficus: in Ecclesiasticos homines in primis propenso animo: erga omnes comis, lenis & benignus: denique in omnibus rebus agendis Dei timorem maximè ob oculos habere solitus. Hic rex sedem episcopi, quæ primùm Smogorouiæ, deinde Bicinæ fuit, Vuratislauiam transtulit: insula vrbi vicina ad confluentem Odræ & Olauæ fluuiorum sita, Episcopo & collegio sacerdotum attributa.

1058. ann.

Cazimiri effigies, & mors.

Vuratislauiensis basilica.

BOLESLAVS SECVNDVS REX.

Conuentu apud Gnesnam instituto, summa omnium volūtate ad Boleslaum Cazimiri filiū natu maximum, solenni ceremonia regnum & diadema defertur, cùm quod ætati is honor habendus esse existimaretur, tum quòd is adolescentulus, etiam tū singulari industria, liberalitate, animi magnitudine, laudis atq; gloriæ studio præditus, ad res maximas gerēdas factus, & regno dignissimus esse videretur. Ad eum primis tribus annis tres illustres exules cū cōfugissent, magnam ei materiā sequentium bellorum præbuerunt. Ii verò fuerūt: Izaslaus princeps Kiouiensium, Iaroslai Dobrogneuę reginæ fratris filius: Bela dux Vngariæ, Andreæ regis frater, quorū superius meminimus: & Iaromirus, Prędislai Boemorum principis filius. De quib⁹ omnibus, quo res fiat dilucidior, paulo altius repetemus. Ac primùm de Izaslao. Iaroslaus monarcha, de quo plura suprà scripsimus, inter quinque filios, Izaslaum, Suetoslaum, siue Stoslaum, Vuseuolodum, Igorum siue Gregorium (vt habent Dlugossus & Vapouius) & Viceslaum siue Visseslaum, Russiæ principatus moriens partitus erat. Sextus enim Volodimirus, viuente adhuc illo obierat. Ex his Izaslaus, cui Kiouia, & Vuseuolodus, cui Pereaslauia obtigerat, Visseslaum Polocensium ducem cum duobus filijs, post patris mortem dolo captum, in vincula coniecerant. Per id tēpus Polouucij, siue Poliovvcij, à cāpis à nostratibus appellati, barbara gens, Russis ab oriente sole & meridie cōfines, quos nostrates quidam Gotos, Vngarici verò scriptores (nescio an rectè) Cunos siue Hunnos esse volunt, Tanai trāsmisso, in Vuseuolodi ditionē impetū fecerant: eumque vnà cū Izaslao fratre & Russorum copijs sibi obuiā progressum, bis magna strage profligarant: Russiam longè lateque vastabāt, & ingēti terrore extremi excidij cunctos impleuerant. Ibi Russica nobilitas vinctū Visseslaum dimitti sibi poposcit. Cumq; id negatum esset, ipsa eū per vim atque tumultum inuitis ducibus suis liberauit: & cum eo arcem Kiouiensem inuasit, ac ducem eum sibi pro Izaslao constituit. Izaslaus diffisus rebus suis, in Poloniam ad propinquum regem confugit. Ita Dlugossus & Vapouius. Russorū annales nullam faciunt Visseslai capti & liberati mētionem: nec ab eo, sed à Stoslao Cierne-chouiensium, & Vuseuolodo Pereaslauiensium ducibus, Izaslaum Kiouia eiectum esse volunt, paulo pòst, quàm tres ij Smolenscensem principatum à morte Igori inter se partiti erant. Ac ne Boleslai quidem & Polonici belli meminerūt: sed Stoslaum cum Izaslao in gratiam redijsse, Kiouiamq; ipsi reddidisse memorant: atque adeò pleraq; omnia, quæ Poloni in Russia præclarè gesserunt, subticent, vel deprimunt. In Vngaria verò Andreas rex prouecta iam ętate, post Leuentę fratris mortē, alterum fratrē Belā, cum filijs è Polonia & Pomerania euocauerat, vt quē exilij socium habuisset, secundarum quoque rerum participem faceret: & cum eo sic Vngariam partitus erat, vt ipse quidem duas partes regni cum titulo regio, Bela verò tertiam ac ducis nomen obtineret. Postea bello petitus Andreas ab Henrico Imperatore, quemadmodum dudum memorauimus, pace facta, filiam Henrici vxorem filio Solomoni è Russa vxore suscepto acceperat: siue ipse duxerat, & Solomonem filium ex ea susceperat (variant enim scriptores) & eum ipsum filium, paruulum adhuc, socero contendente, successorem sibi destinarat, regemque viuus nuncuparat. Igitur indignè ferens Bela puerum sibi seni prælatum esse, initiò quidē dissimulauit: mox collectis clā sarcinis, cum vxore, tribus filijs & familia in Poloniam ad affinem regem se recepit, veritus ne quid durius in se frater statueret. Subolfecerat enim, eū sibi insidiari. Porrò in Boemia Prædislaus princeps ex Iuditha vxore quinque filios susceperat, Spitigneum, Vuratislaum, Ottonem, Conradum, & Iaromirum. Moriens Spitig-

Boleslai II. indoles.

Bellorū semi narium.

Russiæ principatuum partitio.

Fratrum dissidium.

Polouucij Russiam vastant.

Goti.

Cuni, siue Hunni.

Visseslaus è carcere liberatus.

Izaslai fuga in Poloniā.

Russicorum annalium fides de Polonorum reb. gestis.

Bela vocatus à fratre in Vngariā.

Vngariæ ducatus.

Solomō Andreæ regis filius.

Belæ fuga in Poloniā.

Boemicæ res. Prædislai filij.

tigneum natu maximum successorẽ sibi fecerat: Iaromirum natu minimũ sacerdotio destinarat: tribus autem reliquis Morauiam attribuerat. Eo mortuo, cùm Spitigneus impotenter dominatũ gerere cœpisset, Germanos & externos omnes, & in his matrem suam Iuditham excedere Boemia iussisset, primoresque nobilitatis Morauicæ euocatos ad se prehendisset, & per arces custodiendos distribuisset, Vuratislaus fratris acerbitatem timens, relicta vxore, in Vngariam ad Andream regem profugerat. Vxore deinde mortua, alteram Andreæ regis filiam, vltro oblatam exul duxerat. Id cùm comperisset Spitigneus, veritus ne ille soceri auxilio fretus, bellum sibi inferret, vltro eum reuocarat. Nec multo pòst supremũ vitæ clausit diem. Vuratislaus à Boemis ad suscipiendum principatum accitus, Morauiam Ottoni & Conrado fratribus totam concesserat: Iaromirum, itidem ac Spitigneus, exortem patrimonij fecerat: persuaseratque ipsi, episcopæ spe iniecta, vt sacris initiaretur. Is igitur cùm iam esset Diaconus, mutata sententia & vestitu, in Poloniam & ipse apud Boleslaum regem militaturus, & rebus suis commodius consulturus, paruo comitatu se contulit. Nunc iam ad institutum nostrum reuertamur. Vuratislaus ergo permolestè ferens, receptum ex fuga fratri suo Iaromiro in Polonia patêre, veritusque ne quid ille noui contra se Polonorum fauore & auxilijs fretus moliretur, cum infesto exercitu in fines Poloniæ ingressus est: oram eam ferè omnem, quæ postea Silesiæ nomen accepit, populatus, igni ferroque vastauit: quo nũcio ad se perlato, celeriter Boleslaus cum tumultuaria manu hosti occurrit: & inopinantem in sylua quadam assecutus, reficere corpora & iumenta suos festinatione defatigatos iubet, postera die hostem aggressurus. Boemus regis aduentu cognito, neque dimicare cum Polonis, quorum vires non nosset, quosque locorum peritia adiuuaret, tutum sibi esse ducebat: & manere eum diutius in eo loco, penuria rerum omnium nõ sinebat: tum autẽ verebatur, ne succisione arborum, vel ab agrestibus receptu prohiberetur. Itaque fugæ consilium cepit: à rege fallendi causa colloquium in posterum diem petijt, quasi de admissis satisfacturus. & secunda noctis vigilia relictis impedimentis, & paucis infirmis, maioribusque ignibus, quo facilius excubias nostrorum frustraretur, accensis, silentio suos eduxit, & festinus fugam arripuit.

Spitignei acerbitas.

Vuratislai fuga in Vngariam.

Morauiæ Marchion.

Iaromiri diaconi fuga in Poloniam.

Boemicum bellum.

Boemorum fuga.

Insequenti die Boleslaus, vbi hostem effugisse animaduertit, dolore atque ira percitus, aliquot dies eum persecutus est, nec tamen assequi potuit: sed extremos tantùm agminis, debiliores atque lassos, excepit. Nec mora, in Morauorum fines diuertens, villas, vicos & oppida incendit: multosque mortales, nihil eiusmodi metuentes, in agris oppressit, & magnam prædam abegit & abduxit. In sequentem verò annum maius bellum parabat. Quod vbi Vuratislaus compérit, cùm hostiles vires, tum suorum proditionem & fratrum insidias metuens, de pace per communes amicos agit: & quòd aliò spectabat Boleslaus, facilè impetrat, his quidem legibus, vt damna nostris illata sarciat: sororem Boleslai Suentochnam, tertiam vxorem ducat: alteram enim anno superiore defunctam amiserat. Suentochna, quam Suatanam Boemi vocarunt, ad sponsum non multo pòst à primoribus Boemis accita ac ducta, & nuptiæ magno splendore celebratæ. Iaromirus autem Poloni regis & reliquorum fratrum opera in gratiam cum Vuratislao redijt: & Pragensis, deinde verò etiam Olomucensis episcopus non fine iniuria alterius factus est. Per id tempus, cùm episcopa Cracouiensis post mortem Aaronis ob controuersam sacri collegij electionem toto biennio vacua fuisset, tandem Lampertus cognomẽto Zula Polonus successor electus est. Nec tamen is pallium de more à Pontifice maximo petiuit. Inde igitur in posterùm Cracouia archiepiscopum habere desijt. Per idem tempus Prussi contemnentes Boleslai regis adolescentiam, & quòd eum Boemico bello distineri sciebant, rebellarunt: Pomeraniam finitimã transmisso flumine Vistula, repentina excursione populantur: arcem Grodecum, quò se cum præda recipiant, muniunt: inde crebrò in adiacentes oras Poloniæ, nemine prohibente, grassantur. In eos igitur Boleslaus, pace cum Boemis facta duxit exercitum: Grodecum oppugnare adoritur: verùm difficultate expugnandi eius deterritus, eo quod natura munitus esset locus, egregieque à Prussis defenderetur, soluit obsidionem, in qua plusculum temporis frustra consumpserat: fremensque, quòd syluis & paludibus & munitione illa sese tenerent hostes, nec vllam pugnandi copiam facerent, & se aliò festinantem distinerent, arte sibi domandos esse, quos aperto marte non posset, existimauit. Reducere se exercitum simulat: cæterùm in insidijs late-

Morauiã à Polonis vastata.

Pax affinitate sancitur inter Boemos & Polonos.

Lampertus Zula episcopus Cracouiensis.

Prussicũ bellum.

Grodecum arx.

latebat. Prussi abijsse hostem rati, è latebris prodeunt, & in Poloniam excursionem facere parant. Quod cùm Boleslaus ab exploratoribus accepisset, ducit in hostē alacer. Priusq̃ ad hostē veniretur, trāsmittendus erat Ossa fluuius, qui Poloniā à Prussia dirimit. Hunc primi armati incunctanter ingressi, pondere armorum, & altitudine aquarum, quę imbribus tūc fortè excreuerant, absorpti sunt. Cæteri exuti armis & loricis, quæ magni ponderis fiebant antiquitùs, minori periculo tranarunt: hostesque securos, & nihil tale suspicantes opprimunt: & ingenti strage concisos, in potestatem suam redigūt. Gallus in Pomeranico bello id vsuuenisse narrat: nec fluminis nomen prodit. Et sanè Grodeci nomen non Prussicam sed Polonicā, vnde Pomerani oriundi sunt, sapit originē. Ex illo autē tempore Poloni grauioribus armis & loricis minus vtūtur. Prussicum bellum recepit Vngarica expeditio. Nam Boleslaus rex Belæ exulis, & vxoris eius amitæ suæ precibus fatigatus, & perfugientium ad eos Vngarorum multitudine, clandestinisque nōnullorum procerum, fidem & studia sua Belæ deferentium, legationibus motus, neque prætermittendam sibi esse tam luculentam gloriæ comparandæ occasionem iudicans, reducere propinquos instituit: ac tribus agminibus, Belam in comitatu suo ducens (nam vxor & liberi in Polonia manserant) Vngariam ingreditur. Venientibus adiungunt se complures Vngari, ita vt quartum ex ipsis agmen conficeretur. Nec segnius Andreas rex hosti aduentanti ad Tibiscum, siue Cissam amnem, qui è Sarmaticis montibus ortus, in Danubium influit, occurrit: magnas Vngarorum copias, maioraque Germanorū & Boemorum auxilia ducens. Cùm.n. bellum contra se à Bela & Polonis parari intelligeret, miserat Solomonē filium in Germaniā. Regnabat tunc apud Germanos post mortē Henrici patris Henricus puer, eius nominis inter Cæsares quidem quartus, inter Imperatores verò tertius, cū Agnete matre: q̃ siue socrus, siue auia Solomonis erat. Ab his igitur Solomon non contemnenda auxilia, ducibus Guilhelmo & Botho, acceperat: à Boemis item alia, quibus Vuratislaus ipse princeps præerat. His ergo virib⁹ fretus, transmisso Tibisco acies instruit: neque nostri pugnā detrectarūt. Concurritur infestis signis, & aliquot horis dubio marte & incerto euentu pugnatur. Ad extremum cedunt loco Andreæ copiæ. Ibi Vngari, qui cum Andrea rege erant, premi suos, nostros vrgere conspicati, ad Belæ partes transeunt: nec diutius Germani & Boemi, deserti ac proditi ab Vngaris, impetum Polonorum pariter & Vngarorum sustinuēre. In fuga oppressi sunt multi, capti item non pauci, & in his Vuratislaus princeps, & Germanorum duces. Vapouius pro Vuratislao Cōradum fratrem eius, Marchionem Morauiæ Boemicis auxilijs præfuisse, & captū esse, excæcatumq; à Boleslao scribit. Rex Andreas longius fugiens, tandē ad portas Mosoniēses comprehensus ab Vngaris, & malè tractatus in sylua Boconiensi, vitam finiuit. Magna eo prælio Boleslai virtus & solertia extitit. Post victoriā verò Belā is Albæ regię in sede regia collocauit: victorem exercitum pręmijs ab eo & Vngaris affectum, domum reduxit. Deinde procerum suorum suasu vxorem duxit, præstanti forma virginem, Visseslai Russorum principis cuiusdam (cuius non extat nomen) filiam vnicam, ad quam hæreditas paterna pertinebat. Tantisper autem quieuit Boleslaus à bello Vngarico, & à nuptijs, quantum sat erat ad apparatum belli Russici, ad quod summo studio & omni cogitatione incumbebat. Paratis omnibus, coadunatoque ad constitutum locum omni exercitu, in hanc sententiam apud milites in concione verba fecisse memoratur. Non ignoratis milites, complusculos iam an. nos Izaslaum cognatum nostrum, principatu suo paterno iniustè pulsum, apud nos exulare: eique restituendo nos hanc operam dare existimatis. Nec sanè fallimini. Debemus hoc propinquitati: debemus humanitati. Quin ita hoc natura „ comparatum est, vt afflictæ principum „ fortunę, principes quamuis alienos max- „ imè ad misericordiam moueant. Sed no- „ bis hic nos etiam ferimus, milites. Scitis quantum nobis imperium, quàm amplā gloriam maiores nostri reliquerunt: & vt alios prætercam, Boleslaus quidē proauus meus imperium hoc nostrum Boristhene, Albi, & Sala fluuijs, Sarmaticis montibus, & Germanico Oceano: gloriā verò nominis Poloni ijsdem penè, quib⁹ orbis terrarum clauditur, finibus terminauit. Nunc quanto nostro cum dedecore & imperium hoc accisum, & gloria obnubilata sit, quis nescit? Equidem vix teneo lachrymas, quod ad patrē auumq; meum hæc infamia in primis attinet. Tametsi patrem vestra excusat iniuria, & afflictæ nimium interregno vires. Auo veniam, nisi sim ipse ignauissimus, dare nō possum. Verùm enimuero eam labem à ge-

Russi victi à Boleslao rege.

Armatura leuior Polonorum.

Vngaricum bellum.

Tibiscus fl.

Henricus tertius imp. Rō.

Prælium. Boleslai victoria de Vngaris, Germ. & Boem.

Vngari ad Belam transeunt.

Boemorum dux captus.

Andreæ regis fuga, & mors.

Vxor Boleslai.

Russicū bellum.

Oratio Boleslai regis ad milites.

à genere nostro detergere, Russiã regno huic rursus adijcere, columnisq; Boleslai (quem ego vt nomine refero, ita & factis referre cupio) imperium nostrũ termina re, mihi in animo est. Quod vobis placere debet, milites, nisi fortè à virtute maiorum vestrorũ degenerauistis. Atq; maiores quidem nostri gẽtem hanc, sibi prius incognitam, adierunt, vexarunt, debellarunt. Nos iugũ excutientem, & quidem domesticorum nostrorum malorũ, non suarum virium fiducia, non vlciscemur? non ad officium reuocabimus? Nisi fortè vbertas soli illius admiranda, hominũ ingẽs opulentia, & ex rerum copia ortus luxus atq; mollicies, ab hoc bello vos deterret, milites. At ego, nobiscum hæc omnia, contra ipsos facere, iudico. Quin ista ipsa in primis ad spẽ luculentę prædę nos inuitant. Plura dicere parantem, clamore interpellant vniuersi: Duceret quò vellet, bono omine: se impigrè secuturos, & imperata facturos esse. Hinc magnã pecuniæ vim inter milites, vt queq; superioribus bellis meritũ esse nouerat, aut vsui sibi deinceps fore sperabat, distribuit. Sic animatis & optima spe impletis militib⁹, instructa acie triplici, Russiã ingreditur: propterea quod credebat hostes mox ad prelij dimicationem vẽturos esse. Et aderat quidẽ ad Bialogrodũ Visseslaus dux, cũ non contemnendis Russorum, Piecinigorum & Varaiorũ copijs, verùm explorata nostrorũ multitudine atque apparatu, Polościum paucis conscijs fuga cõtendit. Exercitus quoque, cognita sui ducis fuga, nulla interposita mora diffugit. Trepidare tota Russia, Kiouienses deditionem facere velle, ni metuant iratum Izaslaum, quem principatu eiecissent: implorare Stoslai & Vusseuolodi opem: ni adsint, exusturos se esse vrbem, & in Græciam cũ coniugibus atque liberis migraturos. Bono eos animo Stoslaus & Vusseuolodus esse iubent. Ipsi legatos ad Izaslaum fratrem mittunt, orant, vt parcat ciuibus atq; patriæ, dimittat exercitum, Kiouiam recipiat supplicem: Visseslaũ Polosco sese continentem, nõ iam de victoria aut Kiouia, verùm de sua salute esse solicitum. Neminẽ præterea ipsi aduersaturum. Quod si dolorem exilij ex animo delere non posset, ipse de sontibus supplicium arbitratu suo sumeret: Polonis patriam, vtcunque de se meritam, in seruitutem atque prædam ne daret. Cogitaret quàm malè olim Stopolco successisset, quòd exul per eosdem Polonos restitutus esset. Ad hæc Izaslaus de Boleslai sententia nihil aliud quàm periculum se factorum esse, quàm verè illa de Kiouiensibus dicerentur, quaque ij voluntate in se essent, respondit. Mouet Boleslaus exercitum propius Kiouiam, & Mescislaum Izaslai filium cum expeditis aliquot turmis ad vrbem præmittit. Is intromissus, cùm opportuna loca præsidio occupasset, authores seditionis paterniq́ue exilij septuaginta comprehensos partim necat, partim excæcat. Patri & Boleslao regi pacatas esse res Kiouiæ renunciat. Contenderunt ij tamen eò, pacato agmine. Venientibus tota ciuitas ad septimum milliarium obuiam effusa esse dicitur. Dies ea fuit secunda Maij. Rex restituto in paternum principatum Izaslao, partẽ exercitus cum eo contra Visseslaũ misit. Atq; is fuga elapso Visseslao, nulla mora Polosco potitus est: filiumq; Mescislaũ, & nõ multo pòst eo mortuo, alterũ Suentopelcũ, siue, vt Russi habent, Stopolcum Michaelẽ, cum præsidio ibi reliquit: ipse cũ Polonis Kiouiã reuertitur. Rex distributo in æstiua, ac deinde in hyberna exercitu, ipse cũ delectis æstatẽ atque hyemẽ illam Kiouię peregit, amœnitate loci ac delicijs vrbis, & mulierũ venustate, teneritudine, & lepôre admirando captus. Præbuit autem Izaslaus vniuerso exercitui per omne id tempus alimenta & vestes: insuper & regẽ perquàm honorificè, & exercitum pro meritis remuneratus est. Exacta hyeme, maturè Boleslа⁹ ex hybernis mouit, & in Præmisliensem tractum, iniuriane prouocatus, an quòd ea paterna esset vxoris suæ hæreditas, an verò sola proferendi regni cupiditate ductus, non constat. Ac minoribus quidem oppidis, quæ erant in itinere, primo aduentu potitus est: cęterùm Pręmislia à Septentrionali quidem latere, quà ipse veniebat, Sano fluuio, qui è Sarmaticis montibus, haud ita longè à Tibisci fontibus oritur, ab reliquis verò, fossis & aggeribus munita erat, & à magna pręterea multitudine hominum vrbanorum simul & agrestium, atque nobilium, qui ex agris eò se cum familijs & facultatibus suis receperant, defendebatur. Ad hæc, ab vno latere arx oppido imminebat, in edito loco sita, & validis mœnibus turribusque expugnatu, vt illa ferebant tempora, perdifficilis. Rex igitur cùm fluuium, nequicquam prohibentibus Russis, vado satis alto trãsisset, oppidum summa vi oppugnat. Nec segnius defendunt Russi, & crebris eruptionibus, abundante multitudine, nostros oppugnationi intentos adoriuntur: sed reprimuntur, magnaque cæde in oppi-

Russiæ vbertas & opulentia.
Liberalitas Boleslai in milites.
Visseslai fuga.
Russorũ ducum legatio ad fratrem Izaslaum.
Kiouiæ deditio.
Polosciũ redactum in potestatem.
Kiouienses illecebræ. Fœminarum venustas.
Præmisliense bellum.
Præmisliæ situs.
Sanus fluuius.

oppidū repellūtur. Poſtremò vim noſtro-
Præmislienſe oppidum.
rum diuti⁹ ſuſtinere ſe poſſe diffiſi, deſer-
to oppido, in arcē ſe receperūt. Rex op-
pidū ſumma rerū omniū copia diuitijsq;
in prædam datum.
refertum, quarto, poſteaquam oppugna
re cœpit, die captum in prædam dat mi-
litibus. Arcem, quia difficilis eſſe videba-
Arx obſeſſa.
tur eius expugnatio, propter multitudi-
nem defenſorū, neque contrucidari ſuos
volebat, corona obſedit, ſperās fame ſiti-
q́ue breui ſe eam ſedendo in poteſtatem
ſuam redacturum eſſe: equites peditesq́;
quoquouerſus pabulatū dimittit, cōmea
tum quamplurimū in caſtra cōportare,
villarum incendijs abſtinere iubet. Ipſe
diſpoſitis cuſtodijs obſeruabat, ne quid
ad obſeſſos importaretur, néue ij libera è
flumine aquatione vterentur. Nullas.n.
arx intus perennes habebat aquas. In ma-
gna difficultate, obſtinatis tamen ani-
mis, obſeſſi obſidionē ſuſtinebant: donec
fame ſitiq́ue enectis iumentis, & peſte in
homines graſſante, deditionē extremo ę-
Præmislienſis arcis deditio.
ſtatis tēpore fecerunt, vitam & quę ſingu
li vno onere ſecum efferre poſſent pacti.
Rex arcem deditam quantūpoteſt reficit
& adornat, in eaq́ue hyemē ſequentem
commoratus eſt, exercitu in hyberna di-
ſtributo. Fuit hic annus à Chriſto nato
1069. ann.
1069. Eo tempore, cùm Bela rex Vngariæ
Belæ regis Vng. interitus.
tertio regni ſui anno camerę ruina in vil
la quadā afflictus, paulo pòſt obiuiſſet, So
Solomon reductus in Vngariam.
lomon Andreę filius ab Henrico quarto
imperatore affini ſuo in Vngariā validis
copijs reducebatur: quo cognito, Geiſa,
Belæ filiorū fuga in Poloniam.
Vuladiſlaus & Lampertus Belæ filij, ni-
hil præſidij ſibi in fluxa Vngarorū ſuorū
fide fore rati, ex Vngaria in Poloniā ex-
ceſſerant: & Cracouiam rectà cōtenden-
tes, à Vuladiſlao regis fratre & regina co-
miter & benignè accepti ſunt, rege tunc
apud Præmiſliā cum exercitu morā tra-
hente. Cumq; hybernatur⁹ is eſſe in Ruſ-
ſia referretur, Geiſa relictis Cracouiæ fra-
tribus, illuc ad eum venit, opē eius implo
rans. Quem Boleſlaus comiter conſola-
tus, cogitare ipſe ſecum ac deinde cum
cōſilio caſtrenſi conſultare, quid faceret:
propinquóſne exules atque ſupplices, in
termiſſo Ruſſico bello, reduceret, an hoc
prius conficeret. Ac conſiliū quidem in
eam ferè inclinabat ſententiam, vt Ruſ-
ſiam prius pacandā domandamq́ue, & a-
lienam rem ſuæ poſthabendam eſſe cen-
ſeret. Cæterùm regi placuit, non eſſe dif-
ferendam expeditionem in Vngariā, do-
nec Solomon regnum ſuum ſtabiliret,
Germanorumq́; auxilia accerſeret. Igitur
æſtate proxima, cum iā matureſcerent
ſegetes, Boleſlaus rex relicto Præmisliæ,
quantum ſatis eſſet, præſidio, in Vngariā
Vngarica expeditio.
cum reliquo exercitu & Belæ filijs, ſupe-
ratis montibus qui Poloniam & Ruſſi-
am ab Vngaria diuidunt, contendit. Cō-
fluxit ſtatim ad ipſos non paruus Vnga-
rorum numerus. Solomon, vbi de aduē-
Solomō rex in tutū ſe recipit.
tu hoſtium cognouit, Buda regia vrbe re-
licta, Moſonū (arx ea erat munitiſſima)
ſe recepit, eo quòd inops ab externis auxi
lijs, parum præſidij ſibi contra patrueles
in Vngarorum ſuorum viribus atque fi-
de eſſe exiſtimaret. Ibi epiſcopi medios
ſeſe interponunt: Belæ filios orant, ne ſe
patriæ parricidio contaminent: Pacem
Pax inter Solomonem & Belæ filios.
deinde inter eos & Solomonem, non ab-
nuente Boleslao, qui ad intermiſſum
Ruſſicum bellum feſtinabat, componūt
his cōditionibus, vt Belæ filij regium ho-
norem cum duabus partibus regni Solo
Solomon regnat in Vngaria.
moni permittant: ipſi tertia, ducumq́ue
nomine contenti ſint. His rebus magna
omnium lætitia confectis, Boleslaum cū
exercitu, datis de publico ampliſſimis
muneribus, dimittunt. Reuertens autem
Rußicū bellum inſtauratum.
is Præmisliam, reperit Izaslaum princi-
patu Kiouienſi iterum à fratribus præte-
xtu controuerſorum finium illato bello
eiectū. Itaque æſtate quæ conſecuta eſt, in
Volynienſium fines infeſtum duxit ex-
ercitum. Regio tunc erat diues, & om-
nium rerum propter fertilitatem agri
abundans, & oppidis caſtellisq́ue fre-
quens: quæ pleraque omnia partim vi ca-
Volynia in poteſtatem Boleslai venit.
pta, partim dedita, citò in poteſtatem re-
gis venêre. Arces tres præcipuæ Luſcum,
Vuladimiria, & Chelma, è materia qui-
dem limoq́ue, vt pleræque omnes illarū
regionum, conſtructæ, ſed bene munitæ,
validis Ruſſorum præſidijs tenebantur.
Ex his ad Luſcum primùm caſtra ponit,
arcem vi capere nititur: vbi ſæpius res tē-
tata non ſucceſſit, animi dubius delibe-
rat, quid faciat. Et ad Kiouiam quidem
prono animo ferebatur: itaque iudica-
bat, ea recepta facile cæteras eius oræ mu
nitiones deditionem facturas eſſe: ve-
rùm relinquere poſt ſe hoſtem integrū,
& cæteris Ruſſis horum exemplo ani-
mos ad reſiſtendum addere, neque con-
ſultum, neque tutum fore arbitrabatur.
Itaque obſidendo ad deditionē adigere,
quos expugnare non poterat, ſtatuit. Ob-
Luſcum obſeſſum ac deditum.
ſeſſi ſex propemodum menſes, vim & ob
ſidionem cùm ſuſtinuiſſent, ad extremū
freti benignitate regis, pactiq́ue liberum
cum rebus ſuis diſceſſum, arcem de-
dunt. Ibi Gregorius, ſiue Igorus dux, qui
Igorus dux regi ſe dedit.
oram illam ditione tenebat, diffiſus mu-
nitioni reliquarum arcium, miſsis pri-
mùm ad regem legatis, deinde ipſemet
veni-

veniens, imperata se facturum promisit, obsides dedit, pacem impetrauit. Anno sequenti ad Kiouiam mouit castra Boleslaus: obuium sese ipsi offert Vusseuolodus cum valido exercitu, è suis iuxtà ac fraternis ditionibus collecto. Nam Stoslao fratre mortuo, principatū eius sibi adiunxerat: & ij qui Lusci, Vuladimiriæ & Chelmæ in præsidijs fuerant, dimissi, ad eum ferè sese receperant, eoque inuitum multa suadendo & orādo impulerant, vt prælio cū nostris de sūma rei decerneret. Rex qꝫ in primis cupiebat adeptus, acies cōtrà instruit: milites paucis cohortatur, vt optatā conficiendi illius belli occasionem, ab hoste præter spē sibi oblatā, elabi è manibus ne sinerent: & extremū illum eius conatum desperatione magis, quàm spe vincendi susceptū, fortiter retunderent: Eundē esse, qui prius ad manus veni re nunq̄ ausus esset: & ex ijs militibus ferè collectum, qui victi prius, ac vel fuga elapsi, vel deditione facta dimissi à se essent. Si ipsi viri esse pergerent, penitus debellatū iri ea victoria: nec nisi præmia belli, & ea quidem amplissima, ipsis reliqua fore. Quòd si quid eos paululū falleret, cogitarent in hostico se esse: Ne eos quidē quieturos, quos pacatos à tergo reliquissent, vt sunt Russorum ingenia mobilia. Adniterentur, ne fortuitu, sed sua virtute atque fortitudine superiores victorias adepti esse viderentur. His dictis, & clamore crepituq; armorum alacritatē significāte vniuerso exercitu, canere signa iubet. Cohortatur & Vusseuolodus suos, fortiter vt pro patria, pro liberis, pro coniugibus, pro parentibus, pro aris & focis, ꝓ libertate denique dimicarent: ex eius prælij euētu vel lætiora omnia deinceps, si vicisset: vel si, quod absit, victi essent, durā seruitutem, summamque miseriā expectarent. Congrediūtur infestis armis & animis instructæ acies: incalescit pugna, & magis quisque vt hostē feriat, quàm vt ictū ipse declinet, dat operam. Adsunt vbiq; suis duces. Iamq; premi & conturbari Poloni cœperant in dextro cornu hostiū clamore, fugere nostros vociferantiū, magis etiā consternati: cùm Boleslaus laborantibus subsidiū submisit: & non modò pugnā restituit, verùm etiā hostilem aciem perfregit, & cōuertit. Perturbatis ordinibus, fugiunt Russi: Vusseuolodus, vbi aliquandiu suos, nequicquam reuocauit, in fugam se & ipse coniecit. Ita plena, nec incruēta tamen, victoria nostris obtigit. Multi nanque saucij in castra relati, mille propemodum desiderati sunt. Boleslaus aliquantum recreato ab ea pugna exercitu ad Kiouiam contendit: quam cū primo impetu capere non potuisset opportuno loco castra metatus, oppugnauit vrbem iterum atque iterum: sed nullo operæprecio, imò verò non minimo suo detrimento. Nam etsi locus neque situ, neque opere admodum munitus erat, sed tamē acriter cùm ab vrbana multitudine, tum ab ijs, qui è prælio dudum fuga elapsi eò se receperant, defendebatur: nec à viris modò, sed à mulieribus etiam atque pueris nostri, mœnia subeuntes è superiori loco iaculis omnis generis vulnerabantur. Omissa igitur oppugnatione, obsidione vrbem, multitudinē hominum abundantem, premere statuit: dispositisque in omnes partes custodijs, cōmeatu oppidanos prohibet. Quod quidem facile fuit, longum prospectum quoquouersus præbente subiecta vrbi planicie. Nec multo pòst angustiore annona vti cœpēre obsessi: veritiq; ne extrema pati cogerētur, & ad extremum in potestatem hostium venirent, culpam & necessitatem deprecati, vrbē dedunt. Boleslaus ingrediens in portam vrbis ferro intectam, gladium vibrauit, quod proauū item suum fecisse acceperat: oppidanorum autem facultates atque corpora capitali edicto à militum vi atque iniurijs & rapinis tutatus est. Qua clemētia eius, & animi moderatione moti oppidani, ingentia dona vltrò ipsi accumularunt. Ea rex pleraque omnia inter milites virtutis ergò collaudatos, pro meritis cuiusq; distribuit. Pacata Russia, vectigalia non solùm pecuniæ, sed & omnium rerum ad victum cultumque corporis pertinentiū, instituit. Izaslaum summæ rerum præposuit. Is porrò filios suos, Stopolcum quidem Polocensib⁹ & Nouogrodensibus, Vuladimirū Smolēscijs, Iaropolcum verò Vissegradensib⁹ præfecit. Rex quo magis imperium suum in Russia stabiliret, & quo diutius notis iam sibi antea Kiouiæ delitijs atque voluptatibus perfruēretur, hyemem illam ibi mansit. Ibi robur nostrorum hominum illecebris opulentæ, luxuriosæ, & Græcorū cōmercijs corruptæ ciuitatis, vt Pœnorum olim apud Capuam, elanguit, disciplina militaris licentia dissoluta, & ille victor multarum gentium exercitus, deuictæ vrbis lasciuia, libidinibus & flagitijs victus est, ita vt ei vinci magis propemodum, quàm vincere expediuerit. Etenim plurimorū maximorumque malorum, quæ Poloniam postea implicarunt, hæc victoria causa

& origo

Marginalia: 1074. — *Vusseuolodus dux.* — *Oratio regis ad milites.* — *Russorum leuitas.* — *Prælium.* — *Victoria Boleslai de Russis.* — *Kiouia oppugnata.* — *Kiouia deditur Boleslao.* — *Moderatio Boleslai.* — *Russia Boleslao vectigalis facta.* — *Delitiæ vincere victorem.*

Polonorum corruptela.

& origo fuit. Nam dum illi Kiouiæ nulla se nequitia & libidine, quamuis fœda, & sibi inusitata prius, abstinent, complurium vxores & filiæ domi relictæ, non ferentes tam diuturnam virorum absentiam (iam enim septimũ fortè annum in Russia & Vngaria militantes domibus aberant) tum aut libidinibus eorum quæ crebris nuncijs ad ipsas perferebantur, & iniurijs irritatæ, flagitijs vicissim viros & propinquos suos pleræque vlciscuntur: nonnullarum etiam pudor & constantia partim blanditijs & falsa extinctorum virorũ persuasione corrumpitur, partim vi expugnatur, iusta diuini numinis vindicta atque permissu. Libet hic præclarum muliebris pudicitię exemplum referre.

Margaritæ Zambociæ pudicitia.

Margarita, Nicolai Zembocij comitis vxor, pudicitiæ suæ metuens, grassante passim impunè flagitiosorum iuuenum licentia, in turri tẽpli Zembocinensis, vno à Prossouia milliario, cum duabus sororibus per multũ tempus latuit, familia per funem alimenta ipsi subministrante. Hæc vbi viris in hyberna renunciata sunt, fremere multi, ad quos illa pertinebant, & indignari, cõmeatumque domos visendi à rege petere. Sed vel non admissi ad regem, vel superbiꝰ repulsã passi, clàm pauci primùm sese subduxêre: deinde plures paucorũ exemplum secuti, ipsi quoq; discesserunt, ita vt pauci cum rege remanerẽt.

Boleslai receptus è Russia fugæ similis.

Raptim is quoque cũ reliquis cõsequitur, veritus, ne Russi mutatis animis, despectaque Polonorum paucitate, opprimendi sui consilium inirent. Posteaquam peruenit Cracouiam, conceptam animo in desertores irã in apertum profert.

Boleslai sæuitia & scelera.

A quibus fugæ initium ortum erat, eos capitali pœna afficit: in cæteros autem bonorum cõfiscatione, aut diuturno carcere animaduertit. Sæuit & in mulieres, q̃ culpę affines esse videbãtur, quibusq; misericordia & indulgentia virorum pepercerat, & quidem inaudito modo. Abstractis enim & abiectis infantibus, quos è stupris & adulterijs enixæ erant, catulos ad vbera earum admouisse dicitur. Ad hæc vulgus atque plebem nouis & grauibus exactionibus premebat: ius non dicebat, nec iniurias tenuiorũ vindicabat, impeditus consuetis voluptatibus, fœdisque & abominandis libidinibus, de quibus nihil remittebat.

Boleslai regis adulterium.

Quin Christina nobili fœmina, à Mecislao marito abducta, palàm per adulterium abutebatur.

Stanislai Cracouiẽsis episcopi officium & animi magnitudo.

His cõmotus, ita vt decuit, Stanislaus Cracouiẽsis episcopus, vir pius & nobilis de Prussorum, quam vocant, familia, cognomento Sciepanouius, qui Lamperto defuncto paulo antè suffectus erat: videsq; iniurias & exempla regiorum flagitiorum ad multos pertinere, regẽ adit, & semotis arbitris blandè admonet, orat & obsecrat, vt illis moribus & corruptelis finem statuat, ne quod grande malum sibi suisque & vniuersæ Poloniæ accersat. Peccata per se maxima, longè tamen maiora esse in rege, quàm in priuato homine:

Principum exempla illustria.

cùm ea quoque quæ in alijs leuia sint, in eo, qui loco & honore eminet, grauissima esse videantur: propterea quòd vltrò hominum sese oculis ingerant, & plurimos secum malo exemplo in præceps detrahant. Quo sublimior sit, & fortunatior, hoc maiore vitæ puritate & innocentia eum niti, Deique beneficentiam agnoscere oportere. Ni faceret, metueret, ne diuina vltione de summo gradu in imum deturbaretur, neu denique falsas & momentaneas voluptates diris sempiternisque cruciatibus cõmutaret.

Boleslai peruicacia.

Hæc dicta rex iniquiori animo pati: & ira odioque inflammatus, conuitijs & maledictis sanctum antistitem incessere: quęrere, quo pacto authoritatem eius eleuaret, linguæque libertatem comprimeret: neque tamen quicquã eiusce modi in vita & moribus Stanislai, quod opportunum esset crimini aut reprehensioni, comperiebat.

Calumniæ occasio.

Emerat fortè Stanislaus pagum Petrauinum in tractu Lublinẽsi, à Petrico quodam equite. Atque is Petricus accepto precio iam obierat: nec satis tamen Stanislaus, propter perpetuũ bellum & iustitium, actorum publicorum monumentis de iure suo sibi ecclesięque suæ, cui pagum illum adiungebat, cauerat. Eius rei Boleslaus ab assentatoribus submonitus, Petrici agnatos subornat,

De Petrauino lis intenta episcopo.

qui de interuersa hęreditate sua legitima Stanislaum in ius vocent: auxilium suũ ipsis pollicetur. Illi tum autoritate regis, tum insperati compendij spe adducti, iussa faciunt.

Colloquia generalia in papilionibus.

Fortè tunc iudicia, quæ nostri vulgo colloquia & generales terminos vocant, in pratis inter Soleciam, & illud ipsum Petrauinũ in papilionibus, vt moris erat antiquitus, à rege exercebantur. Comparet Stanislaus citatus: emisse se pagum, & soluisse precium affirmat: testes eius rei nonnullos citat. Qui cùm à rege deterriti, testimonij dictionem subterfugerent, ibi Stanislaus non tam pagi retinendi, quàm criminis depellendi causa anxius, tandem facinus aggreditur, humanas vires atque cogitationes fidemq; excedẽs. Tridui dilatione à rege impetrata Petrauinũ cõtendit: ibi peracto cum sacerdo-

cerdotibus & alijs pijs hominibus, quos in comitatu habebat, ieiunio, Deinde ope peruigili oratione & perpetuis lachrymis implorata, detectum Petrici putre cadauer, pedo, quo vtuntur episcopi, tangit: magnaq; fiducia exurgere Petricum à mortuis in nomine Dei patris & filij & Spirit⁹ sancti iubet. Nec mora, attollit ille sese, quasi è somno expergefactus, & à Stanislao per manum deductus, ad tribunal regium sistitur. Rei miraculo rege & omnibus qui aderant obstupefactis, Petricus, Vendidisse se pagum, & precium omne accepisse fatetur. Regem, ac deinde propinquos, quod iniustè innocēti & sancto episcopo negocium facessant, liberè obiurgat. Ita ingratis & inuito rege vincit causam Stanislaus. A tribunali discedens, optionem dat Petrico, reuertine ad sepulchrum, an diutius vita hac frui malit. Aeternam ille cœlestemque malle, à qua non longius abesset, si exiguum id quicquid esset reliquum supplicij, quo anteactæ vitæ suæ maculas eluere adhuc deberet, ipso petente sibi remitteretur. His dictis, & annuente postulatis eius episcopo, sepulchrum subiens, animam iterum exhalauit. Non deterruit ea res Boleslaum regē à contaminatis moribus & libidinibus. Quin is iterū atque iterū monitus, & acrius obiurgatus ab eodē Stanislao, adhibitis etiam secundum præceptū Christi grauibus aliquot viris, furere, cædemque minari ipsi cœpit. Nec segnius Stanislaus, vbi non resipiscere regem animaduertit, graui anathemate eum percellit: vetat sacra fieri tota vrbe, quo ille detestatione & conuitio populi, qui sacris arcebātur, ad saniorem mentem reuocaretur. Ipse ad diui Michaelis ædem, in rupe prærupta supra Vistulam è conspectu arcis sitam, ad faciendam rem diuinam clàm cum paucis sacerdotibus commeabat. Quod vbi Boleslaus, à suis certior factus, cognouit, quadam die correptis armis amens cum compluribus assseclis & satellitibus eò contendit. Præmittit, qui Stanislaum sacris operantem ad destinatam necem ab ipsis altaribus abstrahant. Qui introgressi erant, subito & insolito fulgore perculsi, supini cadūt: inde manibus pedibusq; reptātes sese proripiunt. Submittit rex alios iterum atq; iterum: idem & ijs, quod primis, accidit. Ille moræ impatiens, & furore percitus, increpita satellitum ignauia & formidine, ipse stricto ense in tēplum irrumpit, lethalique ictu sacrosancti episcopi verticem ferit, ita vt cadens cerebro parietem proximum aspergeret. Ibi satellites

Petricus mortuus à Stanislao resuscitatus.

Purgatoriū.

Rex diris deuotus ab episcopo. Interdictorum ratio.

Stanislai cædes.

cohortati sese mutuò, corpus humi procumbens templo extractum, minutatim concidunt, morem gerētes furori regio: & in subiectis pratis, canibus & volucrib⁹ laniandum disijciunt. Dies quo hæc patrata sunt, fuit octauus Maij, anno Christi millesimo septuagesimo nono, cùm Stanislaus vix triennium episcopus fuisset. Rege cum sceleratis satellitibus post perpetratum parricidium abeunte, quatuor aquilæ inusitatæ magnitudinis apparuisse feruntur, circum eum locum volitantes, corpusque sanctum à laniatu canum & rapacium auium defendentes toto biduo: donec moti ea re pij quidam sacerdotes, resumptis animis, membra disiecta collegerunt, & suo ordine cōposuerunt, quæ euestigiò mirandum in modū coaluisse dicuntur. Ita corpus integrum pro foribus ædis illius, vbi martyr Dei cæsus est, in vrna venerabundi condiderūt: quod decimo pòst anno in arcem Cracouiensem illatum, in medio basilicæ reconditum est. Quin & lucernæ permultæ in aere supra eum locum, vbi disiectū erat corpus Stanislai, nocte proxima, quę cædem consecuta est, ardere à nonnullis visæ esse memorantur. Fertur etiam pijs quibusdam hominibus diuinitùs reuelatum esse, regnum Polonum insequēti tempore in multas partes discerptum iri, quemadmodum corpus Stanislai sectum fuisset: itaque per multum tempus mansurum. Hæc vbi Romæ nunciata sunt, Pontifex max. Gregorius eius nominis septimus, atrocitate rei commotus, toti Poloniæ sacris interdixit: Boleslaum diris deuouit, regnumque ipsi solenni ritu abrogauit. In posterum quoq; ne quem episcopi regem iniussu suo vngerent & coronarent, edixit. Qui verò socij sceleris regi fuissent, eos simul & posteros eorum vsque ad quartam propaginem, à sacerdotij & omnium magistratuum ecclesiasticorum functionibus & emolumentis alienos esse iussit. Erant autem ij satellites equestrib⁹ & honestis quatuor ferè familijs, quæ in hodiernum diē in Polonia durant, orti: nempe Stremenij, Srenauij, Druzinij, & Iastrembecij. Nihilominus tamen annum & amplius Boleslaus postea regnauit, sed inuisus omnibus, & externis etiam contemptibilis: ita vt iam Russorum principes ab eo subacti, imperium eius detrectarent. Conspirarunt deinde in necem eius nobiles & proceres nonnulli: qua conspiratione detecta, veritus ne ad plures etiam ea pertineret, in Vngariam cum filio Miescone & paucis comitibus fugit. Regnabat tunc

1079. ann.

Aquilæ defendūt corpus sanctū.

Corpus dissectum ac disiectum coaluit.

Polonici regni dissectio.

Poloniæ sacris & regio nomine interdictum à Pont. max.

Interfectores qua pœna affecti.

Boleslai fuga.

Ladislaus rex Vngar. tunc in Vngaria post Solomonem eiectum, & Geisam mortuum, Ladislaus Geisę frater: quos ambos à Boleslao reductos in Vngariam fuisse, superius narrauimus. Ab eo Boleslaus exul sanè quàm comiter & honorificè acceptus est: mansitque apud eũ aliquandiu. Verùm exagitante eũ in dies magis ac magis patrati sceleris cõscientia, acerbo & infatigabili sceleratorum carnifice, amentia correptus, mortem sibi ipse consciuit, anno post Christum natum millesimo octogesimo primo: qui quidem æstu & siccitate insignis fuit. *Boleslai interitus. 1081. ann.* Alij volunt, eum in venatione concito equo efferatiore, in auias syluas delatum esse, canibus consequentibus: excussumque, ab ijs discerptum, ac deuoratum. Alij verò memoriæ prodiderunt, eum clàm omnibus errabundum inter Alpes ad monasterium quoddam peruenisse, ibique latentem quisnam esset, post multos labores in coquinæ ministerio vltro & pœnitẽtia cõmissi parricidij susceptos & exhaustos, vitam finiuisse. Sed Mechouiensis scribit, quærentem se in illis locis, nihil eiuscemodi comperire potuisse. Comperit verò ante aliquot annos iuuenis elegans & eruditus, amicissimus meus, Valentinus Cusborius: is se cũ viro omnium laude cumulatissimo Stanislao Hosio Varmiensi episcopo, nondum Cardinali, Romam proficiscentem, vidisse ait in Ossia monasterio Carinthiæ, sesquimiliario distante ab oppido Feltkirchen, monumentum lapideum in cœmeterio positum, cui equus sella constratus, pulchrè insculptus est, cum hac inscriptione: Boleslaus Rex Poloniæ, occisor S. Stanislai episcopi Cracouiensis. *Ossia monasterium.* Construxit autem Boleslaus viuens, ac ditauit Mogilnense monasterium, in eoque Benedictinos collocauit. *Mogilnense monasterium.* Audacis & liberalis cognomentum viuo inditum, mortuus etiam retinuit. *Boleslaus audax & liberalis.* Regnauit autem annos fermè duos & viginti, cùm sextumdecimum annum nõdum egressus regnare cœpisset. Fuerat autem futurus hic rex clarissimus & felicissimus, si fortunã perpetuò cœptis suis adspirantem ferre didicisset. Verùm secundis rebus elatus & insolens, animo suo minus quàm oportuit moderatus est. Et sanè libidini & iracundiæ moderari longè est cùm difficilius, tum præclarius, quàm gentibus & nationibus, quam uis feris atque barbaris, imperare. *„ Libidinẽ „ & iracundiam dominare difficile.* Mirari satis nequeo, à Lamperto Saffnaburgensi, qui per hæc tempora vixit, & res gestas Germanorum conscripsit, memoriæ proditum esse, quòd anno Christi 1077. dux Polonorũ, qui per multos annos regibus Teuthonicis tributarius fuisset, cuiusque regnum iam olim Teuthonum virtute subactum, atque in prouinciam redactum fuisset, repentè in superbiam elatus, regiam dignitatem regiumque nomen sibi vsurpauerit, diadema imposuerit, atque ipso die natalis Domini à quindecim episcopis in regem sit consecratus. *Lamp. Saffnaburgensis error.* Atqui plus septuaginta annis ante hoc tempus Polonia regem cùm habuisset, & quidem Ottonis Ruffi Germani Imperatoris beneficio, per hoc tempus habere desijt. Iam verò quindecim episcopos Poloniã, non modò tũc, sed vnquam omnino habuisse, ipsa rei euidentia falsum esse conuincitur. Sed iam Cazimiri, & Boleslai filij regno, librum hunc terminemus: Quintum à sublato regno auspicaturi, duobusq; principibus finituri, quorum filius patris, atq; adeò superiorũ ferè omnium principum claritatem, rerum gestarum magnitudine & gloria sua obscurauit.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER QVINTVS.

VVLADISLAVS PRIMVS, PRINCEPS.



EXACTO rege Boleslao priusquã ex motu illo sese recolligeret respub. Russi incunctanter arripuêre eam nouandarum rerum occasionem: & coacto exercitu, subiectos Polonis agros, duce Basilio Roscislai filio, ferro & igni depopulati sunt, & cum magna præda ad sua se incolumes recepêre. *Russi populãtur fines Poloniæ.* Quo incommodo permoti proceres, veriti ne quo grauiore etiam casu rursus interregnum illud rempub. affligeret, comitijs habitis, ad Vuladislaum Boleslai fratrem, quem Hermannum etiam vocarunt, qui vnus supererat, regnũ deferunt. *Vuladislaus. Hermannus dictus.* Et suscepit is quidem principatum: sed tamen regẽ se appellari passus non est, vel quod inunctus & coronatus solen- *Vuladislaus regem se dici noluit.*

solenni regum ritu, non esset : vel quòd reuersurum aliquando Boleslaum, regnumque repetiturum existimaret. Principis verò & hæredis regni Polonici nomen sibi sumpsit: vir prudens, & virtute præditus, ad quietem autem & ocium, quàm ad bellum, propensior, & humanitatis atq; religionis amantior, quàm gloriæ. Initio statim principatus sui Poloniam commotam nonnihil, magna dexteritate pacauit, latrocinijsque purgauit. Ad Pontificem maximum de tollendo interdicto, quo Polonia vniuersa, ob necem Stanislai episcopi obnoxia, sacris se abstinebat, oratorem misit, virum eruditum & eloquentem, Lampertum, equestri apud Polonos ortum familia, canonicum Cracouiensem, quem Pontifex diuo Stanislao successorem dedit, & sublato interdicto episcopum remisit. Vxorem deinde Vuladislaus duxit de amplissimi consilij sententia, Iuditham Vuratislai Boemorum principis filiam, ex Adleida Andreę Vngarorum regis filia susceptam. Miesconem siue Miecislaum Boleslai fratris filium, cum cæteris exulibus ex Vngaria reuocauit, fortunæ eius misertus: aut veritus fortasse, nequando is ope Vngarorum, apud quos ob indolē gratiosus esse dicebatur, paternum regnum repeteret. Nam pater eius iam perierat, vel perijsse duntaxat credebatur. Reuersum in filij loco dilexit. Atque is cùm egregia indole, virtute, & comitate sua paruo tēpore animos multitudinis mirum in modum sibi deuinxisset, & optima spe omnes impleret, sexto, posteaquàm redijt, anno, immaturam mortem obijt, nullis relictis liberis, & magnum sui desideriū apud omnes reliquit. Creditumque est vulgo, veneno sublatum à paternæ eius fugæ authoribus, veritis, ne quando eos, iniuriæ memor, vlcisceretur: Vuladislao principe & patruo, si non iubente, conniuente quidē certè: ne se aut liberos suos, populari gratia fretus, regno eijceret. Volunt nonnulli, quemadmodum refert Dlugossus, non tunc perijsse Miecislaum hunc, sed altero demum post Vuladislai mortem anno, venenato poculo, vnà cum Eudoxia vxore Russa, Stopolci ducis sorore, Izaslai filia, de medio sublatum, cùm Crusuiciensem tractum complures annos obtinuisset. Affirmatque idem Dlugossus, vidisse se diploma eius authenticum, quo is donationem paternam Mogilnensi monasterio confirmauit. Sed viderit Dlugossus, ne alius ille sit Miecislaus, nempe Boleslai tertij filius, cuius diploma illud fuerit. Vngarorū historiæ memorant, circa illud tempus, quo Miecislaum à patruo reuocatum esse diximus, regem suum Ladislaum Polonis bellum fecisse, quòd ij cum Russis & Cunis, quos nostri Polovucios vocāt, conspirasse contra se dicerentur. Cùmque eos insigni & cruento prælio profligasset, Cracouiam vrbem tribus mensibus obsedisse, & fame oppidanos ad deditionem adegisse: deinde deditione facta, ius omne cum vrbe Polonis restituisse, admonitis, ne deinceps amicitiam cum Vngaris pridem constitutam violarent. Hæc an vera sint, nescio. Nostri quidem, eius belli nusquam meminerunt. Quòd si quam tandem Ladislaus expeditionem per hæc tempora in Poloniam fecit, credibile est, Miecislai reducendi causa, quamuis nullam eius illi faciant mentionem, eam esse susceptam, lætioreque Polonorum euentu confectam, Miecislao cum patruo æquis conditionibus reconciliato. Nam cum Russis & Cunis non video quid commune tunc Poloni habuerint, vt pariter contra Vngaros arma sumerent. Russi quidem post exactum regno Boleslaum, hostiliter etiam vexarunt Poloniam: & ipsi verò vehementer per illa ipsa tempora à Polovucijs diuexabantur, vt ex ipsorum annalibus apparet. Nec facilè crediderim, Vuladislaum nouum principem, nondū bene constitutis domi rebus suis, externo & non necessario bello se implicasse. Neque verò intelligo, cur Ladislaus Vngarus dubiam Martis aleam cum Polonis subijsset, ac tam diuturnæ obsidionis laborem hausisset, si culpam omnem victis & obsessis remissurus, captam que vrbem hostibus liberam omnino & iure optimo condonaturus erat. Sed omittamus Vngaros. Iam autem Vuladislaus princeps habebat liberos, cùm Miecislaus hic mortuus est: Sbigneum nothū, ante initum principatum è cōcubina susceptum: & Boleslaum legitimū in principatu ex Iuditha vxore, cùm aliquot annis sterilis ea fuisset, diuinitùs, quemadmodū creditum est, in gratiam sancti abbatis Aegidij datum. Cùm enim orbitate sua principes coniuges maiorē in modum angerentur, & Iuditha religiosissima fœmina assiduis precibus, ieiunijs, & eleemosynis in egenos liberaliter erogādis, de prole Deum assiduò fatigaret, omniaque tentaret eius rei gratia, admonita à Lamperto episcopo Cracouiensi, viro in eandem sententiam adducto, mittit oratores in Narbonensē prouinciam, ad monasteriū diui Aegidij, vbi corpus sancti

Hæres regni Polonorum. *Interdicti relaxatio.* *Lampertus episcopus Cracouiens.* *Vxor Vuladislai principis.* *Miesco Boleslai filius extinctus.* *Bonfinius.* *Cuni seu Hunni Polovucij.* *Sbigneus nothus Vuladislai filius. Boleslaus filius legitimus diuinitùs per diuū Aegidiū impetratus.* *Aegidij abbatis sepulchrum.*

ſancti illius viri mortui conditum erat. Vbi eò peruenerunt oratores, dedicant templo diui ampliſsima aurea & & argentea donaria, quæ ſecum attulerant: Abbati præterea & monachis non contemnenda dant munera, principum ſuorum nomine: exponunt quid veniant, quidve poſtulent. indicitur monachis tridui ieiunium: oratur Deus, vt intuitu gratioſi ſerui ſui Aegidij, maſculam prolem concedat pijs Principibus. Triduo illo reuelatur per viſum ſeni cuidam & pio monacho, impetratum eſſe, ꝙ tanto ſtudio petitũ eſſet. Dimittũtur cũ ſpe certa oratores: reuerſi reperiũt Iuditham grauidam: quæ poſtea maturo partu puerum edidit, cui Boleslao nomen inditum eſt. Iuditha poſt quartum

Iudithæ mors.

menſem à partu, extremum clauſit diem, fœmina pietati in primis & beneficentiæ dedita: quæ & ipſa facultates ſuas, mundumq́ue muliebrem penè omnem in vſus pauperum, & ad cultum templorum viua elargita eſt, & à marito impetrauit,

Pabiani cẽſ. comitatus eccleſiæ Cracouienſi donatus.
Lagouienſe territorium Vuladislauienſi.
Xanſnice Tinecenſi monaſterio.
Drobrogneua mortua.
Vuladislai vxor altera.

vt Croppẽſem ſiue Pabianicenſem comitatũ collegio ſacerdotum Cracouienſis baſilicæ, Lagouiẽſe territoriũ Cruſuiciẽſi ſeu Vuladislauienſi epiſcopo, Xanſnicenſia verò bona Tinecenſi monaſterio ſempiterno iure donaret. Non multo pòſt etiam Dobrogneua, Vuladislai principis mater, ſenex vita defuncta eſt. Duxit deinde alteram vxorem Vuladislaus, ſuaſu Ladislai regis Vngarorũ, Sophiã viduam, Hẽrici quarti Imperatoris ſororem, quę Solomonis regis defuncti vxor fuerat, honeſtè & honorificè poſt

Ladislaus. rex Vngar. ſanctus.

mortem viri à Ladislao rege ſancto pióque habitam: ex eaque tres filias ſuſcepit, quamuis nullos ex ea ſuſcepiſſet Solomon liberos. Quanquam Bonfinius eam ex aliorum ſententia in Agmondenſi monaſterio, poſt Solomonis mortem ſiue exilium, obijſſe memorat. Per hæc tempora Ruſi, cognita Mieſconis & vxoris eius morte, non habuêre ſatis, vexare ea, quæ erant Polonicæ ditionis,

Ruſsi in libertatẽ ſeſe aſſeruêre.

ſed in libertatẽ ſeſe rurſus aſſeruêre. munitiones, quæ Polonorum præſidijs tenebantur, recepêre: militibus Polonis partim pecunia & largitione corruptis, partim vi eiectis, partim longa obſidione ac deſperatione nequicquam petiti & expectati à principe ſuo auxilij deditionem facere coactis. Defecêre & Pomerani & Pruſi. Niſi fortè Pruſſos hic noſtrates ſcriptores citeriores Pomeranos, qui longè poſt in Pruſia cenſeri ceperunt, appellant. Pomeranorum quidem appellatione etiam Caſſubios complectuntur. Hos

Pomeranicũ & Pruſsicũ bellum.

igitur Vuladislaus, dilatis in aliud tempus Ruſsis, bello perſecutus, & Pomeranorum fines depopulatus eſt, & munitiones aliquot primo aduentu recepit. Nec ſibi defuêre Pomerani: ſed cũ Pruſsis pariter coniunctis viribus, magno impetu Polonorum caſtra die quintodecimo menſis Auguſti adoriuntur. Nolebat eo die Vuladislaus cum hoſte manus conſerere: Habebat eum honorem Virgini matri, cuius aſſumptionẽ dies ille anniuerſaria celebritate repræſentabat. Verùm laceſsitus, & iuſta penè neceſsitate adductus, eduxit ſuos in aciẽ. Atrox prælium in magnam diei partem, vtriſq; dubio euentu pro victoria contendentibus, committitur. Incipiunt deinde pedem referre hoſtes: noſtri cohortati ſe mutuo, inſtare cedentibus. Nec mora, illi effuſo curſu diuerſi diffugiũt: quos noſtri ira elati longius perſequũtur, magnamq́ue in fugientibus ſtragem faciunt: qua

Pomerani & Pruſsi victi, victori Poloni ſeſe ſubdunt.

fuſi fractique, principis poteſtati & clementiæ ſeſe ſuaque omnia permiſerunt. Facilè dedit ille veniam victis & ſupplicibus: arces tamen & munitiones opportunas, quæ illis rebellãdi anſam dare poſſent, in poteſtatẽ ſuã redactas, partim pręſidijs firmauit, partim demolitus eſt. Nec diu quieuêre Pruſi & Pomerani: ſed pręfectis à Vuladislao ſibi datis, partim dolo necatis, partim pulſis, rebellant iterum.

Pomeranorũ & Ruſſorũ rebellio.

Quam rebellionem Vuladislaus vt primo ſtatim ortu opprimeret, tumultuarijs copijs coactis, media hyeme, magnis itineribus ad fines eorum peruenit. Quos

Pomeranicũ bellũ alterũ.

vbi munitionibus ſeſe tuentes, aut in ſyluas atque paludes abditos, pugnandi copiam non facere animaduertit, partitus exercitum cum Sececho palatino Cracouienſi, & magiſtro militię, hoſtiles terras crudelem in modum vaſtauit ac depopulatus eſt. Reuertenti, apud Drenum nunciatur, hoſtes ſubſequi, nec longius quinque milliarijs abeſſe.

Drenũ arx.

Statuerant enim ij noſtros nec opinantes, animaduerſa ac deſpecta eorũ paucitate, magna vi adoriri: & magna celeritate ſeſe vndique cõuolãtes, collegerant. Debilitabat principis animũ, hoſtium multitudo: ſed cedere nõ tam iuſtis hoſtibus, quàm fugitiuis & rebellibus ſeruis, turpe ſibi Poloni milites & infame ducebant: Barbarorum rabiem, ni mox reprimatur, efferatam, in tergis cedentium hæſuram, & Poloniæ viciſſim infeſta arma faceſſ; illaturam. Dictis in conſilio caſtrenſi ſententijs, vicit ea quæ cenſebat, occumbendum potius honeſtè, ſi ita ſors ferat, quàm per ſummam turpitudinem concedendam eſſe

vltro sæpius à se victis victoriam. Itaque conuersis signis pugnam flagitant. Vbi in conspectum ventum est, magna vociferatione, magnoq; impetu nostri in hostē feruntur. Concurritur vtrinque infestis, & obstinatis ad vincendū aut moriēdum animis. Nostri peritia rei militaris hostium vim sustinebāt: illi contrà abūdante multitudine, integros in sauciorū ac defatigatorū locum submittebant. Pugnatum, est à manè vsque ad vesperam, neutrò inclinante victoria: nisi quod nocte prælium dirimente, aduersarij pro victis, nemine persequente, discessēre. Tantus autem erat ardor vtrinque in militibus, vt perpauci viui caperentur, sed omnes aduersis pectoribus vulnera mortemque exciperent. Dies, quo hæc acta sunt, fuit pridie eius diei Dominici, qui Christianis Palmarū nomine celebris est. Postero die dilapsis hostibus, cōsultant nostri, quid porrò faciāt: instentné perculsis & perterritis, nec vllum dent respirandi & & colligendi sese spacium: an potius abacta & ablata præda, quæ ingēs erat, domi sese prius exonerent, & mox aucto mercenarijs militibus, qui è Boemia & Vngaria expectabantur, exercitu, commodiore anni tempore, maiore vi hostem adoriantur: neque pauci multos in solo ipsorum inuadentes, sæpius fortunam periclitentur. Huic sententiæ facile omnes assensi sunt: & mouebat illud quoque plurimos, quòd sacrum Paschæ tempus pro foribus aderat, quo Christianos impensius cultui diuino vacare oporteret. Itaque diuersi ex hostico discedunt.

Prælium anceps.

Nec ita multo pòst recreatis ab illa intempestiua expeditione iumētis, auctisq; tū domestico, tum externo milite copijs, Vuladislaus princeps Pomeraniam ingressus, hostem quærit: Quo nusquam in apertum prodeunte, vastat iterum agros pagosque & oppida quàm acerbissimè. Deinde Naclum arcem in primis munitam, quæ receptaculum erat Pomeranis, ad excursiones in Poloniam faciēdas val de opportunum, cū primo impetu capere non potuisset, eo quòd valido teneretur præsidio, operibus circumuallare instituit, vt obsessorum eruptiones reprimeret. Vbi res mira accidit. Nocturnis temporibus lucente luna, crebrò cernebantur ab excubitoribus nostris quasi armatorum hostium acies, ex apertis campis ad statiua nostrorum adequitantes & & incursantes: quas nostri exciti, raptim que correptis armis, satis habebant à fossis castrorum propellere, timore nocturnarum insidiarum. Cùm id sæpius accideret, indignari nostri, inquietari sese, nec vsquam in apertum certamen prodire hostes: itaque nocte quadam, cùm itidem hostes adesse nunciarentur, fremebundi agminatim è castris sese proripuē. re, diffugientesque casso labore longius persecuti sunt. Obsessi tumultu nostrorum exaudito, & excursione è castris animaduersa, erumpunt subitò, & ignem in opera atq; tuguria militum stramine arundineque contecta inijciunt: quo celeriter pluribus in locis sese diffundente, paucis, qui in castris manserant defendētibus, facilè opera cum magna castrorum parte conflagrarunt. Nocturnas vmbras illas fuisse autumant, quæ hostilis exercitus speciem ostentantes, Polonos ita diuino permissu exagitarunt, propterea quòd solenne omnibus Christianis quadraginta dierum ieiunium, priore expeditione, promiscuo ac temerario esu carnis & lactariorum, moribus & institutis Ecclesiæ catholicæ cōtemptis, temerauerant. Hoc incommodo accepto, nostri, quod hyems, quæ citius & asperius regiones illas affligit, iā instabat, tuguriaque amiserant, sine quibus vim & iniuriā hyberni cœli perferre non potuissent, simul quòd terrores illos nocturnos in religionē verterant, re infecta ab oppugnatione Nacli, iussu regis domos discedūt.

In Pomeraniā expeditio tertia Vuladislai.

Nakel.

Naclum arx obsessa.

Spectra nocturna.

Castra Polonorum incensa.

Ieiuniū Quadragesimæ temeratum.

Obsidio Nacli relicta.

Insequēti æstate rursus in eosdē Pomeranos, & mox in Prussos, infestis animis impetum faciunt: regionesque eorum, quæ quidē cultæ erant, quoquo versus quàm crudelissimè vastant, nulli neq; sexui, neque ætati hominum parcunt. His igitur fatigati fractiq; malis hostes, publico consilio deditionem fecerunt, misericordiā principis supplices implorarunt. Ille populariter adesse iussos, grauiter castigat: authores rebellionis edere imperat, & in eos supplicio capitis animaduertit: cæterā multitudinem metu soluit, & iusiurandum conceptis verbis dare sibi iubet. Ita perdomiti Prussi et Pomerani, ad tempus quieuerunt. Secutum est Boemicum bellum, quod vt temerè excitatum, ita citò, neque graui admodum exitu consopitum est. Vuratislaū Boemorum principem Henricus quartus imperator de consilij sententia Maguntię regē appellauerat, anno post Christum natū 1087. eique & posteris eius Poloniam omnem, in qua vterque ne tantillum quidem habebat, quantū pedis vestigio calcare posset, attribuerat. Vuratislao, ac deinde Cōrado item Vuratislai fratre, qui post fratrē regnum susceperat, intra paucos mēses vita defunctis, Prædislaus Vuratislai filius

In Pomeraniam quarta expeditio.

Pomeranorū & Prussorū deditio.

Boemicum bellum.

Boemiæ rex Vuratislaus.

1087. ann.

Cōradus dux Boem.

Prædislaus dux.

filius ex Vngaria, vbi iustam patris iram fugiens exulabat reuocatus successerat. Neque is tamen, ac neque Conradus, neque succedentium pòst principum quisquam, vsque ad Vuladislaum, regium nomē vsurpauit. Is ergo Prædislaus immemor necessitudinum, quæ ipsi cum Vuladislao intercedebant, siue persequēdi imaginarij illi⁹ iuris causa, & spe occupandi aliquid de Polonis, siue prædæ cupiditate, Poloniæ fines cum infesto exercitu inuaserat, Vuladislao principe Pomeranico & Prussico bello, quod modò exposuimus, implicato: omnemque eam oram, quæ ab Albi fluuio, & Grecio siue Gradecio, vt vocat Hagecus, arce, quæ tunc in Polonorum ditione erat, quemadmodum vult Ioānes Dlugossus, vsque ad Odram amnem pertinet, copiosam diuturna pace & abundantem, incēdijs & populatione diuexauerat. Hanc iniuriā vlturus Vuladislaus, quoniam tunc per anni tempus cōmodè bellum gerere non poterat, proximè consecuta æstate, qui fuit annus à Christo nato 1094. exercitum in Morauiam, Conradi principatu in vnius principis ditionem cum Boemia redactam, mittit: eique Secechum palatinum Cracouiensem, præstantem in re militari virum, præficit. Ipse enim aduersa valetudine, & pedum dolore proficisci ad eam expeditionem prohibebatur: nec tamen volebat institutum bellum differre. Mandata cùm dabat Sececho proficiscenti Vuladislaus, aderat fortè Boleslaus filius, nonum tunc agens annum, attentoque animo omnia hauriebat: & in leonini catuli morem, qui teneris etiamdum vnguibus, laniatu tamen iam gaudet, generosum pueri pectus belli gloriæque cupiditate impendio exardescebat. Neque diutius animo conceptam flammam ferens, genua patris amplexus, & collo eius implicatus, vix magnis precibus, osculis & blanditijs eum exorat, vt cum Secechо ad id bellū mittatur. Sececho pueri cura mandatur. Vbi ad exercitum ventum est, puer singula quæ fiebant curiosius obseruare, versari inter ordines, omnibus arridere, æstum imbremque pati, vigilare, humi cubare, vigilias cum Secechо obequitare, aliaq; multa præter ætatem facere, ferreque: ita vt indoles illa studiumque pueri, futuram eius magnitudinem non obscurè portenderet. Vastata igni ferroque aliquò vsque Morauia, & paucis hostiū turmis, quæ sese nostris tulerant obuias, aliquot prælijs ꝓfligatis (munitionū.n. oppugnatione abstireVuladisla⁹ iusserat) reduxit cùm Boleslao copias Secechus, prēda onustas. Hagecus more suo fingit, Vuladislaum illa tā acri Prēdislai in ditionem suā inuasione consternatum, statim auertēdi belli causa oratores ad eum tributo duorum annorū misisse, deincepsque perpetuò se & posteros suos Boemorum principib⁹ vectigales fore promisisse, atque ita pacem impetrasse. Homo ridiculus, cui pueriliter & leuiter tanquam inter aniculas garrire studium est. Nec tamē memorat is, quomodo aut quando tributum illud ante id tempus Vuladislao fuerit impōsitum: quod quasi debitum etiam superiori anno, dependisse eum scribit. Reuertente è Morauia Sececho & Boleslao, magna fuit inter patrem & filium gratulatio. Nec diu tamen à bello feriati sunt. Nam cū arcem Medireciam à Pomeranis siue Cassubijs quibusdā priuato cōsilio interceptam esse, ex eaq; latrocinia in subiectas oras, & quicunque eà iter facerent, exerceri nūciatum esset, difficulter quidem, sed tamen impetrat rursus à patre Boleslaus, vt sibi cum exercitu ad recuperandā Medireciam, & coercendos prædones ire liceat. Summa tamen rerū, & administratio belli, ipseq; adeò tirūculus Boleslaus, Secechi curæ fideique cō mittitur. Nec mora, operibus à castris ad arcem ductis, quatit murum aries: cuius non exigua ruina cùm paucos defensores partim oppressisset, partim debilitasset, mutilassetque, cæteri diffisi rebus suis & liberam cum singulis equis & sarcinis abitionē pacti, arcē dediderūt. Recepta & refecta arce, dimissoq; exercitu, Secechus & Boleslaus intra dies non ita multos ad Vuladislaum ouantes reuertuntur. Felix admodum sibi esse Vuladislaus tali filio videbatur. Sed fortuna, quę nihil ex omni parte beatum, nihilque stabile in rebus humanis esse sinit, felicitatem eius nonnulla ex parte contaminauit. Valebat plurimùm apud eū gratia & authoritate Secechus, idq; nonnullo suo merito: magnamq; potentiam sibi cōpararat, ita vt ex eius ferè nutu Respub. omnis & princeps ipse pēdêre videretur. Magnam ea res ipsi apud nobilitatē Polonā inuidiā cōciliauerat: maius ipse sibi indies odiū intolerabili fastu suo, & immoderato dominatu conflabat. Itaq; cōplures ab eo bonis exuti, proscripti, aut aliqua insigni iniuria vel cōtumelia affecti: multi item potentiam & importunitatem eius reformidātes, aut necessarios afflictos secuti, solum verterāt. Quibus omnibus apud Boemos tutus erat receptus, Prædis-

Prædislaus Poloniam infestauit.

Odra fl.

1094. ann.

Morauia Boemiæ rursus iuncta.

Secechus palat. Cracouiensis.

Boleslai pueri indoles generosa.

Pomeranica siue Cassubica expeditio.

Miezirxecz.

Medirecia recepta.

Secechi Palatini potentia & acerbitas, occasio rerum nouādarum.

dislao principe comiter & benignè eos recolligente. Quos ex crebris sermonibus & querelis, vbi irarum aduersus Secechũ, & ipsum adeò Vuladislaum, (quòd tantum is Sececho indulgeret) plenos esse, & patria ægrè carere animaduertit, odium suum in Polonos conceptum exatiare, damnaque ab eis accepta alieno periculo vltum ire cupiens, facilè ægros animos eò, quò ferebantur ipsi sua sponte, impellit, nempe vt armis patriam repetant.

Prædislai Boemorum ducis odium in Polonos.

Auxilia pollicetur: ducem quoque satis, vt videbatur, opportunum ad eam rem ipsis edit, Sbigneum Vuladislai principis filium nothum: quem pater literis à puero vtcunque imbutum, propter nouercale odium, & veritus ne quid is postea negocij Boleslao, quem posterius ex iusta vxore susceptum in spem principatus alebat, facesseret, in Saxoniam relegarat, & monasticę vitę addixerat. Eũ igitur è monasterio exactũ, ducẽ sibi exules Poloni adsciscũt, & Vuratislauiam cum eo & cum auxilijs Boemorum & volũtarijs Saxonibus contendũt. Obtinebat præfecturã Vuratislauiensem Magnus, comes illustris & spectatæ ꝓbitatis, cui simultas etiam nõnulla cũ Sececho intercesserat.

Sbigneus nothus principis filius monachus.

Sbigneus dux exulũ.

Exules Poloniã repetũt.

Magnus præfectus Vuratislauiensis.

Ad eum præmittunt exules legationem, recipi se & Sbigneum principis filium postulãtes. Nolle se patrię bellum facere, neque principi optimo & mitissimo: parentum, cõiugum, liberorum, tectorũ ac domorum suarũ, ipsius denique patrię aspectu iucundissimo diutius carere non posse: vnde non ob aliquod scelus suum, neque iusta principis indignatione, sed per summam Secechi iniuriam, & impotentem superbiam eiecti essent. Ipsum quoque Magnum, multo præstantiorem digniorem que Sececho virum, scire se tamẽ haud penitus expertẽ esse illius iniurię. Ne pateretur se in exilio cõsenescere: néue ipse deterioris dominatũ ferret, suaque patientia aleret. Miseraretur vel Sbigneum principis filiũ, qui Secechi opera suasuq; ab oculis patris auulsus, & in monasterium, quasi in carcerem quendam ærumnosum, retrusus esset. Cauendũ esse, ne homo ambitiosus eadem audacia alterum quoque principis filium circumueniat, dominatumque Poloniæ, non expectata etiam Vuladislai morte, inuadat. Frangendis Secechi conatibus atq; potentiæ neminem aptiorẽ fore, quàm principis filiũ, iuuenẽ magni animi consilijque & Sececho infensum. Eum igitur Magnus necessario illo ipsius tempore beneficio suo sibi deuinciret, per quem eum locum adipisci posset, quem tunc Secechus obtineret. Quieturos se cum illo esse Vuratislauiæ, quo facilius è propinquo reuocationem à benigno & clementi principe impetrare possent, & reuocati accurrerent. Hac legatorum postulatione, iusta in speciem, & honesta, aliquantum permotus Magnus, tamen ne quid imprudens contra fidem & officium suum faceret, conuentu Vuratislauiẽsis territorij ciuitatisque celeriter conuocato, rogat ea de re sentẽtias. Exosum erat vulgo Secechi nomen: miserebantur exulũ gentilium pleriq;, & necessariorum suorum: miserebantur Sbignei: audierant magna esse principem erga suos indulgentia: non oportere sese in patrem & filium medios interponere. Alioqui hunc offensuros, ab illo autem paruam vel nullam gratiam inituros. Tum autem verebantur, ne hostes eos in agris experirentur, quos hospites & amicos recusarent. Ita de conuentus sententia, Magnus exulibus aduenientibus portas vrbis aperit: Sbigneum honorificè in arcem deducit, omniaque ad victum abundè ipsi suppeditat.

Sbigneus Vuratislauiam occupat.

Quæ cùm ad Vuladislaum principem perlata essent, commotus animo maiorem in modum, mittit certos homines, qui Magnum & Vuratislauienses suis verbis castigent, fideique & officij admoneant, eoque prætextu ociosè & accuratè rem omnem & consilia exulum cognoscant. Responsum est à Vuratislauiensibus: Se non hostem, sed filium principis recepisse: putasseque gratum id fore principi, à cuius fide non recessissent, neque auelli se à quoquam omnino passuri essent.

Vuratislauiensis conuentus postulatũ à principe.

De exulibus autem orare vt optimus princeps, calamitosos homines clementia sua, redituque in patriam dignaretur, néue desperatione salutis ad duriora consilia capessenda eos cogeret. De Secechi crudelitate eos queri: eum ne plus pateretur posse, quàm ipse sibi sumat princeps: ne omnium voluntates propter vnum hominem, qui dominatum omnem ad se transtulisset, pergat offendere. Hæc missi, principi referunt. His addunt, parum se abfuisse, vt lapidarentur à conuentu, cùm Secechum purgare vellent. Non cessandũ sibi ratus Vuladislaus, neque patientia suá confirmandũ vires & ausa exulũ, raptim quãtas potest copias cogit: cũ ijs ipse, quãuis infirmus, proficiscitur.

Vuladislai expeditio contra exules.

Nam Secechũ quo minus mitteret, in causa illud fuit, quòd verebatur ne plus incommodi eius odio & inuidia acciperet. Porrò Boleslaus tener adhuc erat, necdum aptus administrando bello: & metuebat pater, ne

is à fratre, cuius ambitio & audacia iam ſeſe ipſa prodebat, inſidijs appeteretur. Itaque reliquit eum Cracouiæ cum Voislao, quem puero cuſtodem, & curatorẽ, & quaſi magiſtrum dederat. Vbi de principis aduentu Vuratislauienſes certiores facti ſunt, vniuerſa multitudo nobilium pariter & oppidanorum, obuiam ſeſe ipſi effudit cum Ziroslao epiſcopo, veniam errati petens. Reſalutata comiter pro tempore multitudine, princeps patens oppidum & arcem ingreditur. Deinde aduocata concione, clementer obiurgatis omnibus, culpã remiſit: cæterùm Magnum à præfectura amouit, & pro eo Voislaum Boleſlai pædagogum abſentem illis præfecit. Pridie quàm Vuratislauiam adueniret Vuladislaus, Sbigneus cũ ſuis inde profugerat, & Cruſuiciam contendit, frequens adhuc ea tempeſtate & copioſum oppidum. Eum igitur Vuladislaus, dies aliquot commoratus Vuratislauiæ, perſecutus eſt: veritus, ne ille vicinorum Pomeranorum, ad nouãdas res procliuium, auxilijs ſeſe cõfirmaret. Nec eũ fefellit opinio. Cognito enim aduentu & conſilio Sbignei, magna mox vis Pomeranorum, ad eum confluxit: quorum ille ſuaſu atque fiducia hoſtilem prorſus animum aduerſus patrem induit. Venienti, cum ſeptẽ aciebus inſtructis ad marginem Gopli lacus, qui Cruſuiciam in inſulæ modum ambit, occurrit. Nec mora expedit & Vuladislaus ordines: canunt vtrinque ſigna: concurrunt infeſtæ acies. Acrius multo pugnabant ipſi exules, vtpote in ſuo periculo, quàm auxiliarij. Ibi ſors gentiles etiam, neceſſarios, agnatos & fratres inter ipſos commiſit, vt manus inter ſe conſererent, ita vt neceſſe erat in ciuili bello accidere; cædunt, cæduntúrque. Ad extremum acrius inſtantibus ijs qui cum Vuladiſlao ſentiebant, fuſi aduerſarij, maxima pars in lacum compelluntur: ibique vel à perſequentibus trucidantur, vel aquis merguntur. Magna ea ſtrages fuiſſe memoratur, ita vt aqua eius lacus cruore & cadaueribus infecta, vſibus hominum & iumentorum aliquandiu pòſt apta non eſſet. E Vuladiſlai exercitu non ita multi deſiderati ſunt: vulnerati fuêre plurimi. Sbigneus fuga in vrbem relapſus, viuus in poteſtatem patris venit. Oppidum quòd receptum ipſi præbuiſſet, militi in prædam conceſſum: & ex eo tempore in eam, quę etiam nunc cernitur, ſolitudinem redactum eſt. Dimiſit deinde Vuladislaus exercitum, Sbigneumque in cuſtodiam Sececho dedit: ipſe in Maſouiam inde

Voislaus pædagogus principis.

Vuratislauienſibus venia data à principe.

Magnus præfectura amotus.

Sbignei fuga.

Prælium inter patrem & filium. Goplus lacus.

Sbigneus captus. Cruſuicia direpta.

diuertit. Vnde cùm Gneſnam ad baſilicæ dedicationẽ à Martino archiepiſcopo inuitatus, cum multis proceribus, & aliquot epiſcopis veniſſet, eorum precibus expugnatus, veniam Sbigneo dedit: filium agnouit, & liberaliter apud ſe deinceps habuit. Nec ita multo pòſt cum Boleſlao legitimo filio, peſſimo exemplo, & magno reipub. malo, honore eum exęquauit, & quibus finibus vterque poſt ſe principatum obtineret deſignauit. Cui rei diſſenſio ipſorum occaſionem dedit. Nam quo tempore baſilica Gneſnenſis dedicabatur, Pomerani ſiue Caſſubij, qui Marchiani nunc vocantur Santocum arcem penè interceperant. Re enim cũ paucis proditionis conſcijs conſtituta, noctu intromiſſi, cæteros arcis cuſtodes dormientes trucidare parabant. Verùm terrore diuinitùs, vt creditum eſt, quaſi equitis armati cum ſtrepitu & impetu in ipſos incurrentis oblato, perculſi, dum pauidi & locorum ignari in tenebris diſcurſant, à cuſtodibus ſtrepitu atque trepitatione excitis conciſi ſunt. Hoc facinus vlturus Vuladislaus, ambos filios cum exercitu in Pomeranos miſit. Qui cùm diſſidere cœpiſſent, nulla re memorabili geſta citò ad patrẽ reuerterunt. Hac igitur diſſenſione ipſorũ motus pater, ac veritus, ne magis in dies inter eos odia gliſcerent, certos principatus fines vtriq; deſcripſit. Cæterùm interea dum Vuladislaus Sbigneum Cruſuiciã perſecutꝰ erat, Prædiſlaus Boemorum dux, ad omnem occaſionem, qua Polonis noceret, attentus, ſimul vt exulibus promiſſum præſtaret, cum tumultuaria ſuorum manu raptim in eam orã, quę ad Nyſſam fluuium eſt, prædabundus excurſionem fecit: Bardum arcem defenſoribꝰ vacũam, vt in pace, nullo negotio cepit, & exuſſit. Aliam ipſe in rupe quadam eminenti & vndiq; pręrupta, locọ opportuno celeriter conſtruxit, & Cameneciam appellauit: relictoque ibi aliquanto præſidio, cũ reliquis copijs domum ſe recepit. Verùm hoc antè, quàm Sbigneus in gratiam à patre reciperetur, acciderat. Tertio autem anno pòſt fama vulgatur, Boemum comparare exercitũ, vt ex improuiſo Poloniã inuadat. Contendit ſtatim Boleslaus volũtate patris, cum expedita manu, quam ex tempore cogere poterat, ad tutandos fines, & vim Boemi propulſandam: non expectandum ſibi eſſe ratus, dum aliquo prius ille incommodo Poloniam afficeret. Adueniens nullũ tumultum, nullũ metũ reperit apud ſuos, q Boemis & Morauis erãt finitimi. Miſſi exploratores, pacata

Sbigneus in gratiam receptus, & Boleslao exæquatus.

Pomerani Santocũ adorti repelluntur.

Diſsidiũ Sbignei cũ Boleſlao.

Boemi Sileſiam inuadunt.

Niſſa fluuius.

Bardum captum & incenſum.

Camenecia arx in Sileſia.

Rumor falſus Boemicæ excurſionis,

cata esse omnia apud Boemos referunt. Ibi rumor à paucis (ex inuidiáne vel odio confictus, an ex vero timore ortus, nescio) mox tota peruasit castra: vnoquoque, vt fit, addente aliquid ijs, quæ ab alijs acceperat: nimirum, famam illā de motu Boemorum à Sececho sparsam esse, vt conflato adolescentis temeritate bello, periculo ipsum objiceret, aut à patre duntaxat seiungeret: ipse interim liberius potentiam suam stabiliret, omniaque ad inuadendum principatum, & ad exitium absentis Boleslai compararet. Erat enim Secechus homo callidus, præpotēs & factiosus: magnas habebat clientelas: cum multis proceribus necessitudine & affinitate sese implicauerat: complures propinquos & gētiles suos ad multos honorum gradus euexerat: præfecturas regias plerasq; per suos, & per se ipse administrabat. Is porrò erat fastus & ambitio hominis, & sublatus secūdis rebus, & nōnullis in rempub. meritis animus, vt rem verisimilem faceret, eum in præsenti illo rerum suarum statu acquieturū non esse: neque æquo animo laturū, vt minus valeret gratia apud iuuenes, quàm apud patrem: quos animaduerteret suo merito nō optimè in se animis affectos esse. Augebat suspicionē & illud, quod Voislaus Boleslao de more ad expeditionem illā comes non iuerat. Nam & is Secechi cognatus erat. Extollunt apud Boleslaū in immensum omnia ij, quorū animos vel iniuria aliqua, vel nimia potentia Secechi offenderat, quiq; crescere ipsi aliena inuidia volebant, & qui impensius Sbigneo fauebant, quorum fortaſsis illud erat commentum aduersus Secechum. Et facilè ambitiosi adolescētis in eum iram exacuunt. Fremitur totis castris: indignū esse facinus, ab vno sic omnes ludificari. Non ferendum esse diutius impotentem eius dominatū, & intentas in capita principum suorum insidias. Placet acciri Sbigneum, quē sciebant Sececho ob relegationē & custodiam infensum esse. Aduolat ille: initur societas inter adolescentes aduersus Secechū, dato & accepto iniurando: patrem aut exorandū sibi esse statuunt, aut terrore exercitus cogendum, vt Secechū à se, & ab administratione reipub. penitus amoueat. Vratislauiam in primis in potestatem suam redigunt, propterea quòd Voislaum præfectū eius vrbis cū Sececho sentire credebāt. Ibi dum cætera cōparant, venientem fortè Voislaum, rerū omnium ignarum, vrbis aditu prohibent. Mirāti, & causam sciscitanti, proditio & insidiæ objiciūtur.

Secechi inuidia.

Secechi opes & ingenium.

Conspiratio contra Secechum.

Voislaus præfectura amotus.

Purgare crimen cupiēs, non auditur. Repulsus, ad Vuladislaum in Masouiā magnis itineribus cōtendit. Degebat is tunc apud Zarnouecciā, vicum ignobilem. Nec multo pòst adsunt Boleslaus & Sbigneus cum copijs suis: haud longè à vico castra metantur: missis legatis, constantē fidem & pietatem suam erga patrem plurimis verbis, & iureiurando asseuerant: inuidiosam & intolerabilē omnib⁹ Polonis Secechi potentiā, maximo cū contemptu & dedecore principis coniunctā, & ad principatum iam adspirantem, atque adeò grassantem exaggerant: insidias sibi ab eo comparatas, & manifestè à se deprehensas esse: orant, ne inultum scelus illud & læsam maiestatem suam esse patiatur. Per omnia se patrēm indulgentissimum debito honore & obseruantia prosecuturos esse, eiusque dicto audientes fore. Cæterùm salutem suam, dignitatemque ipsius minimè neglecturos, & ingratum atque sceleratum Secechum vel inuito patre persecuturos. Idem secum sentire vniuersam Poloniam, paucis necessarijs malefici illius exceptis. Videret ergo pater, vtrum ne vni malefico, qui se incantamentis dementasset, immoderatius indulgendo, plurimorum animos offendere: an vnum illum Deo hominibusque exosum, à se & à superbo dominatu amouendo, cunctorum beneuolentiam retinere malit. Aderant episcopi aliquot & proceres è vicinioribus locis, qui ad primum noui illius motus nuncium, ad principem euocati accurrerant. Ab ijs persuasum est principi, vt filiorum postulata faceret potius, quàm vim & furorem multitudinis vnà cum Sececho experiretur. Restitui postea Secechum in suum locum, & iuuenes ei reconciliari posse, vbi iræ eorum paulùm resedissent. Itaque dat fidem princeps filijs, facturum se de Sececho, quod postulassent. Adeunt ipsi ad patrem adolescentes inermes, & læti euentu illo consilij sui: venerabundi patrem salutant, & veniam cœpti sui non tam temerarij, quàm necessarij, vt ipsis videbatur, supplices petunt. Facilè indulget pater, & mox in amplexus eorum ruit. Secechus conspectum eorum declinans, discessit ad arcem suam Secechouiam, fossis atque propugnaculis bene munitā. Id vbi adolescentes cognouerūt, statuunt eū persequi: neq; quieturi esse, nisi aut sublato illo, aut è Polonia pulso, videbantur. Non poterat id pati Vuladislaus. Itaq; nocte intēpesta traiecto clàm flumine Vistula, tribus tantū ministris comitatus, ad Secechum cōtendit, præsentia sua peri-

Zarnouecciā.

Legatio filiorum ad patrem principem.

Boleslaus & Sbigneus veniam à patre petūt.

Secechouia arx.

Secechi gratia apud Vuladislaum.

periculum à capite ipsius, quemadmodũ credebat, depulsurus. Nec eum spes fefellit. Cognito namq; patris cõsilio, adolescentes mutant consilium: partitiq; inter se copias, additiones à patre sibi destinatas, vterque proficiscuntur: arces primarias, eiectis Secechi partium præfectis & custodibus, in potestatem suam redacturi. Et Boleslaus quidẽ facilè, & nemine repugnante, Cracouia, Sendomiria, Siradia, & alijs quibusdã suæ ditionis munitionibus potitus est. Sbigneus à Ploſco repulsus, Boleslai opem implorat. Nec moratur ille: iunctis viribus Ploſcum obsidetur. Interea Martino Gnesnensi archiepiscopo, sene optimo, interueniẽte & adnitente, pax iterum inter patrem & filios Secechi exilio sancita est. Qui in Russiam exulatum abijt, & quamuis longo post tempore placato Boleslao ab exilio redierit, nunquã tamen ad pristinum dignitatis atque potentiæ gradum peruenit. Arces, quas occuparat Boleslaus, patri reddidit. Interea pertęsi quietis Pomerani & Cassubij, & cõmodam rerum nouãdarum occasionem motibus illis Polonicis oblatam sibi esse rati, Santocum arcem, nostris ad reprimendos ipsorum motus valde opportunam, per fraudem intercipere conati sunt: vbi dolus nõ processit, ac ne aperta quidem vis, alteram & ipsi arcem è regione illius quæ à nostris defendebatur, magna celeritate excitarũt, vnde nostros commeatu & pabulatione prohiberent, & ipsi liberius in Poloniam incursiones facerẽt. Quod publiconé consilio, an priuato quorundam latrocinio factum sit, incertum est. Valida certè ea fuisse manus memoratur. In eos mittit Sbigneum Vuladislaus cum iusto exercitu. Verùm is difficultate expugnandæ hostilis munitionis deterritus, re infecta recessit. Indignè id tulit Boleslaus excelsi animi adolescens: & mox cum expeditis copijs profectus, ad hostem peruenit. Pomerani superioris temporis successu feroces, impetum in Polonos ex arce faciunt. Quos fusos Boleslaus in arcem, compellit: parumque abfuit, quin cum fugientibus simul irrumperet. Repressi, & qui dudum nostros obsidebant, vicissim obsessi, desperatis rebus, incensaque munitione sua, subobscuræ noctis silentio diffugêre. Celebris iam erat Boleslai fama apud exteros. Cuius admiratione ductus Prædislaus Boemorum princeps, auunculus ipsius, conspectum eius expetebat. Fecit ille satis desiderio eius, & à Santoco rectà ad eum profectus est. Nec minuit famam veniens: pau cosque dies apud auunculum commoratus, maiore beneuolentia & charitate eum sibi deuinxit: & Camenecia arce, quam supra Nyssam amnem à Prædislao munitam esse superius memorauimus, ab eo donatus, magnisque præterea muneribus ornatus, quæ tamen ille pleraque omnia mox inter milites distribuit, in Poloniam ad patrem reuertit. Qui alendam sibi esse laude & honore præcocem adolescentis virtutem existimans, baltheo militari quatuordecim annos natum cingere statuit. Conuocati primores vtriusque ordinis, Ploſcum ad præstitutam diem conueniunt. Interim nunciatur, Pomeranos iterum summa vi Santocum oppugnare: nec diutius nostri, qui erant in præsidio, hostiles impetus sustinere posse dicebantur. Ibi Boleslaus cum equitibus, quos ad manum tunc habere poterat, nequicquam retinentibus patre & proceribus, celeriter ad ferendam Santoco opem excurrit. Et continuato die noctuque itinere, summo diluculo in hostes securos ab ea parte irruit: inermes ac dormientes vel contrucidat, vel capit: pauci fuga elapsi sunt. Ita summa celeritate confecto bello, victor cum longo captiuorum agmine, amplisque spolijs, Ploſcum ad intermissam celebritatem reuertens, ingenti læticia patrem omnesque perfudit. Et mox solenni ceremonia ipse primùm, deinde complures nobiles iuuenes, qui virtutis aliquod specimen ediderant, baltheis militaribus à Vuladislao principe donati sunt. Insequenti anno Russi ducibus Volodimiro Nouogrodensium, Dauide Olecho Pereaslauiensium, Volodoro Præmisliensium principibus, & Iaroslao Iaropelci filio, cum valido exercitu Poloniæ fines inuasêre, & ad Vistulam vsque excursionibus longè lateque factis, ingẽtem prædam & magnum captiuorum numerum abigebãt. Hos Boleslaus tantisper dum raptim copias cogit moratus, iam extra Poloniæ fines vno agmine euntes, & nihil hostile à tergo metuentes consecutus, nocte intempesta, dum fessi potique dormiunt, sublato ad terrorẽ hostium clamore adoritur. Nec magni erat negocij, quãuis longè paucioribus, re subita trepidãtes superare. Ad fugã spectabãt omnes, resistebat nemo: nec tamen fugæ consilium explicabant, veriti, ne subducentibus aspectũ hostiũ tenebris, in insidias sese præcipitarent. Impeditos cædunt nostri: neq; captiui cessant, sed scissis ruptisque vinculis obuios quosque vel obtruncant, vel ijsdẽ quæ

Ploſcum obsessum à Sbigneo.

Secechus in exilium pellitur.

Pomerani à Boleslao adolescentulo victi.

Boleslaus in Boemiam profectus.

Camenecia arx in Silesia Poloniæ donata.

Pomerani iterum profligati à Boleslao.

Baltheo militari donatur Boleslaus.

Russorum excursio in Poloniam.

Russi superantur à Boleslao.

quæ ipsi dudum gestarant, vinculis constringunt. Ita longè maiore, quàm pro numero nostrorum, strage fusi Russi, temeritatis & perfidiæ suæ pœnas dedêre. Duces tamen noctis præsidio cum paucis effugêre. Sequenti anno, qui fuit à Christo nato millesimus centesimus & secundus, Vuladislaus morbo & angore confectus obijt, pridie Nonas Iunij, cùm viginti regnasset annos, vixisset propemodum quinquaginta nouem. Scribit Dlugossus, opinari nõnullos, qui ante se scripserint, eum à Sbigneo filio dolo interemptum esse. Solenni quidem pompa ab ambobus filijs, & magna procerum atque nobilitatis frequentia in basilica Plocensi sepultus est. Mortem verò eius non eodẽ modo tulêre filij. Nam Boleslaus quidẽ mœrori ac luctui totum se dedit: Sbigneus verò omnibus rebus posthabitis, facultatibus & thesauro manus iniecit, totũ sibi vendicans: propterea quòd is in arce Plocensi, quæ ipsi erat destinata, esset reconditus. Tandem episcopis & procerib⁹ medios sese interponentibus, conuenit, vt æqualem vterque partem acciperet.

1102. ann. Vuladislai principis mors.

De thesauro controuersia fratrum.

BOLESLAVS TERTIVS, COGnomento Criuoustus.

Persolutis Vuladislao principi iustis, nihil eorum mutatum est, quæ is viuens de principatu constituerat. Concessit enim Boleslaus Sbigneo fratri Masouiam atque Cuiauiam, & Lencicien sem tractũ: cætera ipse cum summo imperio obtinuit. Nam quod Dlugossus maiorẽ Poloniam, hoc est, Posnaniensem & Calissiensem tractum, Sbigneo adiungit, nõ admodum verisimile est, Vuladislaum maiorem portionem, & ipsam Poloniæ totius vetustam metropolim Gnesnam, quæ in maiore Polonia est, notho potius quàm legitimo filio attribuisse. Nec sanè quicquam negocij Boleslao prius, quàm in suam potestatem paternum omnem principatum redegit, cum Pomeranis atque Prussis, quod paulo pòst exponemus, fuisset, si maior Polonia cum Cuiauia & Masouia, quæ oræ populos illos à cætera Polonia disiungunt, in Sbignei sortem cessisset. Tanto autem patris desiderio Boleslaus tenebatur, vt diu lachrymis & fletibus non temperaret: gestabatque de collo suspensam in pectus auream laminã, in qua nomen & imago patris insculpta erat, qua subinde memoriam eius sibi refricaret: & quicquid vel faceret, vel loqueretur, sic ageret, quasi inspiciente omnia, & exaudiente patre: ita vt summa in iuuene existeret modestia & verecundia.

Poloniæ diuisio.

Boleslai mores.

Exacto luctu annuo, suadẽte & orante senatu vxorem duxit Sbislauã Suentopelci siue Stopolci Michaelis (sic eum Russorum annales vocant) Kiouiensium principis filiam: non sine indulgentia tamen Pontificis maximi, ne propter intercedentem cognationem incestæ essent eæ nuptiæ. Fuit enim Suentopelcus hic Izaslai filius: is porrò Iaroslai: cuius soror germana eodem patre Volodimiro, sed alia tamen matre orta, Dobrogneua, paterna Boleslai huius auia fuit. Eas nuptias Sbigneus non modò non cohonestauit, sed penè defœdauit & interturbauit, si euentus conatui respondisset. Etenim improba mens, malus animus, cùm fraternæ gloriæ inuideret, atque ad vniuersum principatum adspiraret, moliebatur fratri exitium. Boriuoius Vuratislai filius è Suentochna Polona vxore, tunc in Boemis post Prædislaum fratrem, Vngara matre natum, suorumque fraude occisum, principatum tenebat. Ad eum se contulit Sbigneus: persuasit precibus & pecunia, vt sub nuptiarum tempus in Boleslai ditionem inuaderet. Ad Græcium arcem iam Boemi peruenerant, cùm subitò murmure & fremitu castra complẽtur, ad iniustum se bellum contra cognatos & confœderatos duci: minimè necessaria expeditione, nec minoribus propemodum, quàm in quos eant, Polonos, incommodis, se ab auaro principe suo cõfici. Boriuoius vbi videt, alienos esse ab illo bello Boemorum suorum animos, reduxit exercitũ. Ita conatus ille primus, sumptusq; Sbignei tum incassum cecidit, nisi quòd in sequentem annum bellum tamen conflatum est. Nã Boleslaus incursione illa Boemorum prouocatus, primo vere coegit exercitium, eumque mox duce Zelislao misit in Morauiam. Nam ipse ne vnà proficisceretur, magnis precib⁹ à proceribus & noua nupta exoratus est: Iamq; Zelislaus peruastata tripartito agmine Morauia, ingẽti præda onustũ reducebat exercitũ, cũ certior fit, Suentopelcũ Morauorũ ducẽ cũ magnis copijs à tergo venientẽ, non lõgius duob⁹ miliarijs à se abesse. Itaq; p̃missis impedimẽtis atq; captiuis, signa cõuertit, & instructa acie manus cũ hoste cõserit. Pugnatũ ęquo martẽ aliquãdiu, plurimumq; humani sanguinis vtrinq; fusum est, ducib⁹ vbiq; præliũ instaurãtib⁹. Ad extremum neutrò inclinante victoria, vtrique mœsti & ꝑ victis se gerentes, illi quidẽ retrocessêre, nostri verò cum prẹda incolumes in Poloniam sese recepêre. In eo prælio Zelislaus, dũ duci

Boleslai vxor.

Sbignei improbitas.

Boriuoius Boemorum dux.

Græcium. Boemorum contra Polonos expeditio.

Poloni infestant Morauiam.

Suentopelcus Morauorum dux.

ducis pariter atque militis officio fungitur, dextram amisit. Quē Boleslaus princeps collaudatum pro meritis & virtute, aurea manu donauit. Nec longa quiete data militibus; iterum eadem æstate Boleslaus ipse trāsmissis mōtibus atque syluis, quibus ea prouincia à Polonia & Silesia versus occidentem solem disiungitur, incursionem in Morauiam fecit: exustisque, nemine resistente, plurimis vicis atque pagis, aliquanto tamen minorē prędam quàm Zelislaus reuexit: propterea quod agrestes à Sbigneo, vt creditum est, de aduentu Boleslai certiores facti, in montana & vastas syluas cum gregibus & armentis sese occuluerant. Reuertente & ouante ex Morauis Boleslao, legatus Pontificis maximi Gualto episcopus Beluacensis in Poloniam venit: adhibita que scelerum ac flagiciorum indagine & correctione, fauente & adiuuante principe, duos episcopos Gnesnensis prouinciæ sedibus suis eiecit. Qui verò ij fuerint non liquet: nisi quod Dlugossus alterum ex ijs Ciaslaum fuisse suspicatur: qui Cracouiensem sedem permittente Boleslao sine authoritate Pontificis max. vsurpauerat. Geminata est autem Boleslao victoriæ Morauicæ lætitia, nato filio Vuladislao. Quanquam contaminabant eam lætitiam Sbignei non obscuræ machinationes, à quo exciti esse Boemi, solicitati Pomerani, dicebātur: & rem credibilem faciebat, quod ipse cū suis copijs ad Boemicam expeditionem fratri præsto non fuisset. Dissimulabat tamen Boleslaus, & patientia sanare fratrem volebat. Cæterum Cassubios & Pomeranos è Polonia prædas agentes coercere, & insigniter vlcisci cupiens, æstate sequenti in Boemos expeditionem simulat. Ad Glogouiam conuenire equites iubet. Inde conuerso itinere, per densas syluas septimis castris ad Colbergam, frequens & opulētum ea tempestate oppidum maritimū peruenit: & nocte in syluis quieti data, insequē tis diei diluculo, vadato amne, qui oppidum præterfluit, & maiore copiarū parte ad subitos hostium impetus, si fortè eos aduentus suus non fefellisset, sustinēdos relicta, cum reliquis oppidū improuisò adortus est. Iamque portas effregerat, cùm facto ab oppidanis concursu, recipere se coactus est: veritus, ne sui, pauci à multis, in quibus & pueri & mulieres bonā de domibus atq; tectis operā nauare possent, opprimerētur. Pleriq; enim è nostris prædæ cupidiores, ad suburbana diripiēda discurrerant. Primo tumultu dux hostiū, q in eo tunc oppido cōmoratus erat, in fugā se eiecit. Boleslaꝰ castigatis ijs, quorū importuna prędę cupiditate factū erat, ne oppidū primo impetu caperetur, maiore deinde vi & omnibus copijs oppugnationē aggressus, vbi casso labore & vulneribus cōfici suos ab oppidanis strenuè mœnia defendētibꝰ animaduertit, direptis & incensis suburbanis, in Poloniam cum præda reuersus est: paucisque diebus quieti datis, cum ijsdem copijs inexpectatus in Pomeraniam rursus inuadit: Suatoborum maritimæ oræ ducem, socium & consanguineum suum liberaturus. Nam is propter iniustum & crudelem dominatum captus à suis, in vincula coniectus erat. Itaque præmissis qui Suatoborum repeterent, ipse nō magno interiecto spacio cum exercitu subsequitur. Pomerani repentino hostium aduentu territi, Suatoborum dimittunt, & ad Boleslai castra perducunt. Boleslaus Suatoboro admonito officij sui, & nō optimæ erga se ante eum diem fidei, statim reduxit exercitum. Insequenti anno rursus missa cum Scarbimiro magistro militum, quem comitem palatij vocat Vincentius, aliquanta manu, Pomeraniā, nemine prohibēte, depopulatus est. nam ipse cum prædatoribus illis profectus non est. Haud longè tamen à Pomeranorum finibus aberat. Reuertens è Pomerania Scarbimirus, ad principem contendit, ab equite quodam familiari suo ad nuptias pariter atque dedicationem templi inuitatum. Adueniens maiore lætitia explet conuiuium. Inde princeps hilarior, venatum se in syluam cum centum, non amplius, equitibus è conuiuio proripuit. Ibi in Pomeranos, qui tunc fortè raptim in Poloniam, sua damna compensaturi, incursionem faciebant, cùm incidisset, fugere turpe ratus, manus cum hoste, quamuis longè impar, conseruit. Magnaque in eis strage edita, dum iterū atque iterum perrumpit hostile agmen, deficiēte ex vulneribus equo ipsius, & vno de comitibꝰ aliū equum ipsi suppeditante, vix cum triginta suis, inter quos & Scarbimirꝰ erat, saluus euasit, Pomeranis in stuporem versis, & persequi abeuntes nō ausis. Et mox ad suos peruenit, qui re cognita, correptis armis è conuiuio ad ferendam principi suo periclitanti opem accurrebant. Pomerani sine mora, omissa instituta incursione, quæ malè adhuc ipsis ceciderat, curriculo domos sese recepêre. Feruntur autem fuisse ad tria millia. Sic temeritas principis prosperum tamen euentum habuit. In ea pugna Scarbimirus valde consauciatus, dextrum etiam

Zelislaus virtutis ergò donatus aurea manu.

Morauia iterum vastatur à Boleslao.

Legatus Pōtificis max.

Episcopi duo depositi.

Vuladislaus filius Boleslao natus.

In Cassubiā & Pomeraniam expeditio Boleslai.

Colberga.

In Pomeranos altera expeditio.

Suatoborus Pomeranorum dux.

Pomerania rursus vastatur.

Boleslai periculum & fortitudo.

Scarbimirus oculo priuatus. iam oculum amisit. Implet mox fama huius prælij atque periculi principis omnem Poloniam, multa (vt fit) veris affingens. Concurrunt ad visendum primores: *Senatus Principem obiurgat.* obiurgant principem periculosæ temeritatis: orãt, in posterum ne sese, remque pub. in tantum discrimen præcipitet. Ille contrà, reprehensionẽ facti sui, quod iam infectum fieri nequeat, in aliud tempus, si ipsis videatur, differendam esse censet: hostem verò, si vicem suam, cæsorumque fratrum doleant, secum statim vt vlciscantur, hortatur. Annuũt omnes, & mox domos ad arma capienda dilapsi, quantum quisque copiarum ex tempore contrahere poterat, contrahunt. Acciuntur ex fœdere Russorum auxilia: cõducuntur etiam ex Vngaris mercenarij milites. Nunciatur interim Boleslao, Suatopelcum Boemorum principem cum valida equitum peditumque manu expeditionem parare in Poloniam. Erat autem is Suatopelcus, quem & Conradum dici reperio, Ottonis Morauorum ducis, *Suatopelcus siue Suatoplugus Boemorum dux.* cuius suprà meminimus, filius: qui pulso Boriuoio patruele, Boemorum principatum illis diebus inuaserat. Atque id eo *Germanici motus.* liberius faciebat, quòd magni erant motus in Germania, bellumque ciuile primùm inter Hẽricum eius nominis quar- *Hẽric⁹ IIII & V. & Rudolphus Cæsares.* tum Cæsarem, & Rudolphum ducem Sueuorum, Henrico viuenti à principibus Electoribus suffectum: deinde Rudolpho extincto, inter eundem Henricũ, & filium eius Henricum, quem pater ipse imperij consortem & regem Germaniæ fecerat. Is igitur Suatopelcus siue suopte ingenio, siue ob receptum è fuga Boriuoium Polonis infensus: siue adeò à Sbigneo subornatus, incursionem in Boleslai ditionem, dum ille Pomeranico bello distinetur, facturus esse dicebatur. Distrahebatur ancipiti consilio Boleslaus, Pomeranosné prius vlcisceretur, an Boemorum excursionem reprimeret. Hic salus multorum agebatur: illuc iustus dolor & ira pectus generosum impellebat, veritum ne crescerent hostibus animi patientia sua. Tandem aduenientibus Russis & Vngaris, vtrumque bellum persequi statuit. & Scarbimirum quidem cum parte copiarum in Pomeranos mittit: ipse cum reliquis ad saltum Hercinium, qui Boemiam terminat, Boemis obuiam ire pergit. Verùm ij cognito Boleslai occursu, quieuerunt: nec eos tunc sibi lacessendos Boleslaus existimauit. Scar- *Pomerania vastata à Polonis.* bimirus vastatis, vt mandatum erat, Pomeranorum finibus, nemine obuiã prodeunte, exercitum præda onustũ reduxit.

Mentio facta Vngarorum admonet nos: vt ne prætereamus id, quòd in ipsorum annalibus reperimus. Tradunt ij, Almũ *Almus rex Vngarorum à Polonis reductus.* Geisæ regis filium, propter metum Colomanni fratris, cui Almus regnum à Ladislao patruo sibi delatum, vltrò concesserat, profugũ, hoc anno, qui fuit à Christo nato 1106. à Polonis in Vngariam re- *1106. ann.* ductum, & cum patre pacificatum, non tentata dubia Martis alea, Polonorum auxilia dimisisse. Nostri nullam per hæc tempora Polonorum in Vngariam expeditionem commemorant: cæterùm ipsos ab Vngaris contra Pomeranos adiutos esse referunt. Verisimile est, eos mutuam sibi nauasse operam. Hoc etiam anno Boleslaus filia Suentoslaua auctus est, *Suentoslaua Boleslai filia.* & cum Sbigneo fratre, opera Suentopelci siue Stopolci Kiouiensium principis, ad quem Sbigneus profugerat, in gratiã rediit. Sequenti anno maiore vi Cassubi- *Cassubicum & Pomeranicum bellũ.* js & Pomeranis bellum fecit: Iam ij malorum pertæsi, & assiduis agrorum suorum vastationibus fracti, ad deditionem animis inclinabant: soli Bialogradenses (ciuitas ea fuit in primis diues & populosa) ferociores, cæteros quoque à proposito auerterunt. Itaque in eos omnem belli molem confert: Sed prius tamen missis cum legato duobus scutis animos eorum tentat, albumne, quo pax, an rubrũ, quo bellum excidiumque significabatur, mallent. Superbius illi responsum dedêre, ambobus scutis acceptis: Sanguine Polonorum se sibi candidam victoriam pacemque paraturos. Itaque Boleslaus admotis ad mœnia Bialogradi castris, actis vineis, & turribus celeriter excitatis, summa ope vrbem expugnare nititur. quatit murum aries: ipse princeps periculi immemor, inter primos versari, nec deterreri multitudine telorum hostilium, aut suorum circa se cadentium miserabili interitu, quin ad portam vrbis excindendam suis præiret. Depelluntur tandem summa nostrorum vi è propugnaculis hostes, nostrique liberius effractis portis, cæsisque vel summotis, qui in introitu vrbis repugnabant, in vrbem signa infe- *Bialogradũ Pomeraniæ captum.* runt. Tunc demum Bialogradenses abiectis, armis, clementiam victoris suppli- *Clementia Boleslai.* ces implorant. Parci iubet inermibus Boleslaus: & receptui signo dato, ab excidio & direptione vrbis abstinere milites iubet: euocatoque & castigato magistratu vrbis & omni multitudine, dat veniam victis. Hac victoria & victoriæ modera- *Vrbiũ Cassubicarum & Pomeranicarum deditio.* tione accepta, Colberga, Camenum, Velinum, (quod Iulinum fuit olim, vrbs emporio nobilis, nunc oppidum ignobile est)

le eſt) Coſſelinum, & aliquot præterea oppida Pomeranorum, atque Caſſubiorum in poteſtatem Boleſlai venêre. Ciarnicouum excitatis turribus maiore vi oppugnatum, dum Boleſlaus ad Boemiæ fines excurrit. Ad extremum, ſub autumnum reuertente eo, perdeditionem receptum, & Gneuomiro, qui eius oppidi dominus fuerat, redditum eſt, cùm is religionem Chriſtianam, à qua alieni adhuc erant Pomerani, à Boleslao de ſacro fonte leuatus ſuſcepiſſet, & in Boleslai ſucceſſorumq; eius principũ Poloniæ verba iuraſſet.

Ciarnicouũ à Boleslao in poteſtatem redactum.

Gneuomirus Ciarnicoui dominus Chriſtianus factus.

Quod autem de excurſione Boleslai ad Boemorum fines attigimus, ita ſe habuit. Cozle oppidum ſupra Odram ſitum, ad reprimendas Boemorum ſiue Morauorum incurſiones peropportunum conflagrauerat. Suſpicabatur Boleslaus, dolo Boemorum incendium id conflatum eſſe: eosque mox locum denuò munituros, & præſidio firmaturos, ni ipſe anteuerteret: nec tamen eum, quẽ in Pomeraniam duxerat exercitum, longo itinere & labore belli defatigatum, nondum confecto eo bello, deducere, & nouo labore conficere volebat. Itaque Sbigneum fratrem auxilia, cum quibus ad inſtaurandum Cozle iret, popoſcit. At ille non modò non fecit poſtulata, verùm etiam legatis fratris ſuperbo & pleno contumeliæ reſponſo oneratis, vix manus abſtinuit. Permoleſtè id tulit, vt par erat, Boleslaus. Itaque cum paucis voluntarijs, ſumma celeritate confecto itinere, reſtaurato oppido Cozle, ac mox recepto Ciarnicouo, quòd hyems iam inſtabat, dimiſit exercitum.

In Sileſiam excurſio Boleslai.

Cozle oppidum exuſtũ, & inſtauratum.

Sbignei contumacia.

In Poloniam reuerſus, ad ſenatum de iniurijs, contumelijs & perfidia Sbignei refert. Conſtabat, eum aduerſus commune placitum (quod inter fratres iureiurando interpoſito conuenerat, vt neuter ſine altero fœdus cum quoquam percuteret, & alterius hoſtem ſuum vterque duceret) cum Pomeranis fœderatum eſſe: his crebros nuncios & munera mittere, viciſſimque ab eis accipere: captiuos, ſi qui fortè de eius ditione capti eſſent, ei cõdonari. Proferebantur teſtimonia, & literæ eius interceptæ, ad Boemos & Pomeranos ſcriptæ, quibus eæ gentes aduerſus Boleslaum ſolicitabantur, ac doli in caput Boleslai concinnati aut meditati aperiebantur. Certatim quiſque in ſenatu partim hęc exaggerant: partim alia pręterea, quę acceperant, aut compererant, proferunt. Cenſent omnes non eſſe ferendum diutius monſtrum illud: ſed armis perſequẽdum, & aut tollendum de medio, aut certè pellendum hoſtem publicum: qui eo ſit capitalior, quod ſub ſpecie ſocietatis & amicitiæ fallat.

Sbignei doli.

His cognitis Sbigneus, diffiſus rebus ſuis, maluit ad clemẽtiam & miſericordiam fratris, quam ſum mam eſſe in eo nouerat, cõfugere: quàm virium & armorum eius, vniuerſæ Poloniæ conſenſu nitentium, in ſe periculum facere: præſertim cùm ſuorum animos alienos à ſe eſſe intelligeret, & in Boemis atque Pomeranis parum iam ſpei reponeret. Etenim Boleslaus cũ Boemis quidem pacem fecerat, Pomeranos verò fregerat: & diſtinebantur ij tunc, vt videtur, Saxonum Marchiæ Brandeburgenſis fines proferentium, Danorumque bellis. Itaque Sbigneus per Balduinum Cracouienſem epiſcopum, & Iaroslaum Ruſſorum ducem, vt vult Gallus, veniam, & Maſouiam, cætera ditione ſua Boleslao conceſſa, impetrauit, & in poteſtate illius ſemper ſe fore ſanctè promiſit.

Clementia Boleslai erga malè merentem fratrem.

Hoc tempore Pomeranorum manus, ſiue ea prædabũda fortè incurſionem fecerat, ſiue intentis in vnum inſidijs ad rem certam venerat. Spicimirum vicum improuiſo inuaſit. Seceſſerat eò tunc cum paruo comitatu Martinus archiepiſcopus Gneſnenſis, pius & venerandus ſenex. Atque is ad primum tumultum & aduentum hoſtilem timore ſubminiſtrante conſilium atque vires, inter contignationem templi abſconſus latuit: miniſtri verò & comites eius dilapſi, partim euaſerunt, partim in fuga ab hoſtibus capti ſunt: inter quos erat archidiaconus Gneſnenſis.

Spicimirus vicus à Pomeranis direptus.

Eum Pomerani quod & ſacerdos, & ſplendidè veſtitus, & magnæ oris dignitate præditus eſſet, Archiepiſcopum eſſe rati, ſpoliato raptim templo, ſecum abduxerunt. Ferunt, Pomeranos omnes, quicunque archidiaconũ & ſacra templi vaſa attigiſſent, domum reuerſos, cum liberis, coniugibus, propinquis, atque domeſticis familijs, vel comitiali morbo correptos ad parietes & ſaxa ſe alliſiſſe: vel in amentiam verſos partim mutuis cædibus concidiſſe, partim dentibus & vnguibus in ſeipſos ſæuijſſe. Hoc igitur malo perculſi, cauſaque mali notata, archidiaconum cum ſacris vaſis & omni inſtrumento templi Spicimirienſis conquiſito, domum remiſerunt. Hæc ita diuinitùs ad preces pij ſanctique Archiepiſcopi accidiſſe exiſtimantur.

Archidiaconus Gneſnenſis captus à Pomeranis.

Sacrilegij pœna.

Addunt Dlugoſſus & Vincentius, ex eo tempore Pomeranos religionem Chriſtianam ſuſcepiſſe. His adſtipulatur Albertus Crantius, qui & ipſe Pomeranos Boleslai huius principis

Pomerani religionẽ Chriſtianã ſuſcepëre.

Alb. Crant. lib. 3. ca. 28. Vandaliæ.

opera

opera Christianos factos esse scribit: tametsi paulò posterius. Eodē pertinet, quòd Hilmoldus, Slauicarum sui temporis rerum scriptor, ante 400. annos scriptum reliquit: Ottonem Babenbergensem episcopum, inuitante pariter & adiuuante Boleslao Polonorum duce, Pomeranos inter Odram & Poloniam cum duce Verceslauo conuertisse ad Dominum. Memorat autem Laurentius Surius (cuius historia ecclesiastica nuper in lucem prodijt) ex vetusto & innominato quodam authore, Ottonem hunc Sueuum, cùm adhuc esset iuuenis, in Polonia peregrinãtem ludum literariũ aperuisse, ac deinde à Boleslao duce ad aulicũ ministerium adscitum, Polonicam linguam didicisse. Postea verò Henrici Imperatoris gratia ad Babenbergensem Episcopam euectum esse. Ita is pietate & sanctimonia vitæ insignis, Pomeranis ad Christianam religionem conuertendis, bonam operam nauare potuit. Longè quidem antè ij cum cæteris eius oræ Slauis, quos Vandalos vocat Crantius, Christo nomina dederant, partim Germanorum, partim Polonorum armis adacti: sed rursus ad pristinam impietatem semel atq; iterum relapsi erant. Post hæc Boemicum, & ex eo Teuthonicum bellum exarsit in Polonia, ex huiusmodi causa. Hērico quarto Imperatore capto, & in carcerem coniecto, ac deinde angore animi confecto, liberè iam Henricus filius eius tenebat habenas imperij, inferebatq; bellum Vngaris, ob vexatos & violatos milites, qui ex vniuerso orbe Christiano ad Asiaticam contra Saracenos & Turcas expeditionem, & recuperanda Ierosolyma per Vngariam proficiscebantur, & Almum Colomanni regis fratrem exulem reducebant. Ad quod bellum Boemos etiã, vtpote socios & vectigales Romani imperij, secum in exercitu ducebat.

Henrici V. Imp. expeditio in Vngariam.

Hac tanti belli mole territus Vngarorũ rex Colomannus, Geisæ filius, qui Ladislao patruo in regnum successerat, à Boleslao colloquium petijt. Loco dieque constituto, conueniunt principes in Scepusiensi territorio: societatem inter se ineunt: communes amicos, communes hostes sibi fore promittunt: fœdus, quo firmum perenneque sit, noua affinitate sanciunt. Colomannus enim Iuditham Boleslai filiam, Stephano filio suo natu maiori despondit: Scepusiense territorium, quod Polonicæ ditionis erat, in dotem datum. Veniebat iam Henricus imperator cum valido exercitu contra Vngaros, Almum Colomanni regis fratrem natu minorem secum ducens. Idque factum esse quinque annis antè, quàm Bonfinius supputat, multis authoribus & argumētis docere possumus. Ibi Boleslaus Vngaris, quemadmodum conuenerat, auxilia mittit: ipse cum non contemnendis alijs copijs in Boemiam inuadit, Boriuoium & Sobeslaum Suatopelci Boemorum principis fratres patrueles, Colomanni regis sororis filios, exules in comitatu suo habens.

Boleslai cũ Colomanno rege fœdus & affinitas.

Scepusiũ in dotē datum Vngaris.

Boemia vastatur à Polonis.

Tametsi Vēceslaus Hagecus velle videtur, non interfuisse huic expeditioni Boleslaum. Suatopelcus Henricum ad Vngaricum bellum cũ auxiliaribus copijs sequens, Vasconi & Mutinę proceribus summam rerum Boëmicarum commendauerat. Hi ergo Boleslao fines Boemiæ ingredienti cum aliquanta suorum manu occurrunt: initoque prælio profligati, Pragam se recēperũt. Polonus vastata magna parte Boemiæ, oppidisque aliquot captis atque direptis, incolumem & ingenti præda ditatum reduxit exercitum. Suatopelcus de domestico periculo certior factus, ægrè impetrato ab Imperatore fremente, & Polonis iam tunc minante, commeatu, raptim cum suis in Boemiam reuertit: cumque Polonos tunc vlcisci procliuè ipsi non esset, in suos iram conuertit, quasi eorum conniuentia & proditione Boemia vastata esset. Et Vasco quidem alter de ijs quibus princeps abiens imperium mandarat, in collegam culpam omnem transferebat. Res verisimilis esse visa est, eo quòd Mutina gēte Rauia siue Versouicia, in Polonos semper propensa, ortus erat. Itaque is cum duobus filijs, & alijs nonnullis primoribus Rauitis, & paruulis eorum filijs, iussu principis indicta causa capitali supplicio affectus est: Reliqui ex ea familia fuga elapsi, in Poloniam commigrarunt. In Vngaria nihil præclari gestum est à nostris: sed rebus cum Cæsare & Almo fratre amicè compositis, dimisit Colomannus auxilia. Reuertentem autem à Boemica expeditione Boleslaum duæ res aduersæ & molestæ excepēre. Nam Sbislaua vxor eius vitam cum morte commutarat: Pomerani autem, seu Cassubij Vsce arcem Gneuomiro Ciarnicouiensi domino vel authore, vel adiutore, per deditionem interceperant, deceptis qui in præsidio fuerant, cùm falsum de Boleslai morte rumorem confinxissent, quasi is victus à Boemis, captusque, & Henrico Cæsari traditus esset. Itaque omnibus rebus posthabitis Boleslaus, à Boemica expeditione maximis itineribus rectà in Pomera-

Rauitarum excidium in Boemia, & in Poloniam migratio.

Pomerani Vsce arcem intercepere.

Pomeranicũ bellum. niam cum paucis expeditis militibus cõtendit, reliquo exercitu dimisso, vt præda Boemica exoneratus, ad Pomeranorum fines sibi occurreret. Nec tamen expectauit, quoad is exercitus conueniret: sed cum paucis illis, ita vt venerat rapida excursione, cædibus hominum & incendijs villarum, hostium fines vastauit: non quo sic vlcisceretur eorum iniurias, sed magis vt incolumem se esse, & mox iustas pœnas de perfidis exacturum, ipsis ostenderet. Posteaquàm vniuersus conuenit exercitus, Velenum oppugnat. nã *Velenum oppugnatum.* id quoque recepto Gneuomiro defecerat: nec ita magno, vt Vsce, præsidio tenebatur. Iam autẽ hyems aduentabat. Erat in exercitu cum fratre Sbigneus: sed cum hostibus, qui aliquanta manu coacta opportunitatem inuadendorum nostrorũ *Sbignei perfidia.* obseruabant, sentiebat, eosque clàm per internuncios de omnibus rebus & consilijs fratris certiores faciebat, & prodendi perdendique eius occasionem quærebat. Nocte quadam castris clàm egressus, persuadet Pomeranis, vt se duce castra Polonorum adoriantur: perfacilè esse quàuis paucis multos inopinantes opprimere. Sequuntur Pomerani. Agebat fortè in statione & excubijs Boleslaus: quod quidem crebrò facere solebat. Is re animaduersa, hostes cum tumultu & strepitu in castra irrumpentes, cum ijs qui in statione erant, adoritur: suos in castris subita re perculsos, voce sublata animat. Concidunt animis hostes, in insidias præcipi- *Pomerani funduntur à Boleslao.* tatos se esse rati: conciduntur & capiuntur vtrinque: pauci tegentibus eos tene- *Sbigneus exceptus.* bris effugiunt. Captus est & Sbigneus, detractaque galea agnitus, & ad Boleslaum adductus, in sequentem diem asseruatus est. Orto die, refert rem Boleslaus ad ca- *Iudicium de Sbigneo.* strense consilium. Ibi alius alio acerbiorem in Sbigneum dicit sententiam. Sed omnium acerbissimam Secechus palatinus Cracouiensis, qui iam ab exilio reuerterat. Is grauissimè in genus, mores, ingratitudinem, impietatem & perfidiam Sbignei inuectus, exaggeratis quæ is in patrẽ indulgentissimum, quæ in fratrem mansuetissimum, quę in patriam optimè merentem peccasset, nullo non supplicio dignum, & vnguibus atque dentibus, si ferrum desit, populariter laniandum ac discerpendum esse pronunciauit: Boleslaũ etiam de nimia & perniciosa ipsi totique reipublicæ facilitate & clementia obiurgauit. Productus, & causam dicere iussus Sbigneus, cùm se non explicaret, & re manifesta redargueretur, non morte tamen, quemadmodum censebant omnes, sed exilio à mitissimo fratre damnatus, in *Sbigneus exilio mulctatus.* Boemiam abijt. Velenenses vigilijs, defendendæque arcis labore assiduo fatigati, & desperato suorum auxilio, arcem apertis portis dedunt. Introgressi milites, crebris Pomeranorum defectionibus & immedicabili perfidia commoti, in omne genus hominum, nullo neque sexus, neque ætatis, neque ordinis discrimine, desæuierunt, nequicquam reuocante *Velenum direptum.* Boleslao, & victis parci iubente. Gneuomirus ad principem viuus adductus, cõminuto fustibus capite, iustas perfidię pœnas dedit. *Gneuomirus fuste cõminuto capite interfectus.* Boleslaus, cùm per hyemem iam nihil rectè geri posset, reduxit dimissitque exercitum. Gallus per hyemem etiam Prussos adortum eum esse memorat, cõcretis glacie lacubus & paludibus, *In Prussiam excursio Polonorum.* quibus ea regio impedita, difficilem præbet aditum alijs temporibus. Peruastatisque ferro & igni agris, magnam hominũ & pecudũ prædam abegisse, nemine obsistente, aut pugnæ copiam faciente. Sequenti anno, qui fuit post Christũ natum millesimus centesimusnonus, Germanicum bellum exarsit, breue quidem illud, *1109. ann. Germanicũ bellum.* sed prospero successu, magnaque gloria Polonorum & Boleslai principis gestũ. Cuius hæc fuit causa. Adiutos à Polonis Vngaros, & vexatos retractosque è suis castris Boemos ipse per se indignè ferens Henricus Cæsar, magis etiam à Boemis contra Polonos incitabatur. Solicitabatur & à Sbigneo exule magnis pollicitationibus, eaque spe implebatur, vt per Sbigneum Poloniam omnem nullo negocio in potestatem suam redacturum se esse crederet. Affirmabat enim Sbigneus, primo eius aduentu certatim ad se Polonos defecturos esse. Igitur initio æstatis, quæ Vngaricum bellum consecuta est, cum maximis copijs atque viribus totius Germaniæ & Boemiæ Poloniam, qua Saxonibus atque Turingis cõfinis est, & nunc Marchiæ Brandeburgensis ac Silesiæ nomen habet, ingreditur: Lubus arcem & oppidum, quæ sedes e- *Lubus arx capta à Cæsare, & archiepiscopo Magdeburgẽsi donata.* piscopi etiam nunc est in prouincia Gnesnensis archiepiscopi, capit, & Magdeburgensi archiepiscopo donat, vt volunt nõnulli. Bythomiam deinde in illo ipso tra- *Bythomia oppugnata.* ctu sitam, aliam ab ea, quæ media est inter Cracouiam & Oppoliam, tentat: sed à Polonis audacter ex oppido erumpentibus repulsus, spei suæ & Sbignei pollicitis non respondere euentum iniquius tulit, & omissa atque in aliud tempus reseruata Bythomia, ad interiora contendit: Recenum recepit: inde ad Glogouiam *Recenũ oppidum.* duxit. Iam eò Boleslaus partem copiarũ

præ-

præmiſerat, quæ hoſtem tranſitu Odræ fluuij prohiberent, dum ipſe Ruſſorum & Vngarorum auxilia expectat. Verùm Cęſar inueto vado haud ita procul à Glogouia tranſducit exercitum ad nonum Calend. Septemb. peneque noſtros vltra Odram ſtatiua habentes oppreſſit: paucos quidem milites in agris vagantes, & magnam agreſtium pecudumque prædã cæpit. Reliqua militũm manus partim in oppidum ſeſe recepit, partim fuga diſſipata eſt. Magna vi oppugnatur oppidũ, frequens quidem ea tempeſtate, ſed non munitiſſimum. Oppidani veriti, ne capto per vim oppido, extrema quæque ab irato hoſte paterentur, quinque dierum inducias petunt, quib⁹ niſi ſuccurſum ſibi eſſet, deditionem promittũt: obſides dãt primorum ciuium liberos: ad Boleſlaum principem mittunt, quanto in diſcrimine ſit oppidum, & quid cum hoſte conſtituerint exponunt: orant, celeriter ſibi vt opem ferat. Collaudat ille eorum conſilium. Affuturum ſe eſſe maturè pollicetur. Quòd ni affuerit ad conſtitutum cum hoſte tempus, ſuſtinere eos porrò impetum hoſtilem iubet. Ni faciant, deleturum ſe eſſe eos poſt diſceſſum Cæſaris iurat. Malint ergo paucorum obſidum iacturam facere, quàm vniuerſi perire. Valuit apud Glogouiẽſes plus fides & authoritas principis, quàm priuata pietas. Itaque biduo, quod de inducijs erat reliquum, ad ſuſtinendam vim hoſtium omni ope ſeſe comparant: turres & mœnia quaſſa & labefacta reficiunt: lapidum & aliorum telorum maximam vim in turres congerunt. Adueniente quinta die, imperator promiſſam deditionem poſcit: vbi mutatos oppidanorũ animos videt, iratus corona oppugnat oppidum: obſides pallijs alligare, & ad mœnia obuerti iubet, vt dum ſuis oppidanorum miſericordia parcit, facilius & liberius milites mœnia ſubeant. Sunt autem pallia, aſſeres compacti, qui milites mœnibus ſuccedentes tegunt, & à miſſilibus defendunt. Sed nihilominus oppidani omne telorũ genus in ſuos iuxtà ac in hoſtes congerũt. Qui propius ad mœnia acceſſerant, aut ſcalis admotis muros iam ſcandebant, eos contis deturbãt, lapidibus obruunt, pice & aqua feruenti perfundunt, præcipitesq; agunt. Cęſar hoſtium ſiue pertinaciam, ſiue cõſtantiã admiratus, & ſuorum vulnera & pericula miſeratus, receptui canere iuſſit. Sic eo die & ſuccedentibus aliquot deinceps, fruſtra tẽtata expugnatio eſt. Nec voluit

Glogouia oppugnata, & fortiter defenſa.

Glogouienſium fides & conſtantia.

Pallia.

poſtea Cæſar ſuos periculo obijcere. Permultos .n. fortes viros, Bauaros, Saxonas & Boemos vna illa oppugnatione amiſerat. Ac Bauarorum quidem & Saxonum funera honorificè domos remiſit, Boemi verò ad Glogouiam in campis tumulati ſunt. Non receſſit tamen ab obſidione Glogouiæ Cæſar. Iam Boleſlaus expectata auxilia acceperat, validaſque de ſuo milite copias habebat: itaque propius hoſtem accedit: nec tamen pugnandi copiam, quamuis flagitantibus ſuis faciebat: ſed è latebris & inſidijs hoſtilem exercitum carpebat, pabulatores & alia quauis de cauſa caſtris egreſſos, per ſubmiſſos milites excipiebat ac trucidabat: ſæpius intempeſta nocte cum clamore & clangore tubarum hoſtium caſtris adequitabat, excubias aut opprimebat, aut è ſtationibus depellebat: interdiu quoque nonnunquam prandentes aut quieſcentes tumultuariè adoriri, perſequenti hoſti cedere, recipientem ſeſe rurſus perſequi, celeritate equorum ſuorum, & hoſtilium tarditate grauique armatura fretus. Itaque neque oppugnandi oppidum, neque reficiendi ſe, neque quieſcendi ſpacium hoſti dabat. Exurebat etiam circũiacentes pagos, obſidebat itinera, ita vt integras legiones pabulatum mittere hoſtes, & longius petere commeatum neceſſe haberent: ſępeque reuertentibus prę da excutiebatur. Celebre his reb⁹ erat Boleſlai nomen inter hoſtes, totaque caſtra laudes & virtutes eius, compoſitis etiam ad id carminibus perſonabant: ita vt Cæſar capitali pœna, ne id fieret, ſancire cogeretur, veritus ne ea res formidine atque deſperatione animos militum ſuorum deijceret. Angebatur autem ancipiti malo, obſeſſo quàm obſidenti ſimilior. Et infectis quidem rebus ab obſidione diſcedere turpe, manere autem diutius in loco periculoſum ducebat: ne nõ mutantem caſtra exercitum peſtis, & fames, & peruigilia, propter crebros noſtrorum inſultus cõficerent. Tandẽ vi expugnare oppidũ ſtatuit. Cæterùm Suatopel cum cũ Boemis ad ſuſtinendos noſtrorũ impetus, ne ſe oppugnationi vrbis intento, caſtra ſua adorirentur, obijcit. Et impediebant nonnihil Boemi noſtrorum conatus, tum in ſtatione illa, tum aliâs. Verùm Suatopelci mors non parum adiumenti noſtris attulit, aduerſariorum verò animos deiecit. Occidit autem eum Ioannes Ciſtes, eques Boemus exul, ſiue Boleſlai conſilio, & præmio percuſſori propoſito, adductus, ſiue proprij exilij ceſorum.

Belli gerendi ratio.

Suatopelcus Boemus dolo interfectus.

ſorumque propinquorum Rauitarũ dolore ſtimulatus. Certè patrata cęde, fuga, nequicquam perſequentibus Boemis & Germanis, pernici equo elapſus, magnis præmijs à Boleſlao affectus eſt. Perculit is caſus vehementer Cæſarem, & omnem eius exercitum. Itaque tumultuatum in caſtris, ac tota nocte in armis vigilatum eſt, ne quid maius noctu noſtri aggrederentur. Neque enim in vno illo tam audaci facinore conquietura eſſe Polonorum audacia videbatur. Poſtero die comploratione circa cadauer facta, Cæſar vt Boemorum ſtudia & voluntates retineret, permittit eis, vt principem ipſi ſibi, quem velint, eligant. Illi Henrico & Vẽceſlao, & Suatopelci filijs, & Vuladiſlao eiuſdem fratre patruele, quem prius Suatopelco ſucceſſorem interpoſito iureiurando deſignarant, præteritis, Ottonem eiuſdem Suatopelci fratrem germanum Morauiæ marchionem abſentem regnare iuſſerunt: à Cæſare miſſionem flagitarunt, deducendi funeris gratia, & quod verebantur, ne Boriuoius & Sobeſlaus exules, qui vel authores, vel certè conſcij necis fraternæ eſſe credebantur, principatum inuaderent. Ac ne Vuladiſlaus quidem tam inſigni iniuria affectus, quieturus eſſe exiſtimabatur. Et ita ſanè accidit. Ad primum enim nunciũ fraternæ mortis, principatum is occupauit. Aegerrimè Boemorum diſceſſionem tulit Cæſar: maluit tamen hoc ipſis concedere, quàm vt ij, nequicquã aduerſante ſe, irrita tis animis diſcederẽt. Boleſlaus ratus Cæſarem non ſatis auſpicati belli iam pertæſum, ſimul quòd hyems inſtabat, faciliorem placidioremque fore, legatos ad eũ de pace miſit. Edit ille pacis conditiones, vt Sbigneus in principatum ſuum reſtituatur, & vt Poloni tributarij ſint Romano imperatori. Duræ videbantur noſtris hæ cõditiones, neq; exiſtimabãt principẽ eas accepturũ eſſe. Ibi Henricus Cęſar ambitiosè admodũ & arroganter oſtentans legatis theſaurum, quem ingentem habebat: Hic, inquit, Polonos perdomabit. Erat legationis princeps Scarbicus comes ex ea gente, quæ inſigne habet lineas iunctas in modum duorum trigonorum æqualium, acutos angulos habentium, quorum baſes ſurſum verſus pateant: vel, vt planiꝰ ac rudius dicam, in modum W literæ geminæ maiuſculæ connexæ. Is igitur Scarbicus ſtultam Cæſaris iactantiam notans, annulo quem digito geſtabat, in theſaurum proiecto: Aurum, inquit, adijciamus auro. Id dictum intellectum Cæſar, gratias agendo excepit, Habdank, inquiens lingua Germanica, quod eſt, gratiã habeo. Inde familiæ id nomen manſit, vt Habdanci dicantur. Ex qua familia Michael comes Lubenenſe monaſterium in maiore Polonia paulo pòſt conſtruxit atque dotauit. Hæc eo libẽtius commemoramus, quòd ex hac familia fuit Ioannes Choienius epiſcopus Cracouienſis, & cancellarius Poloniæ, vir clariſſimus, admirabili ingenio, excelſo animo, maximo conſilio, eruditione & iuriſperitia non vulgari, rara celeritate ac dexteritate in rebus agendis præditus, in victu cultuque corporis elegans & moderatus, temporis parciſſimus, conſtantia verò, integritate & libertate in defendenda iuſticia, & iniuſticia oppugnanda ſingulari. Quibus rebus cùm potentes & factioſos quoſdã offendiſſet, eorum obtrectationibus minus gratioſus fuit apud multitudinem, quàm eſſe debuit. Cæterùm regi Sigiſmũdo ſeniori, cuius iudicium diuinum erat, ita fuit charus, vt inuidi quidam & inimici, plus quàm filium eum diligi ab illo, dictitarent. Atque is viueret adhuc fortaſſe, ſi chariora ſua commoda, quàm virtutem & rempublicam habuiſſet. Cæterùm ante octo annos immaturã mortem obijt, maximo noſtro dolore. Etenim non in clientis, ſed in alumni atque filij loco nos dilexit, ac de ornamentis noſtris ſedulò cogitabat. Sed vnde deflex imus, reuertamur.

Otto dux Boemis datus.

Vuladislaus principatum apud Boemos occupat.

Legatio Boleslai ad Cæsarem.

Henrici Cæsaris arrogantia.

Habdancorũ familiæ origo.

Ioan. Choienius episcopus Cracouiensis, & cancellarius Poloniæ.

Reuerſi ad Boleſlaum legati, mandata Cæſaris referunt. Mirari ille confidentiam Cæſaris, & iniquitatem conditionum, quaſi victor victis leges imponeret, ac non dubia adhuc eſſet Martis alea. Itaque quam non impetrabat pacem, vi & armis extorquere pergit, ac maioribus quàm prius damnis & incommodis hoſtem afficit, minus aptum per ſe, abductis Boemorum auxilijs, ad noſtrorum inſultus diurnos atque nocturnos reprimendos: nec vllam ei dat lignandi, pabulandi, commeatus petendi, atque adeò è caſtris prodeundi facultatem. His malis fatigati Germani, maioraque metuentes, aliò transferre bellum ſtatuunt, vt loci mutatione & aura meliore, & pabulatione commeatuque laxiore vterentur. Simul autem elicere ſe noſtros ad decernendum de ſumma rei vniuerſis copijs aliqua occaſione poſſe ſperabãt. Soluta igitur Glogouię obſidione, ad interiora Poloniæ & Vuratiſlauiam vrbem inſtructa acie contendunt. Inuadit à ter-

à tergo, carpitque extremos hostium Boleslaus, turbat ordines, impedit iter: nec sustineri nostrorum impetus à paucis poterat: vulnerabantur hostes hastis cominus, eminus sagittis: cùm illi conuersis signis ad prælium se expedirent, nostri diuersi refugiebant, rursusque ex interuallo iter prosequentes adoriebantur. Orabant principem nostri pleni fiduciæ, tota vt acie cum hoste dimicaret: satis sibi esse animorum, satis virium ad apertum certamen: defungi se cupere semel totius belli labore: indignum esse, vastari agros suos, expugnari arces & oppida, se intuentibus. Quietos esse iubet Boleslaus, & ad omnia paratos: sibi curæ fore, quid facto opus sit. Cęsar magno cum labore & cæde suorum ægrè in cōspectum Vuratislauię venit.

Est circum Vuratislauiam latè patens planicies: Boleslao locus visus est peropportunus ad dimicationem prælij, & nostris propter leuem armaturam & pernicitatem equorum, equitumque multitudinem, quàm hostibus commodior. Itaque paucis milites cohortatus. *Boleslai cohortatio.* Adesse tempus, quod dudum flagitassent: meminissent pollicitationum suarum: cogitarent in eo prælio imperium, salutem & libertatem patriæ verti: viri, & maioribus suis digni esse pergerent: vastatos agros, incēsos pagos, capta oppida, in seruitutem redactos agricolas vlciscerentur: gloriam denique maiorum suorum, Imperatore orbis terrarum deuicto, illustrarent. Deinde maiore, quàm aliàs, vi hostes à tergo & ab lateribus lacessit. Conuertunt illi acies more solito, nostros repulsuri. Non iam refugiebant nostri: sed celeriter ad signa & ordines, ita vt iussi erant, concurrentes, præter opinionem hostium, pugnandi *Prælium Polonorum cū Germanis.* copiam fecêre. Prælium fermè exoriente sole initum, durauit vsque ad meridiem. Et inclinabat quidem ad hostes victoria: reprimebantur nostri equites graui illorum armatura, nec densas peditum phalanges perrumpere poterant, sed quasi in murum incurrebant, maiore suo quàm hostium detrimento: iamque audacius illi vicissim signa inferebant: nutabant Poloni. Verùm Boleslaus omnia solicitè prouidens, vbicunque deteriori loco rem suorum esse animaduertebat, accurrebat, & hortando, orando, subsidiarias cohortes submittendo, instaurabat pugnam. Ad extremum cohortes aliquot Silesiorum, facto cuneo ab aperto latere curriculo in hostiles acies inuehi iussit.

Quod vbi factum est, celeriter inuadentibus nostris in aduersos & inopinantes, perturbari cœpêre hostium ordines. Nostri alacriores, mutua significatione & clamore sese cohortati, instare vtrinque trepidantibus, nec spacium colligendi sese dare. Acrius tamen adhuc à fronte nostrorum impetum sustinebant hostes. Sed vbi suos à tergo cedere nostris vrgentibus respexêre, in fugam sese omnes coniiciunt: in primisque Cæsar ipse, nequicquam reuocare fugientes conatus. *Boleslai de Henrico Cæsare victoria.* Iamque non in ancipiti dimicatione, sed in cæde fugientium & impedientium sese nostri versabantur. *Henrici Cæsaris fuga.* Plurimi mortales interfecti sunt, permulti viui in potestatem venêre. Atque ij honestè & liberaliter iussu Boleslai habiti & asseruati sunt. Multi etiam ex nostris ceciderunt: longè plures (vt in nudis, aut certè leui armatura tectis euenire necesse erat) vulnerati sunt. Campus, vbi pugnatum erat, plenꝰ cadauerum, acerbum & miserabile spectaculum exhibebat. Ac nostri quidem conquisiti & sepulti sunt: Germani verò insepulti, canibꝰ & volucribus esca iacuēre. Inde cū eò tāta vis canū cōuenisset, vt difficilem transitū præberet iter facientibus, Caninus campus à Polonis atq; Germanis locus ille dictus est: & in hodiernum vsque diem vtraque lingua nomen hoc, is q ibi est vicus, retinet. *Caninus campus.* Abest autē vno à Vuratislauia milliario. H. Mutius longè diuersum ab hoc exitum, diuersamque item causam huius belli memoriæ prodidit. Sic enim is scribit: Post comitia illa Aquisgranensium, sequēti anno iterum Francofordiæ conueniūt principes & Imperator, deliberantq; de bello suscipiendo contra Polonos, qui tributum Imperatori debitū dare recusabant: regemq; sibi elegerant, ipsiq; coronā imposuerāt: qui tum Imperatoris erat summus contemptus. Quare cōscripto exercitu, in eos proficiscitur. Rex ante Imperatoris aduentum in castris est: pugnatur aliquoties multo vtrorūq; sanguine: ad extremum verò vicit Imperator, milite Germano fretus, & potentia sua. Polonis igitur in fidē receptis, tributoque veteri aucto propter belli expensas, reuertitur in patriam. Hactenus Mutius: neque cum Gallo illiꝰ temporis scriptore, neq; cum ratione temporum congruenter. Neque enim tunc regem sibi crearunt Poloni: sed ante centum annos creatum, paulo ante illud tempus habere desierūt. Sed nos cætera persequamur. Boleslaus tam insigni, tametsi non incruēta, victoria

ria triumphans, quod hyems iam aderat, dimisit exercitũ suum: auxiliares verò Russos & Vngaros pro meritis remuneratus, in hiberna distribuit. Clarius verò, quàm ante hac, ea victoria Boleslai & Polonorum nomen apud Germanos factum est. Itaque cùm Henricus Cæsar acceptã à Polonis apud Caninũ campum cladem vlcisci insequenti æstate pararet, minus alacres militum animos ad eam expeditionem habuit: & res Italicæ præterea eum ab illa cogitatione auertebant. Verebatur autem, ne se in Italiam profecto, Poloni vicinã sibi Germaniam infestis armis inuaderent. Ad hæc sciebat, multos nobiles & egregios tribunos militũ, centuriones, turmarum & alarum prefectos, quorũ præclara opera in illa Italica expeditione vti posset, captiuos à Polonis detineri. Et pacẽ quidem cũ Boleslao facere cupiebat: sed offerre eam vltrò, quàm dudũ à se petitam negarat, turpe sibi ducebat. Tandem cõmunes amicos subornauit, qui Boleslao persuaderent, vt ipse eam à Cæsare peteret, ac de voluntate ipsius illi prolixè pollicerentur.

Boleslaus princeps ad Cæsarem profectus pacẽ petit.

Vicit animũ suum Boleslaus, vt ipse ad Cæsarem Babenbergam, quæ vrbs est Franconiæ, splendido apparatu & comitatu proficisceretur. Aduenienscomiter & honorificè acceptus est à Cæsare. Ibi multis inter se sermonibus habitis, & causis offensarũ & inimicitiarum discussis atque sublatis, pacem inter se fecerũt ęquis conditionibus.

Pax & affinitas inter Henricum quintũ Cæsarẽ, & Boleslaum Polonorũ principem.

Renouantur vetera primi Boleslai cũ Ottone tertio Imperatore fœdera, nouaq; affinitate sẽpiterna amicitia inter ipsos principes & posteros ipsorũ sancitur & stabilitur. Nam Boleslaus Henrici sororẽ Adleidã vxorẽ duxit, & filio suo Vuladislao impuberi adhuc Cristinã eiusdem Cæsaris filiam paruulam despondit: captiuos omnes Cæsari liberaliter remisit, & ab eo vicissim oppida capta superiore bello recepit: peractisque magna celebritate & summa omnium læticia nuptijs, datis & acceptis vltrò citroq; magnis muneribus, aucto nobilibus Germanis, nouas nuptas deducentibus, comitatu in Poloniam reuertit. Tametsi Radeuicus Frisingensis in eo libro, quem de Rebus gestis Friderici Imperatoris scripsit, Gertrudim Leopoldi Marchionis Austriæ filiam, Henrici Cęsaris neptem, Vuladislao vxorem fuisse memorat.

Boemicũ bellum, & Boriuoij reductio.

Post Germanicum bellum, quod dudum exposuimus, Boriuoius oblatam Suatopelci fratris interitu, & Ottonis atq; Vuladislai de Boemiæ principatu contentione, occasionem nõ prætermittẽdam sibi esse ratus, quin principatum, vnde à Suatopelco eiectus fuerat, repeteret, impetrat à Boleslao Polono auxilia: & confluentibus certatim ad eum proceribus & equitibꝰ, paruo negocio Pragam & Vissegradum, caput Boemiæ, in suam redegit potestatem. Sed euocatus à Cæsare ad cognitionem ac disceptationem causæ pariter cum Vuladislao fratre, qui impar viribus Cæsaris opẽ implorarat, in vincula coniectus est: Vuladislaus verò Boemorum princeps declaratus.

Boriuoius à Cæsare captus.

Molestè autem ferens Boriuoij circumscriptionem Boleslaus Polonorum princeps, motusque Sobeslai fratris eius, qui apud se adhuc exulabat, precibus, insequenti anno, cùm Henricus Cæsar Romam ad suscipiendum diadema imperatorium profectus esset, in Boemos duxit exercitum. IIII.ann.

Boleslai expeditio in Boemiam.

Premissis autem legatis, postulat à Vuladislao missionem Boriuoij, & vt se arbitro constitui de principatu inter fratres patiatur. Recusat Vuladislaus, & ad arcendam vim Boleslai sese comparat. Itaque desperata pacificatione, noster Boemiæ oram eam, quæ cis Albim est, ferro & incendio vastauit: Boemumq; sua defendentẽ, commisso ad Cidlinam amnem prælio, profligatum, in fugam vertit: & mox cũ magna præda & spolijs hostium, propter anni tempus in Poloniam sese recepit.

Boleslai victoria de Boemis.

Ad octauum enim idꝰ Octobris prælium factum erat. Hagecꝰ Polonos victos, & præda parta exutos, Sobeslaumque humero saucium Boemia raptim excessisse scribit. Sed neque Vuladislaus secundis rebus suis tã facile se ad conciliandũ sibi, reuocandũque Sobeslaũ fratrẽ adduci passus esset: neq; Boleslaus aduerso ꝑlio debilitatus, Prussos & Pomeranos mox bello persecutus esset.

Pomeranorũ & Prussorum excursio in Masouiam.

Excurrerãt ij prædabũdi in Masouiã, vastatisq; raptim agris & pagis permultis, celeriter se cũ præda domum recipiebant. Pręerat tunc Masouię Magnus comes, quẽ à Vuratislauiensi pręfectura amotũ fuisse, superius in Vuladislao exposuimus. Is tumultuaria manu facta reuertẽtes barbaros persecutus, & prima luce inopinantes, & post populationis laborem, largioresque ex præda epulas altum dormientes adortus, ad internecionem omnem illam hostilem manũ deleuit, nullo de suis desiderato.

Pomerani profligati à Magno comite.

Hostes autẽ sexcẽti interfecti sunt, capti mille ducẽti. Cæteri qui in proximas syluas effugerãt, sequentibus aliquot diebus ab agrestibꝰ excepti ac trucidati sunt. Quin à mulie-

mulieribus quoque duabus fraga legentibus vnus captus, & reuinctis post tergũ manibus adductus esse memoratur. Atque hæc victoria de barbaris, Simoni episcopo Plocensi, pietate & sanctimonia vitęvenerãdo seni refertur accepta, quod is & animauerit nostros in hostẽ, & pugnantibus ijs Dei opem implorare non cessauerit: Moysen populi Dei ducem imitatus, cuius precibus & extensione manuum magis quàm armis atq; viribus Amalechitas profligatos esse, sacris Hebręorum literis proditum est. Non satis autem pœnarum Pomeranos atque Prussos dedisse ratus Boleslaus, ęstate sequẽti expeditionem in Pomeraniam suis indixit. Conuenit exercitus ad Crusuiciam: iamque moueri castra debebant, ecce clara die, inspectante omni exercitu, apparuit in culmine basilicę Crusuiciensis formosus iuuenis, candida veste refulgens: cunctisque stupentibus desilijt, & ante signa progressus est. Ibi vniuersus exercitus lætus e uestigiò motis castris diuinitùs oblatum ducem sequitur insignem victoriam ex hoste barbaro sibi pollicens. Vbi ad Naclum, Pomeranorum siue Cassubiorum tunc vrbem facile principem, natura loci manuque munitam, ventum est, iuuenis ille malum aureum, quod manu gestabat, aduersus oppidum proiecit, subitoque disparuit. Nostri alacres partim schalis admotis muros scandere, partim portas refringere summa vi contendunt: parumque abfuit, quin oppidum eo die caperetur. Sed plenior & illustrior ipsis de perfido hoste victoria debebatur. Oppidani prima oppugnatione perculsi, quindecim dierũ inducias à Boleslao impetrant, ea lege, vt ni sibi interea succursum esset, dederent sese. Circum suos dimittunt, qui de periculo vrbis certiores eos faciant, & auxilium petãt. Iam ingentes Pomeranorum & Prussorum copiæ conuenerant, ac de ratione belli gerendi inter se consultabant: fit fremitus totis castris ad primum nuncium Naclensium. Deinde inito consilio, respondent Naclensibus in tempore se affuturos, opemque obsessis laturos. Quanquam autem quadraginta, vel vt vult Dlugossus, quinquaginta millium armatorum numerum excedebant, non ausi tamen aperto Marte cum nostris, quorum virtutem sæpe experti erant, congredi, ex insidijs eos aggredi statuunt. Amotisque equis, ne eorum hinnitu proderentur, & quo maiore fiducia, ex æquato inter omnes periculo, dimicarent, per syluas, quæ à statiuis eorum ad Naclum vsque pertinebant, silenti agmine iter faciunt, vt incautos & inopinantes nostros opprimerent. Nec sanè inanis eorum conatus fuisset, si statim ex itinere castra Polonorũ adorti essent. Dies erat Laurentij martyris memoriæ sacra. Nostri nihil de hostibus suspicati, quod inducię cum oppidanis adhuc durabant, inermes diuinæ rei vacabant & iam sacris peractis discedebant, cùm subitò conspicantur hostes, agmina è vicinis syluis explicantes. Conclamatur ad arma: tumultu ac trepidatione castra complentur. Perturbat omnes non tam multitudo hostium, quàm quod in puncto temporis omnia prouidenda & facienda erant. Sed hostium cunctatio nostris colligendi sese, arma capiendi, & ordines explicandi spacium dedit. Nã posteaquam illi conspectos se à nostris animaduertere, de prima spe deiecti, locum castris ceperunt, frontem & latera sudibus & hastis transuersis in modum sepis munierunt. Boleslaus metu hostium animaduerso, paucis pro tempore milites cohortatus, in aciem educit. Loco se continebant hostes: & difficilis atque periculosa nostris futura erat pugna, quod & sepes quibus impeditus erat ad hostem aditus, conuellendi, & fossæ transeundæ, & densa illorum iacula sagittæque declinandæ erant. Animaduertit fortè Bolesla⁹ nuda esse terga hostium, nec impeditum ea parte accessum. Itaque Scarbimiro magistro militiæ negocium dat, vt cùm ipse hostem à fronte adortus in se conuerterit, ille cum parte copiarum facto circuitu, à tergo in auersos impetum faciat. Quod vbi factum est, clamore cædeque à tergo orta, impelluntur ab extremis primi. Summa fit inter hostes trepidatio & confusio. Perculsis instat etiam à fronte Boleslaus, perrumpit impedimenta. Hostes vtrinque circumuenti, & vallo illo suo ac sepe impediti, fugam non explicabant. Itaque in medio maxima strage cõcisi sunt, ita vt cæsorum numerus ad viginti septem millia peruenisse dicatur. lacubus etiam & paludibus multi hausti esse memorantur. Capti fuêre bis mille. Cadauera comportata, & humo, ne tetro odore aerem inficerent, operta, tumulum instar collis effecêre: quem Dlugossus ad sua tẽpora extitisse scribit, monimentum tantæ victoriæ. Naclẽses desperatis rebus suis, deditionem fecêre: eorumque factum sex alia oppida secuta sunt. Quibus omnibus Boleslaus Suentopelcum, vnum de proceribus & consiliarijs

Simon episcopus Plocẽsis pius.

In Pomeraniam expeditio Boleslai.

Naclum obsidetur.

Pomeranorũ castra expugnata.

Boleslai de Pomeranis & Prussis insignis victoria.

Captiuorũ numerus.

Naclum per deditionem receptum à Polonis.

filiarijs suis præfecit, de Gryphonum siue Gryphium familia: hominem non tam opibus aut natalium splendore, quàm virtute & scientia rei militaris clarum. Exarsit deinde rursus Boemicũ bellum, à Bolesłao quietis & ocij impatiente con flatum. Cuius prætextus fuit, Sobeslai exulis restitutio. Reuocauerat quidem eum Vuladislaus frater post Polonicum bellum, cuius dudum fecimus mentionem, & in gratiam cum eo redierat, Zatecensemque tractum ipsi attribuerat, Suatanæ matris precibus & lachrymis victus: & vim Boleslai, cui Cæsare absente impar erat, metuens. Verùm Sobeslaus aliquanto pòst, cùm non satis placatum & beneuolum fratris animum erga se animaduerteret, & à Vascone primo & intimo consiliario incitari eum in se, siue certo indicio, siue falsa æmulorum delatione (vt refertæ sunt æmulationibus, suspicionib⁹, obtrectationibus & calumnijs aulæ principum) didicisset, per insidias eum interfecit: fratrem ob id facinus iratum fugiens, in itinere ab Ekenbergo Cæsareo arcis Donini præfecto dolo captus, in custodia asseruatus est. Vnde, cùm negligentius asseruaretur, post vnum mensem elapsus, in Poloniam euasit. Huius ergo rogatu Boleslaus Polonorum princeps bellum in Boemos iterum suscepit. Præmisit autem legatos ad Vuladislaum, postulans, vltrò vt cum Sobeslao fratre in gratiam rediret, principatumque partiretur. Cui respondit Vuladislaus, Non eiectum à se esse Sobeslaum, neque vlla iniuria affectum: sed ipsum ingratum & immemorē benignitatis suæ, fidelissimum consiliarium suum indignè interfecisse, & conscientia sceleris profugisse. Exulare etiam apud se Sbigneum, Boleslai fratrem. Eum si Boleslaus in partem principatus à patre attributum restituat, neque se recusaturum de Sobeslao. Boleslaus cùm nihil impetraret, Boemiam cum infesto exercitu ingreditur: obuia quæque vastat, Closcum oppidum exurit, & in prædam dat militibus: nequicquam, ne id faceret, orante Sobeslao. Prodit obuiam cum suis copijs Vuladislaus, sua defensurus. Cibina amnis duos exercitus dirimebat, non tàm altitudine aquarum, quàm quòd limosum solum habet, vadatu difficilis. Dat optionem Boemo Polonus, vt vel ipse, permittente se, amnem traijciat, vel se transire patiatur. Neutrum Boemus accepit. Fortè nubila dies & procellæ tempestatesque validæ prospectum ademerant: ibi Boleslaus paucis ad seruanda castra, et qui clamore atque strepitu hostem à suspicione auerterent, relictis, reliquum exercitum, secundum amnem progressus aliquantum, silenti agmine traducit, haud ita longè ab eo loco vbi Cibina in Albim influit. Cursuque ad hostilia castra contendens, vacua ea reperit. Etenim Boemi, cùm transmisisse amnem Polonos persensissent, raptim abierant. Vastati deinde sunt à nostris vltra Cibinam agri. Deficiente porrò, quemadmodum scribit Dlugossus, commeatu, reduxit Boleslaus alio itinere exercitum, neque tamen populationes intermisit. Vbi ad syluas, quæ Boemiam inmodum coronæ ambiunt, peruentum est, nocte intempesta clamor ab vno temerè ortus, tumultu ac trepidatione, quasi adessent hostes, castra compleuit. Verùm is tumultus statim, procurrente in medium Boleslao, qui tunc fortè vigilans in papilione suo precationi vacabat, sedatus est. Postero die ab exploratoribus cognitum est, Boemos syluas insedisse. Itaque re diuina facta, procuratoque sacris CHRISTI mysterijs exercitu à sacerdotibus, Boleslaus graui ac diserta oratione milites ad cauendas insidias, & ad refutandum hostium impetum, si quem in se reuertentes, locorum opportunitate, non viribus freti facerent, animauit. Primam & extremam aciem, ac latera quoque, robore militum communit: in medio captiuos, impedimenta, ac infirmos milites collocat. Ita quadrato agmine progreditur. Et iam fere ad exitum syluæ peruenerat, cùm subitò hostes dato signo è latebris prosiliunt, & quàm tumultuosissimè vndique in Polonos inuadunt. Sustinent nostri impetum inuadentium, saluis & integris ordinibus. In primis Boleslaus dux hostem, qui fortè ante alios pugnam ciebat, manu sua peremit. Huic proximum Derslaus pocillator: horum exemplo incensus ardor cæterorum militum, Boemorum vim ea parte primùm repressit. Nec minore alacritate alijs quoque locis nostri non iã sustinebant hostem, sed referre pedem cogebant: præsertim cùm Boleslaum bene rem gerere intellexissent. Ibi signum dat receptui suis Vuladislaus: aderat enim vnà cum Sbigneo. Nec nostri eos sese recipientes initiò persecuti sunt, veriti ne in insidias præcipitarentur. Vallis enim, densitate arborũ obscura, & insidijs apta, in quã Boemi refugiebãt, suspicionẽ nostris faciebat, simulari fugã. Verùm

Boemicum bellum.

Sobeslaus captus & elapsus. Donina arx.

Cibina fluuius.

Boemorum fuga.

Boemi repreßi à Polonis.

rumvbi veram illam esse fugā cognouēre, fugientes aliquousq; persecuti, extremos tamen non paucos hostium partim ceperunt, partim trucidarunt: repetitaq; e vestigio in Boemiam excursione, quem admodum Dlugossus memoriæ prodidit, incolumes cū ingenti præda in Poloniam reuerterunt. Hagecus Closcū modò à Sobeslao incēsum ac direptum hoc anno, qui fuit à Christo nato 1114. memorat: nihil præterea. Quando autē, aut quo modo id in potestatem Boemorum venerit, non reperio. Magni per hæc tempora fuēre motus in Italia & Germania, quibus distentus Cæsar, ad res Boemicas animum aduertere non potuit. Etenim Romam is veniens, Paschalem pontificem max. & aliquot purpuratos seu Cardinales, sacerdotes cepit, & abductos in custodia habuit: cumque hoc modo diadema Imperatorium, & alia quędam à pontifice extorsisset, diris ab eo deuotus est postea. Quæ res plerosque omnes Germanorum principes ab Henrico alienauit, ita vt intestino bello Germania Saxonibus authoribus exagitaretur, & sacra iuxtà ac prophana vexarentur. Ipse verò Henricus pulso Paschali, alium Romanis inuitis dedit Pontificem: eoque celeriter extincto, alium ei suffecit: cùm Paschali mortuo Gelasius eius nominis secūdus à purpuratorum sacerdotum collegio, ipso inconsulto successor electus esset. Sequenti anno, cùm parari rursus in se à Polonis expeditionem Vuladislaus Boemus accepisset, fractus animo, de pace legationem ad Boleslaū mittit, Sobeslao fratri partem principatus & obliuionem superiorum offensarū promittit. Constitutoq; loco ac tempore, conueniunt principes apud Nyssam fluuium: ibi pax inter fratres, & Ottonem marchionem Morauiæ patruelem, quem Vuladislaus paulo antè è carcere dimiserat, authore Polono certis cō ditionibus atque iureiurando vtrinque dato, redintegrata est. Sobeslao Gradecēsis tractus, cum quinque castellis in Boemia: in Morauia verò Olomucensis, cuius domini Vdelricus & Litoldus, Conradi filij, per illud ipsum tempus extincti, & continuatis funeribus elati erant, à Vuladislao fratre cōcessus: datisq; & acceptis vltrò citroque muneribus, & conuentu soluto, principes diuersi discessēre. Nec tamen quieuit illo anno Boleslaus: verùm hyberno tempore cum expeditis copijs Prussiam ingressus, vicos, pagos & oppida, longè lateq; extēta populatione, ferro & igni vastauit: & nusquam prodeunte ad dimicationem hoste, magnā prædam abegit: captiuos, quorum ingens erat numerus, ad colendos agros in Polonia per diuersa loca distribuit. extantque etiamnum nonnulli pagi, qui ex eo tempore Prussorum nomen retinēt. Sbigneus reliqua spe, quam habebat in Boemorum & Pomeranorum armis penitus abiecta, cùm hos quidem debellatos à Boleslao accepisset, cum illis autem pacem factam esse sciret, Cęsaris verò affinitate potentiorem etiam Boleslaum esse iudicaret, fratris clementiam & misericordiam supplici legatione rursus tentat. Agnoscit ac deprecatur culpam: fratris fidei atque potestati totum sese permittit: orat ne inops egensque in exilio vitam finire cogatur, vt paululum quid sibi in patria præ manu detur, vnde vitam sustentare possit. Quicquid id fuerit, eo se contentum: & fratri, quem ipsi Deus & virtus ipsius dominum constituisset, obsequentem semper fore. Emollijt fregitque hæc legatio Boleslai animū, pronū suapte natura ad misericordiam: reuocatur Sbigneus, nequicquā reclamantibus proceribus. Veniēs nihil de fastu & vanitate sua remisit: sed quem legati supplicem ad pedes fratris prostratū se esse polliciti fuerant, is cū tubis atque tympanis incedens, præferri sibi strictum gladium de more principū iussit. Dissimulauit id quidem Boleslaus, & comem se fratri præbuit: sed tamen cœpit mox animum eius subire facti pœnitentia, quòd insanabile cernebat ingenium Sbignei. Alebant eum igniculum in pectore Boleslai conceptum proceres, qui Sbigneo infensi erāt, & multis verbis atq; suspicionibus odium eius inflammabant. Nunquam esse quieturum illum, eoque reditum impetrasse, vt quem aperta vi frustra tentatis multis, tollere de medio nequiuisset, dolo circumueniret: Anteuerti oportere scelus eius, si sibi liberisque suis Boleslaus consultum vellet. His dictis eò perpellunt principem mitissimum, vt de nece fratris quibusdam mandaret. Faciunt illi iussa: iurgio de industria aggressi Sbigneum, frustra implorantem fratris opem, interfecerūt. Quidam non interfectum, sed oculis orbatum esse, nec ita multo pòst animi dolore vita eum decessisse memorant. Vehementer quidem Boleslaum admissi facinoris, contaminatæque vna illa labe existimationis suæ pœnituit: multisque postea lachrymis, eleemosynis & labori bus peregrinationū vltrò susceptarum id scelus eluit, quemadmodū inferius expo nemus.

Marginal notes: 1114. ann. — Germaniæ motus. — Paschalis pontifex cū Cardinalibus captus à Cæsare. — Saxones rebellant Henrico Cæsari. — Boem. & Polo. principum conuentus. — Pax inter Boemos principes. — Prussicum bellum. — Sbigneus fratris misericordiam implorat & impetrat. — Sbignei fastus. — Sbignei cædes.

nemus. Nõ multo autem interiecto tempore, post patratum in Sbigneum facinus illud, Scarbimirum quoque palatinum Cracouiensem cepit: in carcerem compegit: excæcauit: senatu mouit: abdicare se vtroque magistratu coegit: propterea quòd is elatus rebus secundis & bellis aliquot suo ductu prosperè gestis, omnia sibi arrogaret, ac de principis laude virtuteq; detraheret: cumq;, propinquorum, necessariorum, & beneficiariorum suorum multitudine, & gratia populari fretus, contemneret, conuicijs & maledictis incesseret, & iam in apertam rebellionem euasurus esse videretur. Erat autem vir magni ingenij, lingua manuque promptus, & factiosus, Scarbimirus. Cuius autem gentis fuerit, non reperio.

Scarbimirus palatinus Cracouiensis excæcatus, & magistratu motus propter arrogantiã.

Atque ex eo tempore deinceps castellanus Cracouiensis palatino prælatus, priorem eo, & omnibus alijs palatinis in senatu regio locum obtinuit.

Castellanus Cracouiensis Palatino prælatus.

Hoc tempore Maurus episcopus Cracouiensis, patria Romanus, mortuus Radolfum, Polonũ successorem accepit.

Radolfus episcopus Cracouiensis.

Hoc etiam anno, qui fuit à Christo nato 1117. Boriuoius Boemus, Henrico imperatore ab Italica expeditione reuertente, è custodia dimissus, Boleslai opera & arbitrio cũ Vuladislao fratre in gratiam reductus est, partemque principatus Boemici ab Albi fluuio ad Meridiem vergentem, vt scribit Dlugossus, secundum Haiecum autem Septẽtrionalem, in ditionem accepit. Nec diu tamen firma fratrum gratia stetit, assentatoribus improbis, vt fit, alterum alteri suspectum & inuisum reddentibus. Itaque non multo pòst Boriuoius à Vuladislao sibi metuens, solum vertit, & ad Polonos primùm, inde mox ad Vngaros se contulit, ibique diem vitæ clausit extremum.

1117. ann.

Boriuoius Boemus exul restitutus, & rursum profugus.

Per hæc tempora memorat Bonfinius, Stephanum regem Vngarorum, qui aliquanto ante Colomãno patri mortuo successerat, exercitum in Poloniam immisisse, propterea quòd Poloni ipsi, patriq; ipsius sæpe iniurij fuissent, & latrocinijs atque incendijs fines Vngariæ violassent: eumque exercitum longè lateque grassatum, cuncta ferro & igni vastasse, & abacta ingenti præda domum redijsse. Cuius rei, præter Bonfinium, nemo facit mentionem. Cum Boemis quidem ac duce eorum Vuladislao Stephanũ fortuito prælio commissum esse, quod idem Bonfinius subiungit, Hagecus quoque ac Dlugossus noster prodidêre: euentu tamen diuerso.

Vngarorum excursio in Poloniam.

1118. ann.

Sequenti anno Boleslaus pacatis domi rebus, statuerat Prussos & Pomeranos, fractos iam atq; debellatos magna ex parte, ad extremum perdomare. Verùm imbres anni illius perpetui, & ingens aquarum vis atque inũdatio, quæ neque seri agros, neque meti passa est (neque id in Polonia modò, sed in vicinis quoque regionibus) quiescere eum coegêre. Præcesserat autem eos imbres tale ostẽtum, quòd cęlũ totas tres horas post occasum solis ardere visum est.

Inundatio aquarũ & tempestates.

Per quod tempus Martinus archiepiscopus Gnesnensis, venerandus senex, mortuus, successorem sacri collegij suffragijs accepit, Iacobum Znenensem municipem.

Iacobus archiepiscopus Gnesnensis.

Venit hoc anno in Poloniam Iaroslaus Vuladimiriensium dux, Sbislauæ reginę frater, Volodimiri patrui, qui Kiouiensem principatum post mortem Stopolci fratris occuparat, insidias fugiens. Acceptus à Boleslao comiter & humanè, quadriennio cum eo mansit, dum Prussico & Pomeranico bello Boleslaus defungitur: quod quidem sequenti anno persecutus est, sedatis ventis atque tempestatibus, quæ post imbres superioris anni coortæ, vehementes ac diuturnæ fuêre.

Iaroslaus Russorũ dux ad Polonos cõfugit cum vxore & liberis.

Extremam autem vastitatem timẽtes Prussi & Pomerani, iuuentutem omnem, opificumque & agrestium multitudinem armarunt, & Boleslao cum exercitu aduenienti occurrerunt, vltimam prælij fortunam tentaturi, & viam ipsi ad interiora ditionum suarum corporibus suis præclusuri. Nec noster cũctatus est, quin mox cum hoste, quãuis numerosiore, manus confereret.

Pomeranicum bellum.

Pugnatum à primis est marte dubio: ibi.n. robur omne exercitus sui hostes collocarãt. Vbi cedere ij loco cœpêre, immittit Boleslaus perculsis nouas aliquot cohortes, quæ mox totam aciem conuertêre. Primis enim partim cæsis, partim perturbatis, reliqua multitudo imbellis in fugam effusa est. Parci iussit Boleslaus fugientibus, ne regio cultoribus prorsus vacua redderetur. Itaque multo plures capti, quàm cæsi, reliqui flore omni iuuentutis amisso, cum oppidis & munitionibus, & rebus suis omnibus Boleslao sese dedidêre.

Boleslai victoria de Prussis & Pomeranis.

Restabat Suentopelcus Nacli præfectus, cuius mentionẽ superius fecimus: qui dominandi cupiditate ductus, minus erat dicto audiens Boleslao, & cum Pomeranis hostibus Polonorum societatem inierat. Hic perfidię suæ sibi conscius cùm veniam desperaret, obstinatius in rebellione permanebat: Naclumque armis, propugnaculis, & commeatu bene munierat. Motis igitur castris Boleslaus Naclũ obsidere cœpit ad sextum Idus Septẽbris. Tentabat principis animum Suentopelcus per internũ

Suentopelcus rebellis Boleslao.

cios

cios.culpam deprecabatur:pecuniam & obsides pollicebatur. Sed surda hæc aure Boleslaus accipiebat, eo quòd pessimi exempli facinus nolebat impunitum relinquere:& vulnere, sagittæ ictu è mœnibus accepto, irritatus erat. Sed cũ paratiores quàm initio crediderat, ad perferendam obsidionẽ hostes, oppugnationẽ autem oppidi, eo præsertim anni tẽpore, ꝓdifficilem esse animaduerteret, fremeret verò exercitus, ne hyberno quidem tempore militiæ vacationem sibi concedi, nec solùm cum hostibus, verùm etiam cum frigore, procellis & niuibus se conflictari, tandem negatam diu veniam dat Suẽtopelco & Naclẽsibus:pecuniã & obsides imperat, fuitque inter obsides Suentopelci filius. His peractis, dimittit Boleslaus exercitum circa Calendas Ianuarij. Verùm æstate proxima noua Suẽtopelci & Naclensium defectione permotus, non iam cum totis Poloniæ viribus, sed cũ euocatis haud ita multis raptim in Pomeraniam contendit. Iam enim domiti plerique omnes reliqui Pomerani erant, neque cum Suentopelco sentiebant. Aduenniens Vissegradum, arcem & oppidum, quòd à Suentopelci præsidio tenebatur, sextodecimo die expugnat & capit: & octo dies ibi, vt ægrotos & saucios reficeret, commoratus, ad Naclum duxit. In itinere quędam oppida primo impetu cepit. Naclum post superioris anni obsidionem melius etiam munitum, & commeatu refertum erat, & Suentopelci præsentia & industria magnum momentũ oppidanis ad resistendum principi afferebat. Itaque plus ibi negocij, quàm putarat, reperit Boleslaus, eoq; maiore studio & conatu ad expugnationem eius cœpit intendere. Turres oppidi mœnibus altiores excitauit, expletisque fossis ad oppidũ admouit, defensoresque mœnium balistis & omni genere missilium è propugnaculis summouebat. Nec segnius oppidani vim nostrorum sustinebant: & vel de superioribus locis saxis, aqua, & pice feruenti eos qui propius successerãt, propellebant: vel apertis portis in eos, operibus & materiæ comportãdæ intentos, erumpebant. Et quidẽ non sine magno operæprecio. Obseruata enim nostrorum negligentia, & venti opportunitate, cõiectaq; magna vi sarmentorũ, butyri, picis, laridi & olei, ter turres nostrorũ exussẽrũt: cũ Boleslaus priorib⁹ cõflagratis, maxima celeritate nouas subinde excitaret. Quartę tamen acerrimè defensę ab incẽdio, & maiore militum cõtentione promotæ, nequicquam prohibentibus hosti bus, mœnib⁹ adhæsẽre. Inde nostri cominus hastis atque gladijs rẽ gerentes, oppidanos è ꝓpugnaculis deiecẽre, & in oppidum transcendere cœpẽre. Obstinatè tamen hostes ad eũ locum conglobati resistebant, neque consistere nostros in mœnibus patiebãtur. Pacẽ deinde à Boleslao postulant, vt excedere ipsis oppido & facultates suas omnes efferre liceret. Vbi id negatũ est, inducias aliquot dierũ petũt: cùm ne eæ qdem cõcederentur, tandẽ desperatis rebus, vitã modò pacti, oppidũ & Suentopelcum ducem dedũt. Quem Boleslaus mox perpetuo carceri mãcipauit. Naclo recepto, cũcta Pomerania, vt vult Dlugossus, in potestatẽ Polonorũ venit: religionemque Christianam bis ante susceptã, & bis rursus abiectam cũ Varcislao duce, tunc demum authore Boleslao Polonorũ principe, sicut ab Alberto Crantio memoriæ proditũ est, tertiũ recepit, & hucusq; retinet. Boleslaus pacata omni Pomerania, dimissoq; exercitu reuersus in Poloniã, sequenti anno nuptias Vuladislao filio cum Cristina Henrici Imperatoris filia, qui tũc demum ambo puberes facti erãt, maximo apparatu fecit: quibus Stephanus rex Vngariæ, Boleslai gener, cùm magno procerum Vngarorum comitatu, & Russorum quidam duces interfuẽre. Interfuit & Boriuoius Boemus, itemque Iaroslaus Vuladimiriensiũ dux, affinis Boleslai, vterque fuga salutem sibi quærens, quemadmodum paulo antè memorauimus. Exacto autẽ post eas nuptias anno, Adleida Boleslai vxor, post decem annorum sterilitatem, filium Cazimirum peperit. Eodem quoque anno Volodor Pręmisliensium dux, cùm sæpe latrocinantium in morem prædas è Polonia ageret, nec desisteret admonitus, à nostris apud Vyssokie profligatus, captus & ad Boleslaũ adductus, decies mille pondo, seu vicies mille marcis argenti, sese redemit. Fuit etiam eodẽ anno magna caritas annonæ, arefactis segetibus perpetuo trium mẽsium vernorum æstu & siccitate. Insequenti anno Vuladislaus Boemorum, & Sobeslaus Morauorum duces, fratres germani, ad iurgia, testatasque rursus venẽre inimicitias, cùm propter alias causas, tum propter Boriuoium tertium fratrem exulem. Quinetiam coactis vtrinque copijs, prælium inter se cõmisẽre. In quo victus Sobeslaus ad Cæsarem, atque inde, cùm nihil æqui ibi impetraret, ad Boleslaum in Poloniam rursus confugit. Et comiter quidẽ eum tunc Boleslaus accepit, & consolatus est: sed auxilium tamen distulit, propter Russicam

Suentopelci deditio, & noua rebellio.

Vissegradũ captum.

Naclum oppugnatũ & captum.

Machinæ incensæ à Naclensib⁹.

Suentopelcus in carcere perijt.

Pomerania citerior subacta à Polonis, & Christiana facta.

Vuladislai ducis Polon. cũ Cristina Henrici Imperatoris filia nuptiæ.

1122. ann. Cazimirus filius Boleslao natus.

Volodor Præmisliensium dux captus ac dimissus.

Annonæ caritas.

Sobeslai Boemi fuga in Poloniam.

Rußicum bellum. cam expeditionem, quã Iaroslai affinis sui exulis cauſſa ſuſcipiebat. Quam cùm proſequeretur, cõiunxit ſe cum eo apud Pręmiſliam Colomannus dux, Stephani Vngarorum regis frater: qui & ipſe cum non contemnendis copijs, reducendi Iaroſlai cauſa veniebat: itemque Volodor & Baſilius Præmiſlienſium duces, & Volodimirus alterius cuiuſdã Volodori filius. Itaque communibus armis & conſilijs à Polonis, Vngaris & Ruſſis illud bellum gerebatur. Breuiq; Belſum, Ciruenũ & Vuladimiria arces, & quædam aliæ ig-*Belſum, Ciruenum, Vuladimiria dedita.* nobiles munitiones vel expugnatæ, vel, deditæ, in poteſtatem Iaroſlai venêre. Inde ad Kiouiã Ruſſorum metropolim itum eſt. Præcedebat autẽ Iaroſlaus exercitum, cum ſeptem millibus equitũ ab Vngaris & Polonis attributorum. Qui vbi Kiouiæ propinquauit, obuiũ habuit ex vrbe hoſtilem exercitum pedeſtrem, cum quo conſerta pugna ſuperior eſſe videbatur. Sed ſummisêre ſuis oppidani ſubſidium: itaq; inſtauratũ eſt prælium. Iaroslaus, dum inter primos pugnam ciet, confoſſo ab hoſtibus equo, in terram excuſſus eſt. Acre circa eum certamẽ fit: hinc Kiouienſibus opprimere, inde Polonis & Vngaris eripere eũ ſatagentibus. Cedunt tandem Ruſſi, & in vrbem ſe recipiunt. *Iaroſlaus Ruſſus interfectus.* Iaroslaus ſaucius relatus, paucis diebus mortuus eſt. Nihilo tamẽ minus Vngarus & Polonus Kiouiam obſidere pergunt. Sed nõ multo pòſt re infecta diſ-*Ruſſis pax data.* ceſſêre, pace data Kiouienſibus, orantibus Ruſſis, qui in caſtris noſtrorũ militabãt, & Andrea præfecto arcis Kiouienſis. Nam princeps ipſe Volodimirus iã inde ab initio in vlteriorem Ruſſiã, quã Albam vocant, ſe receperat, neque mœnibus, neq; fidei Kiouienſiũ ſeſe credens. Aliquanto aliter hęc Vngarorũ habent hiſtoriæ. Bezen eæ vocant principẽ, cui hæc opera à Stephano rege, qui nullum fratrẽ habuerit, nauata ſit: nec vllã in ea noſtrorum expeditione mentionẽ faciũt. Suos, occiſo (quemadmodum & nos expoſuimus) eo, qui reducebatur, murmure ac tumultu contra regem concitato, quòd magna ſtrage primo illo pręlio fuſi eſsẽt, & cum periculo expugnare metropolim Ruſſorum iuberentur, cõuerſis ſubitò ſignis, nec vlla re cum hoſte conſtituta, in Vngariam reuertiſſe memorant. Poloniam quoque iterum ab eodem regẽ per legatos vexatã, vaſtatamq; narrãt. Quod nobis non admodum fit veriſimile, propterea quòd neceſſitudo & affinitas Stephani cũ Boleslao, nihil hoſtile de ipſis inter ipſos opinari ſinit. Et vt fuerit tam ferꝰ, & immemor non ſolũ humanitatis, verùm etiã neceſſitudinũ Stephanus, quã fuiſſe fertur, Boleslaus quidẽ noſter tam ignauus & patiens non fuit, vt impunè ſua vexari pateretur, præſertim cùm alijs bellis tunc non diſtineretur: ita vt ſequenti anno, q fuit poſt Chriſtum 1124. nouã *1124. ann.* in Danos expeditionẽ ſuſceperit. Eſt autẽ Dania, ſiue Dacia (nã & ita appellatur) *Daniæ deſcriptio.* ea regio, quæ Cherſoneſi Cymbricæ partem Auſtralem, & adiacentes in ſinu Baltheo ſiue Venedico inſulas cõplectitur. Cauſa verò expeditionis Danicæ Boleslao fuit, Petrus, clara & illuſtri apud Danos ortꝰ familia: qui cùm ſe iuuenis in au-*Petrus Daninus.* lã Boleslai, quæ tunc lõgè florebat apud exteros gloria rei bellicæ, contuliſſet, magna ingenij dexteritate, induſtria, virtute, officio & ſuauitate morum, ad hęc cõmendatione regis Danorũ, citò ſe in gratiam & amicitiam Boleslai inſinuauit, ita vt poſtea multis magnisque poſſeſſionibus, & in primis comitatu Scrinnenſi, & vxore illuſtri è genere ducum Ruſſiæ, quæ Sbiſlauam priorem Boleslai coniugem cognatione attingebat, ab eo cohoneſtaretur. Perdidicerat autem linguam Polonicam Petrus, & ita ſe ad mores Polonorum accõmodabat, vt nemo tãta illa bona externo homini inuideret. Pater verò eius Guilelmus, cui Suentoſlao nomen noſtri dedêre, facilè princeps erat procerũ Daniæ, & plurimùm valebat gratia apud Henricum regem Danorũ, præfectus ab eo maximis quibuſq; regni negocijs. Cùm autem regem Abelus frater occidiſſet, regnumq; inuaſiſſet, habebat in poteſtate ſua theſaurum regium ingẽtem pater Petri. Certiorem is filium facit rerum Danicarum: admonet, vt cùm aliquanto numero militum veniens, theſaurum illũ auferat, potius quàm vt is ad manus crudeliſſimi parricidæ, & inuiſi omnibus ſuis tyranni perueniat. Refert eã de re ad Boleslaum principem Petrus. Pollicetur is non grauatim opem ſuam, cũ vt homini de ſe bene merẽti gratificaretur, tũ quòd ea expeditione & opes Poloniæ augere, & nominis ſui gloriã trãs mare etiã, & ad extremos Septentriones proferre & propagare cupiebat. Itaq; claſ-*In Daniam Boleſlai expeditio, & ſucceſſus.* ſe apud Gdanum Pomeraniæ maritimum oppidum ad tranſportãdum exercitum inſtructa, diſtributoque in milites donatiuo, cùm primùm per anni tẽpus rectè potuit, naues conſcendit: & commoda tempeſtate vſus, improuiſus in primo litore Daniæ, ad quod claſſis appulerat, nemine prohibẽte copias expoſuit: dimiſſisq; circum proceres & nobiliores

Danos

Danos nuncijs, per familiares & ministros Petri ac patris eius, omnium Danorum voluntates facilè sibi adiunxit: cùm profiteretur se vlciscendi parricidæ tyrāni, & vindicandæ libertatis Danorū causa aduenisse. Tyrannus desertus à suis, profugit. Boleslaus facilè potitus Dania, munitiones Danis reddidit: regem eos, quē vellent, creare sibi iussit. Confectis & constitutis rebus omnibus, thesaurū & omnem Petri cognationem secum auexit: & secunda nauigatione vsus, paucis diebus in Poloniam reuersus est. Fertur autem successu temporis hic Petrus septuaginta septē templa diuersis in locis in Polonia de secto lap de extruxisse ac dotasse, quorum pleraq; adhuc extāt: itemq; duo monasteria ijs, qui se Præmonstratenses vocant, qui tunc primùm extiterunt: alterū quidem puellis in Vuladislauiensi diœcesi in Chalino pago, quod postea Strelnū transtulit: alterum verò viris, in suburbanis Vuratislauiensibus, titulo sancti Vincentij, quod Vuratislauienses nostra memoria prætextu metus Turcarum demoliti sunt. Florent adhuc in Polonia huius ipsius Petri posteri, cygno in rubro scuto insigni vtentes: indeque Labenciorum nomen habet ea familia. Nōnulli etiam peculiariter Dunini, hoc est, Dani vocantur.

Petri Dunini opera. *Præmōstratenses monachi.* *Vuratislauiens. monasterij S. Vincētij demoliti.* *Labencia familia.* *Dunini.*

Interim dum Boleslaus Danicam expeditionem obit, Volodor Premisliensium dux, cū abesse eū comperisset, immemor fœderum & iurisiurādi, quod ei Kiouię dederat, misso Volodimiro filio cum exercitu vicinā sibi Poloniam præsidio vacuam cædibus & incendijs vastauit vsque ad Biecium oppidum, ingentemq; pecudum, iumentorum & hominum prædam abegit. Itaque reuersus à Danica expeditione Boleslaus, & hyeme illa quieti militum data, insequenti æstate bellum Volodoro fecit. Aduenieti occurrit impigrè Volodor cū non cōtemnendis suorum copijs, & aliorum Russorum principum auxilijs, vastatione suarum ditionū prohibiturus. Cui fecit mox Boleslaus pugnandi copiam: nec ille detrectauit. Conseruntur manus: sed vix primum nostrorum impetum Russi sustinuêre. Mox in fugam acti, nequicquam reuocante Volodoro dilapsi sunt. Castra fugiētium à nostris direpta. Cecidêre de Russis in eo prælio & in fuga multi fortes & insignes viri: inter quos præstabāt, Nauorotnicus & Zascitnicus. Dux Volodor Haliciam fugit, ibi vires reparatur⁹. Post victoriam Boleslaus liberius hostiles regiones diuexauit ac depopulatus est, vicēque Russis cum fœnore reddidit: citòque reduxit exercitū, nulla munitionum expugnatione tentata propter vrgētem hyemem, quæ sæuissima ac diuturna eo anno fuit.

Russicum bellum. *Biecz oppidum.* *Russi victi à Polonis.*

Cracouia vrbs eo anno penit⁹ conflagrauit: incertū fortuitóne incendio, an à Boemis clàm subornato, propter receptū Sobeslaum exulem: cui Boemiam eodem anno repetenti (propterea quòd Vuladislaum fratrem, rerū Boemicarum tunc potientem, periculosè ægrotare acceperat) Boleslaus pecuniā & milites liberaliter suppeditauit. Et redintegrata quidē pax est inter fratres, Suatana matre interueniente. Verùm paucis illis diebus Vuladislaus extremum clausit diē, eique Sobeslaus in principatu, procerum & populi fauore successit. Quod molestè ferens Otto marchio Morauiæ, cùm ipse Sobeslai viribus impar esset, Lotharij Cęsaris, qui Henrico quinto paulo ante vita defuncto successor designat⁹ erat, opem implorauit. Ac dedit quidem Lotharius Saxonibus suis negociū insequēti anno, 1126. ann.
vt eum in Boemorum principatum inducerent: verùm is exercitus apud Chlumecium oppidum Boemiæ à Sobeslao profligatus est: Vbi Otto etiam cecidit. Sobeslaus verò cum Cæsare, cui grauius tunc à Conrado Sueuorum duce, Henrici defuncti sororis filio, & ipso ad imperium adspirante, bellum imminebat, in gratiā redijt, & impotentius dominari Boemis cœpit. Fratrum enim filios, & proceres nonnullos in carcerē coniecit.

Cracouia cōflagrauit. *Sobeslaus Boe. princeps.* *Lotharius Cæsar.* *Saxones prōfligati à Boemis.* *Sobeslai crudelitas.*

Hoc ipso autem anno Volodor Russorum Prēmisliensium dux, in medio belli apparatu vita decessit. Verùm filij eius Volodimirus & Roscislaus exercitum à patre cogi cœptum, nihilo minus ad vastandos Polonorum fines immiserunt. Sed is pauculis pagis ad Vislocam flumen exustis, citò se domum recepit: non plus habens animorū, quàm sui duces, qui ad eā expeditionem profecti nō erat. Quieuit à bellis eo anno & consequentibus aliquot Boleslaus princeps, cùm pleræq; omnes finitimæ gentes partim externis alijs, partim ciuilibus bellis distinerentur. Etenim Stephanus Vngarorū rex cū Græcis & affine suo Cōstantinopolitano Imperatore bellum gerebat. Apud Russos Volodimirus & Roscislaus, Volodori ducis filij, belligerantes inter se, vires eius gentis distrahebant. Ne apud Boemos quidem quietæ res erāt, quemadmodum dudum memorauimus. In Germania verò & Italia Conradus Sueuus cum fratre Friderico contra Lotharium Cæsarē arma sumpserant, donec victi ab eo, Bernardi Clareuallensis abbatis, doctrina, pietate & san-

Russorū excursio in Poloniam. *Visloca fl.* *Vngari reg. cum Imperatore Cōstant. bellū.* *Russorū ducum intestinū dissidiū.* *Conradi Sueui bellū cōtra Cæsarem Lotharium: S. Bernardus.*

ctimonia vitæ clari, opera ipsi reconci-
liati sunt. Rogerius autem Normannus,
Siciliæ vtriusq; primus rex Rogerius.
Innocentio eius nominis secundo Pon-
tifice maximo Roma pulso, vtriusque
Siciliæ regis titulum primus vsurpauit.
Quietem igitur nactus Boleslaus, ad reli-
gionem cultumque diuinum, animum
adiecit. Nam basilicam Cracouiensem,
Cracouiens. basilica à Boleslao exornata.
humilem etiam tum & neglectam, in
augustiorem formam redegit, excitatis
altius muris eius, ac duabus turribus ad-
latera adiunctis: supellectilem quoque
eius veste preciosa, auroq; & argēto facto
maiorem in modum auxit. Quin & col-
Canonicatus 20. Cracouiæ additi à Boleslao.
legium sacerdotum siue canonicorū eius
basilicæ, viginti ad veterem adiectis, am-
plificauit, eisque certos pagos & possesio
nes ipse, Radoslus verò episcopus deci-
mas attribuit: permisit autem pius prin-
ceps episcopo ius omne conferendi ea sa-
cerdotia, ipsi⁹ arbitratu. Auctus est dein
Boleslaus Crispus natus.
de filio sui nominis Boleslaus: cui quidē
postea Crispo, à capillorū specie, cogno-
mentū fuit. Anno Christi millesimo cē-
1128. ann.
tesimo vigesimooctauo memorat Dlu-
gofs⁹ Boleslaū filio suo filiā regis Daniæ
Danorū regis affinitas cū Boleslao.
cum ampla dote vxorem accepisse. Sed
quinā is filius fuerit, ille non prodit, nec
nos conijcere possumus. Nam Vuladis-
laus quidē natu maximus è Sbislaua su-
sceptus, habebat Cristinam vxorem su-
perstitem. Cazimirus autem vix septimū
tunc annum attigerat. Saxo quidem Da-
Sax. lib. 13. Dan. Crant. lib. 3. c. 29. Vand.
nicæ historiæ scriptor, quem sequitur Al
bertus Crantius, memoriæ prodidit, Bo-
leslaum Polonorum principem Magno
Nicolai regis Danorum filio, filiā suam
per internuncios despōsam, in matrimo
nium collocasse, eamq; cum exercitu &
classe instructa in Pomeraniā deduxisse:
eōdem Nicolaum regem & ipsum naua-
libus copijs instructum, occurrisse: con-
iunctisque copijs Iulinum vrbem insig-
Iulinum Pomeraniæ expugnatum.
nem & vetustam eos expugnasse, & Var-
cislao duci Pomeranorum cōmuni ho-
sti pacem petenti dedisse: deinde Nicola-
um sponsam filij secum deduxisse. In Da-
niam verò expeditionis Boleslai neuter
facit mentionē. Post hæc Boleslaus, quā-
uis magnis in ornatum templorum, &
in alimenta sacerdotum atq; egenorum
impendijs atque donationibus, iugique
Boleslaus pœnas de se ipse sumit interfecti fratris.
precatione & lachrymis, & aspero tenui-
que victu & cultu corporis, cilicio pro
veste vtens, & cinere sese aspergens, ægro
torumque mendicorū pedes subinde ma
nibus suis abluens, admissum in Sbigneū
fratrem facinus sedulò expiaret, cùm a-
lijs satisfaceret, tamen ipse sibi non satis
faciebat, nisi & laborem lōgæ molestęq;
peregrinationis adijceret. Itaq; solennè
Christianis quadraginta dierū ieiuniū pa
ne tantùm & aqua gustandis, ciliciū in-
dutus, cū exegisset, paucis sacerdotibus &
alijs pijs hominibus comitatus, ad A Egi-
Peregrinatio Boleslaū in Narbonēsem prouinciam.
dij tutelaris diui sui sepulchrum peregri-
nationē priuati habitu suscepit: atq; id i-
ter magna ex parte nudis pedib⁹ cōfecit,
nullum templum, nullū monasterium,
nullū egentium domicilium, neminem
deniq; sacerdotē aut mendicū pręteriēs,
quin liberalitatis & munificētiæ quippi-
am in eum depromeret. Quindecim di-
ęs apud diui sepulchrum ieiunijs & sup-
plicationibus vacans, commoratus, cùm
in Poloniam reuertisset, & reliquum il-
lius anni temp⁹ quieti dedisset, vere pro-
ximo in Vngariam ad diui Stephani se-
In Vngariā
pulchrū alteram peregrinationem insti-
tuit: eaq; religiosè & pedestri itē itinere o-
bita, & quidē nō sine molestia, propterea
ꝙ splēdidè & honorificè cōtra animi sui
sententiam à Stephano rege, genero suo,
& à primoribus Vngaris acciperetur, ac
deduceretur, Gnesnā etiam adijt ad diui
Gnesnam.
Adalberti reliquias paulo antè Iacobi ar
chiepiscopi opera in ꝓpatulū prolatas è
S. Adalberti reliquiæ à latebris erutæ.
latebris, in ꝗbus diu, post captū & vastatū
à Boemis exulāte Cazimiro rege id oppi-
dū paucis cōcijs delituerāt: & 80. marcas
auri & multas gēmas in vrnā diui contu
Donarium Boleslai templo Gnesnē.
lit. His peractis, nō ita multo pòst Cazi-
mirū filiū immatura morte defunctū a-
misit. Verùm eū mœrorē viri, mox vxor
alio filio edito mitigauit, cui Miecislao
Miecislaus filius Boleslao natus.
nomē inditum: senisque cognomen po-
stea puero, ꝓpter grauitatē morū & pru-
dentiā, additum est. Alium itē sequenti
anno enixa est, qui aui materni & auun-
1132. ann. Henricus Boleslai filius.
culi Cæsarū nomine, Henric⁹ appellatus
est. Quo quidē anno Boleslaus expedi-
tionē in Vngariā fecit, vt nepotes suos,
In Vngariā expeditio Boleslai.
quemadmodū Dlugossus memorat, Ste-
phani regis filios, exules cū matre reduce
ret. Nā obierat Stephanus rex anno supe
riori: & Vngari Belā cęcum, quē Colo-
Bela cæcus rex Vngarorum.
mannus rex patruus vnà cū Almo patre
excęcauerat, regē sibi, pręteritis Stephani
liberis, creauerāt. Ii ergo paterno regno
frustrati, & vitæ præterea suæ à nouo re-
ge, quāuis ꝓpinquo, metuētes, in Poloniā
ad Boleslaum auum confugerāt. Motus
eorum precibus & calamitate Boleslaus,
cū valido exercitu & euocatis ex fœdere
Russorū auxilijs in Vngariā contendit.
Occurrit ei in Scepusiēsi territorio cum
magnis Vngarorum & Austriorū copijs
Albertus Marchio superioris Pānoniæ,
Albertus Marchio Austriæ.
siue Austriæ, cū quo soror Belę regis nu-
pta erat. Cōmittitur durū prælium. Tan-

dem

dē virtute & constātia nostrorū ac ducis solerti diligētia in fugā aguntur aduersarij: nec longius eos fugientes nostri persecuti sunt. ita enim à principe præceptum erat. Duxit deinde ad Budā metropolim Boleslaus: sed in itinere certior fit, Sobeslaum Boemum in gratiam Vngarorum excursionem in Poloniam fecisse, & Vratislauiensem tractū ferro & igni vastare. Aduocato castrensi consilio consulitur in medium, quid facto opus sit: vicitque ea sententia, quæ propria defendēda potius, quàm aliena vindicanda esse censebat. Itaque intermisso in præsens Vngarico bello, Boleslaus magnis itinerib⁹ aduersus Boemum sua inuadentem, rectà per Morauiā contendit. Verùm Boemus cognito Boleslai aduentu, domū se cum præda raptim recepit: nec anni tēpus spacium nostris dabat, ingratū & perfidum hostem vlciscendi. Quocirca dimisit tūc exercitum Boleslaus. Cæterùm æstate, quæ consecuta est, parantem eum in Boemos arma magnis precibus expugnant exules Vngari, qui ad Stephani liberorum partes multi indies perfugiebant, vt cœptam potius in Vngariam expeditionem persequeretur. Itaque Vuratislauiēsi conuentu & comitatu omni præsidio ad tutandos fines suos aduersus vim Boemorum relicto, cum reliquis copijs & auxiliaribus Russis Vngariam ingreditur, & nemine magnopere resistente, atque adeò compluribus Vngaris cum eo se cōiungentibus, ad Vissegradum, quò Bela se receperat, contendit. Interim cognoscit, Boemos maiore vi Silesiam rursus, cedentibus suis, qui relicti erant in præsidio, nec sustinere vim hostium valentibus, crudeliter diuexare. Itaq; omissis iterū Vngaris, transmissisque celeriter montibus atque syluis, quæ Morauiā ab Vngaria disterminant, magnā Morauiæ partē, vt par pari referret, depopulatus est, vastatisq; agris abacta ingenti præda in Poloniam reuertit. Nec deinceps reductionem nepotum & Vngarorum exulum tentauit, ne maiorem quàm pro viribus belli molem in se attraheret: eò quòd accepisset, Lotharium Imperatorē magnis precib⁹ & muneribus à Bela regē inuitatum, opē suam illi promisisse. Aliter hæc ab Vngaricarum rerum scriptoribus narrantur, negant illi Stephanum regem vllos liberos reliquisse: nec Polonæ vxoris eius mētionem vllam faciunt: sed Borichum è Russa Colomanni regis vxore natum, siue is verè Colomanni fili⁹ fuerit, siue ex adulterio susceptus, pro Colomanni filio sit habitus, eum inquā, post Stephani mortem à Polonorum & Russorum principibus adiutū, quasi hæreditarium regnū Vngarorum armis repetiisse. Nec tamē Polonos atq; Russos eo bello ad prælij dimicationem venisse: sed amica Belæ regis legatione & postulatione motos, deserto Boricho, vti notho, populariter domos reuertisse. Paucos voluntarios, qui cum Boricho manserant, ab aduersarijs profligatos, & in his fratrē comitis Cracouiensis (sic enim illi habent) captum esse. Horum vtrum verius sit, legentium esto iudicium. Insequenti anno Boleslaus iniurias Boemorum 1134. ann. quàm cumulatissimè vltum ire cupiens, validis suorum & auxiliariorum Russorum copijs Boemiam longè latèque vsq; ad Albim flumen, ferro & incendijs omnia miscens, peragrauit. Nam Boemus, quamuis iustum & ipse haberet exercitum, nusquam tamen cum nostris aperto marte congredi ausus est: verùm ex insidijs in pabulatores Polonos, & quicunque ab exercitu castrisque prędabundi excurrerant, impetum faciebat, interim occasionem bene gerendæ rei captans. Itaque noster agris, vicis & oppidis hostili bus fœdè vastatis, cùm ad pugnam elicere hostē non posset, ingenti prẹda onustum exercitum reduxit atq; dimisit. Nec multo post Boemus citato agmine eam Poloniæ siue Silesiæ orā, quæ ad Odrā est, aliquantisper depopulatus, raptim se inde domū recepit, veritus, ne Boleslaus reuocato, quem dimiserat, exercitu, reditum suum impediret. Hoc tēpore Russi cœpēre nouas res moliri, eo ꝙ molestè ferrēt, assiduò sibi milites & auxilia imperari: & ea fortassis opinione elati, quasi sine se Poloni gerere bella non possent. Author eius cōsilij Iaropelcus Vulodimiri filius Kiouiensium princeps erat, qui in cōuentu cæterorū principū Russiæ, huiuscemodi orationē habuisse perhibetur. Quā dura conditione Polonorū principi seruiamus, Principes, non est necesse pluribus verbis exponere. Nam vt vos, qui ad imperandum alijs, non ad parendum nati estis, prætercam, multitudini quidē certè nostrorum hominum, quæ seruituti assueta, sine alieno dominatu rectè vitā degere non potest, tamen quàm acerbus sit istius seruitutis sensus, videtis. Quis autē omnino tam patiens est, vt & graue tributum pendere, & in alieno solo procul à patria, nullo suo cōpendio, alieno iussu ductuque perpetuò militare, & apertis periculis obijci se, aliumque expertē periculi laborum & vulnerum suorū prẹmia tollere, æquo animo ferat? Sed fuerit hoc maio-

Silesiā depopulatur Boemi.

Boleslaus ex Vngaria in Silesiam cū exercitu contendit.

Boleslaus iterum in Vngariam ducit exercitū.

Silesia iterū vexata à Boemis.

Morauia vastatur à Polonis.

Vngarorum historia.

Boemicum bellum.

Silesiam depopulantur Boemi.

Russorum à Polonis defectio.

Iaropelci oratio ad Russos suos.

Seruitutis incommoda.

maiorũ nostrorũ, qui perniciosa ambitione & intestinis dissidijs hoc malũ sibi accersiuerũt, & florentissimũ imperium fœda seruitute commutarunt: nullúmne nos queremus eius mali exitum? Ego verò honestè mori, quàm turpiter seruire malim, principes: idemque de vobis iudico. Subdiderunt colla iugo maiores nostri, suis magis quàm Polonorum armis victi, cùm ciuili & parricidiali bello mutuò se afflixissent, & alij contra alios Polonorũ opem suo iuxtà ac aduersariorum malo implorassent: hostes experti, quos in auxiliũ aduocarant: Nos cõiuncti & concordes id iugum non excutiemus? Quasi verò non magis nos q̃ Boemi & Vngari, atq; adeò ipsi impotẽtes domini nostri Poloni, multitudine & viribus abũdemus. Quòd si bene ij rem gerũt aduersus Vngaros & Boemos, nostrũ id est totũ: nostris illi viribus valent, non suis: nostra iuuentus primos & acerrimos hostium impetus sustinet: illi sibi cauẽt post principia. Quod si vllum vnquã fuit tempus, quo asserere nos nullo negocio in libertatẽ possemus, nũc certè id nobis fortuna, siue adeò Deus, qui sanctius & rectius à nobis, quàm ab illis colitur, obtulit, cùm Poloni maximis duobus bellis Vngarico & Boemico distinentur. Quorum neutri sanè pares erunt, si nostra ipsis auxilia detrahamus: tantum abest, vt nostra prẽterea arma sustineant. Ego verò, principes, non tam ad certam libertatem, quàm ad victoriam & amplissimũ imperiũ vos voco, si viri esse pergitis. Illi nobis seruierint, nobisque militauerint, q̃ nos dudum ipsis prẽstitimus, si vos volueritis. Et habemus sanè cùm ad omnia obsequentẽ, tũ odio duræ seruitutis & Polonici nominis inflammatã multitudinem. Videte modò, ne studiũ illi vestrum, ductusq; defuisse videatur. Assẽsi sunt omnes Iaropelco: obstringunt sese mutuò iureiurando: cõsultatur de apparatu, & de initio belli faciendi. Placuit tandẽ, celari ac dissimulari id consilium ad tempus, dum q̃ opportuna ac necessaria essent ad tantũ bellum comparantur. Permanauit fortè ea res, vt sunt Russorũ fluxa & infida ingenia, ad Boleslaũ: conturbabat eũ illa alieno suo tempore constituta rebellio, ꝙ ad duo maxima bella tertium nõ minus, nec scio an maius, ipsi accedebat. Conuocat senatum: exponit de intempestiua Russorũ defectione: dicuntur sententiẽ. Ibi inter alios proceres Petrus Vulostouicius comes Xiansensis, vir magni ingenij & consilij, in eã sententiã verba fecit, vt diceret, nõ maximo negocio nascentẽ rebellionẽ opprimi posse, si caput eius rebellionis Iaropelc⁹ amputetur. Id arte facilius esse factu, quàm „ apertis armis: nec dedecere, si dolo persi- „ dia vindicetur. Ad eamque rem operam „ suã pollicetur: cẽtera quietos esse iubet. Inde paucis fidis comitibus, neque tamẽ consilij conscijs, assumptis, in Russiã ad Iaropelcum proficiscitur. Exilium & fugam simulat: Boleslai crudelitatem in se & graues iniurias incusat: fugæ perfugiũ, tutumq; latibulum à Iaropelco, de cuius humanitate & virtute multa audiuerit, petit: addit multa de impotentia & sæuitia Boleslai in omne genus hominum, quibus rebus suis exosus factus sit. Pergratus fuit aduentus Petri Iaropelco, pergrata oratio. gaudebat diuinitùs sibi oblatum consilij sui adstipulatorem & adiutorem. Multa de Boleslao & statu rerum Polonicarum quærit, nonnihil etiam de defectione sua significat. Accommodabat Petrus responsa sua ad illius voluntatẽ, approbabat consilium. Quibus rebus fidem sibi adstruxit apud eum, & in intimam eius familiaritatem sese insinuauit. Itaque Iaropelcus communicato cum cæteris principibus consilio, maturare rebellionem statuit. Rus fortè secesserat cum paruo comitatu, secutus erat & Petrus: qui obseruata bene gerendæ rei occasione, Iaropelcum cum paucis prandentem, signo dato comitibus suis, comprehẽdit: cõstringit: & equo impositum celeriter, dispositis prius per loca equis & nauibus, auehit, & incolumis ad Boleslaum perduxit. Collaudauit fidem, studium & operam Petri Boleslaus, & peramplis eum muneribus ornauit, Iaropelcũ verò custodiæ tradidit. Vnde intra vertentem annum, maximo auri & argenti pondere à Basilisco, siue Vasilco fratris sui filio redemptus, ad principatũ suum, data Boleslao fide, in potestate eius se fore deinceps, reuersus est: in qua tamen fide fallenda patrio indulsit ingenio. Nã cùm aperta vi imparem se esse Boleslao cerneret, ad dolos animum conuertit. Vt par pari referret, Vngarũ quempiam, hominẽ non ignobilem, cæterùm vafrum atq; callidum, subornauit, qui pro perfuga ob defensas Stephani liberorũ partes ad Boleslaũ delatus, captata occasione vel vitam eius peteret, vel insigni aliqua clade Polonos afficeret. Qui quidẽ industria sua & eloquẽtia, & bene assimulatis ad tẽp⁹ officijs, ita se in amicitiã creduli principis breui tẽpore insinuauit, vt ad cõsilia quẽ habebantur de republica, adhiberetur, ac præfectu-

Russi quo modo subacti à Polonis.

Russorum vires.

Occasio recuperandæ libertatis.

Russorum ingenium.

Petri Vulostouicij consilium.

Petri Vulostouicij audax facinus.

Iaropelcus captus, ac dimissus.

Vngarus perfugam se simulat.

Vngarus

Præfectus Vislicienſis. fectura Vislicienſi donaretur. Cū ſedatos eſſe penitꝰ Ruſſicos motus Boleslaus exiſtimaret, maiore apparatu ad Boemicum bellum ſeſe accingebat. *Lotharij Cæſaris legatio ad Boleslaum.* Hoc agentem, legati Lotharij Cęſaris Rom. conueniunt: poſtulant, vt iudicio ſiue arbitrio Cęſaris potius quàm armis cum Boemio de iniurijs diſceptet: illum Cæſaris eſſe clientem ac tributariū: à Cęſare ad ęqua omnia co actum iri, ſi legatos ad Cæſarē cū ſumma poteſtate Boleslaꝰ mitteret: aut ſi ipſe eò proficiſci dignaretur, quod quidē futurū eſſet Cæſari gratiſſimū. Hoc eò faciebat Lotharius, quòd in Italiā feſtinabat, nec volebat Boemū Polonico bello diſtineri, quò minus auxilia ex fœdere ſibi mitteret. *Boleslaus ad Lotharium Cæſarē profectus.* Proficiſcitur Boleslaꝰ ipſe Babembergam ad Cæſarem perquàm ſplendido comitatu. Venerat eòdem & Boemus. Tē tatur pax inter diſſidentes principes: Quę cùm coire nō poſſet, tamē ne magis irritatis animis ij diſcederent, *Polonorum cum Boemis induciæ.* trium annorum inducias, inſtante maximè & orante Cæſare, inter ſe paciſcūtur. Eæ verò priusquā finitę ſunt, pax perpetua inter Polonos & Boemos, ſed poſt Halicienſem demū cladem, de quā paulò inferius dicemus, inter uenientibus vtriuſque gentis proceribus, firmata eſt. *Hagecus. H. Mutius.* Nugatur hic more ſuo Vęceslaus Hagecus, dum hæc non multò aliter enarrat. Cæterùm H. Mutius magis ocioſum, quàm tunc fuit, fingit Lotharium. Non tam comiter enim, neq; per legatos eum egiſſe cum Polonis, ſed bellū in eos comparaſſe: idque non vt Boemis cōmodaret, ſed quòd rebellabant Poloni, tributumq; Romanorum Imperatori debitū à duodecim annis nō pendebant. Eos verò bellum timentes, ducē ſuum cùm magnis muneribus Imperatori obuiam miſiſſe: atque eum in Saxonia occurrētem, ad Lotharium admiſſum non eſſe, niſi prius tributa debita ſolueret, & iuſiurandum daret: Se Romano Imperatori deinceps dicto audientem fore. Id vtrumque cùm ille feciſſet, magnaque inſuper dona dediſſet, pacem ei datam eſſe. Huius autem narrationis penes authorem fides eſto. Multum ſanè interfuit Lotharij, huiuſcemodi rumores tunc in vulgus ſpargi. Ac noſter quoque Dlugoſſus ſcribit, Lotharium à Boleſlao tributum Pomeraniæ Rugiæque nomine, tanquam ad Romanum imperium pertinentium, popoſciſſe: verùm illum negaſſe, quòd eas ſuas prouincias eſſe affirmaret. Ita cō ſtitutis rebus cum Cæſare, ad Italicam expeditionem, pontificemque reducendū, ac diadema Imperiale ab eo accipiendum ſpectante & feſtinante, Boleslaus in Poloniam reuertit. Dum autem is hac de cauſa abeſt à Polonia, Vngarus ille, cuius dudum mentionem fecimus, cōmodam proditionis occaſionē nactus, & celeri nuncio Iaropelcum euocat: ad ſextū Idus Februarij, ad Vslicíam adeſſe cum expeditis copijs iubet. Eſt autem Vslicia oppidum nono à Cracouia milliario, in rupe, quam Nidæ amnis reſtagnatio inſulam facit, ſitum: ad quod non niſi per aggerem, nec eum latiſſimum, & pontes ſublicios aditus eſt. *Vislicia oppidum.* Eratque tunc temporis frequens & populoſum id oppidū: quanquam ne nunc quidem deſertum eſt. Eò igitur Vngarus, de aduentu Ruſſorum certior factus, commigrare viciniam omnem cum liberis, vxoribus & facultatibus ſuis iubet. Libenter facit iuſſa plebs pariter & nobilitas, vt ſe ſuaque loco munito ab hoſtium armis defendat. Adſunt ad condictum tempus Ruſſi: intromittuntur ab Vngaro clàm in oppidum intempeſta nocte: *Vislicia direpta à Ruſſis, & incenſa.* ingentem vulgi, nullo neque ſexus neque ætatis diſcrimine aut miſericordia cædem edunt: oppidum ſuccendunt: nobiliores ac ditiores cum reliqua præda pecudum in modum curſim abigunt. Proditori Iaropelcus princeps præmij loco linguam præcidit, oculos effodit, genitalia membra abſcidit. *Proditionis præmium.* Sic ille perfidus dignam ſceleris ſui mercedem tulit. Oderunt enim ferè proditorem principes atque reges, quamuis proditionem ament. Reuerſus autem è Germania Boleslaus, cùm de Vislicienſi excidio, & Iaropelci perfidia didiciſſet, in gentes aduerſus Iaropelcum & Ruſſos iras concipit. Cumque primùm per anni tēpus res geri potuere, nō modò ex nobilitate, verùm etiam ex oppidanis & agreſtibus magnum comparauit exercitum, *Ruſſicū bellum.* & Ruſſiam fremens, perinde ac leænæ vel vrſæ rapto fœtu ſolent, ingreditur. Cùm autem nemo ipſi prodiret obuiam (nam Iaropelcus peccati ſimul & virium ſuarum infirmarum ſibi conſcius, procul in paludes atque ſyluas ſeſe abdiderat) Vuladimirienſi regione omni & proximis quibuſque crudeliſſimè vaſtatis, *Vuladimirienſis ora vaſtata.* afflictis, & exuſtis, cum ingenti prædà reuertit in Poloniā. Irritatus magis, quàm fractus ea clade & calamitate Iaropelcus, & cæteri Ruſſorū principes, de ratione belli cū Polonis gerendi conſultabant: & in eam veniebant ſententiam, vt dolis aggrederentur eos, quibꝰ virtute pares nō eſſent. Fortè fortuna optatam eis occaſionem obtulit. Etenim cùm comperiſſent Iaroſlaum

Halicienſium ducem cum Polonis ſentire, & ab eo conſilia ſua prodi, principatu eum eiecêre. Itaque in Poloniam is ad Boleſlaum confugit. Nec ambigebãt Ruſſi, eum à Polonis reductum, & ſe vltum iri. Anteuertendos & fallendos ſibi eos eſſe iudicant, vt pacato agmine, tanquam in tranquillis rebus venientes ex improuiſo opprimerent potius, quàm aperta vi non ſine periculo graue bellum repellerent. Halicienſes ſubornant, vt ſimulato principis ſui deſiderio, à Boleſlao petant, vt eũ primo quoq; tempore reducat: affirmẽt, pœnitere Ruſſos, quòd eũ eieciſſent, quippe qui offenſum Boleſlaum vehementer metuant: quieturosque eos eſſe, & culpam deprecaturos. Faciunt iuſſa Halicienſes. Eadem penè confirmant nobiles quidam Vngari, Halicienſibus finitimi, ab eiſdem principibus ad aſtruendam & perficiendam inſtitutam fraudem conducti & ſummiſſi. Habuit dictis fidem Boleſlaus, vt erat natura credulus & apertus. Itaque iuſto quidem, ſed minori tamen, quàm pro belli magnitudine & clãdeſtino apparatu Ruſſorum, exercitu Iaroſlaum reducit, nihil hoſtile ſuſpicatus. Appropinquanti Haliciæ (quod oppidum ad radices Sarmaticorũm montium, Vngariã à Ruſſia diuidentium, ſitũ, ſalinas habet) primæ Vngarorum turmæ inſtructæ gratulabundæ occurrũt: & prætervectæ noſtros, extremum agmen claudunt: ſubſecuti deinde Halicienſes, idem & ipſi faciunt. Suſpecta ea res eſſe Boleſlao cœpit. Accitoque Vuſeborio palatino Cracouienſi, & magiſtro militiæ, ſuſpicionem ſuam cum eo communicat. Dum hæc illi inter ſe conferunt, ac de euitando periculo & inſidijs conſultant, ecce apparent procul à fronte inſtructæ Ruſſorum acies, quas Iaropelcus citato curſu ducebat. Sublata erat omnis dubitatio. Præcipitatũ ſe in inſidias, & in medio hoſtium concluſum Boleſlaus videbat. Et quanquam longè imparem ſe numero hoſtium animaduertebat, tamen qui ſemper ſolitus eſſet vincere, ſatius eſſe ducebat, honeſtè occumbere, quàm fugiendo victoriam vltrò hoſti concedere. Itaque inſtructis pro tempore contra vtrumque hoſtem aciebus, & paucis cohortatus milites, ſigno dato primus in imminentem à fronte hoſtem impetum facit. concurrunt infeſtæ acies: extollitur ad cœlos clamor virorum, clangor tubarum & armorum ſtrepitus. Contendunt noſtri de ſalute, Ruſſi de victoria. Iamque noſtrorum res veterani exercitus virtute, & peritia meliori loco eſſe incipiebat, ea maximè parte, qua Boleſlaus militis pariter & imperatoris officio fungebatur, magnamque in hoſtibus ſtragem edebat: cùm ſubitò perturbatis ordinibus, & fugæ initio à palatino quodam, cuius nomen non memoratur, orto, ſequentibus eum qui proximi ſteterant, magna pars exercitus Polonici in fugam coniecta eſt. Pugnabat nihilominus cum paucis, & ijs quidem partim ſaucijs, partim laſſis, Boleſlaus: & cùm fugere ſibi turpe duceret, nolebat tamen inultus mortem oppetere. Fortè equus cui inſidebat, multis vulneribus confectus atque debilitatus concidit. Ibi miles quidam obſcurus & ordinarius, vt ait Vincentius, ſubleuatum eum equo ſuo impoſuit: & vt patriæ magis quàm gloriæ ſuæ rationem duceret, fugaque melioribus ſe rebus ſeruaret, orauit. Sic ille tunc quadragies ſepties victor princeps (tot enim ſecundis prælijs dimicaſſe memoratur) nobiliſſimi viri fuga proditus, gregarij militis opera præſenti ſe morti eripuit. Reuerſus in Poloniam, palatino quidem fugæ principi leporis pellem, colum, & fuſum dono miſit, meticuloſitatem eius & muliebrem animum notans: qua ignominia ille ad voluntarium ſuſpendium adactus eſt. Militem verò ſalutis ſuæ authorem (nã & is fortè ſaluus è prælio euaſerat) inſignibus nobilitatis, luculenta pecunia & poſſeſſionibus remuneratus, etiam ad honores amplos & magiſtratus euexit, poſteritatemque eius omnem nobilitauit. Deinde fiſcum ſuum in redemptionem captiuorum, qui permulti erant, effudit. Nec tamen omnes redimi potuêre: multi barbaris venditi, in fœda ſeruitute cõſenuerunt. Et vehementer quidem angebatur animo Boleſlaus, vt ſolent ij qui perpetuò ſecundis rebus vſi, aduerſo aliquo caſu affliguntur. Pudebat & pigebat eum ſuijpſius, quòd tantæ illius cladis culpam in ſe agnoſcebat: quippe qui nimis credulus & incircumſpectus fuiſſet: Sed tamen de labe illa delenda, & vlciſcendis perfidis Ruſſis atque Vngaris, ſedulò etiam atque etiam cogitabat. Et quo liberiꝰ id faceret, cum Sobeſlao Boemorum principe Cloſci conuentum egit, pacemque fecit, arbitris vtriuſque populi proceribus. Pudore autem ac dolore ſtimulantibus, conſpectum hominum & colloquia vitabat. Quæ res ei maturauit mortem. Nam ex mœrore illo & anxietate animi in languorem corporis & morbum incidit: qui ſenſim ingraueſcẽs, omnem medicinam renuentem, toto anno lecto affixum, magnopere debilitauit.

Nec

Iaroſlai Halicienſium ducis fuga ad Polonos. — *Ruſſorum fraus.* — *Boleſlaus credulus.* — *Haliciæ ſitus.* — *Ruſſorũ cum Polonis prælium.* — *Boleſlai virtus.* — *Palatini fuga.* — *Gregarij militis præclarũ facinus.* — *Boleſlai victoriæ.* — *Fugæ merces.* — *Virtutis præmium.* — *Boleslai excelſus animus.* — *Polonorum fœdus cum Boemis.*

Nec angorem ac morbum eius natus filius Cazimirus leuauit. Vbi mortem appropinquare sibi sensit, conuocatis proceribus, qui officij causa vndique conuenerant, & quatuor filijs adstātibus, de cōcordia apud eos verba fecit: partitusque omnia, quæ tunc erant Polonicæ ditionis, inter quatuor filios, principatum & summam rerum penes Vuladislaū natu maximum cōstituit, cæteros eius authoritatem sequi iussit. In partitione quintum filium, qui superiori anno natus erat, prætererat. Id eum proceres obliuione fecisse existimabant. Itaque admonēt, vt ne illū exortem patrimonij relinquat. Respondit princeps: Iam illi quoque portionē suam esse designatā. Admirantibus cunctis: Non aduertitis, inquit, in curru inter quatuor rotas quintam esse eā partem currus cui homines insident, & onera imponunt, quæ quidē à rotis sustentatur atq; portatur? Eum igitur locū inter quatuor fratres quintus obtinebit, illisq; suo tēpore succedet. Diuinitusne id ꝙ futurū erat præsciuerit, an vt solent homines ferè instāte morte alienati mēte diuinare, an verò discerpere in plures partes principatū noluerit, dicere non habem⁹. Nec ita multò pòst sacris Christianorum mysterijs ritè procurat⁹, vita excessit, maximo toti⁹ Polonię luctu, cùm regnasset post patrē annos triginta sex, vixisset quinquaginta tres. Funus Ploscum solenni pōpa elatum, & iuxta patrem conditum est.

Cazimirus filius Boleslao natus.

Polonia diuisa inter Boleslai filios.

Vaticinium Boleslai.

Boleslai mors.

Anni vitæ & regni Boleslai.

Fuit autem Boleslaus hic, habitudine corporis satis firma, vegeta, & laborum patiente, colore fusco, statura mediocri: os ei carbunculus morb⁹ ab ineunte adolescētia distorserat, atque inde Criuousti cognomentū habuit. Animo verò excelso fuit, & periculorum contemptore: iusti & æqui obseruantissimus: ad iram, gratiam, misericordiam ex ęquo pronus: ad credendum perfacilis, quæ res ei multarum aduersitatum, & ad extremum exitij causa fuit. Ad beneficentiam & liberalitatem cùm in omnes, tum præsertim in eos, qui in re militari præstabant, promptus: modestia & clementia singulari: laudis & gloriæ cupidus: pacis artium nō penitus expers, verùm belli studijs longè præstantior, ad quæ à teneris, quod aiunt, vnguiculis toto animo ferebatur. Hinc omnem fere principatum suum bella gerendo exegit: miles strenuus & audax: dux prouidus, solers, animosus & felix, excepto vltimo illo Haliciensi prælio. Obijt autem anno Christi nati 1139. cùm eum Lotharius Imperator vno anno anteuertisset: cui Germanorum principes Conradum ducem Sueuorum, cuius mētionem superius fecimus, suffecēre. Sed nos exitu Boleslai Criuousti claudamus hunc Librum: sequentes quinq; secto ac discerpto in plures principatus regno bellisque ciuilibus dicaturi. Ex his autē proximus, Boleslai filiorum res gestas cōplectetur.

Boleslai figura, ingenium, & studia.

1139. ann.

Lotharij Imp. mors.

Conradus Cæsar.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER SEXTVS.

VVLADISLAVS SECVNDVS, PRINCEPS.



Mortuo Boleslao, torpor quidam animos hominū occupauit, futurorum malorum omine, propter sectionem regni, quam testamento Boleslai nuncupatam, filij eius flagitabant. Videbant enim omnes, se, qui dudum sub vnius imperio florentes & formidabiles cūctis in circuitu vicinis populis fuissent, deinceps discerptis viribus atque studijs, quorumuis iniuriæ fore obnoxios. Neq; enim diu concordiam inter fratres, constitutionemque paternā valiturā esse, fratrib⁹ fratris imperiū dedignantib⁹, & illo immoderatius fortassis vtente potestate sua. Neq; contentos eos fore sua quemq; sorte, sed alienas inter se mutuo appetituros & inuasuros, & vim ac iniuriā à se inuicē propulsaturos: atque ita ciuilibus & parricidialibus armis inter se cōcursuros esse: quibus necesse esset tam ampla ac florentem dudum rempublicam euerti. Itaque aliquandiu triste silentium omnes tenuēre, promiscueque à fratrib⁹ imperabatur, donec ij diuersa iubendo perturbare omnia cœpēre. Tum demum conuentu apud Cracouiam instituto, cum flagitatio fratrū, studiaq; & factiones cōparatæ, ad vnum deferri vniuersam rerum summam non paterentur, nec rectius quicꝗ in men-

Principatus multorum perniciosus reipub.

Comitia Cracouiæ.

in mentem cuiquam veniret, neceſſariò
Boleslai conſtitutio approbatur, vt iuue-
nes certis ac definitis à patre finibus do-
minarentur: principatus verò & ſumma
belli, pacisque authoritas penes natu ma
Diuiſio regni Polonici.
ximum eſſet. Partitione regni ſecundum
deſcriptionē patris facta, Vuladislao qui-
dem natu maximo Cracouienſis, Siradi-
enſis & Lencicienſis tractus, itemque Si-
leſia obtigêre: Boleslao, qui Criſpꝰ appel-
latus eſt, Maſouia & Cuiauia, Culmēſisq;
ac Dobrinēſis tractus: Miecislao Gneſnē
ſis, Poſnaniēſis, Caliſſiēſis & Pomerania:
Henrico Sendomiriēſis. Cazimirus verò
infans exors, quemadmodū pater volue-
rat, à Vuladislao curandus atque educā-
dus ſuſceptus eſt. Ita ad ſuas quiſq; ditio-
Vuladislao ſumma rerū permiſſa.
nes & quaſi ſatrapias diſceſsêre, vt Vula-
dislaū tamen principē agnoſcerent, eiuſ-
que maieſtatē comiter conſeruarent: qui
iam ſextū ac triceſimum agebat annum.
1140. ann.
Nā hæc anno Chriſti 1140. acta ſunt. Ex-
tincto victore ac terrore gentiū Boleslao
Criuouſto, mutataq;, vti diximus, forma
reip. non diu vicinorum arma quieuêre.
Primus omniū Sobeslaus Boemorū dux
immemor fœderum, quæ cum eo prin-
cipe & vniuerſa Polonia iuriſiurandi re-
ligione interpoſita dudum icerat, non-
Sileſia vexata à Boemis.
dum exacto à morte Boleslai anno, Sile-
ſiam infeſto exercitu longè lateque popu
latus eſt, nec ea præda, quamuis magna,
contentus, ad ſubigendam omnem eam
oram animum adiecit: & quo facilius id
faciat, locum opportunum apud vicum
Coſcenum inter lacus & paludes muni-
tione & præſidio firmare adoritur. Sed
hoc molientem vindicta diuina, iuſta vi-
olati fœderis & iuriſiurandi vltione per-
culit. Nam valida febre correptus, incœ
pto deſiſtere coactus eſt: relatusque Pra-
Sobeslaus Boemus extinctus.
gam, non multo pòſt inualeſcente mor-
bo, extinctus eſt. Ita bellum exoriēs repē-
tè inter initia vnius morte ſedatū eſt. Ne-
Vuladislaus Boemorum princeps.
que enim Vuladislaus, Vuladislai regis
filius, qui Sobeslao patruo (filijs eius præ-
teritis) apud Boemos, in principatu ſuc-
ceſſit, ei bello vacare potuit, domeſticis
motibus prohibitus: nec noſter Vuladis-
laus acceptas iniurias, vaſtationemq; di-
tionis ſuæ vlciſci perrexit, ad inferendā,
Vuladislai Polonorum principis ambitio.
quàm ad propulſandam iniuriam magis
ſpectās, & inuadēdis alienis potius, quàm
ſuis defendēdis inhians: propterea quòd
moleſtè ferret acciſum & mutilatū prin-
cipatū, ſibiq; erepta eſſe duceret ea, q̄ fra-
tribus patris voluntate cunctæq; Polonię
conſenſu ceſſerant. Aegrū ſua ſpōte eius
Criſtinæ ingenium & mores.
animum vxor Criſtina ſuperba, auara &
ambitioſa mulier, & quæ Polonos oēs in
porcorum loco habebat, nec eos ad mini
ſteriū, ac vix ad cōſpectum ſuum admit-
tebat, Germanis ſuis impendio delectata,
magis etiam inflammauit, quod eū præ-
ter mores iuraque gentium ad quartam
modò partē principatus detruſum eſſe di
Criſtina maritum in fratres incitat.
ctitaret, qui in vniuerſum principatū pa-
tri, vtpote natu maximus, ſuccedere debu
iſſet: Se Cęſaris filiam, Ceſaris neptē, ex in
clyta familia cū ampliſsima dote in ſpem
vniuerſi principatus ipſi nupſiſſe: nunc
verò ad exiguam ſortem cum liberis cō-
munibꝰ redigi, qui quidē poſt patris mor-
tem ad egeſtatem, indignam ſuo genere
& ipſorum ordine, redituri eſſent. Quòd
ſi ille vir eſſe pergeret, nec à moribꝰ & vir-
tute paterna degeneraret, breui ſe viſurā
eſſe domi totum regnum. Patrem eius nō
tuliſſe vnum fratrem participem imperij:
ipſum tres ferre? Quartum quoq;, vbi ad-
oleuerit, ſi ſapiat, portionem ſuam repe-
titurū eſſe. Summum illud ius & autho-
ritatem monarchiæ vmbratilem eſſe: ne-
minem ipſi obſecundaturū. Quid ſi quis
reliquorum fratrum ad ſummum illum
principatum adſpiret? Quid ſi oēs inter ſe
cōtra vnum conſpirent? Tunc verò nullā
ipſi fore ſpē ſalutis, niſi in fuga & exilio.
Præſtare ergo anteuertere, q̄ anteuerti.
Hęc eadē identidē iterādo, queritādo, fre
mendo, lachrymādo & obiurgādo, tandē
ad maturādum impiū facinus virum im-
pulit. Sed vt ſub honeſto prętextu latêret
ſcelus, & quo facilius vel adiuuāte, vel cer
tè non aduerſante multitudine ſuorum,
cogitata perficeret, ſenatum conuocat:
Vuladislai principis oratio in ſenatu.
Queritur: Pernicioſam & exitialem eſſe
reip. partitionem principatus à patre ſuo
inſtitutam, propterea ꝙ multitudo prin-
cipum cùm hoſtes ad inuadēdum auda-
ciores, tum ciues ad reſiſtēdum infirmio-
res redderet. cuius rei aliquem iam guſtū
paruo temporis ſpacio ipſi cepiſſent, ve-
xati impunè à Boemis: qui non modò cō
mouere ſe, dum penes vnum patrem ſu-
um fuit imperium, auſi nō eſſent, verùm
etiam pacis cōditiones ab eo accepiſſent.
Neque verò diu quietam eſſe poſſe ab in-
teſtinis diſcordijs atq; ciuilibꝰ bellis eam
rempub. quæ à pluribus exequato domi-
natu, non certis legibus, ſed arbitrio cu-
iuſque gubernetur. Nec diu maieſtatem „
vnius cuiuſpiam ab ijs conſeruari ſolere, „
qui non modò genere, ſed viribus etiam „
& potentia vni illi pares ſe eſſe ſentirent.
Exemplo eſſe recenti penè hominū me-
moria Sbigneum, qui licet genere impar
fratri Boleslao, tamen quod pater eū illi
ex iuſta vxore ſuſcepto exæquaſſet, tantis
malis, cladibusque rempub. inuoluerit,

vt eam euersurus omnino fuerit, nisi iusta fratris indignatio aliquando tamen eum de medio sustulisset. Boemos quoque & Russos vicinos suos nullam aliam ob causam ciuilibus bellis inter se ad excidium penè collidi, quàm quòd in multos partita sint eorum imperia. Quocircà vellent, iuberent, vt penes vnum se, quē primogeniti prærogatiua cæteris fratrib9 prætulisset, verè esset regnum. Attributū rum se esse fratribus aut definitos è fisco suo reditus, aut verò agros nonnullos & territoria, in quibus illi vitam honestè sustentare queant, nec tamen calcitrandi „ materiam aut occasionem habeant. Mul „ to esse præstabilius, paucos quosdam in„ commodo ac detrimento affici, quàm v„ niuersos perire. His addit Cristina (aderat enim in senatu, quo minus liberè eius intuitu sententiæ dicerentur) cùm alia quæ videbantur, tum, sic in sua Germania, sic apud alias gentes, quę cultu vitę, ingenijs, & sapientia præcellerent, moribus atque legibus receptum esse, vt maximus natu in bona paterna succedat, cæteris fratribus paululum aliquid præ manibus det, vnde viuāt. Hac spe se Vuladislaō nuptui datam esse. Deinde sententias rogati senatores, cùm stupefacti rei nouitate, aliquandiu silentium tenuissent, tandem omnes, paucis à Cristina subornatis exceptis, impium & crudele principis consiliū detestari: orare: monere: ne patris vltimā voluntatem irritam faciat, ne vniuersæ Poloniæ consensum aspernetur: ne leges naturæ labefaciat. Valde esse dissimile, ꝙ de Sbigneo commemoratum sit: illum nothum fuisse, nec vllo more aut iure in partem principatus admitti debuisse: hos legitima vxore, & quidem Cæsaris filia ortos, exortes paterni dominatus fieri rectè non posse. Illum improbum, impudentem, & iam inde ab initio in patrem impium extitisse: hos liberalib9 ingenijs, honestissimè educatos, summo esse pudore & modestia, æquissimisque animis ferre, & laturos porrò esse maximi natu „ fratris principatum. Magis autem con„ sultum esse reipub. si plurium ea consilijs „ & armis coniunctis defendatur, quàm si „ ex vnius iudicio & propugnatione depē„ deat. Non posse commodè vnum omnia „ prospicere, nec ad omnes regni partes suis „ opem ferētem pariter accurrere, nec om„ nia per se munia principat9 obire. Quòd „ si vicaria cuiusquam opera vtendum sit, „ magis fidum, magisque beneuolentem „ esse fratri fratrem, quàm extraneum. His & alijs dictis propemodum ad sanitatem reuocata erat mens principis, nisi violentior vxoris amor, nocturnæq; eius persuasiones & blanditiæ, quæ plurimum apud vxorios viros valent, tantoque pestilentiores sunt, quanto plus potest is quem „ superant, præcipitem eum egissent. Deli„ berato scelere, tributum siue subsidium pecuniarium fratribus & fraternis ditionibus primùm imperat, vt eorum tentaret patientiam: & si renuerent, iustum haberet belli ipsis inferendi prætextum. Vbi paritum est, deinceps ad intercipienda, quæ eorum ditionis erant, animum conuertit. Nec tamen Polonorum, quibus iā suspectus & exosus esse cœperat, quosq; alienos à cupiditate sua esse nouerat, ministerio & militia vti ad eam rem ausus est: sed Russorum, cùm quibus materno genere coniungebatur, auxilia clàm acciet: cum his apertè iam in fraternas ditiones grassatur. Edicit, ne cuiquam Poloni, præter se, obediant. Contumaces aut vinculis aut verberibus coërcet, aut bonis multat. Nonnullas iam fratrum munitiones & oppida cum pagis adiacentibus partim per Russos occuparat, partim in deditionem acceperat, ad florentiorē fortunam vel metu, vel (vt est vulgus fe„ rè nouarum rerum, nouorumque domi„ norum auidum) leuitate defluentibus „ passim hominibus. Ibi iuuenes impio fratris proposito perspecto, quid faciant porrò cum suis consultant. Animaduertunt à bello ciuili animos popularium suorum abhorrere: nec ipsi satis animorum ad vim fratris propulsandam habebant, propterea quòd & viribus minus valebant, & quantum cuique fidendum esset, nesciebant. Itaque ad misericordiam procerum confugiunt: paternorum meritorum, paternæ voluntatis, publicique omnium ordinū consensus de partiendo imperio ipsos admonent: ipsorum fidei & protectioni se suaque commendant. Ad fratrem etiam proficiscuntur: & quoniā caput illorum consiliorum Cristinam glotem suam esse senserant, ad mulieris pedes sese prosternunt: clementiam eius supplices implorant. Verùm ea surdis auribus læuirorum preces accipiebat, & salutem reip. quæ omni necessitudini præ„ ponenda esset, causificabatur. Commouit ea res multos ex primoribus, cùm iuuenum misericordia, tum metu exorientis tyrannidis: cuius argumentum erat, quòd Vuladislaus externum militem in suos immittebat: tum autem auaræ importunæque mulieris odio, quæ præter hanc in fratres mariti sui inclementiam, nouis etiam exactionibus animos multorū offenderat. Etenim ea, cùm alia quedā

aua-

Cristina in senatu.

Primogenitorum ius apud multas gentes.

Libertas senatus Polonici.

Vxorū suasiones efficaces.

Vuladislaus princeps pecuniam fratribus imperat.

Vuladislaus fratrū possessiones inuadit.

Boleslai filij deprecantur fratris iniuriam.

Procerum alienatio à Vuladislao.

Exactiones nouæ inſtitutæ. Honoraria munera.

auarè & crudeliter inſtituerat, tũ verò illud excogitauit, vt homines oppidani & ruſticani ſtatis & ſolennibus ferijs honoraria quædam munera, nempe pullos & gallos gallinaceos, anſeres, oua, mel, auenam, porcos, triticum in cellam principis inferrent. Quod cùm ſemel atque iterum ac tertiùm in gratiam principis non inuiti feciſſent, lege viri, vt id perpetuũ deinceps eſſet, ſanxit. Itaque impenſius iã & apertius nonnulli iuuenibus fauebant. in primis autem Vuſeborius palatinus Sendomiriẽſis, & magiſter militiæ, & Petrus Danus, comes Scrinnenſis: Quorum ille nonnunquã Ruſſos ex inſidijs paruis pręlijs fundebat, Petrus verò monẽdo & obiurgando principem ab inſtituto auocabat, quæ res ei, ſi non exitioſa, calamitoſa quidem certè fuit. Nam Vuladiſlaus, vt omnibus de rebus cum vxore communicabat, ita de Petri quoque conſilio ac ſtudio ipſi narrauit. Excanduit ſubitò in hominem iracunda mulier, alioqui etiam ipſi infenſa, ex huiuſmodi cauſa. Venatũ fortè Vuladiſlaus princeps & Petrus hic in remotas ſyluas ierant: ibi totum diem inueſtigandis & perſequendis feris defatigati, ad veſperum ad focum conſtructa è ceſpite menſa, cùm ſe pane & ferina carne, & aqua fontana vtcunque refeciſſent, & humi ſtratis penulis cubituri eſsẽt, Vuladislaus domeſticarum lautitiarum & mollium ſtratorum recordatus, ioco Petrum appellans: Mollius, inquit, nunc Petre vxor tua cum Abbate Scrinnenſi ſiue Suleouienſi cubat, quàm nos. Petrus contrà, vt iocum ioco retunderet: Fortaſſe, inquit, & tua cum Dobeſſo. Erat autem Dobeſſus iuuenis ex equeſtri ordine non inelegans, quo familiarius Criſtina vtebatur, ita vt muſſitaretur vulgò, eum cũ illa clàm conſueuiſſe. Tetigit id dictum principis animum: & ſermonibus quidẽ tunc iocisque finem fecit, vultu verò nec poſtea quidem ſatis diſſimulauit ſiue dolorem, ſiue ſolicitudinem: incertum, libeа riorine dicto Petri offenſus, an de crimine vxoris ex verbis Petri, & ſuperioris tẽporis coniecturis, quas non tam ſcrupuloſè ad eã diem notarat, ſuſpiciones colligens. Criſtina vbi triſtiorem cógitabundumque pręter morem virum reuerſum animaduertit, ſciſcitatur cauſam. diſſimulat aliquandiu Vuladislaus. Ad extremum victus blanditijs & importunitate vxoris, detegit ei vulnus animi ſui. Inde grauiores ea in Petrum iras concœperat, occaſionemq; vlciſcendi eius quærebat. Quam cùm fortuna percommodam attuliſſe videretur, in eo quòd Petrus aper-

Petrus Danus dolo Criſtinæ petitꝰ.

Iocus perniciosus.

Dobeſſus de adulterio reginæ ſuſpectus.

tè cupiditati principis aduerſabatur, ibi verò inſtare violenta mulier apud maritum noctesque diesque, vt Petrus de medio tolleretur. Eo viuo, nunquam voti compotem futurum Vuladislaum. Erat enim vir ingenti ſpiritu Petrus, ſummaque potentia præditus: quippe qui præter priuatas opes & facultates ampliſſimas Caliſſienſem Cruſuicienſemque tractum omnem Boleslai Criuouſti nomine adminiſtraſſet, tunc autem Vuratislauienſi præeſſet. Subornat tandem Dobeſſum Criſtina, partim probri infamia irritatũ, partim pollicitatione bonorum Petri illectum, vt eum quouis modo vel caperet, vel interficeret. Nõ eſt tamen auſus Dobeſſus hominem aperta vi aggredi: ſed obſeruabat tempus, quo per fraudem eum incautũ opprimeret. Fortè Petrus nuptias filiæ, quam Iaxæ Serborum ſiue Vinidarum duci in matrimonium collocabat, Vuratislauiæ inſigni pompa atque celebritate apparabat: eò ſe Dobeſſus quoque magno comitatu confert, ſecurumque & nihil eiuſmodi ſuſpicantẽ Petrum ſolum fortè conſpicatus, dũ miniſtri circa apparandas nuptias, & hoſpites comiter accipiendos ſatagunt, correptũ celeriter paratis & diſpoſitis ad hoc equis aſportat, & ad principem adducit. Diu, quid eo faceret Vuladislaus animi dubius fuit. Reuerebatur hominis dignitatem, gratiamque popularem: Reminiſcebatur, quo is honore apud patrem ſuum fuiſſet. Contrà ſuggerebat Criſtina, ſi incolumis Petrus dimittatur, acerbiorem eum capitalemque hoſtem fore principi, iniuria illa exacerbatum. Vbi cunctari virum videt, minatur ſe ab eo diſceſſuram, vbi impunè probro proſtitutæ pudicitiæ afficeretur. Vicit tandẽ perfecitque, vt indicta cauſa lingua Petro præcideretur, atque oculi effoderentur. Sic ei, & ſæpe multis, liberior cũ principe iocus malè ceſſit. Vixit tamen poſt eam calamitatem Petrus quinq; annos. Ferunt nonnulli, quemadmodum Dlugoſſus memorat, ei poſtea viſum & ſermonis vſum diuinitùs reſtitutum fuiſſe, propter pietatem, qua ſumma erat. Mortuus, apud Vuratislauiam in ſancti Vincentij, quod templum & monaſterium ipſe condiderat, honorificè ſepultus eſt. Per hæc tempora Bela cæco Vngarorum rege vita defuncto, Geiſa filiꝰ eius de quatuor natu maximus, regno paterno ſuſcepto, Henricum Auſtriorum ducem cum totius ferè Germaniæ auxilijs Vngariam inuadentem, cruento prælio ſuperauit. Sed noſtra perſequamur. Petro tã crudeliter,

Petri Dani opes & præfecturæ.

Petri Dani calamitas.

Geiſa rex Vngarorum Auſtrios vicit.

liter,quemadmodũ dictũ est,afflicto minus ausi sunt cæteri proceres volũtati tyranni aduersari. Creuerunt tamẽ omniũ in eum odia,quæ secundo fortunæ flatu occultata,postea afflictis rebus eius in apertum erupêre. Minus autem dissimulanter is iam agere, & fratres ditionibus ipsorum pellere magnis Russorum fretus auxilijs,quibus Suatoslaus Vuseuolo di Kiouiensium principis filius, Izaslaus Dauidis, & Vuseuolodimirus Haliciensium duces præfuêre. Iamque Henricum Sendomiria, & Boleslaum Plosco,omniq; Masouia propulerat. Restabat Miecislaus, ad quem fratres cæteri confugerant. Ad eos igitur Vuladislaus in maiorem Poloniam cum exercitu magnis itineribus contendit, in celeritate plenam victoriȩ spem reponẽs: Posnaniam, quæ ipsi portas clauserat, cùm primo impetu capere non potuisset, obsidione cinxit. Vastabant interim Russi agros liberioribus excursionibus: exurebant vicos & pagos: captiuos viros ac mulieres in seruitutem abducebant: diripiebant fana: vimque honestis puellis ac matronis inferebant: ne à pueris quidem abstinebant. Viuebat adhuc Iacobus archiepiscopus Gnesnensis, venerabilis & pius senex, excelsique animi. Is igitur cupiditatem & crudelitatem Vuladislai perosus, & cùm optimi principis Boleslai Criuousti filiorũ, tum patriæ indignam & calamitosam sortem miseratus, sacro pontificum cultu & infula, quo augustiorem speciem principi exhiberet, indutus,& carpento in castra, & vsque ad ipsum Vulatislai tentorium inuectus,co miter principem nefarij cępti admonet.

Vuladislaus princeps fratres violat cum Russis.

Ciuile bellũ inter fratres

Posnania obsessa.

Iacobus Archiepiscopus principem obiurgat, ac diris deuouet.

„ Negat esse boni principis,patriam, à qua
„ in lucem editus, indulgenter educatus,
„ & ad summum honorem euectus sit,ex-
„ ternis armis hostilem in modum impe-
„ tere, vexare,ac diripere. Negat esse Chri-
„ stiani hominis, fratres coniunctissimos
„ & obsequentissimos, quos tuendos sus-
„ ceperit, oppugnare, & non modò attri-
„ butis à patre & vniuersa republica ditio-
„ nibus exuere, sed vitam etiam & sangui-
„ nem eorum sitire. Desisteret ergò cęptis: moderaretur diræ & insatiabili cupiditati suæ:& cum optimis fratribus in gratiam rediret: Præstare, vt eorum fideli opę & opera aduersus quosuis externos hostes vteretur, quàm vt infidis & sitiẽtibus Poloni sanguinis Russorũ armis illos iret perditũ,& quasi in sua ipse viscera sę-
„ uiret. Si homines nõ reuereretur,at Deũ
„ metueret,acerrimum scelerum omniũ,
„ & maximè violatæ humanæ coniun-
„ ctionis & societatis vltorem. Non com- „
mouit hæc Archiepiscopi oratio, quamuis grauis & prudens, Vuladislaum, nec ab instituto deterruit. Quod cùm vir diuinus animaduerteret,quasi numine afflatus,è sella assurgens: Quando, inquit, humana simul ac diuina iura superbè cõtemnis,& paterna mea monita obstinatè respuis, Dei omnipotẽtis,cui⁹ vices gero, authoritate, sacris & Christianorum hominũ societate tibi interdico, caput tuũ & omniũ adiutorum & asseclarum tuorũ diris deuoueo. Deinde multa in eũ & in exercitũ ei⁹ execratus, recedebat. Fortè dum imprudentius auriga carpentum conuertit, in columnam,quȩ tentorium principis sustentabat, extremo axe impingens, mota loco columna, tentorium solo prostrauit. Mali ominis ea res cunctis visa est. Tenuit tamen iram Vuladislaus, nec acerbius quicquã in Archiepiscopum aut fecit, aut dixit: ita vt mirarentur omnes patientiam eius. Commouerat nonnullos de proceribus, qui in castris Vuladislai erant, Iacobi archiepiscopi authoritas & execratio. Itaq; deducere & ipsi à proposito principem instituẽre, sed nullo operæprecio. Nam is diligẽtius etiam omnia ad expugnationẽ Posnaniæ administrare perrexit. Tamen cũ nullus hostilis subesset metus, nec magnopere è paruo oppido eruptio timeretur, securius agebãt Russi, quàm ratio castrorum exigit: & vel ad prædas agendas quoquouersus discurrebant, vel genialibus epulis & compotationibus ludisque & lusibus indulgebant, vel his rebus grauati & fatigati altum stertebant: in stationibus rari, nec ij satis sobrij excubabãt. Delitescebant in abdito Boleslaus, Miecislaus, & Henricus cum modico militũ præsidio, occasionem bene gerendæ rei captantes: ij posteaquam vel ex transfugis, vel è captiuis per insidias, dum incautius pabulantur, exceptis, certò didicêre de negligentia & securitate aduersariorũ, silẽti agmine ad castra propius accedũt. Oppidani è turribus procul suos conspicati, nec ignari quid in subiectis oppido castris ageretur, proposito vexillo signũ dant suis faciendi in hostem impetus tẽpestiui. Animaduertêre id vexillum prȩter morem extensum Russorum duces, qui tunc fortè cum Vuladislao conuiuabantur: Rogant, quidnam rei sit, & quid sibi velit vexillum illud? Respondet Vuladislaus: Deditionis esse signum. Parcendum esse Russi censent supplicibus: Negat Vuladislaus vllum fore ijs, qui tã obstinatè obsidionẽ sustinuissent, miseri

Omen malum.

Castrẽsis negligentia.

I cor-

cordiæ locũ. Nec multò pòst, exauditur ab extremis castris ingẽs clamor atq; strepitus, iam intra vallũ & in cæde versantium hostium. Erumpunt eodem tempore & oppidani, & turribus ac cæteris operibus, tugurijsque militum, è stipula stramentisq; factis, celeriter ignem subijciũt. Fit trepidatio & discursatio totis castris, pculsis re subita & inopinata omnib⁹, nec quid agerent, aut quò se verterent, ac ne fugæ quidem consilium explicantibus. Nec à vero abhorret, diuinitùs formidinem illam exercitui meritò iniectã fuisse. Nec fuit qui se victoribus opponeret, fusis nullo negocio, qui ad primum tumultum pauci & inordinati occurrerant. Nam cęteri vel ad ducum tentoria, vel ad corripienda arma, vel ad sternendos equos, vel ad efferenda quæ quisque charissima habebat, festinabant, vel attoniti denique amentiũ more huc atq; illuc discursabant. Ad extremum grassante latè vndique ferro atque incendio, effundunt sese castris, qua quisque exitum inueniebat. Fugientes partim trucidantur ab equitib⁹, partim in Vartã & Glouunam fluuios, qui non ita procul à castris erant, compulsi merguntur. Vuladislaus cum Russis ducib⁹ & paucis quibusdam euadens, effuso cursu Cracouiam contendit. Inde quoque Russi, non multum morati, nudi penè & inermes, & omnium rerum egeni, domos sese recepẽre. Direpta sunt copiosa & opulenta Vuladislai Russorumque castra. Dlugossus aliquanto aliter hæc exponit. Ait enim, Boleslaum, Miecislaum, & Henricũ, primo Vuladislai aduentu Posnaniæ secum paruo præsidio tenuisse, diuturnamque obsidionem in magna commeatus inopia tolerasse, & clementiam atque misericordiam fratris per internuncios implorasse. Cùm autem is inexorabilem se ipsis præberet, nec aliter veniam daret, ni si sese & sua omnia ei dederent, dura hęc, ita vt erant sanè, visa esse iuuenibus: & in magna salutis desperatione decreuisse eos, honestè mori potius, quàm crudelis victoris, & apud quem nihil sancti esset, fidei sese committere. Erupisse deinde aliquoties ex oppido, & nonnulla strage in hostibus edita, repulsos tamen esse. Deinde cùm quieuissent aliquandiu, qua si abiecta iam erumpendi cogitatione, & securiores negligentioresque reddidissent eos, qui in stationibus & ad opera excubabant, captato tẽpore, armatisq; omnibus qui arma ferre poterãt in ciuitate, erupisse in inopinantes, eo proposito, vt aut vincerent, aut non inulti occumbe-

Vuladislaus vincitur & fugatur.

rẽt: & clarissima illa victoria, de quã iã dixim⁹, potitos esse. Ann⁹ quo hæc acta sũt, fuit à Christo nato millesim⁹ centesimus quadragesimusquintus. Parsum est autẽ aduersarijs ciuib⁹ iussu iuuenum, quoad in summa illa ptrbatione, & cõfusione fieri potuit. Magna fit statim ea victoria rerum commutatio. Defluebant omnes passim à victo ad victores, & augebant eorum exercitum: arces & munitiones interceptæ, in fidem & potestatem pristinorum dominorum vltrò redibant. Non cõtenti autem victores iuuenes eo, quòd fratrem se oppugnantem profligassent, suaque omnia recuperassent, exterminare eum etiam vicissim proprijs ditionibus, & principatu eijcere instituunt, rati nunquam eum ad sanitatem & modestiam rediturum esse: verùm Russorum auxilijs fretum, bellum renouaturum. Itaque æstate sequenti, cum eo, quẽ ad manum habebant, exercitu, validiori iam aliquanto, quã fuerat initio, Cracouiam contendunt. Quod cùm Vuladislao nunciatum esset, diffisus munitioni arcis, suorũque studijs & voluntatibus, & fratrũ desperata misericordia, qppe quos ipse supplices nulla misericordia dignat⁹ esset, relicta Cracouiæ vxore ac tribus filijs, per Silesiam in Germaniam profugit: Conradi tertij Cæsaris, vxoris suæ sobrini, opem imploraturus. Cracouienses cùm primùm aduenientibus Boleslao, Miecislao & Hẽrico portas clausissent, cognita principis lõgiore fuga, & consensu totius Poloniæ, aperuẽre: nec multo pòst arx etiam deditur. In qua recipiẽda summa animorum moderatione iuuenes vsi sunt. Liberos & vxorem Vuladislai, quamuis infestam sibi, & quæ origo malorum illorum fuerat, ab omni iniuria & contumelia iratorum militum atque procerum defenderunt: & cum omni supellectili in Germaniam, aut quò vellẽt, additis præsidij causa, qui abeuntes deducerent, dimiserunt. Sic infelix Vuladislaus, qui suasu vxoris iniustè aliena concupiuerat, sua iustè amisit: & q in amplissima fortuna principatusque prærogatiua non acquieuerat, in exilio cum mala consultrice vxore miser cõtabuit, quẽad modũ inferius exponemus. Obtinuit autem principatum Poloniæ Vuladislaus, non totos septẽ annos. Sub ipsum principatus eius initium, Ianicus, qui postea Vuratislauiensis episcopus, ac deinde archiepiscopus Gnesnensis fuit, Ianislausque dictus est, & Clemens, fratres germani, equestri Gryphiũ siue Gryffonum, vt vulgò vocãt, familia orti, monasteriũ Andreouiẽ-

1145. ann.

Defectio Polonorũ à Vuladislao.

Vuladislaus principatu pulsus.

Cracouia in potestatẽ fratrum iuniorum venit.

Moderatio iuuenum victorum.

Andreouiense monasterium.

se con-

ſe condiderunt: eique oppidũ ipſum Andreouiam, & ſeptem pagos de bonis ſuis attribuerunt: atque in eo Ciſtercięſis ſectæ monachos, à Bernardo abbate ſancto conditos, è Morimundenſi Burgundiæ monaſterio euocatos, collocarunt. Impoſuerunt autem cõditores illi tributum perenne oppidanis addictis monaſterio, vt corda cæſarum pecudũ, & paucula haleca ſibi poſteriſq; ſuis memoriæ ſempiternę gratia penderent. Verùm id tributum poſtea abbas neſcio qui redemit. Addiderunt etiam Radoſſus & Gedeon epiſcopi Cracouienſes decimas quaſdam ei monaſterio: itemq; Ianicus, poſteaquã Gneſnẽſis archiepiſcopus factus eſt, nõ modò decimis, verùm etiam duodecim pagis ad ſuperiores adiectis, id locupletauit.

Andreouienſis monaſterij tributũ.

BOLESLAVS CRISPVS

EXacto cum vxore & liberis Vuladiſlao principe, concordi fratrum iuxtà ac procerum nobilitatiſque ſententia ad Boleſlaum, qui Vuladiſlao natu proximus erat, principatus & ſumma rerum defertur, & quæcunque in ditione Vuladislai fuerant. Cazimirus etiam natu minimus frater, eius curæ cõmendatus eſt. Et moderatè is clementerq; regnauit: fratres magna beneuolentia & charitate cõplexus, beneficentia etiam & liberalitate maiorem in modum ſibi deuinxit. Nonnulla enim bona & poſſeſsiones, q̃ eius iuris fuerant, ipſis vltrò donauit & addixit: eoq; ſumma ij fide, ſummoq; ſtudio viciſsim eum defenderunt, nihil neque Ruſſorum, neq; Boemorum, neque Germanorum & Conradi Cæſaris minis deterriti, aut precibus emolliti. Nã inſtabat Vuladislaus aſsiduò, cùm apud Vuladislaũ ducem Boemorũ, ad quẽ ea de re adierat, tum apud Cęſarem, vt eorum vel authoritate in paternum principatum reſtitueretur, vel armis reduceretur. Solicitabat & Ruſſos legationibus. Verùm hi nõdum ſe ſatis è clade Poſnanienſi refocillarant, & nolebant conſentientem Poloniam irritare, à cuius exigua quadã parte victi profligatiq; dudum eſſent. Cęſar verò & Boemus prolixè promittebant: verùm hic domeſticis motibus, ille Aſiatica expeditione, impediti, præſtare cõmodè promiſſa non potuêre. Rebus enim Normannorum in Syria, Saracenorum Turcarumq; vi inclinatis, Edeſſaque nobili & vetuſta vrbe Meſopotamiæ, quæ tũc à Gallis tenebatur, expugnata, & magno terrore Chriſtianis in Aſia militanti bus iniecto, Cæſar & rex Gallorum Ludouicus cum cõpluribus principibus viris & epiſcopis à Bernardo abbate Claræ vallis concitati, expeditionem in Syriam ſuſceperũt. Ne tamẽ Vuladiſlai cauſam penitus deſeruiſſe videretur Cæſar, miſit legationem ad Boleſlaum cæteroſq; fratres, vt Vuladiſlao ereptum patrimonium & principatum ſua ſpõte redderent, potius quã arma ſua experirentur. Neq; enim ſe rectè & affini, & calamitoſo ac ſupplici principi deeſſe poſſe. Cui legationi Boleslaus princeps de ſententia fratrũ & procerum ita reſpondit: Nulla à ſe frãtribusque ſuis iniuria affectum eſſe Vuladislaum: ſe nequicquam deprecantes impio bello ab eo petitos, & attributis à patre, & ab vniuerſa republica poſſeſſionibus ac dominationibus, iam penè exutos, cùm pacem tamen nullis æquis cõditionibus impetrare poſſent, vitam defendiſſe ſuam, illumque omnis diuini & humani iuris violatorem, fratres inſontes & obſequentiſſimos eijcientem, intolerabilemque in liberos populos dominatum vſurpantem, non tam ipſorum viribus, quàm diuina vltione euidenter perculſum, fugientemque, magno vniuerſo Poloniæ conſenſu ſempiterno exilio damnatum eſſe. Recipere eum talem, tamque iuſtè cõſenſu publico pulſum, neque ſibi tutum eſſe, neque Polonis expedire. Ne ergo Cæſar id à ſe poſtularet, neuè ab inuitis extorquere pergeret, quod ſine periculo, & ſine magno malo reipublicæ facere non poſſent. Eſſe quidem tanti principis atque Cæſaris, afflictis ſubuenire: ſed ijs demum, qui im„ meritò afflicti eſſent. Cæterùm ad vim„ & iniuriam faciendam nemini opem ei„ us patêre debere: quippe qui ab innocen„ tiã contra ſcelus, ab officio contra impro„ bitatem, à modeſtia contra audaciam, à„ iuſticia contra iniuſticiam, denique à pie„ tate contra parricidium ſtare debeat. Eſ„ ſe Vuladislaum affinem Cæſaris: ſe verò cognatos etiam: auxilium ſe ab eo ſperare, non bellum expectare, cuius nullam neq; dediſſent, neque daturi eſſent occaſionem. Habere ſe illi eum honorẽ, quẽ & cognato & maximo principi haberi par eſſet: libenterque in alijs rebus authoritati eius obſecundaturos, in vna illa re id fieri non poſſe. Libentius ſe cum„ quouis capitali hoſte, quàm cum illo ta„ li fratre in gratiam redituros eſſe: & quid„ uis potius paſſuros, quàm commiſſu„ ros, vt ſuo ſibi iumento, quod dicitur„ malam rem aſciuiſſe, & rempublicam„ quæ in fidem ſuam confugerit, prodidiſ„ ſe viderentur. Fregit ea reſponſio Conra„ di animũ, ita vt multũ de ſtudio ſuo in

Boleſlai Criſpi benignitas.

Vuladiſlai exulis ſolicitudo.

Conradi Cæſaris & Ludouici Gall. regis expeditio in Syriã.

Bernardus abbas Claræ vallis.

Conradi Cæſaris legatio ad Polonos.

Boleſlai Criſpi reſponſum.

Principis officium.

Vuladislaū deinceps remitteret, præsertim quòd ad expeditionem Asiaticā totus spectabat: quamuis à proceribus suis & Boemo, quos sedulò vnà cum liberis & vxore prēsabat Vuladislaus, in Polonos incitaretur. Porrò in concilio Remensi, quod Eugenius tertius pontifex maximus, initio pontificatus sui coegerat, Henricus Bauarorum dux, Cristinæ propinquus, de principibus & episcopis Polonorum per legatos questus est, quòd illi quidem fratrem, hi verò dominū suum contra fidē & iusiurandum paterno principatu pepulissent. Sed q̄d effecerit, nō comperio. Cōradus verò Cæsar expeditionem illam suam Asiaticam cū maturasset, per Poloniam, quemadmodum scribit Dlugossus, statuit iter facere, quòd & compendiosior ea via esset, & minus periculorū haberet: simul quòd nō differet, se Vuladislaum cum fratribus coràm reconciliaturū esse. Et acceptus quidem est à Boleslao cæterisque fratribus per quàm honorificè & liberaliter, vnà cum Vuladislao Boemorum principe, & fratribus eius Henrico & Spicigneuo, siue Sbigneo, omnique Germanorum & Boemorum exercitu, & vsque ad pontum Euxinum deductus: cæterùm de reconciliatione nihil tunc aliud impetrauit, nisi quòd pollicitus est Boleslaus cū fratribus, se, cùm reuertisset ab illa expeditione Cæsar, quæ is vellet, facturum esse. Multi verò voluntarij è Polonis militię illi nomina dedêre, & cum Cæsare profecti sunt. Alij, per Vngariam eum non satis composito agmine profectum esse in Thraciam, volunt. Vincentius verò crebrioribus legationibus eum de restitutione Vuladislai cum Polonis egisse memorat. Sub hyemem eiusdem anni, duxit Boleslaus cum Henrico fratre exercitum in Russiā, Izaslai Kiouiensium principis, conspiratione cæterorum principū principatu eiecti, precibus & muneribus inuitatus: castrisque apud Cemerinum positis, totam hyemē ibi consumpsit: & nulla re memorabili gesta, propter ignauiā Izaslai, & non satis certam fidem Russorum, in Poloniam rediit. Izaslaus verò pòst discessionem auxiliorum Lusci obsessus ab hostibus, pacem tandem ab eis impetrauit. Per hoc tempus Iacobus archiepiscopus Gnesnensis mortuus, Ianicum, siue Ianislaum, cui⁹ paulo antè mē tionem fecimus, è Vuratislauiensi episcopa euocatum, Boleslai principis studio adiutum, successorem accepit. Huic verò Vualterus, equestri Zadoreorum ortus familia, successit: qui basilicam Vuratislauiensem, ligneam ad tempus, muro exædificauit, ritusque Lugdunensis basilicæ in eam induxit. Anno vno inter iecto, reuersus ab Asiatica expeditione Conradus, cùm nō magnū ibi operępretium fecisset, magnamque copiarum suarum partem partim Turcico prælio, partim dolo Emanuelis Cōstantinopolitani Imperatoris amisisset, bellum Polonis intulit, vt per vim Vuladislaum exulem in principatum restitueret, cùm Boleslaus cæterique fratres promissorum admoniti tergiuersarentur, quòd dicerent: Vuladislao reducto, se nouos mot⁹, noua pericula, summamque reipubl. perturbationē reformidare. Verùm id bellum in speciem ingens & formidabile, Boleslai principis humanitas & sapientia inter ipsa initia restinxit. Nam vt Cæsar cum validis Germanorum, Boemorum & Morauorum copijs Poloniæ fines attigit, nō destitit Boleslaus cum expeditis turmis, quas de suis tumultuariè coegerat, omnibus locis opportunis hostilia itinera, pabulationes frumentationes & aquationes ex insidijs obseruare, & in incautos hostes impetū facere, interdū que totum exercitum reficientem se aut quiescentem subito tumultu, & ad castra adequitantis exercitus ostentatione exagitare & perterrefacere. Illis verò ad arma conclamantibus, ad impedita loca raptim se cum suis recipiebat, nec vnquā rem fortunæ & vniuersæ dimicationi cō mittebat. Cùm autem ad Odram substitisset, & castrametat⁹ esset Cęsar, eo quòd aquæ eius fluminis tūc fortè excreuerāt, & nostri vlteriores ripas obseruātes difficilem traiectionem ipsi effecerant, simul autem è Germania noui quidam motus ipsi afferebantur, quibus ad rerum dō mesticarum curam reuocabatur, accepta fide Boleslaus in castra ad eum venit: factaque publica audientia, Vuladislai fratris facinora & peccata omnia in se ac cęteros fratres, & in omnes ordines reip. Polonę luculenta oratione exposuit: ne cessariam expulsionem, iustamque restituendi eius recusationem suam, & vniuersæ reipublicæ excusauit: necessitudinem suam cum Conrado maiorem, quā Vuladislai cōmemorauit: studia & officia sua nonnulla in Cæsarem & Germanos modestē refricauit: ne cognatum & Christianū sanguine sitirēt, neu se ad extrema adigerēt, orauit. Munera etiam nō contemnenda Cæsari & nonnullis principibus, maximeque ijs, quos gratia plurimùm valere apud Cæsarem didicerat, priuatim misit. Ita poscēte Boleslao, suadenti-

Remense Cō cilium. *Cōrad. Cæsaris expeditio in Asiam.* *Boemorum principes in Asiam militatum profecti.* 1147. ann. *Russicū bellum.* *Ianislaus archiepiscopus.* *Vuratislauiēsis basilica, eiusque ritus.* 1149. ann. *Conradi Cæsaris expeditio in Poloniam.* *Polonorum cum Germanis belligerēdi ratio.* *Boleslaus ad Cæsarem in castra venit, & bellum sustulit.*

dentibus primoribus, ad sua defendenda festinantibus militibus, ipso Cæsare ductum iri diutius opinione sua bellum animaduertente, & ad componendas res domesticas festinante, bellum illud statim solutum est: dimissusque postridie exercitus, nequicquam reclamante Vuladislao exule, & item Boemorum principe, non tam exulis rem agente, quàm Polonis inimico. Hagecus hîc nescio quid comminiscitur de Tartaris & Saracenis vnà cum Russis à Vuladislao exule contra Polonos ductis, & à Boleslao victis pulsisque, qui vtrique populi procul tũc aberant à Polonia. Pace cum Cæsare facta, aut verius bello in aliud tempus dilato, Boleslaus & Mieciſlaus vxores duxêre sorores Germanas, Vuseuolodimiri Haliciensium principis filias: Boleslaus quidē Anastasiam, Miecislaus verò Eudoxiam. Verùm hic, hac non ita multo pòst mortua, nondum exacto à primis nuptijs biēnio, aliam duxit, Gertrudim Geisæ regis Vngarorum sororem, Belæ cæci filiā. Cæterùm Henricus cœlibem vitā secutus, ad Hierosolymitanam militiam cum non contemnendo comitatu profectus est, principatu suo Boleslai fratris fidei ac tutelæ commendato: cumque totum annum ibi commoratus, non vulgare virtutis suæ specimen aduersus barbaros Saracenos edidisset, sospes reuersus est. Reuertens autem in Zagosce pago ad Nidā amnem parœciam ac domicilium Templariorum sodalitati, q̄ tunc bonam in bello Asiatico Christianis nauabat operam, cōdidit, & luculentis reditibus instruxit. Cū hoc Henrico crediderim profectum Iaxam, nobilem & locupletem equitem de familia Gryphium: qui cùm in Asia aliquando militasset, reuertēs vnum de canonicis sepulchri Christi Domini nostri, diui Augustini instituto viuentibus, & geminam crucem rubram in toga insigne professionis suę gestantibus, secum deduxit, eamque sodalitatem in Polonia propagauit, condito ei templo ac domicilio in pago suo Miechouia, ꝙ nunc oppidū est, quinto à Cracouia milliario, eoq; & duobꝰ itē alijs pagis sodalitati attributis: Cui etiā Gedeō episcopus Cracouiēsis decimas quasdam posterius adiunxit. Condidit idem Iaxa, dotauitque etiam monasteriū virginibus professionis Præmonstratensis, vt vocant, in suburbano suo Cracouiensi, supra Vistulam, quod Zuerinecium, quasi tu dicas viuarium, appellatur. Quod nomen posteriori fortassis tempore accepit; cùm ibi Casimirus secundus rex viuarium cōstru

Boleslai & Mieciſlai vxores.

Hēricus dux ad Hierosolymitanā militiam profectus.

Templarij in Poloniam deducti.

Iaxa Gryphius.

Canonici sepulchri Christi.

Miechouiense cœnobiū.

Zuerinecense cœnobiū.

xisset. Impetrauit autem Iaxa idem loco subiectis hominibus à Boleslao Crispo principe omnium onerum, munerū atq; pensionum, quæ ad principem atq; rempubl. pertinerent, sempiternam immunitatem. Sed ad institutū reuertamur. Vuladislaus exul, quamuis desiderio & spe sua frustratus iterum atque iterū, pergebat tamen molestus esse Cæsari de reductione sua: & commouebat quidem Cæsarem, cùm assidua flagitatione & querimonia, tum aspectu ipso miserabili, ac tāta fortunæ commutatione: pudor etiam cum indignatione mixtus Cæsarem stimulabat, quòd contemni & postulata & minas suas, nec promissa præstari à Polonis principibus, maiestate sua indignum iudicaret. Sed tamen exulē reducere non potuit, partim aduersa valetudine ac diuturno morbo impeditus, partim etiam proprijs & necessarijs negocijs, & nonnulla imperij perturbatione distentus. Verùm quo leuius interea Vuladislaus ferret exilium, possessiones quasdam ei dedit vtendas, fruendas, vnde se & vxorem liberosque sustentaret: adiunxit exiguas equitum peditumque copias, cum quibus ille crebris excursionibus Vratislauiensem tractum & viciniam illam omnem, extructis in cōfinio duabus arcibus Nemcio & Grothecio, quò se tutò recipiebat, infestauit. Nō tulit hoc Boleslaꝰ. Nam coacto exercitu ad prędatores illos persequēdos, & arces euertēdas profectus est. Id vbi cognouit Vuladislaus, munitis præsidio militū arcibus, in Germaniā se recepit, siue metu, siue auxiliorū petēdorum gratia. Qui in præsidijs relicti erant Germani siue Boemi, sustinuerūt aliquādiu impetum & obsidionem Polonorum: tandem deficiente annona, & morbis inualescentibus, ac desperatis auxilijs deditionem fecêre. Nec ita multò pòst, nempe anno Christi nati 1153. Conradus Cæsar mortuus, antequam Imperatoris diadema adeptus esset, solicitudine & metu grauis belli Polonos liberauit. Quieuitq; tūc Polonia annis aliquot, donec Fridericus cognomento Barbarossā, Friderici Sueuorum ducis filius, qui Conrado patruo in imperio successit, petēdo imperiali diademate, pacandisq;, seu potius turbādis rebus Italiæ & Galliæ Cisalpinæ, quæ nunc Langobardia dicitur, ac pontificibus maximis arbitratu suo creandis atque deijciendis occupatus fuit. Reuersum autem in Germaniam, & conuentū totius Germaniæ agentem Vircæburgi, siue Herbipoli, supplex adit Vuladislaꝰ: orat de reductione sua: Et quo ma-

Vuladislaus exul infestat Poloniam.

Nemcium et Grothecium arces in Silesia constructæ, & Polonorum principi deditæ.

1153. ann.

Cōradus Cæsar mortuus.

Fridericus Barbarossa Cæsar.

gis eum ad misericordiã flecteret, tres filios iuuenes pedibus propinqui Imperatoris admouit. idem pro eo petijt Vuladislaus princeps Boemorum, fastum Polonorum & contemptionem Cęsareæ maiestatis & authoritatis exaggerans. Idem plerique Germanorum principes atque duces, quibus iam Vuladislaus exul diuturna cõsuetudine familiaris factus erat, quosque ea de re prehensauerat. Quanquam autem rebellârant Imperatori Mediolanenses cum socijs suis, tamen exoratus Fridericus, priorem in Polonos expeditionẽ de amplissimi Senatus sententia decreuit. Ac legatos quidem statim ex illis comitijs ad Boleslaum principem & fratres eius misit, qui ipsis, nisi reciperent Vuladislaum, aut nisi ipsi tributum, quod fortasse pollicebatur Vuladislaus, Imperatori Romano penderẽt, bellum denũcient: ipse verò hyemem illam in apparatu belli cõsumpsit. Reuersi Cracouia legati, nõ dissimile eius quod Conrado datum erat, responsum retulerunt: cuius ea vis erat, vt quiduis potius passuri Poloni principes, (qui ea de re Cracouiã ad Boleslaum conuenerant,) quàm aut tam immanem ac turbulentum fratrem recepturi, aut tributum cuiquam pẽsuri esse viderentur. Itaq; æstate anni sequentis, qui fuit à Christo nato 1158. Fridericus Imperator cum maximis Germanorum omnium atque Boemorũ copijs, per Saxoniam in Polonorum fines ingreditur: & ad vndecimum Calendas Septembris Odram amnem, nemine prohibente, vado transiuit. Nam Poloni principes, etsi non contemnendam & ipsi manum habebant, nusquam tamen ausi sunt apertè eam tanto ac tam valido exercitui opponere: sed munera inter se copiasq; partiti, quòd equitatu abundarent, & leui armatura vterentur, partim in prædatores & pabulatores ex insidijs vim faciebãt, partim villas & oppida sua, qua iter facturum esse Imperatorem suspicabantur, ipsi comburebãt: partim etiam munitiones deijciebant, ita vt neque progredi rectè Imperator, propter pabuli & cõmeatus inopiam, neq; vestigium ponere firmo aliquo & munito loco posset. Eo nostrorum incendio tunc Bythomia, cuius etiam superius mentio facta est, atque Glogouia, non obscura oppida, conflagrarunt. Erat in magna difficultate res Germanorum: quippe quibus neque frumentum, neque pecudes ad vescendum, neque vinum aut ceruisia ad bibendum suppeteret, omnia itinera nostris obsidẽtibus. Itaque intestinorum dolore laborari vulgò cœptum, quo morbo multi mortales absumpti sunt: iamque non mussitabant milites, sed apertis conuicijs & maledictis Imperatorem incessebant, quòd ab eo ad inauspicatum bellũ ob rem alienam educti essent. Quibus rebus permotus Fridericus, simul quod res Italicæ discessu eius turbatæ, eum ad se reuocabant, de reducendo exercitu cogitare cœpit. Verùm metuebat, si nulla pace facta retrocederet, vt satis tutò id facere posset: quòd nõ dubitabat, nostros terga reuertentium pressuros, & aliquam Germaniæ oram dimisso à se exercitu vicissim inuasuros ac deuastaturos esse. Sin pacis mentionem prior fecisset, pro victo se habitum atque contemptum iri: vtrumque autem non ex dignitate Imperatoria fore. Etenim ex æquo turpe ,, & ignominiosum est, eum qui bellum ,, alteri intulerit, aut pacem vltro offerre, ,, aut rebus infectis retrocedere. Eum sen- ,, sum Imperatoris cùm probè calleret Boemorum princeps, siue iussus, siue pertæsus & ipse belli, agit cum Polonis, vt de pace ad Imperatorem mittant, aut ipsi veniant: sperare se, ac recipere, æquis conditionibus eam iri compositum. Placabiliorem enim ipsis Fridericum se reddidisse. Amplectuntur nostri consilium: petita acceptaque fide ad hostem proficiscuntur: ibi multis vltro citroque habitis sermonibus, pax tandem his legibus constituitur: vt Vuladislaus ad Silesiæ dominatum modò restituatur, cæteris se abstineat: & vt Boleslaus vnà cum fratribus trecentos hastatos equites Friderico in auxilium ad Mediolanense, siue Langobardicum bellum mittat. Et quo firmior hæc pax sit, Adleidam Imperatoris sororis filiam Miecislaus tertiam vxorem ducit. Nam alteram, quæ fuit Vngara, haud ita multo antè amiserat, susceptis ex ea duobus filijs, Ottone & Stephano. Quanquam quod ad restitutionem Vuladislai attinet, perplexus est Dlugossus. Nam cùm restitutionem illam, quam postea Fridericus velut sanctè promissam, mortuo Vuladislao liberis eius efflagitauit, in pactis fuisse memorasset, paulo pòst subijcit, Boleslaum recepisse Imperatori, se ad natalem Christi Dei nostri Magdeburgum venturum esse, & Polonis Boemisque disceptatoribus & arbitris de expulsione & restitutione Vuladislai fratris vsurum: quod tamen non pręstiterit. Paulò aliter de hoc bello Radeuicus in Supplemento eius libri quem Otto episcopus Frisingensis illius temporis de gestis

Legatio Friderici Imperatoris ad Polonos.

1158. ann. Friderici Imperat. expeditio in Poloniam.

Bythomia et Glogouia exustæ ab ipsis Polonis.

Friderici cõsultatio.

Pax inter Imperatorẽ & Polonos. Silesia Vuladislao attributa. Polonorum auxilia Imperatori ad Italicum bellum. Miecislai tertia vxor filia sororis Friderici Imperatoris.

Radeuicus historicus.

ſtis huius Friderici Imperatoris conſcripſit, memoriæ prodidit. Et cauſam quidem belli eandem, quam nos expoſuimus, fuiſſe memorat: ſucceſſum verò & exitum aliquanto diuerſum. Ait enim, Poſteaquam Imperator in Poloniam (arte ſcilicet & natura permunitam) penetrauit, & Odram flumen copias tranſduxit, Polonos, quamuis magna haberēt Ruſſorum, Parthorum, Pruſſorū & Pomeranorum auxilia, in fuga tamen ſpem vitæ cōſtituiſſe: ac deſperatiōe adductos, non certo conſilio, munitiones, oppida, pagoſque ſuos vaſtaſſe. Ad extremum autem peruaſtata ab hoſtibus Vuratislauienſi & Poſnanienſi ora, Boleslaū ducē ſupplicem, & imperata ſe facturum recipientem, prouolutum ad pedes Imperatoris, veniam impetraſſe: cùm iuſiurandum dediſſet, non ad contumeliam Romani imperij fratrem à ſe ſuiſque pulſum eſſe: promiſiſſetque Imperatori, præter auxilia ad bellum Italicum, duo millia marcarum, principibus mille, aulico eius comitatui ducentas marcas argenti: Auguſtæ verò, ſiue Imperatrici, viginti marcas auri: & obſides Cazimirum fratrem cum alijs quibuſdam nobilibus dediſſet. De Vuladiſlai verò iniuria rem ad arbitrium Boemorum & Polonorū Magdeburgum, vt nos quoque è Dlugoſſo retulimus, reiectam eſſe. Neque tamen ſtetiſſe vlla ex parte promiſſis & iuriiurando Boleſlaum. Tributi Radeuicus hic nullam facit mentionem: quod neque Imperator exigere, ſi prius penſitatum eſſet, neque Radeuicus commemorare, ſi tunc exactum eſſet, omiſiſſet. Pace facta cum Polonis, deduxit Imperator exercitum, & anno ſequenti expeditionem in Italiam proſecutus eſt, Boemorum & Polonorum auxilijs adiutus. In ipſo autem procinctu, Vuladiſlao Boemorum principi Ratiſponæ diadema impoſuit, regemque eum appellauit: quo nomine poſt Vuratiſlaum ſexaginta annis amplius nemo principum Boemorum vſus erat. Fames deinde Poloniam afflixit, frumento belli tempore partim non demeſſo, partim ab hoſtibus conſumpto, partim verò à noſtris, quemadmodum diximus, corrupto. Mortua eſt eo anno Anaſtaſia Boleſlai Criſpi vxor ex dolore partus, cùm Leſcum alterum filium peperiſſet. Nam biennio antè Boleslaum pepererat. Duxit poſtea Boleslaus alteram vxorem, Helenā Roſciſlai Præmiſlienſium principis filiam, ſuaſu fratrum, cùm ij ad Adleidæ Miecislai vxoris puerperium conueniſſent. Apparabat iam Vuladiſlaus reditum

Vuladiſlaus rex Boemorum factus.

Fames in Polonia.

Boleſlai Criſpi filij.

Boleſlaus alteram vxorem duxit.

in patriā, opera & beneficio Friderici Imperatoris impetratum, poſt tredecim annorum exilium. Verùm in ipſo apparatu extinctus, & Aldemburgi in Holſatia, q̄ vrbs à Slauis condita, Starigradum olim dicta fuit, ſepultus eſt: ita vt non irrita ceciderit Iacobi archiepiſcopi deuotio, nec potuerint humani conatus diuinam ſententiam, & iuſtam fratrum & patriæ violatoris vltionem immutare. Tametſi proditum eſt à nonnullis, vt refert Dlugoſſus, eum ad conſtitutum cum fratribus colloquium venientem, Plodeci clàm veneno ſublatum eſſe. Vixit autem Vuladiſlaus quinquagintaquinque: præfuit Polonis non totos ſex annos. Liberos reliquit maſculos tres, Boleſlaum, Miecislaum, & Conradum, cui Laſconogo, propter gracilitatem crurum, cognomen fuit: Quem quidem Conradus Imperator Fuldenſi abbati educandum dederat. Criſtina verò Vuladiſlai vxor, Aldenburgi in exilio conſenuit, & vitam cum morte cōmutauit. Nam filij non auſi abſente Imperatore Sileſiæ principatū ex fœdere patri promiſſum repetere, quarto demum anno poſt mortem patris, nempe anno poſt Chriſtum natum 1163. inſtante precibus atque minis apud Boleſlaum Friderico, cùm is ab Italica expeditione capto euerſoque Mediolano reuertiſſet, reuocati, Sileſiam omnem, quę continentibus ſyluis à reliqua Polonia dirimitur, vſq; ad Boemorum, Myſnenſium, Saxonumq; fines inditionem ſuam acceperunt, ea quidem lege, vt maieſtatem ſummi principis Polonorum comiter conſeruarent, neúe patris tyrannidem imitarentur. Sileſię verò nomen à confluxu multorum populorū inditū eſſe videtur, ſiue tunc, ſiue aliquanto prius, nēpe poſteaquā Sbigneus nothus Vuladiſlai primi principis filius, cū Boemis & Saxonibus eam oram inuaſit, ita vt Sileſij, ſiue Slezaci, quaſi conuenæ dicātur lingua Polonica. Eam igitur partem Poloniæ Vuladiſlai mortui filij ex pacto obtinuerunt. Atque hinc ferè omnes Sileſiorum duces propagati ſunt. Vt autem omnis diſſidiorum materia inter fratres deinceps tolleretur, patrui inter eos ditiones partiti ſunt, ita vt Boleſlao, qui procerus ſiue altus cognominatus eſt, Vuratislauienſis tractus: Miecislao Ratiborienſis & Oppolienſis, Conrado verò Glogouienſis & Croſnēſis obtingeret. Ex his Miecislaus inſano muliereulæ cuiuſdā amore captus, Opauiā oppidū ipſi ſempiterno iure donauit. Fuit autē reſtitutio illa Vuladiſlai filiorū curę Friderico Imperatori, cùm ob miſericordiā cognatorū

Vuladiſlai mors.

Plodecz.

Vuladiſlai filij.

Criſtinæ mors.

1163. ann.

Mediolanū euerſum.

Sileſiæ ducū origo.

Sileſiæ fines & nomen.

Slezaci.

Sileſiæ diuiſio.

Opauia donata amicæ.

exulum,& vt perficeret,quod se authore cœptum atque constitutum fuerat: tū in primis Boleslai ex ijs natu maximi gratia, qui præclarum virtutis suæ specimen in exercitu ipsius apud Mediolanum ediderat. Nam cùm eques quispiam vasto corpore & gigantea statura Mediolano prodiens identidem Cæsarianos contumeliosis verbis ad singulare certamen prouocaret, nec prodiret quispiam, prodijt hic Boleslaus inconsulto Imperatore, & inscijs omnibus, non ferens vniuersi exercitus ignominiam. Cumque infestis hastis concurrissent, effuso ad spectaculum omni exercitu, obsessis quoque de mœnibus prospectantibus, & vtrisque euentum pugnæ expectantibus, primo impetu deiecit noster hostem, humique prostratum celeriter de equo desiliens confecit, & cum opimis spolijs victor in castra reuersus est, acclamante & applaudente vniuerso exercitu, & Boleslai virtutē ad sidera efferente. Ex eo autem tempore magno in honore iuuenem apud se Imperator habuit, & cùm alia amoris sui documenta ei præbuit, tum in restitutionis fratrūque eius curam maiore studio, confecto Mediolanensi bello incubuit. Restitutis Vuladislai filijs, sublatoque omni metu belli, Boleslaus Crispus princeps Polonorū, ex fratrum & fratris filiorum, consilijque totius sententia Prussis, qui iam inde à Boleslai Criuousti morte à fide principum Poloniæ, & à religione Christiana desciuerant, bellum fecit: transductoque Ossam amnem exercitu, tripartito agmine ad interiora ipsorum penetrauit, ferro & incendijs omnia miscens, & magnas prędas agens. Ea vastatione moti Prussorum primóres, cùm vires suas impares tāto bello sustinendo esse animaduerterēt, quippe qui non plus decem millibus peditum, & sexdecim millibus equitum facere possent, pacem supplices à Boleslao petunt, imperata se facturos pollicentur. Negat is pacem se eis daturum, ni stulta & vana multorum deorum superstitione sese abdicent, & Christianam religionē populariter recipiāt. Durius hoc Prussis videbatur: sed tamen præsentibus iuxtà ac impendentibus malis adacti, accipiunt conditionem: demoliuntur fana & simulacra falsorum deorū: vni vero Deo, quem nos colimus, deiecta aut desolata pridem instaurant: liberos post desertam religionem sibi natos, ritu Christianorum initiant. Et quo celerius religio Christiana in tota Prussia coalesceret, tributum quidem exiguum Boleslaus genti imposuit: edixit autem, Quicunque ad certum tempus Christiani facti nō essent, vt in seruitutem abducerentur, & sub hasta venundarentur. Et certatim quidem omnes nomina dabant Christo, sed magis deuitandi præsentis periculi metu, quàm ex animo: & lingua quidem iurat, quemadmodum inquit Poeta quidam, mens iniurata manet. Itaque ergo deducto exercitu, & amoto metu, citò ad ingenium redière. Neque enim firmam " atque stabilem sedem habere potest reli- " gio, vi & metu expressa: quæ, quamlibet " foris necessitati seruiat, intus quidem in " animo liberrima est. Vixdum circūacto " anno, Prussi in pristinam impietatē apertè relabūtur: ritus Christianos explodūt: sacerdotes, cæterosque qui constantius Christianā religionē retinebant, eijciunt: templa veri Dei profanāt. Veriti autem, ne extrema quæq; pro his, quæ patrarant, paterentur, ad Boleslaum principē legatos mittunt cū donis magni precij: profitentur se in fide eius permanere, cæteraq; omnia iussa eius facturos esse, religionis modò Christianæ necessitatem vt sibi remitteret: multitudinē patrias & auitas religiones neutiquam velle, aut posse abijcere: & omnia prius malle perpeti, quàm ab inueteratis tempore & consuetudine ritibus ad nouos transire. Leuius, quàm par erat Christiano principi, violatam & neglectam ab ipsis religionem Boleslaus ferre visus est, cùm ij de fide erga ipsum sua nihil mutarent. Itaque sic tunc legatos eorum dimisit, vt factum eorum approbasse videretur, pluris faciens suam, quàm Dei maiestatem: siue adeò muneribus, quæ sapientum quoque mentibus caliginem offundunt, delinitus. Neque cogitabat, non " habere modum, neque finē " temeritatem, cui semel habenæ impuni- " tate relaxatæ sint. Offendunt autem ple- " runque homines in eo, quod causæ Dei " præposuerint: vt tunc accidit. Nam Prussi videntes impunè sibi cessisse prima ausa, sublatis animis haud ita multo pòst, exactores principis propellunt: factaque manu valida è promiscua hominū multitudine, Culmensem tractum & Masouiam nec opinātibus nostris ingressi, crudeliter vastarunt ac diripuerūt, ingentesque pecudum & hominum prædas abegerunt. Qua de re certior factus Boleslaus, nihil sibi fecit reliqui ad celeritatē: quin cum paucis, quos circum se habebat, & quos proficiscens sibi adiungere potuit, militibus, auxilio suis accurreret. Sed iam barbari abierant, nec eos longius ille cum paucis cursu defatigatis persequi ausus est. Verùm fremens, & sibi ipse

ob

Boleslai proceri virtus.

Prussicū bellum.

Prußi religionē Christianam recipiunt, & mox rursus abijciunt.

Religionis contemptus nō negligendus principibus.

Prussorū defectio & excursio in Culmensem & Masouiam.

ob superiorem conniuentiam displicēs, tunc quidem ditionis suæ fines qualiquali præsidio aduersus repentinas barbarorum excursiones muniuit: cæterùm anno sequenti, qui fuit post Christum natū 1167. maiore vi & apparatu expeditionē in eos fecit. Aderāt & fratres cum instructis suorum copijs. Barbari sceleris & perfidiæ suæ sibi conscij, desperabant veniā, nec satis virium ad sustinendos Polonos habere se iudicabant. itaque in remotas syluas & inuias paludes se cum gregibus & armentis abdunt: nihilo minus exquirunt, quomodo nostros dolis & insidijs circumueniant. Erāt apud Boleslaum in castris Prussi quatuor perfugæ non ignobiles, qui sic iam probarant fidem suam Boleslao, vt ijs ducibus & consultoribus in expeditione illa maximè vteretur: erant enim periti regionum, & rerū Prussicarum. Eos Prussi clàm per certos homines, qui & ipsi transfugas se simularāt, magnis donis, maioribꝰ promissis ad proditionē pellexerūt: Tempus & ratio proditionis constituitur. Magnam iam Prussiæ partem nostri depopulati, ad syluestria quædam, palustria, & vliginosa loca peruenerant, quæ in speciem herbida & compascua, limosos abscessus & voragines occultabant. Circum hæc, vti conuenerat, latebat Prussorum exercitus. Ibi transfugæ magnum numerum pecoris ad ea loca compulsum esse, magnamque multitudinem hominum cum rebus & facultatibus suis se recepisse affirmant: persuadentque principi, ne prædam illā contemnat. Vbi primum agmen, quod Henricus Sendomiriēsis dux Boleslai frater ducebat, ægrè aliquātum progressum est, dictitantibus transfugis perbreuem esse eam difficultatem, ibi signo dato subitò Prussi pedites vndique è latebris prosiliunt, & sagittas ac omnis generis tela eminus in impeditos conijciunt. Poloni neque progredi iam, aut consistere ex aduerso hostium, neque regredi poterant, terra abcedente, & equites ac pedites armatos hauriente. Et à fronte quidem & ab lateribus acriter instabant hostes, à tergo verò nostri extremi primorum receptum implicabant, ita vt nihil omninò virtuti loci esset, neque submitti subsidia laborantibus possent: quin vt quisq; suis opem laturus, aut hostem exultantem in cæde vlturus procurrerat, ita & ipse se, & illos quibus succurrebat, magis etiam impediebat. Eratque miserabile spectaculū, cùm nostri sine ordinibus progressi, & inopinato hostium occursu aut impulsi, aut perterrefacti, terga vertebant, seque inuicem proterebant & proculcabant. Multi ibi mortales cæsi, longè plures voraginibus absorpti sunt. Pauci per cæterorum corpora salui ad extremum agmen, quod firmiori loco substiterat, sese recepêre. Ibi Henricus dux inter primos pugnans fortiter occubuit: ibi omne penè robur Polonorum afflictum atque debilitatum est. Reliquas copias Boleslaus princeps cum Miecislao fratre, nihil cunctati, in Poloniam tumultuariè redu xêre, ne Henrici quidem fratris corpore recepto, aut perquisito. Prussi mortuorum spolijs potiti, dijs ea suis, quibus victoriam acceptam referebant, dedicarūt. Sub finem eiusdem anni edixit comitia Cracouiam Boleslaus cùm alijs de rebus, tum de Sendomiriensi dominatu, Henrico sine liberis extincto, quid fieri oporteret. Post longam consultationem placuit, vt Cazimiro minimo de filijs Boleslai Criuousti, qui ad eam diem exors patrimonij fuerat, principatus ille mandaretur. Tametsi Sendomiriensis vrbs cum territorio & alijs quibusdam proximis oppidis, consentiente Cazimiro, Boleslao Crispo concessa est, quoad viueret, quo commodius onera principatus posset sustinere. Nec multo pòst duxit Cazimirus vxorem, Helenam Vuseuolodi Belsensium ducis filiam. Displicuerat id quod factum erat de Sendomiriensi ditione, filijs Vuladislai: existimabantque ij, partem eius aliquam post patrui mortem agnationis iure ad se pertinere. Et iā antè alienioribus erant animis à Boleslao patruo, quòd is munitiones quasdam in Silesia, cùm eam ipsis traderet, in potestate sua retinuisset. Residebant etiam in animis eorum iræ veteres, & dolor exilij, ereptique summi principatus, & Cracouiensis ditionis: quæ vtraque hæreditario iure secundum patrem sibi arrogabant. Hæc omnia repetendi percommodam occasionem oblatam sibi esse arbitrabantur, quòd inuisum esse offensione illa & re malè atque inconsideratè gestā imperium, nomenque Boleslai proceribus & equitibus plerisque animaduertebant. Fortasse non deerant etiam, qui eos in spem recuperandi illa vel omnia, vel pleraque, clàm vocarent, & operā studiumque suum pollicerentur. Itaq; apertè querebantur de iniurijs Boleslai principis: arma bellumque ciuile non dissimulanter parabant: è Germania auxilia & mercenarios milites accersebant. Id vbi Boleslaus cognouit, viriū suarū & offensionis popularis sibi cōscius, ac veritus, ne latius incendiū illud diffunderetur, neu

cer-

1167. ann. Polonorum expeditio cōtra Prussos.

Proditio Prussorum.

Poloni profligati à Prussis.

Hēricus dux interfectus.

Cazimirus Sendomiriensium dux creatur.

Cazimiri vxor.

Silesiorū duces in Boleslaum principem cōcitantur.

certa finitimarum gentium fiducia rē illam iuuenes inceptarent, per proceres & cōsiliarios communes de cōponendis rebus agit: iisdemq; arbitris de summo quidem principatu, ac de Cracouiensi, itēq; Sendomiriensi ditione postulata filiorū fratris modestè refutauit, quòd Cracouiensem ditionē cum summo principatu totius Poloniæ consensu coniunctam esse diceret: principatum autem iustè eiecto patre eorum, summa omnium volūtate ad se delatum, & alioqui illo è viuis sublato, ad se, qui illi esset natu proxim⁹, non immeritò attinere. Porrò Sendomiriensem ditionē rectè fratri Cazimiro datam, quem non oporteret exortē esse patrimonij. Eam fuisse mentem patris, vt is cæteris fratribus absque liberis decedentibus succederet. De Sendomiriensi nonnihil se voluntate eius detraxisse, quo rectius onera ac dignitatem principatus sustineret. Idem se fecisse in Silesia, cùm fratribus cæteris, tum senatu vniuerso assentiente. Sed tamen liberaliter se eis remittere & condonare, quæ ad eam diē in Silesia retinuisset, quo maiorē in se patrui benignitatem agnoscerēt. Quo iuniores illi essent, hoc impensius se, qui senior & vsu rerum peritior sit, rebus eorum consulere æquum esse, ne temeritate sua, aut prauis aliorū consilijs seducti, eant præcipites. Ita deliniti iuuenes Boleslai cōmoditate & facilitate, procerumque persuasione, conquieuerūt, & nascens etiam dū perniciosum bellum suppressum est. Nō cessarunt tamen seditiosi quidam, è Cracouiensi ditione homines, equestris ordinis, res nouare. Etenim conspiratione facta, cuius capita fuēre, Iaxa, cuius superi⁹ mentionem fecimus, & Suentoslaus, potentes & factiosi homines, ad Cazimirū Sendomiriensem ducem, ætate & gratia populari florentem, summum principatum deferebant: Boleslaum perosi, quòd ignauum & imbellem, & ineptiorem ad obeunda principatus munera esse dicerent: simul vt Mieciſlao, qui ætatis beneficio Boleslao succedere debebat, viam præcluderent, de quo non optimè sentiebant. Et egit quidem ipsis gratias Cazimirus de studio ac iudicio: cæterùm principatum delatum modestè recusauit, quòd negaret suum esse, fratri maiori & optimè de se merito principatum eripere, quē omni ope defensum & adiutum ire deberet. Illos quoque non æquum facere, qui tot annos clementi & moderato illi⁹ imperio vsi, ad extremum quasi vetulum canem eum expellerent, & quidem bene merentē, & æquitate animi prudentiaque

Cracouiensis ditio principatui addita.

Pacificatio inter cognatos duces.

Cracouiensis nobilitatis motus cōtra Boleslaū principem.

Cazimiri moderatio & sapiētia.

sua potius, quàm armis exorientia bella amolientem. Nam cladem Prussicā, qua maximè offenderentur, non tam temeritate eius, quàm diuino permissu acceptā esse. Neminem neque tam fœlicem esse, neque tam omnibus horis sapere, quin offendat aliquando: Perturbari etiam interdum diuinitùs consilia principum, & benè consulta malè cadere, propter peccata populi. Quòd si deterius etiam aliquāto principatum administrasset, quàm administrarit, Boleslaus, ferri tamen eum conueniret, propter patris Boleslai optimi & maximi principis memoriam: in quem ingratissimi futuri essent, si progeniem eius, tolerabiliter tamē imperantē, de principatu, quē ille maiorem in modū auxisset, ornassetque deijcerent. Se quidem non modò non fore sociū eius consilij & periurij, verùm etiā summo conatu fratri coniunctissimo & beneficētissimo opitulaturū esse. Ita rursus gliscens ciuile dissidiū, Cazimiri grauitate & cōstantia sopitum est. Præerat tunc quartumdecimum annum Plocēsi ecclesiæ episcopus Vernerus, equestri Rosarū familia, integritate & sanctimonia vitę clarus, & eleganter eruditus: ei per vim & iniuriā Bolesta vir potēs & violentus, ex ea familia ortus, quæ soleā equi cū cruce altrinsecus superposita insigne gerit, Crascum pagū adimebat. Erat autē is castellanus Viznēsis, & oram illam Prussis finitimā pro Boleslao Crispo administrabat. Eū igitur comiter & blandè Vernerus per se & per amicos orat & admonet, ne vim faciat ecclesiæ. Vbi nihil proficit, in ius vocat: causam obtinet: in possessionem reponitur. Molestissimè id ferebat Bolesta, multaq; maledicta in mansuetum episcopū ingerebat, & necem ei machinari cœpit. Erat ei non modica cum vicinis Prussis cōsuetudo: q cùm non pauci fortè ad eum vel ius petituri, vel cōpotaturi conuenissent, acceptos lautè, & bene potos, promissis etiam oneratos, noctu ad obtruncandum Vernerū, qui tunc fortè ad Biscupice villam suā venerat, cum Benasso fratre suo germano misit. Peragunt illi iussa: effractisque portis, in cubiculo dormientem episcopū cum Benedicto monacho Benedictensis sectæ trucidāt. Delituerat per eū tumultū sub lecto episcopi puer cubicularius, is igitur authores sceleris prodidit. Re cognita, archiepiscopus Gnesnensis *Petrus, familia Srenauius, qui Ianico nō multo antè successerat, de consilio & voluntate cæterorum episcoporū toti prouinciæ suę sacris interdixit. Motus & atrocitate facinoris, & interdicto archiepiscopi Bo-

Vernerus episcopus Plocensis Bolestæ fraude occisus.

Bolestæ familia.

** Petrus archiepiscopus Gnesnensis.*

Interdictum archiepiscopi.

pi Boleslaus princeps, cōprehendi Bolestam, & ex vinculis causam dicere apud se, cōdemnatumq́;, in foro Gnesnēsi, vbi hęc agebantur, extructo rogo cremari iussit. Benassus verò post patratum illud scelus nusquam postea comparuit: creditūque est vulgò, eum terræ hiatu absorptum, meritum sancto episcopo supplicium expendisse. Verneri corpus Ploscum delatum, honorificè sepultum est. Nec ita multo pòst varijs & salutiferis hominum generi miraculis cœpit sepulchrum eius celebrari. Cui Lupus gente Gozembius, custos eius ipsius basilicæ, successit. Aliquot deinde annis, quibus vixit Boleslaus Crispus, quietæ fuerunt res in Polonia, neque memoratu dignum quicquā gestum est. Postea moritur Boleslaus, & Cracouiæ sepelitur, anno Christi 1173. cū principatum Poloniæ annos 27. tenuisset, vixisset sex & quadraginta, relicto vno filio Lesco, cui posterius Albi cognomen inditum est. Nam maior natu Boleslaus paulo ante patrem obierat. Moriens tutelam filij Cazimiro fratri commendauit, eumque hæredem filio substituit. Supellectilem autem omnem inter eundē fratrem, filium, & vxorē partitus est. Quo quidem anno etiā Stephanus tertius Geisæ filius Vngarorum rex vita excessit, cōtinuato ferè funere cum duobus patruis Ladislao & Stephano, qui alter post alterum infeliciter regnū eius inuaserāt. Huic autem frater germanus Bela tertius successit. Porrò sequenti anno cùm Vuladislaus rex Boemorum senio confectus, Fridericum filium natu maximum incōsulto Friderico Imperatore pro se regnū administrare iussisset, successorem ab Imperatore accepit Sobeslaum, Sobeslai filium patruelem suum, quem aliquandiu in vinculis asseruarat. A quo cùm sibi metueret, solum vertit cum vxore & liberis, & intra quartum mensem in Germania diem clausit supremum. Sobeslaus autem regio nomine abstinens, principatū paucos annos gessit. Ac totus tunc ferè orbis Christianus mutuis bellis collidebatur. Veneti quidem cum Vngaris & Orientis Imperatore Emanuele de Dalmatiæ dominatu decertabant. Idem autem Emanuel ab Alexandro pontif. max. non ignarus inimicitiarum eius cum Friderico Barbarosa magnis pollicitationibus ac donis Occidētis imperium ambiebat. In Anglia Henricus rex Thomā Canthuariensem archiepiscopum, virū sanctum, libertatem & immunitatem ecclesiasticam defendentem cùm occidisset, à filio regno pellebatur. Porrò Fridericus

Bolesta parricida viuus exustus.
Miracula ad Verneri sepulchrum.
Lupus episcopus Plocensis.
Boleslai mors. 1173. ann.
Lescus Boleslai filius.
Stephanus Vng. mortuus.
Bela rex Vng.
Vuladislaus rex Boemorum regno motus.
Sobeslaus dux Boemis datus ab Imperatore.
Veneti cum Vngaris & Græcis bellum gerunt.
Emanuel ambit Occidentale imperium.
Thomæ Cāthuarien. archiepiscopi cædes.
Angliæ rex regno pulsus.

Imp. Langobardiam & Italiam vexabat, Germaniæque motus ab Henrico Saxonum duce concitatos compescebat. Verùm nos à nostris ne longius recedamus. Ante obitum Boleslai Crispi, Gedeon gēte Gryphius, post Matthæum, hominem gulosum & helluonem, qui Roberto viro bono pioque Radosii successori, successerat, episcopus Cracouiēsis factus est: & ab archiepiscopo Gnesnensi Petro, vt tunc moris erat, assentiente Boleslao, cōfirmatus. Qui postea Kelce oppidum in remotis syluis condidit, in eoque templū secto lapide exædificauit, & collegium sacerdotum primariorum, quos prælatos & canonicos vocant, iuxtà ac vicariorum ibi instituit, cùm eis pagos ac decimas attribuisset. De Matthæo verò illud memoratur: Eum Boleslai principis nuncium, subsidium in sumptus belli postulantem, ad latrinam duxisse, & spurcè, ibi facultates suas reconditas esse, dictitasse. Per eadem ferè tempora Crusuiciensis cathedra Vuladislauiam translata est ab Honoldo italo, eius oræ episcopo.

Friderici Imp. acta.
Gedeon episcopus Cracouiensis.
Episcoporū confirmatio ab archiepiscopo.
Kelcense oppidū & collegiū à Gedeone episcopo conditū.
Matthæi episcopi Cracouien. ingluuies.
Vuladislauiam translata sedes episcopi.

MIECISLAVS SENEX.

Boleslai Crispi funebrib' exequijs peractis, conuentus Cracouiæ à fratribus eius, fratrisq́; Vuladislai filijs, & proceribus cunctis, de creando nouo principe instituitur. Et quanquam omnis eius oræ, quæ minor Polonia dicitur, procerum & equitum studia in Cazimirum inclinabant, vicit tamen maior pars, quæ Miecislaum, qui maiori Poloniæ & Pomeraniæ præerat, vtpote natu maiorem, nequaquam prætereundum esse censebat. Verùm is, qui puer ob grauitatem morum & prudentiam, Senis cognomen adeptus erat, suscepto principatu, prouecta iam ætate, spes hominum fefellit. Nam consultore malo Henrico Ketlicio vtens, initiò statim aspero & auaro dominatu hominū volūtates offendit, noua onera, noua vectigalia, & varias exactiones equitibus iuxtà ac plebeis imponens, & leuibus de causis, velut ob cæsum vrsum aut ceruum, captumue capreolum bonorū confiscatione multans. Solius enim tunc principis erant in Polonia oēs vbique venationes. Ad hęc, prefectos etiam suos & ministros aulicos in possessiones & facultates aliorū grassari aut iubebat, aut certè permittebat: neque afflictorū querimonias audiebat, sed eos inclemētiorib' dictis à conspectu suo repellebat. Iudicia & alia munera publica quæstuosè mādabat: ita vt mirū nō esset, plura peccari ab huiusmodi magistratibus, q̄ ab ipso principe.

Miecislaus mutauit mores.
Miecislai asper dominatus.
Venationes principis erant in Polonia.
Magistratuū peccata.

Ven-

Vendebant enim ij liberè quæ ipsi emerant. Audiebantur vulgò suspiria, gemitus, & querelæ calamitosorum hominū. Quibus permotus Gedeon Cracouiensis episcopus, vir magni animi & cōstantiæ, Miecislaum semotis arbitris adit, mixtisque cum grauitate blāditijs orat & admonet, placidè & benignè more maiorum vt regnet: contentusque vsitatis vectigalibus, & operis hominum, ne quid præterea à libero populo exigat: abhorrere enim vehementer animos popularium à nouis oneribus, quamuis leuibus. Magistratus ritè atque ordine idoneis hominibus mandet, neu quid iniustè aut crudeliter ab eis fieri patiatur. Eius enim periculo oēs eius vicarios & ministros peccare. Commemorabat nonnulla exempla domestica, vetustiora & recentia, quibus eum ab instituto deterreret. Sed nihil planè profecit, nisi quòd infensum eum sibi reddidit, & ita dimissus est, vt sua curaret: illa ad ipsum nihil pertinere. Additque princeps: non ad cuiusquam præscriptum, sed suo arbitratu se gesturum esse principatum. Tam superbè & procaciter reiectus Gedeon, haud remisit tamē solicitudinem subueniendi afflictæ patriæ, atque emendandi principis. Cùm autem apertis monitis suis præclusum esse aditum ad aures eius intelligeret, callidè cōminiscitur, quomodo eum ipsiusmet iudicio reuincat. Mulierē subornat, quæ sordido & miserabili habitu assumpto, vbi in conspectum principis venit, lamētabili voce & eiulatu ementito opem eius implorat. Motus eius lachrymis & importuno clamore Miecislaus, accitā, quid queratur, quidue sibi velit, rogat. Ibi illa: gregem se ouium numerosum habuisse, & filio cōmendasse, illū porrò mediastinis pascendū commisisse: eorū negligentia gregē à lupis dilaniatum, seque ad extremam inopiam inde redactam esse: rogare, vt cuius culpa damnum datum esset, ab eo præstaretur. Citati mediastini, qui pariter subornati venerant, negāt sua negligentia damnum datum esse, verùm adolescentis, qui priuignus, non filius esset eius mulieris, culpa. Eum enim venationi deditum, feros canes alere, qui soluti partim ipsi gregem laniarint, partim disiectum ac dissipatum lupis in prædam dederint. Eum igitur damnum præstare oportere: se neque canes abigere, neq; dispersis ouibus succurrere potuisse. Aderat & adolescens, crimenque in mediastinos referebat: se presidio gregi canes alere. Neque tamen satis illorum dicta refellebat. Cognita causa Miecislaus, cùm nonnihil cogitasset, condemnat matri siue nouercæ adolescentem damni infecti. Approbant, qui tum aderant senatores principis iudicium. Ibi tum Gedeon: Iustè, inquit, & sapienter iudicasti, princeps inclyte. Adolescens certè maternæ calamitatis & laniati gregis culpam sustinet, quippe qui eiusmodi canes apud gregem habuerit, & relaxarit, qui non modò præsidio gregi aduersus lupos nō fuerunt, verùm ipsi eum vel concerpserunt, vel certè dissiparunt, quo magis luporum morsibus esset obnoxius. Verùm tunc demum iusti & veri iudicis functus eris officio, si iudicatum ipse facias: & quæ in alios statuis, primus ipse in te præstes. In te ipse nūc iustā tulisti sententiam: te ipse condemnasti. Tu namque matrem tuam, rempub. Polonam florentissimā dudum & amplissimam, affligis. Te illa in lucem editum, ac tenerè educatum, ad hoc honoris fastigium extulit: Tibi gregem suum, seque ipsam curandam atque tuendam cōmendauit. Tu porrò gregem cum numarijs iudicibus & magistratibus tradis: tu feros canes, hoc est, acerbos & crudeles exactores & præfectos facultatibus & sanguine innocentium hominum saginas: quorū cæca cupiditate & asperitate fit, tenuiores vt à potentioribus, perinde quasi à lupis, impunè diripiantur & opprimantur. Hæc damna omnia ac incommoda reipublicæ abs te præstanda sunt, quemadmodum ipse iudicasti, si non humano, at diuino quidē certè iudicio: quod nemo, quamuis magnus, quamuis potēs, quamuis sapiens recusare potest, aut effugere. Quanquam autem te volente ac iubente ista fieri, vita abs te antè acta, cuius meritò Senis cognomen iam inde à puero meruisti, credere vetat, in te tamen omnis culpa hæret. Tu mali occasionem das, dū canes illos tuos non coerces, dum lupos nō persequeris, dum denique precio magistratus addicis. Resipisce igitur, & miseram sordidatamque matrem, afflictā rēpublicam, quam florentem accepisti, respice: ne eas perditum quam seruare debes. Si præstare præterita non vis, aut non potes, at in posterū ne quid loci querelis hominum relinquas. Ita autem existimato, per me tibi nunc vniuersam rempublicam ad genua tua accidentem supplicare. Quod si preces eius repudias, illa quidem fortasse diuinitùs salutem & præsidium nacta fuerit: at tu vltorem Deum experiêre, seueriorem fortasse, quàm cognominis tuus Miecislaus rex, quàm Boleslaus eius nominis secundus, maiores tui, quàm Vladislaus frater, quàm denique

Gedeon episcopus corripit principem.

Miecislai cōtumacia.

Sapiens commentum.

Gedeonis oratio liberior ad principem.

que omnes quicunque vsquam auarè & crudeliter dominati sunt, quando quidē eorum exēplis & exitu nō commoueris. Incēsus hac oratione episcopi Miecislaus, fremens è senatu sese proripuit, multa Gedeoni, multa cæteris senatoribus, qui Gedeonis dicta approbare videbantur, minitans, & plusculum iræ & odio suo indulgens. Grauior etiam deinceps hominibus esse pergit. Forte is in maiorem Poloniā proficiscebatur: eam occasionē nacti primores Cracouiēsis Satrapiæ, cùm auctam etiam esse monendo acerbitatem principis viderent, & minas atque sæuitiā eius cum animis suis reputarent, conueniunt certo loco, & secretò inter se de salute sua & reip. consultāt. Princeps Gedeon, amouendum esse principatu Miecislaum, tam præfractum & impotenter dominātem, censet. Eius sentētiam sequuntur cæteri: sed vnus oēs premebat scrupulus: quem ei successorē darent. Ibi Stephanus palatinus Cracouiensis Cazimirum Sendomiriensiū ducem nominat: grauitatem eius, humanitatem, facilitatem, iusticiam, solertiam, vigilantiam & animi moderationem prædicat, iudicium ac diligentiā in mandandis iudicijs & magistratibus, liberalitatem in remunerandis rectè factis, seueritatem in puniendis sceleribus & flagitijs etiam suorum ministrorum in primis laudat. Quàm sit fratris dissimilis, vel vno facto eius posse cognosci. Accidisse aliquādo, vt cū aulico quodā suo equite, Ioanne Conario, alea luderet animi oblectandi gratia. Incensum vtrunque vincēdi studio, in profundā noctem ludū produxisse: pertæsos deinde ludi & vigiliarū, vno iactu summam reliqui lusisse: vincentemque Cazimirum, & quod lucratus erat argentum non modicum auferentem, palma manus in faciem à Conario ictum esse: illumque noctis beneficio elapsum, postridie inuentum, & ad Cazimirum adductum. Clamantibus autem cūctis, eum capitis pœnam commeruisse, qui principis maiestatem minuisset: Nimè gentium inquit Cazimirus, eum occidi oportere, qui dolore grandis iacturæ „ incogitans deliquisset: & cùm fortunam, „ à qua damno affectus erat, vlcisci nō pos„ set, in se fortunę alumnum commotus es„ set. Se magis in culpa esse, qui conditionis „ suæ ac dignitatis oblitus, eum ad luden„ dum prouocasset. Non modò igitur se illum absoluere, verùm etiam ipsi gratias agere, quòd se ictu illo admonuisset, ne quid indignum principe in se admitteret, neu se ludo, aut vlli rei leui ac inhonestę deinceps daret. Sic igitur illum principem, seueriorem in seipsum, quàm in alios iudicem, homini à quo læsus erat, omniū iudicijs damnato, indulsisse. Quin & argentum omne quod ludo quæsierat, ipsi reddidisse. Ad eum igitur deferendū esse principatum: eum iure & more Miecislao succedere debere: eum fama virtutum suarum & gratia plurimum valere apud omnes ordines, ita vt ei nihil negocij futurum sit, vim Miecislai, si is principatum repetat, repellere. Si recuset, consensu suo & authoritate reipublicæ, cuius ipsi personam sustineant, vel inuitum cogendum esse, vt causam publicam suscipiat. Huic sententiæ cùm omnes assensi essent, indidem ad Cazimirum rectà contenderunt: eum recusantem, & pietatem suam, ætatisque fraternæ prærogatiuam causantem, & repudiatum à se prius eundem principatum commemorantem, excipiunt illi & refellunt, quòd dicerent, lōgè diuersam esse rationem huius temporis à superiori: quòd tunc quidem priuatorum quorundam consilio & conspiratione delatum principatum, non sine iusta sugillatione violari officij in optimè de se meritum, & iustè imperantem fratrem Boleslaum, accepturus fuerit. Nunc verò Miecislai mores atque tyrannidem publicè perosis omnibus, neque diutius ferentibus, à publico eum consilio rogari & flagitari, vt afflictæ & oppressæ patrię subueniat. Si persistat recusando, videat, ne ingratus & impius in patriam iudicetur, néue ea aliunde opem sibi petere necesse habeat. His atque alijs dictis vix tandem eum, vt postulatis suis annueret, impulerunt. Sic Miecislaus cùm non multū supra quatuor annos asperè & impotenter dominatus esset, absens principatu deiectus est, anno post Christum natū 1177. Quo quidem anno cùm Alexander tertius pontifex maximus Friderici imperatoris vim metuens, ad Venetos confugisset, & Otto Imperatoris filius cum classe Pontificem repetens, à Venetis victus & captus esset, pax Italiæ reddita est. In Asia verò Emanuel Orientis imperator in prælio quodam captus à Turcis, mox ex pacto dimissus, paulo pòst obijt, Alexium filium puerum adhuc heredem relinquēs. Quem cùm breui Andronicus tutor à patre datus, extinxisset, imperium vacās occupauit. Ad nostra reuertamur.

Miecislai cōtumacia.

Procerum de principe consultatio.

Cazimiri Sēdomiriensiū ducis laus.

Iustitiæ & moderationis insigne exemplum.

Cazimirus reluctans ad principatum vocatur.

Miecislaus quādiu principatum obtinuerit.

1177. ann.

Alexander Papa tertius fugit ad Venetos.

Otto Frid. Imp. filius captus.

Emanuel Cōstant. Imper. captus & mortuus.

CAZIMIRVS.

Cazimirus igitur ad ineundum principatum, redigendumque in suam ditionem Cracouiensem tractum, qui principatui peculiariter attributus erat, paruo comitatu profectus est: ne non acci-

tus, sed velut inuasor alieni, venire videretur. Venienti magna cum lætitia & gratulatione obuiam prodijt ingens omnis generis atque ordinis hominum multitudo, liberatorem & seruatorem eum salutans. Cracouiensis quoque vrbis atque arcis portæ ei apertæ sunt, & e uestigio nemine aduersante rerum potitus est. Certior autem de exclusione sua factus Miecislaus, cùm intelligeret summo totius conuentus Cracouiensis consensu Cazimirum fratrem receptum esse, & ita se comparare, vt nihil domesticas ipsius vires atque potentiam reformidaret, ad externa sibi auxilia confugiendum esse existimauit. Habebat magnas cum finitimis principibus necessitudines, plerasque affinitatibus constitutas. Nam generi eius erant Sobeslaus Boemorum princeps, Saxonum item atque Lotariorum siue Lotoringorum duces, quemadmodum vult Dlugossus. Ac apud Saxonas quidem Hericum, cuius mentionem superius fecimus, tunc dominatum esse, eundemque Norico, seu Bauariæ præfuisse reperio. De Lotaringo verò nihil constat: nec eum, aut quenquam alium, præter hos duos, Miecislao generum tunc fuisse Vincentius memorat, quorum is opem implorarit. Hi verò rogati, nihil tunc opis socero attulerunt, partim domesticis dissensionibus atque bellis, partim auxilijs Imperatori mittendis in Italiam & Asiam, quẽadmodum Dlugossus scribit, impediti. Sobeslaus quidem Boemus à Friderico Vuladislai defuncti regis filio graui bello premebatur: à quo etiam ad extremum victus, & principatu eiectus est. Saxonum verò dux Henricus cùm Fridericum imperatorem in Langobardia bellum gerentem deseruisset, & Germanos in eum concitaret, absens in comitijs Germanorum damnatus ab Imperatore, dominatu ferè omni exutus est, vt scribit H. Mutius. Nam Asiatica expeditio posterius à Friderico comparata est. Deiectum autem de spe externorum auxiliorum Miecislaum, ac de recuperando principatu solicitum, grauior etiam casus perculit. Otto enim filius eius natu maximus procerum quorundam fauore & ope fretus, maiorem etiam Poloniam, quæ in fide patris adhuc erat, occupatis nonnullis arcibus & munitionibus, ipsi eripuit: missisque ad Cazimirum legatis, in potestate eius fore se, & imperata facturũ recepit: iratus patri, quòd is præcipua quæque ditionis suæ natu minoribus filijs, è tertia vxore susceptis, destinabat. Lubens hoc accepit Cazimirus, & potiri paternæ ditionis Ottonẽ facilè passus est: Gnesnam modò, propter veterem loci dignitatem, quippe quę metropolis Poloniæ fuisset, in potestatem suam redegit. Exemplum Ottonis Pomerani quoq; proceres secuti sunt, & in Cazimiri fidem se contulerunt. Atque is citeriori quidem Pomeraniæ, in qua Gdanum, siue Dantiscum est, Samboriũ comitem, Zirę, quem Lesco puero fratris filio curatorem dederat, filium, vt vult Vincentius: vlteriori verò Boguslaum, gente Gryphium seu ducem, seu comitẽ præfecit. Quorum vterque posteriori tẽpore non pro præfecto, sed pro domino atque principe gerere se cœpit, conciliatis sibi popularium & vicinorum studijs. Quanquã perplexi hic sunt nostrates Scriptores, quod ad res Pomeranicas attinet. Nam qui hic Pomeraniam omnẽ à Miecislao ad Cazimirum deficientem duobus præfectis gubernandam mandatam esse scribunt, ijdem alibi ante hæc tempora Sobeslaum, & filios eius Mesciugum & Samborium duces Pomeranorum memorant. Boguslaum etiã à Criuousto Boleslao, Pomeranis & Cassubijs ducem datum esse testantur. Ad hæc Boguslaum patrem & filium, duces maritimæ oræ, generos Miecislai, Pomeranorum verò & Rugianorum ducum filias cum eiusdem Miecislai filijs nuptas fuisse produnt. Posterius autem Lescum principem Pomeranorum precibus exoratum, quòd ij quererentur nimis longè se à principe, Cracouiæ ferè degente, ius petere, Suentopelco Mesciugi ducis filio præfecturam Pomeraniæ cum summa potestate mandasse, & Gdanensem Succensemque palatinos ei parêre iussisse: atque eum ipsum denique Suentopelcum principatum Pomeraniæ arripuisse. Nos hanc difficultatem sic explicabimus. Pomeraniæ nomen latè patuit, atque etiam nunc patet, in eo tractu, qui est secundum sinum maris Venedicum, à Vistula flumine fermè vsque ad Chersonesum Cymbricam, ac Daniam, à Slauis siue Polonis eius oræ habitatoribus inditum: quasi quis dicat maritimam. Eam à suis ducibus longè ante hæc tempora gubernatam fuisse, testes sunt Saxo Grammaticus Danicæ historiæ scriptor, & Albertus Crantius: & nos etiam superius aliquoties indicauimus. E quibus Varcislaum, de Popieli fortasse posteris ortum, Boleslai Criuousti opera cum gente sua ad religionem Christianam conuersum fuisse, illi memorant. Nos etiam è Dlugosso & Vincentio

Marginal notes: *Miecislai conatus ad recuperandum principatũ.* — *Miecislai affines.* — *Boemici motus.* — *Sobeslaus principatu eiectus.* — *Henricus Saxo dominatu pulsus.* — *Miecisla° senex ab Ottone filio pulsus.* — *Gnesna Cazimiro conceditur.* — *Pomerania à Miecislao ad Cazimirum deficiunt.* — *Pomeraniæ præfecti.* — *Gdanẽsis & Succensis palatini.* — *Pomeraniæ descriptio et nomen.* — *Pomeraniæ vlterioris duces.* — *Varcislaus dux Pomer. Christianus.*

centio magnam Pomeraniæ partem, quę citerior est, ab eodē Boleslao subactam: vlteriori verò ad Odram flumen, vbi Stetinum est, Boguslaum (Varcislai illius, ni fallimur, filium) ducem datum, seu verius relictum esse, retulimus. Hic autem Boguslaus cùm à Friderico imperatore incitatus, Danos bello prouocasset, vt scribit Crantius, ab eis victus fractusque, Vologossum, Iulinum, Osnam, Camenum, & alia nonnulla minora oppida à Danis capta, amisit. Cætera, vt videtur, retinuit, cùm se ad Polonorum opes contulisset: in quorum fide & clientela metu Danorum deinceps etiam mansit. Citerior verò à præfectis Boleslai, ac deinde filij eius Miecislai, cognomēto Senis, administrata, cùm ad Cazimirum, vti dudum ostendimus, defecisset, ab eo Samborium satrapam siue præfectum accepit: qui & ipse postea pro principe se gessit, Oliuense monasterium vno ab vrbe Gdano milliario Cisterciensibus monachis condidit. Lescus deinde Cazimiri huius filius Polonię principatum adeptus, Suentopelcū Mesciugi (siue is Samborij frater, siue alio qui præpotēs in ea gente vir fuit) filiū, orę illi præfecit, ad quē ij Pomerani, qui à Danis subacti erant, defecerunt. Quo successu ille auctus & elatus, contemptis Polonorum viribus & imperio, principatum arripuit, aut certè à patruo patreq; suo dissimulanter vsurpatū, apertè & ex professo sibi vendicare & gerere cœpit, & ad posteros transmisit. Fieri autem potuit, vt librariorum errore Mesciugi & Samborij pater Sobeslaus pro Ziroslao, qui idem est Zira, apud Vincentium ac Dlugossum legatur. Nec inusitatum est Dlugosso tēporum rationem peruertere, & nonnullos non suis titulis appellare. Quod hic quoque accidere ei potuit, nempe vt ante hæc tempora ducum nominibus appellauerit eos, qui posterius ea vsurparunt: & generos affinesque Miecislai vocarit, qui postea facti sunt, vel etiam nunquam fuerunt. Vincentius quidem Mesciugum duntaxat quæstorem & generum fuisse Miecislai memorat. Recuperauêre deinde Poloni magnam Pomeranię citerioris partem. Nec paruam Marchiones Brandenburgenses interuertêre, quod vtrumque suis locis narrabitur. Vlteriorem verò partim à Saxonibus Mechelburgen. & iisdem Marchionibus accisam, partim citerioris detrimentis auctam, duces etiamnum retinent: sed stirpis Germanicæ, & Romano Imperatori non ita pridem facti obnoxij. Fuêre aliquando etiam in clientela regum Polonię, quemadmodum ostendetur inferius. Suntque modò quoque, Bythouiæ arcis, & Lemburgi oppidi, ac totius illius territorij nomine. Sed nos ad nostram historiā cursum reflectamus.

Boguslaus dux Pomeranorum à Danis victus. *Boguslaus in clientela Polonorum.* *Pomeraniæ citerioris ducum origo.* *Samborius satrapa.* *Oliuense monasteriū conditum.* *Suentopelcus præfectus Pomer. principatum arripuit.* *Dlugoßi iniuria.* *Mesciugus quæstor & gener Miecislai.* *Pomerania ditionis Polonicæ.* *Pomeraniæ fines mutati.* *Pomeraniæ duces cliētes imperij Pol.*

Pulsus & exclusus omni suo dominatu Miecislaus, Ratiboriam cum vxore & liberis se recepit. Inde ad Fridericum imperatorem affinem suum profectus, cùm nequicquam opem eius implorasset, propterea quòd is & Italicis rebus distinebatur, & in Asiam expeditionem parabat, reuersus, & omni auxilio destitutus, ad fratris misericordiam per internūcios confugit. Nec sanè durum se & inexorabilē Cazimirus fratri calamitoso & supplici, & summo principatu se abdicanti, suamque modò portionem petenti, præbuit. Indignū enim iudicabat, fratrem nihil malè vnquam de se meritum, filij scelere omnibus fortunis exutum, exulare & egere: commouebat etiam eum ingens illa in fratre fortunæ mutatio, & inconstans humanarum rerum conditio. Itaque ad senatum de reuocando Miecislao, & ad dominatum suum restituendo refert. Grauiter senatus, & non obscuro murmure eam orationem principis excepit: petitoque seorsum ab ipso colloquendi & consultandi spacio, obiurgat principem, quòd priuatum officium publicæ saluti atque trāquillitati anteferret, præsentemque pestem optimè de se merenti patriæ, ac sibi ipsi quoque vellet accersere. Illum nunquam conquieturum, neque vllam recuperandi summi principatus occasionem prætermissurum esse: nihil de moribus & crudelitate sua mutaturum, eiectionis suę recordatione. Desineret itaque restitutionis illius mentionem facere, aut ipse quoque sibi ab infensa Miecislao multitudine caueret. Hoc responso senatus deterritus Cazimirus, gratias agere de tam constanti erga se voluntate, neque quicquam deinceps apertè de reuocando Miecislao mouere: clàm tamen, vincente misericordia & pietate, impensius ipsi fauere, & vt sibi aliqua ratione prospiceret, monere: non aduersante se id facturum esse. Habebat Miecislaus filiam nuptam cum Mesciugo, cuius mentionem paulo antè fecimus, siue is oræ maritimæ princeps fuit, siue satrapa & quæstor Miecislai in Pomerania, quemadmodum Vincentius prodidit, qui eum Miecislao in illa demum aduersa ipsius fortuna generum factum esse indicat. Florebat autem is opibus & gratia populari inter Pomeranos. Eius igitur opera reconciliatis sibi Pomeranis, & collecta aliquanta manu, inopinantibus omnibus Gnesnam intercepit: nec mo-

Miecislai exilium. *Cazimiri pietas.* *Senatus principi aduersatur.* *Miecislaus Pomeranorum ope ditionem suam recuperat.*

ra, complures alias munitiones partim vi, partim per deditionem recepit, non ignaro, verùm conniuente Cazimiro. Quibus rebus consternatus Otto, petita & impetrata venia, patris potestati sese omniaque permisit. Sic Miecislaus post biennium rursus omni dominatu suo à patre attributo potitus est.

Otto Miecislao patri reconciliatus.

Cazimirus verò initio statim principatus sui, vectigalia illa & labores, cæteraque onera, quibus instituendis & exigendis Miecislaus offenderat, sustulit: iudicia correxit: magistratuũ licentiam coercuit: infinitamque potestatem circumscripsit: calumniatores vel exilio multauit, vel inusta fronte aut facie notauit.

Cazimiri studia digna principe.

Ad maiora deinde animum intendit. Inoleuerat superiorum principũ negligentia & conniuentia prauus & barbarus mos apud proceres & equites Polonos, vt iter facientes, quotiescunque & vbicunque collibitum esset, agros atque prata agrestium & oppidanorum depascerentur, ac non modò pabulum, sed etiam victum omnem ipsis imperarent, siue adeò ipsi effractis horreis atque cellis per vim auferrent: neque contenti quantum libuisset absumpsisse, reliquum etiã maliciosè profundebant, dissipabant, & corrumpebant: iumenta è pascuis & stabulis, atque etiam iuncta curribus & aratris vtenda, vel potius ad cursum abutenda abducebant: eaque vel defatigata & enecta dimittebãt, vel si fortè placuissent, retinebant & vsurpabant.

Barbara procerum immanitas lege abrogata.

Ad hæc, in possessiones & facultates morientium episcoporum, ac cæterorum sacerdotum inuadebant, easque diripiebant. Quin & præfecti principis idem faciebant, & principis horrea, prædia, fiscumque facultatibus, quæ cultus diuini administris & egentibus dedicatæ erant, augebant. Hæc quamuis iniqua, iniusta, crudelia & impia, quamuis acerba miseris hominibus & intolerabilia, tamen quia longa consuetudine inueterauerant, legisque vim propemodum obtinebant, & à proceribus, quibus erant vtilia, defendebantur, perdifficile erat abrogare.

Ecclesiastica bona vexata.

1180. ann. Nihilominus anno Christi 1180. comitijs apud Lenciciam habitis, omni cura studioque contendit & perfecit Cazimirus, & legẽ pertulit, qua barbarici illi, & indigni Christiano populo mores & abusus omnino sublati sunt.

Comitia Lẽciciæ.

Ac ne quando resumerentur, octo episcopi, qui in ijs comitijs aderant, de synodi eam ob rem institutæ sententia graui anathemate, audiente & assentiente vniuerso conuentu execrati sunt, dirisque deuouerunt, quicunque in posterum agricolæ cuipiam pabulum, annonam, obsonium, iumentúmue vi aut arte aliqua, præterquam ad hostium aduentũ denunciandum, rapuisset, rapiue iussisset: item qui in bona episcoporũ & sacerdotum decedentiũ inuasisset, aut inuasorem recepisset, adiuuisset, defendisset, quocun que is tandem esset genere, honore, ac dignitate, etiam summa præditus.

Synodus Lẽciciæ.

Execratio vim facientiũ bonis ecclesiasticis, & agrestiũ.

Fuêre verò episcopi qui hæc decreuerunt, Zdislaus archiepiscopus Gnesnensis, qui non multo ante Petro defuncto successerat, Gedeon Cracouiensis episcopus, Ziroslaus Vuratislauiensis, Onoldus Vuladislauiensis, Cherubim Posnaniensis, Lupus Plocensis, Conradus Camenẽsis, Gaudentius Lubussensis.

Episcopi Poloni.

Zdislaus archiepiscopus.

Interfuerunt etiam ijs comitijs Otto Posnaniensis, Boleslaus Vuratislauiensis, & Lescus Masouiensis, duces. Deinde legati ex eo conuentu ad Pontificem maximum, de confirmando salutari illo & pio decreto simul & constitutione missi, facilè quod petebant ab Alexandro tertio impetrarunt. Domesticos quoque motus quosdam per ea tempora excitatos optimus princeps placidè & sine bello composuit, ita vt nulla non pars reipublicæ curata, ac melius, quàm dudum, constituta esse videretur. Obtinebant Silesiæ dominatum certis ac distinctis finibus Vuladislai filij, quemadmodum superius exposuimus. Ex his Miecislaus sorte sua non contentus, Vuratislauiam Boleslao ademerat: verùm Cazimirus inter eos pacem fecit, & Boleslao quidem Vuratislauiam restituit: Miecislao verò, quo æquiori animo conquiesceret, Osuencimense territorium de suo largitus est: filiumque tunc ei natum è sacro fonte suscepit, & de suo nomine Cazimirum appellauit.

Silesiorũ duces reconciliati.

Osuencimẽse territoriũ Silesiæ additum.

Nam quod Dlugossus etiam Bythomiense territorium Miecislao tunc à Cazimiro donatum esse scribit, non placet. Iam inde enim ab initio ille id adeptus erat, sicuti nos ex eiusdem Dlugossi sententia suprà memorauimus. Subdit idem Dlugossus, Brestensem, Drohicinensem, Vuladimiriensem & Præmisliẽsem oram omnem, quæ non parua est pars Russiæ, tunc à Cazimiro in potestatem redactam esse.

Rußiæ pars recuperata Polonis.

Ac Brestensem quidem, cùm à Polonis defecisset, à Cazimiro mox receptam esse, etiam Vincentius, quo viuente hæc acta sunt, memoriæ prodidit: de cæteris nullã facit mentionem. Verùm Drohicinensem non incredibile est pariter in potestatem Polonorum venisse, quippe quæ Brestensi proxima sit: Præmisliensem necessarium etiam, si ad hostes reciderat. Neq; enim penetrare ad Haliciã cum exercitu

Breste Lituaniens. receptum à Polonis.

Cazi-

Cazimirus potuit, vt statim exponemus, nisi per Præmisliensem terram. Cæterùm Vuladimiriensem tractum, posterius victis prælio Russis, vt mox dicemus, cum duce Romano in fidem eius venisse credibile est. Adfuit quidem Romanus Cazimiri filio Lesco, quod suo loco indicabitur, ex fœdere euocatus. Addit Dlugossus, Cazimirum Breste oppidum intra duodecimũ, posteaquã id oppugnare cœpit, diem, potitum esse: authores defectionis capitis pœna affecisse: arcem supra oppidum extruxisse, eique præsidium imposuisse: atque hæc anno Christi 1182. acta esse. Inde porrò ad Haliciam duxisse exercitum, Mescislaum ducẽ, quasi nothum à fratribus pulsum, reducentem. Molestè ferebant eam expeditionem plerique proceres, fortassis recordatione cladis apud illud ipsum oppidum Criuousto Boleslao regnante acceptæ: mussitabantque, se ad externum & iniustum bellum pro notho cõtra iustos duces & hæredes procul domo educi. Hæc ad Cazimirum cũ perferrentur, dissimulauit, & in proposito perstitit. Ad Haliciam ventum erat, cũ nunciatur, Vuseuolodum Belsensium, & Volodimirum Haliciensium ducẽ Mescislai exulis fratrem cum magnis cõpijs, ac cæterorum Russorum auxilijs appropinquare. Tunc verò apertè nostri fremere in principem, & in Nicolaum palatinum Cracouiensem ductorem exercitus, velut authorẽ illius expeditionis: queri, se planè prodi hostibus. Contrà Russi alacres, & pleni bonæ spei ex responsis sagarum, magorum & aruspicum, quibus ea gens, quamuis Christiana, apprimè dedita est, prospera omnia suis pollicentium, conuitijs nostros lacessebant. Nihil his commotus Cazimirus, paucis pro tempore milites ad prælium capessendũ cohortatur. Eosdem esse hostes, quos ipsi cùm aliàs sæpenumero, tum superioribus aliquot annis apud Posnaniam fratrib⁹ suis ducibus pauci multos vicissent atque profligassent: alacritatem illam inconsultæ temeritatis, conuitia verò mulierositatis „ esse argumentum. Ipsi, qui se viros sem„ per, quàm mulieres esse maluissent, ma„ nu, ferroque maledicas linguas vlciscere„ tur: seque indignos esse illis maledictis, di„ gnos maioribus suis Russiæ domitoribus „ ostenderent: & manibus partim patrum, „ partim propinquorũ suorum, qui ijs ipsis „ in locis nõ virtute, sed dolo ac proditio„ ne victi cecidissent, sanguine perfidorum hostium parentarẽt. His animatos in aciẽ educit: ac sinistro quidẽ cornu Palatinum Cracouiensem præficit, ipse verò dextrũ administrat: nec mora, signis canere iussis, pugnandi potestatẽ facit. Explicant & Russi suas acies: concurritur infestis animis, ac durum prælium committitur. Premebantur nostri in sinistro cornu à sagittarijs, nec iam satis seruabant ordines. Ibi Cazimirus re intellecta, subsidiũ suis laborantibus submittit: siue adeò ipse satagẽs, vt scribit Vincentius, magno vitæ suæ periculo succurrit, & inclinatam aciem vix restituit. Reprimuntur feroces Russi, & mox commutata fortuna, pedem referre incipiunt. Instant nostri acrius turbatis ac trepidantibus: & cohortati sese mutuò, in fugam eos conijciunt. Quo animaduerso cæteri, qui dextrũ nostrorũ cornu adhuc sustinebant, terga vertũt & ipsi. Persequũtur nostri: maiorem longè in fugientib⁹, quàm dudum in resistentibus, stragem edunt: permultos viuos capiunt: duces hostium, commutando equos euasêre. Dein de reuersi nostri, castra opulenta diripiũt: Halicienses mox deditionem fecêre. Quibus Cazimirus Mescislaum ducem præficit, accepto ab eo iureiurando, quòd semper in fide & clientela principum Poloniæ futurus esset. Aliquãto aliter hęc prodit Vincentius. Nempe statim post receptum Breste, Cazimirum de aduentu hostium certiorem factum, dissipatis suis, cũ parua manu ferociter & animosè in multos & instructos impetum fecisse, & per hostilem aciem cum victrice aquila pene trasse. Id conspicatos cæteros Polonos, & ipsos perturbatis hostibus institisse: atque ita parta victoria, fugatisque hostium ducibus, Cazimirum ad Haliciam contẽdisse, eiusque dominatum Mescislao sororis suæ filio tradidisse. Dum hæc in Russia geruntur, Miecislaus senex, iam antè ad omnem recuperandi summi principatus occasionem intentus, & multa sæpe apud suos de Cazimiro fratre questus, conatusque clàm procerum animos ab eo alienare, ac sibi adiungere, tunc verò absente Cazimiro magis etiam curam atq; cogitationem suam omnem in id studium intendit. Lescum Boleslai fratris filium blanditijs captabat, Ziramque comitem, qui curator Lesco à Cazimiro datus, Masouiam atque Cuiauiam omnem, & Lesci consilia gubernabat, muneribus & ingentibus promissis, fallacibusque dictis induxit, vt ipse à Lesco, qui lento morbo consumebatur, hæres scriberetur, tutorque, reiecto Cazimiro, nuncuparetur. Videbat enim permultum rebus atque viribus suis accessurum esse, si Masouiã & Cuiauiam sibi adiunxisset. Et expugnata quidem est adolescentis constantia, curato-

1182. ann: Haliciense bellum.

Polonorum fremitus.

Russi magis & sagis dediti.

Cazimiri oratio ad milites.

Cazimiri victoria de Russis.

Mescislaus in Haliciensem principatum restitutus, in fide & clientela Polonorum principum se fore promisit.

Miecislaus Masouia & Cuiauia potitur.

Zira curator Lesci.

Miecislaus hæres à Lesco tutorque scriptus.

ris persuasione, quod verebatur is, ne paulo pòst à curatione illa, Miecislai authoritate amoueretur. Asseuerabat enim Miecislaus, conuenisse sibi secretò cum Cazimiro fratre, vt ipse pro interuerso principatu ius succedendi Lesco haberet. Igitur cùm à Russica expeditione Masouij & Cuiauij reuertissent, iurant omnes in verba Miecislai, iubente Lesco. Id cùm accepisset Cazimirus, nihil temerè & præcipitanter agere: verùm tacitus apud se, quidnam facto opus esset, cogitare. A ciuili quidē bello vehementer abhorrebat. Insultare ipsi plerique proceres, quòd intempestiua lenitate sua & misericordia eò redactus esset, vt hostem experiretur, cui ipse impensius indulsisset, quemque meritò pulsum exulem pati nequiuisset. Ferebat autē hæc æquo animo Cazimirus, & quauis alia ratione, quàm armis, fratrem, & alterius fratris filium sanare, & ius suum recuperare malebat. Et citò sanè mansuetudini & lenitati eius fortuna respondit.

Cazimiri lenitas & mansuetudo.

Nam vt Miecislaus curationem Lesci ac dominatus eius administrationem inijt, amouit veteres præfectos & magistratus in Masouia & Cuiauia, nouosque arbitratu suo instituit, ac pro domino, non pro curatore gerere se cœpit. Molestè ferebat Lescus, negligi se, viuentemque dominatu suo penè excludi: Zira verò authoritate sua excidisse se, & ad extremum contēptum spretumque iri animaduertebat. Vtrunque pœnitebat præcipitis consilij, quo se ab optimo & benignissimo principe Cazimiro alienassent, & vltimam patris voluntatem temerè immutassent. Ad hæc, quo magis insignem illam iniuriam dissimulabat Cazimirus, hoc magis irā & potentiam eius reformidabāt. Itaque optimum factu rati, malè consulta emendare, ad Cazimirum cum primoribus Masouijs & Cuiauijs proficiscuntur. Fatentur peccatum: excusant imprudenter verius, quàm maliciosè factum: deceptos se esse, & in fraudem inductos à Miecislao, quòd ei credidissent affirmanti, ita sibi cum Cazimiro constitutum esse, vt ipse Lesco hæres fieret. procidunt: errati veniam petunt: orant, & obsecrant lachrymantes, vt se in gratiam fidemque reciperet: deierant fore se deinceps semper in potestate eius, & Miecislaum cum magistratibus eius propulsuros. Ignoscit Cazimirus supplicibus, comiter prius castigatis, & quòd resipuissent, collaudatis. Inde Lescum amplexatus, exosculatus, & ampliter muneratus, flens dimittit, & ad recipienda sua reuerti iubet. Atque ita ille fecit, & vix biennium postea vixit. Cùm autem diuturno ac perpetuo morbo exhaustus, destitui se viribus & vitali vigore sentiret, Cazimirum ad se accersijt, & se viuente Masouiæ & Cuiauiæ possessionē adire iussit, ne quid postea Miecislaus turbaret. Mortuus, Plosci à Cazimiro honorificè sepultus est. Ex eo tempore Masouia semper, Cuiauia etiam aliquandiu deinceps in ditione Cazimiri, & posterorū eius permāsit.

Lesci pœnitentia.

Cazimirus Masouiā & Cuiauiam redigit in potestatem suā. Lescum mortuum.

Aegrè successionem illam Cazimiri tulit Miecislaus, quod diceret, iure se quoque è semisse fratris filio hæredem esse. Sed tamen gratiam & potentiā Cazimiri reueritus, quieuit. Anno deinde post Christū natum millesimo cētesimo octogesimoquinto bellum Russicū, & ex eo natum Vngaricum Cazimirū excepit, ex huiusmodi causa. Mescislaus ad Haliciensem principatum à Cazimiro, quemadmodum dudum exposuimus, reductus, vix exacto triennio propter impotentem dominatum, & quòd Polonos milites circum se præsidij causa habebat, in eosque erat propensior, parum fidei suis habens, veneno sublatus est, & reuocatus Vulodimirus ex Vngaria, quò se ex aduerso illo Haliciensi prælio receperat.

1185. ann.

Mescislaus dux Haliciēsium veneno sublatus à suis.

Atque is quòd audierat Romanū Vuladimiriensium ducem, fratris sui filium, à Cazimiro Polonorum principe missum Haliciam contendere, commeatum, auxilia & reductionem à Bela rege Vngarorum petijt. Sed non modò non impētrauit, verùm etiam in vincula coniectus est: missusque celeriter cum non contemnenda manu à Belà Andreas filius, qui Haliciam in ditionem suam redigeret. Venienti Andreæ magno cum plausu Halicienses portas arcis aperiunt, rati Vulodimiri eum, non suam rem agere: præsertim affirmante illo, Vulodimirum pònè se sequi. Occupata arce, profitetur id, quod erat, non Vulodimiro, sed sibi se dominatum quæsiuisse. Deinde iurare omnes in verba sua cogit. Renuentes, aut cūctantes modò capit: cęteros arce excludit, magistratibus amouet: ac per suos Vngaros omnia administrat.

Vulodimirus à Bela rege Vngariæ captus.

Vngari Haliciam interuertunt.

Cæterùm Vulodimirus tam apertè circumscriptus à Bela, cùm biennium ferè in custodia asseruatus esset, corruptis custodibus effugit, ijsdemque ducibus atque comitibus Haliciam peruenit: sed arce tamen potiri non potuit, tenentibus eam ac defendentibus Vngaris. Confluxēre mox ad eum Russi, cum quibus viciniam omnē latrocinijs infestare cœpit, ingentesque prędas hominum, pecudum & iumentorum etiam è Præmisliensi tractu, qui tunc in ditione Cazimiri & Polonorū erat, agebat.

Vulodimirus elapsus principatum Haliciensem repetit.

Non

Cazimirus Russos latrocinantes reprimit. Non tulit id Cazimirus: verùm misso cũ expeditis copijs Nicolao Cracouiẽsi palatino, prædatores illos persecutus, in remotiores syluas ac montes, quibus Polonia & Rußia ab Vngaria disiungitur, propulit. Cùm autem in angusto res suas positas esse Vulodimirus secum perpenderet, iamque non tam de recuperanda Halicia, quàm de salute sua cogeretur esse solicit⁹, damnabat ipse consiliũ suum, quòd Russos atq; Polonos, à quibus auxilium sperare debuerat, parui compendij causa in se prouocasset. Respicere deinde ad Cazimiri clementiam cœpit: ad quem cùm petita per internuncios fide venisset, facilè non modò veniam, sed etiam auxilium impetrauit, dato iureiurando, se in fide & potestate Polonorũ semper fore. *Vulodimirus à Cazimiro reducitur.* Mittitur ad eum reducendum cũ valido exercitu Nicola⁹ palatin⁹, miratibus cũctis tantã in Cazimiro vel facilitatẽ, vel leuitatẽ animi, atq; temeritatem, quòd hostem adiutum iret, amicumque regem, & quidem præpotentem bello lacesseret. Verùm Cazimirus non tam misericordia exulis & supplicis Vulodimiri cõmouebatur, quàm ꝙ sibi surreptam esse Haliciensem ditionem per iniuriam atque fraudem, doleret: cuius recuperandæ primam occasionem, Rußis ipsis, qui Vngarorũ dominatum iam oderant, inuitantibus & fauentibus, nõ amittẽdam sibi esse iudicabat. Coniungunt secum nostris Rußi, pariterque corona Haliciam obsident, foßisq; & castellis circummuniunt, ne quid ad obsessos importaretur, quos nouerãt breui difficili annona vsuros esse. *Halicia obsessa à Vulodimiro.* Alacres initiò obsidionem atque omnia incommoda ferebant Vngari, qui arcem tuebantur, quòd propediẽ Belam regem cũ magnis copijs ad liberandum filium affore sperabant. Sed cùm is moraretur, nec iam alimenta obsessis suppeterent, deditionem fecère, pacti cum Nicolao palatino, vt sibi cum rebus suis saluis discedere liceret. *Vngari Halicia eijciuntur à Polonis.* Excedentibus adiunxit Palatinus præsidium militum vsque ad fines Vngariæ, ne quid hostile paterentur. Arx & dominatus Vulodimiro tradita sunt. Magnam ea victoria & restitutione Vulodimiri laudem atque gloriã apud exteras gentes, & maximè apud Russos Cazimir⁹ adeptus est, quòd, quem Bela hospitem violarat ipse hostem, deuicto ac eiecto maximi regis filio, in paterna sede collocasset. Hoc anno, qui fuit à natali Christi 1188. *1188. ann. Hierosolyma à Saracenis capta.* Hierosolyma à Saladino potenti & bellicoso Saracenorum rege capta sunt, post octauum & octogesimum annũ, posteaquã in Christianorum potestatem redacta erant. Eam ob rem Clemens tertius pontifex max. de recuperanda ea vrbe solicitus, cùm omnem, quòd dicitur, moueret lapidem, Poloniæ quoq; totius ecclesijs, episcopis & sacerdotibus decimam, misso ad id legato, imperauit. *Decima imperata ecclesiasticis à pontifice.* At Bela rex non ferens contumeliam oppugnati, obsessi & eiecti filij, ereptæque Haliciæ, quærebatur violata à Cazimiro fœdera, quæ Vngari cum Polonis ex multo tempore sanxissent, & ad illud vsque tempus seruassent. Et iustum quidem in Polonos bellum maiore vi moliebatur: tunc autẽ misso, quem ad manum habebat, exercitu, Poloniæ fines depopulat⁹ est. *Vngaricum bellum.* Idem fecerunt nostri vicißim in Vngaria. Vastabantur vtrinque agri, exurebantur villæ, diripiebantur vici & oppida, miseri agricolæ & mercatores in seruitutem ab ducebantur, greges & armenta abigebantur. Grauiter id ferre nostri, fremere contra principẽ, violatã ab eo cum Vngaris pacẽ & amicitiam, exsuscitatumq; minimè necessarium bellum perfidi hostis gratia: quem nõ adiutum ac restitutum, sed supplicio, propter temeritatem vexã tamque Poloniam, affectum esse oportuerit. Ne Vngaris quidem bellum illud placebat. Et distinebantur ij tunc bello Dalmatico cum Venetis gerendo. *Vngari cum Venetis de Dalmatia bellum gerunt.* Quod tamen ipsum quoque Clementis pontificis max. opera duorum annorum inducijs interceptũ est. Concitabat enim tunc is pontifex omnes Christianos principes atque ciuitates, ad recuperandam Hierosolymam, ferẽdamque rebus Christianorum in Asia afflictis opem. Effecitque, vt Veneti & Pisani classes suas in Asiam mitterent, Fridericus verò Imperator, Philippus Gallorum, Guilelmus Siciliæ, & Ricardus Anglorum reges, Otto dux Burgũdiæ, & plurimi ꝑterea principes viri & episcopi, ipsi ꝑ se cũ magnis copijs eò proficiscerentur. *Christianorũ expeditio in Syriam.* Sed ea quoq; expeditione nõ multũ operæprecij factũ est. Nam plurimi mortales de exercitu Christiano morbis, peste fameque absumpti sunt, multi à barbaris trucidati. Fridericus verò in Armenia minore, dum se in flumine quodam abluit, vi fluminis & vortice correptus, extinctus est anno Christi millesimo centesimo nonagesimo. *Friderici imp. mors.* *1190. ann.* Porrò Gallus cum Anglo, & Veneti cum Pisanis ex eo tempore postea diuturnis & grauibus bellis inter se conflictati sunt. *Gallorum cũ Anglis & Venetorum cum Pisanis belli origo.* Sed vnde digressi sumus, reuertamur. Igitur Vngaris iuxtà ac Polonis à mutuo bello abhorrentibus, agitur de pace per proceres vtriusq; gentis. Quæ cũ difficilius coi-

ret, quòd vtriq; ab alteris iniuria se affectos asseuerarent, tandē triennes induciæ fiunt, vt interim de pace per ocium constitueretur. Collegerat permultum odij Cazimirus apud plerosque proceres atq; equites illa Vulodimiri restitutione, & bello Vngarico. Igitur cū is fortè in Russiam controuersiarum quarundā de finibus inter Vuseuolodum Belsensium, & Romanum Vuladimiriensium duces cōponendarum causa profectus esset, celeri ter cōtra eum conspirarunt. Mieciſlaum accersunt ad recipiendum amissum principatū: & quo magis studia populi in eū inclinent, fingūt Cazimirū in Russia veneno extinctū esse. Accurrit propere Miecislaus: recipitur à proceribus, præfectis, & cætera multitudine. Cracouiam venienti, portæ urbis aperiuntur: arcis verò aditu arcetur à Fulcone episcopo & Nicolao palatino fratribus, familia Lissijs, siue Vulpijs, qui à conspiratione illa alieni, firmo eam arcem militum & clientum suorū præsidio tenebant. Nec mora, aliam ex aduerso illius arcem in oppido excitauit Miecislaus, è materia duroq; robore: Bochnæ itē aliam: de quarum munitionibus aduersariorum & Cazimiri conatus reprimeret, ac ipse vicissim aduersarios impeteret. At Cazimirus certior factus de defectione suorum, auxilia Vulodimiro, Romano & Vuseuolodo imperat, ipsosque duces proficisci secum iubet: præterea quantum potest voluntariorum & mercenariorum milítum cogit. Cum his copijs Cracouiam contendit: coniungit se cum eo Nicolaus palatinus, cum non cōtemnenda manu. Miecislaus, vbi appropinquare Cazimirū cū valido exercitu cognouit, Boleslaū filiū cum Henrico Kitlicio, qui ipsi cùm aliorum consiliorum, tum repetendi principatum semper author fuerat, in præsidio nouæ arcis relinquit: ipse in maiorem Poloniam maioris exercitus comparandi causa, magnis itineribus contendit. Verùm antequam ille veniret suis suppetias, Cazimirus summa ope adnisus, nouam arcem vel expugnauit (nam variè traditur) vel ꝑ deditionem accepit & exussit. Fratris quidem filio & plerisque omnibus aduersę partis militibus nō modò vitam & libertatem concessit, verùm etiam ampla munera largitus est. Qua indulgentia & clementia sua ita sibi cùm omnium, tum in primis Miecislai fratris animū deuinxit, vt nūq̄ is deinceps, quoad vixit Cazimirus, de repetendo principatu cogitarit. Cęterū Kitlici⁹, cùm culpā illius belli sol⁹ sustineret, sup-

Induciæ cū Vngaris.

Miecislaus senex à minoribus Polonis ad principatum reuocatur.

Cracouia arx clauditur Miecislao.

Cazimirus principatum recuperat Russorū auxilio.

Clementia Cazimiri.

plicioq; destinatum se esse intelligeret, in penetralia primarij tēpli, q̄ Trinitatis appellatur, Cracouiæ se abdiderat. Sed Russis victoriæ fiducia, innata auaritia ad diripiendum tēplum irruentib⁹, in turbā se immiscuit, vt ignotus effugeret. Verū tumultu Russorū, interuentu Cazimiri sedato, defensoque thesauro tēpli, Kitlici⁹ in turba agnitus & cōprehensus, Romano duci à Cazimiro traditus est in exiliū deportādus. Russi præmijs affecti, domos remissi sunt. Cum Vngaris deinde certa pax constituta, siue adeo innouata est, & principum ipsorum cōgressu apud antiquū pagum in Scepusiensi territorio cōfirmata, ea lege, vt obliteratis vtrinq; iniurijs, & cōdonatis inuicem offensis, rex Vngarorū Haliciēsi ditione & Russia omni se abstineret, communes amicos, cō munesq; hostes Vngari & Poloni haberēt: ad extremū proceres & principes ipsi donis inter se certarūt, cōuentumq; amicè soluerunt. Pacatis domi reb⁹, Cazimirus Prussis ijs, quos Polesianos vocant, sicut scribit Vincētius, bellū intulit, vt cladem sub Boleslao Crispo acceptā, fratrisque Hērici mortem vlcisceretur, & gentē barbaram atq; rebellem domaret. Secuti sunt ipsum ad eā expeditionem Boleslaus Miecislai, Boleslaus altus, & Miecislaus Vuladislai, fratrum filij. Vbi ad fines barbarorum ventum est, cautius exercitū ducere Cazimirus, instructaq; acie, & exploratis itinerib⁹ progredi, pabulatum & frumentatum non nisi cū armatorum præsidio mittere: omnia denique circūspicere ne quid detrimēti per insidias à vafro hoste acciperet. Nec sanè cassa fuit ea cura atque diligentia. Obseruabant.n. nostros ex insidijs barbari, ad omnem occasionē bene gerendæ rei attenti. Sed in irritū ipsis cadebāt omnes conatus atq; doli. Nostri quàcunque proficiscebantur, incendijs atq; cædibus omnia vastabant, nec vlli ætati aut sexui parcebāt, iusta ira & memoria cæsorum suorum animos omniū extimulante. Quibus malis victi Prussi, pacem supplices à Cazimiro petiuerunt: parci reliquijs suis flagitarūt: superiorū annorū tributa ꝑsoluerūt: imperata omnia in posterum se facturos sanctè promiserunt: obsides centum dederunt, primorum filios: captiuos Polonos dimiserūt: signa superiori bello de nostris capta reddiderunt. Nam ad Religionē Christianā, quam abiecerāt, reduci se passi nō sunt. His legibus pacē impetrarunt. Cazimir⁹, deducto è Prussia exercitu, bellis omnibus vel armis, vel benignitate, sapiētia & felicitate sua extinctis, pacis artibus, hoc

H. Kitlicius malus consultor in exilium missus.

Pax & congressus regis Vngari cum duce Polono.

Vngari Russiæ dominatu sese abdicarunt.

Prussicū bellum.

Prussis pax data.

est

est arcibus & oppidis instaurandis, moribusque & legibus ciuium emendandis reliquum ætatis tempus transmittere cogitabat: & magnam sibi virtutis & sapientiæ opinionem apud exteros iuxta atque suos conciliauerat, ita vt felix, & admirabilis, & omnibus suis charus deinceps regnaturus esse videretur, cùm subitus eum casus humi prostrauit.

D. Floriani martyris reliquiæ Cracouiam apportatæ.

Impetrarat à Pontifice maximo Lucio ei⁹ nominis tertio, reliquias Floriani martyris: easq; ab Aegidio Mutinensi episcopo allatas, ad septimum milliarium à Cracouia cum ingenti omnis generis hominum caterua, & solenni sacerdotum pōpa obuiam progressus, reuerenter exceperat, & in suburbano Cracouiæ Septentrionali, quod pòst in formam oppidi redactū, Cleparia nūc dicitur, extructo magnifico templo, collocarat: idque tēplum splendida supellectili dotauerat, & collegium sacerdotum canonicorum in eo instituerat, attributo ijs censu lucu lēto tum de suo tum de Gedeonis episcopi beneficentia: peculiariter autē Præposito maximā partem redituum, parœcię diui Michaelis Rupēsis detractam addixerat, & summa veneratione nouum hospitem & patronum prosequebatur.

Clepariense oppidum, templum & collegium sacrum.

Fortè dies martyris memoriæ sacra, q̄ ad quartum Nonas Maij anniuersaria instituta est, aduenerat. Ibi Cazimirus totum eum diem rei diuinę in ęde diui, & piæ in egenos & afflictos largitioni dedit. Quod fere omnibus festis diebus facere cōsueuerat, neque temere eos lusibus & conuiuijs contaminabat.

Cazimiri pietas.

Insequenti die grande conuiuium instruxit: proceres omnes, qui tunc aderant, inuitauit. Feruente conuiuio, exhilaratis cōuiuis, & multa de præteritis bellis atque periculis inter se conferētibus, & principis res gestas & felicitatē celebrantibus, ipse nonnulla de immortalitate animi, atque cęlitū beatitudine, non inepta in medium proposuit. Erat enim ab ineunte pueritia non pessimè educatus & institutus. Deinde hausto mediocri poculo, subitò concidit, & paucis horis animā exhalauit.

Cazimiri mors.

Subitusnè morb⁹ eum inuaserit, an venenum à muliercula, in quam deperibat, præparatum hauserit, incertum est. Nam & hoc sermone hominum diuulgatum est. Nec sanè immunis & incorruptus ab illicitis amoribus & adulterijs, de quibus etiā aliquādo à Fulcone episcopo admonit⁹ & obiurgatus sit, vixisse fertur.

Mores & studia.

Fulco episcopus Cracouiensis.

Cætera moderatus, cādidus, frugi & abstinēs, seuerus iuxta atq; clemēs, bello paceque clarus, & laude dignus princeps. In fratres verò & fratrum filios ita pius & indulgens, vt multa detrimēta, incōmoda & pericula, eorum gratia subiret. Diuini cultus p̄quàm studiosus, multa ad ornatum templorum contulit. Monasterium Suleouiense in Gnesnensi diœcesi Cisterciensi sodalitati, anteq̄ summum principatum adeptus esset, in villa Ruslai comitis, qui decedens absque liberis, Christū hæredem instituerat, ad Pilciam amnem condidit & locupletauit: cui monasterio postea Petrus archiepiscopus etiam complures decimas ei⁹ rogatu adiecit.

Suleouiense monasteriū.

In principatu verò Floriano martyri ædem atq; collegium, vt iam cōmemorauimus, instituit, & Copriuunicense monasteriū eidē Cisterciēsi sodalitati excitauit. Quod amplius etiam deinde nobiles Bogorij & Habdāci locupletarunt, principis exēplū secuti. Fit. n. plerunq;, vt ad principis sui studia homines libenter sese accommodent. Itaque sub Cazimiri principatu etiā alij alia quędā monasteria condidêre: velut Gedeō Cracouiēsis episcopus Vāchofcense in sua diœcesi ijsdem Cisterciensib⁹: Vitus verò Plocēsis episcop⁹, gente Ianini⁹ Buscēse in Cracouiensi diœcesi, Vitouiēse in Gnesnēsi, & Plocense, partim viris, partim puellis Pręmōstratēsis sectæ: Oliuense quoq; Cisterciensib⁹ item monachis in Vuladislauiēsi diœcesi eodem tempore à Samborio conditum esse, nos è Dlugosso superi⁹ retulimus.

Copriuunicense. *Vanchofcēse.* *Buscense. Vitouiense. Plocense.* *Oliuense.*

Regnauit autem Cazimirus annos septēdecim propemodum, vixit sex & quinquaginta. Reliquitque duos filios impuberes, Lescum cui albo, à colore capillorum, cognomē fuit, & Conradum: & filiam Adleidā, quę septimodecimo pòst patrem anno mortua est, cùm castè religioseque vixisset. Nam Boleslaum puerum admodum viperę morsu extinctum, viuens Cazimir⁹ amisit. Fuit autē is annus, quo mortuus est Cazimirus, post Christum natū 1194. Quarto verò pòst mortem die in basilica Cracouiensi sepultus est, magna vxoris, filiorum, & omnium ordinum comploratione.

Liberi Cazimiri. *1194. ann.*

MAR.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER SEPTIMVS.

LESCVS ALBVS CVM HELENA MATRE.



FVNEBRIBVS iustis Cazimiro peractis, nō existimarūt proceres cessandū sibi esse, quin primo quoque tempore nouum principem crearent, ne qui nouus motus domi forisve, præbente occasionem interregno, excitaretur. Itaque Cracouiæ vt frequentes ad funus Cazimiri conuenerant, comitia instituunt. Ibi dies aliquot varijs studijs atque sententijs certatum est. Et Fulco quidem episcopus Cracouiensis, qui Gedeoni successit, ob memoriam Cazimiri meritorum, censebat ad filium eius Lescum natu maiorem deferendum esse principatum: Et quidem priusquam Miecislaus senex, aut Vuladislai filij moliri aliquid possent. Negabat enim omnino ex re atque dignitate Cracouiensis & Sendomiriensis conuentus fore, aliunde principem sibi adsciscere. Atque huic sententiæ Nicolaus palatinus Cracouiensis, Fulconis frater, & magna pars conuentus adstipulabatur. Alij cōtra, stultum & periculosum esse affirmabant, puero tanti imperij habenas committere: cauendum esse, ne hæreditarium principatum facerent, quem liberis suffragijs, cui vellent, mandare more maiorum possent. Quod si valere quicquam deberet sanguis & successio, Miecislaum senem vnum de filijs Boleslai Criuousti superesse: ei deberi principatum, cæteris fratribus extinctis, iure & more gentium. Sin crudelitatem eius pristinam & impotentem dominatum perhorrescerent, esse proximos gradu Silesiæ duces, Vuladislai principis, qui natu maximus liberorum Criuousti fuerit, filios. Ex his Miecislaum Oppoliensium & Ratiboriensium ducem & vicinum sibi esse, & armis prudentiaque multum valere: eum, si princeps renunciatus sit, & Miecislai senis conatus, quem verisimile sit non esse quieturum, reprimere, & tributarios principes atque populos, si qui fortè ad res nouas adspirent, in officio posse continere. Quanquam autem non est proditum, quinam huius sententiæ author fuerit, non iniquis tamen auribus ea accepta est: vicissetque adeò, ni Fulco eam refellisset, quòd diceret, referendam esse hancce gratiam optimo principi Cazimiro, ne eius filij posthabeantur. Potentiores autem eos esse paternis meritis, clientelis, amicitijs, atque dominatu hereditario, quàm vtrunque Miecislaum. Nam quòd ætatem eorum & infirmitatem consilij quis causificetur nihil esse. Esse iam pubertati propinquū Lescum: nec obstare quicquam, quin ei, dum adolescit, curatores & moderatores consiliorum de senatu dentur. His grauiter & copiosè dictis assentiuntur tandem Fulconi omnes, & Lescum Cazimiri filium natu maiorem, principem renunciāt. Sed interim dum is adolescit, penes matrem eius Helenam imperium omne, & summi principis authoritatem esse iubent, ea quidem lege, ne quid illa sine consilio episcopi & palatini Cracouiensis, qui curatores puero & gubernatores principatus dati sunt, faceret. Ibi Nicolaus palatinus facta audientia, gratias agit cunctis de gratitudine erga defunctum principē suum, ac de studio erga filium eius Lescum, primusque in verba eius iurat: & quoniam se cum fratre curatorē eius esse voluissent, eiusmodi iusiurandum ab omnibus exigit, mobilitatem & leuitatem multitudinis, & quorundam propensa in Miecislaos senem & Oppoliensem studia suspecta habens. Nec mora, iurāt cuncti, sem̄p se Lesco principi fideles & obsequentes fore. Hæc vbi Miecislao seni ita vt acta erant, nunciata sunt, excanduit maiorem in modum, non modò quòd præteritus esset, sed quòd temporis etiam pūcto exclusus, ne adesse sibi in comitijs posset. Itaque & ipse arma ad persequendam iniuriam comparare, & suos, atque etiam Silesios irritare, quòd ad creādum communem principem, quem cōmuni totius Poloniæ iudicio eligi & creari oporteret, neq; vocati, neq; expectati essēt. Facile aūt p̄suasit Silesiorū ducibus vt secū consilia armaq; in cōmuni causa coniun-

Comitia Cracouiæ de creando principe.

Lescus Albus princeps creatur.

Curatores principis.

Iusiurandū in verba principis.

Miecislaus iterum ad principatum aspirat.

iungerēt:quippe quos idē stimularet dolor,surrepti quasi ꝑ fraudem principat9, quē ad se maximos natu Criuousti Boleslai nepotes potius quàm ad Lescũ puerũ, eius quem Bolesla9 pater exortem & exheredem esse voluisset, filium, pertinere asserebant, & in cuius adipiscendi spem nonnullam Miecislaus Oppoliensis iam venerat. A Mesciugo quoque genero, Pomeranorũ siue duce, siue satrapa, auxilia Miecisla9 senex corrogauit: & è suis quantum potuit maximum exercitum coegit, & magna celeritate Cracouiã contendit, sperãs terrore solo exercitus, absque vlla prælij dimicatione, se aduersarios & principatũ ipsum in potestatem suam redacturum esse. Sed eũ spes fefellit. Nã Cracouiensis palatinus cognito hostili aduentu, non contemnendas & ipse copias ex omnibus regionibus, quę in ditione Cazimiri fuerant, collegit: & Romanus Vuladimiriẽsium siue Luscensiũ dux euocatus, non paruam Russorũ manum in auxilium Lesci adduxit. Iam in Cracouiensis oræ fines Miecislaus senex inuaserat, & apud Mosgauam amnem septimo à Cracouia milliario statiua habebat: cùm hostes adesse prius propemodũ vidit quàm audiuit. Nondum ei Silesiorum auxilia conuenerant. Id cũ scirent aduersarij, anteuertendũ sibi esse prælio existimarunt, dum pares hostib9 esse possent: quibus vniuersis, si se coniungerent, impares futuri erãt. Itaque instruunt acies, & pugnãdi copiam faciũt. Nihil cunctatus Miecislaus, educit & ipse suos. concurritur infestis animis: magno ardore vtrinque pugnatur: cerneres miserabile spectaculum notorum, amicorum, affinium, gentilium, propinquorum atq; fratrum, deuoto odio, nullaque misericordia aut respectu pietatis inter se confligẽtium: cadebant multi vtrinque: nemo referebat pedẽ: & magis quisque ferire hostem, quàm declinare ictũ studebat. Boleslaus Miecislai senis filius inter primos fortiter pugnans, in conspectu patris hasta traiectus occubuit. Romanus plurib9 vulnerib9 acceptis, Russis suis partim cæsis partim disiectis, ꝑlio excessit semianimis. Miecisla9 ipse sauciat9, cũ sese quinã esset, detracta casside prodidisset, & supplex vitã peteret, seruatus, & ex acie clàm eductus, fuga sibi consuluit. Tunc demũ maiores Poloni ad paucos redacti, amissis ducibus (nam & Miecislaum cecidisse putabãt) pugnãdi pertinaciam remisère. Nec minores cedentibus institère, lassi & ipsi, debilitatique vehementer: & quòd satis sibi esse ducebant in funesto ciuiliq; bello, belli authores sustulisse. Et ipsi.n. credebãt, Miecislaũ in acie inter cõfertos milites prẹliantẽ perisse. Ita ex acie quasi ex cõposito vtrinque discessum est, cùm dubio marte à manè vsque ad vesperam propemodum pugnatum esset. Nec multo pòst, Lescianis cẹsos recognoscẽtibus, & spolia legentibus, superuenêre Miecislaus Oppoliensium & Ratiboriensium dux, & Iarosla9 Boleslai alti Vuratislauiensium ducis filius cum recentibus copijs: ad quos se recollegêre dispersi exercitus maiorum Polonorum & Pomeranorum reliquiæ: fixisque signis quasi victores, haud longè a loco certaminis consedêre, cùm ij, qui ex aduerso erant, perterriti atq; diffugiẽtes, pugnandi copiam facturi non esse viderentur. Sed non tulerunt ij intempestiuam Silesiorum exultationem, cum ignominia sua coniunctam: verùm celeriter à Gouoricio gẽte Rauita, palatino Sendomiriẽsi, cuius agmen, in subsidijs superiori prælio collocatum, erat integrius, recollecti, & in ordines redacti in aciẽ processère. Nec Silesij feroces pugnam detrectarunt. Certatũ est collatis signis, ab his quidẽ, vt rem sua mora perditam restituerent: ab illis verò, vt victoriam partam retinerent. Cùm ingens vtrinque cædes fieret, Gouoricius ab hostibus captus est. Quo facto, minores Poloni perturbati terga vertère: sed nox tamen fugientes texit. Postero die Silesij, cùm Miecislaum senem saucium lectica domum referri cognouissent, & à maioribus Polonis atque Pomeranis ducem suum sequentibus deseri se viderent, nec vsq; adeò fractos profligatosque minores Polonos esse animaduerterent, quin ij recollectis animis atque viribus prælium instaurare, aut alioqui negotium facessere victoribus paucis, & nõ incruenta victoria vsis, domi præsertim possent: trophæis erectis, & abductis captiuis non paucis ex nobilitate, domũ reuerterunt. Erat Fulco siue Pelca episcopus in villa sua Dersanzina, variosque dè exitu prælij rumores accipiebat: & quanquam non erãt secundę res Lescianorũ; tristiores tamẽ etiam aliquanto, vt fit ferè, afferebantur. Itaque anxius & pẽdens animi, misso vno de sacerdotibus administris suis ad locum prælij, qui duobus tantùm aberat milliarijs, rem omnẽ certò cognoscit: & quod verebatur, ne Miecislaus senex reparato exercitu mox ad expugnandam Cracouiam & occupandum principatum rediret, conscenso equo Romanũ Vuladimiriensiũ ducem fugiẽtem curriculo insequitur: quẽ cùm

Bellum ciuile inter Polonos.

Mosgaua fl.

Prælium ad Mosgauam.

Boleslaus Miecislai filius, occisus.

Romanus Vuladimiriensium dux vulneratus. Miecislaus vulneratus.

Prælium renouatur.

Gouoricius palatinus captus. Silesij vincunt.

Fulconis episcopi studiũ.

nocte altera consecutus esset, orat, vt memor beneficiorum Cazimiri, liberos eius in rebus maximè dubijs ne deserat. Excusat ille debilitatem suam è vulneribus, & partim cæsos, partim dissipatos suos: nec retineri se vllis precib⁹ passus est. Inde reuertens Fulco, cùm fratrem suũ Nicolaũ palatinum ex fuga non contemnendas copias collegisse, & persequi hostes, acceptamq; ignominiam detergere velle accepisset, ad eũ se contulit, & vt Cracouiam potius aliasq; arces opportunas præsidijs muniret, persuasit: dubiã esse Martis aleã, hostes diuersos abijsse: metuendum esse, ne, dum alteros insequeretur, alteri ipsum à tergo adorirentur, aut sanè vacuas defensoribus munitiones inuaderent: deinde parum esse animorum & roboris in militibus, aduerso prælio dudum perculsis: tum autem incertum esse, quantum sit fidei in singulis præfectis arcium, „ atque etiam in oppidanis. Solere ple„ runque homines aduersis principũ suo„ rum rebus nutare, atque adeò mutare fi„ dem. Hæc vbi ambob⁹ iuxta placuère, distributis in cæteras munitiones pro necessitate & ratione locorum militibus, ipsi cum maiore parte Cracouiã tenuêre, vbi vxor & liberi Cazimiri sese cõtinebãt. Quieuère tamen per multum tempus tã Silesij, quàm Miecislaus senex, cùm quòd nõ satis prosperè primi conatus ipsis cesserant, tũ ꝙ Cracouiensib⁹ & socijs eorũ, quamuis malè affectis Mosgauiensi prælio, neq; animos, neque vires, neque constantiam ad defendendum Lesci principatum deesse intelligebant. Dum in hoc statu est resp. Polona, venit in Poloniam Petrus diaconus cardinalis, cognomẽto Capuanus, legatus à põtifice maximo Cęlestino, eius nominis tertio: habitisq; synodis, cùm alia quædã, quæ aduersa religioni Christianæ & cõstitutionibus ecclesiasticis in sacro pariter & profano ordine inoleuerãt, correxit, tum sacerdotib⁹ imperauit, vt concubinas & vxores, quibus tunc passim liberè vtebantur, à se ab dicarent. Quod Poloni quidem non grauate amplexi sunt. In Boemia verò cùm idem legat⁹ hoc ipsum ageret, parum ab fuit quin à sacerdotibus occideretur. Non adscripsissemus de vxoribus, cùm non ignoremus longè antè decretis synodorum & pontificum in toto Occidente matrimonio interdictum fuisse presbyteris, diaconis, & hypodiaconis, nisi à Dlugosso, viro graui, memoriæ proditũ esset, nisique Lampertus Saffnaburgẽsis, vir pius, idem à Gregorio, eius nominis septimo pontifice maximo, ante cẽtum annos ætate sua in Germania tentatum esse scriberet: & eodem quidem ferè successu, quo in Boemia Dlugossus memorat. Constituit idem legatus, vt profani homines publicè in tẽplis matrimonio cõiungerẽtur. Annus, quo hęc acta sunt, fuit 1197. à Christo nato. Insequẽti anno Vulodimirus Haliciensium dux mortuus, nouæ expeditioni occasionem Polonis præbuit. Ambiebant dominatum Haliciensem nonnulli Russorum duces, & in his facile princeps Romanus dux Vuladimiriensium suo quodam iure sibi eũ deposcebat, quod & Vulodimiri fratris filius esset, & bene meritũ de Polonis & Lesco principe ciuili illo bello se esse diceret. Poloni cupiebant Haliciam in formã prouinciæ redigere: sed eos respectus ciuilis belli nondum extincti mouebat, vt eam Romano traderent, tributo constituto, quod ille Polonorũ principi quotannis penderet. Verebantur enim, ne si nulli Russorum eam concessissent, omnes eos penitus à se alienarent. Quanquã autem non satis consultum esse videbatur reipub. Polonæ, Romani potentiam, quæ non minima iam tum erat in Russis, accessione illa Haliciæ magis etiã augere, tamẽ offendere eum repulsa alieno suo tempore, minus tutum iudicabant: quippe qui repulsam passus, non modò auxilia negaturus, verùm etiã vltrò bellũ nostris illaturus esse videretur. Itaque decreuit frequens senatus, vt Romanum Nicolaus palatinus cum exercitu in Haliciensem principatũ induceret. Abhorrebant enim à Romano Halicienses, crudelitatis eius metu. Ibi Lesc⁹ cupere cum exercitu illo proficisci. Pertęsum se esse mollis & ociosæ vitæ, quam eo vsque inter cœtus muliebres apud matrem exegisset: velle deinceps armatum inter armatos viros versari, & quæ principis essent munera, vsu condiscere. Si adhuc nequiret alium, tamen eum se vsum in exercitu præstiturum, quem signa sua præstarẽt. Quod si non impetrarent, tamen vel cum vno comite se castra secuturum esse. Itaque approbante senatu, & indolẽ dignam principe, & neutiquam degenerem à maioribus ipsius certatim extollẽte, cum exercitu proficiscitur, palatini Cracouiensis custodiæ cõmendatus. Vbi in Haliciensem agrum ventum est, occurrunt Halicienses armati & instructi: præsenserant enim, Romano se addictum iri. Excipiunt Poloni eorum impetum, & minimo negocio eos in fugam conijciunt. Pulsi fusique, veniam petunt: auri & argenti, gemmarum, vestium & e-

quo-

Fulconis cõsilium.

Legatus põtificis max. venit in Poloniam.

Sacerdotib⁹ vxores ademptæ.

Legati apostolici periculũ in Boemia.

1197. ann.

Haliciensiũ dux Vulodimirus mortuus.

Haliciensis principatus Romano duci concessus.

Lesci principis indoles.

Russi à Lesco profligati.

quorũ magnã vim Lesco pollicentur, si ipse eos in ditione sua teneat, nec Romanum ipsis dominũ imponat. Posteaquã id non impetrarũt, imperata omnia se facturos promiserunt: portas arcis aperuerunt: iussique Romano sacramentum publicè dixerunt. Is porrò Lesco & Poloniæ principibus fidem suam obstrinxit: Haliciensibus autem iustè & clementer se dominaturum esse sanctè promisit. Quod tamen postea nõ præstitit. His peractis, dimissoque exercitu, Lescus Cracouiam redijt.

Romanus dux iurat in verba Lesci.

MIECISLAVS SENEX ITERVM.

Mieciſlaus verò senex, quamuis post Mosgauiense prælium ad malè tẽtata pri⁹ esset segnior, animo tamẽ haudquaquam conquiescebat: neque cogitationem recuperãdi iniustè prærepti sibi, quemadmodum ipse existimabat, principatus deponebat. Sed cùm aperta vi peruenire se ad eum posse diffideret, ad dolos cõuersus est. Ac primũ quidẽ Cuiauiensem orã, quæ in potestate Cazimiri liberorum erat, ditioni suæ finitimã per fraudem quarto postquam apud Mosgauam malè pugnauerat anno intercepit. Quod facinus eius cùm armis vindicatum non esset, propter ætatem puerorum, atque dissensionem palatinorum Cracouiensis & Sendomiriensis (quæ ab æmulatione & obtrectatione orta, eò vsque progressa est, vt Gouoricius solum vertere cogeretur) maiora deinde moliri Mieciſlaus cœpit. Episcopum Cracouiensem, & palatinum fratrem eius donis & ingentibus pollicitationibus ad proditionem solicitat. Quod vbi non successit, muliebrem sexum credulum, atque deceptioni propter infirmitatem consilij obnoxium, blandis dolis adoritur. Ad Helenam Lesci matrem, penes quã tunc erat summa rerum, allegat: negat Lescũ ritè principem creatum esse, neque se inuito certum stabilemq; principatum obtinere posse: quẽ ipse bis sibi prereptũ, omni ratione repetiturus atque vindicaturus esset. Non deesse sibi consilia, non vires domesticas, non auxilia externa: Lescum verò puerum esse: curatores eius inuidia laborare, bonam nobilitatis partem clàm secum sentire: senatum in duas factiones diuisum inter se dissidere. Hæc omnia pro se, & contra puerum facere. Nuper id adeò rẽ ipsam declarasse, cùm Cuiauiensem terram impunè occupasset. Verùm si sibi ea principatũ concedat, redditurum se esse filijs eius Cuiauiam, cincturũque ipsos militari baltheo, & in filiorũ locum adoptaturũ, certosq; sibi successores in principatu ipsos designaturũ. Et sanè senẽ se esse, nec diu viuere & regnare posse: interim dum Lescus aptus fieret principatui, rectius atque conuenientius eum à se, qui tamen de regia stirpe, & patruus Lesci esset, quã ab alienis ac seruis ipsi⁹ administrari posse. Dedignari Polonos equites atque proceres æqualiũ dominatũ, se & cæteros duces ducib⁹ ortos, & regibus oriundos minimè laturos inferioris ordinis hominum imperium: atque ita principatum Lesci vnà cũ ditionibus paternis in discrimen venturum esse. Eius rei non obscurũ argumentum esse Gouoricij cũ Nicolao dissensionem. Quem, quamuis in præsens potentiori Nicolao cesserit, credibile sit, nõ esse quieturum, cùm familiæ & factionis suæ viribus, tum Boemorum, ad quos confugerit, & à quib⁹ comiter acceptus sit, auxilijs fretum. Hæc omnia authoritate sua si princeps factus sit, sedatum pacatumq; iri, tranquillumque & florentem principatum maturè se esse Lesco relicturum. His inducta & persuasa credula mulier, nequicquam aduersantibus curatoribus, ac cæteris proceribus, annuit Mieciſlai postulatis, modò vt is iurisiurandi religione promissa stabiliat. Quod ille cùm se facturum recepisset, condicta die, quæ diui Bartholomæi memoriæ consecrata est, Cracouiam cũ splendido procerum suorum comitatu veniens, haud grauatim fecit. Iurarunt & proceres vtriusque partis, se ea omnia, quemadmodum conuenissent, rata firmaque habituros esse. Episcopi verò, authore Henrico archiepiscopo Gnesnensi, qui Zdislao defuncto, Mieciſlai contentione, non liberis suffragijs successerat, diris caput ei⁹ deuouerũt, quisquis aliquid eorum nõ seruasset. Ita rursus Mieciſlaus principatu potitus est. Helena verò cum filijs Sendomiriam commigrauit. Nec multo pòst Gouoricius amicorum literis reuocatus, quòd iam nihil commune cum Nicolao habiturus esset, è Boemia redijt. Hoc anno, qui fuit à Christo nato 1200. ad quintum Nonas Maij, terræ motus vehemẽs meridiano tempore excitatus, aliquot diebus consequentibus permulta ædificia in Polonia, & in vicinia eius cõquassauit. Quæ res inaudita propemodum in his regionibus, prodigij loco habita est. Eodem anno Constantinopoli à Gallis & Venetis capta, Imperator Constantinopolitan⁹ Alexius pulsus, Haliciam ad Romanum cõfugit: cui cũ Alexius puer à victoribus suffectus, & paulo post interfectus à suis esset, Balduin⁹ Gallus successit,

Cuiauia sub acta à Mieciſlao sene.

Dissensio palatinorum.

Gouoricij fuga.

Mieciſlai conatus.

Mieciſlai iusiurandum.

Henricus archiepiscopus Gnesnensis.

Mieciſlaus principatum recuperauit.

1200. ann.

Terræ motus.

Constantinopolis à Gallis & Venetis capta.

Orientales coniuncti cū Romana ecclesia. sit, Orientemq; sublato schismate Rom. ecclesiæ recōciliauit & subdidit. In Asia verò Christianorū res per id tēpus in deterius lapsæ, nec multò pòst euersę. Quin *Granata à Saracenis subacta.* Betica etiā, siue Granata à Saracenis subacta est. *Anglia & Hibernia Romano Pont. vectigales.* Anglia & Hibernia insulę Rom. Pontifici vectigales factæ sunt. In Germania verò Henricus imperator Friderici filius & successor, cùm regnum Siciliæ vxoris Constantię nomine recepisset, ac Fridericum *Henricus imperator Rō.* filium trimulum Cæsarem siue regem Romanorū renunciasset, moriēs longam litem & controuersiam de Imperio reliq̄t. *Germanici motus.* Philippus enim dux Sueuorū, patruus ac tutor pueri Cæsaris non pro tutore, sed pro Cæsare se gessit, inunctusque & coronatus est ritu solenni Maguntiæ. Id verò molestè ferentes nonnulli principes, æmulum ei excitarunt Ottonem Saxonum ducem: quem Innocentius tertius pontifex max. Philippo diris deuoto, confirmauit. Inde studijs partiū crescentibus, Germania intestino bello aliquandiu collisa est: donec Philippo interfecto, & Ottone defuncto, Fridericus *Fridericus secundus Cæsar.* iam adultus imperio suscepto, pacem restituit. Ab hoc autem Philippo Præmislus, siue Ottocarus Boemorum princeps *Præmislus Ottocarus rex Boemorum.* regium diadema, à proximis principibus bello ciuili distentis neglectum ex interuallo tertius, suscepit, & successoribus suis reliquit. A Friderico autem tributi, & munerum quorundam Imperatori debitorum immunitatem obtinuit. In Vngaria verò per idem tempus Eme- *Emericus rex Vngarorum.* ricus post Belæ patris mortem, cùm paruo tempore, nec sine impedimento Andreæ fratris regnasset, Ladislaum filium, *Ladislaus et Andreas reges Vng.* & eo statim extincto, Andream successorem reliquit. Sed ad nostra redeamus. Annum totum nequicquā Helena Miecislaum senem literis atque legationib⁹ crebris de promissis admonuerat, nūc occupationes publicas, nunc aduersam valetudinem causificantem. Ad extremum ipsa eum Cracouiæ adit, eadem illa, quæ in pactis conuenerant, coram orat & flagitat. Blandis ille eam verbis & pollicitationib⁹ ducebat. Instare illa importunius, fidemque datam requirere, & iurisiurandi religionem violatam queri. Ibi ille nihil iam dissimulans, iniquis *Miecislaus promissa nō seruat.* pactis & iureiurādo, contra ius gentium atque ipsius naturæ exacto, se teneri negat: habere se iure gentium & naturæ certos & suos hæredes, filios ex iusta vxore susceptos, & quidem iam adultos, atque maturos principatui. Eos nefas esse pactis vllis aut priuilegio à successione sibi debita excludi: & adultis filijs præteritis, alienis pueris tātum principatū tradi non oportere. Ita dimissa atq; reiecta Helena, ingenti animi sui dolore dānare ipsa credulitatem suā & præceps consiliū: serò procerum dicta & consulta, quibus in tempore non obtemperasset, probare. Neq; tamen solicitudinē ꝓ filijs remisit. *Helena prò filijs solicita.* Reuersa Sendomiriam, dimissis circum proceres Cracouienses, quorum prius cō silia contempserat, & apud quos gratam Cazimiri mariti sui memoriam residere iudicabat, literis atq; nuncijs, de iniuria & perfidia Miecislai queritur: eorum fidē implorat: Cazimiri merita publicè priuatimque extantia commemorat: liberorū eius pupillorum solitudinem, & indignā deiectionem, Miecislai fraude & sua stulticia factam, deplorat. Quæ à se malè cōsulta essent, ab eis corrigi petit, q̄ppe qui iureiurādo suo se inauspicatis illis pactis cū Miecislao staturos esse promisissent. Promissa etiam non leuia addit: adhæc odiū Miecislai exaggerat. Et offenderat *Miecislai odium.* is iam sanè nō leuiter animos procerum atque equitū, propereà quòd nonnullos possessionibus certis & antiquis deturbarat, easque possessiones suis quibusdam è maiore Polonia asseclis & ministris donarat: & quòd eisdem magistratus mandabat, indigenas præteriens.

LESCVS ALBVS CVM HELENA matre iterum.

ITAQVE QVASI sublato signo plerique omnes proceres Cracouienses in Miecislaum conspirarunt. Quorum princeps Nicolaus palatinus Cracouiensis idoneam, absente tunc fortè Miecislao, occasionem nactus, Cracouiam occupauit, Helenamque cum Lesco filio celeriter accersitos intromisit. *Lescus Cracouia potitur.* Reliquas deinde arces atque munitiones Cracouiensis ditionis nullo negocio recepit, cedentibus vltrò, qui eas pro Miecislao tenebant, cùm totius Cracouiensis conuentus consensum & conspirationem viderent. Bythomia modò, vt ait Dlugossus, in potestate Miecislai *Bythomia retēta à Miecislao.* mansit. quod oppidum ille duodecimo à Cracouia milliario, in confinio Silesiorum, iam inde ab initio in eiusmodi casus mœnibus & præsidio munierat. Sed quomodo ea in potestatem eius venerit, cùm in Oppoliensis ducis ditione prius fuisset, non reperio. Inde postea excursiones crebræ in subiectos agros pagosque factæ sunt. Hoc anno Boleslaus procerus, siue altus, Vuladislai filius, dux Vuratislauiensium, amissis intra breue spa- *Boleslaus Vuratislauiensium dux mortuus.* ciū temporis quatuor filijs, mortuus, solum Henricum Barbatum hæredem reliquit. *Hēricus Barbatus.*

Lubense monasterium. quit. Hic pro Benedictinis monachis Cistercienses in Lubēsi monasterio collocauit, de Portēsi monasterio euocatos: qui delicatorum malorū genus, quæ etiā *Daporta mala.* num Deporta siue daporta vocantur, in Polonia propagarunt. Filius verò eiusdem quatuor natu maximus Iaroslaus episcopus Vuratislauiēsis, Nyssam vrbem cum *Nyssa episcopæ Vuratislauiensi donata.* territorio à patre sibi datam Vuratislauiensi episcopæ sempiterno iure adiunxit. Tertiùm deiectus principatu Miecislaus, non destitit tamen rursus ad eū aspirare: nec eū conatus fefellit, & quidem ijsdem, quibus prius, artibus grassantē. Bello enim repetere amissum principatum, *Helena à Miecislao decepta.* perdifficile sibi esse ducebat. Sed Helenam iterum blanditijs atque dolis aggreditur. affirmat, non per se stetisse, quo minus pactis satisfaceret: verùm per proceres Cracouienses, & in primis per Nicolaum Palatinum. Eos non siuisse se promissa implere: eamque eiectionis suę causam esse, quòd obnixius contra eorum sententiam filios Cazimiri fratris adoptare pertenderet. Se paratum esse fidem suam liberare, & absque vlla procrastinatione Cuiauiensem tractum ipsi & filijs eius redditurum. De cæteris quoque, quæ in pactis essent, quibus illa vellet modis & monimentis cauturum esse. Quibus cùm eam emolliuisset, monet vt clam proceribus omnia faciat: Nicolaum autem ante omnia à se amoueat & releget, si sibi liberisque suis beneconsul. tum velit: illum seditiosum esse hominē, & pro libidine sua principes instituere ac destituere, vt ipse alieno nomine domi- *Nicolaus Palatinus Cracouiensis obex conatuū Miecislai.* netur. Probè enim intelligebat Miecislaus, vnum illum, cuius authoritatē reliquus conuentus Cracouiensis sequebatur, sibi ad recuperandum principatum obstare. Nec difficulter persuasit mulieri omnia timenti, & omnia credēti. Nec deerant inuidi quidam & maleuoli, qui mulierem animum in Nicolaum magis ac magis irritabāt. Fit enim fere, vt rectè geri summi magistratus absque offensione multorum non possint. Tametsi ipsis quoque secundis rebus, atq; etiam rectè factis, necessaria propemodum comes est inuidia. Neque Gouoricium tantam vlciscendi inimici occasionem neglexisse credibile est. Factus autē certior de mulieris cōsilio Nicolaus, adit ad Helenam & filios eius, merita sua & studiū in illos commemorat: orat, ne se, famam, caputque suum æmulis & inimicis suis prodāt: quos quidē inimicos cæpisset, dum ipsis fidelis esse studet, dumque caput suum pro eorum salute & imperio multis periculis obijcit. Non priuato cuiusquā odio se oppugnari, sed obstantē vafris Miecislai conatib⁹ & Cazimiri optimi ac de se benemeriti principis filiorū partes enixi⁹ defendentē, summa cum cōtumelia remoueri: ꝓpterea quòd se incolumi, circūscribi illi, & à principatu excludi non posset. Sic canes à lupis peti, quo liberius in gregem, aut in pecudes grassentur: ni resipiscerent, in ipsorum capita citò hoc malū esse redundaturū. Vbi videt nō commo- *Nicolaus palatinus ad Miecislaum transijt.* ueri precibus suis implacabilem mulierē, Posnaniā ad Miecislaū, quamuis infensum sibi hostem, contendit, saluti & incolumitati suæ prospectur⁹: simul & inimicos, ingratamq; mulierem vlturus. Non ferūnt contumeliā magni & illustres viri: sępeq; irritati, impotētia animi ad multa se indigna impelluntur, atque adeò in perniciem patriæ nōnunquam feruntur præcipites. Existimabat autem, non ingratam Miecislao transitionem suam fore Nicolaus, quippe qui sciret, quantum in se vno momenti esset, ad assequēdum & obtinendum principatum. Nec eum spes fefellit. Ab eo igitur veniam præteritarum offensarum petit, & in posterum ei studium suum defert. Qua fide erga Cazimirum & liberos eius eò vsque fuisset, eadem se erga ipsum fore: quantumque dudum obfuisset, tantum breui profuturum. Accepit eum comiter & honorificè Miecislaus, benigneq; & liberaliter habitū, & magnis ꝓmissis oneratum, dimisit. Ac per eum nullo negocio Cracouiensē omnem regionem in ditionem suam redegit. Tanta erat authoritate & gratia apud omnes ordines Nicolaus. *Cracouiensem principatum Nicol. ius palatinus reddit Miecislao.*

MIECISLAVS SENEX Tertiùm.

Atque inde iam apertè profiteri Helenæ Miecislaus, se pactis & iureiurando non teneri, quòd non ipsius concessione aut ex pacto, sed Nicolai opera principatum adeptus esset. Nec satis habuit, *Miecislaus pactorū immemor.* non reddere fratris filijs Cuiauiensem tractum, quin & Visliciense territorium, & tria præterea castella de Sendomiriensi ditione ipsis ademit: sua illa esse, & ad principatum pertinere asseuerans. Hæc agentem, ac de redintegratione vniuersi principatus atque regni Polonici cogitantē, mors inopinata oppressit, septuagesimumtertiū vitæ annum agentē, anno Christi 1202. Sepultus est Calissiæ, in templo Pauli apostoli memorię dicato, quod ipse condiderat, & collegio sacerdotum canonicorum instituto ornauerat. Verùm oppido temploque in alium locum postea translato, sepulchrū *Miecislaī mors. 1202. anni. Calißiense collegiū cōditum.*

eius sub diuo relictum est. Contulit autē is & alibi non parū ad amplificādum cultum diuinū. Nā Landense & Vangrouecense monasteria iam indeà pulso fratre Vuladislao cōdidit, & locupletauit: & in ambobus Teuthonas Cisterciensis sodalitatis, ex monasterio Veteris montis tertio à Colonia milliario deductos, collocauit: ac diplomate suo sanxit, vt non nisi Colonienses ad ea monasteria cooptarētur & reciperētur, propterea ꝙ honorificè à Coloniēsibus habitus esset, cùm eò adolescens religionis causa venisset. Ita quidem Dlugossus & Miechouiensis de his duobus monasterijs memoriæ prodiderunt. Tametsi ex diplomate ipsius Miecislai, cuius exemplum nos vidimus, non apparet ea Coloniensibus vel Germanis duntaxat solis esse attributa.

Landense et Vangrouecēse monasteria Teuthonibus attributa.

Extruxit etiam idem Miecislaus prochodochium, siue hospitale, vt vocant, recipiendis & sustentandis egenis, Posnaniæ apud diui Michaëlis, & compluribus pagis dotauit, curam militibus ijs, qui Hospitalarij dicti sunt, mandauit. Sed ijs postea deletis, ad eos qui S. Ioannis Ierosolymitani appellātur, ea curatio trāslata est. Curator, qui vnus est, & regio beneficio præficitur, Cōmendator vulgo vocatur.

Hospitale Posnaniēse.

Cosciolense quoq; monasteriū Benedictinorū in suburbano Calisiēsi, eiusdem Miecislai opus esse Dlugossus scribit: itemq; Lubense ad Odrā amnem in diœcesi Vuratislauiēsi. Tametsi quod ad Cosciolēse attinet, non conuenit ratio temporis. Nam octauo demū anno post Miecislai mortem conditum id esse memorat. Nisi fortè viuente eo inchoatum, tūc demum à liberis eius perfectum, vel ex testamento ædificatum est. De Lubensi autē variat idem scriptor: quod ex ijs, quę superius cōmemorata sunt, deprehendi potest. Sed Lubinense opinor dicere voluit, supra Vartā flumē in diœcesi Posnaniensi situm.

Cosciolense monasteriū.

Lubinense monasteriū.

Reliquit autem Miecislaus senex hęredes, Ottonem & Vuladislaum filios. nam cæteri iam obierant. Quin & Otto nō ita multo pòst patrē secutus est, relicto Vuladislao item filio impubere: cui Sputatori postea, propter crebræ sputationis vitium, cognomē fuit. Cuius tutelam Vuladislaus patruus, qui Magnus, & Lasconogus etiam à gracilitate crurū dictus est, aliquandiu gessit.

Miecislai senis filij.

Vuladislaus Sputator.

VVLADISLAVS LASCONOGVS.

Miecislao sene defuncto, in Lescum album rursus vniuersi ferè conuentus Cracouiensis studia prona erant, negabantque locum esse creando principi, viuente Lesco, qui iustus princeps esset, omnium suffragijs creatus, sed fraude dolóque Miecislai bis principatu summotus esset. Eius autem principatum diuino quoque iudicio comprobatum esse inua sore Miecislao iusta numinis vindicta tā citò de medio sublato. Aduersabatur huic sententiæ Nicolaus palatinus, cum Fulcone fratre episcopo, quorum magna tunc erat authoritas & potentia, propter splendorem familię, magnasque necessitudines & clientelas, ita vt perdifficile esset in conuentu quippiam ijs inuitis statuere. Erat autem Nicolaus infensus Helenæ Lesci matri, ob dudum memoratam iniuriam. Ad hæc sciebat Gouoricium, cum quo capitales gerebat inimicitias, principem in consilio atque in amicitia Lesci & Helenæ locum obtinere. Cessêre tamen & ipsi consentienti multitudini: illud verò peruicêre, vt ea demum lege Lescus principatum reciperet, si Gouoricium relegaret. Missi ad Lescum legati, mandata conuentus exponunt. At ille dubius animi ob adiectam de Gouoricio conditionem quid faceret, deliberabat. Stultum, aut certè „ damnosum esse videbatur, principa- „ tum vltrò oblatum refutare, & subes- „ se alteri malle, omnibus præesse cùm „ posset. Sed eijcere per summam iniuriam charum sibi fidumque consiliarium, ac de se bene merentem, nolebat: indignumque iudicabat, tam duras & iniustas leges sibi dici. Cunctantem Gouoricius vltrò hortatur, ne sua causa tanta commoda negligat. Malè verò Lescum sibi suisque posteris consulturum esse, si propter se vnum seniculum, & pauculos, atque eos incertos, dies vitæ suæ in aliam familiam transferri principatum sinat. Libenter se pro eius cōmodis atque honore in exilium abiturum, pro quo vitam quoq; ponere deberet, atque cuperet. Felix ac sempiterna posteritatis memoria gloriosum exiliū illud suū fore, susceptū pro dignitate & amplitudine optimi principis. Commouit Lescum ea Gouoricij oratio, & insignis beneuolentia cum animi magnitudine coniuncta, in eā quidem partē, vt is ilico negaret, tāti se facere principatum, vt eius adipiscēdi gratia tam fidum consiliarium proderet, immerentemque magistratu simul & patria eijceret. Principatum quidem duplici nomine ad se pertinere, quòd & heres Cazimiri esset, & à conuentu pridem electus & expetitus, nunquam se eo abdicasset. Verùm tyrannicam illam vocem, Si ius violandum „ sit, regnandi causa violandū esse, non pla- „ cere

Comitia de creādo principe.

Nicolai palatini Cracouiensis implacabilis iracūdia.

Gouoricij palatini Sendomiriensis pietas in principem.

Lesci albi iustitia, & animi magnitudo.

„ cere sibi, qui iusto & legitimo imperio „ suos regere, à patre & à maioribus suis di- dicisset. Proinde alium sibi Cracouienses proceres istis legibus quærerent: Se in paterna ditione sua acquieturum esse potius, quàm per scelus principatu potiturũ. Et cum his mãdatis legatos dimisit mœstos, & palatini sui fastum, arrogantiam, & impotentem iracundiam detestantes. Cognita Lesci sententia, denuò consultatur in conuentu Cracouiensi de principatu. Displicebat multis iniquitas & acerbitas decreti superioris de relegando Gouoricio: admirabantur Lesci virtutẽ & excelsum vereque regiũ spiritum, qui carere principatu mallet, quàm insontẽ consiliariũ iniuria afficere. Nicolao succensebant: neque tamen mutare decretum illud poterant, refragante eo, & responsum Lesci quasi superbum & plenũ contemptus cauillante. Nam quo clarius dederat Lescus propensæ in Gouoricium voluntatis documentum, eo magis potentiam eius Nicolaus reformidabat, contendebatque summo studio, vt cuiuis potius quàm Lesco principatus mandaretur: perfecitque tandem, vt Vuladisla⁹ Lasconogus, Miecislai senis fili⁹, quasi iustus hęres, absens princeps renunciaretur. Missi ad eum legati, vix, vt oblatum principatũ susciperet, ei ꝑsuaserũt: nec aliter tamen, quàm si Lescus eũ omnino refutasset. Verebatur enim eius potentiam, memineratque patrem suũ semel atq; iterum in gratiam eius à Cracouiensi conuentu vel deiectum, vel eiectũ. Itaque ad Lescum mittit: postulata Cracouiensis conuentus, & quid ipse responderit, exponit: negat se prorsus quicquam aduersus sentẽtiam Lesci facturum, ad quem longè antè delatum esse principatum sciret, quemque inimicũ capere nollet: nec se tam cupidum esse, vt principatus causa ius sanguinis violãdum sibi esse duceret. Respõdet Lescus: Ea lege, quæ sibi à Cracouiensibus procerib⁹ diceretur, principatum se accipere noluisse, nolleque: nec aduersus animi sui sentẽtiam facturum esse Vuladislaum, si eum delatũ accipiat. Hoc vbi responsum à Lesco Vuladislaus accepit, tum demum postulatis Cracouiensium legatorũ annuit, & Cracouiam profectus principatũ inijt: magnaque facilitate, humanitate & iustitia, atque liberalitate etiam studia & voluntates hominum adiungere sibi cœpit. At Rom. Vuladimiriensium & Haliciensiũ dux immemor iurisiurandi sui, inaudita crudelitate nobilitatem fere omnem Haliciensem, nullo non supplicij genere vsus, extirpauerat: dictũ illud subinde vsurpans: Melle neminem, nisi interfectis apibus securè vesci posse. Interfectorum autem & proscriptorum, ac metu tyrannidis diffugientium bona confiscarat, magnasque diuitias conflarat: vnde potens effectus, finitimis quoque ducibus erat formidabilis, ita vt nonnullos faceret sibi tributarios, & alios eijceret, alios institueret. His rebus elatus, vbi Lescum principatu excidisse accepit, contemnere animi eius angustiam, vt ipse interpretabatur, & ætatem: maioraque moliri cœpit. Ac primùm ex clandestinis excursionibus in Lesci ditionem suæ finitimam, deinde negociatorum Polonorum, in Russia rationes habentium, direptione patientiã Lesci tentauit. Mox legatis eius amicè res repetentibus, duri⁹ ac superbius respondit, ac Lublinensem tractum vltro à Lesco & Conrado poposcit mercedis nomine, ob stipendia facta aduersus Miecislaum, & ob detrimenta in prælio Mosgauiensi accepta. Sed cùm postulata eius Lescus & Conradus refutassent, quòd dicerẽt, desertori, & ei qui ex acie profugisset, nihil se debere, accensus ira, apertè iam Lublinensem oram latrocinio & populatione agrorum infestabat. Cohibebat verò Sendomiriensis nobilitas liberiores eius excursiones, & ex eius agris vicissim prædas agebat. Maiore deinde vi Romanus bellum gerere instituit: coactoque valido exercitu, non modò Poloniam omnem animo & spe complex⁹, verùm etiam Latinorum literis atq; religioni (sic enim Russi nos, qui rectè in religione Christiana sentimus, & principatum Romani pontificis agnosci mus, appellant) exitium superbè minitans, Poloniæ fines ingreditur, ac Lublinensem arcem toto mense obsedit. Sed certior factus, Lescum & Conradum copias contra se comparare, soluta obsidione ad eos magna fiducia virium suarum ad interiora Poloniæ contendit, immaniter & contumeliosè in omnem sexum, ætatem, statũque, & maximè in sacerdotes, atque etiã in innoxia tecta sæuiens: legatos Polonorum æqua omnia pollicentes, cuius legationis princeps erat Vitus Plocensis episcopus, (nã de Fulcone Dlugosso nõ assentior, quippe qui alienus tunc esset à Lesco) cum incerto responso dimittit: Trãsmissoq; partim nauibus, partim vado flumine Vistula, apud Zauichostũ oppidum in ripa castra locat, altero à Sendomiria milliario. Ibi cognoscit nostros appropinquare: neque tamẽ credebat pugnãdi copiã factu-

Vuladislaus Lasconogus princeps creatur.

Vuladislai æquitas & modestia.

Romani Vuladimiriensium ducis tyrannis & superbia.

Prouerbiũ.

Russicũ bellum.

Minæ Romani.

Lublini obsidio.

ros esse. Vbi se opinione sua falsũ esse, & Polonos instructis acieb⁹ adesse videt, cõsternari ac trepidare cœpit, qđ imparato sibi præter opinionem dimicandũ esset. Neq; rectè explicare ordines poterat, nostris perpetuo cursu & magna cum vociferatione irruentibus, cùm ira & indignitas belli à socio ac tributario duce, ac de quo Lescus optimè esset meritus, illati animos ipsis adderet, præterea autem Cristinus comes, gente Gosdouius, cuius lilium insigne est, palatinus Plocensis, vir acer, & rei militaris peritus. Nam Lescus & Conradus adolescentes aberant de cõsilij sententia cum aliquanta manu præsidij causa addita, à longè euentum prælij expectantes, vt si qui durior casus exercitum afflixisset, recipere se commodè ad tutiora loca possent. Romanus verò in acie inter primos versabatur, boni ac strenui ducis fungẽs officio, ne manus quidẽ à nostris abstinens. Feruente aliquandiu pugna, & multis vtrinque cadẽtib⁹, cùm nostris ira virtusque suffragarentur, hostes verò abũdarent multitudine, & dux ipse cohortatione eo animaret, debilitatos confirmaret, & pedem referre incipientes sisteret, conspicati id nostri, globo facto impetum in eum faciunt. Nec segnius ille resistit, donec strage suorum, confossoque multis pulueribus equo fugæ præsidium mandare coactus est, equã effœtam nactus. Qua vectus cùm Vistulam iam tranasset, immixtus multitudini suorum fugientium, à Polonis instantibus in turba interfectus est. Exercitus autem hostilis partim pugnãs, partim fugiens ad internecionem ferè deletus est. Nam Poloni longius, & propè Vuladimiriam vsque, vt vult Dlugossus, fugientes persecuti sunt. Multi in agris & in syluis latitantes, à rusticis hominibus conquisiti ac trucidati: multo maxima pars flumine demersa, perijt, partim fugã præcipitans, & in angusto vado se impediens: partim ruinã faciẽte ripa vlteriore, pressa pondere multitudinis, quæ prima fugiens, tranato flumine conuersa & conglobata cõstiterat. Reuertentes nostri, castra copiosa & opulenta diripuêre. Cadauer Romani repertum, Sendomiriæ iusto honore tumularunt. Verũ postea id effossum Lescus, Russis flagitantibus, & captiuos omnes dimittentib⁹, ac mille marcas argenti appendentibus, reddidit, vt Vuladimiriæ in sepulchro maiorum suorum sepeliretur. Fertur autem Romanus expeditionem illam in Poloniã facturus, missis muneribus petiuisse à Vuladimiriensi episcopo, quẽ Rusi Vuladicam vocant, vt se exercitumq; suum solenni precatione & omine, siue benedictione, vt vulgo dicimus, dignaretur. Quod cũ ille recusasset, affirmans, nefas esse Christianos Christianis iniustum bellũ inferentes eo honore dignari, indignatum Romanũ, mortem ei minatum esse, cùm ex eo bello victor domũ reuertisset. Illum verò cõstanter respondisse, se mortem pro veritate neutiquã reformidare: nescire autẽ Romanũ, an ex eo bello reuersur⁹ sit. Vnde postea episcopus ille sanctitatis opinionẽ apud vulgus nactus est, quasi diuinitùs futurum belli euentũ præsciuisset. Fertur item idẽ Roman⁹, nocte ea quam prælium consecutum est, somniasse, magnam multitudinẽ passerum, à longe minori numero achantidum ab ea parte quæ ad Sẽdomiriam vergit, aduolantium, dilaniatã esse. Idq; somniũ, cũ amicis manè narraret, senioribus atque prudẽtiorib⁹ triste & mali ominis visum esse. Dies quo apud Zauichostum pugnatum est, fuit ad 13. Calendas Iulij. Et quoniam is Geruasij & Protasij Christi martyrum memoriæ dicatus est, aram postea Lescus eorum nomine in basilica Cracouiensi dicauit. Sed eius aræ prouẽtus vberes vehementer accisos esse successu tẽporum, Dlugossus memorat. Per hoc tempus Lituani, gens fera, syluestris & obscura, Russorũ agros prædis agendis infestare cœpêre. A quibus cruento prelio victi, subera, restes & fasces frõdeos, quibus ea gẽs in balneis sudorem prouocare solet, tributi nomine deinceps pẽdere iussi sũt. Apud Liuones verò, cũ Meinardus episcopus, & post eum Albertus, Christianã religionem paulo antè propagare cœpissent, Albertus alter, quo facilius barbariẽ inde extirparet, ordinẽ siue societatem, quæ militiæ Christi dicta est, instituit, ac tertiã partem redituum Rigẽsis episcopę ipsi attribuit.

Prælium apud Zanichostum. *Cristinus comes palatinus Plocensis.* *Gosdouia familia.* *Romani fuga, & interitus.* *Rusi profligati.* *Vuladica e-* *piscopus apud Russos.* *Episcopi integritas.* *Somnium.* *1205. ann.* *Lituani à Russis victi, & vectigales facti.* *Liuones ad religionem Christianã adducti.* *Ordo militiæ Christi in Liuonia.*

LESCVS ALBVS TERTIVM.

Magnã è Russica victoria virtutis & felicitatis opinionem Lescus apud suos pariter atque exteros consecutus est, eoq; maius sui desiderium in animis Cracouiensis conuentus accendit. Summis cum laudibus passim omnes efferebant, Vuladislaumq; suum præ eo contemnebant: Patrum etiam vtriusq; merita inter se comparabant: & reiectum à se temerè & iniustè optimi principis Cazimiri optimum filium dolebant. Fortè autem per id tempus, nondum circumacto anno à Zauichostẽsi prælio, Nicolaus palatinus Cracouiẽsis vita defunctus est. Itaq; summoto iam eo obice, qui solus Lesco ad prin-

principatum obstiterat, summo consensu conspirãt, vt excluso Vuladislao, Lescum iustum principem accersant. Acto conuentu, cui & Fulco episcopus interfuit, legatos cum decreto ad Lescũ mittunt. Nec ille, cùm vniuersi conuentus consensum videret, cũctatus est, quin postulatis eorum annueret, veniensq;, Cracouiam & omnes, quæ ad principatum pertinebant, munitiones nemine repugnante in potestatem suam redigeret. Nam Vuladislaus, vir modestus & quietis amans, cognito consensu conuentus, cessit, & Posnaniam se recepit, nec vlla re postea Lesco molestus fuit. Annus autem quo hæc acta sunt, fuit post Christũ natum 1206. Insequẽti anno Fulco quoque, siue Pelca, Cracouiensis episcopus, Palatini frater vita excessit: q sibi & successoribus suis prærogatiuam loci & suffragij secundum Archiepiscopũ in Gnesnensi prouincia ab Innocẽtio tertio pontifice max. impetrauit. Successit autem ei magister Vincentius, cognomento Cadlubcus, præpositus Sendomiriensis, gente Roseus, vir doctus, vt tunc ferebant tempora, & pius: qui primus Polonorum, historiã gentis suæ conscripsit: liberis collegii sacri suffragijs creatus & expetitus. Perfecerat enim id collegium per Ioannẽ archidiaconũ, vt libera sibi deinceps esset electio episcopi, in quã se principes peruerso more etiam tunc ingerebant. In Russia deinde Lescus princeps p legatos res quasdam vario marte gessit, siue excursionib⁹ eius gentis in Poloniam prouocatus, siue ad ferendam Colomanno Vngarorũ regis filio opẽ inuitatus, siue vtrunque. Neque enim cõstat hic sibi Dlugossus, & Vngarorum annales totum id bellum prætereruntine Vincentius quidem attigit. Sic autem, secũdum Dlugossum, res habuit: Post Romani mortem, Russorum ducibus, qui in magnum iam numerum excreuerant, dissidentibus inter se, & alijs alios pellentibus, debilioribusque contra potentiorem aliquem, patronum atque defensorem sibi accersentibus, cùm à Polonico nomine propter proximam superioris temporis cladem abhorrerent, Colomannus Andreæ regis Vngarorum filius Haliciensem principatum adeptus est, à Russis expetitus. Veniens autem Haliciã cum magnis copijs, ab episcopis, quos in comitatu suo habebat, solẽni pompa inunctus, coronatus, & rex Galatiæ siue Haliciæ appellatus est: quod iam inde ab initio de sententia Andreæ patris consti- tutũ erat. Inscientibus autem Russis hæc acta sunt: itaque confestim eorũ animos

Lescus ad principatum reuocatur.

Vuladislai Lasconogi modestia.

1206. ann.

Cracouiensis episcopi prærogatiua.

Vincentius Cadlubcus episcopus Cracouiẽsis.

Episcopi libera electio.

Russorũ duces multi, ac dissidentes inter se.

Colomannus Haliciæ rex factus.

à Colomãno alienãrunt, sic vt nõ diuturna illi esset principatus illi⁹ & regni possessio. Non multo. n. pòst, cùm ille pacata omnia sibi esse crederet, partemq; exercit⁹ in Vngariã remisisset, conspirãt contra eũ Russi, autore Mescislao, Mescislai illius (opinor) q à Cazimiro principe reductus, Haliciensiũ dux fuit, filio, viro forti & magnanimo, ita vt & ipse Chrobri cognomẽ tum adeptus sit: qui ante aduẽtum Colomanni Haliciensem dominatũ sibi vendicabat. Is igitur ex Russis & Polouucijs valida manu facta, Colomannũ eijcit cũ omni comitatu ipsius: in quo Vincẽtius Cracouiensis episcopus, & Iuo Sauli comitis filius, gẽte Odrouansus, cancellarius Poloniæ, qui & ipse postea fuit Cracouiẽsis episcopus, fuisse memorãtur. Ac de Polouucijs quidẽ paulo pòst. Cæterum quid hi duo magnates Poloni Haliciæ tunc egerint, aut cur potissimùm à Cracouiensi episcopo Colomãnus vnctus, ac regio diademate cinctus sit, non intelligimus. Neque credimus tam patientes, ne dicã ignauos, tunc fuisse Polonos, vt nõ modò preripi sibi Haliciensem dominatum, quem armis suũ fecerant, ab Vngaro paterẽtur, verùm etiam consilio ad id ipsi auxilioq; suo accommodarent. Itaq; existimamus, Colomannũ non à Russis expetitum esse: sed vxore ducta Salomea, Lesci Albi sorore, Haliciẽsem dominatũ controuersum in dotem, cõcedentib⁹ Polonis, accepisse: coque nouã nuptam ab episcopo Cracouiensi, & à Cancellario ad constitutũ locũ deducta, & possessionẽ Haliciæ Colomanno traditã esse. Quod cũ displiceret Russis, externi dominatus insolẽtibus, & veritis ne cũ principe religionẽ pariter, cuius tenacissimi sunt, mutare cogerẽtur, libenter eos cum Mescislao, q Haliciã iure hæreditario repetebat, aduersus Vngaros & Polonos cõspirasse. Nec nobis fit verisimile, Colomannũ Galatię siue Halicię potius quã Russiæ principem atq; regẽ sedici passurũ fuisse, si Russorũ consensu atq; decreto cõmuni accitus fuisset. Longè. n. clarius atque splendidius Russiæ totius, q vni⁹ ciuitatis Halicię, nomẽ erat. Nec planè dissentit ab hac nostra sententia Dlugossus. Mox enim post eiectionem Colomanni, subdit, eodem anno Salomeã ipsi nupsisse. Quàm aptè verò cum strage ac turpi fuga cohærent nuptiæ. Inuertisse igitur ordinem rei gestæ videtur Dlugossus, vt nonnunquam aliàs. Sed vtut est, sequẽti quidem anno Lescus Colomãno cum exercitu Haliciam repetenti, non cõtemnenda misit auxilia. Colligebat & Mescislaus ingentes copias: coniungebant enim

Mescislaus dux.

Colomannus Halicia pellitur.

Colomannus coronatus ab episcopo Cracouiensi.

Colomanni vxor Salomea Lesci soror.

Russi tenaces religionis.

Polonorum auxilia Colomanno contra Russos missa.

enim se cum eo Volodimirus Rurici, Roscislaus Dauidis, & alter Roscislaus Mescislai, ducum filij: educebat & valida Polouuciorum auxilia: qui propriũ etiã dolorem interfecti superiori anno ducis sui vlcisci in Vngaris cupiebãt. Primo aduentu recepêre Vngari & Poloni Haliciam: communitaque diligentius arce, & Colomanno cum vxore & imbelli multitudine in ea relicto, hostibus aduẽtantibus obuiam progressi, prælium commisere. Ne difficulter Poloni, qui dextrum tenebant cornu, Russos loco mouerunt, fugientesque lõgius persecuti sunt. Quin in altero quoq; cornu iam ad Vngaros inclinabat victoria. Ibi Mescislaus cum Polouucijs eos à tergo adorti, facilè securos dissipauit, & magna strage ꝓfligauit. Maiorem etiam in Polonis sine ordine reuertentibus, stragem edidit, cùm vexillum eorum captum erexisset. Accurrentes.n. ad id, à Polouucijs pariter & Russis conuersis excipiebantur & trucidabantur. Ita totus ferè ille exercitus ad internecionẽ deletus est. Colomannus autem à victoribꝰ in arce diu obsessus, tandem fame & siti adactus, deditionem fecit, & annum ferè totum vnà cum vxore Salomea in custodia asseruatus est à Mescislao. Deinde Andrea patre satagente per legatos, dimissus est: cõuenitque inter regem & Mescislaũ, vt Maria Mescislai filia, Belæ filio regis natu maiori nuberet, post triennium autem Mescislaus Haliciam Colomanno redderet. Quod cùm ille fecisset, nõ multo pòst Colomannus à Daniele Romani filio rursus exactus, & à patre lõgè pòst, ab Asiatica, vt videtur, expeditione reuerso, restitutus, cùm vix triennium pacatum regnum obtinuisset, incertum venenóne an morbo extinctus, vacuam Haliciæ possessionẽ, & belli materiã Russis reliquit. Ex eo tempore Vngari reges Russia prorsus exciderunt: nihilo tamen minus Galatiæ & Lodomeriæ (Vuladimiriam fortassis corruptè sic vocantes) reges deinceps appellari voluerunt, propterea quod vtrunque principatum Romanus, cui succedebat Colomannus tenuisset. Elati victoria illa tam insigni Rusi, adiunctis etiam Lituanis, crebris excursionibus Poloniam vexarunt, & afflixerunt. Qua re motus Lescus, Sulislaum Castellanum Sendomiriẽsem cum expeditis copijs ad vastandam vicissim Rusiam misit. Cui cùm occurrissent Rusi, magna clade profligati sunt: cæsi multi, capti nõ pauciores: inter quos quinque fuêre duces, Suentoslaus Mescislai, eius opinor, q cum Vuseuolodo Romani patre & viro sororis suę de Vuladimiriẽsi principatu bellum gessit, filius: Georgius, Iaroslaus, Volodimirus, & Constantinus: qui ad Lescum adducti, & ab eo aliquandiu in vinculis habiti, postea dimissi sunt. Poloni verò magnam prædã tunc è Russia retulerunt. Fuit autẽ hic annus à Christo nato 1211. Quo cometes decem & octo diebus mensis Maij, coma in orientẽ obuersa apparuit, futurorum malorum, quę statim Sarmatiam vtranque afflixerunt, prodigiũ. Aliquandiu postea tacito quasi consensu pax fuit inter Polonos atque Russos. Cuius & illa non minima causa fuit, quòd Rusi anno sequenti nouum dirumque hostem nacti sunt, qui vires eorũ deinceps penitus attriuit, & multas alias Christiani orbis gentes magnis & acerbis calamitatibus atque cladibus inuoluit, ac penè funditus euertit. Tattari enim, Scythica gens, siue à fluuio, siue à multitudine nomen habens, quod ipsa quoq; vsurpat. Vsus Tartaros propter Tartaricã immanitatem eos dici obtinuit. Hi ergo cũ antè vltra Caspium mare, & intra Imaum montem ad orientem solem obscuri ignotique Græcis iuxtà ac Latinis habitassent, circa annum Christi 1202. vel, vt alij volunt, 1188. finibus suis egressi, deuicto & interfecto Indorum rege, cui seruierant, Asiam penè omnem victores longè latéque peruagati, & Rha siue Volga flumine transmisso, ad occidentem progressi, vicinis Russorum Polouucijs bellum intulerunt. Habitarunt autem Polouucij campestria ad Tanaim fluuium & Męotidem paludem loca: indeque (vt nostra fert opinio) finitimorum Russorum & Slauorũ lingua Polouucij siue Poliouuci non valde diuerso à Polonis & Poliacis nomine appellati sunt. Goti ij fuisse existimantur. Nec scimus, an ipsi Fragos siue Fragios à libertate sese vocarunt, & à Rusis etiam vocati sunt. Extat quidem in Rusicis annalibus hoc nomen gentis, ea ipsa ferè loca, & Tauricam Chersonesum obtinentis. Quamuis autem ij perpetui Russorum hostes essent, necesitate tamen adacti opem eorũ implorarunt. Nec defuêre Rusi rogantibus in cõmuni periculo. Quin legatos Tartarorum monentes, ne sese eo bello implicarẽt, contra ius gentium interemêre. Cõmisso prælio victores Tartari magna strage Polouucios & Russos fudêre & fugauêre. Fugientes autem Russos ipsi etiã Polouucij excepêre, & spoliatos trucidauêre. Munitiones dein Polouuciorum expugnatæ: ipsi deleti, & omnis illa circa Tanaim & Mæotim ora cũ Taurica Chersoneso à Tartaris habitari cœpta. Deinde Rusi debellati & subacti sunt, ita vt non

Russorum victoria de Polonis & Vngaris.

Colomannus captus cum vxore.

Colomannus Haliciam recuperauit.

Vngari Halicia exciderunt.

Galatiæ & Lodomeriæ regnum cur Vngari sibi vendicant.

Rusi à Polonis profligati.

Russorũ duces capti.

1211. ann. Cometes.

Pax inter Polonos et Russos.

Tattari, seu Tartari.

Polouucij.

Polouucij et Rusi à Tartaris victi.

Tartarorum sedes.

Russi Tartaris vectigales. vt nõ modò tributa ipsis penderent,& iussa facerent,sed etiam seruis antè suis Lituanis prædæ essent.Quod suo fortassis loco attingemus.Nũc nostra persequamur. *Lescus studio pacis amplexus.* Nullum deinde Lescus quoad vixit bellũ gessit, pace & ocio impensius delectatus. In pace verò iustè, clementer & moderatè principatum administrauit : ædificia publica partim collapsa instaurauit, partim noua excitauit. Obibat autem cun- *Iudicia principis.* ctas regiones ditioni suæ subiectas, causasque & controuersias hominum omnibus in locis ipse per se cognoscebat & iudicabat:in sontes,& maximè in sycophã- *Calumniatores coercitì.* tas siue calumniatores animaduertebat: oppressos potentiorum iniurijs vindicabat. In Pomeraniam verò cùm venisset, atque eadem illa, quæ alibi,ageret, rogatus à Pomeranis , quòd longius ij se ius à principe nõ sine magno incommodo atque impendio petere quererentur,quẽad- *Pomeraniæ præfectus Suentopelcus.* modum superius attigimus,Suentopelcũ vniuersæ Pomeraniæ præfecit, & amplissimam potestatem atque iurisdictionem etiam in Palatinos, qui tunc duo erant, nempe Gdanensis & Suecensis,& in cæteros magistratus ipsi concessit. De reditib⁹ *Pomeraniæ vectigal.* autem totius Pomeraniæ 1000.marcas siue 500.pondo argenti quotãnis fisco principis Polonorum vt penderet constituit, & iureiurando in sua posterorumq; suorum principum Poloniæ verba eum adegit.Quam tamen ille fidem non diu seruauit,quemadmodum posterius exponemus. *Lescus fratri Masouia & Cuiauia cessit.* Masouiam verò & Cuiauiam Lescus de consilij conuentusque sententia Cõrado fratri minori in sortem patrimonij concessit , comitijs eam potissimum ob rem Sendomiriæ habitis.Deinde duodetrigesimum agens annum, rogatu pro- *Grimislaua Lesci vxor.* cerum vxorem duxit Grimislauam larosla i vnius de Russorum ducibus, quem captiuum habuerat, filiam anno Christi *1220. ann.* 1220. Ex qua anno sequenti Boleslaum *Boleslaus Pudicus.* filium,qui postea Pudicus appellatus est, suscepit,in arce Corcinensi editum:deinde filiam Salomeam. Neque memorabile quicquam præterea est in principatu Lesci huius, quamuis diuturno , præter mortem eius:quam priusquam persequamur, nonnulla quæ regnante eo acciderunt in Polonia,non indigna memoratu, breuiter exponemus. Henricus Barbatus dux Vuratislauiensium ex Heduigi vxore,filia Bertholdi ducis Carinthiæ & marchionis Morauiæ,fœmina lectissima,Hẽricum & Conradum, cui Crispo cognomen fuit,filios habebat. Et maiorem qui- *Henric⁹ Barbatus diuidit* dem mater, minorem pater plus diligebat:sed tamen partitus inter eos domina- *principatum inter filios.* tum pater, vxoris suasu minori quidem Lusaciam & Lubussensem tractum, Henrico verò maiori reliqua omnia cum Vu- *Lusacia & Lubussensis tractus in ditione Polonorum.* ratislauia assignauerat.In qua partitione cùm Conradus non acquiesceret,bellum fratri fecit, nequicquam dissuadentibus ac deprecantibus parentibus. Nec Henricus iunior sibi defuit:sed coacto & ipse tumultario exercitu,obuiam fratri prodijt. Pugna commissa in loco cui nomẽ Stud- *Bellum inter fratres.* nicia , inter Legniciam & Goltibergam, Henricus victor extitit. Conradus cùm se ex fuga Glogouiam ad patrem recepisset, salutem consecutus est. Verùm non ita multo pòst in Tarnauiensi saltu venationi vacans,& feram agitans,lapso equo cer- *Conradi interitus.* uices fregit. Fertur autem Heduigis diuinitùs filij interitum præsciuisse. Tã enim *Heduigis sanctimonia.* religiosa & pia fuit ea mulier, & sanctimonia vitæ præstans,vt Prophetico spiritu à Deo dignaretur. Huius rogatu Hen- *Trebnicienſe monasteriũ conditum.* ricus Barbatus Trebnicienſe monasteriũ tertio à Vuratislauia milliario maximis sumptibus exædificauit, & puellis Cisterciensis sectæ attribuit.Addixit autem He- *Trebnicičsis monasterij prouentus.* duigis, indulgente viro, illi monasterio oppidum ipsum Trebniciam,& complures pagos suos dotales, ita vt in mille hominum alimenta reditus eius suffecturi esse viderentur. Quod exemplum secutus Nicolaus Henrichouius,vir nobilis & locuples,qui Hẽrico Barbato à secretis fuit, & ipse patrimonium suum omne Cisterciensibus monachis,assentiente Henrico Barbato,donauit: extructoque eis mona- *Henrichouiẽse monasterium.* sterio in pago suo Hẽrichouo, ipse quoq; ibi religionem professus, vitam peregit. Tantum verò tunc pacatis rebus vigebat in Polonis religionis amplificandæ studiũ, vt eo potissimum inter se certarent. Nam & Miecislaus Vuladislai filius, dux Oppoliensis & Ratiboriensis, Ribnicien- *Ribnicienſe monasteriũ.* se monasterium Præmonstratensis sectæ puellis condidit ac dotauit : quod postea filius eius Cazimirus,quem vnicum reliquit, Ciarnouansum transtulit. Et Vincentius Cracouiensis episcopus, cùm ba- *Cracouiensi basilicæ supellex et decimæ à Vincentio episcopo donatæ.* silicæ Cracouiensi, cuius supellex vniuersa,tacto de cœlo ærario conflagrârat,multa contulisset,decimasque nonnullas collegio eiusdem basilicæ in distributiones quotidianas, & in lucernam , quæ perpetuò in templo arderet , addixisset , episcopa se abdicauit , nequicquam aduer- *Vincentius abdicauit se episcopa.* sante principe , ac dissuadente collegio sacerdotum , & in Andreouiensi monasterio reliquos quinque vitæ annos religiosè exegit, cùm decem annis episcopus fuisset. Huic verò Vincentio qui succes- *Iuo episcopus Cracouiensis.* sit, Iuo Sauli filius, cuius etiam superius mentio-

Dominicanorum sodaliū secta Cracouiā inducta.

Iacinctus in diuos relatus.

S. Trinitatis monasteriū.

S. Mariæ tēplum Cracouiæ.

mentionem fecimus, Romam profectus, ac Dominici Calaguritani, qui tunc nouę sectæ & sodalitatis, quam à studio concionandi Prædicatorum vocant, autor florebat, doctrinam vitamque admiratus, Iacicum siue Iacinctum gentilem suum de territorio Oppoliensi canonicum Cracouiensem atque tres alios de comitibus suis, à Dominico institutum vitæ illius edoctos atque professos, Cracouiam secū reduxit: nouæ sodalitati primariū in vrbe Cracouiensi templū, quod Trinitatis nomine appellatur, attribuit: copiosam supellectilē templo dicauit: victum vestitumq; sodalibus suppeditauit. Parœciā verò inde ad templū virgini matri Dei Mariæ dicatū, ob id tūc à se constructū, transtulit. Cōplura deinde eidē sodalitati cœnobia in Polonia cōdita sunt. Quin Kiouiā quoq; & Haliciā ea paulo pòst colonias suas deduxit. Sed non potuit eā diu ferre Kiouię dux Volodimirus, veritus ne ab ea Russi sui à schismate & ritibus Græcorum abstraherentur. Idem Iuo Cacicense etiam monasteriū Cisterciensibus monachis cōdidit: nec multo pòst Mogilam locum à Vēdæ reginæ tumulo dictum vno à Cracouia milliario supra Vistulā id trāstulit, & magnificè locupletauit. Præterea egenis, & morbo ac senio debilitatis Prochodochium, siue hospitale, vt vulgò vocant, in suburbano suo Cracouiensi, Prandnico dicto, exædificauit, pagosque ac decimas quasdam in alimēta attribuit, eiusq; hospitalis curam & administratione hospitalarijs fratribus, qui se de Saxia vocāt, mandauit. Pòsterius autem incommoditatē loci, ab vrbe & frequentia hominum remoti, cùm animo suo perpendens, Cracouiam id transtulit, extructis nouis ædibus atque tēplo, quod Spiritui sancto dedicauit. Quo tempore etiam parœciā vicinam, sanctæ Crucis dictā, in vrbe, & alteram in pago suo Biscupicensi, altero ab vrbe milliario, illis ipsis hospitalarijs iure sempiterno addixit. Sendomiriæ quoque idem episcopus Dominicanis fratrib⁹ siue prædicatoribus monasterium erexit. Tāetsi variat Dlugossus. Nam ab Adleida Lesci sorore monasterium illud conditū esse, alibi memorat. Quæ tamen aliquanto ante inuectam eam sectam in Poloniā, vt ipse vult, obijt. Nisi fortè pecuniā eius testamento relictam Iuonem in ædificationem monasterij impendisse existimandū est, ita vt ambo, hic opera, illa sumptu cōditores illius monasterij fuisse videantur. Idem Iuo etiam Mestouiense atq; Dlubnense monasterium, & Derzansnensem, Vuauurincicensem, Dalesscicēsem, & san-

Hospitalarij de Saxia.

S. Spiritus prochodochium Cracouiæ.

S. Crucis parœcia.

Sendomiriēse monasteriū Domin.

Mestouiense & Dlubnense monasteria.

cti Pauli apud Sendomiriam parœcias cōdidit. Iam Henricus archiepiscopus Gnesnensis Theodorici ducis Bernensis ex Eudoxia Polona filius, bonam & ipse in hoc pietatis studio nauauit operam. Perfecit enim diligentia & autoritate sua, vt principis atque omnium ducum procerumq; Polonorum consensu, & vniuersi conuētus cōstitutione, sacer & ecclesiasticus ordo omnis cum adscriptitijs etiam & subditis suis ab omnium profanorū iudicū, etiam ducum atque ipsius summi principis iurisdictione prorsus liber esset, ita vt ne per exceptionē quidem vllam, aut reconuentionem pertrahi sacrorum ministri ad vllum profanum, siue laicū, vt vocant, forum possent. Eamque constitutionem Pōtificis max. & sedis apostolicæ autoritate confirmauit. Sacerdotes verò omnes ex decreto synodi à se cōuocatæ, vxores & cōcubinas, quas retinebāt adhuc plerique post edictum legati pontificij, abdicare coēgit, iureiurando ab eis exacto. Hic etiā obtinuit à sede apostolica archiepiscopis Gnesnensibus perpetuæ legationis munus. Mortu⁹ deinde est anno Christi 1219. cùm decem & nouem annis ecclesiæ illi præfuisset. Cui Vincētius successit. Biennio pòst densi atque continentes per totam æstatē imbres ingenti aquarum inundatione vehementer Poloniā afflixēre: plurimos pagos atque vicos euertêre atque abripuêre: segetes hybernas vastauêre: vernam sementem fieri passi nō sunt. Consecuta mox est hyems acris & horrida. Inde fames & pestis postea totū triennium sæuientes, maximā vim pecudum, iumentorū atq; hominum absumpsêre: in his tantis malis, Iuonis episcopi beneficentia egentibus passim exposita, permultis saluti fuit. Et sanè mirum est tunc lōgè minores, quā nunc sunt, reditus episcopę, suffecisse tamen pio & benefico episcopo in tot tantosq; sumptus, in cultum diuinum & subleuationē egentiū, vt par fuit, collatos. Verùm diuinæ benignitatis fuit, vt liberaliter seminanti vber messis proueniret. Moderati verò ac temperantis episcopi, vt paruo contentus, dispensatorē non dominū se esse meminisset. Sed instituto nostrum vrgeamus. Masouiæ, Cuiauiæ, ac Dobrini dominatū Lescus Cōrado fratri, quemadmodū iam ante dixim⁹, cōcesserat. Sed quoniā is iuuenis admodū erat, & ocio, desidiæ, voluptatibusque deditus, Cristini palatini Plocensis grauissimi & clarissimi viri, cuius etiam superius meminimus, nutu & arbitrio pleraque omnia administrabat. Et rectè is sanè se gerere: domi scelera seuerè coercere: foris Prus-

Parœciæ quædam.

Ecclesiastici ordinis exēptio à iurisdictione iudicum profanorum.

Sacerdotib⁹ vxores ademptæ.

Legationata.

Vincētius archiepiscopus.

Inundatio, fames, pestis in Polonia.

Iuonis episcopi beneficentia.

Conradi nequitia.

Prussis, & Lituanis finitimis formidabilis esse, ita vt vulgò iam ab exteris magnus Masouiæ palatinus vocitaretur. Inuidêre ipsi eam gloriam atque autoritatem multi, atque in his Ioannes Ciapla, Scholasticus Plocēsis, & cancellarius ducis, cæteris impensius. Itaque is sedulò Cristino apud Conradum obtrectabat, & inuidiā odiumque omni ratione conflabat. Admonebat crebro Conradum Cristinus officij sui: & cùm remissiorem & nequiorē in dies fieri animaduerteret, in frequenti quoq; senatu fortè acrius obiurgârat. Eā igitur occasionem exoptatam æmuli eius cupidè arripuêre, iratumque sua sponte Cristino Conradum magis etiam irritârunt, multis falsis criminibus in eum confictis, & in primis, q̄ is ad dominatū Masouiæ aspiraret, & Cōradi vitæ insidiaretur. His incitatus Cōradus, Cristinū in vincula coniecit, deinde excæcauit, postremò necauit, & liberos eius proscripsit: optimè merentem pessimè remuneratus. Verùm non nouū, neq; inusitatum hoc est apud principes: apud quos ferè plus loci est ꝑditis palponibus, assentatoribus, atque calūniatoribus, q̄ recta monentibus. Sed non impunè id scelus Cōradus abstulit. Nā vbi sublatum de medio Cristinū, quem Deū vocabant, Prussi accepêre, resumptis animis in ditionem Conradi incursarunt: & Chelmnensis quidem, siue Culmensis tractus magnā partem, palatini eius loci (cū is puellæ cuiusdam Prussæ amore captus esset) proditione in potestatem suam redegerunt. In Masouiā verò progressi, maximis eam affecêre incommodis, ferro & igni longè lateque grassantes, ita vt Ploscū etiam oppidum, Masouię caput exurerēt. Nam arx cum basilica in ea sita, iam antè fortuito cōflagrarat incendio, quo supellex basilicæ, perquàm splendida absumpta est. Ad quæ incommoda illud etiam accessit Masouiæ, quod cathedra Plocensis post mortem Goslai biennium episcopo caruit, cùm plures pariter à dissentiente collegio electi essent. Quibus malis adact⁹ Cōradus, cùm Prussorum excursionibus cohibendis per se ipse par non esset, Crucesignatos milites in auxilium cōtra barbaros Christiani monachi sectæ Cisterciensis opera vndequaque euocauit. Inter quos facilè principes erant Lescus Poloniæ & Henricus Silesiæ duces: complures episcopi & multi è nobilitate Polonica. Quorum ope cùm Chelmnēsem siue Culmensem & Lubauiensem tractum, Masouię superiori tempore, ni fallor, à Prussis detractum, in potestatem suam redegisset, Christianum ibi primum Episcopū pontificis Max. authoritate cōstituit, quo per eum barbari ad religionem Christianam adducerentur: eique & successoribus eius Episcopis Prussiæ (sic enim tunc appellati sunt, qui deinde Culmenses dicti sunt) partem tractus Chelmnensis, in quo fuerunt munitiones, Grudentum, Vapscum, Coprinum siue Copriuunū, Vilsazum, Colnum, Ruch, siue Ruth, Kisinum, Glemboki siue Profundum, Turnum, Pin, Ploth siue Ploch, Postolsco, Coualeuo, Belcz, Colman, Ostrovvith, Neuir, Bobroth, VVenzino, Mileszeuo, Osieczno, Plovvans, Iablono. Eas igitur cum omnibus villis & pagis attinentibus, & iure ducali episcopo illi & ecclesię iure sempiterno donauit: & præterea centum pagos. In reliquo autem Culmensi territorio dimidiam partem ducalium prouētuum, & in arce ius curiam sibi & fratrū suorum collegio construendi ipsi cōcessit. Adscripti sunt autem testes (vt hanc quoque antiquitatis memoriam ne prætermittamus) hoc ordine. Gothardus Cā. cell. Masouiæ, Nicolaus Cancell. Cracouiæ, Arnoldus Masouiensis, Marcus Cracouien. Iacobus Sendomiriæ, Dersco Vratislauiæ Palatini, Pacoslaus Cracouiæ, Mestuinus Sendomiriæ, Hostassius Vislicię, Clemens Plocensis, Theodorus Crusuicię, Mauricius Vuladislauiēsis, Sobesla⁹ Vuratislauiensis, Stephanus Boleslauiensis, Petricus Legniciæ Castellani. Adiecit etiā Gedeon Plocēsis Episcopus, assentiente sacro collegio Carnouum & Papouiā cū omnib⁹ eius orę pagis seu villis suis, & omni iure ꝓfano iuxta ac ecclesiastico q̄d habebat in tractu Culmēsi; atq; etiā decimas, ijs bonis exceptis, q̄ tunc Silesię dux Hēricus obtinebat. De his porrò ꝓmisit, vt inter eū & episcopū trāsigeretur. Id adeò anno Christi 1222. Louicię actū est, vti videre est ex diplomate à Cōrado & Gedeone vnà cū Capitulo supra memoratis, pariterq; à Lesco Poloniæ, & Hērico Silesiæ ducib⁹, Vincentio Archiepisc. Gnesnensi, Cracouiēsi, Posnaniensi, Vuratislauiensi, Lubussensi & Cuiauiensi episcopis cōsignato. Vnde licet colligere, archiepiscopum quoque ac cęteros episcopos Conrado cōtra barbaros adfuisse. Accessêre postea cōplura alia bona ei ipsi ecclesiæ, partim vendita, partim donata à pijs hominibus: Quæ pleraque Teuthones Cruciferi deinde per vim & fraudem interuerterūt & occupârunt. Sed nos ex diuerticulo ad institutū reuertamur. Igitur ita tūc Conradus Prussicum bellū gessit. Nec tamē ab illo Cruce signato exercitu perdomari Prussi potuerūt. Itaq; Cōradus inito con-

Inuidia & calumnia in aulis principū regnant.

Cristini palatini cædes.

Prussi Culmensem tractum in potestatem suā redegēre, & Masouiā vastauēre.

Ploscum incensum à Prussis.

Plocensis episcopa biennium vacauit.

Cruce signati in Prussos immissi.

Christianus episcop. Culmensis.

Culmensis episcopæ bona & reditus.

Testes ascripti in priuilegio donationis & fundationis episcopæ Culmensis.

consilio, & missa ad Albertum archiepiscopum Rigensem legatione, sodales siue fratres militiam Christi professos, qui rubri ensis imaginē cum cruce in pallio insutam gestant, è Liuonia euocauit: eisque Dobrinensem tractum inter Camenizā & Culmenizam riuos attribuit, vt sibi cōtra Prussos præstò essent. Verùm ij quoq; vno prælio, quod biduo durasse memoratur, obtriti à Prussis ac deleti sunt, ita vt quinque soli euaderent: qui & ipsi Dobrino repudiato in Liuoniā sese receperunt. Dum hæc ita geruntur, Lesco principi nouus hostis exortus est ex huiusmodi causa. Suppetias is Conrado fratri cōtra Prussos, quemadmodum dudum memorauimus, iuerat. In eo exercitu & bello Ioannes Clementis filius gente Gryphius, equestri, nec sanè obscuro loco natus, & nonnulli alij, quorum nomina non memorantur, cùm aliter quàm ipsis & genere eorum dignum erat, se gessissent, cæterique fuga eorum proditi occubuissent, reuersi, ignominia notati, & magistratibus amoti sunt à Lesco, Iuonis episcopi & Hostasij comitis Odrouansiorum, aduersæ factionis, suasu & consilio. Permolestè tulit eam notam familiæ suæ inustā Marcus palatinus Cracouiēsis, (nam Gryphius & ipse erat) itemque Andreas magister & canonicus Cracouiensis, suprà memorati Ioannis frater. Itaque cùm clàm contra principem cum cæteris suæ factionis cōspirassent, Marcus palatinus ad Hēricum Barbatum profectus, persuasit homini, vt ad principatum, iure optimo ad se pertinētem (quippe qui natu maximus tunc esset in familia Criuousti Boleslai monarchæ) sibi vendicandum adspiraret: operam ad id studiumque suum, & maximæ partis procerum equitumque Cracouiensis conuentus, quibus exosus sit Lesci dominatus, prolixè ipsi deferens, affirmās que eum nullo negocio voti compotem „ fore. Henricus (vt est ingenium hominū, „ quod opes, honores & eminentiam atti„ net, insatiabile, & facilè sperat, creditque „ quod optat) passus est sibi persuaderi ab homine, quem illustri familia ortum, ac summo honore fungentem, gratia & authoritate plurimum valere in conuentu Cracouiensi nouerat. Itaque facta de suis manu satis valida, spei plenus, frustra reclamante vxore Heduigi, Cracouiam cōtendit. Neque Lescum molimina Marci, & apparatus Henrici ducis latuêre. Itaq; exercitum quātum potest maximum cōtrà comparat, & à Conrado fratre auxilia accersit. Iam ad Dlubniam amnem vno à Cracouia milliario Henricus cum suis copijs peruenerat, cùm de apparatu & exercitu Lesci maiore quàm suo, cognoscit, & maiorem longè quàm Marcus pollicitabatur, difficultatem adipiscendi principatus reperit. Nec ausus rem prælij periculo committere propter non obscurum pauorem suum, ad Lescum misit, tempus locumque & modum colloquij petens. Non abnuit Lescus, pacis & ipse amans. Conuenitur vtrinque pari numero procerum & stipatorū, erecto inter castra tentorio. Aderat autē & Conradus. Ibi multis vltrò citroque sermonibus habitis, tandem Iuonis episcopi opera maximè pax componitur inter duces. Henricus iure suo, si quod haberet ad principatum, sese abdicat. Vterque verò, nunquam se alterorum bonis & possessionibus inhiaturos, sed commoda honoremque alterorum inuicem curaturos defensurosque esse paciscuntur. Deinde inuitatus Cracouiam à Lesco Henricus, octo dies splendidè & honorificè acceptus atque habitus, qui hostis venerat, amicissimus discessit. De Marco palatino nihil memoriæ proditum est, quid factum sit. Sed verisimile est, ei Lescum Henrici opera reconciliatum esse. Nam post Lesci mortem in eo conuentu, qui de eligendo principe nouo habitus est, interfuit, & vxori filioque Lesci non defuit. Eodē tempore maior quoque Polonia non immunis fuit ab intestinis diffidijs & ciuilibus bellis. Nam Vuladislaus, Ottonis filius, cui Sputatori cognomen fuit, nondum egressus ex ephebis, æqualium suorum suasu & consilio liberari à tutela patrui Vuladislai Magni, siue Lasconogi, & partiri eum secum domina tum flagitabat. Cùm non impetraret, coacta clàm aliquanta manu, Calissiam arcem intercepit. Qua de re certior factus Lasconogus, celeriter cum tumultuarijs copijs nobilium iuxtà ac rusticanorum accurrit: arcem obsidet, non instructam ad longam obsidionem perferendā. Quintumdecimum diem iā durabat obsidio, cùm commeatus obsessos deficere cœpit. Quocirca qui in præsidio erant, vitam & incolumitatem pacti, arcem Lasconogo dedidêre. Porrò Sputator per noctem cū septem tantùm comitibus effugit, & ad Lescum principem Cracouiam, deinde in Vngariam se recepit: & ab Andrea rege humanè & benignè acceptus, nouem fermè annos apud eum metu patrui exulauit. Sed hæc aliquanto antè acciderant. Post hæc Vuladislaus idem Sputator societate & affinitate clàm per internūcios cum Suentopelco Pomeraniæ præfecto inita, quòd filiam eius Helingam siue Helenam

Liuonienses milites Christi contra Prussos euocati.

Dobrinensis tractus.

Liuonienses milites deleti à Prussis.

Ioānes Gryphius ignominia notatus.

Hēricus Barbatus ad inuertendū principatum concitatur.

Henrici Barbati expeditio in Cracouiēsem principatum.

Dlubnia fl.

Pax & fœdus inter cognatos principes.

Vuladislaus Sputator Calissiam intercepit.

lenam vxorem ducebat, monachi habitu clàm in Poloniam rediit, & Suentopelci ope Vsce arcem, cùm duorum fluminū Notesij & Guidæ allapsu & ambitu, tum manu quoque munitissimam intercepit, indeque subiectas ac vicinas oras vexare cœpit: prædia patrui, & Mogilnēse monasteriū diripuit: complures equites, qui cū Lasconogo sentiebat, interfecit: Alberto & Laurentio, Ioannis filijs non obscuris iuuenib⁹ in primis adiutoribus vtēs.

Vsce arx à Vuladislao Sputatore intercepta.

Notesius fl.

Guida fl.

Hæc vbi accepit Lasconogus, validum ex omni dominatu suo conscribit exercitum: arcem Vsce, cùm difficilis esset expugnatu, obsidione cingit, castella pluribus in locis extruit: vnde dispositi in stationibus milites obseruarent, ne quid ad obsessos importaretur, néue iterum Vuladislaus Sputator manus suas effugeret. Vineas, turres, & alia opera ad mœnia agit, & machinis murum nequicquam quatit. Vbi hàc non proficit, diuturna obsidione & fame ad deditionem obsessos adigere statuit. Cumque ad medium mensis Iulij à primo vere duraret obsidio, nec obsessi è munitione prodirent, negligentius omnia cœpêre agi in exercitu. Rari, atq; ij inermes ferè, atque ebrij quoque in stationibus apparere. In castris etiam pauci ac dissoluti obuersari. Hoc animaduerso, hi qui obsidebantur, alere etiam ipsi data opera simulato metu obsidentiū negligentiam. Die quadam cùm infrequentes admodum stationes & infrequentia castra supernè conspexisset Vuladislaus Sputator, celeriter instructis in arce ordinibus, cohortatusque paucis milites, apertis portis erumpit: deiectaque nullo negocio statione hostium, ad castra curriculo contēdit. Ibi permagnam in inermibus, & inopinata re perturbatis, stragem edidit: donec Lasconogus retractis & animatis suis, globoque facto, in cæde exultantes repressit, & in arcem compulit. Multos ibi nobiles & fortes milites, & palatinum Posnaniensem, Dobrogostium Lasconogus amisit. Quo incōmodo consternatus, postero die obsidionem soluit.

Vsce arcis obsidio.

Drobogostius Palat. Pos. occisus.

Vuladislaus Lasconogus victus.

Discedentē Sputator magna iam fiducia suarum viriū secutus est, & multi ad eum à Lasconogo, accepta fama prælij, quæ deteriorem etiam quàm erat rem Lasconogi fecerat, deficiebant. Posnania quoque & Calissia, primaria oppida, non grauatè sese ei venienti dedidēre.

Vuladislaus Sputator maiorem Poloniã occupat.

His tam secundis generi sui rebus Suentopelcus Pomeranorum præfectus, cùm alioqui magnis opibus & facultatibus terra marique partis, & gratia populari tumeret, insolentior factus, à Lesco principe magnopere contendit, vt se ducis, siue principis Pomeraniæ nomine & honore dignaretur, & sempiternū id sibi posterisque suis esse iuberet, vt ij tamen summo Polonorum principi obtēperarēt. Concessisse id auum eius Criuoustum Boleslaum in inferiore Pomerania & Cassubia Boguslao gentili suo.

Suentopelci præfecti Pomeraniæ ambitio.

Refutauit postulata Suētopelci Lescus. Qua repulsa ille accensus, ad defectionem spectare cœpit, neque pensionem annuam de more Lesco misit.

Suentopelci defectio.

Lescus igitur cùm consilium eius non modò hominum sermonibus, verùm etiam re ipsa deprehendisset, communicato cum Henrico Barbato consilio, Gansauā, quæ villa est Tremesnensis monasterij prope Znenam in maiore Polonia sita, vniuersæ Poloniæ comitia ad tertium Idus Nouembris, quę dies Martini sancti episcopi memoriæ dicata est, indicit, quasi de republica ac de componendis intestinis ducum maioris Poloniæ dissidijs: re vera autem, vt Suentopelcum prætextu comitiorum euocatum, sine armis & bello opprimeret.

Comitia apud Gansauam.

Subolfecit id Suentopelcus, & vltrò in principem insidias intendit vnà cum Vuladislao genero: quòd eius quoque iuxtà ac suam rem agi, nec minus illius, quàm suo periculo comitia illa institui diceret, & ad spem summi principatus adipiscendi eum incitaret. Conuenēre ad præstitutū locum atque diem Lescus princeps, Henricus Barbatus Cōradus, Vuladislai duo, Lasconogus & Sputator duces, archiepiscopus Gnesnensis, Cracouiensis, Vuratislauiensis, Vuladislauiensis, Posnaniensis & Lubussensis episcopi, & electus nuper Plocensis, magnusque procerum numerus. Porrò Suentopelcus nectebat moras: missisque subinde per speciem excusandæ suæ moræ hominibus statum omnem comitiorum cognoscebat, & occasionē peragendi cogitati facinoris captabat. Cū triduo de pace inter Vuladislaos actum atque tractatum esset, ac Suentopelci aduentus requireretur, propterea quòd totius conuentus sententiæ eò inclinabāt, vt ipse & Pomerani maioribus Polonis de damnis ac detrimentis cum Sputatore illatis satisfacerent, quartaque dies curandis corporibus data esset, ad balneum se Lescus & Henricus contulēre. Ibi Suētopelcus cum expedita suorum manu adest: propè enim delituerat, & opportunitatem rei peragendæ didicerat: & in diuersoria ac tentoria proxima irrumpens, obuios quosque, rei nouitate attonitos, facilè aut remouet, aut obtruncat: Lescum quærit: ad balneum, vbi eum esse acceperat, contendit. Interim exaudito tu-

multu certior factus Lescus de hostili aduentu Suentopelci, exilit: & equum nactus, cum paucis fugere cœpit. Fugientem Suentopelcus cum plerisque suis persequitur: illum vnum se potissimùm petere, in vno illo capite omnia sibi posita esse dictitans. Vbi effugere Lescus insequẽtium & prementium se manus non potuit, conuerso equo & reuocatis fugæ comitibus, cùm aliquandiu multis & bene armatis nudus penè cum paucis restitisset, fortiter dimicãs apud Marcincouum pagum occubuit. At qui ad perscrutandũ in balneo principem descenderant, in Henricum, qui ætate grauis fugam desperauerat, impetum faciunt. Sed eum aliquot vulneribus debilitatum prostratumque, Peregrinus Veisemburgius, vnus de aulico ipsius comitatu, corporis sui obiectu protexit, confossusque & concisus deficiente vita super iacentis domini sui corpus se proiecit. Percussores rati vtrunque exanimem, discessêre, & recolligendi sui spacium Henrico concessêre: qui raptim furtimque Vratislauiam delatus à suis, haud ita multo pòst sanitati pristinæ restitutus, & posteros Peregrini liberatoris sui magnis muneribus & honoribus prosecutus est. Annus, quo hæc acta sunt, fuit à Christo nato 1226. secundum Vincentium: vel, vt vult Dlugossus, 1227. Ex eo tẽpore Suentopelcus pro duce ac domino Pomeraniæ gerere se cœpit. Lesci verò corpus Cracouiam relatum, in basilica magna omnium comploratione sepultum est. Regnauit autem Lescus à morte patris annos triginta tres propemodũ, cùm puer admodum ad principatum euectus esset. Sed in his trigintatribus annis Micislaus quidem duos ferè, Vuladislaus verò filius eius tres annos, quibus summoto Lesco principatum obtinuêre, sibi vendicant. Per hoc tempus Prussis Masouiam vehementer vexantibus & vastantibus, inops consilij Conradus dux, habito conuentu suorum, tandem Christiano episcopo suggerente & suadente, fratres siue sodales Teuthonicos, & ipsos piam contra barbaros militiam sub titulo S. Mariæ professos (qui paulo antè à Saracenis è Syria eiecti erant) per eum ipsum Christianum Roma acciuit: Chelmnensemque seu Culmensem tractum, & quicquid terræ est inter Vistulam, Mocram, atq; Deruanciã flumina, eis tradidit: his legibus, vt contra Prussos sedulò & summis viribus bellum gererent. Vbi verò eos domuissent, Culmensem quidem tractum redderent: cætera verò quæcunque de barbaris cepissent, arbitrio bonorum virorũ ex æquo secũ, seu cum posteris suis partirẽtur: Polonis ne quam vim aut iniuriam facerent, néue hostes eorum receptarent, aut vllo fauore prosequerentur: contra barbaros autem, & à religione Christiana alienos, vt ipsis, cùm opus fuerit, præstò essent. Si quid horum transgrederentur, pœnæ, quæ contra ingratos est ex iure gentium, subiacerent: hoc est, beneficia accepta amitterent. Hæc ita inter Conradum & suprà memoratos fratres Crucigeros, quorum tunc Hermannus de Salza summus magister erat (sic illi ducem suum appellant) conuenêre, & à Gregorio nono pontifice max. approbata & confirmata sunt: quæ nos è libro vetusto Germanica lingua scripto, q in arce Lubauiẽsi asseruatur, viri pietate iuxtà ac doctrina & integritate summa prædicti Stanislai Hosij, dudum Culmensis, nũc iam Varmiẽsis episcopi beneficio eruta & subministrata, bona fide hîc inseruimus. Nam pacta ipsa publicis literarum monumentis cõsignata, partim iniuria temporum & negligentia nostrorũ amissa, partim fortassis etiam studio Crucigerorum suppressa periêre. Friderici quidem secundi Imperatoris diploma sub bulla aurea diligentius ijdem Crucigeri asseruarunt: quo ille confirmauit ipsis possessionẽ terræ Culmensis, & quicquid ij de Prussis postea capturi essent, itemque terram quam eis Conradus dux Masouiæ deinceps adhuc donaturus esset inter Prussiam & nouam Marchiam: quasi verò imperium aliquod atque iurisdictionem Imperator in illis oris haberet, aut habuisset vnquã. Ac terram quidem illam, quæ est inter Prussiam & nouã Marchiam, siue ea Cuiauia, siue Pomerania est, Conradus eis non donauit. Cæterùm Dobrinum, quod Culmensem tractum & Masouiam attingit eis, iure hæreditario filijs suis & vxore assentientibus, concessit. Vxor autem eius fuit Agaphia Russa, siue ea est Agapia, siue Agathia potius. Etenim Russi θ Gręcũ, hoc est th, quasi ph siue f pronunciant: vt est videre in Theodoro, quem illi Phedorum dicunt, & alijs similibus. Oscam nostri vocarunt: quæ filia fuit Suentoslai ducis, cuius mentionem superius fecimus. Adiecit etiam militibus illis Crucigeris Guntherus episcopus Plocensis, Gedeoni paulo antè mortuo suffectus, villam cum insula magna in eo ipso territorio, itemque decimas ad episcopam suam pertinẽtes ex ijs agris, quos Germani agricolæ colerent. Quin & collegium Vuladislauiense ius suũ omne in villa Vissin eis concessit, accepta à duce Conrado compen-

Lescus interfectus à Suẽtopelco.

Hẽricus Barbatus à Peregrino Veisemburgio protectus & seruatus.

1227. ann. *Suẽtopelcus dux Pomeraniæ citerioris.*

Teuthonicorum S. Mariæ ordo.

Culmensis tractus Teuthonibus cõcessus iure hospitij. Pacta Conradi cũ Teuthonibus fratribus.

Hermannus de Salza prĩmus Magister Teuthonicorum in Prussia.

Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis.

Friderici secundi Imperatoris diploma.

Dobrinum donatũ Crucigeris.

θ quomodo Russi pronũcient.

Crucigeris donata.

pensatione. Atque hæc ferè suprà memorato anno Christi 1228. acta sunt. Libet autem hîc adscribere nomina & ordinẽ testium, quibus præsentibus supra ripã Vistulæ ex aduerso Plosci hæc confecta, ac diploma consignatum est. Michael episcopus Cuiauiẽsis, Mikul archidiaconus, magister Ioannes Dobroslaus, magister Petrus, canonici Plocensis ecclesiæ, Gotardus cancellarius, Gregorius succancellarius, Ioannes abbas beati Alberti Plocensis, Venceslaus abbas, Gerardus præpositus, Petrus prior Ciruenensis ecclesiæ, Bogussa Palatinus Masouiæ, comes Arnoldus, Cethegus iudex, Abraam pincerna, Martinus dapifer, Vitus castellanus de Plonsk, Matthæus castellanus de Racianz, Seguta dapifer, Barta succamerarius, Adalbertus castellanus antiquę Vladislauiæ. Biennio porrò interiecto Nessouiam arcem cum tribus pagis in ditione Cuiauiensi, Cõradus addidit: Christianus verò episcopus omnia, quæ ab eodẽ Conrado in tractu Culmensi acceperat, præter ducenta aratra, & quinque prædia eis concessit: modium tritici, & alterum siliginis de singulis aratris in omni agro Culmensi sibi & posteris suis episcopis quotannis dari pactus. Paulò aliter hæc à Dlugosso memoriæ prodita sunt: sed nos vetusta scripta ac diplomata, q̃ post Dlugossum nostra memoria in archiuũ regium è Prussia relata sunt, quorũque exempla etiam in codice vetusto descripta in arce Heilsbergensi extant, secuti sumus.

1228. ann. *Ciruensce.* *Nessouia Crucigeris donata.* *Culmẽsis episcop⁹ sua donauit Teuthonibus Crucigeris.*

Ita Crucigeri Teuthones fixis primùm Dobrini domicilijs, Conrado Landisbergio duce, quem Hermannus de Salza ipsis præfecit, magistrumque appellauit, Masouiorum & Polonorum defendendorum, & Prussiæ barbaris eripiendę prouinciam suscepêre: & mox primam in terra Culmensi munitionem in ripa Vistulæ excitârunt, eamque Fogelsangum ab auium cantu, Germanica lingua, dixêre. Inde verò Masouijs adiuuantibus, & voluntarijs multis vndique pietatis ergò accurrentibus, barbarorum excursiones reprimere, & ipsorum agros pagosque vicissim infestare cœperũt. Toruniam deinde, Risembergam, quæ eadem Prabuta est, & alias quasdam arces & oppida non ignobilia paucis annis muniêrunt. Rogouiam verò, quod Rogoznum est, & Culman, & alias quasdam à barbaris munitas siue interceptas, in potestatem suam redegerũt, & paruo tẽpore magna in illis oris incrementa ceperunt. Per hoc ipsum verò tempus Fridericus Imperator sublatis æmulis, post vexatam Italiam, vix adactus à Gregorio nono pontifice maximo, expeditionẽ in Syriam suscepit. Sed nihil memorabile ibi gessit, nisi quòd Ierosolyma à Sultano ex pacto recepit, regemque eius vrbis ritu solẽni appellari se curauit. Mox reuersum Italici motus excepêre: quos ille quidem placidè composuit, sed Ierosolyma non multo pòst amisit. Titulum tamen eius regni etiam posteri & successores eius retinuêre. Sed nos ad nostra.

Fogelsang castellum. *Torunia.* *Rogozno.* *Culma siue Chelmno.* *Frider. 2. Imper. expeditio in Syriã.* *Frideric⁹ Imper. rex Ierosolymorum.*

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER OCTAVVS.

BOLESLAVS PVDICVS.



NVLLAM quidem propemodum vim & authoritatẽ Lesci Albi principatus inter cæteros duces Polonorũ habuit: nec ferè is in quenquã, nisi in suæ ditionis homines, perinde atque cæteri, potestatem exercebat: suáne id ignauia & angustia animi, an illorum contumacia, an verò vtroque, non quærimus. Cæterùm pòst mortem eius maior etiam confusio & perturbatio consecuta est, ita vt vix aliquod summi principatus, & communis reipublicę vestigium in Polonia extaret. Nã cùm Boleslaus Lesci fili⁹ puer admodum esset, necdũ aptus administrando per se principatui, excludi eum quidem à principatu non placuit: sed de eius tutela ac de summa rerum nihil constitui publico consilio potuit, cũ proceres inter se dissentirent, & nonnulli Conrado Lesci fratri fauerent, & iure patruum pupilli tutorem esse debere asseuerarent: alij verò, quorum multo maxima pars erat, vnà cum Grimislaua Boleslai matre, & Marco Cracouiensi, atque Pacoslao Sendomiriensi palatinis, profligatos Conradi mores perosi, atque sæuitiam reformidantes, ad Henricum

Monarchia elanguit. *De tutela Boleslai & administratione principatus cõtrouersia.*

Barbatum, ducem Vuratislauiensium, tutelam pueri, & administrationem principatus deferrent. Neque verò illi liberis comitiorum suffragijs rem permisêre, sed armis ac per vim, quasi oblatam fortuitu prædam, dominatum pro se vterque vsurpare aggressi sunt. Itaque comparatis vterque magnis viribus, in Cracouiensem oram inuasêre. Et arcem quidem Cracouiensem Grimislaua cum liberis obtinebat: Henricus verò maiore quàm Conradus celeritate vsus, & procerum fauore fretus, duas extemporè munitiones nouas excitauit, alteram prope Scalam oppidum in colle, quem Prandnicus amnis alluit, alteram ad Mezibozum: easque validis militum præsidijs muniuit, vt inde aduersariorum conatus retunderet, tractumque illum omnem in potestate sua teneret, nec facilè intercludi à sua ditione posset. Porrò Conradus re cum Teuthonicis Crucigeris, vti modò exposuimus, constituta, omnia sibi in eo posita esse existimabat, si nouas munitiones & præsidia Henrici deijceret, quòd eorum fiducia Cracouienses sibi resisterent. Itaque ad Scalensem munitionem oppugnandam contendit. Occurrit ei Hēricus: durum prælium cōmittitur. In quo multis vtrinque cadentibus, Præmislus quoque Conradi filius inter primos pugnans interficitur. Quo aduerso casu fractus Cōradus, receptui canere iussit, & pro victo abijt. Nec multo pòst ad alteram munitionem duxit, quasi mutaturus cum loco fortunam, & acceptam ignominiā deleturus. Verùm ibi quoq;, cùm eum Henricus cōsecutus esset, apud Vurocirissum pagum eodem, quo prius, ac deteriore etiam euentu pugnauit. Profligatus autem, in syluas & montes proximos, inde verò in Masouiam ad redintegrandum exercitum se recepit. Hēricus verò debellatum iam credens, & quod hyems instabat, vt tempori agricolæ sementem facere possent, dimisit exercitum. Ipse verò sine vllo metu cum paucis comitibus in Cracouiensi tractu versabatur. De quo certior factus Conradus à sui studiosis, improuisus cum expedita manu aduolat: Henricumque in Spitcouicensi villa diuinæ rei vacantem capit, & in Masouiam asportat. Hoc postea quam accepit Henrici filius Henricus, raptim quantum potest maximum conscribit exercitum, ad liberandum patrem. At Heduigis pia, quæ ab initio futuri, vt credibile est, præscia, viri cō filium illud de principatu adipiscēdo nō probarat, tunc quoque dubios euētus belli secum reputans, & sanguinis Christiani atque cognati profusionem, quæque bellum consequi solēt calamitates & nefanda scelera perhorrescens, iuncto curru in Masouiam ad Conradum, expeditionem filij anteuertens, excurrit, & oriens detestandi atque parricidialis belli incendiū sapientia sua restinxit. Eius enim precib⁹ atque suasu motus & placatus Conradus, Henricum & cæteros captiuos omnes dimisit: duasque neptes Henrici ex Hērico filio, filijs suis Cazimiro & Boleslao vxores despōdit. Henricus autem tutela Boleslai & administratione principatus, iureiurando interposito, se abdicauit. Exinde Conradus, nequicquam renitente Grimislaua, Boleslai nomine principatū apud minores Polonos administrare cœpit. Per quod tempus Præmislus siue Ottocarus rex Boemorum vita defunctus, Venceslaum filium, quem viuēs designauerat, ac diademate cinxerat, successorē reliquit. Nec in maiore Polonia quietæ res per id tempus fuêre. Nam Vuladislaus Lasconogus post solutā illam Vscensis arcis obsidionē, de qua superius mentionē fecimus, similemq; fugæ receptum, coadunatis nouis copijs, & vicinorū auxilijs, recuperare amissa, & vlcisci fratris filiū statuit. Nec ille segnior, quāuis inferior tunc viribus (quippe qui soceri auxilia dimisisset) ad resistendū patruo occurrit, & superioris tēporis successu cōfisus, temerè magis quàm animosè pugnandi copiā fecit, cōmissoque prælio fusus, viuus in patrui potestatē venit. Verùm aliquāto pòst, custodum fauore elapsus, ad Suētopelcum socerum profugit. Quem non modò armis atque copijs instruxit Suentopelcus, verùm etiam ipse prosecutus est. Ad primum autem aduentum eorum Lasconogus suis diffisus, quos propēsiores in Sputatorem esse animaduertebat, non tentata belli fortuna (tametsi superatum prælio nonnulli volunt) cessit, & Ratiboriam ad Cazimirum ducem se recepit. Vbi cùm in quartum annum exulasset, multique è maiore Polonia, quos vel Sputatoris tædium cœperat, vel æs alienum, scelerisúe conscientia, & iudiciorum metus premebat, ad eum conuenissent, aut per internuncios sua ei studia significassent, magna spe rursus ad recuperandum dominatum adspirare cœpit. Sed eum fortuna in ipso cursu destituit. Facta enim aliquanta manu Gnesnam, cùm ea venienti portas clausisset, oppugnare adort⁹ est, sperans non illos modò oppidanos, sed & plerosque alios, atque etiam nobilitatē ad se defecturam. Verùm vbi frustra duos mēses in obsidione Gnesnæ cōtriuit, neq;

quis,

Bellum ciuile inter Henricū & Conradum duces.

Præmislus Conradi filius occisus.

Conradus bis victus ab Henrico.

Hēricus Barbatus captus à Conrado.

Heduigis Hēricum virū liberat, & pacem inter cognatos duces cōponit.

Affinitas inter Masouios & Silesios duces.

Venceslaus rex Boem.

Vuladislaus Sputator pellitur.

Vulad. Lasconogus eijcitur.

Gnesna obsessa.

quiſquam omnino per id tempus ad eum deſciuit, & Vuladiſlaum Sputatorem cum Suentopelco & magnis copijs aduẽtare nunciatum eſt, ſoluta obſidione mœſtus abijt: nec multo pòſt mœrore confectus, Srodæ vitam cum morte commutauit, & in Lubinenſi monaſterio, vel (vt alij volunt) Ratiboriæ ſepultus eſt, vir propter libidines & fœdos mores ſuis exoſus.

Vuladiſlai Laſconogi mors.

Hic autem Vuladislaus Stolpenſem ditionem in Pomerania incuria ſua, vel ſanè domeſtico bello implicatus amiſit, ab Eduardo Danorum rege, qui maternum genus ad principes Poloniæ referebat, vi ſubiugatam. Ita quidem Dlugoſſus, inconuenienter, vt videtur, ijs quæ alibi ſcripſit. Nos verò quid ex alijs Scriptoribus ea de re acceperimus, ſuperius in Cazimiro attigimus. Cęterùm per hoc tempus illa ipſa Pomeraniæ pars ſuperbam & iniuſtam externi regis dominationem indignè ferens, ad Suentopelcum Pomeranorum dominum ſiue ducem tranſijt.

Pomerania Slupenſis ſiue Stolpenſis amiſſa, & à Suentopelco recepta.

Nullos autem Vuladislaus Laſconogus reliquit liberos. Itaque eius morte vniuerſa maior Polonia in ditionem Vuladislai Sputatoris recidit. Repente rio tamen Boleslaum Leſci filium à Vuladislao (ſed Laſconogone an Sputatore, incertum eſt) anno Chriſti 1228. adoptatum eſſe. Cuius adoptionis diploma ſub ipſius Vuladislai ſigno ac titulo extat in baſilica Cracouienſi.

Boleslaus Pudicus à Vuladiſlao adoptatus.

Sputator verò Dei benignitati ſucceſſus ſuos acceptos referens, vt aliquod grati animi documentum in propagando cultu diuino ederet, Olobocenſe monaſterium Ciſtercienſis ordinis virginibus condidit, & locupletauit. Quanquam Virbenta quoque eques Clementis filius nonnihil contulit.

Olobocenſe monaſteriũ.

Donauit item hic ipſe Vuladislaus, quemadmodum Dlugoſſus memorat, eccleſias Gneſnenſem & Poſnanienſem, & oppida pagoſque earum, etiam quos in poſterum eccleſiæ illæ acquiſituræ eſſent, vacatione omnium laborum atque munerum, & immunitate penſionum, quæ principibus ducibúsue debentur: ad hæc ab omni quorumuis profanorum iudicum, præfectorum, palatinorum, atque adeò ipſorum principum iuriſdictione omnes, quicunque in ditione illarum eccleſiarum eſſent, liberauit.

Gneſnenſis et Poſnaniẽſis eccleſiarum immunitas & prærogatiuæ.

Quanquam hoc prius iam in vniuerſa Polonia Henrici archiepiſcopi opera in conuentu effectum eſſe diximus.

Eccleſiarum Polonicarũ immunitas.

Fecit etiam idem Vuladislaus poteſtatem archiepiſcopo Gneſnenſi & epiſcopo Poſnanienſi monetam cudendi, & venandi in ſyluis atque bonis ſuarum eccleſiarum: quod antea nemini præter principem licebat.

Monetæ cudendæ, et venandi ius.

Crobiam quoque amplum & locupletem pagum, Sulcouam prius dictum, nunc oppidum, Poſnanienſi epiſcopo donauit.

Crobia epiſcopo Poſn. donata.

Quæ quidem largitiones inuidiam ipſi, iniuſtus verò & ſuperbus dominatus odium etiam apud pleroſque omnes proceres conflarunt, ita vt in eius expulſionem coniurarent, & Henrico Barbato, quem propter Ganſauienſem proditionem & vulnera hoſtem Vuladislao eſſe ſenſerant, accito, ſe dominatumque omnem dederent.

Polonia maior ad Henricum Barbatum defecit.

Nec auſus eſt Vuladislaus Henrico cum valido exercitu venienti ſeſe opponere, diffiſus viribus ſuis, & voluntatibus militum. Sed Bnino atque Sremo arcibus, quòd non ſatis munitæ eſſent, crematis, Gneſna verò firmo præſidio munita, ad Suentopelcum ſocerum confugit. Henricus verò munitionibus pleriſque omnibus atque oppidis facilè potitus, Bninum quoque & Sremum refecit, & præſidia opportunis locis impoſuit, eiſque Boriuoium nepotem ſuum ex filia Adleida, Dipoldi marchionis Morauiæ filium, præfecit.

Bninum & Sremum arces incenſæ, & refectæ.

Boriuoius nẽpos Henrici ducis.

Ipſe reliquas copias domum reduxit, domeſticóne aliquo bello reuocatus, an vindicandæ tutelæ Boleslai pueri, & adminiſtrationis principatus gratia, non conſtat. Vindicauit quidem certè vtrumque, priuſquam ad ſubiuganda reliqua, quæ in fide Vuladislai perſtiterant, reuerteretur. Nam vt Conradus dux Maſouiæ, concedente & abdicante ſe Henrico, quemadmodum ſuperius narrauimus, pro tutore & principe gerere ſe cœpit, Iuo epiſcopus Cracouienſis, ſiue Henrici voluntate, ſiue ſua ſpõte & metu odióque Conradi, cui aduerſatus erat ſedulò, profectus ad pontificem maximum Gregorium eius nominis nonum, cum quo adoleſcens in Academia Pariſienſi coniunctè & familiariter vixerat, acceptusque ab eo Peruſiæ honorificè, relaxationem per vim exacti iuriſiurandi Henrico impetrarat.

Poloniæ minoris motus.

Iuo epiſcopus ad Pontificem profectus.

Abſolutio à iureiurando.

Et proximus iam erat pubertati Boleslaus, & à Conrado patruo alienus, in Henricum prono ſtudio pariter cum matre ferebatur, ſiue adeò ſui iam iuris eſſe cupiebat. Hæc vbi non obſcuris indicijs atque ſignis intellexit Conradus, Boleslaum vnà cum matre per ſpeciem colloquij euocatum capit: Cirſcumque, quæ arx eſt in Maſouia, aſportat, ac de necando puero cogitabat. Deinde mutata ſententia, ſuaſu Vuladislai Sputatoris, & Marci palatini Cracouienſis opera, in Secechouienſe monaſterium,

Boleslaus Pudicus captus à Cõrado, & elapſus.

Cirſcũ arx.

M 3 rium,

rium, quod in tractu Sendomiriensi supra Vistulam situm est, eos transtulit, & asseruari iussit. Ipse verò cum nonnullis ducibus finitimis, & cum nouis hospitibus ac defensoribus Crucigeris, expeditionem in Prussiam fecit, hostilemque regionem longè & latè igni ferroque vastauit.

Prussia vastata à Masouijs et Crucigeris.

Dum autem Conradus eo bello distinetur, interim Boleslaus cum Grimislaua matre, opera abbatis Nicolai Franci, partim corruptis, partim inebriatis & sopitis custodibus, intempestæ noctis silētio dispositis clàm equis effugit, Zauichostoque & Sendomiria potitus, nō ausus est tamen vsquam in sua ditione consistere, propterea quòd præcipuis arcibus Conradus Masouios suos præfecerat: sed in Silesiam ad Henricum profectus est. Venientem humanissimè, vt par erat, Henricus accepit, & consolatus est: comparabatque exercitum, quo eum reduceret, Conradumque eijceret. At Cracouiensis conuentus ordines, cognita Boleslai fuga, & apparatu Henrici, non obscurè illis fauere, & in Conradum conspirare.

Cracouiensis nobilitas aliena à Conrado.

Erat in Sendomiriensi tractu Boleslaus Conradi filius, siue à patre, ad Prussicum bellum proficiscente, ne quid fortè ipso absente nouaretur, cum imperio relictus, siue tūc primùm accepto de fuga Boleslai Pudici (iam enim sic eum appellemus, quo dilucidior fiat historia) ac de motu Sendomiriensium atque Cracouiensium nuncio, aduolârat: nihil enim de eo certi habemus. Is igitur facta manu suorum, crudeliter in eos, quos aduersæ factionis esse didicerat, imò verò promiscuè, nulloque amici & inimici discrimine cædibus & incendijs debacchabatur: & Visliciæ belli sede constituta, in Cracouiensem oram populabundus excurrebat. Porrò aduersarij Visliciense territorium vicissim infestabant.

Boleslai Masouij crudelitas.

Venit tandem cum valido exercitu Henricus, Boleslaum Pudicum secum ducens: ac decedentibus metu Masouijs, magno omnium ordinum consensu atque alacritate susceptus est, & Cracouiensem Sendomiriensemque oram omnem facilè in suam redegit potestatem.

Henrici Barbati expeditio in minorem Polon.

Et quoniam permagnos sumptus fecerat, paternus autem Boleslai thesaurus à Conrado direptus erat, Cracouiensem quidem ditionem vnà cum principatu summo, permittente Boleslao, Henricus sibi retinuit, Sendomiriensem verò ei concessit.

Hēricus principatum obtinet.

Cùm autem is non satis tutò se in vicinia Conradi esse existimaret, Scalam Præginensem arcem cum territorio in Cracouiensi tractu, ab Henrico, vbi cum matre vitam degeret, impetrauit, & quinquennium fermè ibi vsque ad Henrici obitum exegit.

Scala Præginensis arx.

Atque eo quidem anno, qui fuit post Christum natū 1234. Conradus à Prussica expeditione reuertens, satis habuit exortum domi inopinatum bellum propulsare. 1234. anno

Siquidem Misnensis Marchio, cùm ipse quoque piæ aduersus barbaros Prussos militiæ nomen dedisset, Ploscum arcem eius interceperat, incertum cupiditaténe ductus, an iniuria prouocatus. Sed eum Conradus cum filijs mox eiecit, multis de exercitu eius cæsis, multisque cum basilica in quam confugerant, crematis.

Ploscū à marchione Misnensi interceptū. & recuperatum à Conrado.

Insequenti verò æstate Conradus in Henricum arma mouit, & proceres Cracouienses atque Sendomirienses nequicquam ad defectionem solicitauit. Cùm autem omnes à se alienos esse animaduerteret, admouens exercitum propius Cracouiam, Scarbimiriense & Prandocinense templa, & monasterium Andreouiense communiuit, præsidijsque firmauit.

Cōradi expeditio in Cracouiensem oram.

Deinde Cracouiam oppugnare adortus, in radice montis, cui arx imposita est, & ad mœnia vrbis castrametatus est, templumque diui Andreæ, quod tunc suburbanum erat, castelli loco communiuit, primus Polonorum ausus Deo consecrata templa impijs armis profanare.

Cracouia obsidetur.

Habebat quidem Henricus magnas copias, sed tamen vniuersæ dimicationis discrimini rem non committebat, facilius & minori incommodo bellum ducēdo debellari posse Conradum existimās, propterea quòd sibi domi bellum gerenti rerum omnium copia suppetebat, hosti verò longius frumētari & pabulari, aut domo supportare cōmeatum non sine periculo necesse erat, cùm subinde dispositę ab se turmę ex insidijs in pabulatores & frumentatores impetum facerent. Qui verò in præsidio Cracouiæ erant, omnes oppugnantium conatus frustrabantur. Itaque Conradus his difficultatibus implicatus, vastatis agris, incensis pagis & villis, non modico etiam vicissim detrimento accepto, in Masouiam redit.

Conradus rebus infectis discessit.

Neque tamen præsidia de quatuor, quibus diximus, locis deduxit. Verùm ea pòst Henricus, extructis & munitis è regione castellis, in angustum redegit. Illud verò quod in templo diui Andreæ erat, longa obsidione ad deditionem compulit, & aduersarios incolumes decedere permisit. Agi deinde à proceribus de pace cœptum, conuentūque vt Henricus iuxtà atq; Cōradus tutela & principatus gubernatione se abdicarent,

Pax inter duces.

rent, præsidia deducerent: ac Boleslai Pudici, qui iam pubescebat, arbitrio permitterent, vtrum ipse sibi curatorem sumeret, cuius consilijs in administrando principatu niteretur. Facta potestate eueſtigio is patruo præterito, Henricum sibi delegit. Moleſtè id tulit Conradus, verùm tamen præsidia ex pacto deduxit. Et despon ſas pridem filijs suis Henrici neptes, Constantiam quidem natu maiori Boleslao, Gertrudim verò Cazimiro vxores accepit, partitus inter eos, ac tertiū Ziemouitū dominatū suum, quibus quisq; post se dominaretur, ne quid dissidij se defuncto inter eos oriretur. Ipse verò quoad vixit, nihilominus omnia administrauit. Vnde fit verisimile, post Miesconis, siue Mieciſlai cui Cossisconi cognomentum fuit, interitum hanc diuisionem factam esse, quamuis de eo posterius Dlugossus memoret. Scribit autem, eum cùm Cuiauiæ dominatum à patre accepisset, & inopum, viduarum ac pupillorum bona diriperet, indeque quodam tempore conuiuium multis inuitatis præberet, ab ingenti multitudine murium inuasum, & frustra naui fugientem, muribus etiā per aquas eum persequentibus, miserabiliter perijsse, exemplo futurum posteris, ne se rapinis, iniurijs & sanguine miserorum hominum saginent. Hoc tempore Cazimirus dux Oppoliensium & Ratiboriensium Mieciſlai filius vita excessit, & Mieciſlaum atque Vuladiſlaum filios ex Venceſlaua vxore susceptos reliquit. Quorum Miecislaus cùm Iuditham Cōradi Masouiæ filiam vxorem duxisset, sine liberis decedens, fratrem habuit successorem. In Vngaria verò Bela eius nominis quartus Andreæ patri in regno successit. Facta pace cum Conrado Henricus, quamuis principis ac ducis Cracouiēsis & Sendomiriensis titulo abstineret, tamen suo nutu eas regiones gubernabat, & magnam redituum partem non inuito Boleſlao accipiebat, vt sumptus in bellum factos compensaret. Et rectè vtiliterque multa de consilij sententia constituit: leges quasdam improbas & pestilentes, quę auxiliares, virginales, & viduales dicebantur, sustulit: meliores nonnullas sanxit: ecclesiarum immunitates confirmauit: magistratus bonis & industrijs viris mādauit: in maleficos & calumniatores seuerè animaduertit. Opatouiā verò oppidum cum sexdecim pagis, amotis inde templarijs, in quorū ditione fuerat, Lubussensi episcopo iure sempiterno adiunxit, & addixit, assentiente Boleſlao. Quin & in Silesia Borcum oppidū & territoriū, & in maiore Polonia postea Cazimiriam, cum quatuordecim pagis atq; decimis, eidem episcopo donauit. Quod quidem ille miseratione episcopi fecisse videri potest, propterea quòd ei Lādigrauius nescio quis aliquanto prius arcem Lubussensem cum oppido intercepisset, quemadmodum Dlugossus memorat. Idem autē non multo post prodit, à Vilebrando Magdeburgensi archiepiscopo eā ipsam munitionē expugnatā esse, propterea quòd is ab Henrico quarto Imperatore Roman. olim cum Criuousto Boleslao bellum gerente, eam captam, & ecclesiæ suæ donatam esse diceret. Verùm ab Henrico Pio postea, cùm is patri Barbato successisset, recuperatam esse. Quæ quidem inter se non satis congruunt: nisi hanc archiepiscopi Magdeburgensis inuasionem in Lubussum ad superius tēpus retrahamus, eandemq; esse putemus cū illa Landigrauiana, qui archiepiscopo eam munitionē quæsiuisse, vel sibi quæsitā, illi ex pacto tradere potuit: at verò post priorem illam interuersionē ab Hērico Barbato recuperatam fuisse existimemus, & pro ea Henricum illa, quæ dudum commemorauimus, episcopo Lubussensi in compensationem dedisse, statimq; eam rursus amisisse. Nunc quidem oppidum id est in ditione marchionis Brandeburgensis. Fieri autem potuit vel librariorum, vel ipsius Dlugossi errore, vt Landigrauium scriberet pro marchione, quem Germani Margrauium vocāt. Cæterùm illud longè etiam inconuenientius, quod idē Dlugossus vigintisex annis ante illa Landigrauij tempora, Boleslaum huius Henrici filium prodigum & luxu perditum Marchioni Brandeburgensi illud ipsum territorium vendidisse, & ex eo tempore à Polonia alienatum fuisse scribit. Quo quidem tempore necdū Henricus patri successerat, nec scio an iam tum vxorem habuerit. Quin Vnicum is filium reliquit moriens, Henricum, non Boleslaum. Sed non vnum hoc est Dlugossi peccatum in huius temporis historia. Sic enim ferè hic omnia confudit & implicauit, vt in veritate & ordine rerū explicando, Delio, quod in prouerbio dicitur, natatore opus sit. Verùm de Lubussi alienatione nos inferius ex eodem Dlugosso referemus. Nunc ad curriculum reuertamur, si pauca prius de Iuone episcopo prętermissa resumpserimus. Is igitur cùm in contentionē de loco cum Laurentio Vuratislauiensi episcopo (qui postea ex rosarum odore decessit) in synodo prouinciali venisset,

Marginalia: *Miesco Cossisco dux à muribus absumptus.* — *Cazimiri Oppoliensis mors & filij.* — *Bela quartus rex Vngariæ.* — *Henrici Barbati acta.* — *Leges malæ abrogatæ ab Henrico.* — *Opatouia Lubussensi episcopo donata.* — *Borcum & Cazimiria eidem donata.* — *Dlugossi perplexitas.* — *Cracouiensis & Vuratisl. episcoporum contentio de loco.* — *Laurentius episcopus rosarum odore extinctus.*

nec ei, quamuis probāti prorogatiuā suam sedis Apostolicæ diplomate, Vuratislauiensis cederet, profectus iterū ad Pontificem max. quo tempore Conradus dux Masouiæ principatum administrare cœpit, quemadmodū superius attigim⁹, metropoliticam dignitatem Cracouiēsi ecclesiæ, quam Lampertus Zula episcopus ante centum quinquaginta annos negligentia sua amiserat, recuperauit. Verùm cùm Romam religionis ergò Perusia (vbi Pontificem conuenerat) profectus esset, reuertens æstate media, æstu & itineris labore confectus, in morbum incidit: ex quo non multò post prope Mutinam decessit, cùm duodecim annis episcopus fuisset. Cuius corpus postea Cracouiam à Dominicanis fratribus relatū, & in ipsorum templo conditum est. Nec postea curæ fuit successoribus eius episcopis, vt metropoliticum honorem resumerent. Pallio quidem margaritis distincto etiam nunc ij sacris operantes, more archiepiscoporum vtuntur. Nisi fortè hoc solùm ius pallij tunc impetrauit Iuo. Apud basilicam sanè nullum extat eius rei monumentum. Vacauit autem Iuone mortuo, cathedra Cracouiensis biennio, propterea quòd Vislaus Coscelecius canonicus gente Zabauius, & magister Andreas Gryphi⁹ Scholasticus Marci palatani Cracouiensis filius, qui cum Iuone in Italiam profectus erat, de ea litigarent: hic quidem prouisione Pōtificis max. ille verò legitima electione nixus. Ad extremum peruicit Henricus Barbatus, vt Vislao eam Pontifex adiudicaret: Andreas verò postea post Petrū Plocēsis episcopus fact⁹ est. In interregno autem illo, vt ita dicam, basilica Cracouiensis fortuito incēdio in turri, quæ ex testamento Iuonis plumbo tegebatur, excitato conflagrauit. Quam Vislaus postea instaurauit, & alteram quoque excitauit.

Cracouiensi episcopo metropolitica dignitas reddita, nec tamen retēta.

Iuonis episcopi Cracouiensis mors.

De Cracouiensi episcopa lis.

Vislaus episcopus Cracouiensis.

Cracouiēsis basilica arsit.

Nunc iam ad maiorem Poloniam reuertamur. Dum Henricus de tutela Boleslai & principatu cum Cōrado belligeratur, Boriuoius, qui ab eo cum præsidio in maiore Polonia relictus erat, cœpit abuti potestate sua. Etenim cū fines bonorū episcopi & ecclesiæ Posnaniensis inuaderet, nec alijs iniurijs abstineret, ac Paul⁹ episcopus Posnaniensis ex cōdicto Sremū ad eum venisset, vt certorum hominum arbitrio ijs de rebus cū eo transigeret, capt⁹ ab eo, & in vinculis habitus est. Verū non impunè ei cessit violasse sacrosanctam episcopi maiestatem. Nam & episcopus, cùm fortè euasisset, è cœtu Christianorū eum eiecit, & Vuladislaus Sputator cū propugnatoria manu, qua agros aduersariorū & oppida vexabat, noctu à custodibus in arcē Sremēsem intromissus, ipsum cū Sēdiuoio, nobili & potēti equite, multisq; alijs militibus, q ad primū tumultū nō diffugerant, obtruncauit, arcemq;, ne receptaculum deinceps hostibus suis esset, exussit. Tametsi Dlugossus velle videtur, alium ab illo, cuius superius mentionem fecimus, hūc fuisse Boriuoium, Polonum equestri familia ortū. Henricus cognitis ijs, quæ in maiore Polonia gerebantur, à Cracouiensibus reb⁹ eò cōuersus, vt Vuladislaū reprimeret, neq; vllam ei munitionē, ex qua bellū renouare posset, reliquā faceret, exercitum conscribit, & ad Gnesnam, q̄ adhuc Vuladislai pręsidio tenebatur, ducit. Materia ferè & roboribus Gnesna munita erat antiquitus, sed egregiè tamen à militibus Vuladislai defendebatur, multique oppugnantium, cùm sub mœnia successissent, saxis atq; alijs telis, aut contis etiam supernè icti cadebant. Erumpendo item sæpius obsessi, obsidentes magnis incommodis afficiebant, ita vt iam segnius munia sua obirent, & machinæ quædam ad expugnationē excitatę (quas tamen bombardas fuisse, quæ posterius inuentæ sunt, credere non libet) suóne vitio collapsæ, an hostium vi disiectæ, ruinam fecēre. Quibus incommodis permotus Henricus, & ad Silesicæ suę ditionis res componendas reuocatus, soluit obsidionem, & ad extremas ditionis suæ Silesicę oras contendens, in itinere apud Crosnam grauiter ægrotare cœpit: nec multo pòst ritè sacris mysterijs procuratus, diem clausit extremum anno Christi 1238. Cuius corpus ad Trebniciense monasterium ab Henrico filio, cui Pio cognomen datum est, relatum, honorificè sepultū est. Nam Heduigis vxor in illo ipso monasterio degens, neq; ægrotū visere, neque mortui funus deducere, aut obuiam ei prodire voluit, ne quo rerum humanarum cōmercio animus ei⁹ à diuinis auocaretur. Quinetiam cæteris, viris iuxta à mulieribus plangentibus & lamentantibus, sola moderatè coniunctissimi mariti mortē tulit, impium esse voluntati diuinæ aduersari, dictitans. Ac ne viuētem quidem illum sępe adijt, nisi fortè vt egenis & iniuria affectis opitularetur. Communi enim consensu totos ferè triginta annos disiūcti & cōtinentes vixēre. Ex quo tempore Henricus barbam promisit, atque inde Barbatus vocitatus est. Eo defuncto, adspirare rursus Vuladislaus ad amissum dominatum cœpit. Sed abhorrentibus ab eo volun-

Poloniæ maioris motus.

Borinoij impotentia & cædes. Paulus episcopus Posnaniensis captiuus.

Vulad. Sputator Sremēsem arcē recepit.

Hērici Barbati expeditio in maiorē Poloniam.

Gnesna oppugnata, nec tamē expugnata.

Henrici Barbati mors. 1238. ann.

Heduigis rē humanas despexit.

Henrici Barbati cū Heduigi vxore continentia. Henricus quare Barbatus dictus est.

luntatibus omniū, præter paucos, & Henrico Henrici Barbati filio fauentibus, fidemq; suam obligantibus, mœrore ac dolore animi in grauem morbum incidit, cùm apud socerum esset in Pomerania: & paucis diebus moritur, relictis Præmislao & Boleslao, qui postea Pius dictus est, filijs. Corp⁹ eius Posnaniam relatum, permittente Hērico Pio, in basilica (nam ita mandârat moriens) sepultum est. Post eius mortem Naclense & Vscense territoria cum arcibus suis in fide filiorū eius permansêre. Gnesna verò deditione facta in potestatem Hērici venit. Cęterum Conradus Masouię dux, Henrici morte rursus in spem Boleslai Pudici fratris filij opprimendi erectus, vexare ditiones eius clandestinis latrocinijs, ac mox etiam apertis excursionibus cępit. Ad cuius conatus reprimēdos Boleslaus, vt externa quoque auxilia sibi adiungeret, ad Belam quartum Vngarorū regem legatos misit: cuius legationis principes fuêre, Clemens Clementouius castellanus, & Ianussius palatinus Cracouienses: noua cum eo fœdera icit, siue adeo antiqua firmauit: filiam eius Kingam, quæ & Cunegundis dicta est, anno Christi 1239. vxorem duxit, puellam moribus & sanctimonia vitę nobilem. Dos ei quadraginta millium mercarū fuit. Tali autem coniuge beatus Boleslaus, tamen primis nuptiarum diebus eam non attigit. Inde confirmata postea consensu mutuo religione, ambo perpetuam vouêre continētiam. Hinc Boleslao Pudico cognomē inditū. Post hæc autem fœdera & nuptias Cōradus Boleslaum bello lacessere ausus non est. Verum Bydgostiam arcē in Cuiauia, quæ ciuili illo inter ipsum & Henricum bello vigente à Suentopelco Pomeranorum domino intercepta erat, in potestatem suam redegit. Nec tamē quieuit Suētopelcus: quin postea tumultuaria excursione Inouuladislauiam oppidum, compluresque pagos circumcirca ferro & igni depopulatus est. Porrò à Prussis quietior iam erat Conradus. Nā ij Crucigerorum & voluntariorum quorundam Teuthonū ducum, atq; etiam Pomeranorū armis fracti, & in angustū redacti erant. Cæterū domi nō perinde tranquillas res habuit. Atq; id quicquid erat mali sua sibi temeritate & furore præcipiti, falsa suspicione inflammato, accersiuit. Profect⁹ erat Cazimirus filius eius Vuratislauiam, vt sponsam & affines suos viseret: captusque cōsuetudine sponsæ, diutius ibi, neque quam reuocante patre, commoratus est. Suspecta res ea Conrado, vt est fere suspicax & sollicita tyrannis, esse cœpit, veritō, ne ꝙ filius cum Henrico socero (viuebat enim adhuc) contra se & fratres suos consilium iniret. Neque enim adhuc Hērico, quamuis reconciliato, ac duplici affinitate secum cōiuncto, credebat. Erat cum Cazimiro Ioannes Ciapla iuris peritus, Vuladislauiensis & Plocensis Scholasticus, atque Ducalis cācellarius, custos & moderator adolescenti à patre datus. Eū igitur Conradus, quasi conscium, siue adeò authorem consiliorū filij, literis reuocauit: captumque causa nō cognita in carcerē coniecit, ac mox quęstionib⁹ subiectū, eodem furore in patibulum egit. Cuius cadauer cùm Dominicani fratres (quos Ploscum Conradus ante aliquot annos, cōdito eis monasterio, induxerat) deposuissent, & Christiano ritu funus deducerēt, Agathia Cōradi vxor mariti furori suffragata, ereptū, & in plaustro duobus bubus contumeliæ causa vectū, noua furca ad id ex tempore ad ædem atq; monasterium Dominicanorum ex aduerso basilicæ erecta, iterum appendi iussit. Nec tamen deterriti sunt fratres Dominicani, quo minus iterū id deponerēt, atque honorificè sepelirent. In quo quidē euidenter diuina iusticia apparuit, scelesta & sacrilega tyranni manu ad vltionem patrati prius à Ioāneillo sceleris vsa, propterea quòd is iniustæ & nefariæ Cristini palatini necis author, aut sanè incentor fuerat. Et sanè huiusmodi ferè „ sunt susurronum ac delatorum, quibus „ aulæ & aures principum patent, exitus. „ Hoc verò Conradi facinus, & patratum in sacerdotem Dei parricidium Andreas Plocensis episcopus, Marci palatini Cracouiensis filius, vindicare ausus non est, ne quid & ipse à tyranno pateretur. Cæterùm Petr⁹ archiepiscopus Gnesnensis, cui⁹ genus & familia nō memoratur, re cognita maiore animo vniuersæ Plocēsi diœcesi sacris interdixit. Quamobrē excāduit quidē primùm Conradus, verū pòst ad se reuersus agnouit culpā, & Lēciam ad archiepiscopū, vt ille iusserat, venit: de admisso scelere ei⁹ arbitratu satisfecit: Louiciam villā cum circumiacentib⁹ syluis sanè ꝙ vastis archiepiscopo Gnesnensi sempiterno iure donauit, ea lege, vt is Plocēsis canonici ius semper obtinerēt, & marcam auri duci Masouiæ eorum bonorum nomine quotannis penderet. Hæc nos quidem è Dlugosso ferè. Cæterum dum opus quartæ huic æditioni præparatur, vir non vulgari eruditione præditus, Stanislaus Crasinius iureconsultus & Archidiacon⁹ Cracouiensis, Frā- ciscus

Vuladislaus Sputator mortuus. Vuladislai filij.

Henricus Gnesna potitus.

Conradus vexat terrā Sendomiriēsem.

Boleslai fœdus & affinitas cū Bela Vngarorū rege. 1239. ann. Cunegundis vxor Boleslai Pudici.

Coniuges cōtinentes. Boleslaus vnde vocatus sit Pudicus.

Bydgostia intercepta, & recepta.

Suentopelcus Cuiauiam populatur.

Prussorū vires fractæ à Teuthonibus.

Ioannes Ciapla Scholasticus Plocēsis à Conrado suspensus.

Calumniæ pœna.

Interdictum archiepiscopi in Plocensi diœcesi. Conradi pœnitentia.

Louicia archiepiscopo donata. Archiepiscopus Gnesnensis canonicus Plocensis.

Stanislaus & Franciscus Crasinij fratres.

ciſci Procancellarij Regni, ac deinde Epiſcopi eiuſdem eccleſiæ, amiciſſimi noſtri, nō ita pridem vita defuncti frater, cōmunicauit nobiſcū, excerpta quædā lectorū à ſe authenticorum diplomatum Innocentij ſecūdi Papę, Cazimiri magni regis, & Ziemouiti Troideni Maſouiæ ducis. Inde è pontificia quidem bulla comperimus Louiciam cum decimis, villis, incolis, venatione, & omni prorſus iurisdictione ſeculari amplius centum annis ante hoc tempus Archiepiſcopo Gneſnenſi attributam, & ab ipſo pontifice confirmatam fuiſſe. Cazimirus verò magnus memorat, ſe vidiſſe literas Honorij tertij Papę, quibus is ad petitionem Leſconis Cracouiæ (verbis diplomatis vtor) Conradi Maſouiæ, Vuladislai de Caliz, & Cazimiri de Opolie ducū, iura, libertates & poſſeſſiones Louicienſis diſtrictus terrę Maſouiæ confirmat, ipſumque diſtrictum cum omnibus villis & poſſeſſionibus ab omni iurisdictione & dominio quorumlibet principum penitus liberat. Vnde cōiecturā capimus, cùm ius Louicienſis territorij longè ante Conradum ducem & cædem Ciaplæ ad Archiepiſcopū Gneſnensē ptinuiſſet, & à ducibus Maſouię locorū illorū dominis, nihilominus p vim is dominatus vſurparetur, Conradum Ciaplæ Scholaſtici cæde, dirisque Petri Archiepiſcopi perculſum, tum demū Louiciā ipſi Archiepiſcopo diplomate ſuo ex integro donaſſe, eaq; prſus deceſſiſſe. Atque id aliquanto ante, quàm nos dudum, Dlugoſſum ſecuti, retulimus factū, & ab Honorio petentibus cum Conrado ducibus dudum memoratis donationē illam, diſſimulata eius cauſa, confirmatā eſſe. Ante hoc enim tempus, quod modò perſequimur, Honorius & duces illi, excepto Conrado, viuere deſierunt, quemadmodum ſuis locis indicauimus. Porrò Troidenus longè poſt, ampliatis Archiepiſcopo territorij Louicienſis immunitatib⁹ & prærogatiuis, villam inde pro ſe & ſucceſſoribus ſuis in ducatu Sochacziouienſi in ſignum dominij, concedente Iaroslao Archiepiſcopo, ſe detraxiſſe, & penſionem anniuerſariam vnius marcæ auri, ſiue tredecim marcarum groſſorum, pro qualibet marca 48. groſſos computando (ſic enim habet diploma) ſibi & filijs atque nepotibus ſuis dependendam impoſuiſſe teſtatur. Sed eam penſionem Cazimirus tertius Rex in perpetuum Archiepiſcopis remiſit & abrogauit. Verū nos ad Conradum & curriculum noſtrū reuertamur. Non ſolùm autem Archiepiſcopo Gneſnenſiq; eccleſiæ, verùm etiam Vuladiſlauienſi & Plocenſi is multa largitus eſt. Atque ita Archiepiſcopus interdictum ſuum relaxauit, & Conradus dux à delegatis Pontificis maximi Gregorij IX. epiſcopo Vuratislauiēſi, & Scholaſtico Cracouienſi à crimine abſolutus eſt, cū ea quæ archiepiſcopo, & Vuladislauienſi atque Plocenſi epiſcopis receperat ac donarat, vnà cum filijs ſuis confirmaſſet. Id adeò 1240. Chriſti anno actum eſt. Circa hæc tempora Boleslaus Pudicus, matris precibus adductus, cœnobium Cracouiæ ſodalitati diui Franciſci Aſiſinatis, nouo tunc inſtituto viuenti, Praga accitæ, condidit: itemque Pompo ſecundus magiſter Crucigerorum Toruniæ: nec ita multo antè Theodorus palatinus Cracouienſis gente Gryphius, qui Cedro vulgò appellatus eſt, in pago Sciricio monaſterium Ciſtercienſibus monachis excitauit & locupletauit: qđ in Ludimiro hęreditario pago Carpatho mōte pri⁹ ędificauerat: verùm trāsferre coactus eſt, quòd locus ille in confinio Vngarorū ſitus, infeſtus eſſet latrocinijs. Cuius monaſterij reditus Vislaus & Prendota epiſcopi Cracouienſes attributis decimis quibuſdam auxerunt. Bronisius etiam comes gente Vienauius, cuius inſigne eſt caput biſontis, in pago ſuo hęreditario Goſcicouo in Poſnanienſi diœceſi iiſdē Ciſtercienſibus monaſteriū condidit, quod Paradiſi nomine tunc dici cœptum, etiam nunc eam appellationem retinet. Nec ita multo antè, Breſcenſe etiam monaſterium ſupra Viſtulam quinto à Cracouia miliario, Præmonſtratenſibus monachis ab Iuone epiſcopo Cracouienſi conditum, poſſeſſionibusque ac decimis dotatum eſt. Conſecutum eſt deinde tēp⁹, quo Polonia tota, dudū inteſtinis motibus atque ciuilibus bellis exagitata, ferarum etiā barbararumque gentium quaſi inundatione quadam noua, miſerabiliter diuexata & afflicta eſt. Tattari nanque Ruſſia, quemadmodum ſuo loco narrauimus, peruaſtata, & maxima ex parte ſubiugata, anno Chriſti 1240. Sendomirienſem tractum in Polonia Ruſſiæ finitimum magno impetu inuaſerunt, exuſtaque arce Lublinenſi omnem illam regionem vſque ad Viſtulam longè lateq; depopulati, Zauichoſtum etiam arcem in ripa Viſtulæ ſitam, incenderunt: indeque in Ruſſiam reuerſi, depoſita tuto loco prȩda, quam ingentem abegerant, & aſportarant, curriculo in Poloniam hyberno tempore reuerſi ſint, tranſmiſſoq; Viſtula flumine glacie concreto, Sendomiriam expugnauêre: Copriuuicēſe mo-

naſte-

Louicia quādo Archiepiſcopo Gneſnenſi donata.

1240. ann.

Franciſcani ſodales.

Pompo ſecūdus Magiſter Teuthonicorum in Pruſſia.

Sciricienſe monaſteriū.

Paradiſi monaſterium.

Breſcenſe monaſteriū.

Tattari Poloniam vaſtant.

Zauichoſtū incenſum.

Sendomiria expugnata.

Cõpriuunicẽse monasterium direptum.

nasterium, quod etiam Pocriuunicense appellatur, diripuêre: vtrobique præter ciues magnam agrestium & nobilium multitudinem, quæ illuc confugerat, vnà cum monachis interfecêre: progresique longius nemine prohibente per Visliciam Scarbimiriam vsque, quod oppidum septem milliarijs abest à Cracouia, peruenêre. Inde verò in capite quadragesimæ anni sequentis omnis generis præda onusti, ingentem etiam hominum vtriusque sexus forma & ætate florẽtium, multitudinem loris adstrictã in morem pecudum præ se agentes reuertebantur.

Tattari ad Scarbimiriã vsq; prædas agendo progreßi.

Cõtinebat se Boleslaus princeps Cracouiæ simul cum matre, nusquã ausus tantę hostiũ multitudini sese opponere. Cęterũ Vulodimirus palatinus Cracouiensis coacta aliquãta manu insecutus abeuntes, apud Turscum pagũ vno à Polanecia oppido miliario statiua habentes, ex improuiso adortus est, & magnam in perturbatis & inopinata reperterritis initio, stragẽ edidit. Verùm postea Tattari animaduersa nostrorum paucitate, facilè multi paucos, & multa cæde fatigatos, superarunt, & cæsis nonnullis, reliquos in fugã verterunt. Neque tamen longius insequi fugientes ausi sunt, veriti ne in insidias præcipitarentur.

Poloni apud Turscum à Tattaris funduntur.

Interim autem dũ pugnabant Tattari, captiui discissis vinculis in proximas syluas effugerunt. Porrò Tattari sua strage perculsi, metuentesque ne maioribus nostrorum copijs opprimerentur, raptim atque tumultuariè sese recipientes, & saucios atque ęgrotos abijciẽtes, prope Secechouiam in magna sylua, q̃ Stremech dicitur, aliquot dieb[9] delituêre, vt insequẽtes fallerẽt. Inde postea in Russiã rediêre.

Captiui Tattarorum elapsi.

Nec multo post aucłis maiorẽ in modũ copijs, irarum pleni in Poloniã reuertêre. Et cũ apud Sẽdomiriã biduò statiua habuissent, quo plura populationib[9] cõplecterentur, in duos se se diuisêre exercitus. Ac pars quidẽ Lenciensẽ & Cuiauiẽsem orã duce Kaidano vastarũt, cũ reliquo verò exercitu Battus summus eorum dux & imperator, Sendomiriensem tractum versus Camionam fluuium & Ilsilzam siue Ilzam arcẽ & oppidum episcopi Cracouiensis infestauit. Vnde & Batti viam haud longè ab eo oppido nuncupari, Dlugossus memorat. Tametsi Bonfinius in libris de rebus Vngaricis, Battum per id tempus cum longè maximis copijs in Vngariam expeditionem fecisse scribit: Peram verò ab eo cum parte exercit[9] missum ex Russia, in Poloniam excurrisse, ac, deinde per Silesiam & Morauiã in Vngariã ad ipsum venisse. Satis quidẽ cõstat, Tattaros Batto & Kaidano ducibus per idem tempus Vngariã omnem cum finitimis Rascia, Bosna, Croatia & Bulgaria toto triennio cædibus & incendijs deuastasse, Bela rege profligato, & in Dalmatiã fugato.

Tattari iterum bipartito agmine totam Poloniã peruastant.

Battus dux Tattarorũ.

Batti via.

Peta Tattar. dux.

Vngaria cũ finitimis prouincijs triennio vastata à Tattaris.

At proceres & equites Cracouienses & Sendomirienses, non ferentes charissimam patriã, se inspectantibus tam crudeliter vastari, parentes, uxores & liberos suós dulcissimos omni genere contumeliæ affectos, vel miserabiliter trucidari, vel in fœdam seruitutem abduci, villas atque penates incendi, religiones sanctissimas atque templa Dei opt. max. cædibus & libidinibus & sanguine sacerdotum pollui, Christi Iesu Dei & hominis corpus cœlitib[9] venerandum, impuris barbarorum pedibus conculcari. Hæc inquam non ferentes, simul autem conflictu Turscensi animati, facta manu Tattaris apud Chmelicum pagum, non longè à Sidlouia oppido occurrunt, eo quidem proposito, vt vel corporibus suis viam ipsis ad vlteriora obstruerẽt.

Polonorum clades apud Chmelicum à Tattaris accepta.

Tattari vbi de aduentu Polonorum cognouerũt, duas acies instruunt: quarum altera magno cum clamore in nostros aduenientes procurrens, vt mos est genti, prælium commisit: altera in subsidijs erat, vt laborantibus suis ferret opem. Nostri, quòd pauci erant, simplicem aciem instruxerant, & omnes pariter pugnam capessebant. Et læuum quidem cornu Cracouienses cum Vulodimiro palatino & Clemente castellano Cracouiensi tenebant. In dextro autem Pacoslaus palatinus, & Iacobus Ratiborij filius castellanus Sendomiriensibus suis præerãt. Pugnatum est horis aliquot acriter: ad extremum Tattari multis fortibus viris amissis, cedentes ad subsidiariam aciem sese recepêre, nostris alacriter instantibus, & debellatũ esse credentibus. Ibi verò denuo instauratur præliũ. Tattari integri & recentes fessis & saucijs succedũt. Nostri primo successu freti, extremũ conatũ faciũt, vt aut plena victoria potiãtur, aut verò honestè pro patria mortem oppetãt. Tandẽ amissis ducib[9] & fortissimis militib[9] ad paucos redacti terga dedêre, & itinerum notitia syluisq; tecti, euasêre. Ceciderũt eo prælio inter cæteros maximè nobiles & præstantes, Cristinus Sulcouicius, Albert[9] Stẽpoci[9], Nicolaus Vitoui[9], Zemẽta, Grambina & Sulislaus. Factum est aũt hoc prelium de cimaoctaua die Martij. Cõtinebat se per id tẽpus Boleslaus Pudicus cum Grimislaua matre & Kinga vxore in arce Cracouiensi. Sed accepto nũcio de clade suorũ, in

Boleslai Pudici fuga. in Vngariam cum familia & supellectili, raptim collectis sarcinis, ad socerũ profugit, nihil tuti Cracouiæ & in tota Polonia à barbarorum furore sibi ducens. Sed cùm Vngariam quoq; maior etiam vis eorundem barbarorum infestaret, ad fines Poloniæ se recepit, & in Pienina arce supra Donaiecium fluuium, haud longè ab oppido Sandecia sub Carpatho monte sita, aliquandiu commoratus est. *Pienina arx.* Principis exemplo plurimi mortales, ditiores præsertim, partim in Vngariam, partim in Germaniã diffugerũt. Tenuiores verò in syluas, montes & paludes sese abdiderũt. Porrò Tattari post Chmelicensem victoriam ad Cracouiam cõtenderunt, quòd eam vrbem caput Poloniæ, ac domicilium principis esse didicerant: & cùm vacuam defensorib⁹ reperissent, flammis in tecta sæuierunt. *Cracouia incensa à Tattaris.* Templũ tamen diui Andreæ nomine dicatum duabus turrib⁹ munitũ, quod etiam tũ extra oppidũ erat, egeni ac debiles, q in id se receperãt, interfectis supernè cõplurib⁹ barbaris, qui propius accesserãt, defenderũt. *S. Andreæ templũ defensum.* Neq; enim immorari Tattari in expugnatione tẽpli voluerunt, ne quid spacij darent alijs ad colligendum sese, aut fugiendum. Sed in Silesiam ingressi, cũ dissiectos Odræ pontes reperissent, compactis ex tempore ratibus apud Ratiboriã flumen traiecerunt. *Silesia à Tattaris vastata.* Seruabat ripam vlteriorem Miecislaus dux Ratiboriensium Cazimiri filius cum parua manu. Is igitur in eos, qui primi amnem transmiserant, facto impetu, magnam in eis stragem edidit: sed reliquo exercitu celeriter nauigando pariter & natando (valentenim ea re ipsi, iuxtà ac equi ipsorum) superueniente, cessit, & Legniciam ad Hẽricum Pium, Barbati filium, qui ibi cogebat exercitum, se recepit, & cùm eo se cõiunxit. *Tattari natandi periti.* Tattari verò continuato cursu ad Vuratislauiam, quòd oppidum oræ illius primarium esse acceperant, festinarunt: verùm id incẽsum repererunt. *Vuratislauia incensa.* Oppidani namque cognito aduentu barbarorum, munitioni oppidi diffisi, supellectili sua, frumento, & commeatu cætero in arcem comportato, id reliquerãt: milites verò, qui in præsidio arcis erant, vacuum, ne hostibus prædæ vel receptaculo esset, incenderant. Quam ob rem indignati Tattari, arcem obsederunt. Sed frustrà consumptis diebus aliquot, cùm obsessi ad longiorem etiam obsidionem perferendam non imperati esse viderentur, irrito cœpto inde similes fugientibus abierunt: *Tattari ab arce Vuratislauiensi refugerunt.* diuino, vt postea compertum est, ostento perterriti, quod fuit huiusmodi. Cieslaus vnus de comitibus Iuonis episcopi Cracouiensis, Romæ diui Dominici vitæ institutum professus, præerat conuentui Vuratislauiensi apud diui Adalberti, & ad primũ tumultum cum cæteris sodalibus in arcem confugerat. Eo igitur iugibus precibus & lachrymis Dei misericordiam, & præsentis periculi depulsionem implorante, ecce columna ignea cœlitùs apparuit, & *Miraculum.* statiua Tattarorum, omnéque territorium ingenti atque terribili fulgore collustrauit. Hoc miraculo barbari perterrefacti, nihil cunctati, obsidionem soluerunt, & Legniciam, vbi Henricum ducem cum magnis copijs & auxilijs esse cognouerant, contenderunt, auctis viribus suorum aduentu, quos in Lenciciensem & Cuiauiensem tractum excursionem fecisse, superius memorauimus. A quibus etiam Vitouiense monasterium in tractu Siradiensi direptũ, & monachæ *Vitouiense monasteriũ direptum.* omnes, præter tres, quæ in syluam profugerant, interfectæ sunt. Vnde postea quæ superfuêre, Busco eum locum commutarunt, & monachi eiusdem sectæ locum *Buscense monasterium.* illum incolere cœperunt. At Henricus aduentu hostium cognito, obuiam eis progreditur, procurato à sacerdotibus sacris mysterijs exercitu, eo quidẽ animo, vt aut vinceret, aut fortiter pro aris atque focis, & pro populo suo dimicãs occumberet: non modò non deterrente, sed etiam atque etiam hortante matre Heduigi, quæ futuri præscia, tamen diuinæ voluntati repugnare nefas esse ducebat. Quinq; autem agminibus exercitus eius constabat. *Hẽrici exercitum.* In primo erant cruce signati ex varijs gentibus, summi Pontificis autoritate & cohortatione post cladem superioris anni collecti: cum quibus ordinati erant fossores ex metallis Goltibergensibus. Cui agmini præerat Boleslaus Dipoldi marchionis Morauiæ filius. In secundo erant maiores Poloni & Cracouienses nonnulli, quos quidem ducebat Sulislaus Vulodimiri palatini Cracouiẽsis frater. In tertio erat Miecislaus dux Ratiboriensis & Oppoliensis cum suis copijs. Quartum tenebat Pompo magister Prusiæ cùm suis Crucigeris. In extremo erat ipse Henricus cum flore militiæ Silesicæ & Polonicæ & mercenarijs externis. Totidem Tattari fecerunt. Est sub Legnicia planicies spaciosa ad Nyssam amnem, quę Bon⁹ campus dicitur. In ea igitur concurrunt acies, primique cruce *Prælium cũ Tattaris apud Legniciam.* signati (nam id ab Henrico impetrarant) pugnam ineunt, & primos barbarorum præcursores facilè fundunt. Verùm illis

siue

Tattari fugiendo pugnant.

siue pulsis, siue de industria cedētibus(etenim fugiendo pugnare genti maximè vsitatum est)primum illud agmen cruce signatorum productum longius à suis,& à multitudine barbarorum circundatū, denso imbre sagittarum obruitur,ita vt pauci inde euaderent: Magna siquidem ex parte nudi erant. Tametsi ne loricæ quidem,aut thoraces,aut galeæ satis vim Tattaricarū sagittarum sustinent. Ibi & Boleslaus dux inter primos pugnans cecidit.

Sagittæ Tattarorū penetrant loricas & thoraces atq; galeas.

Succedit alterum agmen ex duobus iunctū,cui dux Oppoliensis & Sulislaus præerant. Atq; id facto impetu in hostes in cæde primorum exultantes, magnam stragem edidit, cùm balistarij contra sagittarios eorum constitissent. Quod animaduertentes Tattari, duo item agmina suis laborantibus succursura submittūt. Neque tamen segnius nostri pugnam cient,donec quispiam de exercitu Tattarorum eques ab latere nostris ex improuiso apparēs,Polonica lingua, vt fugerēt, identidem vociferatus, eos conturbauit, & in fugam conuertit, orto fugę initio à Miecislao Oppoliensi, qui vocem illam amici esse,saluti suorum consulentis, quasi iam reliqua agmina à barbaris deleta essent,credidit.

Stratagema.

Silesiorū & Polonorum fuga.

Ibi Henricus nihil suorum strage fugaque deterritus,extremo agmine cum Crucigeris coniuncto, fugientes insequentium Tattarorum impetum excipit:instauratoq; prælio, Tattaros vicissim premit. Succurrit & Battus, siue Peta suis vehemēter debilitatis. Certatur vtrinque totis viribus pro victoria: exæquataq; rursus aliquandiu pugna,tandem Henrici res virtute militū, meliore loco esse cœperat. Ibi Tattari fugam neutiquam simulatam capessunt. Instant nostri fugientibus. Erat in extremo illo agmine inter alia signa vexillū insigne, cuius pictura X literæ figurā præ se ferebat: in cuspide verò imago erat tetra nigraq; capitis humani barbati. Id igitur vexillū cū signifer vehementius quateret, fumū atq; nebulam densissimā & fœtidissimā exhalabat. Ea nebula non modò aspectū barbarorum nostris adimēbat,verùm etiam odore teterrimo eos enecabat, totūq; adeò exercitū nouitate & miraculo rei stupefactum perturbauit.

Tattari vincunt Polonos magicæ artis præsidio.

Incantationibus id quibusdam Tattari effecerant; quibus iuxtà ac ariolationibus atque diuinationibus cæteris cùm alias, tū in bello plurimum vtuntur, ex humanis etiā extis de futuris euentib^9 coiectare soliti.

Tattari magicā arte multū vtuntur.

Tunc verò barbari, vbi nostros trepidare senserunt, cohortati sese mutuo, impressionem in eos faciunt: perturbatisq; ordinibus in cæde versantur: in qua Pōpo magister Crucigerorum cum fortissimis quibusq; suorum occubuit. Diffugiunt cæteri ex acie, præter eos, qui circum ducem erant.

Pompo magister Crucigerorū Prussiensium occisus.

Nam is turpe ratus fugere,nō inultus mori volebat. Ad extremum tamen, cùm aliquandiu fortiter pugnans hostium vim sustinuisset, persuaderi sibi passus est, vt se melioribus reb^9 seruaret: perruptisq; hostilib^9 cuneis,quatuor tantùm comitantibus, nēpe Sulislao, de quo superius,Clemente palatino Glogouiensi,Conrado Conradi, & Ioanne Iuani filijs nobilibus & fortissimis viris, iam periculum euasurus esse videbatur,cū subitò fortuna conatum eius destituit. Equus enim,cui insidebat,multis vulneribus in prælio acceptis, debilitatus concidit.

Henrici fuga, et cædes.

Et quanquam Ioannes alium ipsi à cubiculario eius petitum subministrarat, tamen dum insequentes & obuios barbaros ferro summouet, & in prementem se maximè Tattarum sublato brachio gladium vibrat,ab alio quodam hasta sub ascella ictus, moribūdus de equo defluxit. Ibi barbari inconditum clamorē attollūt,deductumq; per manus Henricum ad alterū balistæ iactū, capite plectunt,& cadauer nudum detractis armis & vestimētis relinquunt. Tres quoq; illi, qui eum fugientem comitati sunt,pugnantes cecidêre. Nam Ioannes imposito in alium equū duce,ferro per medios hostes viam sibi atq; duci patefaciens,faucius cū duob^9 ministris vix euasit.

Poloni Ioannis fortitudo.

Quem cū nouem Tattari pertinacius ad vnum miliariū persequerentur, nactus Lusmāniū quendam,& ipsum cū duobus fugientē, conuersus & eius ope fretus,octo de persequentibus se Tattaris peremit,nonum captiuum abduxit. Tantus autem eo prælio interfectorum Christianorum numer^9 fuit, vt singulis singulæ auriculæ à Tattaris præcisæ, nouē ingentes saccos explerēt.

Stragis magnitudo.

Inter quos in primis clari Poloni fuēre,Stephan^9 Virbenius cum Andrea filio, Clemens Pelcinicius Andreæ filius,Thomas Piotricouicius,& Petrus Kuza. Henrici caput hastæ infixum Tattari ad arcē Legnicensem(nam oppidum nostri iā antè cremarant)accedentes prætulerunt, deditionemq; eos qui in præsidio cū liberis Henrici erant, poscebant. Quam cū negarēt illi, vastatis per circuitum villis atq; pagis,recesserūt ad Othmuchouū.

Legnicia arx defensa.

Vbi cū quindecim diebus statiua habuissent, Ratiboriensem oram repetita excursione vastarunt:octoq; dies ibi commorati, in Morauiam inuadunt. Quam cū nemine prohibente,& Venceslao rege in Boe-

Tattari Morauiam infestarunt.

mia delitescente, amplius vno mense vsque ad Austriæ & Boemiæ fines crudeliter diuexauissent, in Vngariam superatis montibus atque syluis peruenerunt. At Henrici corpus post discessionem Tartarorum inter cadauera sex digitorum in læuo pede argumento Anna vxore indicante, inuentum, cum alijs nonnullis nobilioribus Vratislauiam deductum, & in sancti Iacobi, quod monasteriũ Franciscanis ipse inchoauerat, Anna verò vxor postea cõsummauit, honorificè sepultum est. Cæterum Heduigis mater, quæ monasterij Trebnicienſis munitioni diffisa, Crosnam vnà cum grege monacharum & Anna nuru sub aduentum barbarorum se receperat, nihil nũcio cladis & interfecti filij commota est. Quin monachas & nurũ lamẽtantes & pectora plangentes comiter cõsolata, minimè deiecto vultu gratias egit Deo, quòd eius munere talem filium peperisset, cuius ipsa viuentis pietatẽ summã in se experta semper esset, quique ad extremum pro religione & populo suo vitam alacer proiecisset. Fertur autem, cùm Henricus exercitum Legnicia contra Tattaros educeret, saxum grande è culmine templi virgini Christi matri dicati ante pedes eius decidisse, ita vt parum abfuerit quin eum extingueret. Quę res infausti ominis vulgo iudicata est. Henrico Pio cæso, Boleslao Pudico nusquam comparente, oppidis, vicis atque pagis ad vastitatem redactis, nobilitas Cracouienſis & Sendomirienſis deteriora etiam timens, quòd sine principe & Magistratibus esset, inito consilio, Boleslao Caluo Henrici Pij filio natu maximo principatum detulit. Atque is princeps factus, statim magistratus creauit: pleriq; enim tempestate illa Tartarica desiderati erãt, Clementemq; Ruscium Sulislai filium gente Gryphiũ Cracouiensem palatinum fecit. Permolestè tulit Conradus dux Masouiæ alienum sibi, Cazimiri principis filio Lesci albi fratri, in principatu prælatũ esse. Itaque colloquium à Suentopelco Pomeranorum duce petijt: fœdus cum eo percussit: auxiliaque ab eo contra Boleslaum Caluum impetrauit. Nam ipse Suentopelc⁹ negauit ad id bellũ se posse proficisci, alijs curis & occupationibus distentum, de quibus paulò inferi⁹ memorabim⁹. Interim autem dum Conradus in apparatu belli occupatus est, Tattari ex Vngaria per Scepusiensem tractum excursione rursus facta in Poloniam, Cracouiam inexpectati aduolarunt: direptisque vrbis reliquijs & maiore quàm prius cęde hominum facta, cum ingenti pręda in Vngariã per Osuencimense territoriũ citi reuersi atque ibi tres annos commorati sunt. Cõradus verò dux omnib⁹ ad bellũ ritè cõparatis, accitisq; Pomeranorũ auxilijs, in Sendomiriensem, ac deinde in Cracouiensem tractum duxit exercitum: & facilè munitiones omnes, opera Zegotæ gente Toporii, eiusq; familiæ & clientiũ, dedentibus sese vltrò omnib⁹, in suã redegit potestatẽ. Cæterùm Clemẽs Palatinus Cracouiensis, & alij qui cum Boleslao Caluo sentiebãt, cùm impares essent conatibus Conradi reprimendis, Scalensem arcem valido pręsidio tenuerunt. Nec eos Conradus oppugnare tunc adortus est: sed Cracouiam veniens, arcem muniuit: cõstitutisq; rebus, in Masouiã redijt. Aduenit mox Boleslaus Caluus cum exercitu suo, & Germanis mercede conductis, recuperaturus ereptum principatum. Cùm autem Cracouiensem arcem expugnare niteretur, re cognita superuenit iterum Conradus cũ maioribus copijs, cũ quibus Boleslaus Caluus congredi non ausus, in Silesiã se recepit. At Cõradus Scalam admouit exercitũ. Nec mora, Clemens palatinus destitutũ se ope Boleslai cernens, petita impetrataque à Cõrado venia, arcem ei dedidit. Potitus iam omni principatu Cõradus, cũ belli sumptibus exhaustus esset, grauia mox vectigalia & exactiones, non modò oppidanis & agrestibus, verùm etiã equestri & sacro ordini imposuit: ac ne ocio ad res nouãdas inuitarentur, in reficiẽdis veteribus, & extruendis nouis munitionibus acerbè vulgus exercere cœpit. Quę, post tãtas clades atq; calamitates à Tattaris illatas, famemque graue cũ pergrauia & intolerabilia omnibus viderentur, magnum odium Conrado conflarunt. Redierat is fortè in Masouiã. Ibi proceres Cracouienses clàm de eijciendo ipso consilia ineunt: nonnullos cõscios, qui Boleslaum Pudicum perquirant, dimittunt. Atque is de voluntate & studio suorum certior fact⁹, reditum parabat, ac de Vngaris auxiliarem manum cogebat. Porrò Conradus cùm alienatos esse à se Cracouiensis & Sendomiriensis conuentus animos accepisset, ac de consilio reuocandi Boleslai Pudici, & eijciendi sui persensisset, properè accurrit cum non contẽnendo comitatu suorũ: dissimulatoq; consilio comitia apud Scarbimiriam indixit. Ad q̃ cùm freq̃ętes proceres & equites conuenissent, capiuntur quidam ex eis nobiliores, qui cõtra eum sentire videbantur, & in Masouiam vincti abducũtur. Cæterùm Clemens palatinus

Henrici cadauer inuentum.

Heduigis constantia.

Omen infaustum.

Boleslaus Caluus ad principatum vocatur.

Clemens de Ruscia palatinus Cracouiensis.

Tattari Poloniam populantur, et Cracouiam diripiunt.

Conradus Masouiorũ dux principatum inuadit.

Scala arx Conrado dedita.

Conradus asperiori dominatu Cracouienses à se alienat.

Fames in Polonia.

Boleslaus Pudicus reuocatur.

Comitia Scarbimiriæ. Cracouiẽses proceres & equites capti à Conrado, & elati.

nus cautior,&aduentum Conradi celerē comitiaq; illa æstate media pręter morē indicta suspecta habens, cum Sulcone & Theodoro fratrib⁹, & alijs nonnullis ad Boleslaū Pudicū, qui in Pienina arce in Vngarię finib⁹ad eū diem latuerat, profugit. Nec sanè multo pòst prima die mēsis Augusti illi qui in Masouiā abducti erāt, fractis cōpedibus, intēpesta nocte cū euasissēt,omnē suorū multitudinē palàm cōtra Cōradum concitabāt. Eorū reditu cognito Clemēs palatin⁹confestim aduolat, & facta manu,cōiunctisq;virib. Cracouiā in potestatem suā redigūt eiectoConradi præsidio. Subsequitur Boleslaus Pudicus cū vxore. Cui venieti ingens multitudo hominū omnis ordinis,ætatis & vtriusq; sexus exultans atq; gratulabūda obuiam sese effudit. Et mox proceres authore ac principe Prendota episcopo Cracouiēsi, gente Odrouāsio, cognomento Bialaciouio,qui nuper Vislao Coscelecio defuncto successerat,denuo iurāt in verba principis. Quo cōsensu permoti, qui arces & munitiones pro Conrado tenebant, Boleslao eas reddiderunt. Factus aūt certior Conrad⁹de defectione minorū Polonorum,ac de reditu Boleslai Pudici, magnis itinerib⁹ Cracouiā accurrit: cumq; videret Boleslaum Cracouiensis arcis munitione (neq; enim spacium cogendi exercitus habuit) sese cum præsidio cōtinere, obsidere eum cœpit: & quòd longius ductam iri obsidionem,neq; satis virium se ad bellum in hostico gerendū habere sentiebat,templis D. Andreæ, & D. Georgij, quod ex aduerso arcis in eodē colle situ, tūc extra munitionē erat, nunc intra arcem est, castellorum loco vallis atq; fossis cōmunitis, cōmendataq; cura exercitus & obsidionis Boguthæ equiti Cracouiensis territorij, secū sentienti, in Masouiam, vt mox maiores copias adduceret, recessit. Nec mora, Bogutha mutata fide de templis præsidia deduxit,obsidionemque soluit. At Conradus coadunato maiore exercitu, accitis etiam in auxilium Præmislo Posnaniensi & Miecislao Oppoliensi ducibus, Lituanisque item & Iazygibus, siue Iazuingis barbaris, tractum Sendomiriensem populabūdus ingreditur. Ac de Lituanis quidē, quinam sint, superi⁹ memorauimus. Iazyges verò siue Iazuingi eiusdē cum Lituanis linguæ, vt volūt nonnulli, eorūdemq; morum & religionum fuēre,& ad Austrum extremas Lituaniæ syluas Poloniæ finitimas incoluēre. Quæ regio à nostris Polesse siue Podlesse, quasi syluestris & subsyluana vocatur:alij verò Podlasse, quasi Lachis,

Boleslai Pudici reditus.

Prendota episcopus Cracouiēsis.

Boleslaus Pudicus principatum recuperat.

Cracouiēsis arcis obsidio.

Boguthæ defectio.

Cōradus bellum infert Boleslao.

Iazyges siue Iazuingi qui nā fuerint.

Polesse seu Podlasse.

hoc est,Polonis finitimā à Russis dici volūt: cuius caput est Drohicinū oppidum. Gens bellicosa admodū, cōtemptrixque mortis:verùm pugnādi cupiditate & pertinacia ad paucos redacta, ac deinde deleta est à nostris,quēadmodū inferius exponem⁹. Ipse quoq; Cōradus cū suis Masouijs eam inimicā & infestam expertus est. Quod vel è diplomatis eius quibusdā per hoc ipsum tempus, quod nunc persequimur, editis cōstat. Quorū diplomatū copiā mihi fecit nuper vir amplis. Iacobus Vchanius Gnesnēsis archiepiscopus, ad eā familiam, ad quam ea pertinēt, genus suum referēs. Testatum enim ijs facit Conradus, se assentientibus filijs suis villā Sluzeuum immunē cum quibusdā progatiuis donasse Gotardo comiti Lucæ filio, propterea quod is nauiter & animosè cum Prussis, Lituanis, & Iazuingis dimicans, septē duces Iazuingorū captiuos abduxisset,sibique repræsentasset:qui singuli septingētis marcis argenti puri sese redemerint. Sed ad curriculū reuertāmur. Fuerūt etiam Dacis & Pannonibus finitimi Iazyges Metanastæ, nescio an ijdem cū his, & an illinc huc, an verò hinc illuc aliquādo commigrarint. Extātque etiam nunc eorum reliquiæ ad Tybiscū fluuiū in cāpestribus Vngariæ. Hos igitur populos Cōradus dux tūc contra Boleslaum exciuit. Nec Boleslaus committendum sibi existimauit, quin sua defenderet. Itaq; magna celeritate quātum potuit exercitum comparauit,in quo erant & Vngari:& ad Suchodolum pagum Conrado occurrens,quāuis esset viribus longè inferior, tamen pugnandi copiam fecit. Et fauit sanè iustiori causæ Deus, hominūq; preces pro Boleslao passim supplicātium exaudiuit. Cōmisso enim prælio, numerosus ille Cōradi exercit⁹ cum ducib⁹ suis à Boleslao fusus, & in fugam actus est. Victorq; victoria moderatè vsus neq; fugiētes longius persecut⁹ est, & saucios benignè recreauit, & captiuos dimisit. Cuius quidē moderationis fructum mox cōsecutus est. Etenim statim reliqui de nobilitate Sendomiriensi, qui Cōradi partes ad eam diem pertinacius tutati erant, vnà cum munitionibus quas obtinebant in potestatem eius venēre. Conradus verò, qui Prendotæ episcopo Cracouiensi extrema quæque dudum comminatus erat, quòd ipso authore eiectum se esse non ignorabat, turpiter vict⁹ in Masouiam se cum Cazimiro filio cęteris domos suas dilapsis, recepit. Boleslaus recuperatis omnib⁹ quæ absens amiserat, Cracouiā reuertens ingēti omnium gratulatione

Drohicinū opp.

Iacob. Vchanius Gnes. Archiepiscopus.

Gotardi comitis virtus.

Iazyges Metanastæ.

Prælium apud Suchodolum.

Boleslai victoria & moderatio.

Conradi fuga.

tione exceptus est. Nec in maiore Polonia post Tattaricum bellũ quietę res fuêre. Nam post interfectum Henricum Pium à Tattaris Boleslaus Caluꝰ filius eius natu maximus, cùm dominatum suscepisset, grauis nobilitati & cæteræ multitudini esse cœpit: atque externos indigenis, Teuthonas Polonis, & quidem infimos optimatibus præferebat. In hos perparcus & restrictus, in illos munificus & liberalis, ita vt honores quoq; & magistratus eis mandaret: & quòd sine modo familiaritate eorum delectaretur, in consilium quoque eos adhibebat. Malè hæc res Polonos proceres habebat. Itaq; questi inter se de fastu ducis, & contemptione sui, celeriter contra eũ authoribus Bogumilo palatino Posnaniensi, Cecundo Gnesnensi, Thoma Posnaniensi castellanis & Domaratho iudice conspirarunt: & conuentu apud Posnaniam acto, Præmislaum & Boleslaum Vuladislai Sputatoris filios, bonæ indolis iuuenes, acciunt: abdicatoque Boleslao Caluo, duces eos sibi constituunt. Commorabãtur autem ij in arce Vscensi, quam de patrimonio solam habebant reliquam. Naclum enim Suentopelcus auus maternus eis per fraudem ademerat. Venientibus ijs traduntur arces & munitiones, vna excepta, cui Præmentæ nomẽ: cuius præfectus in fide Boleslai Calui perstabat. Quam tamen haud ita multo pòst nobilitas expugnauit. Tulit eam iniuriam & contumeliam non iniquissimo animo Boleslaus Caluus, suadente auia Heduigi, quæ & antea maritum, posterius filium ab eo dominatu frustra auocauerat: & tunc nepoti, ne iniustè iustis hæredibus olim ereptum retineret, aut repeteret, persuasit. Quin is posteriori tẽpore affinitatem etiam cũ Præmislo contraxit, collocata ei in matrimoniũ sorore sua Elizabetha, vna de quinque. Verùm id post mortem Heduigis actũ est. Vix enim vno anno ea postea vixit, altero post filium defuncta: qui fuit à Christo nato 1243. septimo Idꝰ Octobris. Corpus eius, quod croceũ, dum vixit, propter rationem victus duram atque tenuem, assiduaque ieiunia fuerat, post mortem insolito splendore coruscasse fertur, Deo perhibẽte testimonium sanctimoniȩ & pietati eius. Quanquam tertio demum & vicesimo anno pòst, à Clemente pontifice maximo in numerum sanctorum, examinato bene ac diligenter negocio, relata est. Sepulta est autem Trebniciæ. Crucigeri quoque Teuthones eodem tempore, hoc est post Tattaricam illam inũdationem, cùm Pomponi apud Legniciã interfecto Henricũ de Vida magistrũ suffecissent, non modò Prussiã bello quęsitam, sed etiam ea, quæ initiò à Conrado duce acceperant, pene amiserunt Suentopelci fraude, & mox aperto bello. Nam cùm ij inuitati à Conrado contra Prussos cum barbaris bellũ varia fortuna gessisẽt, nũc victores, nunc victi, & arces atque oppida quędam ipsi cõdidissent, quædã de hostibus cepissent, atque ex his nonnulla rursus amisissent, & quodã tempore vi barbarorũ magna strage victi cæsiq; in arctũ redacti essent, ad extremum tamen multis Germaniæ principibus opẽ ferẽtibus magna ex parte Prussos debellatos domuerũt, & ad recipiendam religionem Christianã adegerunt. His eorum successibus inuidens Suentopelcus, simul autem sibi ac domi natui suo metuens, Prussos clàm partim ad bellũ, partim ad defectionẽ atq; rebellionem sollicitauit: & quo magis eos sibi obnoxios, & Crucigeris infestos & irrecõciliabiles hostes redderet, persuasit ijs, qui Christiani iam facti erant, vt religionem Christianam, quã inuiti susceperant, rursus abijcerent: Germanosque & Polonos omnes, qui vel negociabãtur apud ipsos, vel etiam domicilia in Prussia fixerant, constituta certa die trucidarẽt. Quæ cùm illi impigrè peregissent, munitionesque omnes, præter Balgam & Elbingam, interfectis vbique præfectis & præsidijs, in potestatem suam redegissent, Suentopelcum belli ducem creant, eique parituros se esse recipiunt. Accepit lubens delatum imperium Suentopelcus, confestimque obsessis terrestribus iuxtà ac fluuialibus itineribus, quicunq; Crucigericarũ essent partium, siue in Prussiam proficiscerentur, siue inde fugerent, excipiebat & necabat: coactisq; celeriter Prussorũ atq; Pomeranorum suorum copijs, Culmensem tractum omnem ferro & igni vastauit. Vbi ad quatuor millia hominũ partim occidit, partim captiua abduxit. Nec integrum quicquam in eo tractu, præter Toruniam, Culmam, siue Chelmnum & Razinum arces, quibus potiri non potuit, reliquit. Neque eum authoritas Guilelmi episcopi Mutinensis (qui postea fuit Sabinensis) legati Apostolici ab incepto deterruit. Qui quidẽ legatus Prussiam à Crucigeris eorumq; adiutoribus cruce signatis ad illud tempus subactam, atque adeò subigendam etiamdum, mandato & authoritate Innocentij eius, nominis quarti Pont. max. tribus diœcesibus, nempe Varmiẽsi, Sambiẽsi & Pomesaniensi tunc distinxit, Culmẽsi in suo

Boleslaus Caluus propter propensionem in externos exosus suis.

Maiorũ Polonorum defectio à Boleslao Caluo.

Bogumilus palat. Posnan.

Vuladislai Sputatoris filij.

Naclum à Suentopelco interuersum.

Præmenta arx expugnata.

Boleslaus Caluus æquo animo tulit se eiectum è maiore Polonia.

Heduigis sanctæ mors. 1243. ann.

Heduigis in diuos relata.

Suentopelci bellum contra Crucigeros Prussienses.

Crucigerorum res gestæ in Prussia.

Prussorum defectio à religione & Crucigeris.

Balga & Elbinga munitiones retentæ à Crucigeris.

Suentopelcus à Prussis bello præficitur.

Razinũ arx.

Prussiæ episcopæ.

in suo statu relicta. Eamq; distinctionem Innocentius ipse confirmauit. Quamquã Varmiensis matrix basilica post decimũ septimum annum demum ab Anselmo primo eius Episcopo in ciuitate Brunsberga cõdita est, & collegio prælatorum vt vocant, & Canonicorum cohonestata. Atque inde Episcopi eius dioeceseos, Brunsbergensium appellationẽ aliquandiu retinuerunt. Postea verò ea Fraumbergã vnà cum collegio translata est. Harum rerum monumenta extant diplomata Heilsbergæ in codice (cuius antea mentionem fecimus) descripta. Sed nos ad Crucigeros reuertamur. Fungebatur tunc apud eos magistratu, quem illi Marsalcum vocant, Ditrichus, siue Theodoricus. Is igitur conuocato consilio, consultat quid facto opus sit. Inconsultum ac temerarium videbatur, in prælij dimicationem cum Suetopelco venire, cuius vires Prussis & Pomeranis cõiunctis maiores erant, quàm vt à se tunc sustineri possent. Itaque placuit omnibus, vt munitiones suas defenderet, & per omnem occasionem Suentopelci terras vicissim infestarent. Zartauicia arx erat in Pomerania, Crucigerorum ditioni finitima, arte & præsidio bene munita, vbi thesaurus erat Suentopelci. Eam igitur Ditrichus nocte quadam, quæ est ante tertium nonas Decembris, cum vigintiquatuor armatis, admotis scalis, & custodib⁹ partim interfectis, partim captis, intercepit: thesaurum, in quo diuæ Barbaræ (illiusne Antiochenæ, cuius celebre est nomẽ apud Christianos an alterius cuiuspiam, incertum est) corpus erat, asportauit, arcemque accito & imposito præsidio suo muniuit. Aduolat cum expedito agmine Suentopelcus, tentataq; nequicquam expugnatione, & parte copiarum ad obsidionem relicta, cum reliquis in Crucigerorum ditionem excursionem fecit. Occurrit ei Ditrichus cum Cazimiro duce Cuiauiæ & Lenciciæ, Conradi filio, quem Ditrichus, haud falsò conijciens euenturum id quod euenit, in auxilium acciuerat. Conferuntur manus: vincitur & fugatur Suentopelcus. Neque contenti victores præsenti victoria in Pomeraniam etiam inuadunt. Coniunxit se cũ eis Præmislus dux maioris Poloniæ, precibus Crucigerorum euocatus. Quã quidem expeditionem eo lubentius suscepit, vt suam quoque iniuriam in Suentopelco auo materno vlcisceretur. Nec satis habuerunt agros, vicos atq; pagos populari, Vissegradum etiam vrbem expugnarunt. Deinde motis ad Naclum castris, arcem per deditionem recipiunt, & Præmislo reddunt. Quibus incommodis motus Suentopelcus, extremaque metuens, pacem cum Crucigeris dudum memorati Guilelmi legati opera facit, datis obsidibus Mesciugo siue Mestuino filio, Veiado comite, & Vimaro Burgrabio, primarijs viris. Captiui vtrinque dimissi ex pacto: Zartauiciam verò vt Suentopelco redderent Crucigeri, adduci nequiuêre. Itaque minus diuturna pax ea fuit. Etenim Suentopelcus non multo post violato fœdere, vocatisque in auxilium Prussis Culmensem regionem ingressus, crudeliter eam vastauit. Non tulêre Crucigeri eam vastationem, & cùm prohibere non possent, reuertentem tamen hostem adoriri, & prædam excutere studebant. Sed erat inter eos dissensio. Ditrichus enim antiquus Marsalcus, cùm suas vires impares hostilibus esse iudicaret loci opportunitatem, quo hostem inuaderet, quærebat: volebatq;, vt apud Reusinam paludem, quæ Prussis & Pomeranis transeunda erat, in extremos impetũ facerent, cùm primi in transeunda palude impediti essent: cui prudentiores facilè assentiebantur. Improbabat hoc consilium nouus marsalcus Berlinus, vtpote ferocior, & minus vsu rerum peritus, quòd diceret, prædam sibi abactum ereptumque iri, si extremum agmen inuaderent. Vicit huius sententia. Quare aperto campo vltra Ossam reuertẽtes hostes cõsecuti, pugnam ineunt, non detrectante Suentopelco, qui paucitatem eorum cõtemnebat. Nec magno negocio superantur, & ad internecionem cæduntur, ita vt vix viginti ex eo numero euaderẽt. Quin & alterum agmẽ in auxilium suis superueniens, facilè profligatur. Suentopelcus geminata victoria lætus, cum ingẽti præda domum reuersus est. Subornat deinde Remcam aduocatum, & nõnullos alios oppidanos Culmenses, magnis pollicitationibus illectos, vt obsides suos, qui in arce Culmensi asseruabantur, solutos sibi remittant. Sed prodito consilio, proditores in arcem intromissi non sunt. Obsides verò noctu clam Zartauiciam deportati sunt, quæ arx firmo tenebatur præsidio Crucigerorum. Animaduertẽs autem Suentopelcus dolos suos nõ procedere, subornat qui Culmense & Zartauicense oppida incenderent. Ipse verò cũ Prussis in Cuiauiam excursionem facit, eamque longè lateque ferro & incendijs depopulatur, iratus Cazimiro duci, quòd is cum Crucigeris contra se venisset. Neque authoritate legati Apostolici, ac ne

Zartauicia arx à Crucigeris intercepta.

Crucigerorũ victoria.

Præmislus dux maioris Poloniæ.

Vissegradũ captũ à Crucigeris.

Naclum receptum, & Præmislo redditum.

Mscząg.

Pax inter Suentopelcum et Crucigeros.

Suentopelcus Culmensem oram iterũ vastat.

Consiliũ senile & iuuenile.

Crucigeri victi à Suentopelco.

Cuiauia vastatur.

interdicto quidem ab instituto dimotus est. Quin irritatus magis, cunctæ Poloniæ minari cœpit. Excitataque arce, quã Zantir appellauit, supra Vistulam in tractu Culmẽsi, seu Pomesaniensi nauigationes & cõmercia Polonorum cum Crucigeris prohibebat, nauesque diripiebat. Quibus malis fracti Crucigeri, de pace cum Suentopelco per Samborium fratrem eius agunt. Zartauiciam reddere promittunt. Verùm ille filium quoq; obsidem remitti sibi poscebat. Facile intelligebãt Crucigeri, quàm infirma & incerta ea pax futura erat, si filium Suentopelco remisissent. Itaq; in Pannoniam superiorem, quæ iam Austria dicitur, eum relegarunt, & Friderico duci adseruandũ commendarunt. At Suẽtopelcus priore non contentus, alteram quoque arcem, cui Suece nomen est, in ripa Vistulæ citeriore, vbi vorticosissim⁹ amnis est, ædificat, frustra prohibentibus Crucigeris, & aliã arcem Puterborgum ex aduerso ædificare orsis. Nam à cœpto postea destitêre. Cæterùm auxilijs Friderici ducis Austriæ, & aliorum quorundam Teuthonum, & aduentu Cazimiri ducis Cuiauiæ auctis copijs, in Pomeraniam excursionem fecerunt: in qua nouem dies morati, reuertentes ingentem prædam abigebãt, cùm in eos Suentopelcus, accitis properè Prussis (nam ipse cũ suis adoriri eos ausus nõ est) impetum facit. Et auxiliares quidem, qui cum præda antecedebant, hostium vim non sustinentes funduntur, fuganturque. Extremum quoque agmen Cazimiri & Crucigerorum perturbari iam à Suentopelco cœperat. Sed Martin⁹ Crusuicienſis signifer cohortatione sua pugnam restituit. Cùmque neutra pars referret pedem, pars Austriorum è primo agmine retrò ad suos se recipiens, fortè fortuna in Pomeranos cum suis dimicantes incidit, hostesque auersos adorta, cùm anceps illis esset dimicatio, in fugam vertit. Adueniens autem Opisso abbas Messanensis ab Innocentio quarto pontifice max. Gregorij noni successore legatus, pacem inter Suentopelcum & Cazimirũ & Crucigeros redintegrauit, exacto à Suentopelco iureiurãdo, quod nihil deinceps commune cum Prussis habiturus esset. Quib⁹ factis, ab interdicto Guilelmi prioris legati eum absoluit. Sed iam missis Crucigeris & Pomeranis, ad Boleslaum nostrum reuertamur. Cõradus dux Masouiæ pòst Suchodolensem cladem de vlciscendo Boleslao Pudico sedulò cogitabat: & cùm imparem se ei⁹ viribus videret, Lituanos & Iazygas finitimos in eum concitauit. Qui rapidi torrentis in

Zantir arx condita.

Suece arx condita.

Puterborgũ arx.

Pomerani victi à Crucigeris.

Legatus Põtificis Opisso abbas.

morem, in Sendomiriensem oram sibi proximam tunc vsque ad Vistulã inundarunt, & magnam pecudum, iumentorum atque hominum prædam è Lucouiensi, & Secechouiẽsi territorio abigebãt. Nec aberat Conradus cum suis, cæde & incendijs in obuia quæq; sæuiens. Coegit & Boleslaus exercitum, quantum angustia tẽporis patiebatur, querelis & lachrymis suorum fatigatus, & aduersus Conradum duxit, sua defensurus, & illatum bellum propulsaturus. Commissaque apud Iarossinum pagum pugna, vincitur, & multis cæsis captisque, fugit ex acie. Ingens inde trepidatio Sendomiriensem nobilitatem inuasit. Quocirca metu & præsenti periculo constricta, desperato Boleslai principis auxilio, Conrado sese dedidit. Et parci quidem tunc iussit Conradus ceteris omnib⁹. Solas episcopi Cracouiensis possessiones, quòd is in Boleslai fide permanebat, crudeliter diripuit, & incendit. Atque ea calamitate Kelcense, Cunouiense, atque Tarzecense, quod nunc Bozentinense dicitur, territoria in tractu Sendomiriensi tunc adflicta sunt. Nam Secechouiense barbari iam deuastarant. Hac iniuria commotus Prendota episcopus Conradum velut inuasorem ecclesiasticorum bonorum, incendiarium, & sacrilegum, publicè anathemate atque diris deuouit. Quas Fulco siue Pelca archiepiscopus Gnesnensis cum vniuersa synodo, ea de causa conuocata, comprobauit. Muniuit autem Conradus arces quasdam in Sendomiriensi tractu. Verùm eas non ita multo pòst Boleslaus deiectis eius præsidijs recepit, cùm Conradus cursim in Masouiam, excursione Prussorum excitus, discessisset. Barbari enim siue à Suentopelco incitati, siue sua sponte ob negatam mercedem nauatæ dudum in Polonia contra Boleslaum, vt vult Dlugossus, operæ indignati, siue adeò iusto Dei opt. max. iudicio mala in authorem conuertentis, in Masouiam ipso absente excursionem fecerant, ad Cechanouiam vsque oppidum progressi. Quanquam non impunè illud eis cessit facinus. Nam à Cechanouia reuerti cum ingenti prẹda incipientibus ad tertiũ Idus Iulij, Masouij Lencicienseſq; equites iuxtà atq; agrestes manu facta occurrerunt, & prælio inito, nongentis cæsis, captis ducentis, reliquos excussa præda in fugam præcipites egerunt. Exustum est autem Ploscum oppidum vacuum habitatoribus, quòd ij sub aduentum hostium in arcẽ confugerant: sed eane, an anteriore quadam barbarorum excursione, non liquet. Nec diu moratus Conradus, repul-

Lituanorum & Iazygum excursio in Poloniam.

Boleslaus Pudicus victus fugatusq; à Conrado & barbaris.

Sendomiriensis nobilitas Conrado se dedit.

Episcopi Cracouiensis possessiones vastatæ à Conrado.

Conradus anathemate ictus.

Prussi Masouiam vexarunt.

Prussi profligati à Masouijs.

Ploscum incensum.

repulsis barbaris, expeditionem aduersus Boleslaum renouauit vnà cum Cazimiro filio, & Miecislao genero duce Oppoliensi: & in Cracouiensem oram duxit exercitũ. Cõtinebat se Boleslaus in arce Cracouiensi, non ausus iterũ prælio rem cõmittere. Itaq; è regione arcis Cõradus castra metatus est, quo loco Rudaua amnis Vistulæ miscetur: eumq; locum fossis, aggeribus, castellisq; muniuit. Et quod obsidio longior fore videbatur, vno à Cracouia miliario supra Vistulã nouam arcem munijt in eo colle, in quo monasterium Tinecẽse situ est. Aliam itẽ apud Lelouiã oppidum decimo à Cracouia miliario. Et hanc quidem Miecislao commendauit, illam verò suo firmauit præsidio. His actis in Masouiam reuertit. Post cuius discessum Boleslaus Tinecensem arcem in suam redegit potestatem. Quo cognito ij quoque qui in castris ad Cracouiam relicti erant, decessẽre, veriti nè & ipsi expugnarentur. Et paucis diebus illis Miecislao mortuo Lelouiensis quoque arx Boleslao dedita est. Ita paruo negotio omnes Conradi conatus, labores, atque sumptus in irritum tunc reciderunt. Nec multo pòst is extremum vitæ clausit diem, relictis tribus filijs superstitibus, Boleslao, Cazimiro, & Ziemouito, anno Christi nati 1247. Cùm autem Boleslaus paucis diebus patrem secutus esset, Cazimirus non acquiescens in Lenciciensi & Cuiauiensi dominatu, quẽ ipsi viuens pater attribuerat, Siradiam, Spicimirum, & Rospram arces inuasit, & fratrem cum vxore Gertrudi captum in vincula conicit. Boleslaus verò Pudicus à morte Cõradi pacem nactus, collapsa & vastata bello instaurare, deprauataque corrigere instituit, magnamque mãsuetudinis & probitatis laudem etiam apud exteros adeptus est. Qui status rerum minoris Poloniæ hoc fuit admirabilior, quòd non modò cætera Polonia, verùm etiam tota penè Europa bellis tunc ardebat. Ac in Vngaria quidem Bela rex, posteaquam Tattari excesserunt, nihil antiquius habuit, quàm recollectis afflicti regni viribus, Fridericum Austriorum ducem vlcisci, propterea quòd is sibi sub tempestate illa Tattarica tria territoria, & argenti aurique permultum violento pacto extorsisset, Vngariamque, nihilo mitior Tattaris, populatus esset. Commisso autem prælio Fridericus occisus est. In Boemia verò Præmislus Venceslaum patrem regno spoliauit. Sed mox captus ab eo, ac dimissus, in Morauiam illo iubente concessit. Porrò Fridericus Imperator Italiam infestabat, factionesque Guelforum & Gibellinorum, sumpto à Pisis initio, in singulis ferè vrbibus tunc excitatæ, diu postea ipsam exercuerunt & afflixerunt. Cumque Innocentius pontifex Fridericum à cœpto reuocare nõ posset, coacto Lugduni concilio imperium ei diris deuoto abrogauit: Germanosque principes concitauit, vt Henricum Lantgrauium Turingiæ diuæ Elizabethæ filium, successorem ei absenti crearent: quamuis ipse Fridericus, post Henricum filiũ captum & mortuum, Cõradum alterum filium successorem sibi destinasset, regemq; Romanorum appellasset. Cùm autem Henricus Turingus apud Vlmam interfectus esset, Guilelmum Holandiæ comitem ijdem principes regem appellarunt. Nec multo pòst Fridericus quoque profligato à pontificijs exercitu, & Entio filio capto, in Apulia perijt anno Christi 1250. Sed mittamus externa. Nec in maiore Polonia & Silesia quietæ res tunc fuẽre. Belli verò principium illud fuit in Silesia. Henricus pius dux Silesiæ à Tattaris interfectus, ex Anna vxore, Ottocari primi regis Boemorum filia quatuor reliquit filios, Boleslaum cognomento Caluum, Henricum, Conradum, & Vuladislaum. Ex his duo postremi & natu minimi ab Heduigi auia sacerdotio destinati, & in Italiam missi, literis nauabant operam: & Conrado quidem Bambergensis episcopa, Vuladislao verò Salisburgensis archiepiscopa promissa erat. Itaque reliqui duo fratres de Annæ matris & consilij sententia dominatum paternum in Silesia inter se partiti sunt, ita vt Boleslao, cui Caluo cognomen fuit, Vuratislauiensis, Henrico verò Legniciensis tract⁹ sorte obtingeret: & ne duo illi minores omnino exhæredes essent, Conradus quidem Henrico in Legniciensi, Vuladislaus verò in Vuratislauiensi Boleslao consors accederet. Verùm paulo pòst Boleslaus cupiditate ductus, quòd Legniciensem portionem meliorem esse iudicaret, Conradumque fratrem, qui in ea consors Hẽrico factus erat, iam hypodiaconum, portionem suam petiturũ non esse existimaret, repudiato Vuratislauiensi dominatu Legniciensem vsurpauit, Henrico verò Vuratislauiensem concessit. Atque hic fõmes postea ciuiliũ & parricidialium bellorum inter ipsos fuit, quemadmodum suo loco exponemus. Tunc autem Boleslaus Caluus pœnitentia ductus, quòd maioris Poloniæ dominatum à Præmislo & Boleslao Vuladislai Sputatoris filijs præripi sibi suadente auia passus esset, ad recu-

Conradi expeditio contra Boleslaum Pudicũ.
Cracouia obsidetur.
Rudaua fl.
Tinecensis arx.
Lelouia.
Tinecensis & Lelouiensis arces recuperatæ.
Miecislaus Oppoliensis obijt.
Conradus Masouiorum dux obijt.
1247. ann.
Boleslaus Conradi filius mortu⁹.
Boleslai Pudici studiũ.
Vngaria vexata ab Austrijs.
Fridericus Austriæ dux occisus.
Italiæ status.
Guelfi & Gibellini.
Friderico abrogatum imperium in concilio.
Germaniæ motus.
Henricus Cæsar.
Conradus Cæsar.
Guilelmus Cæsar.
Friderici imperatoris mors.
Entius Friderici F. captiuus.
1250. ann.
Henrici Pij filij.
Silesiæ principatuum diuisio.
Dissidium inter fratres.

recuperandum eum adſpirare cœpit: arcemq; nouam Copaniciam ſupra Odram in finibus ditionis Præmisli muniebat.

Copanicia arx.

Iam enim Præmislus quoque cum fratre dominatum partitus erat: & Caliſſieſem quidem tractum à Proſna amne ad Præmentam arcem, & inde ad Vartam fluuium, & Moſinam arcem, & Sepnum paludem fratri conceſſerat, Poſnanienſem verò & Gneſnenſem ipſe obtinebat. Ad eam igitur munitionem prohibendam Premislus & Boleslaus fratres copias cōparabant. Sed proceribus vtriuſque partis interuenientibus pax inter affines duces conſtituta eſt, his quidem legibus, vt Præmislus Boleslao Caluo Santocum, Medireciam, & Sbanſinum (quam arcē non ita pridem condiderat) daret: ille verò nouā munitionem demoliretur.

Poloniæ maioris diuiſio.

Pax inter maiores Polonos & Sileſios.

Sbanſinum arx cōdita.

Nec multo pòſt Barnimꝰ Caſſubiorū & Slauorū dux, ſiue is à Sāborio, ſiue à Boguslao, ſiue aliunde ortus fuit, Santocū ſibi vendicare, & cum exercitu oppugnare adortꝰ eſt. Et facilè quidem paucis arcem defendētibus expugnaſſet, ni ꝓperè ei Præmiſlus ſuccurriſſet. Nec mora Boleslaꝰ quoque Caluus ad ferendam ſuis opē accurrit. Quorū amborum vires metuens Barnimus, ab obſidione receſſit. Boleslaus autem vt Prēmislo gratiam referret, Santocum ei reddidit.

Barnimus Caſſubiorum dux.

Santocū oppugnatum.

Santocū maiori Poloniæ adiunctum.

Sub idem tempus Cazimirus dux Lencicienſis atque Cuiauienſis, vt cum alterius iniuria dominatū ſuum amplificaret, Landenſe territorium in tractu Caliſſienſi inuaſit, monaſteriumque eiuſdem nominis ſupra Vartam fluuium ſitum præſidio firmauit. Verùm id Boleslaus dux Caliſſienſis deiecto Cazimiri præſidio mox recepit: diſiectiſque propugnaculis, monachis reſtituit.

Lādenſe monaſteriū captum, & receptum.

Porrò Cazimirus, qui aliena appetiuerat, nō modicum ſuorum detrimentum tunc accepit. Suentopelcus enim quietis impatiens, violatis fœderibus, quæ cum Cazimiro & Crucigeris icerat, cùm ſubitò cū Pruſſis in Crucigerorum ditionem irrupiſſet, multoſque mortales apud Golubum incautos oppreſſiſſet, in Cuiauiam quoque impetum fecit, quo luculentiore præda barbaros ſibi deuinciret, ſuorūque inopiā releuaret. Anguſtiore enim annona Pomerani iuxtà atque Crucigeri tunc vtebantur. Itaque magna clade Cuiauiam affecit, plurimiſq; interfectis hominibus abſque vllo ſexus ac ætatis diſcrimine, inceſis villis atq; pagis, permagnam prædam aſportauit.

Golubum.

Suentopelcus Culmenſem & Cuiauiam infeſtat.

Quanquam ea præda à Crucigeris excuſſa eſt, cùm Suentopelcꝰ reuertens ex itinere munitionē, quam tunc illi è regione Chriſtiburgi arcis muniebant, expugnare adortus, commiſſoque prælio ſuperatus eſſet. Nihilo tamen magis conquieuit Suentopelcus, ſed reparato exercitu mox ad Chriſtiburgum redijt: cumque præmiſſi ab eo præcurſores à decurrentibus ex arce Crucigeris reiecti, tumultuoſius ad reliquum agmen ſe reciperent, exercitum omnem in fugam cōuerterūt. In qua dum ſe mutuo præcipites in Viſtulam impellunt, multi de exercitu Suētopelci periêre.

Suentopelcus bis victus à Crucigeris Pruſſienſibus.

Freti autem hoc ſucceſſu Crucigeri, viciſſim Pomeraniam excurſione facta, maiorem in modum vaſtauerūt. In Pruſſiam quoque ij qui Balgæ & Elbingæ in præſidijs erant, populabundi excurrêre. Sed cùm præda onuſti reuerterentur, in inſidias à barbaris præparatas incidêre. Vbi cùm propter iniquitatem loci & circumfuſorum barbarorum multitudinem neque recipiendi ſe facultas, neque ex æquo pugnandi copia eſſet, hoſtibus ſeſe, fruſtra diſſuadentibus Magiſtro & Marſalco, dedidêre, & ad vnum oēs trucidati ſunt. Qua clade vehementer eorum vires attritæ ſunt: ſed recreatæ non multo pòſt Germanorum principum auxilijs: atque ita recreatæ, vt non modò reprimerent ij feroces & exultantes barbaros, verùm etiam perdomarent magna ex parte, vſque adeò, vt quinque conuentus, nimirum Pomeſanus, Erminius ſiue Varmienſis, Pogeſanus, Barthenus, & Nactaginus ſiue Nactanginus ſubacti, religionem Chriſtianam reciperent.

Pomerania vaſtata à Crucigeris.

Crucigeri ad internecionem profligati à Pruſſis.

Pruſſorū conuentus ſiue regiones à Crucigeris ſubactæ, & Chriſtianæ factæ.

Suentopelcus quoque cùm iam ſenio cōfectus eſſet, his Crucigerorum ſucceſſibus, & authoritate Iacobi Leodienſis archidiaconi legati Apoſtolici adductus, pacem cum eis fecit. Venerat autem tunc is legatus ab Innocentio pontifice maximo, cùm ad res Polonicas componendas, tum vt pontifici à Friderico Imperatore vehementer exagitato & afflicto aliquid ſubſidij corrogaret & corraderet. Itaque conuocata Vratiſlauiam epiſcoporum ſynodo impetrauit, vt quinta pars redituum eccleſiaſticorum ex tota Polonia in trienniū ei decerneretur. Relaxauit autē tunc Polonis partē ieiunij eius, quod eſt ſolenne cūctis Chriſtianis ante Paſcha. Nā cùm id totis nouem hebdomadis veteri inſtituto vulgò ſeruarent, indulſit, vt eſſet deinceps hebdomadarum ſex & dimidiæ.

Pax inter Pomeranos & Crucigeros.

Legatus pontificius Iacobus Leodienſis archidiaconus.

Synodus Vratislauiæ.

Subſidium pontifici ab epiſcopis Poloniæ decretum.

Ieiunij quadrageſimalis moderatio.

Per eadem tēpora Sileſia, Boleslao Caluo authore & incentore ciuilibꝰ bellis ardebat. Nam cùm Cōradus refutato ſacerdotio à Boleslao fratre, prȩter ſpē eius, portionem Legnicienſis dominatus ſibi deſtinatam repeteret, Vuladislaus verò archie-

Sileſici motus, & bella inter fratres.

piſ-

piſcopus factus, partem ſuam in Vuratiſlauienſi non peteret, Boleslaus ad Vuratislauienſem, quem prius contempſerat, redire velle cœpit. Negante Henrico, exercitum coegit: è Germania mercenarium militem acciuit: Vuratislauienſem Henrici fratris ditionem armis atque flāmis infeſtauit: Neimarco oppido cum templo & hominib⁹ incēſo, Vuratislauiā contendit. Nouis tunc mœnibus Vuratiſlauia muniebatur, & iure Teuthonico ciuitas inſtituebatur. Et tamen trimeſtrem Boleslai obſidionem ſuſtinuit, obſidētēſque crebris eruptionibus exagitatos, re infecta diſcedere coegit, cùm Hēricus impar fraternis viribus, ad prælij dimicationem prodire non eſſet auſus. Rediit mox Boleslaus cū maioribus copijs & fruſtra tentata iterum Vuratislauiæ expugnatione, vaſtatis lōgè lateq; agris atque pagis, cùm munitiones Hērici præſidijs tenerētur ac defenderentur, reduxit exercitum triſtior, quod duabus expeditionib⁹ ſumptuoſis nullum tantis ſumptibus dignum operæprecium feciſſet. Sed tamen tertiā deinde adiecit. Et cùm ne ea quidem ex ipſius animi ſententia ceſſiſſet, nec haberet vnde ſtipendia debita mercenarijs militibus diſſolueret, infeſtare ij latrocinijs ditionem eius cœpêre: inde odiſſe eū iam ſui ac deſerere. Qua re adactus, ſupellectilem omnem ſuam in ſtipendia militum diſtraxit: & cùm ne ita quidem eis ſatisfaceret, arces eis quaſdā & poſſeſſiones hypothecæ nomine habendas dedit. Denique Lubuſſenſe territorium Brādenburgenſibus marchionibus Ioanni & Ottoni oppignerauit. Atque ex eo tempore id in Saxonum poteſtatem venit. Cùm autem Boleslaus inops egēſque, & ſuis exoſus, nec ſatis compos mentis oberraret, ab Henrici militibus exceptus, & Vuratiſlauiam adductus, fratris benignitate & & miſericordia ſtatim dimiſſus eſt. Nec illa tamen lenitate & manſuetudine fraterna, cupiditas & feritas Boleslai victa eſt. Quin is Legniciam reuerſus, noua aduerſus fratres conſilia cū animo ſuo, & cū externis militibus (cū ſuos à ſe alieniores eſſe animaduerteret) agitabat: neq; Conrado portionem ipſius, quemadmodum receperat dudū Vuratislauiæ, reddebat: & cū pecunia indigeret, Zythauiā & Gerliciam oppida ſuis quibuſdam hominibus oppignerauit. Hincone Mirſonis caſtellani Croſnēſis filium, quod magnas pater ei⁹ facultates habebat, vt pecunia multaret, cepit. Quib⁹ rebus magis etiā alienatis ab ipſo animis omniū, Croſnenſe territoriū & arx cum alijs finitimis ad Conradū ab eo defecit. Sed cùm is cōparari ſibi à Boleſlao fratre inſidias cōperiſſet, neque ſatis viriū ad reſiſtendū ei ſe habere, ac in Henrico quoq; parum ſpei ſibi reliquum eſſe cerneret, ad Premiſlum Poſnanienſium & Caliſſienſium ducē ſupplex confugit. Quem benignè accepit Præmiſlus, & bene ſperare iuſſo, ſororem ſuam Salomeam ipſi deſpondit: nuptijsq; Poſnaniæ celebratis, Thomam caſtellanum Poſnanienſem, & Thomiſlaum pincernam cum filio gente Nalencios, quos in vincula quaſi contra ſe conſpiraſſent cōiecerat, archiepiſcopo Gneſnenſi, epiſcopo Poſnanienſi, & alijs proceribus, qui ad nuptias conuenerant, rogantibus, dimiſit. Reuera autem illi ea re animum Præmiſli offendiſſe exiſtimabantur, quod factum eius improbabant, cùm is abſque conſilij ſententia Gneſnenſem tractum Boleſlao fratri pro Caliſſienſi adempto dediſſet. Poſt nuptias autem illas Præmiſlus mox ad Henricum & Boleſlaum legationem miſit, poſtulans vt ij Conrado fratri iuſtam partem patrimonij concederent. Ac Henricus quidem negauit à ſe repetendam eſſe Conradi portionem, ſed à Boleſlao: & cum eo acturum ſe ea de re pollicitus eſt: Boleſlaus verò durius reſpondit: Conradum ſacris initiatum iure patrimonij repetendi excidiſſe. Quocirca Præmiſlus cum exercitu ſuo, fratris que Boleſlai Legnicienſem tractum ingreditur, Conradum ſecum ducens: & magna celeritate arcem Bythomiam ſiue in veteribus ruinis, ſiue alio quodam opportuno loco ſupra Odram non procul à Glogouia excitauit, & turribus, aggeribus, foſſiſque muniuit: turmaſque aliquot & cohortes Conrado attribuit, cum quibus ille finitimas oras Boleſlao Caluo ſubiectas tamdiu vexaret, quoad ius ſuū ab ipſo conſequeretur. Et paucis quidem diebus debellatum erat, ſi ad extremum fortuna Conradi cœptis reſpondiſſet. Nam Boleſlaus Caluus dum incautius fortè aduerſariorum copias & nouā munitionem ſpeculatur, comprehenſus ab aduerſarijs in ſtatione excubias agentibus, & in cuſtodia à Conrado habitus, ad quamuis iniquas cōditiones adduci potuit, niſi corruptis cuſtodibus euaſiſſet. Dum autem Præmiſlus cū fratre Boleſlao Sileſico bello occupatus abeſt, Barnimus Caſſubiorum & inferioris Pomeraniæ dux arcem Drenum, quam Germani Dreſnam vocant, noctu ſopitis cuſtodibus intercepit. Sed eam Præmiſlus poſt vnum menſem expugnatam recepit, hoſteſque in præſidio repertos captiuos

Neimarcā.

Vuratislauia munita, & iure Teuthonico dotata.

Boleſlaus exoſus ſuis ob iniurias, & mēte captus.

Lubuſſenſe territorium Marchionibus oppigneratum.

Boleslaus captus à fratre, & dimiſſus.

Zythauia. Gerlicia.

Croſnenſes ad Cōradum

deferēre.

Salomea Cōradi vxor.

Nalencij in vincula cōiecti.

Conradus portionē patrimonij bello repetit.

Bythomia condita, vel inſtaurata.

Bolesl. Caluus iterū captus & elapſus.

uos abduxit. Sbansinum quoque tunc à latrunculis è Lubussensi arce excurrentibus interceptū, idem Præmislus paruo negocio recuperauit. Nam cùm ij fortè in gregem quendam incidissent, eumque abigere vellēt, pastor gregis direptionem deprecatus, prçmij loco indicauit eis proximam arcem, Sbansinum ea erat, quæ à tribus tantùm habitaretur, & à succedentibus sibi quotidie per vices vicinis rusticis custodiretur, facilè ipsos capere posse, si rusticano cultu quasi ad custodiam venientes, ianitores fallerent. Itaque ingressi, ianitores cōstrinxerunt, & arce potiti sunt. Qua de recū Prçmislus nocte sequenti certior factus esset, postero die aulico tantùm comitatu suo stipatus, cæteris sequi iussis, festinus ad Sbansinum accurrit, & ostentata specie obsidionis ad deditionem adegit prçdones illos, vitam tantùm pactos. Redegit autem hic ipse Præmislus tunc in suam potestatem Rudense, seu Velunense territorium: quod cùm ad maiorem Poloniam pertineret, Miecislaus dux Oppoliensis & Ratiboriensis interceperat, quo tempore Hēricus Barbatus maioris Poloniæ dominatum, pulso Vuladislao Præmisli & Boleslai patre, inuasit. Ad quod recuperandū Prçmislus huiusmodi occasione vsus est. Miecislao sine liberis defuncto, Vuladislaus frater germanus, legitimus hæres fuit. Is, cùm vxori Miecislai Iudithæ Conradi ducis Masouiorum filiæ dotem quingentarum marcarum argenti, & alterum tantum quod contradotem vulgò, elegantiores verò Donationem propter nuptias vocant, de more atque iure exoluere deberet, nec haberet pecuniam, pactus est cum fratre & curatore eius Cazimiro, vt loco illius pecuniæ Rudense territorium ipsi daret, cuius possessionem nō satis certam firmamque sibi esse intelligebat. Traditioni certa dicta est dies. Quod cùm rescisset Præmislus, anteuertens Cazimirum, arcem (vnde iam Vuladislaus præsidiū deduxerat, relicto cum aliquot comitib⁹ præfecto, qui eam Cazimiro traderet) occupauit. Quo cognito, nobilitas omnis vltrò in fidem & potestatem eius venit. Nec multo pòst aduenêre, qui à Cazimiro ad accipiendam possessionē missi erant: sed cùm didicissent, à Præmislo Rudā teneri, re infecta recessêre. Neque postea Vuladislaus ea de re aduersus Præmislum quicquam tentauit. Pecuniam verò Henrico duci Vuratislauiensium, qui Iuditham posterius vxorem duxit, numerauit. Alio quoque incommodo idem Vuladislaus paulo antè affectus est, à Brunone Olomucensi episcopo. Nam is inimicitias gerens cum Vuladislao, oppidum Ratiborien. se armata manu aggressus, cum templis & monasterijs exussit. Ab arce siue repulsus, siue tribus millibus marcarum à Vuladislao acceptis (nam & hoc fertur) placatus, recessit.

Rudense seu Velunense territorium receptum à Præmislo.

Vuladislaus dux Oppoliensium.

Ratiboria incensa ab episcopo Olomucensi.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER NONVS.



CAETERVM in minore Polonia cùm pacatum iam principatum Boleslaus Pudicus obtineret, anno Christi 1252. salis metalla apud Bochnam pagum, quod iam oppidum est, quinto à Cracouia milliario inuenta sunt. Vnde vberes principi reditus accessêre. Kingæ, siue Cunegundis vxoris Boleslai pietati & sanctimoniæ beneficium id, non modò Polonis, verùm etiam finitimis populis perutile, acceptum refertur. Excinditur autem id etiam nunc altissimis & latè sub terra patentibus puteis, siue specubus, supernè egesta humo, solidum duritie lapidea, molesq; ingentes trochleis, equorum, vel hominum opera circumactis extrahuntur, nonnullæ crystalli penè in modum pellucidæ. Quin ex eo quoque columnæ miræ magnitudinis excisæ, fornices è sale itidem excauatos, & contignationes specuum cum omni superiacentis terræ mole, & oppidū ipsum superędificatum villasque sustentant. Aqua item è puteis illis hausta, in sal candidū excoquitur. Aliquāto post etiā apud Velicā vno ac dimidio à Cracouia milliario ad eundem modū id excindi & excoqui cepit. Cum hoc metallo simul alius quoq; thesaurus ingens & incōparabilis extitit Cracouiæ. Nam D. Stanislaus martyr Christi, & episcopus quondam Cracouiensis, satagente Boleslao principe, & episcopo Cracouiensi Pren-

1252. ann. Salinæ Bochnenses.

Cunegundis vxoris Boleslai pietas & sanctimonia.

Velicenses Salinæ.

D. Stanislaus martyr in diuorū numerum relatus.

Prēdota, ab Innocentio quarto pontifice max. de amplissimi collegij sententia, re diligentissimè iterum atq; iterum examinata, in numerum sanctorum relatus est, centesimo demū & quinto ac septuagesimo anno post mortem, qui fuit post

1253. ann. Christi natalem 1253. In qua re perficienda cùm nō minima difficultas esset, propter tantam temporum intercapedinem & vetustatem, vno atque altero miraculo diuinitùs edito, sublata est omnis du-

Miraculum. bitatio. Primùm enim Reginaldus Hostiensis episcopus vir grauissimus, & summa in collegio Cardinalium authoritate præditus, qui maximè huic negocio aduersabatur, subito grauissimoq; morbo correptus, & aliquot dies noctesq; afflictus, nocte quadam in lecto vigilans, virum quendam augusta specie, cultu pontificali perquàm splendido sibi adstantē, nomenq; suum & morbi illius causam edentem cùm vidisset audissetq;, impetrata venia è vestigio sanitati restitutus est: eodemque puncto temporis ad Pontificem cunctis rei miraculo stupētibus profectus, visum ei suum, ac tā subitam valetudinis mutationem ordine enarrauit: nempe Stanislaum episcopum sibi paulo antè apparuisse, & ab eo clemēter obiurgatum se esse, quòd vnus maximè ipsi aduersaretur: morbumq; suū subitò depulsum esse, cū de sententia decessurū se esse polliceretur. Itaq; orare atq; hortari pōtificem, vt sublata omni comperēdinatione sanctum episcopum in album martyrum adscribat. Quo euidenti miraculo permotus pontifex Innocētius rem tam diu comperendinatam tandem ad sextum Idus Septembris Asisij in basilica diui Francisci memoriæ dicata solenni ceremonia peragere statuit. Ea verò die illucescente cū ipsemet sacris operaretur, ecce in basilicam infertur adolescens nuper mortuus, caterua propinquorum & amicorum magno eiulatu funus prosequente. Ibi pōtifex humi prostratus Deum orat, vt iuuene illo ad vitam reuocādo sanctitatem sui martyris Stanislai luculentius declararet. Vix pauca elocutus

Miraculum. erat, cùm viuus atq; sanus exurrexit, qui erat mortuus, quasi de somno expergefactus. Sacris atque ceremonijs omnibus ritè peractis ipse pontifex è superiore loco pro concione grauem & luculentum sermonem habuit de vita ac meritis Stanislai: eiusque memoriȩ diem anniuersarium ad octauum Idus Maij, quo die cæsus est, dicauit. Deinde anno sequenti Prendota episcopus Cracouiensis sacri corporis eius reliquias solenni pompa de se-

Sacerdotum nota glauco ma[illegible] !!

pulchro leuauit, & hominum veneratio ni exposuit. Interfuêre verò ei celebritati archiepiscopus & episcopi Poloniæ quicunque per valetudinē potuêre, itemque Gerardus Russorū, & Vitus Lituanorum episcopi. Nā & hi ad religionē Christianam iam accedebāt, & illi ad societatem ecclesiæ catholicȩ sese adiunxerāt, quod vtrūq; mox plenius exponemus. Adfuêre etiam cum Boleslao Pudico, Præmislus Posnaniensium, Cazimirus Lencicensium atq; Cuiauiensium, Ziemouitus Masouiorum, & Vuladislaus Oppoliensium duces, & Opisso iterum legatus Apostolicus: præterea sacerdotum, abbatum, monachorum, nobiliū, & promiscui vulgi non modò ex Polonia, sed etiā è Silesia, Morauia, Boemia & Vngaria tāta multitudo, vt vrbs non exigua eam nō caperet, sed in cāpis ea sub diuo gregatim diuersari cogeretur. Præcessit autem anno vno celebritatem illam ingens aquarum inundatio in tota ferè Polonia, ex perpetuis imbribus ab Aprili mense vsq; ad vicesimam quintam Iulij delapsis, ita vt campi, agri, syluæq; nauigabiles essent. In Masouia verò præterea Lituani Viznensem oram vastarunt. Tertio deinde anno Lublinensem quoque tractum depopulati sunt, & arcem ligneam etiam tunc incenderunt. Erat autem tunc Lituanorū dux Mēdoc⁹ siue Mindacus, qui Crucigerorum armis debilitatus, & in angustū redactus, anno Christi 1252. religioni Christianæ initiari cū suis assensus est, & Samagitiensem, Veisensem, Curoniensem, & Iazygū siue Polessensem tractum donaturum se esse Crucigeris promiserat, vt imminenti ab ipsis exitio sese eriperet. Quorum opera regium etiam nomen adeptus est à summo Pontifice, & à Rigensi archiepiscopo atque Culmensi episcopo solēni ritu diademate cinctus. Verùm non multò pòst stabilitis rebus suis, neque Crucigeris promissa præstitit, & religionem abiecit, & ex finitimis Christianorum regionibus prædas agebat, vt tunc è Lublinensi, pòst ex alijs, quemadmodum suis locis exponemus. Fortè autem tunc aberat Boleslaus Pudicus, expeditione Morauica occupatus, cuius expeditionis hæc fuit causa. Post interfectum Austriæ ducem Fridericum Præmislus, siue Ottocarus Venceslai Lusci regis Boemorum filius Austria potitus erat, ducta in matrimonium sorore Friderici Margarita iam anu, quæ prius cum Henrico Friderici Imper. filio nupta erat. Ac Styriam quoque & Carinthiam ac Histriā idem Ottocarus sibi adiunxerat

Russorum episcopus catholicus. Lituanorum episcopus primus.

Opisso legatus Apostolicus in Poloniā iterum.

Inundatio.

Lituanorum excursio in Masouiā & Poloniam. Lublinensis arx incensa.

Lituani religionem Christianam accipiunt, & abijciunt.

Mindacus Lituaniæ rex creatus.

Morauicum bellum. Venceslaus Luscus rex Boemiæ. Austria & Styria in ditione Boemorum.

iunxerat: quod eò facilius fuit factu, quòd imperiũ in Germania tunc vacabat post mortem Friderici, Conrado filio eius, & Guilelmo comite Holandiæ, qui de imperio certabant, intra breue spacium temporis extinctis. Huic igitur Ottocaro cũ Bela rex Vngarorum bellum facere vellet, & virium ad id satis non haberet, Boleslaum generum Cracouiensem principem in auxilium euocauit. Nec ita multo antè Vẽceslaus rex post Miecislai Ratiboriensium & Oppoliẽsium ducis mortem, cũ is nullos reliquisset liberos, Opauiã occuparat, & Nicolao filio suo notho tradiderat. Quocirca Boleslaus, vt in gratiam soceri manum Boemorum distineret, Opauiamque Poloniæ rursus adiungeret, in Opauiensem oram cum exercitu ingressus, ferro & incendijs eam longè lateque vastauit, magnamque prædam abegit: nec tamẽ Opauia potitus est. Ne Bela quidem operæprecium vllum fecit. Quin à Morauis fusus fugatusque esse fertur. Venceslaus Hagecus & superiora aliquanto aliter narrat, & huius belli & excursionis Polonicæ ad Opauiam nullam prorsus facit mentionem. Nugatur autem de auxilijs à Venceslao rege missis Cracouiam contra Tattaros, ac de morte Boleslai principis, & quòd principatus Poloniæ ad Vuladislaum, & mox eo defuncto ad Præmislum Venceslai regis filios delatus, verùm à Præmislo repudiatus sit. Sed nos Hagecũ animo suo indulgere sinamus. Hac igitur expeditione Morauica occupato Boleslao, liberior fuit excursio Lituanis in Poloniam. Vẽceslaus quidem rex per illud tempus mortuus apud Boemos, Præmislum filium, qui & ipse Ottocarus dictus est, successorem accepit: cũ quo Bela pacem fecit. In Silesia verò Conradus Henrici Pij filius ditiones fratrum ex arce Bythomiensi armis infestabat. Quem quo expeditius adiuuaret Præmislus socer dux maioris Poloniæ cũ Boleslao fratre, quẽ iniuria, queadmodũ superius cõmemorauimus, affectũ, in carcerem etiã quasi infidiatorem cõiecerat, in gratiã à Fulcone archiepiscopo reductus est: ac denuò domi natũ cum eo, cõuentu apud Gezum acto, partitus, Gnesnam, Calissiam, Rudã seu Velunũ, Pysdros, Srodã, Bninum, Biechouiam, Gezum & Pobiediscos ei cõcessit. Posnaniã cum cæteris munitionibus ac territorijs ipse retinuit. His ita transactis in Vuratislauiẽsem regionem duxit exercitũ, & omnem eam oram, quæ est circa Olesniciã Sytzouiam, Trebniciã, & Cerequiciã oppida, vsq; ad Vidauã amnẽ vno à Vuratislauia milliario, deinde & vltrà Odram vadato flumine depopulatus est, propterea quòd Henricus dux Vuratislauiensis neque ipse partẽ patrimonij Conrado reddebat, neq; ad repetendam eam à Boleslao fratre opem ei ferebat. Adhęc, non soluebat Præmislo quinquaginta marcas argenti, de quibus pro redemptione cuiusdã Germani captiui re fide iussẽrat. Templis tamẽ & monasterijs, & possessionibus eorum atque hominibus ecclesiasticis omnino manus abstinuêre milites edicto Præmisli. Erat tunc Vuratislauiæ Opisso legatus summi Pontificis, existimabatq; contumeliam fieri sedi Apostolicæ, quòd se præsente & penè inspectãte Vuratislauiensem oram Præmislus infestaret. Itaque sacris ipsi & omnibus qui sub ditione eius erãt, interdixit. Sed mox postulante Præmislo interdictum illud abrogauit, veritus, ne ad summum Põtificem deferretur, quòd intemperanter fines legationis transgressus esset. Pax deinde & concordia inter Silesios fratres, episcopi Vuratislauiensis & aliorum procerum interuentu componitur: & Glogouiensis dominatus Cõrado à Boleslao Caluo, quanquam inuito, cõceditur: Conradus obsides & captiuos dimittit. Alijs item, qui prius ex pacto dimissi erant, æstimationes capitum remittit. Dum hæc ita geruntur in Silesia, Mendocus dux Lituanorum abiecta religione Christiana, quam simulatè ad tempus susceperat, infestior indies Christianis vicinis erat. Coactoq; è suis Lituanis pariter atq; Prussis idẽ sentientibus valido exercitu, in quo triginta millia armatorũ censebantur, Masouiam omnem crudelissimè vastauit: pagos & oppida quàm plurima, & caput gentis Plocensem arcem defensoribus vacuam, incẽdit: & ingenti hominum, pecudum, & iumentorũ prędа domum remissa, in Crucigerorum ditionem eodem furore inuasit: eaq; peragrata & exusta, homines quidem captos immanitate barbarica trucidauit, cæterã verò prædam permagnam abegit. Crucigeri non ausi obuiam prodire tantæ multitudini, munitionibus tunc sese continuêre. Postea verò anno Christi 1255. aduenientibus Ottocaro duce Boemorum, necdum.n. diadema regium susceperat, marchionib⁹ Brandenburgensi & Morauiæ, Pragẽsi, Olomucẽsi & Ermeliẽsi (qui fortè Varmiensis fuit, quem etiamnum Teuthones à ditione siue diœcesi Ermelandensem vocant) episcopis, cum magnis copijs, magnaque item multitudine crucis militiam professa, aucti viribus & ani-

Bela rex Vngariæ Austrijs bellum infert.

Opauia à Boemis occupata.

Opauiensis tractus vexatus à Polonis.

Hageci nugæ.

Venceslaus rex Boemiæ mortuus. Ottocarus regnat apud Boemos.

Præmislaus cũ fratre redit in gratiam.

Fulco archiepiscopus. Poloniæ maioris noua diuisio.

Præmislaus dux Silesiam infestat.

Præmisli religio.

Lituanorum excursio in Masouiã & Prussiam.

Plocẽsis arx incensa.

1255. ann. Boemorum ducis et aliorũ Christianorum expeditio in Prussiam.

Ermeland. Varmia.

animis, vicissim Prussis bellū inferūt:& illis ad plij dimicationē nusq̄ prodeuntib⁹, ferro & igni in obuia quæq; desęuiunt. Quib⁹ malis adacti hi, q̄ Samensē siue Sabiensem regionē incolebant barbari, in potestatē Crucigerorū venêre,& religionē Christianā suscepêre. Et ne facilè ij rursus deficerent, duas ibi arces Cruciģeri cū socijs condidêre, pręsidijsq; firmauêre. Quarū altera ad Preglā fluuium & sinum maris Balthei sita, Kynixberga lingua Germanica, quasi regi⁹ mōs: altera Brunsberga; q̄ aliquandiu pôstea fuit sedes episcopi Varmiensis, appellata est. Hęc quidē ob honorē & memoriam Brunonis episcopi Pragensis, siuè Olomucēsis, vt vult Hagec⁹ atq; Dubrauius, illa verò Ottocari regis Boemorū: q̄ postea tribus oppidis peramplis ac splendidis adiunctis, & portu maris amplificata, magistri quodam tēpore fuit, nūc ducis est domiciliū. Cùm autem Ottocari hui⁹ & Kynixbergę mētio facta sit, operæpreciū est Aeneæ Syluij errorem, quē nōnulli alij secuti sunt, redarguere: q Ottocarū hūc omnes eas regiones, q̄ inter Boemiam & mare Baltheum sunt, imperio suo subiecisse, deuictisq; Tattaris Kynixbergā arcem & oppidū in Prussia condidisse scribit. Quæ ipsiné de se Boemi finxerint, an Aeneas gratiā ab ipsis inire voluerit, nō cōstat. Rem quidē ipsam ab Aeneæ narratione diuersam, quemadmodū se habuerit, series historię nostrę & consequētium cum præcedentib⁹ consensus, euidenter ostendit, ita vt pluribus hic verbis triplicem Aeneę errorem coarguere necesse nō sit: nempè de superatis ab Ottocaro in Prussiā Tattaris, qui eò tūc nō peruenêre: de subactis intermedijs populis, nempè Silesijs & Polonis, vel Saxonibus & Pomeranis: & quod suum ille omnino aliquod in Prussia bellum gesserit, suisque viribus confecerit. Aut dicat Aeneas, quomodo & quando Boemi rursus Prussiam, & interiacentes illas ꝓuincias amiserint. Conditum est etiā eodem fere tempore Brandeburgum in eadem Prussia, in memoriam Ottonis marchionis Brandeburgensis. Et tamen marchiones sibi Prussiam eam ob rem non vendicarunt. Sed nos ad institutum reuertamur. Pacem fecerat cum Crucigeris Suentopelcus Pomeranorum dux, vt superius narratum est. Sed quietis impatiens, nouum excitauit bellum. Etenim misso clàm cū expedita manu filio, quē obsidem pace facta à Prussis receperat, Naclum arcem Pręmisli nepotis sui, cōscio & adiuuante vno de custodibus, pecunia corrupto, noctu iterum intercepit. Quod vbi Præmislo nunciatum est, quantū potest cogit exercitum. Mittunt ei auxilia duces alij Polonici, tanquam ad restinguendum commune incendiū. Boleslaus quidem Pudicus mille armatorum, Ziemouit⁹ autem dux Masouiæ octingētorum. Porrò Boleslaus Premisli frater, & Cazimirus dux Siradiæ, Lenciciæ, & Cuiauię, ipsi suas copias ad eam expeditionem adduxêre. Cum his igitur ad Naclū contendit Premislus. Et cū arx situ arteq; munitissima, egregiè à Pomeranis defenderetur, ac difficilis esset eius expugnatio, aliā è regione ei⁹ ad occidentem solem summa celeritate excitauit, eiq; importato copioso commeatu præsidium imposuit, quātum sufficiebat ad vexandos, & quasi in obsidione continendos hostes, qui in præsidio antiquæ arcis erant. Quo facto dimisit reliquum exercitum. Fiebant autem crebræ vtrinque ex arcibus eruptiones, & conflictus Marte vario. Alteram deinde Præmisl⁹ cum Boleslao fratre & Cazimiro fecit expeditionem in Pomeranos: & omissa Nacli expugnatione, noctu silenti agmine ad Racianzum arcem Pomeraniæ, aliam à Cuiauiensi, vt videtur, & Masouiensi, in quam se magna multitudo Pomeranorum cū facultatibus suis propter bellum contulerat, contendit: eamq; antelucano tempore adueniens, quamuis expergefactis ad primū tumultum custodibus, verùm inopinata re perculsis, & quasi capta iam arce discursantibus, ac de ꝓpugnaculis sese ꝑcipitantibus, incendio consumpsit. Post cuius discessum Suentopelcus cum exercitu nō contemnendo, hostib⁹ ex noua arce obsistere non ausis, in Naclum perrupit, & cōmeatu importato, suos laborantes victus inopia, confirmauit. Deinde omnē conatum ad nouam arcem vel capiendam vel euertendā cōuertit. Primumq; quo minore suorum periculo quod volebat efficeret, sarmenta & pinguia ligna in fossas, quib⁹ arx munita erat, comportari iubet, vt ea strue incensa arcem cremaret. Magna vi lignorum multo labore à militibus coaceruata, cùm ij plura etiam è remotioribus syluis petitū iuissent, erumpunt præsidiarij, subiectoq; igni, id quod iam comportatum erat materię, sine vllo arcis periculo comburūt. Hoc primo conatu frustratus Suentopelcus, vi arcē expugnare nititur: factaq; è clipeis testudine, milites ei⁹ siccas fossas transgrediūtur, & sub ipsa propugnacula subeunt: atq; alij ignem subijciunt, alij

Sabiensis terra subacta à Crucigeris, & ad religionē Christianā adacta.

Pregla fl.

Regius mōs, siue Kynixberga arx condita.

Brūsberga.

Aeneæ Syluij error de Ottocaro.

Brandeburgum in Prussia conditū.

Suentopelcus Naclum intercepit.

Nacli obsidio.

Noua arx e regionē Nacli.

Racianzum triplex.

Racianzū incensum

Noua arx frustra oppugnata.

ascijs & securib⁹ ligneos arcis parietes ꝑrūpere conātur. Sed saxis & magnis molibus supernè deiectis, iaculisq; vehemẽtius afflicti, viginti desideratis, compluribus vulneratis irrito cœpto recesserūt. Nec tamen destitit Suentopelcus ab incœpto. Cumq; aperta vi noua arce potiri non posset, ad dolos se conuertit. Reducto enim domum exercitu, auctoq;, statim reuertitur, nec longè ab arce in cōualle quadam in insidijs cōsidit: suis in antiqua arce noctu per fidum internuncium, quid fieri velit, præcipit. Orta luce Pomerani ex antiqua arce, quemadmodum iussi erant, decurrunt, & aduersarios ad pugnā prouocant. Non detrectant illi. Pomerani inito prælio fugā simulant: instant Poloni fugientibus, ita in insidias præcipitantur. Nec tamen inulti cadunt. Quibus ad vnum partim cæsis, partim captis, Suentopelcus victoriæ signa præ se ferens, ad nouam arcem accedit: deditionem poscit. Respondent ij, qui erant in præsidio: Plures in arce superesse qui de fraudulentis victorib⁹ pœnas expetituri essent. Videns autē Suētopelcus omnes suos conatus in irritū recidere, difficulterq; se Naclum retinere posse, ad pacem cum Premislo faciendā inclinari animo cœpit. Nec difficulter ea, Popone vno de Crucigeris, qui Suentopelcum & Præmislū materno sanguine attingebat, interueniente, coiuit. Cōuentu enim apud Xynam acto, Suentopelcus per sententiam Poponis ex compromisso latam Præmislo Naclum reddidit, Præmislus verò Suentopelco pro impẽdijs & Racianzi demolitione quingentas marcas argenti, certis pensionib⁹ exoluturū se esse, nouē obsidib⁹ nobilibus datis, cauit: & exoluit postea. Captiui vtrinq; dimissi: Pax perpetua mutuo iureiurando firmata est, ita vt neuter alterius ditionem vnquā inuaderet. Nec toto ab ea pace facta anno circūacto, Prẽmislus 36. annos natus, pridie 9. Iunij immatura morte extinctus, & Posnaniæ sepultus est. Mitissimus sui tẽporis princeps, & prudēs: iusticia autē & animi moderatione in iudicando tāta, vt ei⁹ iudicium victus atq; victor ex æquo probarēt. Ebrium aut iratū eum nemo vidit. Vsq; adeò verò addictus fuit religioni & cultui diuino, vt per tēpus quadragenarij ieiunij cilicio super nudum corp⁹, & vino diluto admodū, aut insipidiore ceruisia vteretur. Nocturnis tēporibus cū dormire putabatur, ꝓlixæ precationi vacabat. Porrò qua die cœnā Christi vltimā anniuersario ritu recolim⁹ & repręsentamus,

Poloni funduntur à Suẽtopelco.

Pax inter Suentopelcū & Præmislum.

Xyna oppidum.

Præmisli mors & laudes.

Sobrietas & animi moderatio.

Pietas & religio principis.

duodecim pauperū pedes reuerēter abluere, extersosq; deosculari, & pauperes ipsos vestire quotānis solit⁹ est. Ouāscēse monasteriū Cisterciēsis sectæ puellis ad Vartā fluuium condidit. Srodicense verò Dominicanorū Posnaniā transtulit: Gnesnense etiam Xenodochiū, siue hospitale sepulchri Christi militib⁹ cōtulit & cōmendauit, & pręposito Miechouiēsi subiecit. Præter multas autē alias pias largitiones, Gnesnēsi quidē ecclesiæ Cirnelinum pagū, Posnaniēsi verò Bucū donauit, non sine inuidia & offensione procerum. Plurimis alijs laudib⁹ eum cumulari à Basçone annaliū scriptore, custode Posnaniēsi Dlugossus memorat. Sed ei⁹ Basconis scripta nos nō vidimus. Reliquit autem Premislus quatuor filias, Cōstantiā, Veronicā, Oscā siue Agathiā, & Euphemiā, ex Elizabetha vxore susceptas, & filiū posthumū post quartum mēsem natum: cui paternum nomē inditū est. Eodem anno, q̃ fuit post Christū natum 1257. Iacic⁹ siue Iacinctus diui Dominici institutū vitæ professus post exhaustos multos labores in Polonia & Russia pro religione Christiana, de exilio hui⁹ vitę in cęlestē domum commigrauit, ad decimumoctauum Calendas Septemb. Qui multis post mortem annis interiectis propter sanctimoniam vitæ actæ & miracula, nostra memoria in numerum sanctorū relatus est. Non omnino tunc Silesia ab intestinis motibus immunis erat. Etenim Boleslaus Caluus cùm dolore amissæ Glogouiæ percitus, tum bello superiore exhaustus, vt iram simul & cupiditatem suam expleret, facinus aggressus est impium & sacrilegum. In episcopum enim Vuratislauiensem Thomam templum Gorcense dedicantem, & Bogusalum præpositum, & Heccardum canonicū, cum Teuthonib⁹ satellitib⁹ suis manus iniecit, captosque ad subuculam vsque expoliauit, & in arcem Vulai, atq; inde Legniciā deportauit. Poscebat autem eos decem millia marcarum. Quæ cùm non darent, coniecit eos in tetrum carcerem constrictos compedibus. Qua re cognita Fulco archiepiscopus Gnesnensis Lenciciam synodum cōuocauit, ac de synodi sententia Boleslaum Caluum diris deuouit. Vuratislauiensi verò omni diœcesi sacris interdixit. Deinde (cū nihilo magis dimitteret captos Boleslaus) pontificem maximum Alexandrum quartum certiorem ea de re fecit, & quid porrò fieri oporteret, rogauit. Rescripsit ille archiepiscopo, vt Poloniā omnē ad arma contra Boleslaū sumēda

Ouānscense monasteriū conditum.

Basco annaliū scriptor.

Præmisli liberi.

Præmislus posthumus natus.

1257. ann.

Iacicus monachus sanctus.

Boleslai Calui facinus impium.

Vuratislauiēsis episcopus in vincula cōiectus.

Vulai arx.

Boleslaus Caluus excōmunicatus.

Crucis

Crucis militia promulgata vnà cum cæteris episcopis concitaret. In eandem sététentiam Magdeburgensi quoque archiepiscopo de concitandis Germanis rescripsit. Sed interim Thomas pertæsus diri carceris, duobus millibus marcarũ, & commutatione decimarum manipularium in pecuniarias per totam diœcesim suam, vnà cum præposito & canonico se redemit. Conscijs fratribus Henrico & Conrado Boleslaum hæc patrasse creditũ est, propterea quòd illis quoque commodo pactum illud de commutandis decimis fuit. Retinuerunt q; mordicus tam ipsi, quàm posteri eorũ id, ꝙ tunc ab episcopo per vim expressum est. Neque verò vno illo scelere Boleslaus contentus fuit. Nam Præmislo, cuius ope Conradus gener nitebatur, mortuo, Conradum quoque fratrẽ per fraudem capere, & bonis dudum datis, exuere adortus est. Sed hoc non itidem successit. Certior enim factus Cõradus de insidijs fratris, cùm Legniciam ab eo dolosè ad conuiuium vocaretur, cũ expedita manu profectus est: & reliquis in sylua propinqua Legniciæ latêre iussis, cum paucis expeditioribus veniẽs, à Boleslao simulati officij causa obuiam prodeunte in arcem deducitur. Vbi conspicit loca superiora ab armatis teneri, anteuertit meditatũ fratris facin⁹: captũq; eũ, metu perculsis omnib⁹, asportauit, & in custodia habitũ aliquãdiu, atq; ea, q̃ ab episcopo Vuratislauiẽsi emunxerat, pecunia multatũ, postea dimisit. Sic Boleslaus laqueo, quẽ alteri tetẽderat, ipse se implicauit. Anno sequenti terræ mot⁹ vehemẽs Poloniã cõcussit, & animos hominum ꝓpter raritatem rei nõ metu tãtũ, verùm etiã religione impleuit, velut magnorum malorum, q̃mox consecuta sunt, ꝓdigium. Nã & ciuilib⁹ bellis mox agitata, & barbarorũ excursionib⁹ afflicta est. Ciuiliũ bellorum Cazimir⁹ dux Siradiensis Lẽcicẽnsis, & Cuiauiẽsis causa fuit: cui⁹ inexplebilis cupiditas eò ꝓgressa est, vt Ziemouito fratre in vincula cõiecto, queãdmodum superi⁹ memoraui mus, Siradiẽsem tractũ, cuius hæreditas secũdum Boleslaũ fratrem iure ad vtrũque peruenire debebat, solus occuparet: Ladẽnse territoriũ, vnde pri⁹ à Boleslao Pio duce Calissiẽsi depulsus erat, iterum inuaderet: itẽq; Racianzũ episcopo Vuladislauiẽsi auferret: ꝙ tamen post reddidit, cùm ei litem intendisset episcop⁹: Lelouiense verò territoriũ Boleslao Pudico adimeret, munita vel præsidio firmata arce in colle supra oppidũ. His igitur de causis primus omniũ Bolesla⁹ Pius Calissiẽsiũ dux in eũ arma sumpsit, inita societate cũ Varcislao Boguslai filio, Cassubiorum & Stolpensium Pomeranorum duce, ꝙ is Suẽtopelco, cui⁹ tũc gener Cazimirus fact⁹ erat, propter iniurias quasdam infensus esset. Obtinebat Boleslaus etiam Posnaniensem dominatum, vtpote tutor liberorum fratris defuncti. Itaque cõscripto ex omni maiore Polonia magno exercitu, coniunctisq; cum Varcislao viribus Cuiauiam vastabund⁹ ingreditur. Inouuladislauiam arcem cùm primo impetu capere nequiuisset, obsidione cinxit. Non habebat Cazimir⁹ exercitũ, & Inouuladislauiæ cæterisq; munitionibus suis metuebat. Itaq; consiliũ ex re capit. Legatione ad Boleslaum missa, bellum deprecatur. Landense territorium redditurũ se ipsi esse ꝓmittit; arcẽque, q̃ in eo præsidij causa cõmunierat, demoliturum. Secut⁹ fidem ei⁹ Boleslaus, obsidionẽ soluit, exercitũq; dimisit. Sed Cazimir⁹ non modò nõ præstitit Boleslao q̃ receperat, verùm etiam Calissiẽsem tractum vicissim insequẽti anno populatus est, cùm de clade Varcislai, cui Boleslaus ex fœdere auxilia miserat, in Pomerania, cognouisset. Proficiscebatur tunc Boleslaus Calissia Posnaniam, cùm de excursione Cazimiri nũcium accepit. Nec mora, cùm solo comitatu suo aulico reuertens, 30. tantùm equitib⁹ in itinere collectis, & agrestibus, quos hostes damno affecerant, sequentib⁹, in syluã cui Soleciæ nomen est, nõ procul ab Opatouico archiepiscopi pago, hostilẽ exercitum cõsequitur, & magno animo impetum in eum facit: extremisq; ꝑturbatis, & primos impellentibus, & omnibus maiores multò, quàm erant insequẽtium se copias (ꝓpterea quod sylua longiorẽ prospectum adimebat, clamantiũ verò sonitum ampliorem reddebat) esse credentibus, vniuersum agmen in fugã agit, prædam excutit, & cùm alios quosdam ex hostib⁹, tum Martinum Cuiauiẽsem palatinum saucium, captiuos abducit. Nec tamen clade hac affectus Cazimirus acquieuit. Sed non ita multò pòst Hercaboldum Gnẽsnensem (quanquã is, mendosè fortasse Gnesnensis pro Posnaniensi Dlugosso appellatur) Nicolaum Calissiensem palatinos, Simonem sacerdotem Hercaboldi fratrẽ, & alios nõnullos ex nobilitate ꝑ speciem colloquij euocatos, cepit, vt captiuorũ cõmutatione palatinum suum recuperaret. Deinde Pacossum oppidũ, ꝙ in Boleslai ditione erat, capit, & arcem in eo munit. Inde que

Decimæ manipulares in pecuniarias commutatæ in Vuratislauiensi diœcesi.

Bolesl. Caluus à fratre captus.

1258. ann. *Terræ motus.*

Cazimiri ducis cupiditas & scelera.

Ziemouitus frater captus.

Siradia præcepta.

Ladense territorium inuasum.

Racianzum captum.

Lelouia intercepta.

Lelouia arx munita.

Varcislaus Cassubiorũ dux.

Cuiauia infestata à maioribus Polonis.

Inouuladislauia obsessa.

Calissiensis regio vexatur.

Boleslai audacia & victoria.

Mart. palatinus Cuiauiensis captus.

Palatini Posnaniensis & Calis. capti.

Pacossum oppidum captum.

que Calissiensem oram liberius infestabat. Ibi tunc Bolesla⁹ Pudicus, & Ziemouitus Cazimiri frater, vt & Boleslao sub uenirent, & suo quoq; nomine Cazimirum vlciscerentur, coniunctis cum Boleslao Pio viribus, Lencicienſem tractũ crudeliter vastant, arcem ædificant, & commeatu copioso implent, ac Ziemouito commẽdant.

Lencicienſis arx munita, & Ziemouito tradita.

Fractus hisce incommodis, metuq; maiorum Cazimirus, inducias duorum mensium petit, æqua omnia se esse facturum promittit iureiurando dato. Sed elusis ducibus, amotoq; præsenti periculo, nõ seruauit fidem. Itaque insequenti anno Boleslaus Pius in Cuiauiam duxit exercitum. Deprecante verò Cazimiro, nõ prius deduxit, quàm ille arce Landensi & Pacosso præsidia deduceret.

Landa & Pacoßum Boleslao Pio reddita.

Quod quidem Cazimirus extrema penè adactus necessitate fecit, cũ alio quodam infortunio maximo multatus esset. Nam duo filij eius, Lescus, cui Nigro cognomẽ fuit, & Ziemomyslus, è priore matrimonio suscepti. veneno, vt aiebant, à nouerca appetiti, vt verò credere par est, iusta Dei vindicta incitati, Siradiensem atque Lenciciensem ditionem absente patre, proceribus cum omni nobilitate fauentib⁹ occuparũt: & Lesc⁹ quidem Siradiensem, Ziemomyslus verò Lenciciensem obtinuit.

Cazimirus à filijs Siradia & Lencicia pulsus.

" Ita q alliena iniustè appetebat, sua turpiter ami
" sit. Atque hi tunc sanè ciuiles motus in Polonia inter propinquos, agnatos, fratres, parentes, atque liberos extiterunt. Dum autem hi sic inter se bellum gerũt, ecce Tattarorum ingens vis Nogaio & Celebuga ducibus in Poloniam sese per Russiam mense Decembri effudit, Russis ipsis adiutoribus atque ductoribus, nec scio an authoribus etiam, fortassis vt Cazimiro gratificarentur.

Tattari vastant Poloniam.

Flumina tunc iam glacie concreta erant. Itaque summa celeritate vsi, & Lublinensem oram, q̃ à Lituanis superiori tempore vastatam, tunc à Daniele Russorũ rege, arce capta, turriq; rotũda, & præsidio munita occupatam prætergressi, in interiorem Sendomiriẽsis tractus impetum faciunt, & plurimos mortales incautos opprimunt, monasterium Zauichostense, quod Boleslaus Pudicus nuper condiderat, & vigintiquinq; pagis dotatum puellis diui Francisci, siue diuæ Claræ, quod perinde est, vitæ institutum professis attribuerat: diripiunt, itemque id, quod in Lyssecio siue Caluo monte situm est: Sẽdomiriense oppidum incendũt: arcem, nullo respirandi spacio defẽsoribus dato, die nocteque oppugnãnt, verum nullo operæprecio.

Lublinum à Russis interceptum, & turri munitum.

Zauichostense monasterium conditum, & mox direptum.

Sendomiria incensa.

Nam à multis ea gnauiter defendebatur. Pleraque enim omnis vicina nobilitas, & oppidani atque agrestes multi cum vxoribus, liberis & fortunis suis, ad primum aduentum hostium eò confugerant. Ibi Russorum duces, Leo & Romanus, Danielis filij, & Basilicus frater, q in castris Tattarorum erant, primùm per internuncios, deinde per se ipsi cum Petro de Crempa præfecto arcis agunt, vt si se, arcemque seruatum ire velit, ad Tattarorum duces in castra veniat: & imperata se facturum professus, paruo se, arcemque, & omnem multitudinem redimat: fidem dant, nihil in ea re fore periculi: se hæc ita cõfecturos esse.

Russorum dolus.

Credidit præfectus, Russos Christiani sanguinis misericordia commotos, quemadmodũ præ se ferebãt, illa suadere & recipere. Confirmabant autem pro missa sua impetratis aliquot dierum inducijs. Itaq; præfectus cum Sbigneo fratre & primoribus ex nobilitate ad castra hostiũ, queadmodum cõuenerant, proficiscitur: duces barbarorũ, vt erat edoct⁹ à Russis, adorat: de salute sua & arcis supplex agit.

Adoratio principis apud Tattaros.

Barbari in supplices impetũ faciũt, spoliatos & verberatos immaniter obtruncãt. Et confestim sublato clamore, effuso cursu in arcẽ, nihil tũc eiusmo di expectantib⁹ defensoribus, inuehuntur, & ꝑmiscua cæde in perterritos & latebras q̃rentes grassantur.

Sendomirienſis præfectus à Tattaris cæsus.

Sendomirienſis arx capta & incensa.

Matronas tantũ & puellas formosiores ad contumeliam & explendã libidinẽ (vt est gens libidinosissima) adseruarunt.

Tattari libidinosi.

Defessi aũt cędendo, reliquum vulg⁹ hominum gregatim in Vistulã impulerunt. Tãta verò cędes in arce tunc facta esse dicitur, vt sanguis cęsorum ad Vistulam vsque defluêret.

Strages insignis.

Incensa arce barbari nulla mora interiecta versus Cracouiam Russis ducibus itineris cõtendunt, & vrbẽ defensorib⁹ vacuam incendunt, valetudinarios & mendicos trucidant.

Cracouia iterum incensa à Tattaris.

Nam Boleslaus princeps accepto nuncio de capta Sendomiria in Vngariam cum vxore (mater enim anno superiore mortua erat) profugerat.

Boleslai fuga in Vngariam.

Cætera hominum multitudo partim in syluas sese abdiderat, partim munitionibus arcium sese defendebat: & Cracouiensem quidem arcem Clemens palatinus tutatus est.

Arx defensa.

Tattari verò cædibus & incendijs vsq; ad Bythomiam in Oppoliensi tractu impunè prouecti, post alterum siue adeò tertiũ mensem præda onusti in Russiã reuerterũt. Annus autem, quo hæc gesta sunt, fuit post Christũ natum 1260. Tametsi Dlugossus etiam præcedẽti anno de eadem

1260. ann.

Tat-

Tattarorum excurſione,&ſtrage Sendomirienſi memorat. Niſi forte bis nunc Tattari in Poloniam excurrerũt. Quod quidẽ inde fit credibile, quòd priorem illam ſub brumam initio mẽſis Decembris factam eſſe ſcribit idem. Nam eam, qua Sendomiria capta eſt, æſtatis initio accidiſſe conſtat ex eo, quòd in hodiernum vſque diem ſtrages illa quaſi martyrum Chriſti, anniuerſaria celebritate poſtridie Calendas Iunij, Sendomiriæ magno populi concurſu recolitur, magna Alexandri quarti pontificis max. indulgẽtia cumulata ac dedicata.

Martyrum dies Sendomiriæ.

Per hæc tẽpora Michael Palæologꝰ imperiũ Cõſtantinopolitanũ, pulſis Gallis cũ Balduino Imperatore poſt annos quinquaginta octo, vel (vt alij volunt) tres & ſexaginta, Græcis reſtituit: nec multo pòſt in Lugdunẽſi cõcilio cõcordiã inter Græcos & Latinos tredecies ſciſſam & refectã, redintegrauit.

Conſtantinopolitanũ imperium Græcis reſtitutũ. Græci cum Latinis coniuncti.

Siculũ verò & Neapolitanũ regna, quæ poſt Friderici Imperatoris mortẽ Manfredꝰ filius eius nothus inuaſerat, Clemẽs quartus põtifex maximus Carolo Ludouici regis Francorum fratri addixit. A quo Mãfredus, & mox alio prælio Corradinus, Friderici è Conrado filio nepos, interfectus eſt. Tattarorũ autem duces quidam in Aſia religionẽ Chriſtianã ſuſceperũt, & magnas res in Syria & Perſia ſocijs Armenorum regibus contra Saracenos & Aegyptios aliquandiu geſſerunt. E quibus vnus Caſſanus, ſucceſſoribus ſuis Perſarum regibus nomen dedit.

Siculum & Neapolitanũ regna ad Gallos tranſlata.

Manfredus & Corradinus occiſi. Tattari Chriſtiani.

Perſarum reges à Caſſano Tattaro originem & nomen habent.

Quod autem Ruſſorũ regis mentionem dudum fecimus, ita ſe res habuit. Poſt mortem Colomãni Vngari Halicienſium regis, Daniel Romani ducis filius aduerſę factionis ducibus vel domitis, vel in ſuam ſententiam adductis, magnam potentiã & monarchiã ferè in Ruſſis Auſtralibus vſurpabat. Et quo maiorem ſibi authoritatem compararet, legatione ad Opiſſonem legatum apoſtolicum in Poloniã miſſa, cùm promitteret ſe cum vniuerſa gẽte ſua ad Romanæ & catholicæ eccleſiæ ſocietatẽ ſiue vnitatem acceſſurum, & Chriſtianas regiones aduerſus Tattaros, qui iam ingentẽ formidinem omnibus principibꝰ Chriſtianis incuſſerant, defenſurum, nomẽ ac diadema regiũ ſibi & poſteris ſuis, nequicq̃ diſſuadente Opiſſoni Prendota epiſcopo Cracouienſi, & nonnullis alijs, impetrauit. Verùm conſecutus id quod concupierat, fidem & iuriſiurandi religionem violauit, & in priſtinũ errorẽ relapſus, nõ modò non defendit à barbaris Chriſtianos, verùm etiã cũ Tattaris, vt iam diximus, pariter infeſtauit, mox etiã cum Lituanis. Nã cùm eis Suarnonẽ ſororis filium, cũ magna manu ad populãdam vaſtãdamq́; Maſouiã miſit.

Daniel rex Ruſſorum.

Ruſſorũ perfidia.

Suarno dux Ruſſ.

Qui celeritate vſi, Ziemouitũ ducẽ cum Cõrado filio & aulico comitatu in Iaſſouuſco prædio ſecurè ruſticantẽ, cepẽre, & ſupellectilem eorum omnem diripuêre. Et Ziemouitum quidẽ Suarno barbarica crudelitate interfecit, Conradum verò Mindacus, cui ceſſerat, ſeruauit, precioque accepto poſtea dimiſit. Tunc autẽ his patratis, Maſouiam penè omnẽ duce orbã Ruſſi cum Lituanis populabũdi peragrarunt.

Ziemouitus Maſouiorũ dux interfectus. Conradus redemptus.

Maſouia vaſtata à Ruſſis.

Non tulêre Maſouij, duces ſuos circumuentos eſſe, & patriam vaſtari. Itaque facto agmine equites pariter & agreſtes hoſtibꝰ obuiã prodeunt: & quãuis longè impares viribus, tamẽ indignatione animos miniſtrãte, apud Dlugoſedlũ pagum impetũ in eos faciunt, & magnã quidem in eis ſtragem edunt, ſed ad extremum abundante hoſtium multitudine ſuperãtur, & fugam capeſsũt. Hac elati victoria barbari, Cuiauiæ quoque magnã partem depopulati, incenſis multis pagis & oppidis, ingentem prædam abegêre.

Maſouij victi.

Cuiauia vexata à barbaris.

Miſeratus autem acerbam illam cladem Maſouiæ Boleslaus dux Caliſſienſis, & precibus Gertrudis Ziemouiti vxoris exoratus, venit cũ exercitu in Maſouiam, copioſum commeatum & fabros ſecum ducens: releuataque populi calamitate & inopia, & arce Plocẽſi, quæ ab hoſtibus exuſta fuerat, refecta, & munita, & viduæ liberiſq́; eius Boleslao & Conrado tradita, diſceſſit.

Plocẽſis arx inſtaurata.

Reuertuntur deinde æſtate ſequenti Lituani in Maſouiam, & non reſpondẽte eorum cupiditati atque ſpei præda lõgius progreſſi, tranſmiſſo flumine Viſtula, Louicienſe territorium, quod Archiepiſcopo Gneſnenſi à Cõrado primo Maſouiorum duce donatum eſſe memorauimus, ferro & incendijs vaſtarunt. Graues autem iã admodum non modò Maſouiæ, ſed & Boleſlai Pudici ditionibus Lituani eſſe cœperant, ni diuinitus auxilium affulſiſſet. Inteſtini enim eorũ motus reſpirandi ſpacium noſtris dederũt.

Louicienſe territorium vaſtatũ à Lituanis.

Etenim Mindacus Lituanorum dux à Stroinato fratris filio per inſidias dormiẽs cùm filijs interfectus eſt, & Stroinatus dominatu potitus. Nec pacatior is futurꝰ erat, aut mitior in Chriſtianos. Mox enim initio principatus ſui Maſouiam circa Ciruinũ depopulatus eſt, captaque Orſimouia arce mares quidem puberes trucidauit, impuberes verò cremauit: porrò fœminas cum cætera præda capti

Mindacus Lituanorũ rex interfectus.

Orſimouia arx.

uas abduxit. Sed citò scelerum suorum pœnas dedit. Nã à Voisalco Mindaci interfecti filio sup̃stite, qui monasticę vitę institutum apud Russos professus erat, & à Theophilo eiusdẽ Mindaci cõsobrino venationi vacãs capt⁹, excruciatus, atque necatus est. Nec ita multo pòst Voisalc⁹ Lituanorũ dominatu potit⁹, à Leone Danielis Russorum regis filio p̃ dolũ interfectus est. Dum hæc ita turbãtur in Lituania, nõ putauit Boleslaus Pudicus p̃termittẽdam sibi esse illam occasionẽ, quin Iazygas finitimos & infestos ditionib⁹ suis vlcisceretur. Itaq; duxit in eos exercitũ, & quidem cõposito agmine, in structaq; acie incedebat. Neq; enim dubitabat eos, vt erat gentis ad moriẽdum iuxta ad vincendum pertinacia, ad pugnam q̃uis iniquã sibi occursuros esse, neq; passuros, vt se inspectantibus regio sua vastaretur. Nec sanè opinione sua falsus est. Nã vt is fines eorum ingressus est ad 22. diem mensis Iunij, adest mox omnis multitudo barbarorũ Conatho duce ad depellendum bellum parata, & vix præuisa à speculatoribus nostris illucescente sole ad statiua nostrorũ magna alacritate contendit. Educit suos Boleslа⁹ in aciẽ: cucurritur infestis animis: cumq; aliquot horis Marte dubio pugnatũ esset, tandẽ superãte nostrorũ multitudine, ad paucos rediguntur barbari, ducemque inter primos pugnam cientẽ amittunt. Nihilo tamẽ magis pedem referunt. Ita fortiter dimicantes ad internecionem vsque cæsi sunt, adeò vt ex eo tempore nomen quoq; Iazygum penè deletum sit. Regione eorũ deinde potit⁹ Bolesla⁹, exiguas gentis reliquias Christianam religionẽ suscipere, capitali pœna in cõtumaces sancita, coegit: & ne regio vasta & inculta maneret colonias eò deduxit. Ab Vrbano aũt 4. põtifice maximo impetrauit mãdatũ ad Archiepiscopum Gnesnẽsem, vt nouũ genti præficeret episcopũ, cui⁹ exemplum extat apud Dlugossum. Verùm id fortassis tunc ad rem collatũ non est. Nunc sanè tract⁹ ille est in diœcesi Lucensi, seu Luceoriẽsi: q̃ episcopa Ludouici regis studio & opera posterius condita est. Annus hic fuit post Christum natũ 1264. quo post cometæ trimestrem apparitionẽ pestis acerba in pecora & pecudes in Polonia grassata est. In Prussia verò Crucigeri aduersa fortuna vsi penè deleti sunt à barbaris. Magistrũ quidem Helmericum, q̃ Conrado Landigrauio Turingię successerat, cum Theodorico Marsalco in p̃lio quo dã amiserũt. Insequẽti anno Russi, duce Suarnone, magna vi in Sendomiriensẽ orã populabũdi inuasêre. Sed à p̃ceribus Sendomiriensib⁹ cum nobilitate & agrestibus pręter opinionem occurrentib⁹, et impetum in palantes facientib⁹, insigni clade p̃fligati, & cæsis captisq; multis, & præda omni excussa, in turpem fugã acti sunt. Irritatus autem vehemẽtius q̃ solebat Boleslaus excursionibus Russorum, eas pariter & Ziemouiti cædem vltum ire cupiens, anno sequenti expeditionẽ in Russiam suis indicit. Ad Ropcice oppidum conuenire omnes iussi. Summa rerum & administratio belli Petro palatino Cracouiensi commissa. Nam Boleslaus ipse ad eam expeditionem profect⁹ non est. Verùm precationibus & supplicationibus cum Kinga vxore vacans exercitus sui curam & protectionem Deo commendabat. Petrus verò suscepto exercitu hostilem regionem ingres⁹, prudenter & accuratè omnia agere, instructis ordinibus cautè progredi, speculatores quoquo versus dimittere, castris loca opportuna capere, excubias in omnes partes seruare, neq; pabulatores, frumentatores, & lignatores absque firmo armatorum præsidio castris emittere: non ignorans, cum vafro hoste sibi rem esse. Nihil autem nisi de castrensis consilij, & maximè Ioannis Sendomiriensis palatini sententia faciebat. Non multum in hosticum progressis Polonis apud Pietam, hoc loco nomen est, occurrit Suarno dux (nã Daniel rex haud multo antè erat mortuus) ingentes Russorum & Tattarorum in auxilium euocatorum copias ducẽs: nec longè à nostris castrametatus est. Et eo quidẽ die quieuêre nostri. Sequenti verò, qui erat decimusnonus Iunij, quòd eo die prosperè contra eosdem Russos apud Zauichostum ante complures annos dimicatum erat, educit suos in aciem Petr⁹, diei illius victoriæq; admonitos. Nec detrectat pugnam Suarno. Eminus primùm Poloni balistis, hostes arcubus pugnabant. Sed quoniã eo pugnãdi genere meliore loco erat res hostium, expeditiori genere armorum plures de Polonis vulnerantium, magno mox impetu Poloni in hostiles acies inuehuntur, & cominus hastis atque gladijs rem gerunt. Nec mora, superiore loco nostrorũ res esse cœpit. Referũt pedem hostes, instãt nostri. Nitebatur restituere pugnã Suarno. Sed cùm nihil ageret, in fugam se cõijcit. Hic verò vniuersa acies hostium conuertitur, & mutuò sese impellit & impedit. Cædũt nostri terga fugiẽtium, & plu-

Stroinatus trucidatus. *Voisalcus Lituaniæ dux interfectus.* *Iazyges à Boleslao Pudico victi ac penè deleti.* *Conath dux Iazygũ interfectus.* *Iazygũ reliquiæ ad religionẽ Christianã adactæ.* *1264. ann. Pestis in Polonia.* *Crucigeri afflicti à Prussis.* *Russorũ excursio in Poloniam.* *Russi pulsi.* *Russicũ bellum* *Ropcice oppidum.* *Exercitus ducendi ratio.* *Danielis regis mors.* *Russi & Tattari profligati à Polonis.* *Suarnonis fuga.*

& plurimos abiectis armis viuos capiũt, & plena potiuntur victoria, direptisque opulentis castris, & agris maiorem in modum vastatis, victores in Poloniam reuertuntur. Ita verò vires & animi Russorum ea clade fracti sunt, vt ij permultis deinceps annis nihil hostile contra Polonos molirentur. Porrò Bolesla⁹ abundè contentus repressisse ea victoria feroces Russos, ipse quoque quieuit, benignus & mitis princeps: cuius cum vxore precibus à Deo impetrata esse illa victoria existimata est, magis quàm humanis viribus parta, de tanta scilicet hostium multitudine, vt quadruplo ea nostros excederet. Quin & illud memoratur, orãti Kingæ astitisse duos viros candidatos, & futurũ belli euentum prædixisse. Atq; ij Geruasius & Protasius martyres, quorum memoriæ dicata erat dies illa, qua pugnatũ est, fuisse crediti sunt.

Precum piarũ efficia.

Masouia à Lituanis & Prussis vastata.

Brandeburgense bellũ.

Vastata est hoc anno rursus à Lituanis & Prussis Masouia, Boleslao & Conrado ducib⁹ munitiones tantùm defendẽtibus. Sub idem tẽpus Boleslaus dux Calissiensis cum Conrado marchione Brãdenburgensium, de Sãtoco bellũ, quanquam incruentum, gessit. Cuius originẽ perplexè Dlugossus attigit. Nam cùm Boleslaum Conrado marchioni Constantiam Præmisli fratris filiam desponsisse, & Santocum in dotem dedisse memorasset, quinto pòst anno scribit idẽ, Santocum à Polonis negligentius custoditum, à Saxonibus interceptum esse, & Cõrado traditum. Atq; id molestè ferentem Boleslaum, exercitum duxisse ad recuperandam arcẽ. Sed intercedentibus vtrinq; proceribus, conuenisse inter duces, vt Boleslaus Santocum, Cõradus verò Drenum, ne p̄donibus & publicè pacis turbatoribus essent receptui, demolirentur. Duplex hîc peccatum est. Nam si Santocum in dotem datum fuit Cõrado prius, quomodo postea vel ab eodẽ interceptum, vel à Boleslao, qui dederat, armis repetitũ est? Deinde qd in Drenum Conradus iuris habuit, ꝙ ante aliquot annos in potestate Præmisli Boleslai fratris fuisse, & ab eo recuperatũ esse, cùm à Cassubiorum duce interceptũ fuisset, idẽ Dlugossus scribit? Nos in ea re quid sequamur nõ habemus. Non stetit autem pactis Boleslaus. Sed cum exercitu fabrisq; reuertens, magna celeritate castellum intra ambitum ruinarũ arcis Santocẽsis muniuit: cõmeatum importauit, & p̄sidium imposuit. Quo cognito Marchio, post perfectam munitionem

Conradus marchio Brandeburgensium.

Santocũ & Drenum arces dirutæ.

Drzen.

atque discessum Boleslai, cùm exercitu aduenit, arcem acriter oppugnat. Et facilè voti compos factus esset, quod propugnacula recẽs excitata infirmiora erant, quàm vt sustinere vim oppugnantium diutius possent, ni citò Boleslaus saluti suorum, q in præsidio erant, consulens, missa ad Cõradum legatione, seruaturũ se esse pacta recepisset. Nec mora, deducto præsidio demolitus est arcẽ. Ita tunc bellum illud inter initia restinctũ est. Fatale hoc tempus ducib⁹ Polonicæ nationis fuit. Primùm enim Henric⁹ tertius Vuratislauiensis dux veneno, vt creditum est, extinctus est, relictis Henrico filio, & Heduigi filia impuberibus. Quorum tutelam Vuladislaus patruus, archiepiscopus Salisburgẽsis paucis annis, quibus superstes fuit, gessit. Deinde Salomea Haliciensis regina Boleslai Pudici soror, cùm post mortem Colomãni viri integra in Zauichostẽsi monasterio, deinde in Scalensi (nam eò id Boleslaus transtulerat) sanctè pieque vitã exegisset, natu iam grandior defuncta est, & funus Cracouiam ad diui Frãcisci illatum. Fertur autem corpus eius multis diebus post mortem seruatum, suauem odorem spirasse, & oleum sudasse, quo inuncti ægroti conualuerint.

Hẽricus Vuratislauiensium dux obijt.

Vuladislaus archiepiscopus Salisburgensis.

Salomea Haliciensis regina mortua virgo sancta

Scalense monasteriũ Zauichostio trãslatum.

credat Judaeus Apella!

Iisdem diebus Cazimirus quoq; Cuiauiensis & Lẽciciensis dux obijt, q moriens Lescũ filium, cui Nigro cognomẽ fuit, Siradiensem ditionẽ retinere passus est, vt ab eo fuerat occupata: reliquas verò Ziemomyslo Lesci germano, cui Suentopelci filiam Salomeã desponderat, cum trib⁹ alijs, nẽpe Cazimiro, Vuladislao cui Loctico, quasi cubitali propter breuẽ staturam cognomen fuit, & Ziemouito ex altero matrimonio susceptis, partiendos reliquit. Et Cazimiro quidẽ Lenciciensis obtigit: Cuiauiensẽ verò Ziemomyslus & Vuladislaus inter se diuisêre, ita vt, Vuladislao Brestensis tractus cederet. Ziemomyslo Vuladislauiensis, seu verius Iuniuuladislauiensis: Vuladislauiensis enim in episcopi ditione est. Manent autem ex eo tempore distinctæ Satrapiæ, Brestensis & Iuniuuladislauiensis. Dobrinensem verò Ziemouitus obtinuit, quam vel promisso tenus acceperant, ac nõ re ipsa obtinuerant Crucigeri, vel certè reddiderat Cazimiro post lõgas cõtrouersias: quas extitisse inter eos, argumento sunt arbitria & cõpromissa, q extant in archiuo regio. Diploma quidem Cazimiri huius anno Christi 1233. editum, Culmensis tantũmodo terræ cõ-

Cazimirus Cuiauiensiũ dux mortuus. Cazimiri filij.

Lescus Niger Siradiensium dux.

Locticus cũ vocatus Vuladislaus.

Cazimirus Lenciciensium, Ziemomyslus Vuladislauiensiũ, Vuladislaus Brestẽsium.

Ziemouitus Dobrinensium.

ceſſionem à Conrado patre factam Crucigeris approbat. Condidit autem Cazimirus hic, pater inquam, monaſterium Dominicanis in Breſte oppido. Suentopelcus etiam Pomeranorum citeriorũ dux eodem anno mortuus eſt ætate decrepita. Reliquit autem quatuor filios, Meſtuinum ſiue Meſciugum, Varciſlaum, Samborium & Ratiborium. Quib⁹ moriens præcepit, vt bello Crucigeris inferendo, quoad poſſent, abſtinerent: Polonos verò duces omni ratione & beneuolentia ſibi deuincirent. Quorum illi præceptorum immemores magnis ſe poſtea calamitatibus implicarũt. Per idem tempus Clemente eius nominis quarto pontifice ſancto & religioſo vita defuncto tribus ferè annis ſedes Romana vacauit, propter ambitionem ac diſſidium Cardinalium. Porrò Ziemomyſlus Cazimiri filius Iuniuladiſlauienſem dominatum adeptus, deſpicatui ſuos habere cœpit: cum Crucigeris, apud quos ab ineunte ætate educatus erat, familiarius viuere, eorum arbitratu omnia agere, & conſilijs niti. Quibus rebus offeſa nobilitas, muſſitare primùm, deinde apertius fremere: ad extremùm eo non mutante mores, Boleſlao Caliſſienſium duci ſeſe dedidit. Qui iam Bydgoſtia ſupra Berdam fluuium ſita Theodorici Pruſſi proditione, qui poſt ſuſceptam religionem Chriſtianam à Cazimiro Ziemomyſli patre ei arci præfect⁹ fuit, potitus erat. Cùm autem ſpe premij fruſtratus eſſet proditor, à famulo, ſicut ipſe iuſſerat, interfectus, proditionis pœnam exoluit. Exorauit poſtea Boleſlaũ Ziemomyſlus, vt ſua ſibi redderet, donato ei territorio Cruſuicienſi, placataq; nobilitate, quòd reciperet, nihil ſibi cõmune deinceps fore cũ Crucigeris. Diſſidium autem illud Ziemomyſli cũ ſuis anſam dedit Lituanis, vt Cuiauiam popularentur. Quod ſanè fieri non potuit, niſi percurſa prius Maſouia. Hoc anno, qui fuit à Chriſto 1269. longa inter Plocenſem & Culmenſem epiſcopos controuerſia arbitrio epiſcopi Vuladiſlauienſis & magiſtri Crucigerorum ſublata eſt, ita vt Culmenſis pagum Orechouũ, ac trecenta iugera ſiue mãſos inculti adhuc agri in territorio Lubauienſi daret Plocẽſi epiſcopo, pro decimis & poſſeſſionib⁹, quas ille ſibi in Culmẽſi diœceſi, præter eas, quę illi ipſi eccleſię donatę erãt, vendicabat. Eodẽ autem anno bellũ inter Boleſlaum ducem Caliſſienſem & Saxonas, ſiue marchiones Brandeburgẽſes, recruduit, ex huiuſmodi cauſa. Otto marchio Conradi frater cupiens Santocenſe territorium in poteſtatem ſuam redigere, arcem Sulentiam, inter Lubuſſum & Medireciam comportata celeriter domo materia, extruxit, & argilla altrinſecus, ne incendio eſſet obnoxia, cõtexit. Id vbi Boleſlaus accepit, ratus id quod erat, non de nihilo arcem illam in confinio Poloniæ munitam eſſe, tamen quia in ſuo ſolo eam Otto munierat, oppugnatione quidem eius abſtinuit, ne prior fœdus rupiſſe argueretur: cęterùm Medireciam ipſe viciſſim foſſis & ligneis propugnaculis munire cœpit. Necdum perfecta erat munitio, cũ Otto cum expedita manu aduolans oppidum diripit, & incendit, arce tentata potiri non potuit. Certior earum rerum factus Boleſlaus, hoſtem diſcedentem cũ expeditis, quos ad manum ſubitò habere potuit, perſequitur: & cùm conſequi eum intra fines ſuæ ditionis non poſſet, Lubuſſenſe territorium per circuitum vaſtauit: deinde ad Sulẽtiam arcem expugnandam reuertitur. Nec mora, milites facta è ſcutis & clypeis teſtudine, munitionem ſubeunt, dimotaque ſecuribus argilla, ignem ſubijciunt. Qui ſubminiſtratis alimentis mox arcem omnem, nequicquam reſtinguere conantibus Saxonibus corripuit, & cum præſidiarijs pariter abſumpſit. Pauci cum Sabello præfecto arcis flammis ſeſe eripiẽtes, viui in poteſtatem noſtrorum venêre. Ad extremum noſtri reſtincto igne prædam ambuſtam diripuêre. Ita tunc Boleſlaus Ottonem vltus, reduxit copias ſuas. Sequentis autem anni initio, cũ Boleſlaus Caliſſienſis Cracouiam, vt viſeret Boleſlaum Pudicum, profectus eſſet, non prætermiſit eam occaſionẽ Otto: ſed magna celeritate vſus, quamuis hyberno tempore, Santocenſem arcem ligneis propugnaculis, vallis, foſſis, cõmeatu, & præſidio muniuit. Reuertens autem Boleſlaus, vbi pacta cum Conrado inita ex profeſſo temerata eſſe comperit, ipſe quoque Drenum inſtaurauit, & intra octauum diem munitionẽ perfecit, impoſitoque prẹſidio diſceſſit. Sed aliquanto pòſt, cùm noſtri negligenti⁹, vt ſolent, arcem cuſtodirent, à Santocẽſi præſidio noctu ea intercepta, & Ottoñi tradita eſt. Multa eo anno portenta & prodigia in Polonia extiterunt. In Cracouienſi quidem regione honeſta quædam matrona Margarita Virboslai comitis vxor trigintaſex pueros viuos vno partu edidit, viceſima die menſis Ianuarij. Sexta verò die Decembris crepuſculo no-

Suentopelci ducis Pomeranorum obitus.
Suentopelci filij.
Suentopelci præceptum.
Apoſtolica ſedes vacauit tribus annis.
Bydgoſtia Boleſlao Caliſſienſi tradita.
Berda fl.
Boleſlai cum Ziemomyſlo trãſactio.
1269. ann. Culmẽſis epiſcopi cũ Plocenſi tranſactio.
Brandeburgenſe bellũ.
Otto marchio Brandeburgenſis.
Sulentia arx condita.
Medirecia arx munita.
Sulẽtia expugnata & incenſa.
Santocũ reſtauratum.
Drenum refectum, & à Saxonibus interceptũ.
Portẽta & prodigia.
Pueri 36. vno partu editi.

lo nouus & insignis splēdor in figuram crucis efformatus, cœlitùs nō modò vrbem, sed omnem circumcirca regionē illustrauit. *Monstrum.* Calissiæ intra octauam diem natalis Christi natus est vitul⁹ cum duobus caninis capitibus, atque dentibus, & septem pedibus vitulinis: capitum autē maius quidem antrorsum in loco suo, minus verò retrorsum ad caudam situ erat. Ab eius cadauere canes atque volucres abhorruêre. In Silesia verò apud Michalouum pagum, & inter Odram & Nyssam fluuios triduo sanguine pluisse dicitur. Præcedenti quoque anno ferebantur visæ esse in aëre armatorum acies inter se concurrere. Aestas eius anni tota ferè continentibus pluuijs, & insolita aquarum inundatione nō modò segetibus, verùm etiam pecudibus & iumentis, pagisque & oppidis plurimùm incommodi attulit. *Inundatio insolita.* Hęc cùm ingentem terrorem animis hominum incussisset, supplicationib⁹ & sacrificijs publicè procurata sunt. Consecuta sunt autem cùm externa quædam aduersa nostris bella, tum domestici motus. Quæ ordine exponemus. Insequēti anno, qui erat pòst Christum 1271. *1271. ann. Brandeburgense bellū.* Boleslaus Calissiensis Santoci occupatione atque Dreni ereptione irritatus, coactis magnis copijs, & auxilijs Cuiauiensium & Ziemomysli adiutus, bellum fecit marchionibus Brandeburgensibus: & cùm illi ad prælij dimicationem non descenderent, munitionibus sese defendentes, vastato Santocensi agro, ad Soldinum duxit: & scalis admotis oppidum cœpit, diripuit, & incendit, magnamque prædam abegit. *Soldinū captum & incensum.* Reuersus Crusuiciense territorium Ziemomyslo pro nauata opera reddidit, arcem demolitus. *Crusuiciense territorium Ziemomyslo redditū diruta arce.* At in Silesia parum abfuit, quin Boleslaus Caluus Conradum fratrem caperet in Boleslauice oppido securum. Sed tamen effugit is, de hostili aduentu fratris in ipso articulo factus certior. Oppido autem Boleslaus potit⁹ est. *Boleslauice oppidum à Conrado du ce captum.* Duxit autem Conradus vxorem alteram, priore defuncta, Brigittam Theodorici Misnēsis marchionis filiam, quæ cum Corradino Friderici imperatoris nepote prius nupta fuerat: cum qua nō multo pòst, Crosnam, Greifensteinum, & Prinum oppida, quæ ei dotalia constituerat, amisit. *Crosna, Greifensteinum, & Prinum à Polonis alienata. Przin.* Nam cùm post mortem eius dotem non redderet, pater Brigittæ possessionē eorum bonorū adijt, & Magdeburgensi archiepiscopo ea decē millibus marcarum vendidit. Sequenti deinde anno, bellum quod à Boleslao Calissiensi cū Brandeburgensib⁹ marchionibus gerebatur, in Pomeraniam trāslatum est ex huiusmodi causa. Post Suentopelci mortem, bellū ciuile inter filios eius Mesciugum & Varcislaū exortum erat. *Dißidium inter Suentopelci filios.* In eo cùm firmiores essent partes Mesciugi, Varcislaus ab eo captus, nec multo post è custodia elapsus, Conradi marchionis Brādeburgensis opē implorauit, iustā remunerationem pollicitus. Accepit conditionem Conradus. Cùm autem pignoris loco Gdanum ei tradidisset Varcislaus, paucis dieb⁹ illis in ipso apparatu belli mortē obijt. *Gdanum in pignus datū marchioni Brandeburgensi.* Repetit à Cōrado Gdanū Mesciugus: negat ille se redditurum, ni sibi sumpt⁹ in bellum facti, quos permagno æstimabat, exoluantur. Magna tūc sanè erat potentia marchionum, vt est etiamnum, ita vt lōgè imparem viribus se illis esse Mesciugus nō ignoraret. Venit aūt ipsi in mentem belli, ꝙ Boleslaus Calissiensis cū ijsdē marchionibus gerebat. Itaq; missa legatione, nō difficulter impetrat à Boleslao, vt secum aduersus cōmunes hostes arma cōiūgat. *Bellum contra marchionē in Pomerania.* Duxit ergo in Pomeraniam exercitū Boleslaus, & iunctis cū Mesciugo copijs, ad Gdanensem arcē admouit. Nā ea capta, nihil negocij futurum erat in potiundo oppido. *Gdanensis arx expugnatur.* Tētata deditione, & pulsata machinis arce nullo operepreciо, nona deinde die factis testudinib⁹ ex asserib⁹, Poloni audacius succedūt sub ipsa mœnia & ꝓpugnacula, presertim cū defensores à sagittarijs eminus vulnerarētur: & alij quidē couellunt & rescindunt munitionē, vtpote ligneam: ignē alij subijciunt, alij scalis admotis mœnia scandunt: & quamuis supernè cum pice & aqua feruēti ꝓfunderentur, tum saxis & alijs telis obruerētur, tamen ꝑtinacius vrgētes oppugnationē, ad extremū, cùm hostib⁹ tela deficerēt, vi irrūpunt, & ira odioq; inflāmati, magnam cædē exercent in Saxonibus, & arce potiuntur. Nōnulli hostiū in editiorem turrim euaserant: verùm ij quoque cùm arcem à nostris teneri cōspicarentur, vitā tantùm pacti, proiectis armis sese dedidêre: q̄ cōpedibus vincti in seruitutem abducti sunt. Arce capta, mox oppidani deditionem fecêre. *Oppidum deditum.* Equibus paucos quosdam, qui impensius fauerant Saxonibus, vita, & bonis mulctauit Mesciugus: in quibus erant præcipui, Arnoldus & Iacobus. De quorum bonis duos pagos, Scrobotouum & Vitominum Vuladislauiensi episcopo donauit. Boleslaum verò honorificè habitum & remuneratum cum exercitu dimisit. Qui domum reuersus, quatuor mensiū spacio militibus ad quietē dato,

In Marchiā Polonorum expeditio. Præmisli ducis Posnaniensium tyrocinium.

rursus contra Marchiones expeditionē fecit, eique expeditioni Præmislum iuuenem fratris filium, sextumdecimum annum agentē, præfecit, adiunctis quorum consilio faceret omnia, Predipelco palatino Posnaniensi, & Ioanne Castellano Calissiensi, grauibus & prudentibus viris, & peritis rei militaris. Dreno præterito vastatur longè lateq; hostilis regio, quę cis Odram est, Strelce arx haud ita pridem à Conrado condita, expugnatur, diripitur, & exuritur. Sæuitur in homines, agros atque tecta: nonnullis tamen, deprecante Præmislo, vita conceditur. Abigitur magna prę da. Cum qua reuertens Præmislus, cùm apud Velenum exercitum dimitteret, cognoscit, Drenum arcem paruo hostium pręsidio teneri, Cassubiosque, qui in castris eius militarant, domum abeūtes nauigio primam portam arcis incendisse. Reuocatis igitur ex itinere militibus, ad Drenum contendit, & Saxonib⁹ deditionem facientibus, arcem recepit, præsidioque communiuit. Dedititios verò liberos dimisit, datis qui eos deducerent, ne quam vim à nostris paterentur. Hæc tunc rudimenta militiæ Præmisli fuēre. Sex deinde totis annis vtrinque ab armis cessatum est, pacéne facta, an inducijs, an pertæsis belli ducibus cōquiescentibus nihil compertum habemus. Interea verò minor Polonia quasi vicissitudine quadam bellis ardere cœpit, authore & incentore Paulo episcopo Cracouiensi, gente Polucosio, Iasci siue Ioannis comitis Premencouij filio, qui cùm canonicus Cracouiensis, & Boleslai Pudici secretarius siue cancellari⁹ esset, Prendotæ episcopo mortuo, à collegio sacerdotū elect⁹, succesśit. Is enim suæ dignitatis immemor, cùm totus voluptatibus, venationi & libidini deditus, & subditis suis grauis, aduersus principem verò Boleslaum contumax esset, nec precib⁹ & monitis, neq; collegij sui, neque principis flecteretur, & præterea monacha quadam de Scalensi monasterio educta pro concubina abuteretur, in Cunouiensi prædio degens ab Ottone & Zegota iuuenib⁹, equestri Toporo rum familia ortis, captus, & Siradiā deportatus, à Lesco Nigro in honesta custodia mensem vnum seruatus erat, Boleslai Pudici, quemadmodū exitus rei cōprobauit, vel iussu, vel permissu. Sed cùm Ioannes archiepiscopus Gnesnensis omni prouinciæ suæ sacris eam ob rē interdixisset, conuitijs & maledictis populi exagitatus Boleslaus dimitti eum

Strelce arx condita, & mox capta & incensa.

Drenum receptum.

Pauli episcopi Cracouiensis contaminata vita & improbitas.

Paulus episcopus captus, & Siradiā asportatus.

Interdictum Archiepiscopi.

Paulus episcopus dimissus.

iusserat, & in gratiam cum eo redierat, cùm ducenta pondo argenti ipsi appendisset. Nec tamen conquiescebat Paul⁹: verùm in hoc erat totus, vt Boleslaum vlcisceretur, & cum Lituanis barbaris affinitates & amicitias iungebat. Domi quoque factiosorum hominū animos in principem concitabat, in primis verò eorum, qui cùm sua turpiter prodegissent, & ad inopiam redacti, aut etiam ære alieno oppressi essent, alienis inhiabant, aut qui ob latrocinia & alia scelera pœnas metuebant, siue adeò multati iam erant, aut etiam in pace cupiditatibus suis minus commodè satisfaciebant. Ferè enim eiuscemodi homines res nouas cupiunt, ducemque fortuitu oblatum cupidè sequuntur. Incensis autem complurium animis, nec occasio cogitata perficiendi defuit. Erant inter Præmislum siue Ottocarum regē Boemorum & Boleslaum Pudicum inimicitiæ, propter surreptam Polonis à Boemo Opauiam, & propter adiutum à Boleslao Belam regem Vngarorum contra Boemos. Ac fecerat quidem cū Ottocaro pacem Bela paulo ante mortem suam, cùm in Morauia malè rem gessisset. Sed Stephanus filius eius suscepto paterno regno bellum redintegrauit. Quod vt maiore vi gereret, ad Boleslaum affinem Cracouiam venerat, & cū eo fœdus paternū renouârat. Mox cùm per Vngaros, tum per Chunos siue Hunnos magnis incommodis Boemos affecit. Quibus adductus Boemus, vt Polonorum auxilia Vngaro detraheret, cum Boleslao Pudico de Opauia transigere statuit. Nec abhorrebat à pace Bolesla⁹. Igitur anno Christi 1273. ad constitutū tē pus Opauiam is profectus erat, & cum Boemo conuentum agebat. Hoc tempus nacti coniurati, quo plerique proceres Boleslao fauētes cum ipso simul aberant, maturant defectionem illam aduersus Boleslaum, offensionis causam prætexentes, quòd is se inscijs, nec de cōuentus sententia Lescum Nigrum, ducem Siradiensem propinquum suum, hæredem nuncupasset. Erāt & aliæ quędam causæ, quæ bonos etiam viros non paucos infensiores Boleslao reddiderāt: nimirum quòd is indulgentia aut negligentia quadam calumnias in iudicijs regnare patiebatur, quib⁹ implicati simpliciores, multi graues mulctas dependere cogebantur, multi patrimonijs exuebantur. Neque verò vsquequaque incorruptus iudex ferebatur esse Bolesla⁹. Ad hęc autem onerosus erat nobilitati, propter

copus dimissus.

Pauli episcopi conatus improbi.

Conspiratio minorū Polonorū contra principē.

Nouarum rerum cupidi quinam esse soleant.

Stephanus 4. post Belā patrem apud Vngaros regnat, & Boemis bellum facit.

1273. ann. Boleslai Pudici conuentus cum rege Boem.

Lescus Niger hæres nuncupatus à Boleslao Pudico.

Iudiciorum prauitas & corruptela.

Boleslai Pudici prauitas in iudicijs.

propter crebras venationes, eo quòd & canes principis alere, & equos atq; subuectiones ipsi prębere omnib⁹ passim, quacunq; iter faciebat, necesse erat. His igitur de causis complures ei infensi erant, sperabantque mutatione principis desũctum se iri malis illis. Itaque conuenticulo habito, Paulo authore ad Vuladislaũ, ducem Oppoliensiũ mittunt, principatumq; ei deferunt. Animaduertebat quidẽ Vuladislaus difficulter se tũc viuẽte Boleslao Pudico principatu potiri posse. Sed quoniã senex iam erat Boleslaus, nec vllos habebat liberos, & alienas esse sciebat à Lesco multorũ voluntates, vel in posterum vtile id sibi fore iudicabat, si tunc oblatum principatum nõ refutaret. Itaq; cõuentum illum omnem ad se Oppoliam venire iubet, vt ibi ea res iure iurando & literarum monumentis confirmaretur. Faciunt illi iussa & frequentes Oppoliã proficiscuntur. Nihil horũ latebat Boleslaum. Soluto igitur conuẽtu Opauiẽsi rebus infectis, & inducijs tãtùm in viginti annos cum Præmislo factis, festinus ad sedanda domestica mala reuertitur, & proficiscentes Oppoliã aduersarios incompositos & inopinantes cum aulico suo procerũque comitatu apud Bogucinũ pagum altera die Iunij mensis adoritur. Nec illis animus ad defendẽdum sese defuit. Cõmittitur atrox pugna, nemine referente pedem. Ad extremum Boleslao cessit victoria, sed nõ incruenta tamẽ. Plurimi ibi mortales ex ceptis ferè aduerso pectore vulneribus vtrinq; cecidêre, sed multo plures tamẽ ex aduersarijs Boleslai. Pauci fuga ad Oppoliẽsem ducem euasêre. Bona cæsorum & profugorũ partim cõfiscata, partim inter victores distributa sunt. Oppressa coniuratione siue adeò bello ciuili, paucis diebus Lituani in Lublinensem oram excursionem fecêre, magnãque prędam auexêre, nemine prohibente. Nam vires minoris Poloniæ Bogucinensi illo prælio vehementer attritæ erant. Creditum est autem, à Paulo episcopo barbaros etiam tunc excitos esse, vt cęsorũ apud Bogucinum sanguini parentaret. Tantam aũt eius audaciã, tamque sceleratum animum diuina clemẽtia paululum tũc represit nouo & inusitato modo. Nam cùm Cracouiæ apud Dominicanos fratres commoraretur, quadam die cœlitùs increpitus esse fertur, huiusmodi verbis: Væ tibi Paule episcope: Melius tecum actum esset, si natus non fuisses. Atque hanc vocem à septuaginta hominibus tũc eum circumstantibus auditam esse. Monachus etiã quispiam per quietẽ vidisse dicitur lupum erectis prioribus pedibus contra eum humana voce exclamantem: Væ tibi Paule episcope, quoniam cepisti, & occidisti. Hoc quoque cùm ille renunciante monacho accepisset, expauefactus, fertur scelera sua maiorem in modum deplorasse. Dumq; solus in cubiculo fletibus indulget, rursus talibus dictis compellatum esse memorant: Ne timeas Paule episcope: Age quod lubet, septimo deinde anno morieris. Atque eum respondisse: Optimè secum acturam esse Diuinam misericordiam, si sibi septẽ annorum spacium ad expianda preterita peccata concederet. Has quoque voces ab ijs, qui ad fores cubiculi obseruabant exauditas esse. Credibile est autem, Sathanæ eas fuisse, primùm desperationem, deinde securitatem illi & maiorẽ licentiam ingerentis. Refrenauit tamẽ ille aliquatenus audaciam suam quamdiu vixit Boleslaus. Neque verò inulta Lituanis excursio illa fuit. Nam dum illi Lublinensem oram populantur, Polessensis eorum ditio & Prussia vicissim à Masouijs & Cuiauijs vastata est. Resumpserant enim vires tũc Prussi cũ Lituanis cõiuncti, magna strage profligatis aliquoties Crucigeris, & munitionibus eorum quibusdam expugnatis, & solo æquatis. Boleslaus verò Pudicus iratus Vuladislaõ duci Oppoliensiũ, quòd suis nouas res molientibus fauisset, exercitu cõscripto, accersitisque à Boleslao Calissiensi & Lesco Siradiensi ducibus auxilijs, Oppoliensem & Ratboriẽsem oram omnem infesto agmine depopulatus est, ita vt suburbana quoque primariorum oppidorum exureret. Nec tamen elicere ad pugnam Vuladislaũ potuit. Sed carpsit is tamen ex insidijs hostes palantes & prædas agentes, nec paruis affecit incõmodis. Maius vtrinque in sequentem annum bellũ parabatur: contrahebãtur auxilia, cõscribebantur milites mercenarij. Sed gliscẽs bellũ Boleslai Calissiẽsis opera consopitũ est. Nihil autẽ illo & ꝓximo deinde anno mẽmorabile vsquam in Polonia gestũ est, præter contracta & cõciliata quædã ducum matrimonia. Nã Præmislus iunior dux Posnaniensis sextumdecimum annum iam egressus, vxorem duxit Lucardem Henrici, siue, vt alij volunt, Nicolai Slauorum seu Vinidarũ ducis filiam, neptem Barnimi Scecensium ducis ex filia, suadente Boleslao patruo, q nullos adhuc susceperat liberos ex Iolenta siue

Nobilitatis onera.

Poloni minores ad Vuladislaum ducem Oppoliẽsiũ deficiunt.

Polonorum cum Boemis induciæ.

Boleslai Pudici victoria contra defectores.

Lituani Lublinensem oram populãtur.

Paulus episcopus diuinitus admonitus.

Polessensis terra & Prussia vastata à Masouijs & Cuiauijs.

Silesicũ bellum.

Præmisli Posnaniensium ducis nuptiæ.

siue Helena Belæ regis Vngarorũ filia, sorore Kingæ.

Boleslai Calui nuptiæ.

Boleslaus verò Caluus priore coniuge mortua, alteram duxit Adleidam Samborij ducis Pomeranorum filiam. Sed ea deinde viri contumelia propter pellicem offensa, pedestris paternam domum redijt.

Griffina Lesci Nigri vxor.

Porrò Lescũ Siradiensem cum Griffina vxore Roscislai Bulgarorum siue Russorum, vt vult alicubi Dlugossus, ducis filia Boleslaus Pudicus Siradiam profectus ingratiam reduxit, cùm illa accusata publicè viri frigiditate, detractaque vitta matronali resumptoque virginali cultu corporis totos quatuor annos sese ab eo seiunxisset.

Portenta.

Duo verò portenta illo biennio in Cracouiensi territorio extitisse memorantur. Puer dentatus eodem, quo natus est die, distinctè & articulatè locut⁹ est, donec religioni Christianę initiatus, & dentes, & sermonis vsum amisit.

Vaticinium infantis.

Ali⁹ verò semestris in vrbe Cracouiensi prolocutus, Tattaros aduenturos, & Polonorum capita præcisuros esse prædixit. Rogatusque, diuinitùs id se scire, & sibi quoque illud malum impendêre respõdit. Quod post duodecimum annum euenit, quemadmodum suo loco exponemus. Non libet autem & miraculum silentio præterire, quod illo tempore multis testibus accidit.

Rapacis & iniusti hominis supplicium.

Homo quidam splendidus equestris ordinis, sed violentus & rapax, & suis iuxtà ac alienis hominibus grauis, cùm grauiter ægrotaret, admonitus crebrò à religiosis quibusdã viris, vt ad Dei clementiam confugiens, animæ suæ saluti consuleret, negauit sibi veniæ locum relictum esse. Iam enim diuino iudicio traditum se esse dæmonum potestati. Nec mora, audiuntur à circumstantib⁹ vehementium verberum, & percussionum strepitus. Apparent in corpore ægroti, fœdi liuores atque vibices, ita vt omnes obstupescerent. Inter hæc ille infelix nullã vocem, nullumque gemitum edens, ter infelicem animam exhalauit, hic orsus supplicia, quæ deinde apud inferos æternum expenderet: vt esset exemplo ijs, qui ex aliorum incommodis student sua commoda parare.

1276. ann. Ladislaus rex Vngarorum.

Annus tunc agebatur 1276. quo Ladislaus cognomento Hunnus apud Vngaros post Stephani patris mortem regnare cœpit: & cùm Boemis infensior etiam patre esset, cum Rudolfo Cæsare, qui post diuturnam dissensionẽ principum electorum ante tres annos ad imperium euectus erat, contra Ottocarum regem societatem belli inijt. Fuerat quidem Rudolfus hic comes Habspurgensis Ottocari stipendiarius & Marsalcus, siue Magister curiæ. Sed cùm ille imperatorium decus sibi delatum superbius aspernaretur, ad hunc id delatum est à principibus electoribus.

Rudolfus Cæsar bellũ infert Boemis.

Faciebat autem imperator designatus bellum Ottocaro, in verba suã iurare dedignanti: simulque repetebat ab eo Austriam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, forum Iulij, & portum Naonis, quòd eas terras secundum Fridericum & Vlricum duces iure feudi, vt vocant, & caducæ hæreditatis ad Imperium deuolutas esse diceret.

Silesici motus.

Post id tempus Silesia rursus intestinis dissidijs exagitari cœpit, materiã subministrante inuidia. Grauiter ferebãt & duces, & proceres, Crosnã, Prinũ, & Greifensteinum Conradi culpa in externorum potestatem recidisse. Sed neque Conradus ipse, neque frater eius Boleslaus, obærati ambo, redimere oppignerata poterant. Nam decem millia nummûm aureorum archiepiscopo Magdeburgensi exoluenda erant. Abundabat autem pecunia Henricus Vuratislauiensis, Henrici tertij fratris eorum filius, q̃ eo puero à curatoribus ex ampliori dominatu collecta erat.

Grosna redẽpta ab Henrico Vuratislauiensi.

Itaque suasu procerum suorum redemit is territoria illa.

Inuidia.

Quæ res inuidiam ipsi conflauit apud patruos. Acerbior tamen erat Bolesla⁹. Et cùm Henricum circumuenire decreuisset, misit ad eum legationem sub specie repetendæ portionis hæreditarię, secundùm mortem Vuladislai fratris, qui archiepiscopus Salisburgensis fuerat, re uera autem solicitandorum quorundã Vuratislauiensiũ procerum causa, quos patrem Henrici, atque patruum Vuladislaum veneno sustulisse erat suspicio.

Henricus quartus dux Vuratislauiensis captus à Boleslao patruo.

Lehen arx.

Dissimulato autem dolo, cùm ad omnẽ occasionem attentus esset, rusticantem fortè Henricum in villa sua Ielce, & nihil tale metuentem missis satellitib⁹ cepit, & in arcem Lehen deportatum, asseruari diligenter iussit, donec aliquid ab eo violentis pactis extorqueret.

Henricus Probus.

Charus erat suis Henricus, propter probitatem, à qua etiam cognomen adept⁹ est: itaque eum deinceps nos iam appellabimus.

Silesiorũ intestinũ bellum.

Quocirca de liberando eo consilia ineunt: exercitum comparant: à cæteris etiam ducibus, Boleslao Pudico Cracouiensi & Sendomiriensi, Boleslao Calissiensi, Præmislo Posnaniensi, & Vuladislao Oppoliensi, indignitate rei motis magna auxilia impetrant. Displicebat & Cõrado Glogouiensi Boleslai fratris facinus in alterius fratris filium perpetratum. Itaque misit & ipse Vuratislauiensi

uiensi conuentui auxilia contra fratrē. Verùm Boleslaus explorato Vuratislauiensium apparatu, magna celeritate Saxonas, Misnios, Bauaros, atque Sueuos mercede conduxit, & prior in Vuratislauiensem oram impetum fecit. Educunt & Vuratislauienses suas copias, & obuiam Boleslao prodeunt. Inter Scorolciū & Procianum in planicie congressi exercitus, magno ardore committunt prælium: & neutris referentibus pedem aliquandiu, tandem Boleslaus Caluus conspecta suorum & cæsorum strage, & pugnantium paucitate, vno tantum comitatus milite, clàm se ex acie subduxit.

Boleslai Calui fuga.

At filius eius Henricus, de tribus natu maximus, maiore animo, boni imperatoris fungens officio, nutantes suos confirmabat, laborantibus succurrebat, & nō modò instaurauit prælium, sed etiam victor magnam in hostibus stragem edidit. Quæ eo maior fuit, quo pertinacius vtrinque pugnatum est.

Henrici filij fortitudo.

Captus est in eo prælio Præmislus dux Posnaniensiū.

Præmislus dux Posnaniensium captus.

Clade hac perculsus Vuratislauiensis cōuentus, Ottocari siue Præmisli Boemorum regis opem implorat. Et cùm antehac Crosnense territorium Ioanni Brādeburgensi marchioni hypothecæ nomine quatuor millia marcarum ab eo mutuati tradidissent, ne Boleslaum Caluum aduersum se adiuuaret, tunc porrò Closcum dant Ottocaro, vt afflictis Henrici rebus subueniret, quòd & armis ille tunc multum valebat, & authoritate apud sororis filium Boleslaum Caluum meritò valere debebat.

Crosna marchioni Brandeburgensi oppignerata.

Closcū Boemorum regi traditum.

Dant autem ea lege, vt id post obitum Ottocari in Henrici ducis sui potestatem recideret. Itaque Ottocarus cùm ademptas sibi à Rudolfo Cæsare terras, quarū superius mentionem fecimus, bello repetere necesse haberet, fecit pacem inter Boleslaum & Henricum: sed iniquis Hērico conditionibus, nempe vt is Boleslao patruo, Stregomum, Nouum forū, Strozam, Greifenbergam, Prinum, & Gesuindisdorfum (oppida ea sunt) iure sempiterno daret.

Pax iniqua in Silesia.

Accepit tamen eas cō ditiones Henricus, vt se & Præmislum vinculis liberaret. Cùm autem euasisset, recuperauit à Marchione Crosnam, numeratis ei sex millibus marcarum. Nam duo millia is Henrici causa falso expensa referebat. Cæpit verò Henric⁹, & in carcerem compegit suos nonnullos ex equestri ordine, quòd cum Boleslao sensisse dicerentur.

Crosna redēpta.

Eodē anno Lituani cum Prussis peruastata Masouia, Culmensique & Cuiauiensi tractu, Lenciciensem quoque crudeliter depopulati, ingentem prædam abegerunt, in qua ad quadraginta millia hominum fuisse memorantur.

Prussi & Lituani Masouiam, Culmensem,

Cuiauiensem, & Lenciciensem tractum vastant.

Tunc quoque prodigium circum Cracouiam apparuit. Etenim nocte media, in qua initium noui anni est, cœlum clara & non iniucunda luce ad breue tempus resplenduit, principis mortem, quod re postea comprobatum est, portendens.

Prodigium.

Memoratur autem & spectrum quoddam tunc in eodem Cracouiēsi tractu apparuisse. Lacum enim quendam peramplum infestatione dæmonum, piscationibus & vsibus hominum exemptum fuisse. Ad eum hyberna glacie concretum vicinos cum sacerdotibus vexilla, cruces, & reliquias sacras, quib⁹ vis dæmonū propulsaretur, ferentibus, piscandi gratia conuenisse. Immisso autem reti, primo quidem tractu, contendentibus piscatorib⁹ tres pisciculos, altero nihil nisi rete conuolutum, tertio denique monstrum horrendum caprino capite, & in speciem ignis ardentibus oculis extractum esse. Territis autem ac diffugientibus cunctis, spectrum illud sub glaciem sese immersisse, ac toto lacu discursans terribilē strepitum ac sonitum edidisse, afflatosque ab eo nonnullos homines fœda vlcera retulisse.

Spectrum.

Resumpsit æstate sequenti Boleslaus Calissiēsis cum Præmislo fratris filio expeditionem aduersus marchiones Brandeburgenses ob Santocum, auctus Pomeranorum auxilijs.

Brandeburgense bellū.

Vastanti autem ei hostilem regionem cis Odram occurrit Otto Longus marchio Ottonis tertij filius cum non contemnendis Saxonum copijs, & alijs quibusdam auxiliaribus apud Soldinum. Commissoq; prælio facilè funditur, fugaturque, vtpote viribus inferior: ac deinde intra munitiones arcium se continuit. Boleslaus verò omnem oram cis Odrā victor peruagatus ac depopulatus, dimisit exercitum, & intra anni decursum febri extinctus est, tribus filiabus relictis, quarum tutelam Præmislo mandauit.

Marchio Brandeburgensis victus à Polonis.

Boleslaus Pius dux Calissiensiū obijt.

Condidit hic viuens tres arces, Dupinum, Neslusſum, & Boleslaueciam in territorio Velunensi. Cōdidit & monasterium Gnesnæ puellis diui Francisci, seu diuæ Claræ institutum vitę professis.

Dupinum, Neslusſū & Boleslauecia arces conditæ.

Consecutus est autē sub finem eiusdē anni ad quartum Idus Decembris, Boleslaus Pudic⁹ dux Cracouiensis & Sendomiriensis, & Cracouię apud diui Francisci, quod mo nasterium ipse condiderat, sepultus est: benignus & religiosus princeps, & in egentes, cultumque Dei, ac ministros ei⁹ muni-

1279. anno. Boleslai Pudici mors.

D. Francisci cœnobium.

munificus. Cuius illa extant in Cracouiensem episcopum, & ecclesiam memorabilia beneficia, diplomatibus eius consignata, quibus cunctos sacri ordinis homines, eorumq; adscriptitios omni prorsus onere seruitutis atq; pensionis duci debitæ, etiam telonij, liberauit: & ab omni suorum iudicũ & magistratuum, suaque ipsius iurisdictione exemit. Episcopũ autem omnino ducali iure in bonis suis esse iussit, modò vt semel quotãnis principem hospitio acciperet, subuectionesque ipsi vt præberet, quãdo ei vsuueniret per episcopalia prędia iter facere. Ad hæc fecit potestatẽ singulis prælatis, vt vocant, & canonicis basilicę Cracouiensis, senos ex nobilitate, aut duodenos è plebe, quos vellent ab expeditione belli ea eximendi, ministerij sui causa: inferiorum verò ecclesiarũ collegijs dimidium eius numeri. Condidit etiam ac dotauit Crizanouicense monasterium supra Nidam amnem Præmonstratensib⁹ virginibus. Cracouiæ item apud sancti Marci, ei sectæ mendicantium, quæ vocatur de Pœnitentia beatorum martyrum. Ciuitatem verò Cracouiensem iure Saxonico, siue Magdeburgensi, quod etiam Sredense & Teuthonicum vocãt, quo pleraque oppida & vici & pagi vtũtur in Polonia, stabiliuit. Regnauit autem Boleslaus hic, seu vixit potius post mortẽ patris quinquaginta duos annos. Mortem eius Kinga vxor, virgo etiam tum, moderatè tulit. Quin gratias egit Deo, quòd se coniugij vinculo tandem liberasset: ac mox vnà cum sorore Iolenta, quæ post mortem mariti Boleslai Calissiensis ad eam se contulerat, distractis & in vsus egenorum distributis cunctis facultatibus suis, diui Francisci professioni & instituto vitæ sese addixit: & veterem Sandeciam, nequicquã refragantibus & renitentibus proceribus, cõmigrauit: ibiq; reliquum tempus vitę in monasterio à se & viro suo condito peregit. Non multo autem ante hos duos tertius quoque Boleslaus Legniciensium dux, cognomento Calu⁹ & Rogatca, è vita excessit, Henrico, Boleslao, & Bernardo filijs, & quatuor filiabus relictis. Quo tempore etiam Ottocarus Boemorum rex in Austria commissa cum Rudolfo Cęsare & Ladislao rege Vngarorum pugna, proditione suorum occubuit. Successit autem ipsi in regno Venceslaus filius, quinq;, aut certè non plus 8. annos natus. Tutelam pueri Otto marchio Brãdeburgensis, Boemis grauis, administrauit. Tunc igitur Henricus Vratislauiensium in Silesia dux Closcum iure suo recepit. Atque hoc verius est, & ijs quæ supra memorauimus magis consentaneũ, quã quod scribit Ioannis Dubr. Polonũ eo tractu à Rudolfo donatum esse, propterea ꝙ is Ottocaro militans, cum prodidisset, è prælio se subducens cum Milota præfecto Morauię. Rudolfus quidem post eam victoriam in Boemia nihil sibi iuris vsurpauit, Albertum modò filium Augustæ Vindelicorũ, inconuentu principum Austriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ ducem appellauit. A quo originẽ duxerũt, ij qui deinceps illis regionibus præfuêre vsq; ad nostra tempora, & Carolum Quintum Imperatorem, Hispanorum, Indorum, Siculorum, Neapolitanorumque regem, ac Ferdinandũ Cæsarem, seu regem Romanorum, Vngarorum, & Boemorum, fratres germanos, & liberos eorũ inclytos. E quibus Maximilianus natu maxim⁹ à patre Ferdinando, cùm ego regia legatione apud eum fungerer, rex Rom. & successor designatus, illo intra vertẽtem annum defuncto: hoc biennio, dum hæc à nobis recognoscuntur, imperij gubernacula suscepit, princeps singulari elegantia, comitate, humanitate, cõplurium linguarum peritia, & prudentia præstans. Sed iam ita Nonum hunc librum finiemus, & ad curriculum nostrum reuertemur.

Cracouiensis ecclesiæ ac diœceseos immunitas & prærogatiua.

Crizanouicense monasterium.

Cœnobium D. Marci.

Cracouiensis vrbs iure Teuthonico vti cœpit.

Boleslai Pudici ætas.

Kinga princeps cum sorore Iolenta monasticam vitam amplexa.

Sandecense monasteriũ.

Boleslaus Caluus seu Rogatca Legniciensis dux obijt.

Rudolphus Cæsar

Ottocarus secundus Boemorum rex occisus in prælio.

Venceslaus rex Boemorum.

Closcum Silesijs redditum.

Dubr. li. 17. hist. Boem.

Austriæ ducum & archiducum origo.

Carolus V. Imperator.

Ferdinandus Cæs. & rex.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER DECIMVS.

LESCVS NIGER.



SVCCESSIT Boleslao Pudico in principatu Cracouiẽsi & Sendomiriẽsi Lesc⁹ Niger, ex fratre ipsi⁹ patruele ortus: quem ipse sibi Boleslaus successorem designarat, quiq; siue viuente adhuc illo, siue iam mortuo, Cracouiam cum vxore aduolarat, & funeri patris adoptiui iusta persoluerat. Nec tunc sanè quispiam ipsi aduersatus est, bello à Russis ingruente: cuius metus locum atque spacium contentionibus & nouandis rebus non dabat. Nam Leo princeps in Russorum ducibus, Danielis filius, post Boleslai mortem media hyeme in Lublinensem oram cum ingenti Russorum, Tattarorum, & Lituanorum exercitu inuaserat: eaque per uastata Sendomiriensem quoque tractum ferro & igni infestabat. Sed eum Varsius Cracouiensis castellanus, & palatini duo Petrus Cracouiensis, & Ioannes Sendomiriensis, represserunt, cùm ei se apud Goslice pagum, altero à Sendomiria miliario cum parua manu temerè quidem, sed tamen euentu prospero, opposuissent. Commisso enim prælio tertia die Februarij, cùm nostri magno animo impetum in Russos fecissent, cæsis primis, magna trepidatio cæteros inuasit, sic vt abiectis armis terga verterent, & auxiliares barbaros secum inuoluerent. Qui tamen, quòd fugiendo pugnare consueuerunt, represso gradu restiterunt nostris paululum. Sed mox & ipsi, deserti à Russis, instantibus nostris in veram fugam acti sunt. Fugientes longius persecuti nostri magnam stragem edidere. Cæsa feruntur eo prælio hostiũ ad octo millia, capta duo: militaribus signis septem nostri victores potiti sunt. Cætera multitudo amissa præda euasit. Non contentus autem ea victoria Lescus, intra paucos dies maiores coegit copias, ita vt ad triginta equitũ, peditum verò duo millia peruenirent, & in Russiam duxit, vt Leonem vlcisceretur: qui nõdum resumpto è superiore clade animo, in penitiora Russię sese recepit. Quo circa impunè Lesc⁹ hostilem regionem ad Leopolim vsque (quæ arx cum oppido ab isto ipso Leone condita esse, & nomen sumpsisse videtur) peruagatus, direptis exustisque multis pagis & oppidis, & arcibus nonnullis, quæ negligentius seruatę ac defensæ erant, captis & euersis, ingentem prædam abegit: in qua ad quatuor millia hominum fuisse, cęsa verò ad quinque millia feruntur. Sequenti deinde anno, qui fuit 1281. Lescus contra Vuratislauiensem ducem Hẽricum quartum, qui Probus dictus, re postea longè à probitate abfuit, expeditionem instituit ex huiuscemodi causa. Hẽricus hic, quẽ dico, Boleslai Calui patrui fraude per iniuriam bonis quibusdam, quẽadmodũ superi⁹ dictum est, mulctatus, induxerat & ipse in animum suum facinus probi cognomento neutiquam conueniens. Nam Præmislum maioris Poloniæ, Henricum Legnicensem Boleslai Calui, & Henricum Glogouiensem Cõradi filium duces, ad conuentum & colloquium, quasi de re communi Bariciam, qui pagus in ditione eius erat, euocatos cæperat, & Vuratislauiam deportatos asseruabat, vt aliquid vicissim ab eis iniustis pactis emungeret. Indignè id ferre Lescus, qui vocatus & ipse vnà cum cæteris ducibus Polonorum, tamen incertum qua excusatione vsus, non venerat. Ac Præmisli maximè vicem dolens, cùm crebris literis atq; legationibus nihil ęqui ab Henrico impetraret, armis illum vindicare decreuit, orantibus maioribus Polonis, & auxilia pariter cũ Mesciugo Pomerano pollicentibus. Itaque coadunato exercitu, & auxiliaribus illis maiorib⁹ Polonis & Pomeranis ad cõdictum locũ conuenientibus, triplici agmine Vuratislauiensem Henrici ditionẽ aggressus, acerbè eam diuexauit vsq; ad Vuratislauiensia suburbana, maioribus Polonis maximè ob captum ducem suum in agrestes & oppidanos culpę expertes, & in innoxia tecta sæuientibus. Nec tamen his malis, aut lachrymis & conuitijs suorum Henricus cõmotus est, vt vel pro-

Leo Russorum dux.

Russorũ cum Tattaris & Lituanis excursio in Poloniam.

Russi cũ barbaris superati à Polonis.

Russia vasta-

ta à Polonis.

Leopolis à Leone condita.

Luuouu.

1281. ann.

Hẽricus Probus nomine, non re.

Duces tres dolo capti ab Henrico Probo.

Lescus bellũ infert Henrico Vuratislauiensium duci.

propulsaret illatum bellum, & miserabilem suæ ditionis vastationem prohiberet, vel captos duces dimitteret, ac se suosque præsentibus calamitatibus liberaret. Sed in arce Vuratislauiensi se cōtinebat. Peruastata omni ora Vuratislauiensi, & abacta luculenta prȩda Lescus auxiliares dimisit, & suas copias domū reduxit. Capti verò duces pertæsi vinculorum, eius, in cuius potestate erant, arbitratu se redemêre. Ac Præmislus quidem Rudense seu Velunense territoriū ipsi concesit. Legniciensis verò & Glogouiensis quinquennio se ipsi cum triginta hastatis militaturos esse dato iureiurando receperunt, obsidibusque cauerunt. Per idem tempus Siculi trucidatis vna hora per omnes vrbes ex composito Gallis omnibus à Carolo ad Petrū Arragonensem defecerunt, & Gallum regem Hispano cōmutarūt. Quod multorum deinceps bellorum inter duas has gentes & Italos seminarium fuit. Prussi verò Crucigerorum ditionem vehementer afflixerunt, & longè lateque ferro & igni grassati, Christiburgum, Marieuerderum, Zantirum, Clementiam, siue Plementiam, & Grudentum arces de ipsis cæperunt ac diruerūt. Insequēti anno Lituani cum Iazygum reliquijs subita excursione Lublinēsem regionē tripartito agmine crudeliter depopulati sunt. Iura tunc de more Lescꝰ reddebat Cracouiæ, cùm de barbarorū excursione certior factus est. Nec mora, omissis rebus omnibus arma corripere his qui circum se, quiq; in itinere erāt equitibus, & se sequi iussis, magnis itineribus in Lublinensem oram peruenit. Sed hostes iam præda onusti recesserāt. Itaque angebatur animi, quòd sibi hostem vlcisci, suosque, qui captiui abducebantur, vindicare procliue non esset. Neque enim cum parua manu longè maiorum hostium multitudinem per ignotos sibi, illis verò notissimos syluarum & paludum tramites abeuntes persequi audebat. In hoc æstu animi cùm eum ex labore itineris & in somnia fatigatum sopor inuasisset, expergefactus deinde postero die lætus, ab archangelo Dei Michaële in somnis confirmatū se, & sponsione certæ victoriæ persequi barbaros iussum esse, pro concione militari exposuit. Quo sermone animatis militibus, & impedimentis cum commeatu ponè se sequi iussis, ipse cum expeditis arma tantùm & aliquot dierum cibaria ferentibus, recentibus abeuntium hostiū vestigijs insistit, & inter Naruam & Nemenē flumina tertiadecima die Octobris eos cōsequitur. Neq; enim illi præda impediti, celerius iter facere potuêre. Perculsi sunt inopinato Polonorū aduētu barbari, ꝙ neq; paucos, neque imbelles atq; timidos tam lōgè persecuturos se fuisse suspicabātur. Sed tamē arma citò expediunt, authoribꝰ maximè Iazygibꝰ, qui summa erāt audacia. Inuehūtur in eos nostri vna & simplici acie, ꝙ & locus syluis cinctus angustus, & exiguæ copiȩ, quippe quȩ sex millia equitū vix contineret, diducere manum in plures acies non sinebant. Non segniter & illi primos nostrorū impetus excepêre. Sed in pugnam intentos captiui suorum signa conspicati, fortuitu oblatis telis à tergo adoriuntur. Inermes quoq; & fœminæ clamore sublato suos animabant, & hostibus terrorē incutiebāt. Quin & canes, quos secum ducebant barbari, & qui dudum lætiore vlulatu aduenientibus nostris gratulari visi erant, sæuis morsibꝰ barbaros ipsos impetebant. Itaq; ancipiti malo perturbati, effusa fuga proximas syluas petūt. Instat fugientibus Lescus: instant & captiui mutuo sese cohortantes, dolore & ira extimulante. Nox tandem persequēdi finē fecit. In eo ꝓlio reliquiæ Iazygū, qui pertinacius nostris restiterant, & à suscepta religione defecerāt, penitus deletȩ sunt. De Lituanis quoq;, q quatuordecim millia bellatorū expleuisse dicebantur, non multi euaserūt. Complures enim qui effugerāt, partim pudore, partim timore suorū, mortē sibi cōsciuêre. De nostris, quod mirum cuiq; ac diuini numinis opus videri debet, ne vnus quidem desideratus est. Lescus recuperata omni prȩda, & cumulata etiā hostium cæsorū spolijs, victor in Poloniā reuersus, Lublini templū, monimentū victoriæ suæ condidit: ac diui Michaëlis, quē in somnis victoriā sibi pollicetē viderat, memoriæ dedicauit. Pace per circuitū ab externis hostibus parta, ciuiles motus Lescū exceperunt. Sendomiriēsis enim conuentus Ioanne palatino & Cristino Castellano eius oræ authoribus, cū quibꝰ & Paulus episcopus Cracouiēsis sentire dicebatur, ab eo defecit, & Conrado Masouiæ duci accito sese munitionesq; suas subdidit: nec vinci beneficijs & secundis rebus Lesci potuit, vt conceptū in eū iam inde ab initio odiū deponeret. Verùm Lescus hoc sic abire passus non est. Nā coacto tumultuario exercitu de Cracouiensi ditione & aulico suo comitatu, in Sendomiriensem oram

Velunensis terra Hērico Vuratislauiensium duci concessa.

Sicilia à Gallo ad Hispanum defecit.

Siculæ vesperæ.

Prussi multa de Crucigeris cæperunt

Lituanorum excursio in Lublinēsem oram.

Somnium.

Naruast.

Nemenus.

Lesci Nigri insignis de Lituanis & Iazygibus victoria.

Iazygum reliquiæ deletæ.

Sendomiriēsium defectio à Lesco.

oram contra Conradum profectus est. At ille de aduentu Lesci certior factus, cùm se non satis crederet Sendomiriensibus, & paruam ipse manum secum adduxisset, in Masouiam celeriter se recepit, promittens confestim se cum maioribus copijs reuersurum. At Lescus magna animi moderatione & mansuetudine vsus, proceres authores defectionis destitutos à Conrado, facile sibi reconciliauit: per quos conuentum omnem vnà cum munitionibus in potestatem suam redegit, gliscensque ciuile bellum sapienter oppressit. Laboratum est fame eo & sequenti anno in Polonia vsque adeò, vt multi de plebe cum vxoribus & liberis præsens malum euitaturi, in Vngariam atque Russiam commigrarent. Sed vtrobique pro salute acerbiori calamitate per gentium illarum immanitatem & perfidiam operti sunt. A Russis quidem tributi nomine Tattaris in seruitutem traditi, ab Vngaris verò, Hũnis barbaris venundati. Per hoc tempus Philippus episcopus Firmanus legatus pontificius ex Vngaria venit Cracouiã. Humanius acceptus à Polonis, quàm ab Vngaris, à quorum rege Ladislao in vincula coniectus erat, propterea quòd eum ob adulteria & Hunnas pellices post leniores admonitiones diris deuouerat. Sed ipse quoque rex pòst ab Vngaris suis in honesta custodia asseruatus aliquandiu, ad extremum ab Hunnis, quorum consuetudinem & mores amplexus erat, interfectus occidit. E Polonia verò legatus in Prussiam contendit, & controuersiam inter Mesciugum Pomeranorum ducem & Crucigeros diremit. Etenim Varcislaus Mesciugi frater, cùm se ad Crucigeros contulisset, eorum vitę institutum amplexus, patrimonium suum ipsis donarat. Eius exemplum secuti alij duo fratres, & ipsi bona sua eisdem Crucigeris addixerunt, honestum victum quoad viuerent ab eis cum familia sua pacti. Ac donationes quidem illas legatus rescidit. Cæterùm Mesciugum induxit, vt Gneuense siue Meuense territorium ipse donaret Crucigeris. In quo mox illi arcem condiderunt, præsidioque firmarunt, Puterburgum demoliti. Sequenti anno mense Octobri rursus Lituani per Lucouiense territorium in Sendomiriensem tractum improuisi excurrerunt, & magnis incommodis atque calamitatibus multos pagos & oppida affecerunt, nemine resistente. Namq; nobilitas in arces proximas diffugerat. Exercebat tunc

Cõradi ducis Masouij fuga.

Lesci benignitas & moderatio.

Fames in Polonia.

Legatus pontificius in Poloniam & Prussiam.

Ladislai Vngarorum regis nequitia, improbitas, & interitus.

Pomerani duces Crucigeris sua donarunt.

Gneuense territorium donatũ Crucigeris. Gneua arx condita.

1283. ann.

Lituani Sendomiriensem agrum vastant.

Lescus Cracouię iudicia, quę colloquia nostri vocant. Quamprimum verò de barbarorum excursione cognouit, correptis celeriter armis cum ijs qui aderant ex equestri ordine, cæterisque sine mora sequi iussis, nocturnis pariter ac diurnis itineribus hostem persequitur. Sẽdomiriensis autem conuentus nobilitatem simul & rusticanos homines, præmissis veredarijs de aduentu suo certiores facit, & occurrere sibi curriculo iubet. Concurrentibus omnibus, vbi haud longè se ab hostibus abesse sensit, aduocatis in concionem militibus, graui oratione eos in hostem animat, vt viri esse pergerent, & coniugibus ac liberis dulcissimis, propinquis, necessarijs, atq; etiam agricolis suis, qui in fœdam seruitutem à barbaris abducebãtur, subuenirent. Cæsos senes atque paruos pueros, vastatos agros, incensas villas, pagos & oppida, direpta fana, violata sacra nauiter vlciscerentur, & insignem suam patriæque communis ignominiam, vel cum vitæ suæ discrimine vindicarent. Honestissimum esse pro patria, „ & pro aris & focis dimicantem occumbere. Gloriæ quàm vitæ bonos fortesq; „ viros cupidiores esse debere. Non prouenire autem magnam atque solidam „ gloriam sine magnis periculis. Neq; tamen eò se hæc dicere, quòd de virtute & alacritate eorum dubitaret, aut quòd periculosum admodum illud cum barbaris certamen fore crederet. Eosdem enim esse, quos anno superiori intra ipsorum iam fines penè ad internecionẽ, nullo de suis amisso, profligassent, quiq; furtis modò & clandestinis latrocinijs vicinos infestare soliti, virtute & arte bellica nihil valeret. Irent ergo alacres, cæsisque suis eorũ sanguine parentarẽt, & captiuos opem suam lachrymis & eiulatibus implorantes, liberarent. Et quo meliore spe & fiducia diuini auxilij Dei contemptorem hostem adorirentur, cõfessione eos peccata expiare, & sacrosancta eucharistia communire se iubet. Atque ipse princeps sanè quàm religiosè hoc fecit. Pręsensêre aduentum Polonorum barbari, & anni superioris fortunã reformidãtes, in proximas syluas in Lucouiensi territorio sese subducunt, atq; ibi de salute sua consultant. Syluis sese diu tegere non poterant. Prædam & impedimenta relinquere nolebant: nec adeò tutum sibi receptũ esse animaduertebant, eo quòd experti iam nostrorum audaciam, etiam in intimam Lituaniã persecuturos se eos esse certò sibi per

Lesci oratio ad milites.

Lituanorum consultatio.

suaderent. Nec in armis magnam spem habebant. Sed tamen hoc sibi tentandũ extrema penè adducti necessitate consti tuunt. Itaque relictis in sylua cum paruo imbecillium & ægrotorum pręsidio sarcinis, captiuisque arctius colligatis, ne sibi rursus à tergo negocium facerẽt, magno impetu & cum clamore incõdito in nostros feruntur. Perturbauit nõnihil nostros primus eorum aspectus, propterea quòd præter omnẽ expectationem ad se contendere eos videbant, quos fugere crediderant, & quòd multitudine ij superabant. Sed tamẽ cohortãte duce, & instruente acies, citò animos resumpsêre. Duas autem is incursantibus hostibus acies obiecit: quarum alteri Zegota Cracouiensis, alteri Ioannes Sendomiriensis palatinus præerat. Ipse in omnes partes oculos & totũ corp⁹ circumferre, ac sollicitè circumspicere, quid quaque in parte gereretur, vt sicubi laborantes suos cõspiceret, mox subsidia summitteret. Nec diu primus ille barbarorum impetus viguit: Sed virtute nostrorum, quasi firmo muro obiecto, statim refractus est. Primi, qui cum Cracouiẽsi palatino, & aulico Lesci comitatu cõcurrerant repressi, ad fugã spectare cœperunt. Quo animaduerso cęteri quoq; conuersi syluas petiuerunt. Inde porrò continuato cursu quoquouersum diffugerunt. Poloni deposita in syluis præda potiti sunt, & captiuos relaxarunt. Quibus adiuuantibus per aliquot dies deinceps barbaros, quicunq; in sylua delituerant, conquisitos trucidarũt. Reuertentesque magna omnis generis hominum occurrentium lætitia excepti sunt. In Paulum episcopũ Lescus Lituanicarum illarum excursionum, atq; item defectionis Sendomiriensis cõuentus culpam conferebat. Habebat enim Paulus magnas necessitudines & clientelas in tractu Sendomiriensi, & cũ barbaris amicitias & affinitates coniunxerat. Lesco verò iam inde ab initio propter captiuitatẽ suam infensus erat, ita vt non incredibile esset, cùm nobilitatem Sendomiriensem ab eo cõcitatam fuisse, tum barbaros in Poloniam euocatos, quo magis Lescum inuisum apud omnes, suis quenque damnis & publica indignitate acuente redderet. Itaque captus is est iterum à satellitibus Lesci, & Siradiam deportatus. Dimissusque deinde maiorem immunitatem bonorum suorum ecclesiasticorum; & in Derzanzna pago quicquid ad ducem pertinebat, castellano & palatino, decanoque & Scholastico Cracouiensi arbitris, à Lesco accepit. Nã tria millia marcarum argenti, quæ & ipsa soluere Lescus debuerat, remisit. Extat ea de re diploma Lesci in basilica Cracouiensi. Insignis est hic ipse annus & alio insolenti facinore. Etenim Lucardis Præmisli ducis maioris Poloniæ vxor à pedissequis suis iugulata est. Nec expers huius culpæ Præmislus, quòd ne quæstionẽ quidem de scelere habuisset, nec pœnas exegisset, habitus, & vulgari carmine notatus est: Quod carmen sua ætate Dlugossus vulgo cantari solitum esse memorat. in quo oratio fœminæ illius repræsentetur orantis maritum pro amore coniugali, & honore, quem illi semper habuisset, ne vitam sibi adimat, sed vel vna subucula tectam in domum paternam se remittat. Causa verò huius parricidij Præmislo ea fuisse fertur, quòd nullos ex ea susciperet liberos. Quasi „ verò id in arbitrio sit cuiuspiam, ac non „ diuinitùs concedantur liberi. Sed non „ inultum id scelus tulit Præmislus. Quãuis enim alteram vxorem duxisset non multo posterius, Rixam Suetiæ regis filiam, tamen ne ex ea quidem mares liberos reliquit. Quin etiam alijs aduersitatibus fuit obnoxius. Insequenti enim anno Henricus dux Vuratislauiensium Calissiensem arcem proditione Sendiuoij præfecti traditam ipsi eripuit. Oppidum enim paulo antè fortuito incendio cõflagrarat. Erat hic Sendiuoius Ioannis palatini Posnaniensis filius iratus Præmislo, quòd ab eo in mandandis magistratibus & honorib⁹ præteriretur. Et nisus est quidem Præmislus arcem vi & armis in potestatem suam redigere, sed repulsus à præsidio Henrici, proceribus intercedentibus cum Henrico pacificatus est ea conditione, vt pro Calissiensi arce Olobocense territorium Henrico daret, & arcem ei suis sumptibus in eo exædificaret. Quã arcem tertio pòst anno maiores Poloni vi expugnatã in Prę misli potestatem redegerunt. Neque eã tunc Henricus armis vindicauit, sed dolos versabat in pectore: ad quos ita fact⁹ erat, vt ne à sacris quidem rebus & sacerdotibus manus abstineret, dum nimia opum cupiditate flagrat. Quas tamen iusta diuini numinis vindicta postea alienis, cùm suo hærede careret, reliquit. Atque vt prætermittamus, quod Calissiensis arcis proditorem Ioannem cum Beniamino nescio quo equite in carcere aliquãdiu tenuit (q min⁹ etiam dignum facto suo præmiũ tulêre) illud qui-

Lituani iterum victi à Lesco.

Paulus episcopus turbator iterũ captus.

Derzanzna episcopo Cracouiensi donata.

Lucardis Præmisli vxor iugulata

Calissia Henrico Vuratislauiensium duci prodita.

Olobocum à Polonis recuperatum.

Hẽricus Probus ad dolos factus.

Vuratislauiensis episcopi & ecclesiæ bona ac decimæ vsurpatæ ab Hērico duce.

quidem certè deteſtabile eius facinus ſilentio prætereundum non eſt, quod in eccleſiam Vuratiſlauienſem,&in epiſcopum eius Thomam ſecundum Thomæ illius,quem Boleſlaus Caluus in vinculis habuerat,ſororis filium patrauit. Etenim permagnam vim pecuniæ ipſi,& vniuerſo ordini eccleſiaſtico eius diœceſeos præter ius & morē in bellū, neſcio an illud, qđ cum Præmiſlo de Caliſſien ſi dominatu gerere volebat, imperauit. Quæ cū non daretur,arcē epiſcopi Othmuchouiam,& Nyſſam oppidum,ac deinde cætera omnia epiſcopi & ſacri ordinis bona inuaſit:mox & decimas omnes vſurpauit. Nec ea reddere epiſcopo per honeſtos & graues oratores , ac poſtea per ſe ipſum flagitanti voluit: ſuperbeq; inſuper & minaciter reſpondit.

Othmuchouia arx.

Iacob⁹ Suinca archiepiſcopus Gneſnenſis nō per electionem.

Erat tūc archiepiſcopusGneſnenſis Iacobus,gente & cognomento Suinca,Ioanni defuncto poſt vndecim annorū vacationem & plurium competitorum partim obitum,partim reiectionem, crebramq; Pōtificum maximorum mutationē fauore & arbitrio Martini quarti pontificis (electione collegij Gneſnenſis poſthabita) ſucceſſor datus . Is igitur ſynodo Lenciciæ coacta, de eius ſententia Henricū ducem communioneChriſtiani populi vnà cum ſocijs & fautorib⁹ ſceleris & ſacrilegij excluſit: Vuratiſlauienſi verò ciuitati & omnib⁹ locis, quæ in ditionem Henrici erāt,ſacris interdixit. Cui decreto paritū eſt ab omnibus, præter Franciſcanos fratres, pluris facientes emolumēta ſua &fauorem ducis,quàm diſciplinā eccleſiaſticam.

Interdictum ac diræ Archiepiſcopi cum ſynodo in Henricū.

Franciſcani ſodales interdictum contempsēre.

Quæ res maioris pertinaciæ & crudelitatis Henrico cauſa fuit. Irritatus enim,epiſcopū & ſacerdotes omnes ditione ſua eiecit. Qui quócunq; in Poloniam cōmigrabant, humanè & benignè recipiebātur. Epiſcopus autē cùm in concilio Lugdunenſi de vi & iniuria Henrici nequicquam queſtus eſſet,propterea quòd ille iam prius aures concilij falſis criminationibus per legatos occuparat,reuerſus mœrens Ratiboriā ſe cōtulit:vbi à Cazimiro duce Vuladiſlai filio perbenignè &honorificè acceptus atque habitus eſt.Quo factum eſt, vt æquiore animo exilium illud ſuum in quintum vſque annum ferret. Verùm ne ita quidem tyranni crudelitatem exatiauit. Nā is & nobiles quoſdam bonoſque viros de ſuis,à quibus reprehenſus erat de ſcelere, trucidauit , & cum Cazimiro literis & legationibus expoſtulauit, quòd inimico ſuo receptum præberet: minaſq; adiecit, ni eum pelleret.

Epiſcopus cum ſacerdotibus eiectus è Vuratiſlauienſi diœceſi.

Lugdunenſe concilium.

Cazimirus dux Ratiboriensium.

Quę cū à Cazimiro contemnerentur,coegit exercitū, & Ratiboriam obſidione cinxit. Nam Cazimirus viribus eius impar arcis munitione ſe continebat . Cùm aliquot dies duraret obſidio, murmurare contra epiſcopum & cęteros ſacerdotes exules plebs à victu imparata, & præſertim ij,quorum bona in agris atque villis diripiebantur,& qui ea formidabāt,quę victis captiſque vrbibus ab irato hoſte accidere ſolent .

Ratiboria & Cazimirus dux bello petitus ob receptum epiſcopi & ſacerdotum exulum.

Qua re cognita epiſcopus collocutus cum ſuis,indignum eſſe ait , vt ſua paucorum exulum cauſa, bene merita de ſe ciuitas periculum ſubeat , aut vllo prorſus afficiatur incommodo ac detrimento . Præſtare, vt ipſi ſoli vel capitibus ſuis iram tyranni exatient,quàm tot inſontes & bene merentes hoſpites ſuos eodem ſecum exitio inuoluant. Induit deinde ſacras & pontificales veſtes, nonnulloſque de ſacerdotibus,quemadmodū ad ſacra peragenda ſolent, indui iubet. Ita ſpectabilis cum venerando illo cœtu vrbe egreſſus , ad hoſtilia caſtra profectus eſt . Venientes à lōgè conſpicatus Henricus, attonitus & quaſi numine afflatus de papilione exilijt,& obuiam procurrens,ad pedes epiſcopi ſeſe abiecit , & culpam ſupplex deprecatus eſt:auguſtius quiddā humana ſpecie in vultu epiſcopi contemplatus. Benignè eum humo epiſcopus attollit , amplexatur , & exoſculatur non ſine lachrymis,certamque veniam,ſi eum factorum pœniteat, pollicetur.

Thomas epiſcopus Vuratiſl. ad hoſtem ſacratæ veſtitu egreſſus, irā eius fregit.

Deinde in proximam ædiculam diuo Nicolao dedicatam,pariter ingrediūtur. Ibi ſemotis arbitris inter ſe in gratiā redeūt,cùm Henric⁹ redderet quæcūq; epiſcopo,eccleſijs & vniuerſo ordini ſacro ademerat, & ꝓ pceptis emolumētis ſatisfacturū ſe eſſe, ad hæc āpla munera &immunitates eccleſię largiturū reciperet. Quibus peractis ſoluit obſidionē, & ab Archiepiſcopo vinculo excommunicationis liberatus, interdictumq; ſublatū eſt.

Henrici ducis cum Thoma epiſcopo tranſactio.

Vt autē referret gratiā ꝓ hoſpitalitate CazimiroThomas epiſcopus, collegium ſacerdotū canonicorū in arce Ratiborienſi inſtituit,eique decimas quaſdam de ſuis attribuit. Porrò Hēricus poſteriori tempore templū ſanctæ Crucis in inſula Vuratiſlauiēſi è regione baſilicę cōdidit,& collegium ſacerdotū,datis de ſuo luculētis reditib⁹, inſtituit. Quin etiā cū ex vxore,Ottonis Lōgi marchionis Brandeburgenſiū filia nullos liberos ſuſciperet, Vuratiſlauiā ipſam cū omni territorio eccleſiæ & epiſcopo Vuratiſlauiēſi ſēpiterno iure donabat, niſi epiſ-

Ratiboriæ collegium ſacerdotū inſtitutum.

S. Crucis tēplum & collegium ſacerdotum Vuratislauiæ.

Vratislauiæ donatio refutata ab episcopo.

copus eam donationem abnuisset. Dum hæc ita gerũtur in Silesia, nec in minore Polonia quietæ res fuêre, turbante maximè Paulo episcopo Cracouiẽsi, & omnium odia in Lescum ducem, quo captiuitatem suam vlcisceretur, inflãmante. Quod malum eousque progressum est, vt iam non priuata paucorum cõspiratione, sed publico procerum atque nobilitatis consilio Conradus Cirnensium Masouiorum dux ad suscipiẽdum principatum accerseretur. Cui cum exercitu venienti Varsius Castellanus, & Zegota palatinus, Cracouiensis, Ioannes Sendomiriensis palatinus, & Cristinus Castellanus cum Paulo episcopo & maxima nobilitatis multitudine ad Sendomiriã obuiam progressi sunt, & in verba eius iurarunt. Itaque ille nullo negocio Cracouiẽsi & Sendomiriensi dominatu omni tunc potitus est. Sola restabat Cracouia, in qua se Lescus cum vxore continebat. Nec tamẽ explicabat rationem, quo modo eam in tanta contra se omnium conspiratione retineret. Nã & ij qui ei fauebant, quique in comitatu eius aulico fuerant, ab eo se subducebãt, veriti ne sibi fraudi esset, à publico vniuersi conuẽtus consilio dissentire. Desertus ab omnibus, ad Cracouiẽsis ciuitatis, cuius studia non aliena esse à se animaduertebat, misericordiam confugit. Eius fidei atq; tutelæ Cracouiensem arcem commendauit. Ipse cum vxore, vel vt alij volunt, vxore Cracouię relicta, in Vngariam ad Ladislaum regem confugit. Suscipiunt arcis defensionem Cracouienses ciues. Et quoniam difficulter se arcem & vrbem pariter tutari posse existimabant, cùm quòd humiles erãt vrbis muri, nec bene instructi propugnaculis, tũ quod distracta multitudo imbecillior futura erat ad sustinendam vim aduersariorũ, qui iam appropinquare cum Conrado dicebantur, relicta vrbe commigrant in arcem cum vxoribus, liberis, & facultatibus suis. Cognita Cracouiensium ciuiũ voluntate proceres, mittunt ad eos quorum gratia & authoritate deduci eos de sententia posse credebant: & non modò impunitatem illius cœpti, sed etiam maiora à Conrado, quàm à Lesco præmia ipsis pollicentur, si consensum vniuersi conuentus secuti, Conrado sese & arcem dedãt: sin recusent, minas adijciũt. Nihil neque blanditijs deliniti, neq; minis territi Cracouienses ciues, respondẽt legationi procerum: Non licere sibi fidem & iusiurandum Lesco semel datũ violare. Re integra in consilium illud se non esse adhibitos: ne nunc quidem ad id accessuros, cùm eius rationem probabilem reddere non possent. Scirent proceres, quid agerent: se omnia charissima, & vitam ipsam pri⁹ amittere, quàm fidem frangere decreuisse. Quę cùm Cõrado & proceribus renũciata essent, irritati & multum frementes, ad Cracouiã castra admouent. Cumq; perdifficilem sibi esse intelligerent arcis & armis & cõmeatu bene munitę expugnationem, vrbem vacuam incendunt, vt vel sic ciuium siue pertinaciam, siue constantiam præsenti priuatorum cuiusq; malorum aspectu frangerent. Sed nihilo tamen segnius illi arcem defendebant. Quanquã autem vastarãt paulo antè Tattari Trãsyluaniam & Vngariam vsque ad Pestum totos tres menses, tamen impetrauit Lescus à Ladislao rege non contemnenda Vngarorum & Hunnorum auxilia, & cum ijs iam aduẽtabant, eo quidẽ celerius, vt arce Cracouiensi subueniret. Id vbi didicit Conradus, occurrit ei cum exercitu, & collatis signis apud Bogucice pagum ad Rabam flumen vincitur: dissipatoq; longè maiori, quàm Lescus habebat, exercitu, in Masouiam vsq; profugit, veritus ne alienatis à se aduerso prælio voluntatibus eorum, à quibus accitus erat, in potestatem Lesci veniret. Sic euentus tunc ostendit, vter iustius arma sumpsisset. Lesc⁹ moderatè vtẽs victoria, captiuos omnes dimisit, proceribus culpam deprecantibus, veniam dedit: deinde Cracouiam veniens, Vngaros & Hunnos liberaliter remuneratos remisit: Cracouiensibus ciuib⁹ gratias egit: vrbem accuratius muniuit: eiusque regimen Teuthonib⁹, qui fidem ipsi præclarè seruassent, proprium deinceps attribuit. Quod ad nostra vsque tempora durauit. Habitu quoque & cultu corporis cum eis conformato, quanti eos faceret, ostendit. Hęc anno post Christum natum 1285. gesta sunt. Quo etiam Boleslaus Masouiorum Plocensium dux, Cõradi frater, Russiam, siue adeò quæ Russi in tractu Lublinensi & Polessensi de Polonis capta tenebant, repentina excursione populatus, cùm onustus præda domum reuertisset, mox idem incõmodum à Russis accepta damna vlciscentibus, in ditione sua vicissim pertulit. Insequenti verò anno Conradus frater eius Gostinino, quod in ditione Vuladislai Loctici erat, per fraudem potitus est. Cùm enim nonnullos de suis eò prodẽ dæ arcis causa submisisset, Lituanos deinde euocauit. Quibus ex improuiso ad uenien-

Polonia minor ad Conradum Masouiũ à Lesco defecit.

Craconia in fide Lesci permansit.

Cracouiensium ciuiũ fides & constantia.

Tattari Vngariam vastarunt.

Raba fl.

Conradus vincitur à Lesco & fugatur.

Cracouiæ vrbis regimen Teuthonibus mã datum.

Lescus cultu Teuthonico vsus.

1285. ann.

Masouij Russiam, Rußi Masouiã populantur.

Gostininũ à Cõrado surreptum.

uenientibus, ij subornati erant, arcem prodiderunt. Captam illi ac direptam Conrado concesserunt, plus sexcentis hominibus ibi partim necatis, partim captis: quos cum reliqua præda abegerũt. Non tulit eã iniuriam Vuladislaus: Verùm tumultuaria manu facta, silenti agmine ad Ploscum contendit: noctuque aggressus arcem, vigilibus cæsis facilè fit voti compos. Deinde procerum vtriusque partis opera pax fit inter duces, redditis inuicem quas interceperant, arcibus, damnisque Vuladislao persolutis. Nec tamen impunè abijt Masouijs, alienæ rei manus admouisse. Eodem enim anno ab ijsdem Lituanis, quos in Gostininense territorium immiserant, graui excursione vexati sunt, & Sochaciouia Ploscumq; arces negligentius custoditę, captę, & exustę. Prussiam tunc nouo vermium genere per æstatem infestatam fuisse ferunt, qui caudis cancrorum præditi, quoscunque aculeo pupugissent, intra tertium diem extinguebant. Hoc etiam anno Bernardus dux Legniciensium, Boleslai Calui filius, obijt. Sequenti verò Lescus dissimulato proposito, per speciem Lituanici belli Cõrado bellum intulit. Vastarant Lituani cum Prussis Dobrinensem tractum, qui in ditione Ziemouiti erat: Dobrinumque oppidum magna hominum strage edita diripuerant, & incenderant, cùm inexpectati die Dominico, vacante diuino cultui multitudine, irrupisset. Fratris igitur iniuriam vlcisci se velle cùm simulasset Lescus, comparato cùm de suis, tum de voluntarijs cruce signatis non paruo exercitu, in Masouiam deflexo itinere, obuia quæque ferro & igni, nemine resistente, vastauit, & cum ingenti præda domum reuersus est. Atque ex eo tempore prior illa fortuna ab eo recessit, & secundæ res aduersis commutatæ sunt, ne impunè ferret, Deum & homines fefellisse, & prætextu pietatis irę suæ impensius indulsisse. Itaque & tunc, licet nemine persequente, complures tamen de suis in traiectu fluminis amisit, & mox ad finem eiusdem anni cunctæ eius terræ longè lateque à Tattaris peruastatæ sunt, & ipse fuga in Vngariã consulere sibi coactus est. Nam Tattari fame domestica stimulati, ꝑ Russos & cum Russis primùm in Lublinensem orã & in Masouiã delati, locustarũ in modũ eas regiones, cædib⁹ & incẽdijs nusq̃ abstinentes, depopulati sunt. Inde porrò diuertẽtes, Sendomiriensẽ tractũ, & nonnullam partem Siradiensis, eadẽ crudelitate peruagati; frustra tentata Sẽdomiriæ expugnatione, Lysecensis monasterij, quod S. Crucis dicitur, direptione, suasu Russorum penitus abstinuerunt: & ad Cracouiam pridie natalis Christi populabundi peruenerunt. In cuius oppugnatione cùm nonnullos fortes viros amisissent, & Lescum ducem cum vxore & primoribus in Vngariam profugisse didicissent, maiore licentia & furore in pagos & oppida vsque ad Carpathum montem debacchati, Sandecense tamen monasterium, pauore, vt creditum est, diuinitùs immisso, non attigerunt. Quanquam aberat inde tum Kinga: nam cum duabus sororibus, Iolenta, & Constantia, quæ Danielis, Russorum regis vxor fuerat, & cum vniuerso cœtu monacharum, quæ ad septuaginta fuère, ad hæc cum magna sacerdotum & equestrium hominum caterua in Pieninam arcem, natura loci munitissimam, ac vnum tantùm, & eum quidem perangustum aditum habentẽ, sese receperat. Tandem satiati cædibus atque præda barbari, in Russiam reuerterunt. Tantam autem hominum prædam tunc abegisse dicuntur è Polonia, vt cùm eam apud Vuladimiriam recognoscerent, & partirentur inter se, vnum & viginti millia innuptarũ puellarum censa esse dicãtur. Eas enim libidinis causa seruant maximè. Prouectiores tum viros, tum mulieres, itemque paruos pueros immaniter trucidant. Ne Russi quidem, quamuis socij tributarij, prorsus expertes malorum à barbaris tunc fuère. Nam barbari excessuri è Russia, vt est maliciosum genus hominum, & incantationum atque veneficiorum gnarum, aquas omnes infecerunt, exectis captiuorum cæsorum cordibus, & præsentissimo veneno imbutis, & verub⁹ subter aquas defixis. Vñ de plurimi mortales postea ex aquæ venenatę vsu immedicabilib⁹ morbis correpti, miserabiliter extincti sunt, cũ seri us mali causa animaduersa esset. Nihil acerba illa cũcti dominatus sui vastitas animum Lesci emollijt: quin is reuersus ex Vngaria, in sequentem æstatem expeditionẽ contra Cõradum ducẽ Masouię rursus parare cœpit. Sed cũ segniorẽ ad eam esse cerneret Cracouiensem & Sendomiriensem nobilitatem, Matthæo Siradiensi palatino mandat, vt ipse cũ Siradiensi, quæ minus calamitatis à Tattaris pertulerat, in Masouiã populabũdus excurrat. Fecit iussa palatin⁹: & iã multis vicis pagisq; vastatis, præda onustus reuer-

Margin notes (left): Ploscũ à Vuladislo interceptum. — Pax inter Lecicienses & Plocenses. — Lituani Masouiã vexãt. — Sochaciouia & Ploscum arces incensæ. — In Prussia vermes venenosi. — Bernardus Legniciæ dux obijt. — Dobrinum à Prussis incensum. — Masouia Cirnensis à Lesco vastata. — Tattari Poloniam vastant cũ Russis.

Margin notes (right): Lysecense monasteriũ intactum. — Cracouia tẽtata à Tattaris. — Sandecense monasteriũ intactum. — Pienina arx. — Tattarorum præda. — Puellarũ captiuarum numerus. — Russis socijs etiam nocuere Tattari. — Tattari maliciosi. — Masouia Cirnensis vastata à Siradiensibus.

reuertebatur, cùm eum Conradus, qui ditionem suam siue ob imbecillitatem virium, siue ex industria vastari passus erat, cum valida equitum & rusticanorum manu occultis itineribus secutus, vicesimaquinta die Iunij in finibus Masouię adipiscitur: & securum incautumq; exercitũ ex improuiso adortus, non leui strage fudit ac dissipauit. Palatinus cum paucis fortiter dimicãs, occumbere, quàm fugere maluit. Præda omni Cõradus potitus est.

Siradienses fusi et præda exuti à Masouijs.

Matthæus palatinus Siradiensis occubuit.

At Lescus his aduersis rebus & sugillationibus hominum afflictus, ex mœrore & angore animi in morbum incidit: quo sensim tabescens vltima demum die Septembris anni sequentis, qui fuit post Christum natum 1289. vitã cum morte commutauit, & in templo S. Trinitatis apud sodales Dominicanos honorificè sepultus est: bonus & moderatus princeps, & felix, si extrema cum primis contexuisset. Quod tamen improbitati & perfidię aliorum magis quàm ipsi imputandum est.

Lesci Nigri mors. 1289. ann.

Donauit hic episcopo Cracouiensi iure sempiterno decimam de omnibus metallis, in cuiuscunque solo essent, intra ipsius diœcesim. Præcessit autẽ Lescum Ziemomyslus frater, dux Vuladislauiensium, non toto biennio, relictis tribus filijs, Lesco, Præmislo, & Cazimiro de Salomea filia Suentopelci susceptis. Tametsi Dlugossus nullos eum liberos reliquisse memorat.

Decima ex metallis episcopo Cracouiensi donata.

Ziemomysli ducis Vuladislauiensis mors, & filij.

Hoc anno Cazimirus Oppoliensium dux Henrici fortè Vuratislauiensium ducis vim & arma timens, Venceslao Boemorũ principi & successoribus eius sese cum dominatu & liberis suis subdidit. Quod Henricus quoque Vuratislauiensis aliquanto prius, viuente adhuc Ottocaro rege, fecisse memoratur. Quãquam hic, cùm nullos liberos reliquisset, non Boemorum principem, sed cognatum hæredem habuit.

Oppoliensis principatus addict⁹ principi Boemorum.

Vuratislauiensis item.

INTERREGNVM.

Tempus quod Lesci Nigri mortem cõsecutum est, vsq; ad resumptum atque renouatũ à Præmislo duce maioris Poloniæ regnũ, interregnũ nobis appellare visum est, propterea quòd Cracouiensem dominatum, penes quẽ summus Poloniæ principatus post exactum regem Boleslaum secundum & intermissum regnum per multos annos mãserat, nemo tunc vnus obtinuit. Quanquam enim ad extremũ Boleslaus Pudicus & Lescus Niger, imò & Albus ferè Boleslai pater duces Cracouienses nihil omnino authoritatis & iurisdictionis in cæterorum ducum ditionibus habuerunt, nos tamen quo minus perturbata esset series historiæ, eos quoque in principum siue monarcharum ordinem redegimus. Deinceps verò plurib⁹ de Cracouiensi dominatu contendentibus, cũ penes neminẽ vnum summa rerũ esset, interregnũ id tempus vocare collibuit: ꝙ iam prosequimur. Lesco Nigro sine liberis vita defuncto, Cracouiensis, Sendomiriẽsis, atq; Siradiensis dominat⁹ in medio erant, quos alius iure agnationis sibi vendicabat, ali⁹ gratia populari ambiebat, alius vi & potẽtia vsurpabat. Primùm omnium Vuladislaus Locticus Lesci mortui frater, codẽ patre, sed alia matre prognatus, Siradiensem dominatum, seiungentẽ sese à reliquis, & vltrò se ipsi subdentem occupauit: ad cæteros quoque adspirabat.

Vuladislaus Locticus Siradiensem dominatum occupauit.

Verùm Cracouiensis & Sendomiriensis conuentus proceres ac equites comitijs apud Sendomiriam habitis, Paulo episcopo authore & suasore, Boleslaum ducem Plocensem, Cõradi fratrem, principem creauẽre, posthabito Conrado, cui se bis antea viuente Lesco subiecerant: propterea ꝙ is remissius & ignauius tũc agere visus, oblatum sibi principatum non retinuisset, & quòd ipsi postea cum Lesco ditionem eius vastasset, veriti ne memor esset acceptæ iniuriæ. Accitus igitur Boleslaus, possessionem principatus adit, Cracouiamque solenni pompa deducitur.

Bolesl. Plocensis accitur ad principatum.

Nec multo pòst Henricus dux Vuratislauiensium, omissa Boemia, ad cuius principatum procerum quorundã conspiratione contra Venceslaum inita inuitabatur, à Cracouiensib⁹ ciuibus clàm accersitus, cum iusto exercitu aduenit. Venienti ciues, in quibus lanij maximè potentes erant, portas vrbis, quemadmodum conuenerat, aperuêre. Ibi Boleslaus noua & inopinata re perculsus, quippe qui spe quieti principatus potiũdi cum nõ maximo, & ad celebritatem & splendorem, quàm ad bellum instructiore comitatu venerat, ex arce Cracouiensi se proripuit: & nequicquam retinentibus proceribus, qui copias ad eijciendum Henricum cogebant, iratus in Masouiam redijt: dictitans, se nõ ad bellum, sed ad pacatũ principatũ suscipiendũ, accersitũ venisse. Post discessum Boleslai, arx quoq; Cracouiensis Henrico à Sulcone Medirecio, cui Boleslaus eam commendarat, dedita est. Ibi tum proceres capto ex tempore & re præsenti consilio, legationem ad Henricum mittunt: leges quasdam ipsi, si apud se domi

Henricus Vuratislauiensis Cracouia potitus.

Boleslaus deseruit principatum.

nari

Henricus principatum adeptus.

nari vellet, præscribunt. Quas cùm ille accepisset, princeps renũciatus est. Nec tamen diuturna ei possessio principat⁹ fuit. Vuladislaus enim Locticus, iam Siradiensis dux, indignum ducens, alienũ fratri suo Lesco successorem in principatu quæsitum esse, exercitum cogit: à maioribus Polonis & Pomeranis auxilia impetrat. Cazimirus quoque frater dux Lenciciensis, & Conradus ac Boleslaus Masouij cum suis per se ipsi eum adiuuabant. Quibus omnibus copijs coadunatis Cracouiam primo vere contendit ad deijciendum Henrici præsidium. Redierat Henricus in Silesiam, relicto Cracouiæ præsidio. Factus autẽ certior de consilio & apparatu bellico Vuladislai, cùm ipse ægrotaret, Henricum Legniciensem Boleslai, & Præmislum Sprotauiensem Conradi filios patrueles suos, & Boleslaum Oppoliẽsium ducem cum expeditis copijs Cracouiam mittit. Quorum aduentu cognito Vuladislaus, ad Seueriam oppidum ad quartum Calendas Martias eis occurrit: & prælio commisso, multis vtrinque cæsis ad extremum Vuladislao cessit victoria. Præmislus Conradi Glogouiensis ducis filius, adolescens admodum interfectus, Boleslaus Oppoliẽsis saucius captus est. Duobus item alijs certaminibus apud Scalam & Suetnicium Vuladislaus Silesios fudisse fertur. Victor Cracouiam profectus, cùm proceres & equites plerique omnes in fidem eius venirẽt, apertis portis receptus, omnium cõsensu & acclamatione princeps renũciatus est. Sed hic item non diu possessionem principatus retinuit. Hẽricus enim Vuratislauiẽsis non deiect⁹ Seueriẽsi clade, præsertim quod ciues nonnulli Cracouienses clanculum spem eius alerẽt, nouum rursus exercitum Cracouiam cum Henrico Legniciensi (ipse enim adhuc decumbebat ægrotus) transmittit. Qui latenter profectus, & nihil ad celeritatem sibi reliqui faciens, cùm nocte intempesta ad Cracouiam accessisset, in vrbem à cõscijs recipitur. Clamore sublato à Silesijs, vt fieri solet capta vrbe, tumultuatur tota ciuitas. Nox atq; tenebræ incerta omnia, & longè quàm erant formidabiliora reddebant. Erat in vrbe cũ præsidio Vuladislaus, verùm inopinato tumultu perterritus, cùm neque numerum, neque genus hostium exploratum haberet, proditionemque metuens ad Franciscanos sodales se recepisset, vbi suos passim per vicos & plateas cædi, & se quæri didicit, sumpto monachi habitu, de muro à Franciscanis demissus euasit. Qui verò partium eius fuerãt in vrbe, reperti ab aduersarijs partim necati, partim capti sunt, & bona eorum direpta. Cuius calamitatis ne Paulus quidem Episcopus expers fuit, quòd impensius Vuladislao fauisset. Deinde in agros & villas procerum & equitum, qui defectionis ad Vuladislaum capita fuisse existimabantur, ferro & igni sæuitum est. Quibus malis adacti cæteri, certatim in potestatem Henrici redierunt. Henricus constitutis vtcunq; rebus Cracouiæ, & valido præsidio imposito, episcopo ac cæteris captiuis dimissis, prope rè in Silesiam reuersus est, quòd Henricum Vuratislauiẽsem veneno à suis, vt creditum est, subministrato animam agere, siue adeò mortuum iam esse accepisset. Veniens autem Vuratislauiã post mortem eius, multorum ciuium & procerum ac militum fauore vrbe & arce, ac dominatu denique omni Vuratislauiensi potitus est, elapso per fugam Conrado patruo, Glogouiensium duce, quẽ defunctus dux testamento hæredem in eo dominatu instituerat. Nam Cracouiensem & Sendomiriensem ditionem, cùm ipse nullos liberos relinqueret, Premislo duci maioris Poloniæ legauit. Quem per idem tempus Mesciugus etiam Pomeranorum dux, cùm vxorem quidem habuisset, sed monacha quadã pro concubina abusus fuisset, fratribus siue iam extinctis, siue iusta vindicta preteritis, successorem sibi designauit, & mox Pomeranos in verba eius adegit: & intra quartum annum mortuus, vacuã ipsi Pomeraniæ possessionem reliquit. Morte atque testamento Henrici cognito, vrbs & arx Cracouiẽsis Præmislo seruatur: Sendomiriensem verò dominatum Vuladislaus retinebat, ac de recuperando etiã Cracouiẽsi cogitabat, cùm noua & inopinata res obiecta rationes eius omnes cõturbauit. Etenim Gryphina Lesci Nigri vxor, siue pertæsa belli ciuilis, siue ne dotalibus bonis à victore eijceretur verita, missis clã legatis ad Venceslaũ Ottocari & Kunegundis sororis suę filiũ, Boemorũ ducẽ, donauit ei Cracouiẽsẽ & Sẽdomiriensẽ dominatũ, quẽ sibi à Lesco marito donatũ esse, cõfictis diplomatis affirmabat. Non refutauit quãuis cassam & inanẽ donationẽ Vencesla⁹, cupid⁹ proferẽdi imperij: quippe qui etiã superiori anno Nicolaũ fratrẽ suũ nothum, per iniuriã Opauiẽsi dominatu eiecisset, & Vuratislauiẽsem principatũ Hẽrici ducis morte vacuum, à Rudolfo

Vuladisl. Locticus principatum bello petit.

Silesiorum expeditio cõtra Vuladislaum.

Seueria oppidum.

Vuladislaus vicit Silesios

Vuladislaus princeps renunciatus.

Cracouia proditione recepta ab Henrico.

Vuladislaus Cracouia pulsus.

Paulus episcopus captus.

Hẽrico principatus receperatus.

Hẽrici mort.

Henricus Legniciensis Vuratislauiã potitus.

Henrici Vuratislauiensis testamentum.

Præmislus successionibus fortunatus.

Pomerania Præmislo donata.

Cracouia Præmislo seruatæ.

Gryphina donat principatum Venceslao Boemo.

Opauiã Boemo quæsita.

dolfo Cæſare ſocero ſuo impetraſſet. Tametſi poſſeſſionem eius non adijt. Itaq; anno ſequenti, qui fuit poſt Chriſtũ natum 1291. cùm ipſe motibus quibuſdam domeſticis, & morte Rudolfi, ac noui Cęſaris electione, cuius par cum cæteris electorib⁹ ius paulo ante obtinuerat, impediretur, Tobiam Pragenſem epiſcopũ cum exercitu in Poloniam adeũdæ poſſeſſionis gratia miſit. Poterat Præmiſlus Cracouiam defendere ac retinere, ſed quia cum Vuladiſlao quoq; rem ſibi fore videbat, ne duplici bello pariter ſeſe implicaret, & vt exorientem Vuladiſlai potentiam, quam ſuſpectam habere cœperat, validiori hoſte ipſi obiecto reprimeret, deducto pręſidio ſuo Cracouiam Boemis tradit. Hinc omnis tractus Cracouiẽſis in poteſtatem eorum venit. Ad Sendomirienſem deinde animos adijciunt: ac Viſlicia primùm per deditionem potiuntur, deinde Oblecomum arcẽ prope Viſtulã ſitam vi capiunt. Sendomiriam verò oppugnare adorti, à Vuladiſlao cæſis captiſque compluribus, & plurimis vulneratis, ignominioſè repulſi ſunt. Itaque inde reuertentes, relicto ad tutandas munitiones & maximè Cracouiam forti pręſidio, & abducta ſecum Gryphina, ne ſententiam ſuam de donatione mutaret, in Boemiã ſe receperunt. Ibi Vuladiſlaus, re apud Sendomiriam feliciter geſta erect⁹, munitiones aduerſariorum armis aggreditur, & expugnat: Viſliciam deiecto hoſtium pręſidio recipit. Inde ad Cracouiam progreſſus, omnem circumcirca regionem, atque adeò ſuburbana etiam ipſa vaſtat ac diripit. Nec tantum animorum & virium habebant Boemi & noſtri qui cum eis ſentiebãt, vt liberiores Vuladislai excurſiones reprimerẽt. Itaq; ad Venceſlaũ mittunt, vt ſibi ſubueniat. Mittit ille eis rurſus Tobiam epiſcopum cum mediocri manu, vt eos vtcunque confirmaret, & vel inducijs cum Vuladiſlao bellum ſuſpenderet, ſi cohibere eũ nequiret. Sed is cùm neq; virib⁹ Vuladiſlao parẽ ſe eſſe cerneret, neq; ferocem & indomitum animũ eius flecteret, mox in Boemiam reb⁹ infectis redijt. Cùm autem vexare Cracouienſem oram Vuladiſlaus non intermitteret, crebris ſuorum nuncijs & querelis excitus Venceſlaus, ipſe per ſe inſequẽti anno expeditionem in Poloniam fecit, & Ottonem Longum Brandeburgenſem marchionem, tutorem aliquando ſuum, in auxilium cum Saxonibus euocauit. Hi ergo præpotẽtes duces iunctis copijs per Oppoliẽſem tractum poſt medium menſem Auguſtum Cracouiã aduenerunt: & accepti honorificentiſſimè, aliquot ſeptimanis ibi de ratione belli cum Vuladiſlao gerendi conſultarunt, cùm ille quieſceret interim, & hoſtium conſilia obſeruaret. Tandem in Siradienſem eius ditionem impetum faciunt, eamq; liberiore excurſione depopulantur. Habebat quidem exercitum Vuladiſlaus, ſed nuſquam tamen ad vniuerſæ rei dimicationem veniebat: verũ ex inſidijs vexabat hoſtes, & ſæpe quieſcentes, & corpora curantes, quàm tumultuoſiſſimè ad caſtra adequitans exagitabat: pabulatores & frumentatores & lignatores è latebris ſubitò proſiliens excipiebat, ita vt ij poſtea nuſquam è caſtris abſque forti equitum peditumque pręſidio prodire auderent, & in caſtris excubias nocturnas duplicarent. Ita eis terrorem Vuladiſlaus incuſſerat. Quare nõ diu morati, oppido Siradienſi exuſto, arce verò in paluſtri loco ſita, ne tentata quidem, Cracouiam, atque inde mox domos ſuas reuerterũt gloriabũdi, quaſi magnum operæpreciũ feciſſent, quòd pagos aliquot & oppidum neq; manu, neque ſitu munitum incendiſſent. Nec ita multo antè Lituani, duce Vithene per ſyluas Maſouiæ conniuente Boleſlao duce profecti, in Cuiauiam impetũ fecerant: ac Breſtenſe territorium depopulati, magnam prædam abegerant. Annus hic inſignis eſt etiam morte Kingę, ſiue Kunegundis vxoris Boleſlai Pudici, ſanctæ & religioſæ fœminæ. Quæ nulli⁹ vnquam viri experta concubitum, poſt mariti mortem diſtributis in vſus egenorũ, & in cultum diuinum facultatib⁹ ſuis, in Sandecẽſi monaſterio plus duodecim annis durã exegit vitam. Sanctimonia verò eius multis & ſtupendis miraculis cùm ab ea viuẽte, tum poſt mortẽ ad ſepulchrũ eius editis diuinitùs cõprobata fuiſſe, à Dlugoſſo memoratur. Sanctam fęminam improbus epiſcopus Cracouien. Paulus cõſecutus eſt: qui cũ alijs ſtudijs minimè dignis epiſcopo, tũ venationi ſic fuit dedit⁹, vt venatorem, quod feram imprudens à caſſibus repulerat, venabulo transfigeret. Accepit autem is ſucceſſorem Procopium præpoſitum Sendomirienſem & canonicũ Cracouienſem, quem Dlugoſſus Ruſſum de gente Cuſlorum, & Gryphinæ propinquum, ac Leſci Nigri cancellarium fuiſſe memorat. At in Sileſia per eadem tẽpora Conradus dux Glogouienſis bellũ aduerſus Henricum Legnicienſem animo verſabat ob interuerſum Vuratiſlauien-

Marginal notes, left column: 1291. ann. — Boemorũ expeditio in Poloniam. — Cracouia in poteſtatẽ Boemorum venit. — Viſlicia potiti Boemi. Oblecomum arx. — Boemi repulſi à Sendomiria. — Viſlicia recepta à Vuladiſlao. — Vuladislaus Cracouienſẽ orã infeſtat. — Pragenſis epiſcopus cũ exercitu iterum in Poloniam venit. — Vẽceslai Boemorũ principis expeditio in Poloniam cũ marchione Brandeburgenſi.

Marginal notes, right column: Siradienſis tractus diuexatur. — Siradia oppidum exuſtum. — Lituani Cuiauiam populati. — 1292. ann. — Kunegundis principis mors. Caſtitas. — Religio. — Pauli epiſcopi mors. & homicidium. — Procopius epiſcop. Cracouienſis. — Sileſici mo-

uien-

uiensē dominatū. Et cū imparē se illi esse viribꝰ intelligeret, incautū dolis circūuenire studebat, & clādestinis nocturnisq; incursionibꝰ & latrocinijs ditiones eiꝰ vexabat. Deinde fratrē germanū Hērici Boleslaū Suidniciēsiū ducē felicitati fratris inuidentē, in societatē belli asciuit. Videns autē Henricus bellum à Conrado patruo contra se magno studio comparari, cùm non paruam Vuratislauiensis conuētus partem illi fauere non esset nescius, ad eundem fratrem Boleslaū mittit oratu, vt arma secum aduersus Cōradum cōiungat: ignarus pactorū, quæ ille prius cum Cōrado pepigisset. Causificatur Boleslaus tenuitatem facultatū suarum. Tādem acceptis ab Hērico duobus territorijs, Iauoriensi & Stregomensi, iusiurandū dat, se ipsi non defuturū. Vbi tempus expeditionis faciendæ aduenit, admonitꝰ pacti ab Henrico Boleslaus, moras nectere, & nunc hoc, nūc illud causari. Dat ei rursus Henricus tria oppida, Reichembachum, Frankensteinum, & Strelinū. Nihilo tamen ille magis fidē promissis pstitit. Porrò Cōradus cùm animaduertisset, nō optima fide secū agere Boleslaum, à quo sperarat dolo captum iri Henricū, quemadmodū cōuenerat, Luticū vnum de familiaribꝰ & cōsiliarijs Hērici, gente Habdancū, donis & ꝓmissis ad proditionē heri induxit. Erat hic Luticꝰ in intimis Hērici, et magnis ab eo beneficijs affectꝰ: sed patrē eiꝰ Pacoslaū gratia & fauore principis insolescentē, Hēricus capite plecti iusserat, ꝙ is homicidij reus, crimē, frustra dissuadente ipso iudice, gloriabundꝰ fateretur. Lenierat tamē eū Lutici dolorē Henricꝰ postea, collatis in eū plurimis & magnis beneficijs. Et ille iure cæsū patrē professꝰ, iureiurādo dato ꝑsuaserat Hērico, ne qd ob eā rē de fide sua dubitaret. Hæc nō ignota Cōrado erant. Itaq; cū faces Lutici animo subderet, ac malè curatū vulnꝰ refricaret, effecit vt plꝰ apud eū valeret vetus dolor, ꝙ̄ tot recentia beneficia. Fortè in balneo ad Odrā haud longè ab arce Vuratislauiēsi corpꝰ curabat Henricꝰ, aduolat eò Luticꝰ cū armatis: Hēticumq; ꝑmo nitū quidē de aduentu suo, sed nihil talē suspicantē, nudū è balneo extrahit: & vili palliolo tectū, atq; equo impositū cōtinuato nocte dieq; cursu Sanduoithū, qdˀ in ditione Cōradi erat, asportat. Inde vinctꝰ Glogouiā ꝑductus, in angustū vas ferreū cōcluditur. In eo duo erāt parua foramina, alterū quo cibū sumeret, alterū quo aluum purgaret. In eo vase sex totos mēses asseruatus, neque sedere, neq; iacere potuit. Ad extremū eò redactus est, vt iam tabescente corpore, sanies & vermes de scapulis & femoribus eius scaturirent. His malis victus tandem: numeratis Cōrado triginta millibus marcarum pecuniæ, datisque Namislouiensi, Beroltouiēsi, Crucibergensi, Bycinensi, Cuncestatensi, Rosembergēsi, Hainouiēsi, & Boleslauicensi territorijs dimittitur. Nec tamen postea conualuit Henricus. Verùm tertio deinde anno lento morbo consūptus est, quintus eius nominis Vuratislauiensium dux, relictis tribus filijs, Boleslao, Hērico & Vuladislao. Quorum tutelam nō prius Boleslaus patruus suscipere voluit, orāte patre, quàm Sobota arx sibi data esset. In minore autem Polonia posteaquā Venceslaus Boemus vastata, quemadmodum exposuimus, Siradiensi ora recessit, vt cum Adolpho Cæsare, qui Rudolfo successerat affinitatem cōtraheret, Vuladislaus Locticus rursum subiectam illi ditionē Cracouiensē infestabat, & magnis incōmodis præsidiarios Boemos vastatione agrorū ꝓhibere volentes afficiebat. Verū Tattarica rabies Sēdomiriēsem orā crudeliter depopulata vires eiꝰ debilitauit. Hoc adeo 1293. anno accidit. Insequēti verò Vithenen Lituanorū dux, quā uis magna strage paulo antè in Prussia fusus à Crucigeris, & vix fuga elapsꝰ, cū mille octingētis equitibꝰ clā per Masouiā traductis, ex inopinato Lēciciensē tractū inuasit. Oppidū Lēciciense atq; templū propter celebritatē quampiā plenū hominibꝰ diripuit & incēdit, agrosq; vastauit. Reuertētem cū ꝑda Cazimirꝰ dux Loctici frater cū tumultuaria manu ꝓpè Sochaciouiam oppidū, vadato Bzura amne, consecutꝰ est, collatisq; signis magnam in barbaris stragem edidit. Sed ad extremum in confertissimos hostes audacius prouectꝰ, & interfectus, victoriam hosti concessit. Nam ducis casu conspecto cæteri terga vertēre. Tantam verò prædam hominū abduxēre tunc barbari, vt viginti capita singulis cæderent. Successit autem Cazimiro sine liberis defuncto in Lenciciensi dominatu Vuladislaꝰ frater. Eodem anno Conradus dux Masouiæ Cirnensis morte absumptus, cùm nullos haberet liberos Boleslaum fratrem hæredem reliquit. Nec multo pòst Crucigeri Viznā arcem in Masouia expugnarunt & exusserunt, quòd ea receptaculum esset Lituanis, excursiones in ipsorū ditiones & in Poloniam facientibus, cùm Boleslaus crebrò à Crucigeris, ne id fieri pateretur, frustra esset admonitus. Magnus enim ei fuit cū Lituanis vsus, ita vt vxorē quoq; inde haberet Troideni ducis filiam. Sed hic iā Decimo libro finis esto. Vndecimi verò initiū à resumpto regno sumatur.

Iauoria, Stregomum, Reichembachū, Francensteinum & Strelinum duci Suidniciensi donata.

Pacoslaus cædem fassus plectitur, quā uis gratiosus apud ducē.

Luticus Pacoslai filius, Henricū dominum suū dolo capit.

Crudelitatis exemplum.

Transactio Glogouiensi duci addita.

Henrici Vuratislauiensium & Legniciensiū ducis mors, & liberi. Boleslai immanitas. Sobota arx.

Adolphus Cæsar. Vuladislaus Locticus infestat Cracouiensem orā.

Tattari Sendomiriēsem tractum depopulati. 1293. ann.

Vithenē dux Lituanorum vastat Lenciciēsem trāctum.

Lencicia incensa.

Bzura flu.

Cazimirus dux Lenciciensium in prælio cæsus.

Lenciciensi dominatus Vuladislao accreuit. Conradus Masouiorū dux obijt.

Vizna à Crucigeris exusta.

Boleslai Masouij vxor Lituana.

Q MAR.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VNDECIMVS.

PRAEMISLVS REX.



ERTAESI malorum Poloni proceres, q̃ Poloniam discerpto in multos principatus regno miserandum in modum afflixerant, respicere ad regnum & vni⁹ dominatum cœpêre. Cui rei tempus etiam ipsum optatam occasionem afferebat. Etenim Præmislus, Præmisli Posnaniensium ducis filius posthumus, vir acer, & ad res magnas gerendas factus, maiorem Poloniam omnem sol⁹ obtinebat: In marchia Brandeburgensi & in Pomerania præclarum virtutis specimen superiori tempore dederat: Pomeraniæ accessione auctus, Henriciq́ue Vuratislauiensis testamento Cracouiẽsium & Sendomiriensium princeps nuncupatus erat. His opibus fretus, facilè sperabatur & externa bella à Poloniȩ ceruicibus depulsurus esse, & cæteros duces ad officium reductur⁹, & cum dignitate regium nomẽ laturus. Etiam Cracouiensis conuentus animi à Boemo alieniores facti erant. Erat autem magno & excelso animo Præmislus, regnumq́; ducentis quindecim annis apud Polonos in termissum non modò nõ aspernabatur, sed appetebat etiã & ambiebat. Igitur anno Christi 1295. indictis Gnesnã, vetustã totius Poloniæ metropolim, comitijs, Præmislus rex creatur tricesimumoctauum annũ agens: & mox vicesimasexta die Iunij solenni ritu inunctus, diadema regium ab Iacobo Suinca archiepiscopo Gnesnensi accepit, adstantibus Ioanne Gerbisso Posnaniẽsi, Ioanne Romca Vuratislauiensi, Goslao Plocensi, & Conrado Lubussensi episcopis. Nam Procopius Cracouiensis, vel iam erat mortuus, vel certè ægrotabat. Vislaus autem Vuladislauiensis, incertum qua de causa, abfuit. Porro Culmẽsis à Crucigeris prius in ordinem redactus erat; tunc autem, vt nihil ij prorsus commune cum Polonis haberent, à Gnesnensi archiepiscopo abstractus, Rigensi subiectus est. Conuentus autem vniuersis, qui erat frequentissimus atque celeberrimus, cum palatinis & castellanis gratulans, fausta omnia nouo regi acclamauit, & festis epulis lu-

Præmisli opes.

Polonorũ regnum quàm diu vacauerit.

1295. ann.

Præmislus rex creatus Gnesnæ.

Culmẽsis episcopus Rigẽsi archiepiscopo subiectus.

disque indulsit. Suscepto regno Præmislus mox cogitationes suas omnes eò cœpit intendere, vt Poloniam vniuersam pacaret, & in concordiam pristinam vnumq́ue corpus redigeret. Ac primùm omnium, offensos ob præsumptum à se regnum cęterorum ducum animos blandis & modestis legationibus demulcere, & ad restinguenda mutua odia, ac dissidia intestina componenda cohortari instituit. Deinde externis bellis sedandis tollendisq́ue manum admouit, quo facilius laxatæ exhaustæq́ue suorum vires reficerentur & coalescerent. Et quoniam Crucigerorum Prussiensium vicinitatem suspectam habebat, & moliri eos iam nonnihil de adipiscendo Gdano (quod ipsi propter portus cõmoditatem ac transmarina commercia fructuosius multò, quàm tunc erat, fieri à se posse intelligebant) quin potius ad Pomeraniæ totius dominatum adspirare senserat, munire Gdanum orsus est. Tam præclaros autem conatus, eius mors immatura præcidit septimo vel octauo regni suscepti mense. Mortis eius authores marchiones Brandenburgenses fuisse existimãtur: qui veterib⁹ odijs incitati, & potentiam vicini & inimici principis, noui regni & Pomeraniæ accessione auctam veriti, ac de Santocensi territorio, qđ Polonis pridem surripuerant, metuentes, cùm eum per dolum de medio tollere statuissent, locum atque tempus ad peragendum facin⁹ idoneum nacti sunt, cùm ille fessum reipublicæ curis atque negocijs animum apud Rogosnũ Polonicum in vicinia marchię Brandenburgensis relaxaret, quòd continentes ei loco syluæ iucundas venationes præbebant, tempore etiã ad id inuitante, quo vulgo, more ex prisca, vti arbitror, Liberalium seu Bacchanalium superstitione, maiore licentia genio indulgetur. Vt igitur eum ibi securum & incautum opprimerent, Otto Longus elector Marchio, cum Ottone altero, & Ioanne Conradi fratris filijs, ex Constantia Præmisli sorore susceptis, & valida suorum manu nocturno itinere per syluas & auia profecti, dilucu-

Præmisli regis studia.

Crucigerorũ vicinitas Polonis suspecta.

Gdanũ munitur.

Præmislus insidijs marchionũ Brandeburgensiũ sublatus.

Rogosnũ in Polonia. Est alterũ in Culmensi.

Bacchanalia.

lo eius

Cineris dies. lo eius diei, quo Christiani anniuersario ritu cinere capitibus aspergendo præteritorum flagitiorum abdicationem, & vitæ mutationẽ profitentur, armatis locum circundant, rati omnibus qui circũ regem erant lõga vigilia & crapula pridiana sopitis, nihil sibi negotij fore in peragendo scelere. Expergefactus tamẽ primo tumultu Præmislus, nec subita & inopinata reconsternatus cum paucis qui euigilarant, in hostes ad se veniẽtes, nesciens quinam, quamque multi essent, insiluit: & multis strenui fortisq; viri operibus in eos editis, cùm vnus omnium telis cominus eminusque peteretur, obrutus cecidit. Ibi diffugiunt nostri: attollũt semianimem regem Saxones, & equo imponunt, vt eum secum abducerent. Sed cùm agitationem nullam ferre posse videre-*Præmisli mors.* tur, pugionibus immaniter confossum reliquêre. Volunt nõnulli, quemadmodum Dlugossus memorat, Zarẽbas quosdam & Nalencios (equestres eę sunt apud Polonos familiæ) cædis Præmisli, si non adiutores, conscios certè quidem fuisse, *Zarembæ et Nalencij Præmisli necis conscij.* quòd seueriorem eum vindicem scelerũ & inhonestas parandæ rei familiaris rationes refrenantem non ferrent: mansisseque patrati sceleris notam in his familijs, vt neque rubris vestibus vti, neque inter equestres homines in acie consistere eis liceret, vsque ad id prælium, quo Cazimirus secundus rex cum Russis cõflixit. Corpus Præmisli Posnaniam relatum, in basilica cum maioribus eius conditum est. Creditur autem vxori peremptæ nece sua pœnas dedisse. Posteritatem quidem, vt concupierat, non reliquit, prẹter vnicam filiam Rixam, nomine materno dictam, *Præmisli filia.* decem annos natam. Per idem ferè tempus Procopius Episcopus Cracouiensis mortuus Ioannem Muscatam artium liberalium magistrum successorem accepit. *Ioannes Muscata episcopus Cracouiensis.* Condidit autem Præmislus xenodochium siue hospitale in suburbano Calissiensi, Posnaniæ verò cœnobium puellis sodalitij Dominicani. Porrò Cracouiensi episcopo dimidiam decimam, quæ vicesima est, redituum de salinis Cracouiensibus iure sempiterno donauit. *Cracouiensi episcopo decima in Salinis donata.* Cui donationi deinde Venceslaus Boemus alterum tantùm adiecit, ita vt deinceps episcopo non vicesima, sed decima penderetur. Auulserunt postea marchiones Brandeburgenses ab ecclesia Posnaniensi præposituram, vt ita loquar, Santocensem, peramplum sacerdotium. *Præpositura Santocensis.* Cuius erat iurisdictio ordinaria intra Odram, Inam, Drauam, Vartam, & Notessium amnes. Conferendæ autem eius potestas penes episcopum Posnaniensem fuit. Sed ereptam Marchiones Soldinensi ecclesiæ adiunxêre. Controuersia diu Romæ agitata, à duobus episcopis, tandem à tertio Ioanne cognomento Lozia neglecta est. Albertus Crantius etiam complura oppida tunc Polonis à marchionibus Brandeburgensibus & Misnensibus adempta, indeq; nouam Marchiam vult esse constitutam. *Noua Marchia.* Nec abhorret à vero. Nã de Prussis ipsi non assentimur. Nisi fortè Pomeranos Prussorum nomine appellauit.

VVLADISLAVS LOCTICVS REX designatus.

Sublato Præmislo rege, ad nonum Calendas Maij, qui dies diui Adalberti memoriæ apud Polonos dicatus est, proceres cum nobilitate & Pomeranis de nouo rege creando frequentes Posnaniam conuenerunt. Iniecta est à nonnullis Rixæ filiæ Præmisli mentio. Sed metus belli, quod à Marchionibus, atque etiam à Crucigeris impendêre videbatur, viro forti & potenti potius quàm imbelli puellæ regnum mandare suadebat. Vuladislaus Locticus inter duces Polonos potissimùm idoneus visus est: quippe qui & bellis compluribus gestis acer, atque peritus rei militaris esset, & non parum roboris domesticis suis opibus ad teneras adhuc regni vires esset adiecturus, cùm *Vuladislai Loctici potentia, & rei militaris peritia.* Siradiensem, Lenciciensem, & Sendomiriensem tractum omnem, & Cuiauiensis magnam partem ditione teneret, Cuiauiensiumque ducum fratrum germanorum fauor & auxilia non defutura ipsi esse crederentur. Huc accedebat, quòd Heduigim Boleslai ducis Calissiensis filiam habebat in matrimonio. Quare cùm per eum maximè Polonia tot imperijs discerpta, rursus in vnum corpus coalescere, dignitatemque suam & amplitudinem pristinam recuperare, & aduersus finitimos defendere posse videretur, magno consensu eum regem creant. *Vuladislaus Locticus rex creatur.* Et in verba noui regis omnes iurant. Venientique arcium & munitionum omnium possessio traditur. Distulit tamẽ is, incertum qua de causa, solennem regibus inunctionis & coronationis ritum: nec regis nomen, sed hæredis regni Polonici vsurpauit. *Hæres regni Poloniæ.* Profectus autem in Pomeraniam è maiore Polonia, susceptus est summo cum honore ab omnibus, etiam à Lesco Zemomysli fratris filio, qui mox à Præmisli morte Pomeraniam occupare nixus est, Gdanumque iam tunc obtinebat. *Lescus Gdanum occupauit.* Hoc amoto, ne quid absente se turbaret, secumque abducto, Voislaum quendam Pomeranum nobilem Pomeraniæ *Voislaus Pomeraniæ præfectus.* præ-

præfecit. Sequenti deinde anno in minorem Poloniã se contulit, & Boemorum præsidia fautoresq; crebris excursionibus vexauit. Tametsi p̃ter munitiones, quas præsidijs Boemi tenebant, haud fere quisquam in fide ipsorũ permanebat. Fauebant Silesij fermè Boemis, & ad cæteras oras Poloniæ aditũ eis prębebant, Vuladislaum verò regem aspernabantur.

Silesijs bellũ facit Vuladislaus rex.

Itaque in eos tunc expeditionẽ fecit Vuladisla⁹: Silesiamque longè & latè depopulatus, luculentam prędam nemine prohibente auexit.

Silesiorũ ducũ dissidia.

Siquidem dissidebant ipsi inter se Silesij. Boleslaus enim Suidniciencĩũ dux suscepta tutela liberorum Hẽrici fratris ducis Vuratislauiensiũ & Legniciẽsium, moliebatur bellum aduersus Conradum patruum Glogouiensiũ ducem, quòd is Henricum fratrem suum fœdo tetroque carcere ad mortẽ adegisset, magnaq; parte bonorũ mulctasset. Verùm gliscẽs bellũ inter ipsa initia sopitũ est inter agnatos, veritos ne inter se belligerãtes tertio p̃dæ essent, cũ Conrad⁹ duo territoria, Boleslauecẽse & Hainouiense ex pacto Boleslao reddidisset.

Cozonouia arx.

Quorum Hainouiense quidẽ Cozonouia arce munitum, postea filijs Henrici Boleslaus reddidit. Boleslauecense verò retinuit, & in eo Clicendorfiam arcem condidit.

Clicendorfia arx.

Brega, Nemciũ & Grotcouia oppida munita.

Idemq;, cùm diuitijs abundaret, Bregam, Nemciũ, & Grotcouiam oppida muniuit.

Vuratislauiensium cõtumacia coercita.

Et Vuratislauienses imperium suũ detrectantes quodã tempore ostentata obsidione eò adegit, vt mœnium vrbis altitudinẽ ad quatuor cubitos demolirentur: Boemũ quoque bellũ sibi propter Vuratislauiensem principatũ intentantẽ, ad Landishutam intrepidè cum exercitu obuiã progressus, ab instituto deterruit. Nec diu post pacificationem illam cum Boleslao, Conradus Glogouiensis superstes fuit: à quo collegiũ sacerdotũ ope Thomæ episcopi Vuratislauiensis accedente Glogouiæ institutũ est.

Conradus Glogouiẽsis mortuus. Glogouiense collegium.

Bolesl. Suidnicienſis obijt.

Secutus est eũ Boleslaus: qui primus subditis suis & Hẽrici fratris filiorũ exactiones inauditas ante eũ diem in Polonia imposuit, nobilitatemque ex censu pro magnitudine possessionũ & redituũ descripto militare iussit, cùm viritim antea militaret.

Militãdi ratio iusta.

Bolesl. Suidniciẽsis filij.

Reliquit autem filios Bernardum Suidniciensiũ, Henricum Iauoriensium, & Boleslaum Sambicensiũ siue Monsterbergensiũ duces.

Cõradi Glogouiẽsis filij.

Conradus verò Glogouiensis Henricũ & Conradum filios reliquit. Quorum Henricus quidem patri successit, Conradus verò gibbosus Stinauiensis dux, præpositus Vuratislauiensis fuit.

Cõradus archiepiscopã

Vocatus autem ad archiepiscopã Salisburgensem, cùm in itinere apud Viennam accepisset, ceruisiæ vsum ibi non esse, repudiata archiepiscopa reuersus est.

Salisburgẽsem repudiauit propter ceruisiam.

Homo stolidus, si nihil aliud eum mouit. Quasi verò ne frumentũ quidem ibi nasceretur, nec posset illuc tantopere cõcupitæ ceruisiæ coquendæ artifices deducere.

Cõradus captus à fratre

Reuertens autem à fratre compedibus vinctus est. Vnde suorum vi & ope liberatus: paruo tempore vixit. Post mortem autem eius Henricus frater omni dominatu Glogouiensi potitus est.

Venceslai corronatio apud Boemos.

Per hoc demũ tempus Vencesla⁹ Boem⁹ cum Iuditha vxore, quæ paulo pòst obijt, Pragæ ritu solenni regium diadema suscepit.

Vuladislai incuria & ignauia.

At Vuladisla⁹ Loctic⁹ post Silesicã illam expeditionem, in maiorẽ Poloniã cum copijs profectus, quieti se & ocio voluptatibusq; dedit. Quæ res ei perniciosa fuit.

Militum licẽtia.

Etenim milites in bellis rapto viuere assueti, ne in pace quidẽ ab iniurijs atque vexationibus tenuiorum & ecclesiasticorũ bonorum direptionibus, ingenuarumq; matronarum & virginum stupris sibi tẽperabant. Eam licẽtiã ille non modò non coercebat, sed indulgẽtia magis etiã alebat. Cętera quoq; boni & vigilãtis principis munera negligentius obibat, muliercularũ amorib⁹ irretitus, ita vt externi quoque & finitimi Saxones plerasq; Poloniæ & Pomeranię oras impunè latrocinijs infestarẽt.

Vuladislaus Locticus à moribus deductus.

Quibus de rebus cùm frustra admonitus & reprehensus esset aliquoties ab Andrea Posnaniensi episcopo, cumq; nihilo minus ecclesiastica bona vexarentur, episcopus toti diœcesi suæ sacris interdixit.

Interdictum episcopi Posnaniensis.

Et quamuis satisfecerit episcopo Vuladislaus, tamẽ odiũ eius ita alte radices egit in animis hominũ, vt cõuentu apud Posnaniam habito, regnum ipsi, absenti tunc fortè, & in minorem Poloniã profecto, post tertium annum abrogarent: Henricoq; Glogouiẽsi, qui id ambiebat, & alijs suæ stirpis ducibus pręteritis, Venceslaum Boemum regem crearent, quòd retineret is etiã tũc munitiones quasdã in tractu Cracouiensi, & nemo potẽtior hostis obijci Vuladislao posset. Id autem anno Christi nati 1300. factũ est.

1300 ann. Iubileus institutus.

Quo anno Romæ Iubileus, imitatione Hebræorum à Bonifacio octauo põtifice maximo primùm institutus est.

Lituani cum Prussis Crucigeris graues.

Per hæc tempora Lituani cũ reliquijs Prussorũ assiduis excursionib⁹ Crucigeros in Prussia & Liuonia affligebãt. Nihilo tamẽ magis ij insectandi suos episcopos, & in bona munitionesq; eorũ inuadendi studiũ remiserũt.

Crucigeri in Liuonia episcopis graues.

Itaque & Fridericũ Darbatensem episcopũ eiecerũt, & Rigẽsem archiepiscopum, Ioannem patronum suum, quo

quo facilius Rigam ipsi auferrent in vincula coniecerunt. Per eadem tempora Ottomanus quispiam obscuro loco natus apud Turcas dominatum arripuit, & res magnas gessit, ac posteris suis regnum & nomen reliquit.

Ottomanus Turcarum rex primus.

VENCESLAVS REX.

Venceslaus Boemus coronatur Gnesnæ, et Rixã Præmisli regis filiam vxorẽ ducit.

ACcitus igitur splendida legatione Venceslaus, adfuit sine mora, Gnesnæque de more à Iacobo archiepiscopo inunctus, ac regio diademate redimitus est: & mox Posnaniã profectus, procerũ suasu vxorem duxit Rixã, quæ & Elizabetha dicta est, Præmisli regis defuncti filiam, quo magis eius coniugio regnum suum apud Polonos stabiliret. Deinde dimissis quoquouersum copijs cum Hẽrico siue Hincone Berca Dubio, omnia q̃ dudum in ditione Vuladislai fuerant, in potestatẽ suam redigebat. Dum hæc ita geruntur, Russi tempus aduenisse rati, quo tãquam in vacuam finitimę sibi Poloniæ possessionem impunè possent inuadere, dum Vuladislaus desertus ferè à suis de retinendo, siue adeò recuperando regno laborat. Venceslaus verò nouus rex stabiliendo eo, & redigendis domi in potestatem suam ijs, qui imperium eius adhuc detrectabat, occupatus est, magnis copijs Sendomiriensem tractum infestârunt: & longè lateque peruagati, capta & incensa arce Corcinensi, quæ lignea etiam tunc erat, raptim cũ ingenti prȩda domũ se receperunt, prius ferè quàm ad Venceslaum regem de excursione eorũ nuncius perferretur. Per idem ferè tempꝰ Lituani Dobrinum depopulati sunt. Malebat autem Venceslaus tunc Vuladislaum persequi, quàm Russos vlcisci. Verũ Vuladislaus cautus atq; callidus, nusquã pedem figere, nemini se credere, omnes habere suspectos, in syluis & solis locis latitare, locumq; subinde mutare, famem cœlique inclementiã patienter ferre, & clàm procerum animos pertẽtare. Quos vbi partim alienos à se esse, partim arma Boemorum, & Poloniæ totius cõsensum metuere, decretũque comitiorũ præuaricari nolle animaduertit, & patrimonio quoque omni à Boemo spoliatꝰ est, abiecta spe recuperandi regni, & insidias aduersariorũ declinans, in Vngariã secessit. Inde porrò Romã priuati habitu profectus, facinora sua duriore pœnitẽtia expiauit. Deinde reuersus in Vngariã, Amedei palatini Vngariæ hospitio vsus est annis aliquot, occasionem expectãs, qua regnum ereptũ repeteret. At Vẽceslaus rex subactis omnibus, quæ in ditione eiꝰ fuerant, Gostininum quoque & Ploscum adortus est. Sed re infecta, agris tantùm vastatis, è Masouia sese recepit. Nec tamen memoriæ proditum est, quæ ipsi causa vel inuadẽdæ Masouiæ, vel re infecta inde discedẽdi fuerit: nisi fortè cũ initio Masouij regẽ eum agnoscere noluissent, armis belloque territi, & in potestate eiꝰ fore se professi, cum placarũt. Constitutis autem rebus suis in Polonia, relictisq; præfectis Boemis, penes quos rerum summa esset, in minore quidẽ Polonia Nicolao duce Opauiensi, in maiore Fricio Silesio: in Cuiauia verò Tassa Vissemburgio, in Boemiam redijt: siue quia prouiso sibi opꝰ esse putabat, ne quid se absente Albertus dux Austrię, & nouus Cęsar victo & interfecto Adolpho turbaret in Boemia vel Morauia: seu quia pestis Poloniam infestare ceperat: seu quia Vngari quoque, post Andreę cognomento Veneti, qui Ladislao successerat, mortẽ, regem eum sibi expetebant. Quanquam enim miserat eis Bonifacius põtifex Carolum Martellũ adolescẽtulum Caroli Galli Siculorũ regis filium, ex Vngara matre natũ, viuente adhuc Andrea, sed non omnes cũ eo sentiebant. Multis displicebat exemplum, regẽ à Pontifice accipiendi. Nec tamẽ ipse Venceslaus delatũ ab Vngaris regnum suscepit: sed filiũ suum Venceslaum duodecim annos natum eis regẽ dedit. Nec multo pòst repudiantem cõtrouersum regnũ, domum reduxit. Otto deinde dux Bauariæ ab ijsdẽ accitus & coronatus, à Ladislao palatino Trãsyluaniæ captus est: nec dimissꝰ, donec & ipse regno se abdicauit. Post id tempꝰ Venceslaus Poloniam nunquam aspexit. Fuerunt autẽ eo regnante quietę res in tota Polonia, prȩter ꝙ minores Poloni, cùm vetusta Lublini ereptione, tũ noua in Sendomiriensem orã excursione, de qua dudum diximus, irritati, vltro expeditionem aduersus Russos suscepẽrũt. Cuius non ignari Russi, magnum & ipsi coegerunt exercitum, Lituanorumque ac Tattarorũ auxilia sibi adiunxerũt, & apud Lublinum nostris aduenientibꝰ occurrentes, pugnãdi copiam fecêre, freti multitudine sua. Nec nostri quamuis longè pauciores, pugnam detrectarunt, & summa ope adnixi, victos hostes in fugam egerunt præcipites. Magna tunc ea strages Russorũ & barbarorũ fuit: fuissetque maior, ni propinqua arx Lublinensis receptum eis præbuisset. Tametsi ne munitio quidem satis eos tutata est. Obsessi enim à nostris: cùm eruptionem tentare ausi non essent, fame inualescente, vt fit in magna hominum multitudine dedi-

Vuladislaus bonis omnibus spoliatus.

Russi Sendomiriẽsem agrum vastarunt.

Corcinensis arx incensa à Russis.

Dobrinũ vastatum.

Vuladislai Locitici fuga & peregrinatio.

Amedeus palatinus Vngariæ.

Gostininum & Ploscũ à Boemis oppugnatur.

Boemi Poloniis præfecti.

Albertus Cæsar.

Pestis in Polonia.

Vngarorum reges.

Minorũ Polonorũ expeditio contra Russos.

Russici Tattaris & Lituanis victi à Polonis.

Lublinensis arx per deditionem recepta à Polonis. deditionem fecêre. Ita Lublinensis arx post septimū & quinquasimū, ni fallor, annum, posteaquam à Russis capta erat, à Polonis recuperata est. Condidit autē

Sandecia cōdita. Sandecz Biala fl. Crempac mons. Venceslaus rex Sandeciam nouam, oppidum ad confluentem Donaiecij & Bialę fluminum, sub Carpatho monte, quem Crempacum nostri vocant. Et erat quidem ager ille in ditione episcopi Cracouiensis, verùm Venceslaus eum Biecien-

Biecz arx et oppidum. si arce & oppido, quod & ipsum in confinio Vngarorum situm, nomen Vngarico quàm Polonico similius habet, commutauit: Parœciæ tamen conferendæ potestatem penes episcopum reliquit. Cuius rei monumentum extare Venceslai regis diploma, Dlugossus memorat. Nobis quidem id videre non contigit. Sed Ladislai regis Vngarorum eiusdem temporis vidimus, quo is arcem & territo-

Ploche arx episcopo Cracouiensi donata. rium Ploche prope Sandeciam episcopo Cracouiensi donauit. Cæpit deinde noua spes recuperandi regni affulgere Vuladislao, cùm Polonis exosa iam esse inciperet Boemorum superbia & auaricia, & Venceslaus Vngarico bello sese implicasse videretur pro Venceslao filio.

Vuladislaus regnum repetit. Harum rerum cùm nō ignarus esset Vuladislaus, arripuit oblatam occasionem & Amedei hospitis ope adiutus in Poloniam cum aliquanta manu Vngarorum cōtendit. Adueniens ex improuiso Pel-

Pelcisca arx ecclesiæ Cracouiensis. ciscam arcē, quę in ditione ecclesię Cracouiensis tunc erat, Visliciæ imminentem occupat. Mox Boemorum præsidi-

Vislicia. Lelouia. um Vislicia, fauentibus ciuibus deturbat. Deinde Lelouiam arcem & oppidum in suam redegit potestatem. Hinc iam omnis vicinia vi & metu adacta ad eum deficiebat, & copias eius augebat. Adiuuit autem & fortuna conatum eius. Nam nō ita multo pòst Venceslaus, vt fortè Vngarorum perfidiam perosus, ex Vngaria filium repudiato regno reduxerat, Pra-

Venceslai regis mors. gę morbo correptus, vel veneno, vt existimatum est, appetitus, lenta tabe absumptus est, nono Calendas Iulij, anno Chri-

1305. ann. sti 1305. Eius morte cognita, res Vuladislai aliquanto meliore loco esse cœperūt. Nec magno is negocio agrestium ferè opera Sendomiriensem tractum omnem, deiectis vndique Boemorum præsidijs, recepit. Tunc demum primores cum plerаque omni nobilitate Cracouiensis & Sendomiriensis conuentus fortunam secuti, cum Vuladislao se coniungunt, & ad subigendas Cracouiensis oræ munitiones ducem eum sequuntur. Iam verò & Ioannem Muscatam Cracouiensem Episcopum Vuladislaus sibi recon-

Biecz arx ab Vngaris capta. ciliauerat, cùm ei Biecīense territorium cum arce ab Vngaris auxiliaribus suis capta redditurum se esse promisisset. Ve-

Cracouiā recepit Vuladislaus. nienti cum exercitu Cracouienses ciues Alberto aduocato authore portas vrbis aperuêre. Nec mora, arcem quoque Boemi dedidêre, cùm tardius ipsis subueniret iunior Venceslaus (qui patri hæres in Boemia successerat) & victus atque commeatus inopia pressi, longiorem obsidionem sustinere nō possent. Fecit tandem

Venceslai iunioris expeditio in Poloniam. anno sequenti Venceslaus iunior expeditionem in Poloniam, regni paterni repetendi causa, cuius iam titulum vsurpabat. Sed antequam Poloniæ fines attingeret, Olomuci, quæ vrbs primaria est Morauiæ, meridiano tempore in cubiculo quiescens interfectus est, à suisne, an

Venceslaus interfectus. subornatis ab Alberto Cæsare percussoribus, ne tum quidem in recenti scelere certò sciri potuit. Vtrumque sanè fama vulgatum fuit. Ex eo tempore Boemi

Boemorū regum stirps defecit. externos reges & principes habere cœperunt. Ac primùm quidem ad Henricum

Boemorum principes post Venceslaum tertiū. ducem Carinthæ, cum quo Venceslai iunioris soror nupta erat, regnum detulerunt. Sed eum statim Albertus Cæsar expulit, & Rudolfum filium suum cum Rixa siue Elizabetha regina vidua matrimonio cōiunxit, & principē eis dedit. Qui cùm paulo pòst Pragæ obijsset, Boemi Henricū reuocarunt. Alterū filiū Fridericū Albert⁹ Cæsar eis inuitis præficere volebat: sed in ipso apparatu belli à Io-

Albertus Cæsar interfectus. anne Rudolfi fratris sui filio interfectus est. Nec tamen Henrico diuturnus fuit

Henricus septimus Cæsar. Ioannes rex Boemorum. principatus. Perosi enim hominis mores Boemi, ab Alberti successore Hērico Cæsare eius nominis septimo, Ioannē filiū Lucemburgensem comitem, Elizabethę Venceslai regis iunioris sororis maritū, sibi regem dari postularunt, & impetrarunt, & ritu solenni regnare iusserunt. Hęc omnia intra sextum annum peracta sunt post mortem Venceslai.

VVLADISLAVS LOCTICVS ITERVM.

Boemi Polonia excessēre. Morte autem eius vulgata apud Polonos, tunc verò Boemi, qui iam antè alienatas esse à se Polonorum voluntates persenserant, sibi prospicere, ac de præsidijs vndique decedere. Nostri verò, quos ad eum diem metus Boemorum continuerat, in potestatem Vuladislai veniunt: & habitis Cracouiæ comitijs, magno omnium conuentuum consensu Vuladislaus iterum rex creatur. Posnaniensis modò & Calissiensis aberant, quod abhorrerent ab imperio Vuladislai, pristinorum flagitiorum & iniuriarum eius memores, & veriti, ne is

gra-

grauius in se animaduerteret, quòd eum prius eiecissent. Itaque à cætera Polonia sese tunc ij segregarunt, atque Henrico duci Glogouiensi Conradi filio, quod ex sorore Premisli natus erat, subdiderunt.

Maiores Poloni Henrico Glogouiēsi sese subijciunt.

Quod quidē dissidium in causa fuit, quo minus tūc Vuladislaus coronaretur, cū diadema ac reliqua regni insignia Gnesnæ de more asseruarētur, & Archiepiscopus, sine quo non fit coronatio, in ditione Henrici esset. Tametsi vacua tunc fuit rursus annis aliquot sedes metropolitica post obitum Iacobi Suincæ archiepiscopi, propter diuturnam Cardinalium dissensionem in creando pontifice maximo post Benedictum vndecimum, qui Bonifacio octauo successerat, & quòd ad extremum Borislaus electus archiepiscopus, confirmatus tandem à Clemēte quinto, qui Bonifacio successit, antequam Auinione discederet, extremum vitæ clausit diem.

Metropoliticæ sedis vacatio.

Cui pontifex Ianislaum Sulimæum dedit successorem. Fecit autem bellum Henrico Vuladislaus: verùm illo nusquam in dimicationem prodeunte, ac munitiones modò defendente, vastatis per æstatem aduersariorum agris, villis, & oppidis, in Pomeraniam cum nonnullis Polonorum proceribus, in quibus fuit & Kelcius Posnaniensis palatinus, descendit: & Gdani ab vniuerso Pomeranorum conuentu iusiurandum accepit, quòd in potestate eius futuri semper essent.

Ianislaus archiepiscopus Gnesnensis.
Vuladislaus Henrico duci bellum fecit.
Pomerani iurant in verba Vuladislai.

Præfecit autem Præmislum & Cazimirum duces Ziemomysli fratris filios toti Pomeraniæ, Gdano excepto: quod pariter cum arce Bogussæ iudicis Pomeraniæ fidei commendauit. Dum autem Vuladislaus Gdani commoratur, Lituani silenti agmine per syluas progressi, in maiorem Poloniam excursionem fecêre, Calissiam & Stauissinum oppida incendêre, & omnem circumcirca regionem vastauêre, & ingentem prædam dissimulantibus Masouijs & qui Vuladislao parebant, abegerunt.

Gdano præfectus Bogussa.
Lituani maiorem Poloniā vastant.
Calissia & Stauissinum Oppida incensa.

Eodem anno, qui fuit 1306. octaua die Maij Basilica Cracouiensis & arx tota, quæ lignea tunc erat, penitus conflagrauit, cùm ex ea parte vrbis, quæ circum ædem omnium sanctorum est, fortuito incendio ardente carbo ardens vento delatus in tigno basilicæ plumbo tectæ inhæsisset. Sed basilica dirutis veteribus muris, in eam, quam nunc obtinet formam & amplitudinem post quartumdecimum annū reædificata est à Nankero episcopo Silesio nobili, gente Oxio, qui Ioanni successit, conferente in eam rem pecuniam non modò collegio & episcopo, verùm etiam vniuerso ordine ecclesiastico, qui est in diœcesi Cracouiensi: ad hæc semestribus fructibꝰ omnium sacerdotiorum, quæcunque per illud tempus vacare contigit, in eum vsum conuersis.

1306. ann. Cracouiēsis arx & basilica arsit.
Nankerus episcopus Cracouiensis.
Collecta seu contributio ad instaurationem templi Cracouiēsis.

Non diu verò pacatam tenuit Pomeraniam Vuladislaus. Author nouorum motuum fuit Petrus cancellarius Pomeraniæ, Suanciæ siue Suanzæ palatini Gdanensis filius, qui quanto plus possidebat, tanto maiore cupiditate & ambitione flagrabat: & cùm repulsam à Vuladislao in quibusdam postulatis passus esset, consilium cæpit nefarium prodēdæ marchionibus Brandeburgensibus patriæ, patre si non impulsore, certè non inscio.

Palatinus Gdanensis.

Nec difficile hoc ipsi erat peragere, cùm & dignitas inter Pomeranos maxima esset eius familiæ, & nouem arces Petrus in sua potestate haberet. Sed proditis, re nōdum matura, eius cōsilijs, aduolat Vuladislaꝰ, captūque Petrū Cracouiā secū abduxit. In quē si minus lenis fuisset, minus fortassis postea negocij cùm ipse, tū posteri eius habuissent. Sed erat in fatis, vt Polonia Crucigerorum armis exagitaretur. Dimisit enim eum non multo pòst Vuladislaus, à fratribus eius exoratus, cùm ij se obsides pro fratre obtulissent.

Pomerania marchionibus prodita.
Petrus cancellarius Pomer. proditor captus, et dimissus.

Atque ij quoque, cùm negligētius adseruarentur, breui euaserunt; & ad Petrum carceris ignominia & meditati sceleris infamia irritatū, sed de ipsorum tamē salute sollicitū peruenientes, omnem ei dubitationem sustulêre. Acciti Ioannes & Voldemarꝰ tutores eiꝰ marchiones, cum exercitu Pomeraniā ingressi sunt. Nec mora, plerasque omnes eius regionis munitiones partim per deditionem accepêre, partim expugnauêre, adiuuante Petro cum fratribus, necessarijs & clientibꝰ. Ad Gdanum deinde castra admota sunt. Et oppidani quidem, cùm magna iā ex parte Teuthones essent, & cum Teuthonibus plurima haberent commercia, Saxonibus portas vrbis aperuerant.

Gdanenses dedūt se marchionibus.

Arcem tenebat Bogussa iudex cum nobilitate Pomeranica, quæ se perfidia Petri non contaminarat. Is igitur veritus, ne obsessi extrema pati cogerētur, neue aut molestia diuturnæ obsidionis fracti, aut largitione corrupti, hosti arcem dederent, cum Nemira honestissimo equite maximis itineribus ad Vuladislaum, commendata alijs arce, excurrit: repertumque Sendomiriæ, de statu rerum Pomeraniæ, ac de periculo Gdanensis arcis edocet, opemque eius implorat. Pollicetur Vuladislaus, breui se eis affuturū esse auxilio. Sed quia tardiꝰ id fore iudicabat Bogussa,

Bogussæ fides.

quàm presens necessitas postulabat, si tūc primùm indici vniuersæ Poloniæ expeditio in Pomeraniam deberet, præsertim æstate iam declinante, suggerit Vuladislao, vt Crucigerorum Prussiensium opera ad defendendum arcem vteretur, tantisper dum ipse commodè bellū aduersus Saxonas cōparare posset. Erāt vicini Gdano Crucigeri, semperq; ferè in armis erāt, & facultatib⁹ abundabāt. Ad hæc Polonorum se amicissimos esse, ita vt iure optimo esse debuerant, præ se ferebant. Itaque approbat Bugossæ consilium Vuladislaus: extemploq; Bugossa ipse cum regijs mādatis ad magistrum Crucigerorum proficiscitur. Dato cōcilio, commemorat Polonorū, & maximè Vuladislai maiorum in Crucigeros beneficia: pro ijs vnā illā gratiā postulat, vt arcem Gdanēsem aduersus Saxonas defendendam suscipiant. Non immemorem, nec ingratū fore erga ipsos Vuladislaum. Prolixè illi omnia polliciti, constituernut cum Bogussa, vt dimidiam arcem ipsi tenerent, & annum vnum suis sumptibus defenderent, deinceps verò post exactum annum quæcunq; impendia facerent, vt ea Vuladislao expensa referrēt: nec prius arce decederent, quàm exoluta illa sibi essent. Damnorum verò, si qua acciperent, nulla ratio duceretur. Erant pacta amica, dignamq; religione & professione hominum erga patronos gratitudinem ac pietatem præ se ferebant. His igitur conditionibus in arcem recepti, magnam vim commeatus secum importarunt. Ac munera domiciliaq; cum Pomeranis, quem admodum conuenerat, partiti, non habebant satis defendere munitionem, sed crebris eruptionibus hostē lacessebāt, ita vt is in oppidum se recipere cogeretur, & ad extremum instante hyeme obsidionē solueret, relictoq; in oppido aliquanto præsidio discederet. Verùm id quoq; nō ita multo pòst expugnatū, & præsidium interfectum est, ac de autoribus defectionis sumptum supplicium. Et iam nō magnopere opus erat adiutoribus ac defensoribus Crucigeris: verùm tamen alebāt ij metum Pomeranorum, & subinde plures armati in arcē submittebantur. Cùm autem superiores iam se esse Pomeranis animaduerterent, ferocius sese gerere, ac sæpe cum illis iurgari atque rixari: ad extremùm apertius totam sibi arcem vendicarunt, & primores nobilitatis Pomeranicæ, ipsumq; præfectum arcis Bugussam in carcerem compegerunt. Qua necessitate adductus Bogussa noua pacta cum ipsis iniuit, nimirum vt totam arcem ipsis concederet, ipsi verò eam Vuladislao ad primam eius petitionem deinde redderent, cùm is impensas belli eis exoluisset. Suspicabantur quidem Pomerani subesse dolum his pactis. Sed quid facerent? Vis eis & iniuria, atque adeò præsens exitium ante oculos obuersabatur. Itaque cuncti arce excesserunt. Qua re ad Vuladislaum Cracouiam perlata, cœpit eum pœnitere consilij, de accidendis in auxilium contra Saxonas Crucigeris. Videbat enim se lupis, quod dicitur, oues cōmendasse, & non sublatum, sed duplicatum sibi esse bellum, duosq; se pro vno hostes cæpisse. Ac tum demum recordabatur, adhuc Præmislo regnante, Crucigeros ad interuertendum Gdanum aspirasse: nec multo dissimili cupiditate, quamuis dissimili arte, Michalouiēsem ditionem Culmensi ac Dobrinensi finitimam vsurpasse. Acceperant eam hypothecæ nomine à Lesco duce Cuiauiæ, ac domino Vissegradensi (hoc. n. titulo is in diplomate suo vsus est) datis ei mutuò trecentis marcis Torunensibus, quibus ille se in bello Vngarico à Vēceslao Boemorum rege captum redimebat. Conuenerat autem Crucigeris cum Lesco, vt si is intra triennium pecuniam illam non redderet, propria iure sempiterno Crucigerorū fieret ea ditio. Et offerebat quidem eis Lescus cum fratribus pecuniam intra cōstitutum temp⁹, nō acceptarunt tamē eam illi, degustata semel possessionis & vtilitatis dulcedine, iam hoc, iā illud causificantes, donec aliquanto pòst Lescus necessitate adductus, acceptis insuper ab eis ducētis sexaginta duab⁹ marcis, dominatu illo, & iure suo omni sese abdicauit. Hæc tum secum de Crucigeris Vuladisla⁹ reputabat. Nec tamen spem penit⁹ omnem de fide eorum abijciebat. Existimabat enim, quamuis literis & legationibus nihil apud eos proficeret, tamen si ipse in colloquium cum eis veniret, facilè authoritate sua ad æquas conditiones rem perduci posse. Alebant illi hanc spem eius blandis respōsis, quo maiore vi ac diuturnitate temporis Gdani possessionē sibi stabilirent. Tandem constituto loco atque tempore conueniunt rex & magister Crucigerorum Henricus apud pagum Craiouice in tractu Cuiauiensi cum primoribus vterque suis. Ibi Vuladislaus exorsus, lōga oratione cum magistro de iniuria occupatæ arcis, & eiectorum suorum expostulat: beneficia maiorum suorum in ordinem Crucigerorum commemorat, pro quibus aliter ij gratiam sibi referant, quàm gratis bonis.

Perniciosum consilium.

Gdanēsis arcis defensio commendata Crucigeris Prussiensibus.

Pacta Crucigerorū cū Bogussa de defendenda arce Gdanēsi.

Gdanum receptum.

Gdanensem arcem Crucigeri in suā redigerunt potestatem.

Bogussa cū præsidiarijs Pomeranis captus à Crucigeris.

Michalouiensem ditionem quomodo adepti sint Crucigeri.

Crucigerorum pacta cum duce Cuiauiæ.

Vuladislai cum Crucigeris expostulatio.

bonisque viris, & eximiam pietatem atq; religionem nomine & habitu profiten- » tibus dignum sit. Atq; vt ingrati, iniusti, » atque impij esse vellent, fidem quidem » certè vel vnicum, vel maximum societa- » tis humanæ vinculum, & pacta conuen- » ta, quæ ne barbari quidem temerè viola- » rent, seruare eos debuisse. Ad hæc Magister nihil beneficiorum, & ingratitudinis, perfidiæque exprobratione commotus, placidè & modestè respōdet: Se, quicquid fecerit, bono Vuladislai fecisse. Metuentem enim ne Pomeranorum insolentia, suorumque impatientia res in maius malum erumperet, excedere Pomeranos arce iussisse, quam retinere ipsi per se non possent. Paratum autem se esse eam reddere, si impendia sibi persoluerentur. Aequum eum postulare Vuladislaus ait, & edere impendiorum summam iubet. Ibi ille conceptum animo dolum detegit, ac centies mille marcas latorum grossorum (genus est Boemici numismatis, quarta parte nostratē grossum excedens) poscit. Negare Vuladislaus iustam esse eam æstimationem, bonorumque virorum arbitrio in ea stare velle. Recusare id magister, & quantum edi disset poscere. Ingens tunc ea summa fuit in magna annonæ vilitate. Itaq; re infecta, & irritatis magis animis disceditur. Crucigeri omnem iam Pomeraniam animis complexi, maiore vi bellum comparabant. Augebat autem eis spem potiundæ eius, quòd sciebant, Vuladislaum ciuili aduersus Henricum bello de maioris Poloniæ possessione distineri: & à Lituanis insuper non minus ipsius, quā aduersariorum ei⁹ agros infestari. Nam excurrerant ij superiori tempore depopulabundi non modò in Calissiensem oram iterum, sed etiam in Siradiensem, quæ in Vuladislai ditione erat. Ipsi verò Crucigeri prosperiore fortuna contra Lituanos bellum gerebāt. Temporis igitur opportunitate sibi vtendum rati, anno Christi 1310. magnas è Germanis suis copias conducunt, cum marchionibus Brandeburgensibus fœdus iciunt, ea lege, vt ij retinerent, quicquid superiori bello in Pomerania occupassent: Gdanū verò, Dersauiam, & Succe munitiones in ripa Vistulæ sitas sibi bello quærendas concederent. Et sanè facile est de alieno esse munificum. Deinde Crucigeri ad Gdanense oppidū, quod in potestate Vuladislai erat, & à Pomeranica nobilitate defendebatur, castra admouent, eo potissimùm tempore, quo plurima eò multitudo hominum vndiq; ad mercatum & anniuersarias nūdinas cōfluxerat, hoc est, primis Augusti mensis diebus. Idque eo maximè consilio fecere, vt ex direptione opulenti oppidi, & mercatorum atque nobilitatis, quæ facultates suas eò importarat, pecuniam in stipendia militum & in cæteros vsus belli conquirerent. Defendebatur quidem oppidum strenuè, plurimumque negocij in expugnando eo habituri esse videbantur Crucigeri, ni proditio interuenisset. Etenim nocte quadam hostes à ciuibus quibusdam Teuthonici generis aperta porta intromissi, oppidum cæperunt, ingentemque cædem hominum omnis ordinis, ætatis atque sexus ediderunt, vt eo crudelitatis exemplo reliquos à defensione cæterarū munitionum deterrerent. Nec in vlla cuiuspiam munitionis expugnatione plus Polonici sanguinis effusum esse proditur ab vllis barbaris, quā tunc à religiosis illis, & Polonorum beneficiarijs effusum sit. Gdano potiti, ad Dersauiam, quæ Tysciouum appellatur à Polonis, ducunt exercitum: neque tamen interim populationibus & incendijs pagorum & villarum, hominumque cædibus abstinent. Præerat arci Cazimirus dux, cui cum Præmislo fratre Pomeraniam à Vuladislao commendatam fuisse, superius memorauimus. Is igitur de aduentu hostium factus certior, ad castra eorum cū Vincentio decano Gnesnensi proficiscitur, quòd nō parua ei erat cum Crucigeris & Magistro consuetudo. Sperabat enim eos sua causa susceptum bellum depossituros esse, propterea quòd meminerat, prolixè eos sibi fratriq; suo de studio & beneuolentia sua polliceri. Admissus in conspectū Magistri & Commendatorum (nam sic ipsi vocant eos, qui rectius legati vel præfecti dicerentur) supplicis habitu, Magistri erga se fratrēque Præmislum beneuolentiam atque pollicitationes commemorat. Eius hortatu se administrationē Pomeraniæ suscepisse. Nihil vnq̄ hostile, sed bonā vicinitatem, & auxiliū ab eo sperare iussos. Orat deinde, vt pollicitationum suarum & officij memor esse velit, exercitumque deducat. Si quid ipse fraterue suus aut Pomeranorū quisquā, aut patruus denique suus Vuladislaus in eum, vel in ordinem Crucigerorū deliquisset, cumulatè satisfacturos esse. Superbè & improbè ei Magister respondit, fassus ea, q̄ ille commemorarat: verùm eò id se fecisse, quòd ipsos, quàm potentiorem vicinum habere mallet. Nunc se, quàm illos, Pomeraniā obtinere malle. Sibi se esse amiciorem;

Magistri Crucigerorum responsum.

Lati grossi siue Pragenses.

Lituani Calissiensem et Siradiensem tractum vastant.

1310. ann. Crucigerorum fœdus cū marchionibus.

Pomerania bello petita à Crucigeris.

Gdanenses nundinæ.

Gdanensis vrbs prodita Crucigeris.

Crucigerorum crudelitas.

Tyscziouu.

Commendatores Crucigerorum.

Cazimirus dux supplex Crucigeris.

Magistri superbum & improbum responsum.

ciorem, quàm ipsis. Verùm eam tamen se eis gratiam facere, vt eis præsidium deducere, & res suas saluas auferre liceat: aut si id nollēt, sese suaque defenderent. His dictis, mensam apponi iubet: inuitat hominem comitesq; eius comiter. Dum illi prandent, interim exercitus Crucigericus arcem obsidione cinxit. Peracto prandio, cū Cazimirus nihil æqui à Magistro impetraret, & in arcem cum suis reuerti vellet, videt aditum obsessum ab hostib. Mittit ad Magistrum, qui eum admoneant, præter officium & ius gentium id sibi factum videri, quod interim dum ipse de pace agit, arx obsessa sit, & ipse ab ea excludatur. Respondet Magister, Errasse Cazimirum, qui existimarit, se cum tanto exercitu ad quietem somnumque capiendum eò venisse, vllumque tempus vacuum à rebus gerendis intermissurum esse donec Pomeraniam in suam redigat potestatem. Si sibi ille auscultare vellet, arcem sibi, deducto præsidio, rebusque exportatis, traderet. Ibi Cazimirus cùm sciret arcem non satis munitam esse aduersus tantam vim hostium, neque commeatu instructam, consilium cæpit necessarium dedendæ arcis: saluisque rebus & hominibus ad Præmislum fratrem in Suecensem arcem se contulit.

Dersauia diruta Crucigeris.

Choinicia et Nouum oppida capta.

Suece arx obsessa & oppugnata.

At Crucigeri Dersauia incensa vlterius progressi, Nouum, Choiniciam, & alia quædam ignobilia oppida partim per deditionem acceperunt, partim expugnata exusserunt. Deinde ad Suece castra mouerunt, quæ vna erat arx reliqua in Pomerania, natura arteque bene munita, & ad ferendam longiorem obsidionem instructa, quòd in eam se Premislus & Cazimirus duces, & Pomeranica nobilitas omnis, quæ supererat, cum copijs & facultatibus suis contulisset. Quod cùm intelligerēt Crucigeri, maiore cura ad expugnationem eius animos intendere cœperunt: excitatisque machinis aliquot, mœnia arcis, quæ lignea sed limo oblita erāt, quatere instituerunt. Ac duob⁹ patibulis è regione arcis positis, exitium obsessis, ni arcem dederent, minabantur. Quo verò maiorem terrorem eis incuterent, quotidie aliquot homines rusticanos captos appendebant. Facilè autem omnes alios Siffridus quispiam Commendator, optimus scilicet pietatis & humanitatis præceptor (nam & hoc sibi nomen vendicāt) crudelitate anteibat: qui quotidie compluribus funibus atq; restibus in equum impositis, deuouebat nō pri⁹ se sumpturū esse cibū, quàm omnes illos funes atq; restes in suspēdendis Polonis siue Pomeranis expendisset. Verùm hanc eius plus quàm barbaricā immanitatem iusta numinis vindicta diutius impunè grassari passa non est. Etenim quadā die cùm ad focū adstaret, furijs derepentè exagitatus, in ignem se proiecit, & sic infelix, qui per multos iniustè perdiderat, iustè perijt.

Siffridi Cōmendatoris mira improbitas.

Siffridi interitus.

Nihil tamen Crucigerorum illa crudelitas minæque eorum, qui in præsidio erāt, animos à defendēda arce & obsidione perferenda retardabat. Crucigeri còm animaduerterēt sedendo se tēpus terere, & aperta vi nihil proficere, ad dolos sese cōuertunt. Andream Cedrouiciū quempiā de Pomeranis, auro corrumpunt, vt arcē sibi proderet. Is autē nocte quadam chordis catapultarum, & balistarum, quibus nostri maximè hostium vim eminus reprimebant, succisis, ad Crucigeros transfugit: & quid egerit, exponit. Igitur postero die Crucigeri magna fiducia turres, quas excitarant, ad mœnia arcis propius prouoluunt ab ea parte, quæ interrupto fluminis ambitu liberiorē præbebat aditum. Nostri cùm summouere hostem, solito ferocius vrgentē oppugnationem, vellent, reperiunt balistas & catapultas redditas esse inutiles. Re noua perculsi, tamen oblatis fortuitu telis extremum conatum faciunt: & partim contis mœnia scandentes hostes detrudunt, partim saxis & molibus deiectis audacius succedētes obruunt, ita vt receptui canere magister cogeretur. At nostri periculo illius diei admoniti, ac veriti, ne grauius in se à Crucigeris capta arce cōsuleretur, misso caduceatore mēstruas inducias à Crucigeris impetrarunt, deditionem pacti, ni sibi intra id temp⁹ subueniretur. Vuladislaū de omnibus rebus certiorem faciunt: nisi celeriter opem sibi ferat, actum esse de se, ac de arce, docēt. At ille cū domi quietas res non haberet, Andream Rospirensem castellanū cum aliquanta manu in auxilium Pomeranis proficisci iubet, vt bellū modò duceret. Verùm is negligentius agens, neq; ausus per hostilem exercitum in arcem perrumpere, priusquā conspexisset hostem, retrò abijt. Finitis inducijs, cùm nulla spes auxilij obsessis ostentaretur, post septuagesimum obsidiōis diem excedunt arce Præmislus & Cazimirus duces cum Bogumilo præfecto arcis, & Ottone Lexico castellano, atq; omni præsidio, armisque & facultatibus suis, & ad Vuladislaum profecti, humanè ab eo recreati sunt. Ita tunc Suecensem arcem simul & omnem Pomeraniam Vuladislaus amisit, dum de maiore Polonia sibi adiungēda sollicitus est. Etenim cœperat iam

Andreas Cedrouicius proditor.

Andreas Castellanus Rospirensis timidus.

Suece deditur.

Pomerania subacta à Crucigeris.

iam maiores Polonos Herici tædium, quod conteni se ab eo, & iura institutaq; maiorum suorū violari viderēt. Itaq; conuentu Gnesnę habito, deserto Herico, in Vuladislai fidem & potestatem reuenerant. Quod cùm accepisset Hericus, Ioannem Bibersteinum comitem cum exercitu ad reuocādos ad officiū Polonos misit. Cui venienti Posnaniam ciues, authore Premeco quodam, portas vrbis aperuêre, præsidiumque accepêre. A quo in prælatos & canonicos, domosque eorum in insula ad basilicam sitas, sæuitū est, quòd cum Vuladislao sentirent: & Nicolaus cognomine Samotula archidiaconus Posnaniensis interfectus est. Ad cætera verò subigenda pergenti Bibersteino, Dobrogostius Samotulius, cognomento Paruus, Thomislai palatini Posnaniensis iā defuncti filius, gente Nalencius, cum Polonis occurrit: initoque prælio multis vtrinque cæsis, ad extremum victoria potitus est. Inde præsidium Silesiorum Posnania eiectum: in ciues, quòd Henrico fauerant, & occasionem malorum, quibus sacerdotes affecti sunt, præbuisse videbantur, ea pœna sancita, ne liberi eorum in collegia basilicarum seu cathedrarum episcopalium cooptarentur, reciperenturue. Nec ita multo pòst Henricus domi à Boleslao duce Vuratislauiensium, Henrici quinti filio, bello lacessitus & profligatus, ex mœrore cùm ęgrotasset, quinto Idus Decembris mortuus est, relictis quatuor filijs. Qui sic inter se partiti sunt patrimonium, vt Henrico Zeganensis, Conrado Olesnicensis, Ioanni Stinauiensis, Pręmislo verò natu minimo Glogouiensis dominatus cederet. Ad maiorē verò Poloniam ij ne aspirauêre quidem. Atque ex eo tempore pacatam eam tenuit Vuladislaus: susceptitque eodē anno Cazimirum filium, ex Heduigi vxore natū pridie Calend. Maij. Inopia quoque & fame, ex imbribus & inūdatione aquarū orta, laboratum est eo anno in Polonia, & nonnullis alijs regionibus. Subacta omni Pomerania, non deposuêre tamen sollicitudinē Crucigeri, veriti ne bello à Polonis ea, constitutis domi rebus, repeteretur. Quocirca vt sibi possessionem eius stabilirent, colloquium à Vuladislao magister Carolus, qui Henrico successerat, petiuit. Nec renuit Vuladislaus, sperans pactis aliquibus (quod malebat quàm armis) recuperare se à Crucigeris amissam Pomeraniam posse. Itaque anno sequenti præstituto die apud Breste Cuiauiense oppidum conueniunt. Ibi Magister grauiter à Vuladislao accusatus, paucis ad

Maiores Poloni in fidē Vuladislai veniunt.

Posnanienses præsidium recipiunt.

Silesiorū mitium acerbitas.

Silesij eiecti à Polonis.

Posnaniensiū pœna.

Henricus à Boleslao victus & mortuus.

Henrici filij. Glogouiensis dominatus diuisio.

Cazimirus filius Vuladislao natus. Fames in Polonia.

Poloni regis conuentus cum crucigeris apud Breste.

excusationem facti sui dictis, magnis precibus ab eo proceribusque Polonis contendit, vt Pomeraniam sibi & ordini suo iure sempiterno concederent, certam auri & argenti summam, & Nessouiam arcem cum Orlouo & Murinouo pagis vicissim à se acciperent. Ad hæc quadraginta hastatorum auxilium ad quæuis bella Polonis contra quemuis hostem Crucigerorum stipendijs militatura promittit: addit etiam, peramplum monasterium, quibuscunque monachis vellet Vuladislaus, pro salute eius maiorumq; eius conditurum se esse. Quasi verò fraude quæsitis, aut per vim raptis muneribus placetur Deus. Offensus hac oratione Magistri Vuladislaus, quòd irrideri etiam se vltrò ab eo existimabat, indignabundus & minitabundus discessit. Magister verò repulsam passus, vt aliquem tamen duntaxat in speciem iustum titulū sceleri suo prætexeret, à marchionibus Brandenburgensibus Ioanne & patruo, tutoreque eius Voldemaro decies mille marcis latorum grossorum eandem Pomeraniam, de cuius inuasione eos dudum depulerat, emit, eamque emptionem ab Henrico Cæsare sibi & ordini suo confirmari curauit. Nec dissimili scelere Liuonienses quoque Crucigeri eodem ferè tempore Rigam vrbem atque territorium archiepiscopo, à quo ante centum & quatuor aut quinque annos simili de causa in Liuoniam inducti erant, per summā iniuriam eripuêre. Qua de re cùm Romę lis plus octoginta annis ducta esset, tādem Bonifacius nonus Rigam ordini Crucigerorum, quindecim milibus aureorum acceptis, addixit. Multa præterea nefaria vtrique Crucigeri in Prussia & Liuonia, ac Lituania quoque designabant, vnde appareret eos delendæ potius, quàm propagandæ apud barbaros religionis Christianæ curam habere. Quæ literis Clemētis quinti pontificis max. quibus cognitionem earum rerum Ioanni archiepiscopo Bremensi, & magistro Alberto canonico Rauennati delegauit, prolixè ac disertè descripta sunt. Quarum literarum exemplum extat apud Dlugossum & in codice Heilsbergensi. Per idem ferè tempus Templariorum ordo potens & ipse ac locuples, per vniuersum orbem Christianum, quasi dato à Pontifice signo è Viennensi concilio, deletus est, ob nefanda quædam scelera, & prauas de religione opiniones: bonaq; eorū Rhodiensibus D. Ioānis militibus attributa. Sed nos nostra persequamur. Quo minus autem statim Prussiēses Crucigeros Vuladislaus vl-

Pomerania emunt Crucigeri à marchionibus Brandenburgensibus.

Riga erepta Archiepiscopo, & Crucigeris addicta.

Crucigerorū facinora.

Templarij deleti.

ciſceretur,ſuaque ab ijs erepta recupera-
ret,ciuilibus quibuſdam motibus,& Cra
couienſis ciuitatis defectione impeditus
eſt. Nam dum is cæteras Poloniæ regio-
nes, à Cuiauienſi illo colloquio digreſ-
ſus, viſit, ciues Cracouienſes, Alberto
aduocato authore, Boleslao Oppolien-
ſium duci ſeſe ſubiecerunt, accitumque
in vrbem receperunt: & ad capiendam
arcem, quæ in fide Vuladislai permane-
bat,adiuuerunt. Sed cùm ea neque dede-
retur,neque expugnari ab eo, qui ad rem
certam venerat, poſſet, aduocati domũ
in ipſis mœnibus vrbis prope portam,
quæ à diuo Nicolao nomen habet, emi-
nentem,pro arce Boleslaus cum ſuis oc-
cupauit. Qua de re certior factus Vula-
dislaus, nihil ſibi reliqui ad celeritatem
fecit,quin manu facta ad eijciendum in-
uaſorem contenderet. Legatos tamen
ad Boleslaum præmiſit, qui de tam in-
ſigni iniuria cum eo expoſtularent: mo-
nerentque eum, vt ſua ſponte excedere,
quàm arma ſua experiri mallet. Paruit
monitis Vuladislai Boleslaus, cùm non
ignoraret, eum cum magnis copijs ſub-
ſequi,deductoq; de domo aduocati præ-
ſidio,vrbe exceſsit. Quem aduocatus &
nonnulli alij ciues, qui defectionis capi-
ta fuerant,ſecuti, in Sileſia deinceps Boe
miaque exulauerunt. Profugorum bona
Vuladislaus aduenięns in fiſcum ſuum
redegit. Aduocatiæ reditus peramplos è
molis, macellis atque tabernis ademit:
primarios quoſdã ciues, vt exemplo ſuo
terrori deinceps alijs eſſent, diris ſuppli-
cijs affecit, partim equis diſcerptos, par-
tim rotis implicatos, partim in patibu-
lum actos. Deinde turrim in porta D.
Nicolai excitauit,pręſidioque ſuo muni
uit. Ciuitati verò ius omne creandi ſena
tus, & ex eo octonos in ſingulos annos
eligendi, penes quos adminiſtratio vr-
banarum rerum eſſe ſolet,abſtulit, & in
palatinum tranſtulit, vt vel ita ſuperbi-
am & rebellionem ciuium in poſterum
reprimeret. Inſimulatus eſt etiam Ioan-
nes Muſcata epiſcopus Cracouienſis cõ-
ſcius fuiſſe illius defectionis: quod eo fa
cilius creditum eſt, quòd eſſet Sileſius. I-
taque multis pòſt incommodis affectus
eſt à Vuladislao: captum quoq;, & in cu-
ſtodia ſeruatum referunt. Biecenſe qui-
dem territorium ei non reddidit Vula-
dislaus quemadmodum promiſerat. At-
que ex eo tempore id in regum poteſta-
te manſit. Quin ad Miechouienſẽ quoq;
præpoſitum omnis culpę expertem,ſerp-
ſit pœnæ contagio. Nam Lentcouice pa-
gum luculentum & vberem ei Vuladis-
laus ademit, propterea quòd eius vſum
fructũ Albertus aduocatus præpoſiti fra
ter habebat. Nec ita multo pòſt Boleſla-
us Oppolienſis è vita exceſsit. Maſouiæ
quoq; dux Boleslaus eodem anno, nem-
pe 1313. mortuus, Ziemouitum & Troide
num filios è Lituana vxore ſuſceptos, &
Venceslaum ſeu Vanconẽ è Boema hę-
redes reliquit. Per idem tempus Henrico
Imperatore vi veneni euchariſtia dati ex
tincto, Principes electores per contentio
nem duos crearunt Cæſares, Fridericum
Auſtrium, & Ludouicum Bauarum: qui
Germaniam & Italiam aliquandiu ciui-
libus bellis diſtinuerunt. Quieuit tũc an-
nis aliquot,incertum qua de cauſa,Vula
dislaus: nec ad vindicandam Pomeraniã
animum adiecit. Niſi fortè fames in cau-
ſa fuit,quæ anno Chriſti 1315. ac deinde
anno vno interiecto iterum duobus an-
nis tam acerbè Poloniam omnem affli-
xit,vt nullo quamuis fędo edulij genere,
ac ne cadaueribus quidem humanis vul
gò abſtineretur: ac ſi Dlugoſſo credendũ
eſt, vt parẽtes in liberos, & hi viciſsim in
illos ſæuirent. Quam famem, vt par erat,
dira peſtis conſecuta eſt. At Crucigeri au
geſcente in dies cupiditate, vt ſolet in ijs,
qui intercute morbo laborant, ſitis, ne ſa
cris quidẽ ac Deo dicatis bonis, iniuſtas
manus abſtinuêre. Sed vt antea Culmen
ſem eccleſiam occuparant, & à Gneſnen
ſis Archiepiſcopi iuriſdictione abſtra-
ctam, Rigenſi ſubiecerant, ita tunc in Po
merania poſſeſſiones ac prædia eccleſia-
rum inuaſêre: decimas è ſuis arationibus
ſacerdotibus omnino denegarunt: ex a-
gricolarum verò in pecuniarias penſio-
nes commutarunt, & ita diminuerunt,
vt ex manſo ſiue laneo (modus hic eſt a-
gri aliquot iugera continens) quaterni tã
tùm groſſi penderentur. Quibus rebus fa
ctum eſt, vt derelictui haberentur, ac de-
inde malignè à Crucigeris ſupprimeren-
tur multa ſacerdotia. Iniquius hæc tule-
runt archiepiſcopus Gneſnen. & Vula-
dislauienſis atque Poſnanienſis epiſcopi,
qui decimas è Pomerania capiebant: itẽ-
que Ioannes Plocen. cui etiam ex territo
rio Michalouien. decima negabatur. Et
cum hoc quidem Carol9 Magiſter tranſ
egit ea lege, vt ſeptem annis immune eſ-
ſet id territorium à pẽſione decimę: poſt
eos verò nonaginta marcas Torunen. e-
piſcopus decimæ nomine quotannis ac-
ciperet. Cæteri verò cũ tenaciores eſſent
iuris ſui, Magiſtrum, Commendatores,
& cęteros Crucigeros publicè in templis
execrabantur, & locis quibuſdam ſacris
interdixêre. Verùm contemnebant eam
diſcipli-

Marginal notes:

Cracouienſes ciues ad Boleslaum Oppolienſem defecerunt.

Aduocati domus Cracouiæ.

Cracouia recuperata à Vuladislao rege.

Aduocatia Cracouienſis. Cracouienſes obdefectionẽ puniti.

Senatus electio translata in palatinum.

Ioannes epiſcopus Cracouiẽſis captus. Biecenſe oppidum non redditum epiſcopo.

Lentcouice pagus præpoſito Miechouienſi ademptus.

Boleslai Oppolienſi mors. Boleslai Maſouij mors & liberi. 1313. ann.

Henricus Imperator veneno ſublatus.

Fridericus et Ludouicus Cæſares.

Fames & peſtis horrenda in Polonia.

Crucigerorũ iniquitas in eccleſiaſticos.

Manſus ſiue laneus quid.

Decimæ vſurpatæ, & ſacerdotia ſuppreſſa à Crucigeris.

Crucigeri excommunicati.

disciplinã, religiosè semp à bonis pijsq; hominibus obseruatam, Crucigeri, prętextu prouocationis ad Pôtificem max. Qua re adducti episcopi, communicato cum Vuladislao rege consilio, Gerardũ Vuladislauiensem episcopum, in cuius diœcesi est pleraque omnis Pomerania, ad Ioannem eius nominis vicesimũ secundum pontificem max. qui tunc demum post duorum annorum triũque mensium vacationem Clementi quinto successerat, miserunt, vt nõ modò de ecclesiasticis bonis ac decimis, verùm etiam de erepta per summam iniuriã Pomerania, regis & vniuersæ Poloniæ nomine Crucigeris litem intẽderet: Simul autem vt relaxationem interdicti Gregorij eius nominis septimi, quo is post necem D. Stanislai Episcopi Regio honore Polonis interdixerat (quemadmodum suo loco memorauimus) impetraret. Existimabant enim eum inauspicato Præmislum iniussu Pontificis vsurpasse. Non latuit consilium Polonorũ Crucigeros: & ne id procederet, omni ope enitendum sibi esse existimarunt. Itaque miserunt & ipsi ad Pontificem, qui nostrorum conatibus obsisterent, litemq; quantum possent, ducerent. Regnabat tunc apud Boemos Ioannes, cuius mentionem superius fecimus: nec solũ Boemorum, sed & Polonorum regis nomen quasi hæreditarium secundum Venceslaum sibi vendicabat. Eum igitur etiam promissis & muneribus induxêre Crucigeri, vt Vuladislao negociũ facesseret, & ne regnum ei decerneretur, summa ope apud Pontificem intercederet. Ad quas res perficiendas cùm opus haberẽt grandi pecunia, tributum Pomeraniæ toti imperarunt binos grossos in singulas marcas: vnde triginta millia marcarum redacta esse dicuntur. Ad hæc eiectas naufragio merces in mari lege Rhodia vsurpare cœperunt. Quibus rebus factum est, vt toto fermè quadriennio nihil aliud impetraret Gerardus à Pontifice, quàm vt cognitio causæ inter Polonos & Crucigeros Archiepiscopo Gnesnensi, Posnanien. episcopo, & abbati Mogilnen. delegaretur: Quòd verò ad regnum attinet, vt non impediret Pontifex, quo min⁹ Poloni iure suo vterẽtur. Nam apertè Vuladislao regnum decernere noluit, cùm quòd necesse nõ esset, tum ne Ioãnem, & socerum eius Philippum regem Francorum offenderet. Secretò tamen voluntatis suæ significationem Gerardo dedit. Eamque Gerardus literis suis regi descripsit: ipse verò Auinione, vbi tunc degebat Pontifex, mãsit, suam cum Crucigeris litem persequens. Cùm igitur sententiam Pontificis cognitam haberet Vuladislaus atq; proceres Poloni, comitijs Cracouiam indictis ad vicesimam diem Ianuarij mensis, Vuladislaus cũ vxore Heduigi in basilica Cracouien. tunc primùm instaurata & consummata ab Archiepiscopo & cæteris episcopis ritu solenni coronatur anno Christi 1320. Atque ex eo tempore ius coronandi reges, atque ipsa regni insignia Gnesna Cracouiam, propter amplitudinem splendoremque vrbis, & plurimas maximasque commoditates, translata sunt. Nec multo pòst Vuladislaus rex Elizabetham filiam Carolo Vngarorum regi bis viduo in matrimonium collocauit, & Budam ad sponsum cum splendido comitatu misit. Intendit deinde animum ad purgandam Poloniam furtis & latrocinijs, & ad persequendam litem contra Crucigeros. Verùm detrectarunt ij iudicium delegatorum, apud Breste Cuiauiense ius dicentium. Sed tamen refutata à iudicibus friuola appellatione, (cùm causam suam Vuladislaus plurimorum fide dignorum, sacri pariter & profani ordinis hominum testimonijs luculentè probasset) dãnati sunt: & Pomeraniam regi reddere, ac cẽtum quinquaginta millia marcarum pecuniæ pro perceptis fructibus, aliaque triginta millia in litem expensa numerare iussi. Cùm autem non parẽrent rei iudicatæ, anathemate icti sunt, ita vt nusquã ijs præsentibus sacra fieri liceret. Per id autem tempus Lituani impunè Dobrinum rursus & Masouiam depopulati sunt. Dum hæc ita geruntur in Polonia & Pomerania, Silesia parricidialibus ducum suorum bellis exagitata & labefactata est, & ad extremum libertate partim vendita, partim per vim aut fraudẽ amissa, Boemorum iugum accepit, magno reipublicæ Polonæ detrimento, nec minori suo malo ac dedecore. Author eorum malorum Boleslaus natu maximus filiorum Henrici quinti ducis Vuratislauiensium & Legnicensium fuit: cuius auaricia maximam dedit Ioanni Boemorum regi vel dolo interuertendæ, vel per vim subigendæ Silesiæ occasionem. Cùm enim adoleuisset hic ipse Boleslaus, & amoto à tutela Boleslao patruo Suidnicensium duce, per se ipse paternum dominatum administraret, dilapidare paterna bona cœpit. Qua re offensi cæteri fratres, cùm & ipsi iam adolescerent, maturius patri-

Polonorum legatio ad Pontificem max.

Cathedra Petri plus duobus annis vacauit.

Corona iterum petita Polonis à Pontifice.

Ioannes rex Boemorum.

Pomeranis tributum impositum.

Lex Rhodia de mercibus naufragio eiectis.

Iudices delegati à Pontifice inter Polonos & Crucigeros.

Vuladislaus cum vxore Cracouiæ coronatur.

1320. ann. Regni insignia Cracouiam translata.

Elizabetha Vuladislai regis filia Carolo regi Vngarorum nupsit.

Crucigeri à delegatis Apostolicis dãnantur, & excommunicantur.

Dobrinum vexatum à Lituanis.

Silesiorum ducum intestina bella.

Silesiæ à Boemis interuersæ causæ.

Boleslaus Vuratislauiensium dux prodigus & auarus.

Diuisio dominatus inter fratres. monij partitionem efflagitarunt. Tres partes pro numero fratrum factæ, Vuratislauiensis, Legniciensis, & Bregensis. Quæ cùm inæquales essẽt, placuit, vt cui Bregensis, quæ minima erat, sors obtigisset, ei cæteri certam pecuniam annumerarent. Legniciẽsis quidem trigintaduo millia marcarum, Vuratislauiẽsis verò octo & quadraginta. Non tentata sortitione, Bregensem vltro Boleslaus accepit, illectus pecunia, qua in sumpt⁹ quotidianos indigebat. *Bregensium dux Boleslaus.* Reliquis verò duobus sortitis, Henrico quidem Vuratislauiensis, *Henricus Vuratislauiensis.* Vuladislao verò, qui iam hypodiacon⁹ erat, Legniciẽsis obuenit. Cùm autem vterque præsenti pecunia, quam fratri Boleslao ex pacto debebant, carerent, Henricus quidem à suis hominib⁹ mutuam accepit & exoluit, Vuladislaus verò Boleslao Legniciense territorium cũ oppido hypothecæ nomine tradidit. Quam ob rem cùm tenui admodum fortuna esset, malo vsus consilio, *Vuladislai latrocinia.* vexare & suam & Boleslai ditionem latrocinijs & populationibus instituit, vt Boleslaum ad remittendam sibi pecuniam, reddendamque Legniciam adigeret. At ille abundans viribus, cùm fratris conatus improbos aliquoties repressisset, ad extremum eum cœpit, & in vincula coniecit. Deinde, proceribus interuenientibus, cum eo pacificatus est ea conditione, vt quingẽtas ei marcas quotannis ex omni ditione Legniciensi penderet. Quibus pactis, quamuis iureiurãdo firmatis, non diu stetit Vuladislaus: verùm infestare rursus latrocinijs instituit Boleslai ditionem ex Hornisberga *Hornisperg arx.* castello cuiusdam equitis. Dumque incautius prædas agit in Bregensi ditione, à rusticis captus cum viginti socijs, & ad Boleslaum ductus, iterum ab eo in carcerem coniectus est. *Vuladislaus Legniciensis in carcerem coniectus.* Vbi cùm vnum annum asseruaretur, in furorem actus est: dimissusq; postea misericordia fratris, egens vagusque, nec satis compos mentis vixit: & in Masouiam profectus, Boleslai eius oræ ducis filiam vxorẽ duxit. Conrado deinde Olesnicensiũ duci bellum fecit Boleslaus Bregensis, quòd in eius ditione ferme erant oppida ea, quæ auus ipsius Cõradus dux Glogouiẽsium ab Hẽrico patre suo iniquis pactis, quẽadmodum suprà memorauimus, extorserat. Cumque regionem omnẽ Olesnicensem peruastasset, eò adegit Conradum, vt is icto fœdere, Namislouiam, Berolthouiam, Cruciburgũ, Bycynam & Cuncestadiam oppida sibi traderet: vicissim autem ipse ei Boleslaus, miser-

tus egestatis eius, Volauiã & Lubensium donauit. Neq; tamen hæ tantæ accessiones inopiam Boleslai releuarunt. Sed cùm omnia tãquam in barathrũ quoddam, aut in pertusum dolium caderent, *Boleslai prodigalitas.* homo sumptuosus ac prodigus tantum æs alienum cõtraxit, vt Nemciense territorium Bernardo Suidniciensiũ duci, Hainouiam verò & Goltibergam Vuratislauiensibus ciuibus oppigneraret. Aliud deinde cæpit parandarũ opum cõsilium. Nam ab Henrico fratre, quòd is nullos masculos haberet liberos, cõtendit, vt sibi Vuratislauiensem dominatũ concederet, Legniciensem verò à se acciperet. Quod cùm negatum esset, facile æger sua sponte animus eius à Ioanne Boemorũ rege in deteriorẽ partem impulsus est. Parebant iam Oppoliens. Ratiboriens. Cessinens. Bithomien. duces Boemis, à Venceslao rege blanditijs & muneribus allecti. *Oppoliensis, Ratiboriẽsis, Cessinensis, & Bythomiensis duces Boemo subditi.* Emerat & Closcũ Ioannes Rex à Boleslao Zambicẽsium siue Monsterbergensiũ duce: vnde cùm proximas Silesiæ oras latrocinijs per suos infestaret, eò rem perduxit, vt Frãcsteinum quoq; à Nicolao filio Boleslai paruo emeret. *Closcum à rege Boem. emptum.* *Francsteinũ emptũ à rege Boem.* Ad Glogouiam deinde cùm animum adiecisset, fauentibus ciuibus magna iam ex parte Teuthonibus, neq; Præmislum eorum ducẽ vel blanditijs vel precio ad se pellici, ac ne vi quidem perpelli posse animaduerteret, veneno eum sustulerat. *Præmislus Glogouiensis veneno sublatus.* Cumq; Præmislo Henricus & Ioannes fratres pariter successissent, & Conrado tertio fratri Stinauiam concessissent, paruo negotio rex à Ioanne, qui conscius fortasse necis fraternæ fuit, dimidium Glogouiæ pecunia numerata acceperat: & mox corrupto Hẽrici præfecto, reliquum etiam in suam redegerat potestatem. *Glogouiam rex Boemorum in suam redegit potestatem.* Tametsi recepit aliquanto post paternam portionẽ Henricus, Henrici huius filius, à Carolo Ioannis regis filio. Nam ipse Henricus senior nõ diu calamitati illi superstes fuit. *Hẽricus Zeganensis mortuus.* Hæc ergo cùm haberet iam in Silesia Ioannes rex, totiusq; regionis sibi adiungendæ magna cupiditate flagraret, Boleslaiq; Bregẽsis & Legniciẽsis auaritiã atq; egestatẽ suis fraudibus maximè opportunã esse iudicaret, magnis donis atque pollicitationibus eũ ad inferẽdum Henrico Vuratislauiensiũ duci bellum perpulit. Quare clandestinis primùm incursionibus Boleslaus Vuratislauiensem orã latrocinantis in morẽ vexauit, *Bellum inter fratres.* deinde apertis virib⁹ infestare adort⁹ est. Agebat hoc quidem Rex, vt fratrũ dissidijs res suas in Silesia stabiliret, cõmissos- *Ioannis regis Boemorum vafrũ ingenium.*

que

que inter se vt facilius opprimeret, aut verò alteri ferendo opem & illum sibi obnoxium faceret,& alterum subiugaret:sed eum prima hæc spes fefellit. Hēricus enim,cùm fratris iniurias & populationes partim ferendo, partim arcendo cohibere tamen satis non posset, ad Vuladislai regis Polonorum auxilium confugit,eiusque fidei se ac dominatū suum omnē tradidit. Ac facilè sanè Vuladislaus Boleslai conatus fregit, metuque proprij periculi eū compescuit:quo facto,vir bonus Henricum sua sibi habere iussit, vt sorores nubiles elocaret. Id vbi cognouit Ioānes rex, qui iam de Vuratislauia propemodum desperarat, noua spe erectus, dolis sibi agendum esse duxit. Henricum per speciē arduorum & arcanorum negociorum ad se accitum, & perquàm honorificè acceptum, blanditijs,liberalitate, precio, ingētibus promissis, & odio denique inimici fratris tandē induxit, vt sibi Vuratislauiensi dominatu cederet:Closcumque,quoad viueret, vtendum fruendum à se acciperet,adiutoribus ad eam rem Henrico persuadendam vsus proceribus & ciuibus Vuratislauiensibus, quorum consilijs Henricus vtebatur, pecunia corruptis. Ita Vuratislauia potitus Ioannes, non multò pòst Hainouiense & Goltibergense territorium, quæ Vuratislauiensis senatus hypothecæ nomine à Boleslao duce possidebat, per iniuriam ei ademit, dignamque nauatæ sibi ab ipso in adipiscēdo dominatu operæ gratiam retulit. Expostulauit cū eo de prærepta Vuratislauia Boleslaus, fœderisque & iurisiurandi, quod sibi inuicem dederant, ne quid alter contra alterum moliretur vnquam, eum admonuit. Commemorauit etiam sua merita & beneficia, quòd eum difficilimo eius tempore eiectum à Boemis omni ope adiuuisset.Sed ea expostulatione tantum profecit,vt Ioannes propinquiorem se sibi esse, quàm illi respōderet, atque ad eius quoque ditiones per fas atque nefas in potestatē suam redigendas animum adijceret. Ad quam rem nō defuit ei, quasi diuina quadam virgula oblata occasio. Vuladislaus enim tertius Boleslai frater,quem exclusum Legnicensi dominatu in Masouia vxorem duxisse superius diximus, dissipata dote,reuertēs in Silesiam, Legniciam Ioanni vendere se velle ostendit, literasque Legnicensiū exhibuit,quibus illi se ad Vuladislaum iure ptinere, & in potestate Regis Boemi libenter fore ostendebāt. Deliberandi spacium Ioannes cœpit, interim Boleslaum ad se accersit, & quæ secū Vuladislaus egerit ipsi exponit, & literas Legnicensium commonstrat. Addit deinde:Si Legniciā ipse retinere velit, in sua & Boemorū fide atq; clientela semper se fore profiteatur. Ni faciat,& Legniciā & cætera omnia amissurū. Quo metu pculsus ille,imperata fecit,eò redact⁹ inopię,vt filios quoq; ad extremū Vuratislauiensib⁹ mercatorib⁹ oppigneraret.Sed cùm vxorem,q̄ regis Boemi soror fuit,amisisset, & alterā bene dotatā Cracouia duxisset,releuatus aliquantulū, ipse quidem Bregam secessit,filijs verò Venceslao & Ludouico Legniciēsem dominatum ingenti ære alieno grauatū concessit. Verùm post Legnicensis conuētus, collata in commune pecunia, omne id exoluit.Post hæc reliqui quoq; duces Silesiorum, nempe Glogouiensium,Zeganensium,Olesnicensium, Stinauiēsium & Falkembergēsium vltrò in ditionem Boemi regis concesfêre,& partim timore potentiæ Ioannis,partim inuidia Vuladislai regis libertatem suam Boemis prodidêre.Miliciam verò arcem episcopi Vuratislauiensis idē rex Ioannes per vim & fraudem interuertit. Quam ob rem diris aliquandiu post Nankerus episcopus & anathemate regem præsentem,senatumque Vuratislauiensem regis adiutorem deuouit,& ipse cum omnibus presbyteris & monachis Vuratislauia excessit:nec tamen arcem recuperauit.Solus Bernardus Suidnicensium dux gener Vuladislai regis, & post eum filius eius vnicus Boleslaus aliquandiu postea in fide & societate Polonorū permansêre. Retinet etiamnum pleraque omnis Silesia vestigium vetustæ originis suæ à Polonis deductæ, pensionem, quam S. Petri numum vocant: cuius antea mentionem fecimus. Quæ quidem per illa ipsa Silesicæ defectionis tempora eò redacta est,vt numus tantùm æreus,quem obolū vocamus,in capita quotannis pēderetur, cùm antea tres oboli & cribrū auenę in singulas familias pendi soleret.Per idē temp⁹ Lusatia quoq; regno Boëmorū accessit, cùm Henricus dux Furstēbergensis ius suū omne in ea regi cōcessisset. Quod itidē fecit etiā in Lubusēsi ditione,&Francofordia ad Oderam.Sed nos Silesios deinceps deseramus,nisi sicubi necesse erit ꝑpter lucem historię institutæ:iamq; ad Vuladislaū reuertamur, quē tot tantæq; difficultates simul implicarāt, vt singulis explicādis vix par esse posset.Nam solicitū eū faciebat

Vuratislauiensis dominatus regi Polonorum deditus, & ab eo redditus.

Vuratislauia potitus est rex Boemorum.

Perfidiæ pœna Hainouia & Goldiberga Vuratislauiensibus ademta.

Legnicensis dominatus in clientelā Boemorū regis venit.

Boleslaus dux filios oppignerauit.

Legniciēses æs alienū sui ducis dissoluerunt.

Silesij duces reliqui Boemo sese subdidêre.

Milicia arx episcopi intercepta à Boemis.

Ioannes rex diris deuotus.

Nancerus episcopus Vuratislauia excessit.

Suidnicienses soli in fide Polonorum permansêre.

Sancti Petri numus per Silesiam.

S. Petri numi ratio mutata.

Vuladislai regis Poloni difficultates & consultatio.

ciebat erepta à Crucigeris Pomerania, & auulsa à Boemis Silesia: postremò crebræ Lituanorum in Poloniam excursiones intendere eum animum ad illa bella non sinebant. Itaque incertus consilij deliberabat q̃d faceret, & quò se primùm verteret. Videbat Crucigeros non modò non acquiescere in Pomerania, sed Dobrinensi quoq; tractui inhiare: quem redactum penè in solitudinem à Lituanis, ipse nuper à Vuladislao duce Ziemouiti fratris filio acceperat, cõcessa ei quo ad viueret, Lencicia. Animaduertebat ita coniunctos esse cum Crucigeris Boemos, vt ab eorum societate auelli non possent, præsertim cùm Silesia in ditionẽ suam redacta nuper inescati, in spem totius Poloniæ occupandæ per eos venirent. Vterq; per se satis validus & potens hostis erat, nec tamen alter lacessi poterat, quin cum vtroque dimicatio futura esset. Iam Saxones quoq; Brandeburgenses lingua & fœdere cum Crucigeris coniuncti, nõ defuturis ipsis esse videbantur: & alioq; imminebãt ipsi quoq; Poloniæ per omnẽ occasionẽ, & qua vi, qua fraude fines eius carpebant. Intẽto autem in hæc bella Regi, vel prodenda erat Polonia Lituanorum populationib⁹, vel certè relinquendo ad excursiones eorũ arcendas presidio militum distinendæ minuendæq; vires, q̃ ne integre quidem aduersus alios illos hostes admodũ sufficiebant. Assiduis.n. excursionib⁹ iam has, iã illas oras Poloniæ Lituani vexabant. Ac per illud ipsum tempus etiam Poltouiã episcopi Ploscensis oppidum ac centum triginta pagos in Masouia diripuerant, & incẽderant. Neq; verò facilè ij domari poterant, cùm neque foris dimicandi copiam facerent, sed rapta præda fugerent, & domi fluminum obiectu syluarumq; & paludum latebris, ac deniq; incultarũ solitudinum vastitate tuti essent: ita vt si quis eis bellum inferret, ei non magis cũ hoste fugaci & insidioso, quàm cum viarum difficultatibus, cum intemperie cœli, & cum fame confligendum esset. Itaque quod erat reliquum, placuit tentare, si fortè ij mitigari vlla ratione, & in societatem pertrahi possent. Ad quam rem perficiendam nonnullam spem illud faciebat regi, quòd communes sibi cum illis hostes Crucigeros esse nouerat. Assidua namque bella Crucigeri cum Lituanis varia fortuna gerebant. Quam sententiam cùm frequens senatus comprobasset, mittũtur ad Gediminum principem gentis, siue magnum Ducem, quod nomen à Russis acceptum, à Lituanis quoque vsurpari cœpit, legati, qui fœdus cum eo feriant, & filiam eius Cazimiro regis filio vxorem petant: nec dotem aliam ab egeno principe, quàm captiuorum omnium Polonici generis missionem postulent. Non grauatè Gediminus legatorum postulatis annuit: initaq; cum Polonis societate, sine longa procrastinatione sponsam cũ eis misit. Quæ ingentibus omnis conditionis, sexus, atque ætatis captiuorum cateruis comitata, veniens Cracouiam, religionemque Christianam à Nankero episcopo edocta, & sacro lauacro initiata, Annæ nomen accepit, & ritu solenni Cazimiro sextumdecimum annum agenti nupsit, anno Christi 1325. Atque ex eo tempore Polonia, magna ex parte vastata & inculta superioribus bellis & populationibus barbarorum, populosior & cultior esse cœpit, dimissis ac deductis quoquouersus agricolis, qui ex captiuitate redierãt. Pace & societate cum Lituanis constituta, maiore iam fiducia studioque in Crucigericum bellum Vuladislaus rex cœpit incumbere: primumque Masouios & Saxonas Brandenburgenses, qui vtrique fœderati erant Crucigeris, ab eorum societate auellere, ac proprij periculi intuitu, ne illis auxilia mitterent, deterrere instituit. Quocirca misso in Masouiam exercitu è Cracouiensi & Sendomiriensi nobilitate comparato, ferro & igni eam longè lateque vastauit, & oppidum Plocense incendit. Sequenti deinde anno maioribus copijs coactis, per se ipse in Marchiam Brandenburgensem expeditionem fecit, magna Lituanorum & Russorum auxilia secum habens: & ad Frãcofordiam cum infesto exercitu progressus, cùm nemo contra prodiret, munitionum quidem oppugnationibus abstinuit, populationes verò in omnes partes exerceri iussit: incensisque plurimis pagis atque vicis, magnum captiuorum numerum & cæteram prædam ingentem inde abegit. Crudelius in eo bello se gessêre barbari, & magnam hostium cædem fecerunt, matronas atque virgines contumeliosè constuprarunt: delubra ac templa passim profanarunt, diripuerunt, & incenderunt. Memoratur autem forte & præclarum monachæ cuiusdam facinus: Quæ capta à Lituano quopiam, cùm ad stuprum traheretur, rogauit eum ne sibi vim faceret: mercedis autem loco promisit, se eum edocturam esse, quî corp⁹ eius vulnerari nullo vnquã ferro posset. Quod cùm discere ille percuperet, iugulum ei for-

Dobrino rex Vuladislaus potitus.

Boemorum cum Crucigeris societas.

Poltouia direpta & incensa. Poltouusek.

Lituanorũ domandorũ difficultas.

Gediminus magnus dux Lituanorũ.

Polonorũ cum Lituanis fœdus.

Cazimirus Vuladislai regis filius Lituanam uxorẽ duxit.

Dos Lituanæ sponsæ.

1325. ann.

Poloni Masõuiam populantur, & Ploscum incendunt.

In marchiã Brandenburgensem expẽditio Vuladislai regis cum Lituanis.

Frãcofordia ad Oderam.

Lituanorũ crudelitas.

Monachæ facinus memorabile.

ei fortis puella præbuit, vt in se eius rei periculum faceret. Credulus ille stricto gladio caput ei⁹ amputauit. Sic illa barbari libidinem elusit, stuprumque turpe mortè honesta euitauit. Dimissi Lituani, per Masouiam prædabundi domũ reuertêre. Nõ tulit autem vastationem illam Lituanorum Andreas quidam eques Masouius. Verùm maiore ira inflãmatus, facin⁹ audax & memorabile aggressus est. Nam cùm se inter barbaros insinuasset, Dauidem præfectum Gartinensem, insignem inter Lituanos virũ, in medijs castris ferro adortus obtruncauit, & inter tumultuantes fuga euasit.

Lituani Masouiam vastant.

Andreæ audax facinus.

Sequenti item anno Lituani in Marchiam excursionem fecêre, & cùm cædibus & incendijs in obuia quæq; desæuissent, prædam raptim abegêre. Crucigeri verò cum Venceslao Masouiorum duce facto impetu in Cuiauiam, Couale arcem ceperunt & incenderunt. Non putauit sibi diutius differendum esse bellum in eos Vuladislaus, qui ne Pontificis quidẽ maximi authoritate, vt Pomeraniam sibi redderent, commouebantur, quin etiam veteres iniurias nouis cumulabant.

Lituanorum in Marchiã excursio.

Couale arx capta et incensa à Crucigeris.

Itaque in sequentẽ annum, qui fuit millesimus trecentesimus vigesimusoctauus, expeditionem toti Poloniæ in Crucigeros indicit: à Carolo rege Vngarorum genero suo nõ contemnenda auxilia impetrat: à Lituanis item atque Russis finitimis. Cum quibus omnib⁹ copijs hostium fines ingressus, Culmensem tractum omnem vsque ad Ossam amnem flammis, cædibus, & populationib⁹ peruastauit: nec tamen elicere hostes in aciem è munitionibus, in quas se abdiderant, potuit. Munitionum verò oppugnatione prorsus abstinuit, quòd & bene munitæ erant, & rudes tunc adhuc & imperiti oppugnationum Poloni erãt: vt sunt ferè hæ gentes, quæ ad Septẽtrionem habitant. Dimisit deinde auxiliarios: suis verò præcepit, vt Masouiam infestarent. Quod cùm factum esset, non multo pòst excurrerunt vicissim Crucigeri cum Masouijs in Cuiauiam. Quò cùm properè nostri accurrissent, collatis signis funduntur hostes: & Masouij quidem cum duce suo Venceslao diffugerunt: Crucigeri verò fortiter dimicãtes, ad internecionem vnà cum Commendatore Torunẽsi cæsi sunt. Hoc anno Nankerus episcopus Cracouiensis ad episcopã Vuratislauiensem lite duorum competitorum per septem annos vacantem translatus, Cracouiæ successorem accepit Ioannem Grotum Slupecium, Ioannis papæ authoritate vltrò datum, cum quo adolescens Bononiæ familiaritatem contraxerat.

1328. ann. Prußicum bellum.

Septentrionales populi expugnãdarum munitionum imperiti.

Crucigeri et Masouij victi à Polonis.

Nankerus è Cracou. episcopa ad Vuratislauiensem transijt.

Ioannes Grotus episcopus Cracouiẽsis.

Insequenti anno Ioannes rex Boemorum à Crucigeris in auxilium vocatus, cum grandi exercitu vere ineunte in Prussiam aduenit, & cum Crucigeris se coniunxit. Arx inde Dobrinensis diu & acriter oppugnata & labefactata deditionem tandem fecit, dedẽte præfecto Paulo Spicimirio, cognomento Ogono palatino Lencicicnsi: eiectisque Polonis, Crucigerorum præsidio, concedente Boemo munita est. Vexabant tamen nostri, carpebantque hostilem exercitum, & ex insidijs in pabulatores & prædatores crebrò impetum faciebant: commeatum quoque, q̃ Vistula supportabatur, expugnatis nauibus intercipiebant. Sed ad vniuersæ rei dimicationem, cùm essent longè impares, non veniebant. Itaque hostes motis ex Dobrino castris, transmissoque Vistula flumine, Vuladislauiam oppidum ad orti, primo impetu cæperunt, & exussêrunt: & ab episcopi quidem sacerdotum que cæde abstinuêre, cæterum edixerũt eis, ne quod omnino ædificium ibi denuò excitarent. Cechocinense quoque territorium, quod in ditione episcopi erat, abstulêre. Erat autem tunc episcopus Vuratislauiensis Mathias Golancieuius, cognomento Paluca, Slauunici castellani Naclensis filius, gente Toporus: qui Gerardo Auinione mortuo à Pontifice max. suffectus fuit. De cuius prodigioso ortu illud memoratur, Matrem eius duodecim filios vno partu edidisse: verùm ex ijs vnum illũ vixisse, reliquis mox vt nati erant mortuis.

Ioannes Boemorum rex in Prußiam cũ exercitu venit.

Dobrinum deditum, & Crucigeris traditum.

Vuladislauia capta & incensa.

Cechocinũ episcopo Vuladislauiensi ablatum.

Prodigiosus partus 12 filiorum.

Deinde in Masouiã pariter ingressi Boemi & Crucigeri, eamque crudeliter depopulantes, eò adegêre ducem gentis, vt se Ioanni quasi iusto Polonorum regi subijceret. Quisnam verò is dux fuerit, Dlugossus non memorat: sed Venceslaum fuisse indicant Ioannis regis literæ, quæ extant in archiuo regio: quibus ille testatur, Venceslaum à se Masouiam, & præsertim Plocensem, Vissegradensem, & Gostininensem iure feudi, vt vocant, obtinere. Dum autem iusti videri volunt Crucigeri, ne iniustè ac per vim Pomeraniam vsurpasse dicerentur, perfecerũt precibus atq; precio apud Ioannem regẽ, vt sibi Pomeraniam iure sempiterno donaret. Cuius donationis exemplũ est apud Dlugossum. Dobrinum quoq; idẽ ipse Ioannes quatuor millibus & octingentis sexagenis (sic.n. appellat) Pragensibus eisdem Crucigeris se vendidisse con-

Masouiã Plocensis in ditionem Boemorũ venit.

Pomeraniã Crucigeris donata à rege Boemorũ.

Dobrinũ vẽditum.

signatis literis testatur: his quidem legibus, vt eos priuilegio pōtificio à pensione decimarum ex eo territorio liberet, nec aliter pacē faciat cū Vuladislao, qui se asserit regē Cracouiæ (vt eius verbis vtamur) quàm si is, itemq; Ziemouiti fratris eius filiꝰ omni iure terrę Dobrinēsis sese abdicarit. His peractis, ingruēte hyeme reduxit Ioānes exercitū, & stulta vanitate de subactis, & ad religionē adactis barbaris triūphauit. Dubrauius cū Hageco memorāt eum grandi pecunia, nēpe quadraginta millibꝰ numū aureorū Loctico inducias vēdidisse. Aestate verò sequēti, maturescentibꝰ segetibus cōuenit rursus magnꝰ Germanorū & Boëmorū militū mercenariorū numerꝰ ad Crucigeros: & cōiuxerant se cū eis Liuoniēses quoq; iam inde ab initio. Cum quibꝰ copijs illi facto impetu in finitimas oras Poloniæ, Vissegradum Cuiauiense & Naclum arces vi, sed non sine magna strage suorum cępēre, & exusēre. Nam Radeouiā nostri cremarant, ne capta, receptaculū esset hostibꝰ ad excursiones. Apud Racianzum episcopi Vuladislauiēsis arcem diutius morati sunt, & multos fortes viros in oppugnatione eius arcis amiserūt, quod à multis ea nauiter defendebatur: ad extremum tamen ea quoq; potiti sunt, adempto puteo, qui solus ijs, qui in arce erāt, aquam suppeditauerat. Itaque ibi maiorē exercuēre crudelitatē in omne genꝰ hominum, vt vulnera sua cędēque suorū vlciscerentur. Paucos de nobilitate, cùm ira iā deferbuisset, viuos seruarunt: in quibus erant insignes, Suentoslaus frater episcopi, & Vincentius castellanus Starogrodēsis. Quos omnes episcopus quadringētis marcis pecuniæ redemit. Ad hæc vt bona sua recuperaret, pepigit idem cū Crucigeris vt senos modò grossos annuos in māsos decimæ nomine tam ipse, quàm sacerdotes eius omnes de Pomeraniēsibus agris acciperent. Qua re vehemēter accisi sunt reditus Vuladislauiensis episcopæ. Tandem vbi aduētare Vuladislaum regem cum magnis copijs, & Vngarorum, Austriorum, atque Lituanorum auxilijs Crucigeri accepēre, omissa oppugnatiōe alienorum, ad sua defendenda redierunt. Posteaquam autem hostium fines Vuladislaus attigit, exerceri longè lateq; populationes in tractu Culmensi iussit: nec vllum crudelitatis genus ab iratis omissum est. In transmittendo Deruancia flumine aliquātum difficultatis fuit. Nam vada eius ripasque Crucigeri caudicibus ac sudibus per longum spacium impedierant, ipsiq; in vlteriore ripa castra metati, transire nostros prohibebant. Rex facta ibi aliquot dierū mora, inuentoq; vado liberiore ad molitrinam Lubiciam, cū animaduerteret quò se cunq; ipse verteret, hostem sibi occurrere, delectas aliquot turmas occultè prope id vadum reliquit: ipse cum cætero omni exercitu aduerso ab eo loco itinere, versus Brodniciam ire pergit: consequūtur hostes, nihil de fraude suspicati. Ibi nostri, vt iussi erant, è latebris prorumpentes, vadum præsidio vacuum superant, fumoque signū dant suis. Quo viso Rex citato agmine retrò vnde profectus erat reuertitur, & fluuium traijcit. Grauioribus vtebantur equis hostes, itaque non potuēre tempori ad vadum nostris occurrēre: aduentantiumq; vim ij qui primi de nostris transmiserant, fortiter sustinuēre, donec omnis exercitus traiecit, & ad ordines rediit. Crucigeri inopinata re perculsi, cesserē nostris pugnandi copiam facientibus, dilapsique in munitiones sese recepēre. Ibi verò nostri effusè agros pagosq; hostiles vastarunt: villas, vicos, & suburbana munitiorū oppidorum, qualia ferè sunt in eorum ditione, exusserunt. Deinde præmissa in Poloniā præda omni, Dobrinensem oram ingressi sunt: & arce Dobrinensi tentata, cū eā egregiè tutantibus Crucigeris capere nō possent, re infecta redeuntes, quicqd erat reliquū in Culmensi tractu vsq; ad Ossam amnē ferro & igni absumpsēre: Prussia vltra Ossam, quæ iam magna ex parte Crucigeris parebat, erat reliqua. Quam cùm nostri intactā dimissuri non esse viderentur, tunc demum Magister cum primoribus Crucigerorū, qui Grudenti siue Gruzanzi erant, de pace vel inducijs cum Vuladislao rege agere cœperunt. Induciæ in annum factæ ea conditione, vt Dobrinensem arcem atq; tractum & Bydgostiam Crucigeri Vuladislao mox redderent. De Pomerania verò Carolus Vngarorum & Ioannes Boëmorum reges arbitri capti. Quanquam Carolum tunc aduersus casus vnà cum vxore & liberis pene perculit. Felicianus enim quispiam de Zaachorum familia stricto gladio in cœnaculo ipsum adortus, sed frustratus ictum, dextram modò eius leui ictu perstrinxit: Reginæ quatuor digitos dextræ manus amputauit: filios verò eius pædagogi accurrentes obiectu corporum suorum protexēre. Mox parricida à Ioanne Patocio, nobili iuuene, prostratus, concursu satellitum regiorū membratim dissectus est.

Crucigerorū cum Boemis altera in Poloniam expeditio.

Vissegradum & Naclum capta & incensa.

Radeouia incensa.

Racianzum captum.

De decimis Pomeraniēsis transactio.

Vuladislaus cū exercitu ingressus in Prussiam.

Deruanciæ fluuij traiectus.

Gruziadz.

Induciæ inter Polonos & Crucigeros.

Caroli Vngariæ regis periculum.

est. De causa sceleris variant authores. Nonnulli affectasse eum tyrannidē voluntːalij stuprum Claræ sorori suæ à Cazimiro reginæ fratre ipsa conscia & conciliatrice illatū, vlcisci eum voluisse memorant. Non ita multo pòst idem Carolus cùm Bazarado Transalpinensiū Valachorum palatino temerè bellum intulisset, ab eo per dolum profligatus, vix cum paucis effugit. Rebus cum Crucigeris constitutis, reduxit Vuladislaus exercitum, auxiliaq; dimisit. Illi porro liberati præsenti metu, minus iam pacem cupere: nec Boëmum ad arbitrandum de Pomerania, sicut conuenerat, adducere, cùm Carolus rogatu Vuladislai præsto esset. Paruo deinde momento, vt fit, ad renouandum in sequentem annum, qui

1331. ann. *Chencinēsia comitia. Chencini.* fuit 1331. bellū impulsi sunt. Comitia Vuladislaus rex æstatis initio apud Chencinos habuit. In ijs cùm alia nonnulla de republica salubriter de amplissimi consilij sentētia constituit, tum quòd graue sibi & periculosum bellum cum Crucigeris impendere non ignorabat, ætatem quę suam ingrauescentem, & vires labo ribus & aduersis reb⁹ attritas & afflictas considerabat, Cazimirum filium vnum & viginti annos natum maiori Poloniæ toti præfecit, vt fama nominis eius non tam facilè se Boëmi & Saxones commouerent: ad hæc vt tuto is esset, si quid aduersi sibi in Prussico bello accideret.

Cazimirus regis Vuladislai filius maioris Poloniæ præfectus.

Grauiter tulit Vincentius Samotulius siue Pomeranius (vtroque enim modo cognominatus est) palatinus Posnaniensis, gente Nalencius, præfecturam illā sibi ademptam esse, ignominiæ loco id ducens. Simul autem verebatur, ne priuatus, inuidia & odio populari cōflagraret, cùm non vsquequaq; inculpatè magistratum gessisset. Itaque ira & metu pessimis consultoribus vsus, clam ad Magistrum Crucigerorum Marieburgū profectus est: & causis aduētus sui expositis, molienti sua sponte bellū aduersus Polonos facilè persuasit, vt in maiorē Poloniā expeditas copias mitteret, quòd ibi non modò magna præda potiri, sed & munitiones plerasque, & Cazimirum regis filium sua suorumque opera facilè in potestatem possent redigere. Præfecti copijs Theodoricus Aldenburgius Marsalcus & Otto Luterbergius de sententia Vincētij omnia facere iussi sunt. Qui traiecta apud Toruniam Vistula profecti, parum abfuêre, quin Breste & Vuladislauiam ex improuiso caperēt, ni citato cursu armorumq; & vexillorū forma proditi, ab ipsis vsque portis cōcursu nostrorum cum ignominia, ducentis amissis, repulsi essent. Nec eis tunc vacabat oppugnationi oppidorum insistere, ad aliud longè maius facinus profectis: cuius peragēdi spem omnem in celeritate, nostrorumque securitate ponebant. Itaque magnis & occultis itineribus in maiorem Poloniam perueniūt: & capta primo impetu exustaque Slupcia Posnaniensis episcopi oppido, cōtinuato itinere Pysdros contendunt, in quo oppido Cazimirum esse didicerant: magnoque impetu adorti oppidum non munitum, facilè eo potiuntur. Sed euentus eorum spei non respondit. Paulo enim ante Cazimirus de aduentu hostium factus certior, cū paucis comitib⁹ oppido se eiecerat, & in proximam syluam receperat. Quamobrem irati Crucigeri, ac dolore amissæ prædæ, cuius caussa maximè venerant, incensi, omni crudelitate in oppidanos deseuierunt: direptumque oppidum cū templis, & sacris iuxta ac profanis rebus omnib⁹ exusserūt. Deinde viciniam omnem cis & trans Vartam ferro & igni depopulati sunt. Atque inde cū maxima prędа retro, vnde venerāt, abiêre. Probauit ea expeditione Vincentius fidem & operam suam Crucigeris. Itaque & tunc pro nauata opera muneratus est, & maioribus promissis oneratus, in maiore precio deinceps apud eos esse cœpit, sic vt eius arbitrio multa in eo bello gererētur. Cùm autem maior militum numerus ex interiore etiam Germania & Liuonia ad eos confluxisset, rursus eadem æstate vexare Poloniam, qua parte intacta adhuc eorū populationibus erat, statuunt: eò scilicet adacturi Polonos cladib⁹ domesticis, vt sibi ius omne in Pomerania, atq; aliquid etiam præterea lubentes concederēt, pacemq; redimerent. Profecti igitur composito & pacato agmine per Cuiauiam, quòd eam reuertentes suæ ditionis facere destinabant, in Lenciciēsem tractum insultum faciunt, arcem vi capiunt & incendunt, pagos & oppida crudeliter vastant. Deinde in Calisiensem oram iter flectunt: qua omni peruastata, oppido tamen potiti non sunt, non sine cæde inde reiecti. Vbi cùm quinque dies commorati, Ioannem Boemorum regem frustra expectassent, progresi longius populando, Gnesnam, Znenam, Naclum, Srodam, Pobedisca, Clecicum, Costrinum oppida, ac circumiacentes pagos diripuerunt, & exusserunt, ne templis quidem & monasterijs sacrisque rebus sacrilegas manus abstinentes. Reliquias tamen diui Adalberti cupidè quæ-

Vincentius Samotulius transfugit ad Crucigeros.

Crucigerorū expeditio in maiorem Poloniam.

Slupcia incensa.

Pysdri capti & incensi.

Cazimiri fuga.

Crucigeri in Poloniā rursum.

Lenciciensis arx capta & incensa.

Gnesnā, Znenā, Naclum, Sroda, Pobedisca, Clecicū, Costrinū oppida direpta & incensa.

dè quæsitas,sed occultatas à ministris tēpli,non inuenêre.Hagecus memorat,regem Boemorum hoc anno primùm in Langobardiam,mox aditis Gallijs, contra Austrios magnis Vngarorum & Polonorum auxilijs adiutos,prospero vbique successu expeditionem fecisse: inde Lucemburgum & in Gallias iterū profectum esse. Et quasi hoc parum esset, addit Ioannes Dubrauius tertiam quoque contra Fridericum Mysnensem expeditionem,inter duas superiores interiectā. Sed horū fides penes authores esto. Nos ad Crucigeros reuertamur. Qui deinde in Siradiensem tractum impetum fecerunt, & pari celeritate vniuersum percurrentes, ferro & igni cuncta vastarūt. Quo incēdio,Siradia, Vneouia, Vartha, Stauus, Shadecum oppida cum arcibus conflagrarunt.Nec matronarum & virginum,etiam Deo dicatarum,pudori vsquam parsum est. In direptione autem Siradiensis monasterij cùm præses sodalitatis, quem Priorē vulgò vocant, Hermannum Elbingensem commendatorē Elbingæ cognitum agnouisset,cædemq; innocētium hominum,qui eò cū facultatibus suis confugerant,atque direptionem monasterij sui supplex deprecaretur,Prūssico verbo, Neprest, quod est, non intelligo,ab eo reiect⁹ est. Quasi nō satis esset re ipsa barbarum esse,nisi & lingua id profiteretur. Ad Calissiam deinde expugnandam reuertêre: sed amissis nonnullis militibus,post paucos dies re infecta discesêre. Est enim permunitū id oppidū,non tam arte quidem, quàm situ & natura loci, nempe à Prosna flumine latius,vt in magna planicie,restagnāte ambitum.Hinc Coninense oppidum & territorium vastarūt.Porrò qui apud Nezamyslum lacum & Glussinū oppidū habitabant, equestres pariter & agrestes munito loco se cum vxorib⁹,liberis & familijs,cum gregibus & armentis & ceteris facultatibus suis continebant:ductaque fossa longa ad septem miliaria, & lacu in eam immisso,aditum ad se hostibus præcluserant.Qua re cognita Cruciğeri magnitudine pdæ allecti,tria millia equitum ad expugnandum locū mittunt.Quibus venientibus nostri cū paucis turmis à Rege ad huiusmodi casum submissis,ad aggerē intrepidè occurrūt: consertoque prælio, fusos & impeditos ingenti strage interficiūt,ita vt pauci admodum manus nostrorum lōgè agilioribus equis vtentium effugerent. Quin & alijs locis opportunis eos palantes, & liberius prædas agentes nostri excipiebant atque trucidabant. Neque enim lōgè Vuladislaus rex cum non cōtemnēndis suorum copijs aberat, sed nusquam certo loco figebat pedem, nec audebat prælio rem cōmittere,non ignarus,quā tum esset robur Germanicarum phalangum & cataphractorū equitum.Discruciabatur autem summopere, videns patriam charissimam tam immaniter vastari, flagrantes & fumantes circumquaque pagos & oppida,& innumerabilem penè hominum omnis generis atque ordinis multitudinem partim cæsam,partim captam.Augebat dolorē eius, quòd neque opē vllam rebus suis tam calamitosis afferre, neq; hostē vlcisci procliue sibi esse arbitrabatur.Cū igitur inops cōsilij,animū in omnes partes versasset, vna tandē via vtriusq; rei expediendę ipsi se ostendit:nimirū ,vt Vincentiū sibi reconciliaret, eiusq; proditione vel circūueniret hostes, vel consilia eorū perturbaret.Intelligebat enim, quantum in eo momenti Crucigeri ponerent. Itaq; secretò per internūcios eum hortatur, vt afflictæ ac penè perditæ patriæ misereatur,impunitatem admisi pollicens: Addit alia, quæ ad flectendum placandūq; eius animum valitura esse iudicabat. Nec malè ipsi consilium hoc cecidit. Subijt enim animum Vincentij patrati sceleris pœnitentia. Reputabat secum diligentius, quantam infamiæ sempiternæ notam nomini suo inustam ad posteros esset transmissurus. Itaque proditione proditionis memoriā obliterare, & recenti beneficio priorem iniuriam obscurare statuit: constitutoque tempore, nocte quadam per speciem exploratoris è castris Crucigerorum egressus, ad Regem venit, veniam supplex petijt, & impetrauit. Deinde eum ad conserendas cum hoste manus animat. Docet in tanta multitudine plurimam esse fœcē hominum inermium, & imbellium. Si nostri viri esse pergerent, & inopinantes impetum facerent,fore vt vel perturbatos opprimerent, vel certè fracta prima hostium acie,cæteri neque vim nostrorum sustinerent, & in fuga se inuicē impedirent. Sibi verò eas partes sumit, vt hostem ab omni suspicione prælij auersum fallat: ac deinde intētum in pugnam,à tergo cum suis adortus,noua reperturbet. His ita constitutis, in castra Crucigerorum reuertitur: nihil à Polonis periculi ipsis esse renunciat: Regem pauidum & conscium virium suarum non diutius exercitū tenere,aut lacessere eos statuisse. Quod vbi accepêre Crucigeri,

Siradiensis tractus vastatus.

Siradia, Vneouia, Vartha, Stauus & Shadecū arces & oppida incēsa.

Neprest.

Calißia defensa.

Calißiæ situs.

Coninum vastatum.

Crucigerorum strages apud Nezamyslum lacum.

Phalanx & cataphracti Germanorū

Vincentius Samotulius redit in gratiam cum Rege.

ciferi, sublata spe prælij, cùm satis iam debacchati in Polonia essent, & ingentē prædam vix traherent, ad hæc imbribus & frigoribus autumnalibus vrgerētur, reuerti in Prussiam incipiunt. Et quoniam præda grauioribus & impeditis lentiꝰ progredi necesse erat, Ottonem Brūsdorfiū commēdatorem magnum, & Russum Plauium cū expeditiori parte copiarum ad expugnandum Breste ex itinere præmittunt. Iam extremum agmen ad Bleuum siue Plouuce pagum prope Radeouiam peruenerat, vbi latè patens est planicies, ita vt opportunior is locus ad prælium esset nostris equitatu maximè valentibus, quàm hosti, cùm subitò illucescente die, ij qui extremas seruabant excubias in exercitu Crucigerorū, renunciant in castra, Polonorum exercitum adesse. Non creditum est narrantibus, Vincentio maximè sibi ea exploratiora esse affirmante, donec strepitus aduentantium, & hinnitus equorum exaudiri cœptus est. Nam conspectum dēsa nebula adimebat: & tamen non credebant nostros, quos penitus contempserant, rem vniuersæ dimicationi commissuros: sed abeuntium modò iter solitis adequitationibus & particularibꝰ certaminibus impedire conaturos. Vbi verò aciem ad dimicandum instructam cum signis adesse sensere, tunc demum tumultuari, & ad arma conclamare primores: perturbari re noua cætera multitudo, cùm vix armandi se spatium haberent, qui pridiana crapula & ebrietate grauati & sopiti, classico expergefacti erant, & semisomnes, quidnam rei esset alius alium percontarentur. Instructis tandem vtcunque primis ordinibus in aciem prodeunt: cathenisq; per baltheos primorum & antesignanorum immissis, ordines & phalangem colligant, ne perrumpi & perturbari ab equitibus nostris posset, Rex parumper impetum suorum inhibuit, donec nebula, quæ incerta omnia reddiderat, resideret: atque interim milites graui oratione ad pugnam incitauit: quæ huiusmobi fuisse fertur. Non vos latet, milites, cum quibus nobis hostibus res sit, nempe qui beneficiarij sunt maiorum nostrorum, acciti in hæc loca, & liberaliter inuitati, vt eis auxilio essent contra vicinos barbaros. Nunc ij ingrati & impij pro maximis beneficijs parricidialia arma in nos cōuertêre. Pomeraniā nobis surripuêre veriꝰ quàm eripuêre, itemq; Cuiauiā penè omnem, reliquæ etiā inhiant: neq; hoc satis illis est. Cernitis iam omnē fere Poloniā

Plouuce pagus clade Crucigerorum nobilis.

Vuladislai regis ad milites concio.

Crucigero-

crudeliter ab eis vastatam, populatos agros, incensos pagos, euersa oppida, aratores vestros ignominiosè necatos, parentes, coniuges, liberosque vestros dulcissimos vel cæsos, vel in fœdam & contumeliosam seruitutem abstractos: quorum quidē ploratus & eiulatus miserabiles exaudire potestis. Adsunt enim propè, & ꝓditi fidem vestram incusant: implorarent, si vos adesse intelligerent. Quid ego commemorem profanata ac direpta templa Dei opt. max. & monasteria? abreptas ab ipsis aris & adytis ad incesta stupra monachas? respersa sanguine innocentium hominum & sacerdotum, qui pro vestra salute & incolumitate huiꝰ regni sacra faciebant, veneranda Christi Iesu mysteria? Hæc vos pati potestis milites? tam ferrei estis, vt vos vestrarum coniugum, sororum, & filiarū ad stupra trucium Teuthonum asseruatarum nō misereatur? tā duri, vt nō paruorum liberorum & fratrum vestrorū misera conditione moueamini? quos Germani milites cauponibus, lanijs, coquijs & meretricibꝰ in intima Germania in perpetuā seruitutē addicēt. At sacra tā indignè & cōtumeliosè attrectata ferre nō debetis: acrius ac prōptius pro his semper maiores vestri, quàm pro liberis & coniugibus, nedum pro facultatibus suis dimicarunt. Quid verò? creditis consceleratos hostes malis nostris iā satiatos, modum vllum cupiditati & crudelitati suæ posituros esse? Non facient profectò, nisi vos sedibus vestris omnino propulerint, aut sanguinē vestrum prorsus exorbuerint, nomenq; extirparint. Nisi vos fugit gentis immanitas, humanis hostijs olim deos placare solitę. Sed ne ego virtuti vestrę diffidere videor, qui vos tam diligenter in hostē tam trucem incitare instituerim: quasi verò non per me steterit hactenus, ne cū eo manus consereretis. Fateor equidē, ad hanc vsque diem obstitisse me sedulò vobis prælium poscentibus, & vel hostium, vel si ita fors tulisset, vestro ipsorum sanguine patriæ flagrantis incendia restinguere cupientibus. Sed melioribus rebus & minori discrimini vos seruaui, milites. Neque enim semper aperto Marte bella gerenda esse existimo. Arte doloque vtendum, vbi impar sis viribus. Plurimum etiam momenti habent temporum & locorum opportunitas. Ita sæpe maximos hostium exercitꝰ à paucioribꝰ nostris fusos profligatosque reperiet, qui veterum reminisci volet. Nūc ita nobis instructa expeditaq; sunt

rum crudelitas & impietas.

Polonorum pietas.

[Et o dolor! dolis, insidiis, animosq; discordia in civitatem nostram inducta, id postremo effecerant.

Germani olim humanis hostijs deos placarunt.

ſunt omnia, vt diuina iuſtitia, quæ procul dubio fauebit iuſtiori cauſę, & veſtra virtute fretus, confidam in manib⁹ nos habere victoriam, daturosque nobis ilico perfidos & impios hoſtes condignas ſcelerũ & audaciæ ſuæ pœnas. Primùm enim certũ exploratumque habeo, multitudine eos nobis pręſtare, non viribus. Quanquam ne multitudine quidẽ iam ſuperant. Nuper enim florem ipſum & robur exercitus ſui ad ſubigendam reliquam Cuiauiam præmiſerunt. Fex fere imbellis cum captiuis, ſarcinis & impedimentis manſit. Neque par illis nobiſcum dimicatio eſt. Illi enim mercede conducti fere, & alienum bellum belligerantes, & multorum ſcelerum ſibi cõſcij, minus ſtudij minusque animorum ad prælium afferent. Vos pro ijs rebus, quæcunque homini ſunt chariſſimæ, & pro patria ipſa iuſta & pia arma ſumpſiſtis. Tum autem ſecuri hi dudum, & ſoluta omni diſciplina militari re noua & inexpectata conturbãtur. Auditis enim clamorem illum diſſonum & inæqualem, timoris argumẽtum. Aſpicitis curſitationem trepidationemque ad ſigna concurrentium, imo verius fugam circumſpectantiũ. Poſtremò ita nobis con ſtitutum eſt, vt eos in pugnam intentos, ſi modò primum veſtrum impetum ſuſtinebũt, alius & inopinatus hoſtis à tergo inuadat. Vincentius is eſt palatinus quondam Poſnanienſis, cuius ope & cõſilio in primis nituntur. Is namq; iuſtas iras veſtras hoſtium capitib⁹ placare, & nouis meritis priorem infamiam delere decreuit. Agite ergo milites, impigri & alacres, pugnam capeſſite, totque millia captiuorum fratrum, liberûm, coniugum, & aratorum etiam veſtrorũ vindicate: cæſos vlciſcimini, fumantesque adhuc pagos & vicos veſtros inuiſo cruore reſpergite, imperium & libertatem veſtram defendite: quæ vtraque in diſcrimen veniunt, ſi quid fortè, quod omen Deus auertat, titubaueritis. Deniq; Deum piorum adiutorem, & ſcelerum atque flagitiorum, contaminatorumq; ſacrorum ſuorum & religionis ſacroſanctæ vltorẽ inuocate. Hæc elocutus, vbi alacres & incitatis animis pugnam poſcentes aſpexit, & iam nebula reſidere cœperat, canere ſigna iuſſit. Prima de quinque acies aulicorum, quæ erat firmiſſima, magno impetu & infeſtis animis in hoſtes inuehitur. Excipiunt illi qui contra conſtiterant non impigrè. Deinde cæteræ acies concurrunt præter ſubſidiarias. Pugnãtur vtrinque ſumma contentione, neque quiſquam pedẽ referebat. Adeſt omnibus locis Vuladiſlaus ſuos animans, & feſſis integros ſub mittens: ipſe indefeſſus, quamuis effœto & ſenili corpore. Ferueſcẽte autem prælio cùm Vincentius adhuc nuſquam appareret, ſubuereri iam rex cœperat, ne quem is dolum necteret. Circumſpiciebant & milites, memores promiſſorum regis: cùm ille à tergo hoſtium, ſublato clamore cũ ſuis impetum in extremos auerſos, quemadmodum cõuenerat, fecit. Ibi verò turbari illi re noua perculſi, primi quoque exaudito poſt ſe clamore ac tumultu reſpicere, & ſciſcitari inter ſe, quidnam id eſſet. Inſtant noſtri acri⁹ reſpectãtibus & remiſſius pugnantibus. Nec mora cæſis ducibus, totas acies anci piti prælio perterrefactas conuertunt. Fit longè maior fugientium ſtrages, quã quæ dudum pugnantium fuerat. Adeò nanq; dolori iracundiæq; Poloni indulgebant, vt neminem viuum ſeruarent. Et iam plena victoria potiti eſſe videbãtur, cùm ecce longo interuallo, vtpote diſcuſſis iam prorſus nebulis, nouas copias hoſtium effuſo curſu aduenire aſpiciunt. Erant autem ij, quos ad Breſte capiendum præmiſſos eſſe diximus: qui certiores facti de noſtrorum aduentu, ſuppetias ſuis veniebant. Ibi Vuladiſla⁹ captiuis aliquot nobilioribus cum præſidio retro amandatis, & paucis cohortatus milites, ne labori ſuccumberẽt, neu ſibi partam victoriã eripi ſinerent, mox in venientes impetum facit, ne quod eis clade ſuorum conterritis, & fugientium multitudine inter ordines ſeſe immiſcẽte perturbatis, colligẽdi ſeſe ſpatium daret. Nec par ſuperiori prælium illud fuit. Non enim vim noſtrorum recenti victoria ferocium hoſtes ſuſtinuêre. Itaq; paruo negocio vertũtur in fugam. Nec tamen multi euadere potuêre, graui armatura & longo curſu defatigatis equis pariter & militibus, alioqui etiam laboris impatientibus. Cæſa feruntur his duobus prælijs hoſtium viginti millia. Tametſi Dlugoſſus ſupra quadraginta milia refert. De noſtris quingenti, vel, vt apud alios reperio, triginta tantùm de ꝓmiſcua multitudine, ac duodecim de nobilioribus cecidêre. Inter quos inſignes fuêre ſigniferi duo, Zegota Morauicius Cracouienſis & Criſtinus Oſtrouius Prendotæ caſtellani Cracouienſis filius, Sendomirienſis: & Iacobus Suinſcius, vel, vt alij habent, Shumſcius caſtellanus Zarnouienſis. Dies quo hæc geſta ſunt, fuit 27. Septembris, qui tranſlatis diui

Aulicorum acies.

Vincentij Samotulij proditio.

Crucigeri vincuntur.

Pugna instauratur.

Victoria geminata.

Strages Teuthonum.

ui Stanislai ossib⁹ fest⁹ est apud Polonos. Et quoniam ferè ad vesperū pugnatum erat, reliquum diei illius, & nox sequens curandis & reficiendis corporibus data est. Postero die cæsorum, quem dixi, numerus recognitus, & spolia lecta sunt. Vbi rex obequitans, fortè cōspicatus est vnum de suis, hominem equestris ordinis multis vulneribus debilitatum, resupinato corpore iacentem, & ilia per vulnus effluentia manibus cohibentē: conuersusque ad comites, Quàm magnus hic est, inquit, huius viri cruciatus.

Vicinus malus. » Respondit ille: Maiorem esse eius, qui in eodem pago malum vicinum habeat, qualem ipse expertus sit. Rex contra, Bono, inquit, animo es. Istoc ego te malo liberabo, si vixeris. Et sublatus curatusque, totum pagum amoto malo vicino regia munificentia adeptus est: insuper præclarum virtutis testimonium consecutus, ad posteros trāsmisit, vt stemma eius familiæ, quæ tres hastæ in modum stellæ transuersæ sunt, Ielitorum, hoc est, ilium nomine appelletur, cùm prius Kozleroghi ab Hirci cornibus diceretur. Fuit autem is Florianus cognomento Shari. Vincentius palatinus ob nauatam bene operam, non modò impunitate donatus, verùm etiam abrogata infamia pristino honori restitut⁹ est. Sed non impune ei cessit hostes in patriam induxisse. Insequenti enim anno cōspiratione nonnullorum equitū, quos ira & dolor amissarum rerum charissimarum in eum stimulabat, interfectus est. Statuerat Vuladislaus cursum illius victoriæ mox prosequi, sed eum Boemi cū Silesijs ab ea cogitatione auerterunt. Qui cùm primùm cladis sociorum nuncium acceperūt, rati Vuladislaum post victoriam illam in Pomeraniam, & in Crucigerorum ditionem ducturum esse exercitum, cū subitarijs copijs in maiorem Poloniam fecerūt insultum, Posnaniamque obsidere cœperunt, vt auerso rege Crucigeri respirare posset. Quod cùm accepisset Vuladislaus, mutato cōsilio, ad propulsandū nouū bellū cum vniuerso exercitu contendit. Nec tamen hostē adeptus est. Nā is cognito Vuladislai aduentu, in Silesiam præproperè se recepit. Nec eū tunc Vuladisla⁹ persecut⁹ est, ꝙ & hyems iā instabat, & quies dāda erat militib⁹, vt vires in sequentē æstatē refocillarent. Ferunt quidā, è Boemis & Silesijs apud Posnaniam cecidisse supra septingentos, præter fossores, qui in cuniculis opus faciebant. Aliquanto aliter narrat hæc Ioannes Dubrauius, & quidē

Ielitorum familia.

Kozleroghi.

Vincētius Samotulius pristino honori restitutus.

Vincentij Samotulij cædes.

Boemorū expeditio in Poloniam.

Boemi repulsi.

Ioannes Dubrauius.

nullo, quod sciam, authore. Nempe Ioannem regem à Prussis euocatum in Pomeraniam primùm duxisse exercitū, vt ea quæ Polonus ibi interceperat, Magistro restitueret. Quo facto, ad populandam Poloniam cū Prussis eū contendisse, vt vlcisceretur incōmoda à Polonis circum Opauiam vastatis agris nuper data. Peruastatis autem impunè circum Posnaniā agris, cùm nemo ipsi occurreret, Cracouiam obsedisse. (quasi non lōgius ea absit à Posnania, quàm Olomucia à Cremesirio, vel Vyscouia, cùm tamen absit ferè sexaginta milliaribus Polonicis.) Et q̄uis fame premeretur exercitus eius, non prius tamen discessisse ab obsidione, quàm rex Polon⁹ quadraginta millibus nummûm aureorum inducias ab eo redemit. Sic Dubraui⁹. Quę quàm sint verisimilia, cuiuis facile est iudicare. Tentata est deinde pax inter Vuladislaū & Crucigeros, Carolo & Ioāne arbitris. Quæ tamen non conuenit, Crucigeris Pomeraniam non reddentibus. Et paucis pòst diebus ij cùm è Germania nouis copijs aucti essent, Cuiauiam quatuordecim diebus ad finem Nouembris populabundi infestarūt. Nec multo pòst initio noui anni, nihil morati asperitatē hyemis, iterùm, sed maiore apparatu, in eandem Cuiauiam ingressi, Breste oppidum obsederunt, rati fame se oppidanos ad deditionem compulsuros. Sed cùm frustra tres menses in obsidione insumpsissent, ea die, qua vniuersus Christianus orbis salutarem Christi Iesu mortē anniuersario ritu recolit, quæ Parasceue dicitur, summa vi oppidum oppugnāt. Nec segnius nostri defendūt: verùm quatriduano labore defatigati, tandem quinto die oppidū dedunt. Alij septimo obsidionis die deditum id esse memorant, cùm die cœnæ Domini hostes id obsidere cepissent. Crucigeri imposito ibi præsidio, ad Inouuladislauiam castra mouerunt, eamque mox dedentib⁹ oppidanis acceptam, itidē præsidio munierunt. Progressi vlteri⁹, Gneuucouiam arcem oppugnāt. Erat in ea Cazimirus dux, Vuladislai fratris filius. Is igitur pactus cum hoste, vt sibi suisque res suas asportare liceret, ipse inspectantibus & permittentibus Crucigeris, arcē incendit. Et cum miserabili illo suo Cuiauiensis nobilitatis comitatu ad Vuladislaum regem profect⁹ est. Ignobiliora deinde oppida seu vicos Crucigeri facilè in potestatē suā redegêre. Pacossum arcem Albertus Coscelecius palatinus Brestēsis egregiè tutatus est, & nō paruis incom-

Crucigeri Cuiauiam populati.

Breste obsessum & deditum.

incommodis hostes affecit. Vt autem Cuiauiæ ac Dobrinensis oræ possessionem sibi stabilirent Crucigeri, demoliti Breste vetus, munitiore id loco condiderunt,& arces quasdam in eo tractu cocto latere munierunt. Nam Vuladislaus maturas segetes,& Vngarorum auxilia expectauit. Quæ cùm conuenisset, per Masouiam in Culmensem tractum infestum duxit exercitum. Et hostibus prælij superioris euentu pauidis,& pugnam detrectantibus, vastare eorum regionem longè lateque cœpit. Excitus autem quoquouersus collucentibus pagorùm & vicorum suorum incendijs cædibusque agrestium Lutherus magister, decernere prælio cum rege cupiebat: verum Commẽdatores temeritatem eius reprehenderunt. Itaque meliore consilio vsus, caduceatorem ad regem misit, & cùm æquas pacis conditiones acceptu rum se esse reciperet, facilè à credulo rege annuas inducias impetrauit. Quibus constitutis rex, ne nihil tantis copijs sumptibusq; dignum egisse videretur, vtque Silesios, qui superiore anno Poloniæ arma intentarant, vlcisceretur, in Silesiam copias duxit. Ac nemine pugnandi copiam faciente quinquaginta & amplius munitiones hostium cæpit, & incendit. Costenum, quod oppidum cũ arce inter stagna & paludes sitũ, valido hostium præsidio tenebatur, obsidione cinxit. Irridebant obsidionem nostrorũ ij, qui erant in præsidio, fisi virib⁹ suis, & situ arcis. Itaque motus hac indignitate Cazimirus regis filius (aderat enim cũ exercitu) audacius cum ea manu, quam circum se habebat, ad mœnia progress⁹, vi expugnare munitionem adortus est. Quod cõspicatus reliquus exercitus, ducem secutus, non prius oppugnare arcem destitit, quàm ea per vim potit⁹ est. Quo facto mox oppidani sese dedidêre. Sæuitum est autem in præsidiarios atroci⁹, quòd non pauci de nostris in expugnatione ceciderant. Atque ex eo tempore Costenum rursus in potestate est Polonorum. Extremum id operum Vuladislai regis fuit. Reuersus enim ab eo bello Cracouiam, donatisque ac dimissis auxiliarijs, languere cœpit. Ac sensim inualescente morbo, vbi imminere mortem sibi sensit, ritu Christiano sacris Christi mysterijs participauit: deinde admonitus à proximis, Cazimirum filium proceribus assidentibus languida voce commendauit,& vt eum post se regem crearent, rogauit. Ipsum verò ad colendam iustitiam & clementiam in suos,& ad persequendos bello ingratos Crucigeros, recuperandaq; ea, quæ illi à regno suo abstraxerant, adhortatus est. Post hæc ad sextum Idus Martias anno Christi 1333. inter suorum lamentãtium man⁹ animã exhalauit,& in basilica Cracouiensi ad læuam aræ maximæ sepultus est. Cuius extat adhuc monumentũ. Fertur corpus eius pluribus post mortẽ diebus insepultum, dum solennes exequię parantur, nihil putredinis aut tetri odoris contraxisse. Regnauit autẽ ab eo tẽpore, quo diademate cinctus est, annis 13.& paulo ampli⁹: princeps singulari patientia & mansuetudine animi præstãs, & adeuntibus perfacilis: statura perbreui: cæterùm manu promptus: virtute verò tanta,& animi magnitudine vsq; ad decrepitam ętatem varia fortuna exercita, vt cùm maximis regibus rectè cõparari possit. Ac eo quidẽ magis, quo turbulentius & mutilatius regnum accepit.

Poloni Culmensem tractum infestant.

Induciæ annuæ inter Polonos & Crucigeros.

Polonorum expeditio in Silesiam.

Costenum captum.

1333. ann. Vuladisl. L. èticimors.

Vuladislai virtutes.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER DVODECIMVS.

CAZIMIRVS SECVNDVS, COGNOMENto magnus, Rex.



IVSTIS funebribus Vuladislao ritè peractis, habita sunt comitia Cracouiæ de creando nouo rege. Introducti legati Caroli regis Vngarorum, petierũt vt Cazimiro regnum post patrem mandaretur, auxilia ipsi cõtra quemuis hostem pollicentes. Et facilè ij quod postulabant impetrarũt, cùm absq; eo omnium procerum pariter & equitum voluntates eòdem inclinarẽt. De vxore noui regis scrupulus iniectus est. Negabat enim Heduigis Cazimiri mater, se regina superstite eã coronari debere. Tamen exorata à filio cessit: atq; vt iniectum scrupulum prorsus demeret,

Comitia Cracouiæ.

Vngari oratores.

Heduigis regina in monasterium se cessit.

ret,Sandeciam antiquam secedens, diui Francisci institutum vitæ professa est. Itaque Cazimirus vnà cum Anna vxore xxv.die Aprilis in basilica Cracouiensi ab Ianislao Archiepiscopo solenni ritu inunctus diadema accepit.Dat⁹ est autem ei iuuenilium consiliorum moderator Iascus,siue Ioannes Melstinius,castellanus Cracouiensis, vir grauis & prudens,& amans reipubl.Et quoniam videbat Cazimirus omnem penè Poloniã Crucigerorum armis,atq; domesticis latrocinijs, quæ patre regnante impunitate increbuerãt,attritam, domesticis malis priusq̃ externis manus admouit. Et cum Crucigeris quidẽ inducias fecit,per quas perpetua pax supra memoratis Vngarorũ & Boemorum regib⁹ arbitris cõponeretur.Adiectum in pactis,vt magister Crucigerorum Breste oppidum Ziemouito duci Masouiorum Cirnẽsium, aut Matthiæ Vuladislauiensi episcopo tenendum concederet, qui id pace firmata Cazimiro traderent:sin min⁹ coisset pax,magistro redderẽt. Verùm in eo magister fidem non seruauit. Nihilo tamen minus mansêre induciæ:quib⁹ durantibus,diligenter vbiq; prędones & infestatores publicarum viarum perquisiti,exquisitisq; supplicijs affecti sunt. Neque quicq̃ præterea memorabile eo & sequẽti anno in Polonia gestum est, nisi ꝙ xxiij.die Aprilis intra annum à coronatione regis ingens nix decidit,quæ cũ quinq; dies durasset,ꝑter omnium expectationẽ,eximiam fertilitatem agris attulit.Insequenti verò anno, qui fuit 1335. tãta vis locustarum peruagata est, vt volantes solis aspectum hominibus adimerent:humi verò stratæ equorum vngulas altitudine superarent:q̃ depastæ maturescentes segetes, angustiorem annonã fecêre.Nouemb.demum mense eiusdem anni pax inter Cazimirum & Crucigeros arbitrio Caroli & Ioãnis regum Vissegradi in Vngaria facta est, iniquior Cazimiro, ꝙ Ioannes homo callid⁹ atq; disertus satagens ꝓ Crucigeris Carolũ in suã sententiã adduxisset,aduocati magis q̃ arbitri funct⁹ officio:id quòd deprehẽdere est ex eius ipsius literis ad Theodoricum magistrum scriptis.Accepit tamen eam pacem Cazimirus,plus quàm dignum erat quietis & ocij cupidus.Fuit autẽ in cõditionib⁹, vt Crucigeri Pomeraniam cõcedente rege retinerent, atq; etiã Nessouiẽsem arcẽ in Cuiauia supra Vistulam,nẽpe vt vtranq; ripam & naulum in potestate sua haberent,eodẽ iure quo Culmensẽ atq; Torunensem tractũ olim à maioribus Cazimiri accepissent. Dobrinensem verò & Cuiauiã,ne ea quidem portione exclũsa,q̃ ad Cazimirum ducẽ,Ziemouiti filiũ ꝑtinebat,regi redderent, ac decẽ millia florenorum pro dãnis datis annumerarẽt.Etsi in decreto nulla fit mẽtio ei⁹ pecuniæ:sed ex diplomate pontificio,quo cognitio cõtrouersiarum inter regem & magistrum certis iudicibus postea , cùm nõ starent pactis Crucigeri,delegata est,apparet,id quoq; conuenisse.Profugis autem vtriusq; partis,vt liceret ad possessiones derelictas reuerti,vel vẽdere eas arbitratu suo.Dubrauius cum Hageco memorãt,inter ipsos quoque reges Polonum & Boemũ Vngari arbitrio tunc pacta conuenisse, vt Polonus Boemo ius omne in Silesia concederet:Boemus verò ne regis Polonorũ appellationẽ deinceps vsurparet, ac ius tributi à Polono rege exigendi vt remitteret,acceptis à Carolo quingẽtis libris auri puri puti.Ac de his quidẽ cõditionib⁹ cõsentiunt:de illa verò dissentiunt,ꝙ Dubraui⁹ illud quoque conuenisse scribit,vt Polonus Boemo pecuniã debitam(pro redempta pace,opinor)exolueret:Hagecus contra, viginti millia marcarum Polono à Boemo numerata vult esse,ne quid iuris in Vuratislauiensi ditione, & in omni Silesia & Oppoliẽsi sibi vendicaret.Addit idem,societatem tunc ab omnibus tribus regibus contra Ludouicum Cęsarem initam esse:ꝙ Dubrauius prætermisit: vultq; idem,& quidem solus,hæc omnia viuente & pręsente Loctico confecta esse . Aliquid horum tunc actum est , mortuo quidem Loctico : cæterùm tributum illud, cuius & Bonfinius facit mentionem, vnde aut quando Boemo natum sit in Polonia, non possunt ostendere isti, si vltima cum primis aptè & conuenienter volũt contexere.Prospectum est etiam tunc, quid fieri oporteret aduers⁹ turbatores pacis;permissumque, si quid eiusmodi suboriretur, ne haberent necesse,præsto esse suo vtrique regi, qui pacẽ turbaret. Sponsalia quoq; pacta interuenerunt inter reges.Cazimirus enim despondit Elizabetham filiam Ioanni Henrici Bauariæ ducis filio ,Ioannis regis,nepoti,impuberi impuberem, cum dote quinque millium sexagenarum Pragensiũ. Quibus Boemus septem millia & quingentas de suo addebat.Sed hæc per legatos acta esse videntur in Boemia : nec diu rata fuerunt.Soluto conuentu , nõ tamen reddebant ex decreto & pacto Cuiauiam Dobrinumque Crucigeri Cazimiro, quamuis approbasset is sententiam regum ex compromisso latam , nisi etiã diser-

Cazimirus cum vxore coronatur.

Ioãnes Melstinius moderator regis.

Induciæ cũ Crucigeris.

Nix sub finẽ Aprilis.

1335. ann.

Locustæ.

Cazimirus rex in Vngariam profectus.

Pax inter Polonos & Crucigeros.

Pacta inter Boemum & Polonum reges conuẽta.

Boemicorũ scriptorum dissensio.

Crucigeri pactis conuentis cũ Polono non steterunt.

disertè vnà cum senatu,nobilitate, & ciuitatibus, diplomatis & iureiurādo dato Pomerania,Culmensi,& Michalouiensi tractibus à se & posteris suis prorsus abdicaret.Quod cùm ille ad senatum & comitia retulisset, omnibus indigna res visa, post tam iniquum arbitrium nouas etiam durioresq; pacis leges ab hoste perinde atq; victore sibi ferri.Itaque bellum malle,quàm tam iniquam & ignominiosam pacem. Cùm autem de ratione belli gerendi consultaretur, placuit non inferre id quidem: sed si inferatur,propulsare: atque ad Pontificē maximum primo quoque tēpore de vi & iniurijs Crucigerorum,propter religionem ad eius iurisdictionem pertinentium,referre.Legatus ad eam rem curandam missus Ioannes Grotus Slupecius episcopus Cracouiensis, qui nequicquā inficientibus negotium aduersarijs,magna cura ac diligentia tandem perfecit apud Benedictum eius nominis duodecimum pontificem maximum, vt is Galardum Titulensem præpositū, & Petrū Geruasium Aniciensem canonicum legatos & iudices ea de re in Poloniam & Prussiam mitteret:qui Polono regi Cuiauiā ac Dobrinū reddi,& decem millia florenorū adiudicata numerari à Crucigeris curarent:de cæteris verò controuersijs cognoscerent.Crucigeri verò, vt prætextum aliquem iniuriæ, & neq; arbitrorum decreto,neq; Pontificis mandatis parendi haberēt, perfecerūt apud Ludouicū Cæsarē,cui tunc neq; cum regibꝰ,neq; cum Pōtifice cōueniebat, vt is Magistro Theodorico Aldēburgio & vniuerso ordini grauissima pęna adiecta interdiceret,ne cuiusq; præcepto quicq̄ de ijs terris,quas ab imperio haberēt,cui quā concedant,néue apud vllos iudices de ijs disceptent,ꝓter assensum suū. Cùm autē iudices à Pōtifice delegati Varsauię cognoscendæ causæ aliquādiu operā dedissēt,refutata friuola detrectatione & ꝓuocatione Crucigerorum, anno Christi nati 1336.adiudicarūt Cazimiro & Polonis Pomeraniā,Cuiauiā, Dobrinensē, Culmensem & Michalouiensem ditionē.Crucigeros autē ad centū nonaginta quatuor millia & 500.marcas Polonicas pro damnis datis,itemq; ad mille sexcētas marcas,impensarū nomine condemnarunt:ad hæc vt ij tēpla & monasteria in Polonia superiore bello direpta & exusta instaurarent,cumq; iudicata nō facerēt,anathemate deuoti sunt, & sacris interdictum omnibꝰ locis,quæ in ditione eorum essent,& ad quæ quispiā eorum peruenisset.Interim annis aliquot quietæ res fuerunt in Polonia, nisi quòd Lituani crebris excursionibus Masouiam, quamuis affinitate ducum sibi coniunctam depopulati sunt. Tametsi non omnes illę excursiones prosperè eis ceciderūt.Nam anno 1337. cùm direptis Cechanouia & Poltouia oppidis cū copiosa ꝑda incomposito agmine, vt solent, reuerterentur,ingruentibus ex inopinato Masouijs,cùm trepidi mutuò se in traiectu Naruæ fluuij impellerent & impedirent,plurimos de suis partim cæsos,partim impetu & altitudine fluminis absorptos,& prædam omnem amisêre. Nec cōtra Crucigeros quidem satis prospera fortuna tunc vsi sunt. Libet autem insigne quoddam facinꝰ eorum commemorare.Cùm Crucigeri Germanorum quorūdam principum auxilijs adiuti agros eorum infestarent,& arcem Pullen obsedissent, barbari qui erant in præsidio, desperatione retinendæ arcis inducti, pyram in medio accenderunt,& facultates,liberos, & vxores suas, ac seipsos ad extremum in eam coniecerunt, ne viui in potestatem hostium venirent. Quid interim Cazimirus rex egerit, non constat: credibile tamen est, eum studia pacis,ad quæ factus erat, coluisse: arces & oppida muniuisse: leges partim nouas condidisse,partim veteres correxisse,iudiciorum rationem emendasse. Huius enim regis ea sunt maximè opera in Polonia:quæ certè vno & altero anno perfecta non sunt. sed hæc pluribus persequemur inferius. Vnum quidem nunc est commemorādum, quod propriè huius tēporis est:quod is cū nullos ex Anna vxore liberos susciperet, præter vnā filiam, successorem sibi in regno designauit,indictis ad eam rem comitijs Cracouiā ad viij.diē Maij anno Christi millesimo trecētesimo trigesimo nono.Vbi re in cōsultationē senatus posita, quamuis alij Ziemouitū, alij Ianusium duces Masouiorum, alij verò Vuladislaū Opoliensem mallent, quòd omnes hi è vetusta regum Poloniæ prosapia oriundi essent, peruicit tamen Cazimirus, vt omnium sentētiæ in Carolū regem Vngarorū sororis suæ virum, & filios eius inclinarent, refutatis aliorū, qui dissentirent, sententijs : quod diceret, Silesios quidē defectione ad Boemos, indignos sese eo honore reddidisse: è Masouijs autem nihil dignitatis & amplitudinis regno accessurum esse,cùm ij stipendiarij, socij & vasalli,vt vulgari verbo vtamur, Polonorū sint. In neutris verò satis fore viriū & ꝑsidij cōtra hostes. Porrò Caroli filios Ludouicū & Stephanū ꝑclarę indo

lis

Legatus Cazimiri regis ad Pontif.

Delegati Papæ de controuersijs Polonorum cum Crucigeris.

Ludou. Cæsaris interdictum.

1336. ann.

Decretū contra Crucigeros.

Crucigeri anathemate deuoti.

Lituani Masouiam vastarunt.

1337. ann.

Lituani Cechanouiā et Poltouiā diripuère.

Narua fl.

Lituani fusi.

Lituanorum facinus forte.

Cazimiri regis studia.

1339. ann.

Cazim. successorem sibi designauit regem Vngariæ.

lis iuuenes matre Polona ortos, ac tanti regis filios, amplificaturos esse regni maiestatem:nec eis defuturas esse Vngarorum opes, siue ad defendendos, siue ad proferendos fines Poloniæ. Re confecta ex animi sententia, conuentuque dimisso, mox Vissegradum in Vngariã adCarolum se contulit Cazimirus cum splendido procerum & equitum comitatu.Ibi fœdera inter vicinosduos populos renouata & confirmata sunt, & pacta cum rege & regijs filijs de sentẽtia totius cõuentus Polonici inita. Eodem autem anno Cazimirus vxorem Annam amisit,mulierem lusibus & choreis supra modum deditã, & musicos, qui voce, flatu,& pulsu canendo eam oblectarent,quócunq; iter faciebat, circumducere secum solitam. Sequentem annum Russia meridionalis subactã, &in ꝑuinciæ formam redacta insignem facit. Fuerat ea quidem olim in ditione regum & principũ Polonorum, quemadmodum superiorib⁹ libris exposuimus,Boleslaorũ maximè armis subiugata:sed cũ suos tamẽ duces indulgentia nostrorum haberet,pedetentim deinde iugum excussit eo potissimùm tempore, quo Poloni ca respub.multis dominatib⁹ discerpta, mox etiã ciuilib⁹ atque adeò parricidialib⁹ bellis concussa ac euersa propemodum, neq; spacium,neq; vires ad coercẽdos rebelles Russos habuit.Ad extremũ paulò antè hæc tempora, in quibus nũc versamur,cùm mascula progenies Danielis regis liberorũ, quorũ summa erat inRussis authoritas&potẽtia,defecisset, Lubartus Gedemini Lituanorum ducis fili⁹,cùm Vuladimiriensium ducis filiã vxorem duxisset,omni eo tractuRussię, q̃ Lituanis finitimus est, Russis ducib⁹, quorũ ꝑpter multitudinem atq; discordias extenuatæ erant vires,vel deuictis, vel in deditionem acceptis potitus est. Nam cætera Russia, quæ ab Halicia & Leopoli in Poloniam vergit, in Boleslai, qui Troideni Cirnensium Masouiorum ducis filius fuit , ditionem cõcessit, quòd ei Maria Russa matre de genere ducum Russorum edito,legitima secũdum auunculos succesio deberi videretur. Nec tamen hic dominatus diuturnus ei mansit. Offensi enim Russi intemperantia eius,& sororum,vxorum,filiarumque suarum stupris, siue grauioribus exactionibus, siue ob magistratus externis mandatos, seu denique propter diuersitatem religionis siue rituum, veneno eum demedio sustulêre. Quod vbi accepit Cazimirus rex, ratus venisse tempus,quo Russiam maiorum

Cazimirus in Vngariã profectus.
Fœdera inter Vngaros & Polonos.
Anna regina musicis et lusibus dedita.
Russia Australis quandoq̃ Polonis defecit.
Russia à Lituanis occupata.
Bolesl. Masouius dux Russorum.
Boleslaus veneno extinctus.
Cazimiri in

suorum negligentia amissam , facilè in potestatem suam posset redigere,subitario exercitu de aulico suo procerũque suorum comitatu coadunato stipatus, mense Aprili magnis itineribus in Russiam contendit: Leopolim caput gentis circunsidit.Nec longum tempus intercessit, cùm sese arcemque superiorẽ & inferiorem, atque oppidum Russi dedidêre,illud vnũ pacti, vt retinere sibi veteres religionis ritus liceret. Ingens vis auri & argenti , gemmarum, preciosarũ vestium, & reliquæ supellectilis, vetusta Russorum ducũ gaza,in ijs arcibus reperta est:in qua insignes erant duę cruces aureæ, plurimis & preciosis gemmis distinctæ:quarũ altera portionem ligni, in quo Christ⁹ Iesus pepẽdit, inclusã habuit:quæ extat etiamnũ in basilica Cracouiensi:itemq; duo diademata cum sella,& veste auro gemmisq; rigente. Quã gazã Cazimirus reuertẽs in Poloniã secum asportauit, & arces ipsas, vtpote ligneas concremauit,ne earũ fiducia Russi rebellarent, cùm ipsi distrahere in præsidia earũ copias suas exiguas nõ satis tutum sibi esse existimaret. Tantisꝑ autem cõmoratus Cracouiæ,dum ex omni Polonia indicta expeditione vniuersali, copiæ ad certũ locũ conueniũt, rurs⁹ cũ ijs copijs ad subigendã reliq̃ Russiam reuertitur instante iã messe, nulloq; negocio Premislia,Sanoco,Halicia,Trebouulia, Lubaciouia,Tustano, cæterisque omnibus eius oræ munitionibus potitur, ita vt ad Cremeneciã vsque arma circumferret.Quam tamen ex pacto cum Iaunuto,Keistuto,& Lubarto Lituanis ducibus Gedimini filijs,eiusdemque nepotibus duobus Georgijs Narimũdi & Coriathi filijs inito penes Narimundi filiũ ad tẽpus sequestratã esse passus est. Vuladimiriensem verò, Luscensem,Belsens. Chelmensem, & Brestensem dominatus ad biẽnium intactos eis reliquit. Cauebat enim, ne sibi ad cætera stabiliẽda impedimento esset.Hoc autem pactum paulò pòst, Iauunuto summo principe & natu maximo inter filios Gedimini ab Olgerdo &Keistuto fratrib⁹ capto ac de principatu deiecto, Olgerd⁹ idẽ,cùm ipsi successisset,renouauit.Extat eius exemplum in archiuo regio Cracouiensi: in quo enumerãtur arces, quas Lubart⁹ in Volynia,quasue Keistutus in Polessę si tractu retinebant:additur etiã, qđ rex & Lubartus mutuam sibi opem ferre debebant.Si quid autem controuersiæ inter ipsos exoriretur, vt ea regis Vngari arbitrio decideretur.His ita gestis rex cõuentu Russorum habito, in formã ꝑuin-

Russiam expeditio.
Leopolis Cazimiro dedita et incẽsa.
Thesaurus Leopoli inuentus.
Russia à Polonis subacta.
Cazim fœdus cum Lituanis ducibus.
Russia Lituanicæ d itionis.
Olgerdus princeps Lituaniæ.

ciæ Rusſiam à ſe ſubactam redegit:Pala
tinos,caſtellanos, præfectos, iudices, &
alios magiſtratus Polonorum more in-
ſtituit,Ruſſosq́; eodem cum Polonis iu-
re eſſe iuſſit. Neque deinceps cõſilio pu-
blico ea pars Ruſſię à Polonis deſciuit.

Ruſsi exæquati cũ Polonis iure & prærogatiuis.

Cæterùm Lituani rurſus duce Keiſtuto
Maſouiam depopulati ſunt.Per hoc tẽ-
pus Ianislaus archiepiſcopus Gneſnen-
ſis extrema ſenectute defunctus ſucceſ-
ſorem accepit Iaroslaum Scotnicium,
gente Bogorium. Nankerus quoq; Vu-
ratislauienſis epiſcopus religioſiſsimus,
& cǫntinentiſsimæ vitæ veneno, vt cre-
ditum eſt,extinctus,Pręదislaum Pogore
lecium gente Crimalium, Bononiæ tũc
ſtudijs doctrinæ vacantem, ſucceſſorem
accepit.Qui cum Ioanne Boemorũ rege
de iniurijs eccleſiæ Vuratislauienſis põ-
tifice maximo arbitro tranſegit. Cumq́;
Grotcouiã arcem & oppidum à Boleſ-
lao Bregenſium duce emiſſet,& eccleſiæ
Vuratislauiẽſi adiũxiſſet, eiꝰ nomine in
fide & clientela regis Boemi ſe vnà cũ ſa
cro eiuſdem eccleſię collegio eſſe foreq́;
ſemper, profeſſus eſt. Cætera eius eccle-
ſiæ libera manſerũt .Idẽ autem epiſcopꝰ
Vuratislauienſem ſenatum nudis pedi-
bꝰ & capitibus, diſcinctumq́ue , & pal-
lijs depoſitis ad ſe venientẽ, & ſatisfaci-
entẽ,pro eo,ꝙ inNankerũ epiſcopum &
eccleſiã deliquerat, deprecante Carolo
marchione Morauiæ, in gratiã recepit:
arſitq́; nõ multo pòſt tota Vuratislauia.

Lituani Maſouiam vaſtarunt.

Iaroslaus archiepiſcopus Gneſnenſis.

Nancerus epiſcopus obijt.

Vuratislauienſes ſupplices epiſcopo.

Vuratislauiæ incendium.

Reuersꝰ à Ruſſico bello Cazimirꝰ, cũ lu-
ctũ annuũ poſt mortẽ Heduigis matris
expleuiſſet, viduus ad vxorẽ ducẽdã rur
ſus animũ appulit. Deſpondit autẽ ei Io-
annes rex Boemorũ filiã ſuã Margaritã
viduã(ꝗ cum Palatino Rheni nupta priꝰ
fuerat)icto contra quoſuis hoſtes fœde-
re. Cùm autẽ ea defuncta eſſet ante nup-
tias, fœdus quidẽ cum Ioanne & Carolo
eiꝰ filio marchione Morauiæ confirma-
uit ea lege, vt Ioannẽ in loco patris , Ca-
rolũ verò in loco fratris vterini haberet:
cæterùm regẽ Vngarorũ & Boleslaũ du-
cem Suidnicienſium clientem ſuum no
minatim exciperet: quibꝰ ſe deeſſe poſſe
negauit, ſi eis Boemus bellũ faceret. Ex-
tant apud Boemos eiꝰ fœderis diploma-
ta, anno Chriſti 1341. Pragæ conſcripta,
(quorũ exempla nos vidimus)apud nos
nõ extant. Hoc aũt ita conſtituto, vxorẽ
duxit Cazimirꝰ Adleidã, ſiue Heduigim,
Henrici Heſſorũ Lãtgrauij filiã cũ dote
2000. ſexagenarũ Pragẽſium(ſic enim in
pactis ſcriptum eſt)promiſſa . Quæ cùm
eſſet deformior, mox eam deſpicatui ha
bere cœpit:& concubinarum , quas plu-
ribus in locis alebat, amoribus & illece-
bris captus atque faſcinatus, ſegregatam
à ſe in Zarnouecẽſem arcem relegauit,
quo maiore licentia libidinibus indul-
geret.

Cazimiri libidines.

Zarnouecia arx.

Anno ſequenti ad funus Caroli
regis cohoneſtandum, conſolandamq́;
ſororem in Vngariam profectus, mox
ad voluptates & libidines ſuas redijt.
Quæ quidem ſic animum eius emollie-
runt atque demẽtarunt, vt paternorum
præceptorum dignitatisq́; ſuæ oblitus,
iniquas pacis conditiones à Crucigeris
acciperet potius, quàm erepta ab ijs bel-
lo repeteret. Ad quod quidẽ gerendum
ſatis virium, præſertim acceſſione Ruſ-
ſiæ, habere videbatur. Lite enim cùm eis
ad extremum perducta, quẽadmodum
ſuperius commemorauimus, cùm ij di-
ris deuoti, nihil tamen authoritate Pon
tificia mouerentur, vt iudicata ſoluerẽt,
non difficulter Cazimirus conceſsit pe-
tentibus, vt iure omni quodcunq; à ma-
ioribꝰ ſuis Poloniæ principibus haberet
in Pomerania, Culmenſi & Michaloui-
enſi ditione, ſeſe poſteroſq́ue ſuos abdi-
caret:ac de ſigillo etiam, quo diplomata
regia ſignãtur , Pomeraniæ nomẽ erade
ret, quo Cuiauiã ac Dobrinensẽ ditionẽ
ab eis reciperet. Itaq; cõſtituto cũ Magi-
ſtro eorũ congreſſu Inouuladislauiæ ad
xxij. diẽ menſis Iulij , comitia quoq; ſuis
indixit. Vbi abdicatio illa promulgata,
Caliſſiæ verò nõ modò regis, verumetiã
Ziemouiti Viſnenſiũ, Ziemouiti Cirnẽ-
ſiũ, & Boleſlai Plocenſiũ Maſouiorũ du
cum, procerum itẽ quorundam Polo-
norum, & ciuitatũ nonnullarum diplo-
matis conſignata eſt. Epiſcopi neque vt
ſignarent, neq; vt approbarẽt adduci vl-
la ratione potuêre, quorum authorita-
tẽ cæteri ꝓceres & ciuitates ſecutæ ſunt.
Annus autẽ quo hæc acta ſunt, fuit 1343.

Carolus rex Vngarorum mortuus.

Cazimiri regis trãſactio cum Crucigeris.

1343. ann.

Tam damnoſa pace facta recuperata-
q́ue Cuiauiæ ac Dobrini poſſeſſione,
Cazimirus reliquo eius æſtatis & au-
tumni tempore Henrico Zeganenſium
duci bellum intulit, & quidem magnis
viribus, eo quod verebatur , ne Ioan-
nes Boemorum rex ſuppetias ei veni-
ret . Cauſa belli fuit , vt recuperaret
Vuſchouenſe territorium, quod Teu-
thones Freiſtatenſe vocant , ab Henri-
co duce Glogouienſi huius Henrici auo
interceptum, & à maiore Polonia auul-
ſum. Donarat autem Ioannes Stinaui-
enſis dux mortis cauſa Boemo id oppi-
dum: itemq́ue Stinauiam, Goram, & Lu
binum. Vnde fit veriſimile, Ioãnem de
alieno liberalem fuiſſe, vel eo mortuo
Henricum oppido potitum eſſe. Vbi ad
oppidum ventum eſt, quaſſatis aliquot
diebus deiectiſq́ue muris, captum id eſt,
nequicquã defendentibus Sileſijs: quos
capi rex iuſſit, & bona eorũ militibꝰ diri
pien-

Cazimiri expeditio in Sileſiam.

Vuſchoua capta.

piendā cōcessit: cæterùm oppidanis parsum est, & cùm alia, tum cudendæ monetæ ius, quod à duce acceperant, concessum & relictum. Inde progressus, Stinauiam cœpit ac diruit, agrumque circumiacentem depopulatus est. Inde porrò ad Zeganū cùm duceret exercitum, Hēricus dux supplici legatione ad eum missa, ac deinde in castra ipse cum fratribus suis Conrado, Ioanne & Præmislo venire iussus, pacem æquissimis legibus impetrauit, Vuschouensis tantùm territorij iure omni ac vendicatione à se abdicata. Ita bellum illud paucis diebus solutum est. Hoc ipso anno comperio trāsactionem quandam inter hunc ipsum regem & Carolum marchionē Morauię regis Boemi filiū Neuburgi in Silesia ad Pentecosten factam esse, qua remisit Cazimirus Carolo decem millia sexagenarum grossorum Pragensiū, quæ ipsi mutua dederat: itemque alias pecunias literis obligatas (verba sunt diplomatis) & quod idem Verinco (de quo mox plura) debebat, regi autem soluturum se esse alio diplomate receperat. Collocauit etiam eodem anno Cazimirus filiam suam Elizabetham è priore vxore susceptam in matrimonium Boguslao duci vlterioris Pomeraniæ siue Secinensium, quos Germani Stetinenses vocant. Societatemque cum eo & fratribus eius Barnimo & Varcislao iniit his legib⁹, vt fœderati mutuam sibi opem ferrent contra quosuis hostes, nominatim autē contra Crucigeros, quoties opus esset, cum quadringentis galeatis, eosq; intra mensem, ex quo essent admoniti, mitterent, vel ipsi adducerent: ac in sua quidem ditione vtrique auxiliaribus cōmeatū & pabulum suppeditarent, in hostico autem sibi quisq; prospiceret: munitiones ab hostibus recuperatæ, vt redderentur ei cui adeptæ fuissent. Quæ verò ad neutros pri⁹ pertinuissent, captę inter socios diuiderentur: aut dato alteri dimidio precio, ab altero retinerentur. Hoc tunc primum fœdus Pomeranorum ducum cum Polonis fuit, non minus metu Crucigerorum, quàm affinitate cōciliatum. Dos autē puellæ fuit viginti millia sexagenarum Pragensium, præter cæteram supellectilē & paraphernā peramplam sanè & splendidam. Vicissim autem Boguslaus duum milliū sexagenarū prouētus annuos nouę nuptæ ꝓmisit. Nuptiæ Posnaniæ sub finem Februarij sequentis anni magna pompa celebratę sunt. Quo quidem anno magna vis locustarum ex Vngaria coorta, & mox ingentes Tattarorum copiæ in Russiam & Poloniam inundauēre, à Dascone, quem rex Premisliæ præfecerat, & Daniele Ostrogio, & nonnullis alijs Russis res nouas molientibus euocatę. Nam ij nacti tempus, quo rex Cazimirus longissimè aberat, Crucigerorum colloquijs, Silesico bello, & filię nuptijs occupatus, missis clàm legatis, admonuēre Tattarorum principem siue Cęsarem, ne tributariam sibi Russiam à Polonis occupari pateretur: Non defuturā ipsi fidem suam operamque polliciti. Habebant autē ei inuisum Polonorum imperium, cùm quòd non libenter ferè externis parent homines, tum quòd sectæ ritibusque suis, ne callidè sensim abolerentur, metuebant. Videbant enim multos de suis ad nostros ritus, & ad Romanam, siue adeò catholicam ecclesiam transire, pluresque in dies honoribus & alijs præmijs à rege ostētatis inuitari. Ab his igitur exciti Tattari & adiuti, obiter transcursa Russia, in Poloniam magna vi contendunt. De quorum aduētu cùm tempori Cazimirus à suis è Russia certior factus esset, coacto celeriter exercitu, in Sendomiriensem tractum obuiam ei profectus, positis in ripa Vistulæ statiuis, trāsitu fluminis arcere eos satis habuit, non ausus cū lōgè maiorib⁹ copijs manus conserere. Eminus modò hinc balistis, illinc arcubus velitatum est. In qua velitatione Albertus palatinus Sendomiriensis, gente Habdàcus sagitta ictus cecidit. Tattari frustra tentato multis in locis transitu Vistulæ magno cum tumultu populabundi, & ferro atque igni obuia quæq; vastantes per Lublinensem tractum retro abiēre. Nec arcem Lublinensem aliquot diebus oppugnatā, expugnare potuēre. Memorat Dlugossus hoc ipso anno Masouios malè pugnasse apud Olesniciam, siue Elsam, contra Silesios. Sed quodnā id bellū fuerit, aut inter quos, aut quam ob rem excitatum, non reperio. Nec sanè Masouij confines vsquam sunt Silesijs. Contra Lituanos quidem expeditionem Ioannes Boemorum rex cum Carolo filio marchione Morauiæ, & Ludouic⁹ Vngarorū hyberno huius anni tempore magnis viribus, sed successū nōn satis pari apparatui Crucigeris opem ferentes fecisse memorantur. Insequenti autem intulit Ioannes bellū Poloniæ, Zeganensi bello, cuius paulò ante meminimus, prouocatus, cùm Hēricus dux opem eius implorasset, seque & sua omnia ei⁹ fidei dedisset. Ac tanto quidem ardore animi id fecit rex senioculus, laboribusq; confectus, cùm alterum quoque oculum iam amisisset, vt

Marginal notes:

Stinauia diruta.

Pax cum Zeganensi duce.

Pomeranorum ducum fœdus cum Polono rege.

Dos regiæ filiæ.

Locustæ in Polonia.

Tattarorum excursio in Russiam & Poloniam.

Albertus palatinus Sendomiriensis à Tattaris occisus.

Masouiorum cum Silesijs bellum.

Lituania vexata ab Vngaris, & Boemis, & Crucigeris.

Ioannes Cæcus rex Boemiæ bellum infert Polonis.

tum deinde libenter se moriturum affirmaret, cū Cracouiæ muros manu victrice palpasset. Sed eū spes sua fefellit. Et venit is quidem per Opauiēsem, Cessinensem, & Osuencimensem tractum in conspectum Cracouię, cum maximis Boemorum, Silesiorum atque Teuthonum copijs, biduoque apud Cirinum pagum abbatis Mogilensis castra habuit. Sed nostris neque frumētari, neq; pabulari liberè eum sinentibus, neque tamē pugnandi copiam facientibus, veritus, ne in angustum redigeretur, siue cōmeatu, vt scribit Aeneas Syluius, deficiente, siue metu Vngaricorū auxiliorū Polonis à Ludouico nouo rege Caroli filio & successore missorum, vt vult Antonius Bonfinius, soluit obsidionem: bipartito que agmine, quo plura populationibus complecteretur, exercitum reuerti iussit: ipse cum paruo comitatu ꝓcessit. Et vnum quidem agmen versus Ilcussum, alterum autem versus Lelouiam abijt. Quod vbi didicēre nostri ab exploratorib⁹, bipartito & ipsi hostes abeuntes cōcito cursu insequuntur: & hos quidē apud Bialam pagum, illos verò apud Pogoniam adepti, vtrosque magno impetu à tergo adoriuntur, & re inopinata pauidos citò perturbant, & in fugam vertūt. Pauci famæ & honoris amantes resumptis animis insultū nostrū paulisper sustinuēre. Verū ij quoq; paruo negocio, vtpote pauci & ꝑturbatis ordinibus, fusi fugatiq; sunt. Cecidēre in vtroq; prælio & fuga de primorib⁹ Boemis, Zagiz, Ptarsco, & Alsso Strambergius, seu Sternbergius: captus Hinco Dubius: multi prę terea de inferioribus ordinibus cæsi, captique. Captiui Cazimiri iussu benignè curati sunt: diu tamen captiuitatem pertulēre. At Ioannes rex accepto à fugiētibus suis cladis nūcio, mœstus in Boemiā redijt: nostri verò cum victoria non cōtemnendam prædam reportarunt. Palma rei bene gestę Prendotę Galcę gente Odrouanzo data. Itaq; magnis præmijs & militari baltheo à Cazimiro is ornatus est. Topori verò Hinconis nomen ab Hincone Boemo capto deinceps vsurpare cœperunt. Annus quo hæc acta sunt, fuit post Christū natū 1345. Paulo aliter hæc narrat Hagecus. Vult enim ipse non regias copias à Polonis profligatas esse, verùm alias quasdam, quas tunc proceres quidam Boemi regi suo in auxiliū adducebant. Excessisse tamen statim Ioannē è Polonia magno incōmodo accepto. Causam autē belli hui⁹ vult idē præbuisse Polonos, propterea quòd Opauiensem tractū priores infestassent,

Cracouia obsidio.

Boemi profligati à Polonis.

Prendota Galca.

1345. ann.

dum Boemo, qui Suidniciēsium ducem bello premebat, par pari referre studet. Conatus est enim Ioannes rex Suidniciē sem ducē Boleslaū Bernardi filium, q vn⁹ inter duces Silesiorum cū Polonis adhucsentiebat, subige, reoppugnauitq; Suidniciā: sed repulsus inde, Lādishutam cæpit, nec multo pòst rursus amisit, cùm Bolesla⁹ armatos currib⁹ prætextu merciū deuectos eò clā immisisset, pręsidiūque Boemorū partim interfecisset, partim expulisset. Dlugossus Suidniciensium duci posterius, quàm Polonis tunc bellum à Boemis illatum esse velle videtur. Extat autem exemplum diplomatis, à Conrado duce Olsnensi, Henrici, ni fallor, fratre hoc anno confecti, quo is testatū facit, se Gorā, Stinauiā, Freistadiam, & alia quędā eiusdem oræ Ioanni regi oppignerasse quinq; millib⁹ marcarū Polonicarū in bellū contra regē Cracouiæ (hoc.n. verbo vtitur) ab eo impensis. Neutrū autē bellū persecut⁹ est Ioannes, cū stabiliēdi Carolo filio imperij studio, tū morte præpedit⁹. Principes enim electores, Clemente sexto pont. max. & Philippo Francorū rege adnitentib⁹, filium ipsius Carolū Morauię marchionē Ludouico Cęsari viuenti adhuc, sed pōdagrico ac diris deuoto, per id tēpus suffecerunt. Nec diu postea vixit Ioannes. Nā cū Philippo Francorū regi affini suo suppetias cōtra Anglos iuisset, inclinā te ad Anglos victoria in aciem se produci iussit, ibique interfectus occubuit. Perfecit is apud Pontificē maximū, vt Pragæ deinceps esset archiepiscop⁹, q ius haberet coronandi regis. Successit autē Ioanni in regno Carol⁹ filius Cæsar. Nec multo post Ludouicus quoque Cęsar perijt. Quo imperante in plerisque Italiæ vrbibus noui tyranni extitēre. Qui postea ducū & marchionū titulis, indulgentibus pontificib⁹, sese cohonestarūt. Per idē tēpus Ludouicus rex Vngarorum exercitum, in quo multi Poloni militarunt, duxit in Italiā, vt Andreæ fratris Neapolitanorū regis mortem vlcisceretur. Nā eū Ioanna vxor, eademq; cognata strangulauerat, & Philippum Tarentinū principem, & ipsum cognatum thori regnique consortem fecerat. Quibus exactis Ludouicus regnum in suā potestatē redegit. Nec multò post adnitente Pontifice maximo, Ioannæ id certo pacto restituit: illa verò Auinionem vrbem Narbonensis prouincię Pōtifici in loco mercedis iure sempiterno donauit, pfrictaque semel fronte, totam sese libidinib⁹ dedit. Interim in Poloniam nihil memorabile gestū esse proditur, ꝓter pacē

Suidniciēsiū duci bellum illatum à Boemis.

Landishuta amissa & recuperata.

Carolus Cæsar & rex Boemorum.

Ioannis Boemorum regis mors.

Pragēsis archiepiscopus.

Carolus rex Boemorum. Ludou. Cæsaris mors.

Italiæ tyranni.

Ludouici regis Vngarorum expeditio in Italiā.

Ioanna regina Neapolitana scelesta & libidinosissima.

Regnū Neapolitanū Ioannæ concessit Ludouicus.

Auinio donatur Rom. pontifici.

nouam inter Cazimirũ & Carolum Cęſarem Namiſlouiæ compoſitam. In qua conuenit etiam, ne noſter à Boemo debitum repeteret.

Leges Cazimiri regis.

Leges etiã in comitijs Viſlicienſibus ſcriptæ ſunt, quibus palatinorum & iudicũ infinita poteſtas certis cancellis coercita eſt, vt ne ex moribus aut è libidine ſua, ſed è ſcripto iure deinceps iudicarent. Certæ etiam mercedes eis & alijs adminiſtris iudiciorum conſtitutæ ſunt, vt ne quid præterea à litigantibus exigeretur: mulctęq; quas iudices arbitratu ſuo dicebãt & exigebant, definitæ.

Iuriſiurandi barbarus mos ſublatus.

Ad hæc ſublatus mos barbarus iuriſiurandi conceptis verbis dandi, in quo ſi quis verbo lapſus eſſet, atq; adeò titubaſſet, cauſa, quamuis iuſta, cadebat. Nec illud ſanè ſilentio prætereundum eſt, quod eodem anno apud Cracouiam accidit. Nam cùm conſcelerati quidam homines ſacrilega cupiditate adducti, ſanctiſsimum corpus Chriſti ſub forma panis reconditum cum ferculo ſuo è tẽplo Omnium ſanctorum memoriæ dicato ſuffurati eſſent, atq; id ferculum nõ aureum, vt crediderant, ſed æreum inauratum eſſe comperiſſent, apud Bubalum, ſiue Bauolum pagum ſuburbanũ, qui erat in ditione collegij baſilicæ Cracouienſis, in cœnoſam paludem id irreuerenter abiecerunt.

Bauolus pagus. *Miraculum.*

Mox locus crebris ignibus atque faculis dies noctesque aliquot perpetes colluſtratus eſt. Id miraculum cùm ad epiſcopum perlatum eſſet, neq; cauſa tamen eius pateret, poſt indictum triduanum ieiunium epiſcopus eò cum ſolenni pompa ſacerdotum & ſupplicationibus profectus eſt: repertamq; ſanctiſsimam Euchariſtiam ingẽti cum veneratione eò, vnde ſublata erat, retulit.

Templũ corporis Chriſti Cazimiriæ. *Cazimiria cũ templis condita.*

In eo verò loco, vbi ea reperta eſt, Cazimirus inſequenti anno auguſtum templum titulo corporis Chriſti decoctis lateribus ædificauit: ſucceſſuq; temporis peramplum ſpacium muro complexus, nouum oppidum condidit: & Cazimiriam de ſuo nomine appellauit. In quo monaſterium etiam aliud excitauit ſodalitati eremitarum Auguſtinenſium.

1347.ann.

Mortuus eſt eodem anno, qui fuit poſt Chriſtum natum milleſimus trecenteſimus quadrageſimus ſeptim⁹, Ioannes Grothus Epiſcopus Cracouienſis: qui præter voluntatem Vuladiſlai regis Nankero ad Vuratiſlauienſem epiſcopatum propter iram & contumeliam eiuſdem regis tranſeunti ſucceſſor datus erat.

Petrus epiſcopus Cracouienſis.

Ei verò Petrus Falcouius gente Doliuius à collegio ſurrogatus eſt. Qui cùm regio nomine legationem obiret ad Pontificem maximum intra vertentem annum Auinione mortuus, ſucceſſorem accepit à Pontifice Bozentam Iancouium gente Roſeum, decanum Cracouienſem, qui comes ipſi fuit itineris.

Bozenta epiſcopus Cracouienſis.

Fuit autem Grothus vir excelſi & conſtantis animi, ita vt Cazimirum regem nouum oppidum Socolnicos prope Scarbimiriam condentem authoritate eccleſiaſtica, deſiſtere à cœpto cogeret, propterea quòd futurum erat, vt eo oppido condito Scarbimiria, quæ eſt in ditione præpoſiti Scarbimirienſis, deſereretur. Quin & patrocinium eiuſdem præpoſituræ, vt ita dicã, concedente rege ſibi & ſucceſſoribus ſuis epiſcopis vẽdicauit.

Socolnici oppidum. *Scarbimirienſis præpoſitura.*

1349.ann. *Ruſsicum bellum.*

Anno deinde 1349. fecit Cazimirus rex expeditionẽ in Ruſsiã, vt eã quoque partem eius, quam Lubartus & Keiſtutus vſurpabant, regno ſuo adijceret: magnaq; fœlicitate vſus, vna æſtate expugnatis arcibus Luſco, Vuladimiria, Breſte, & Chelma, cæteris in deditionẽ acceptis, Volyniam omnẽ, Belſenſemq;, & Breſtẽſem tractum in poteſtatem ſuã redegit: Ruſſos duces deditionem facientęs retinere ſua iuſsit, primarijs modò munitionibus Polonos præfecit.

Volynia, Belſenſis, Chelmẽſis & Breſtenſis prouinciæ à Cazimiro rege ſubactæ.

Et quo certior quietiorq; ipſi eſſet Ruſsiæ poſſeſſio, quoniam Vngarorum reges ad ſe eam pertinere antiquo iure, ſicuti ſuprà memorauimus, contendebant, cum Ludouico rege eius gentis, aſſentiente etiã Stephano fratre Ludouici duce Slauonię ac Dalmatiæ tranſegit, & cõtra Crucigeros ſocietatem iniit.

Cazim. tranſactio de Ruſsia cum Vngaris.

Atq; eundem Ludouicum certum ſibi ſucceſſorem in regno Polonorum deſignauit, ſi ipſe ſine maſculis liberis decederet. Quòd ſi Ludouicus quoq; nullos maſculos liberos relinqueret, Ioãnes Stephani fratris eius filius rex Polonorum eſſet.

Ludou. rex Polonorum deſignatus.

Miſit autem tunc Ludouicus matrem ſuam in Poloniam, vt ſuo nomine iuſiurandum à Polonis acciperet.

Poloni iurarunt in verba Ludouici regis.

Reuerſus aũt à Ruſſica expeditione Cazimirus, & ſecundis reb⁹ laudibusq; hominũ inſoleſcẽs, neq; de libidinibus quicquã remiſit, ſed palã cõcubinas Opocini & Creſſouię alebat: & cùm à Bozenta epiſcopo Cracouienſi officij ſui admoneretur, non modò non reſipuit, ſed etiã ſubiectos ipſi homines in territorio Sendomirienſi per Ottonẽ Pilecium gente Toporũ, palatinũ & pręfectum eius loci indebitis tributis & laboribus vexauit.

Cazim. flagitia & ſcelus in presbyterum. *Opocinum. Creſſouia.*

Porrò cũ his de rebus epiſcopi Poloni Pontifici maximo indicaſſent, iſque moneri eum ſuo nomine vellet, Martinus cognomento Bariſca vn⁹ de vicarijs canonicorũ baſilicę Cracouienſis, qui ſolus id facere auſus eſt, in ꝓfluentẽ Viſtulę demergi ab eo iuſs⁹ eſt.

Mart. Bariſca demerſus iuſſu Cazimiri.

nita à Cazimiro.

Cazimirus iterum excõmunicatus ab epiſcopo. *Peſtis in Polonia.*

Verùm non diu ſcelꝰ id diuina maieſtas inultũ eſſe ſiuit. Nam & rex diris deuotꝰ eſt à Bozenta epiſcopo, & peſtis acerba, quam epidemiam Græci vocant, quaſi nos dicamus populare, duobus illis annis Poloniam omnem peruaſit, tanta vi graſſata, vt pagos atque oppida hominibus vacua redderet. Ac initiò quidem triduana febris ardens cum ſputo ſanguineo miſeros mortales paſſim abſumebat: deinde verò in quintum prolata diem, carbũculis & apoſtematibus enecabat. Quanquam autem arcano id fiat Dei optimi maximi iudicio, & ab hominum intelligentia abſtruſo, tamen non nouum, neque inuſitatum eſt, pro principum peccatis ſubiectam eis multitudinem pœnas expendere. Nec Poloniã ſolùm peſtis eã tũc vexauit, ſed vniuerſum ferè orbem terrarũ peruagata eſt. Creditum autem eſt vulgò, eam à Iudæis infectis veneno fontibus, effectam eſſe.

Iudæi trucidati.

Itaq; exquiſitis ſupplicijs ij nullo neque ſexus, neq; ætatis diſcrimine per Italiam, Germaniam, & Gallias affecti, & facultatibus ſpoliati ſunt.

Flagellantes ſeſe.

Increbuêre tunc per vniuerſum ferè Chriſtianum orbem greges virorũ pariter ac mulierum nudis ſupernè vmbilico tenus corporibus obambulantium & flagellantium ſeſe, diuinamq; clementiam miſerabilibus vocibus implorantium, vexillis præeuntibus. Itaque in Poloniam quoq; ij tunc venêre ex Vngaria. Sed cùm ea ſiue religio, ſiue ſuperſtitio à flagitijs & prauis dogmatibus non penitus immunis eſſe deprehẽderetur, pœnis coercita & extincta eſt. Neque tamen hic tunc malorum finis Poloniæ fuit.

Lituani Sendomirienſem tractum vaſtarunt.

Quin vbi peſtis conquieuit, Lituani ob ereptã ſiue præreptam Ruſsiam irritati, quamuis graui bello à Crucigeris, qui magna tunc habebant Germanorum & Gallorum auxilia, premerentur, tamen crebris excurſionibus Sendomirienſem tractum penè omnem vaſtarunt, fuſis fugatiſque noſtris, ſi qui fortè obijcere ſeſe ipſis auſi ſunt.

Ruſsiá Polonis ad Lituanos defecẽre.

Ruſsiæ quoque eam partem, quam dudum Lubarto Cazimirus eripuerat, Ruſsis fidem mutantibus, & præſidia Polonorum eijcientibus, in poteſtatem ſuam redegerũt.

Bels.

Vuladimiria, Chelma, Belſo, & Breſte, quam arcẽ Cazimirus cocto latere munierat, per deditionem potiti. Vnde liberius finitimam oram Poloniæ populabantur. Habet enim Breſte ſitum verſus Poloniam

Bugus fl.

Bugo flumine nauigabili, & paludibus permunitum. Inde ad Leopolim excurrentes, cùm vtranque arcem nouis

Leopolis mu

muris & pręſidio Polonorum munitam eſſe cognouiſſent, non tentata oppugnatione, circũmiacentem oram omnẽ ferro & igni fœdè vaſtarũt. His tot tantiſque detrimentis excitus tandẽ Cazimirus anno Chriſti 1351. cõparatis magnis copijs, vnà cum Ludouico Vngarorum rege in Ruſſiam rurſus expeditionem fecit:

1351. ann. *Rufsicum bellum.*

victiſque leui prælio Lituanis, ac duce eorum Luberto (quanquam variat Dlugoſſus, & Keiſtutum hoc loco, non Lubartum nominat) capto, arcem tractumque omnẽ Vuladimirienſem recepit, exercitumque dimiſit hyeme appetente, ſiue adeo remittẽte, vt vult Bonfinius. Nam is hyeme congelatis paludibus, lacubus & fluminibus, & non in Ruſſia, ſed in Lituania bellum hoc geſtum eſſe memorat.

Lubartus dux captus & elapſus.

Lubartus autem cùm religionẽ Chriſtianam ſuſcepturum ſe eſſe vnà cum cæteris fratribus deieraret, non ita multo poſt è captiuitate euaſit. Verùm dimiſſuſne à rege, an cùm negligentius aſſeruaretur, cuſtodias fruſtratus, non ſatis liquet. Fidem certè fefellit, fœduſq; ictum ſtatim rupit. Vnde fit veriſimile, dimiſſum eſſe icto fœdere, vt alibi Dlugoſſo placet. Ingreſſus autem cũ tumultuaria manu in Ruſſiam, & Vuladimiriam ex improuiſo adortus, in ſuam poteſtatem redegit, direptamque incendit. Atque ita omnem illum tractũ Ruſſiæ dudum à Cazimiro ſibi ereptũ, recuperauit. Haliciã hîc Dlugoſſus memorare videtur pro Vuladimiria: ſed librarij fortaſſis id mendum eſt. Longè enim abeſt à Lituanis Halicia, confinis Vngariæ & Valachiæ. Et repetitam quidem eſſe bello poſthac à Polonis Vuladimiriam, inferius idem Dlugoſſus refert. Quando verò eam amiſerint, poſteaquam ſemel ea tunc potiti ſunt, alibi non prodit.

Lituani Sendomirienſem agrum populati ſunt.

Infeſtarunt deinde ijdem Lituani Sendomirienſem tractum vſque ad Zauichoſtum. Nec deerãt de noſtris, qui ſe barbaris duces ad vaſtãdam patriam præberent.

Pſonca & Scecarouicius proditores.

Inter quos inſignes à Dlugoſſo memorantur, Petrus Pſonca gente Ianinius, & Otto Scecarouicꝰ de Topororum familia: qui locorum & rerũ periti, clam excurſiones Lituanorũ dirigebant, & noſtrorum conſilia ipſis prodebant, ac ſicubi cauendæ eſſent inſidię, aut vis noſtrorum, præmonebant. Fortè fortuna Petrus à barbaris in interiorem Poloniam excurrere deſtinãtibus, ad exploranda vada Viſtulæ præmiſſus, inuẽtum vadum & infixis in alueo fluuij prælongis ſtipitibus notatum Lituanis renunciauit.

Piſcatorum fraus.

Paulo poſt cùm piſcatores ad eum locum nauiculis aduecti ſtipites infixos animaduertiſſent, id quod

erat

erat suspicati, eiulsos eos non longè in profundiori & vorticoso flumine infixerunt. Nocte intempesta Lituani, quo facilius nostros fallerēt, & incautos trās flumen opprimerent, ad Vistulam venientes, secundum signa monstrante Petro traijcere incipiunt: & non pauci qui primi ex agmine in flumen se præcipitauerant, eius altitudine & vorticibus absorpti vnà cum equis perierunt. Id vbi duces animaduertēre, dolum subesse rati, Petrum quasi proditorem in ripa capite plexerunt: maioresque insidias veriti, interdiu latitantes, nocturnis itineribus recesserunt. Fertur autem postea Iagello, cùm esset rex factus, tam Petri, quàm Ottonis bona propter illud facinus confiscasse. Ac Sciecarouice quidē vix extremo tandem vitæ tempore magnis procerum precibus exoratus, Zaclicæ Tarloni Ottonis nepoti reddidisse: Crissonouiim verò, quod Petri fuisset, Lublinensi præfecturæ adiunxisse. Tattari quoque per idem tempus ab Olgerdo vno de ducibus Lituanorum euocati Russiam inferiorem, quæ Podolia dicitur, quæ & ipsa in Cazimiri regis ditione iam erat, depopulati sunt. His tot tantisque calamitatibus admonitus Cazimirus, tandem admissum in sacerdote necando scelus lachrymis & austeriore vita expiare instituit: missoque Albrico siue Alberto cancellario Dobrinensi, absolutus, & societati ecclesiasticæ à Clemente sexto pontifice maximo reconciliatus est. Simul autem impetrauit, vt sibi decima decimarū ab vniuerso ordine ecclesiastico totius Poloniæ quadriennio in subsidium aduersus barbaros Lituanos atque Tattaros conferretur: itemque, ne Vratislauiensis ecclesia à Gnesnensis archiepiscopi iurisdictione abstracta, Pragensi, quemadmodum contendebat Carolus Imperator & rex Boemorum, addiceretur. Restituit autem tunc Cazimirus ecclesiæ Cracouiensi immunitatem ademptam, cùm quæ ad ascriptitios eius & agrestes pertinebat, tum quæ ad conuectionem & venditionem decimarum, rapinasq; earum coercendas. Ad hæc possessiones & prædia Radlouiense, Vsseuense, cæteraque in regione submontana, quæ per vim occuparat, episcopo reddidit. Quarum rerum extant eius diplomata in basilica Cracouiensi. Condidit etiam complura templa, partim cocto latere, partim secto quadroque lapide: in quibus sunt, Sendomiriense, Vislicíense, Sidlouiense, Stobnicense, Zagoscense, & Gargouiense. Multaq; præterea ad placandam diuini numinis iram pia & præclara opera tunc edidit. Extat in archiuo regio conspiratio siue confœderatio nobilitatis maioris Poloniæ contra quemlibet hominē, excepto rege, anno Christi 1352. facta & conscripta, atq; vno & viginti signis consignata, à qua excluduntur furti & latrocinij publici rei. Promittuntque conspiratores, se non prohibituros, quo min⁹ pecudes & iumēta sua pignorentur. Quod si regem vel præfectū non exorauerint, soluturos quicquid id fuerit, propter quod pigneratio facta erit. Vnde autem nata sit, & quid sibi voluerit, quóue pertinuerit ea conspiratio, non liquet, nisi quod iniurijs fortè & asperitate præfecti regij expressa esse videri potest. Inde quietæ res domi forisq; complures annos fuēre. Cæterùm Prussiā Lituani crebris excursionib⁹ infestārūt. Per quod temp⁹ Polonia pacis artib⁹ magna curā studioq; regis effloruit, & non exigua ciuilitatis & elegantiæ incrementa accepit. Quæ priusquam exponimus, libet rem miraculi loco habitā, quæ tunc in Polonia accidit, non prætermittere. Anno Christi 1353. cùm Marti⁹, Aprilis, & Maius vltra mediū verno ac penè æstiuo calore ad calamos & aristas segetes perduxissent, coorto derepētè acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta terrā operuit, & in sextum vsque diē durauit. Qua soluta postea, cùm corruptas esse segetes omnes existimarent, tanta prę ter spem vbertas frugū, quanta vix vnq̃ aliàs fuit. Intercesserūt etiam hoc anno pacta quędā inter Carolum Romanorum & Boemorū, & Cazimirū Polonorū, reges, quib⁹ Carolus abdicauit se iure omni, quod vsurpabat in Plocēsi principatu & Masouia. Cazimirus autē vicissim Bycinā & Cruciburgum ei cōcessit. Assensus est etiā, vt Bolesla⁹ Suidniciensis & Iauoriensis dux, collocata Carolo in matrimoniū Anna Henrici fratris filia, principat⁹ suos quasi dotales causa mortis ei donaret, si nullos ipse mares liberos relinqueret. Anno deinde 1355. missi ad Ludouicū regem Vngarorū legati nomine toti⁹ Poloniæ, retulerūt diploma eius, quo is recepit, nunq̃ se neq; posteros suos vllū tributum aut exactionē vlli ordini Polonorū neq; sacro, neq; profano imperaturos, neq; iter faciētes one ri cuiq̃ omnino futuros. Prętereà dāna ac detrimēta in expeditionib⁹, q̃ fiunt vltra fines regni accepta, militātib⁹ exoluturos. Accessit eodē anno Masouia ad societatē cæterę Poloniæ, & regię authoritati sese subdidit. Quod vt planius fiat, paulo alti⁹ quędā de Masouiorū ducib⁹ repe-

Petrus Pson ca proditor iugulatus.

Proditorum bona confiscata.

Tattari Podoliam populati.

Cazimirus absolutus.

Decima decimarum regi donata à Pontifice.

Ecclesiastica immunitas Cracouiensis diœceseos.

Decimarum couectio & venditio.

Radlouiensia & Vsseuentia bona reddita episcopo.

Templa à Cazimiro condita.

Maiorum Polonorum conspiratio.

1355. anno.

Ludouici priuilegium Polonis datū de nouis exactionibus dānisq; in bello acceptis.

Masouia Poloniæ redintegrata.

repetēda, ac de profundis tenebris, quā-cum licebit, eruenda sunt. Conradus & Boleslaus, de quibus in Boleslao Pudico multa memorauimus, Ziemouiti ducis Masouiorum filij fuêre. Ex his Conradus cùm sine liberis decessisset, Boleslaum fratrem hæredem reliquit. Is porrò è Præislaua Russa, siue Lituana priore vxore duos filios, Ziemouitum & Troidenum, è Boema verò Vanconem, siue Venceslaum suscepit. Hi post mortem patris Masouiā ita inter se partiti sunt, vt Ziemouito Cirscum, Raua, Liuum, Gostininū: Troideno Varsauia, Sochacziouia, Viskitki, Cechanouia, Nouigrodum, & Nouiduorum: Vanconi verò Plocensis tractus cederet. Ex his Ziemouitus vnicum sui nominis filium successorem reliquit, de quo mox plura dicemus. De Troideno Boleslaus & Cazimirus nati sunt: quorum Boleslaus Russiæ principatum adeptus, quemadmodum superius exposuimus, veneno extinctus est: Cazimirus verò patri successit. Porrò Vanconi vnicus itidem filius Boleslaus hæres fuit. Atque hi omnes clientes, & vt ita dicam, feudatarij Cazimiri fuêre: quanquam non comperio, suáne sponte regis authoritatem secuti, an vi subacti sint, Illud quidem in pactis fuisse constat, Si quis eorum nullos mares liberos reliquisset, vt ei rex hæres esset. Itaque cùm primus omnium Boleslaus Plocensis orbus vita decessisset, Cazimirus rex hæreditatem adijt, arcemq; Plocensem cocto latere muniuit. Nec multo post duobus millibus marcarum pecuniæ à Cazimiro duce mutuò acceptis, eam ipsam arcem hypothecæ nomine ipsi addixit. Neque tamen diu superstes is ipse dux Cazimirus fuit. Anno enim 1354. extremum vitæ clausit diem, nullis & ipse relictis liberis. Quocirca Cazimirus rex & Ploscum, & ditionem eius omnem in suam redegit potestatē. Supererat Ziemouitus, qui sibi legitimā successionem secundum fratres patrueles vendicabat. Veritus autem rex, ne is ad Boemos, vel ad Crucigeros deficeret, fraternamque hæreditatem bello repeteret, ita cum eo constituit, vt ei totius Masouiæ dominatum traderet, dūmodo ille non hæreditario iure, sed regia munificentia, & in feudum, vt vocant, se eum habere, regisque maiestatem se cum posteris suis comiter conseruaturum, & contra quosuis hostes, barbaros iuxta atque Christianos, auxilio semper Polonis affuturum, neque cum quoquā fœdus vllum inconsulto rege icturum, solenni ritu & iureiurādo profiteretur.

Masouiorum ducum genealogia.

Masouiæ diuisio.

Masouij in fide & clientela regis Polonorum.

Plocensis ditio in potestatem regis venit.

Ploscum munitum.

Pacta Cazimiri regis cū Ziemouito Masouiorum duce.

Cui rei dies dicta est Calissiæ ad sextum Cal. Ian. anno Christi 1355. Itaque venit eò ad regem ex condicto Ziemouitus cū Nicolao Plocēsi episcopo, & magna caterua procerum & equitum Masouiorum, & publicè vexillum ad pedes regis proiecit, & in verba eius posterorumq; regum Poloniæ iurauit. Ad hæc diplomate subiectionem suam testatus est, cuius diplomatis exemplū extat apud Dlugossum, ex archiuo regio descriptum. Quo illud etiam cautum est, vt illa duo millia à Cazimiro duce in mutuum accepta rex nemini solueret: Plocensem autem tractum omnem, quoad viueret, retineret. Porrò secundum mortem regis in ditionem Ziemouiti is vnà cum Vissegrado & Plonsco eodem iure, quo cætera, recideret. Quoniam autem Elizabetha Vanconis quondā vxor, tunc verò vidua, pleraq; mariti sui bona dotis nomine retinebat, ita de ijs cum Ziemouito rex transegit, vt post mortē viduæ, ea quidem quæ cis Vistulam erant Ziemouito: ea verò quæ vltra flumen, si bi primum, ac post suam demum mortem eidē Ziemouito cederēt. Hæc tunc sic acta atque transacta sunt. Intercesserē tamen post inter hos principes nonnullæ bonorum commutationes. Facit quidem Dlugossus & alterius Ziemouiti Visnensium ducis, qui & ipse subscripsit pactis Prussicis, mentionem: itemq; Ianussij ducis Masouiæ. Sed vndenam ij orti sint, aut quem hæredem Ziemouitus hic reliquerit, quamue partem Masouiæ Ianussius obtinuerit, & quando mortuus sit, quem deniq; successorem habuerit, neque ille prodidit, neque ego inuenio. Nunc ad Cazimirum regem reuertamur. Qui cùm Poloniam atq; Russiam partim bellis superioribus & excursionibus barbarorum, partim pestilentia exinanitam, minus cultam, minusq; populosam esse cerneret, Teuthonici generis hominibus siue accitis, siue vltro venientibus agros attribuit: quorū non exiguæ reliquiæ in submontana & Vngaris finitima regione & Russia in hodiernum vsque diem manent, vtentes lingua crassiore, ac non dissimili ei, qua in Silesia, Morauia, Boemia, & Prussia vulgò vtūtur. Indeque sumpta nomina pagis & oppidis à se conditis vel habitatis indiderunt. Qualia sunt Lemberga, Lādeshuta, Pilsna, Gorlicia, Freistadia, Hicinum, quod Germani Ticinum vocāt, Rosemberga, & alia eiusdem modi. Eorum cura & opera Polonia frequentari, & cultior esse pagis & oppidis cœpit. Sunt enim ij frugaliores ac diligentiores in

Masouij iurant in verba regis Poloni.

Pactum cum Venceslai vxore.

Germani incolæ Poloniæ.

res in re paranda ac tuēda,& lautius habitāt. Fuit autem in eos & in cæteros oppidanos & agrestes propensior & indulgentior Cazimirus:nec eos grauioribus laboribus vel exactionibus, aut vllis iniurijs præfectorum suorū,siue adeo procerum atque nobilitatis premi pass⁹ est, animaduertendo in eos, qui aliquid eiusce modi ausi essent:ita vt vulgò rusticorum siue plebeiorum rex vocaretur. Nec ipsos modò Teuthonas iure suo Saxonico siue Magdeburgensi vti permisit:sed suis quoque Polonis, nobilitate excepta id indulsit.Quoniam verò ab ijs iudicijs ad Magdeburgēse tribunal prouocabatur, non sine quadā ignominia Poloni nominis, & magno sumptu ac dispendio litigantium,sustulit eam prouocationem Cazimirus,& in arce Cracouiensi supremum & prouinciale iudicium Teuthonicū constituit,ad quod prouocationes omnes ab inferiorib⁹ iudicibus ex tota Polonia fierent.Cui quidem iudicio præsidet peritus eius iuris aduocatus cum septē scabinis (sic enim appellari eum quæsitorem cum iudicibus vsitatum est)quos magnus procurator arcis legit. Ab eo quoque iudicio ad regem est prouocatio. A quo extrema causæ cognitio binis sex oppidorum siue ciuitatum decurionibus seu consulibus delegatur.Ab his non est prouocatio. Sunt autem eæ ciuitates, Cracouia, Sandecia, Bochnia, Velisca, Cazimiria, & Ilcussum.Tametsi receptum est posterius,vt rex ipse etiam,si velit, de ijs prouocationibus cognoscat.Habent autem supra memorati septem iudices cū quæsitore suo ab eodem Cazimiro immunitatem omnium onerum atque exactionum regiarum: neque iudicari à quoquam nisi à rege,aut peculiariter delegatis ab eo iudicibus possunt.Ita tunc Cazimirus populosiorem cultioremque externis colonis Poloniam reddidit:& ne ij cum indignitate sua ac totius reipublicæ ius aliunde petere necesse haberent, prouidit.Coercuit etiam succrescentia rursus latrocinia, vnius maximè splendidi & potentis viri supplicio.Fuit is Mathias Borcouicius, ortus equestri Napiuonum familia,palatinus Posnaniensis, vir impiger. Qui cùm prædones clam receptaret,quos punire debebat, consuetudine turpis lucri captus, ducem se ipsis deinde præbuit. Quæ res cùm ad regem crebris querimonijs hominum perferretur,nec ille tamen,quamuis admonitus & obiurgatus,ab incœpto desisteret,captus est Calissiæ, cùm eò fortè ad regem venisset:& in Olstinensem arcē deportatus in tetro & obscuro carcere

Plebeiorum rex.

Iudicij Teuthonici supremi institutio Cracouiæ.

Sex ciuitatum iudiciū.

Borcouicius palatinus latro.

Napiuonum familia.

inedia vitam finiuit. Cuius mortē cùm Ioannes frater vlcisci velle diceretur, iussu regis interfectus est. Bona eorum, in quibus erāt Cosminum & Zacia munitiones,cōfiscata sunt.Filius verò Mathiæ profugus,cùm ex marchia Brandēburgensi in Polonos mercatores atque equites postea grassaretur,quodam tempore in oppido Rosrazouo ab agrestib⁹ trucidatus pœnas dedit.Fuēre, vt habet Dlugossus, qui existimarent causam tā diræ mortis Mathiæ palatino fuisse, qđ de stupro reginæ insimulatus esset. Sed quænā ea regina fuerit, Dlugossus non memorat. Secunda quidem Heduigis, cū quindecim annis in Zarnouecia castello quasi relegata,honestè tamē & laute habita, vixisset,ad extremum biennio ante hanc palatini necem,à patre, nemine prohibente, domum reducta est, & paulo post è viuis excessit.Nec diu cunctatus Cazimirus,tertiam duxit, Heduigim Henrici Glogouiensiū ducis filiam. Post cuius nuptias anno sequenti, illud quod diximus supplicium de palatino Posnaniensi sumptum esse Dlugoss⁹ memorat. Insequēti anno controuersiæ q̄dam de iure decimarum,de iurisdictione ecclesiasticorum iudicum, de visitationibus & exactionibus archidiaconorum, præpositorum,& parœcorum, de nouis parœcijs instituendis, de moderatione immunitatis clericorum,ac de semestribus vacantium parœciarum reditibus,qui iam inde à Nankero episcopo in instaurationem basilicæ Cracouiensis vsurpabātur,inter Bozentā episcopū Cracouiensem, & nobilitatē Cracouiēsis & Sendomiriensis conuentus exortæ, interueniente rege & Iaroslao cognomento Bogoria Gnesnensi archiepiscopo, extinctæ sunt, & Lublinensis, ac Secechouiensis territorij homines, propter vastitatem ex Tattarorum & Lituanorum crebris incursionibus immunitate decimarum spacio triginta annorum donatæ.Statimque illis ipsis dieb⁹ Cazimir⁹ ignominiosam fecit expeditionem in Valachiam.Quam priusquam persequimur,explicanda est origo gentis,si quid modò certi è tātis tenebris eruere possumus. Daciā secundum veterem geographorū descriptionem, Tyra fluuio, quē nos Nestrum vocam⁹, ab ea Sarmatiæ parte, quæ nobis Russia & Podolia est, diuidi scribitur:ab occidente sole Iazygas Metanastas finitimos habet:ab Oriente Hierasso, quem Pruthum nunc dici opinor,& Istro siue Danubio fluuijs ab inferiore Mœsia, quæ nunc Bulgaria est: à Meridie verò eodē Danubio à superiore Mœsia, quæ nunc

Cosminum & Zacia confiscata.

Heduigis reginæ mors.

1358. ann. Ecclesiastici ordinis cum equestri controuersiæ in Cracouiensi diœcesi compositæ.

Iaroslaus

Daciæ descriptio.

nunc Bosna & Seruia est, disiungitur. Ea post multa bella cum Romanis gesta, ad extremum à Traiano Imperatore, quemadmodum scribit Eutropius, subacta, & in formā prouinciæ redacta est. Cùm autem bellis superioribus exhausta esset, infinitas hominum copias ex toto orbe Romano idē princeps ad agros vrbesque colendas eò transtulit. Sed tamen haud ita multo pòst, sub Galieno, ac deinde sub Aureliano Imperatorib⁹ barbari eam vindicarunt. Deinde Gothi eam sub Gratiano principe possederunt. Ita ex illa colluuie Romanorum & barbarorum, commercijs & connubijs commixtorū, Valachi orti, lingua noua ex veteri sua barbara & Romana confusa ac corrupta vtuntur. Permulta tamen retinent Latina verba. Tametsi Russicam quoque & Slauicam linguā in vsu habent, siue propter vicinitatem & commercia, siue quod à Slauis ea quoque regio, quemadmodum cæteræ in eodem tractu à Mæotide palude & Ponto vsque ad Adriaticum mare pertinentes, subacta fuit: quemadmodum Libro primo ostendimus. Nec totam tamen ea gens Daciam tenet. Est enim pars eius occidua Trāsyluania, Vngarorum prouincia, quæ ab Vngaris Saxonibus, Ceculis, & ipsis quoque Valachis nunc habitatur. Ripensem verò Rascij incolunt. Sunt autem Valachi gens dura, bellicosa, & fraudulenta. Vnde verò & quando Valachi dici cœperint, non comperio. Vulgaris quidem est opinio, sed nullo veteri authore nixa, à Flacco quopiam siue præfecto, siue domino eos nomen hoc accepisse, vt primùm Flacci, mox corrupto à finitimis barbaris vocabulo Vulassi & Valachi appellarentur. Polonorum quidem atq; Slauorum lingua non modò hi populi, verùm etiam omnes qui sunt Italici generis Vulassi & Vulossi dicuntur: quod ipsum etiam argumēto est, Italicam hanc gentem esse. Agros non magnopere colūt Valachi, sed armentis atque gregibus alendis fere victitant, eo quod optimis pascuis abundet eorum regio. Inde fit fortasse, vt nostris aliquanto maiores oues & boues ibi nascantur: Quorum maximam ac penè infinitam vim non modò finitimis Rusis atque Vngaris, verūetiā Polonis, Prussis, Silesijs, Boemis, Germanis, Slauis, Italis, Turcisq; quotannis suppeditant. Religionem Christianam colūt, Græcorum ritu. Obscura & ignota penè vsque ad hæc tempora, quæ nunc persequimur, ea gens fuit. Primumq; hoc nomen in Vngarorum historia reperio tēpore Caroli regis: qui anno Christi 1330. contra Bazaradum Valachorum regulum, quem illi Slauico nomine Voieuo dam vocant, Latinè palatinum dici vsus obtinuit, bellum gessit. Vocatur etiam Moldauia hęc ipsa regio, à flumine, an aliunde, nondum satis compertum habemus. Posteriori quidem tempore gens vna in duos dominatus secta, nominibus quoque distingui cœpit, sic vt ij, qui ad Orientem & Septentrionē vergunt, & Podolię finitimi sunt, Valachorum nomen retineant: qui verò Meridionale Transyluaniæ latus attingūt, Multani à nostris, à cæteris verò Transalpinenses vocentur. Nonnulli hos propriè Valachos, illos Moldauos appellant. Huic ergo gēti huiusmodi de causa bellum fecit Cazimirus. Mortuo Stephano Voieuoda Valachorum, duo filij eius Stephanus & Petrus de principatu contendebant. Petro quamuis natu minori, tamen propter liberalē indolem & morum suauitatem plures fauebant. Et acceperat is etiam ab Vngaris auxilia. Itaque nullo negocio dominatum occupauit. Exclusus dominatu Stephanus, simul & insidias fratris metuens, in Poloniam cum nonnullis suæ factionis nobilibus Valachis ad Cazimirum regem profugit, & cùm se in potestate & clientela eius fore profiteretur, facilè ab eo impetrauit, vt se ad paternum dominatum vi & armis reduceret. Igitur Cazimirus conscriptum è minore Polonia & Russia exercitum non contemnendum, initio mensis Iulij in Valachiam cum legatis & Stephano misit. Nec malè Polonis ea succedebat expeditio principiò. In velitationibus enim & particularibus certaminibus fere superiores euadebant. Petrus vbi se imparem esse animaduertit eorum viribus, ad dolum se conuertit. Et quo facilius incautos falleret, clam per internuncios cum exulibus redit in gratiam. Superanda erat Polonis interiorem Valachiam ingressuris sylua densa & impedita, quæ Ploniny à soli sterilitate vocatur. Eam igitur Petrus cum suis insedit, & qua nostri iter facturi erant, arbores succidit, ita vt truncis tamen vtcunque hæreret. Vbi nostri indaginem illā ingressi sunt, ibi coorti ex insidijs Valachi, arbores succisas vi impellunt ab extremis orsi, ita vt cæteræ mutuò sese impellerent. Qua ruina nostri sic obruti sunt, vt qui obtriti & extincti non sunt, viui tamen fere, debilitatis & collisis membris, in hostium potestatem venirent. Pauci de extremo agmine salui euasêre. Capta sunt

Dacia à Traiano Imp. subacta. Eutropius.
Valachorum origo.
Valachorum lingua.
Slauica lingua vnde apud Valachos.
Valachorum mores.
Valachi vnde dicti.
Valachorum studia.
Religio Valachorum.
Voieuoda.
Valach.
Moldauia.
Transalpini siue Multani.
Valachicum bellum, eiusque causa.
Ploniny.
Poloni à Valachis con trucidati.

sunt in eo conflictu tria vexilla magna, Cracouiensium, Sendomiriensium, & Leopoliensium: signa minora militaria seu gentilitia nouem, Topororum, Leliuiorum, Lissorum, Rauiorum, Gryphiorum, Srenauiorum, Habdancorum, Polucosarum, & Stremeniorum. Cazimirus clade hac ad se perlata mœstus, ac de proditione exulum questus, de redimendis captiuis ad hostem misit, & facilè impetrauit. Fuerunt autem inter eos maximè insignes Nauoius Tencini⁹ Andreæ palatini Cracouiensis filius: & Sbigneus Olesnicius Sbignei eius, qui postea fuit episcopus Cracouiensis & Cardinalis presbyter, auus. Cladem Valachicam alia non minor domestica post vnum annum consecuta est è pestilentia: quæ cùm per populos latè serperet, Poloniam quoque sex mensibus autumnalibus & hibernis afflixit, ita vt in oppidis atque pagis dimidiam fermè partem hominum absumeret. Cracouiæ quidem viginti millia mortuorum cēsa sunt. Magis autem ea in nobiles & locupletes, quā in vulgus grassata est. Crucigeri verò ope Ludouici marchionis Brandeburgensis, qui fuit filius Ludouici Cæsaris, Lituaniam tribus excursionibus vehementer tunc afflixerunt, Keistutūque ducem Gedimini filium cæperunt. Sed is commutatione captiuorū liberatus est: nec multo pòst iterum ac tertiùm captus, custodias frustratus euasit. Anno sequenti, qui fuit 1361. Cazimirus rex missis Auinionem ad Vrbanum quintum pontificem max. Innocētij successorem oratoribus, impetrauit, vt in Russia cathedra metropolitica, Cracouiæ verò sineadeò Cazimiriæ noua academia institueretur: id quod Carol⁹ Imperator & rex Boemorū Pragæ iam fecerat. Atque illud quidem perfectum est eodem anno, primusq; archiepiscopus Leopoliensis fuit Christinus, homo equestris ordinis, quanquam non memoratur cui⁹ gētis fuerit, à Gnesnensi archiepiscopo præsente rege consécrat⁹. Academię verò cœptum opus, magna parte ædificiorum consequentibus annis magno sumptu excitata, ad finem tamen tunc perductum non est, Cazimiri morte intermissum. Inuidêre ipsi fortassis fata hanc gloriam, vt integra solidaque Vuladislao Iagelloni maneret. Præterea repullulans rursus inter episcopum Cracouiensem & regem, sacrumq; & profanum ordinem controuersia de iure decimarum & interdictorum, eodē anno arbitrio Iaroslai archiepiscopi Gnesnensis, qui tunc forte Cracouiēsem diœcesim visitabat, ex compromisso se-

Nauoius Tēcinius.
Sbigneus Olesnicius.
Pestis.
Lituania vastata à Crucigeris.
Keistutus Lituanus ter captus à Crucigeris.
1361. ann.
Academia Cracouiensis
Progressus academiæ. Archiepiscopatus in Russia instituta.
Academia Cazimiriæ inchoata.
Iaroslaus

data est. Cuius decreti exemplum extat in constitutionibus regni & synodalibus vulgò editis. Hoc eodem anno Vuratislauia fortuito incendio conflagrauit. In sequens annus annonæ penuria & fame apud Polonos & vicinos populos insignis est. Ac veris quidem tempore lætæ ar riserunt segetes: Iunio verò mense tempestates & aquilones cum pluuijs coorti florem segetum decussêre, & iam enascentia grana corrupêre. Itaque fame vulgò laboratum est: quod malum tamen regis beneficentia & solertia nō sine magno reip. fructu mitigauit. Erat in regijs prædijs atque horreis ingens vis frumenti è superiorum annorum vbertate reliqua: id frumentum rex externis quidem ac ditioribus suis iusto precio vendi iussit: plebs verò egena partim commutatione rerum frumentum accipiebat, partim opus faciendo merebat. Quo quidem tempore complures arces & oppida muris, vallis, atque fossis munita sunt: piscinæ, aggeres, & aquæ ductus multis in locis facti. Atque inter cætera alueus à Cracouia Bochniam vsque per quinque miliaria duci institutus, quo deriuata ac immissa aqua ex Vistula, sal, ligna, ac cæteræ merces vltrò citróque nauibus vel ratib⁹ portarentur. Verùm is alueus perfectus non est. Redegit autem & pecuniam non modicam Cazimirus è frumento vendito. Quæ splendori ei⁹ anno sequēti nō minimum suffragata est in nuptijs neptis, filię Boguslai ducis Stecinensium: de quib⁹ breuiter commemorabimus. Inimicitiæ erant inter Carolum imperatorem & Boemorū regem, & Ludouicum Vngarorum, qui gener Caroli fuerat, leuibus quibusdam iniurijs, vt fit inter vicinos populos, excitatæ, sed conuicio Caroli sic auctę, vt bellum vtrinque magnis viribus appararetur. Ludouicus Cazimirum cum Russorum ac Tartarorum auxilijs, & per eum Sigismundum Danorum regem, Boguslai propinquum in societatem belli pertraxerat. Carolus Boemiam, Morauiam & Germaniam omnem ad arma concitabat. Hoc vbi accepit Vrbanus pont. max. de pace cum vtrisque diligenter egit per legatum suum, Ioannem quempiam sodalem Frācíscanum, virum prudentem & eloquentem: qui cùm impigrè iam ad Carolum, iā ad Ludouicū & Cazimirum recurreret, illum que eò adduxisset, vt satisfacturum se esse aduersarijs de conuicio reciperet, mitigatis ea re Ludouici & Cazimiri animis, non modò pacem inter inimicos reges, verùm etiam affinitatē cōfecit, nempe vt Carolus imperator neptem Cazi-

Vuratislauia arsit.
Fames in Polonia.
Munitio arcium & oppidorum.
1363 1336. ann.
Inimicitiæ inter Carolum Imp. et Ludouicum regem Vng.
Legatio pontificia.
Pax & affinitas inter reges.

T miri

miri regis, Elizabetham Boguslai filiam, quartam vxorē duceret. Tertiam enim, Annam Bernardi Suidnicensium ducis filiam, per quam Suidnicensem dominatum sibi & successorib⁹ suis Boemorū regibus quæsiuit, paulo antè morte sublatam amiserat, cùm Venceslaum filium ex ea suscepisset. Nuptijs dictus loc⁹ Cracouię ad Liberalia, quod Carnispriuium vulgò vocant. Conueniunt eò inuitati à Cazimiro reges, Ludouicus Vngarorum, Sigismundus Danorum, & Petrus Cypriorum, Ponto & aduerso Istro in Valachiam, & inde terrestri itinere per Russiam Cracouiam aduectus: præterea duces Otto Bauarorum, Ziemouitus Masouiorum, Boleslaus Suidnicensium, Bernardi defuncti frater, Vuladislaus Oppoliensium, & Boguslaus cum sponsa filia.

Regum & principum conuentus Cracouiæ.

Ad extremum venit Carolus cum splendido comitatu. Cui venieti omnes principes atque reges cum Cazimiro Cracouia ad vnum miliarium obuiam profecti sunt, & non modicum spacium pedibus progressi, quod idē facere Imperatorem cognouerant, amicè inter se cōsalutarunt. Cùm autē vrbi appropinquaret Carolus, spōsam cum patre & magna puellarum ac matronarum caterua obuiā habuit: deductusque cum ingenti pompa, in arce, Cazimiro petente, diuertit, cæteris in vrbe hospitia distributa. Omnes autem hi principes aduenientes in extremis Poloniæ finibus Cazimiri iussu comiter & perhumanè accepti ac deducti, liberaliter & magnificētissimè habiti sunt, durantibus vsq; in vicesimum diem nuptijs & cōuiuijs. Et cùm abundè omnia ad nutū suppeditarētur hospitib⁹ regiorum ꝓcuratorum atq; dispensatorum prouidentia, tamē ne quid magnificentiæ desideraretur, magna dolia in foro seu circo vrbis collocata sunt, alia vini, alia auenæ plena, vnde sumerent quantum quisque vellet. Præerat aūt procuratoribus ac dispēsatorib⁹ omnibus regijs Verincus Germanus, consul Cracouiensis, quem Cazimirus propter singularem industriam atque dexteritatem in rebus agendis thesauro suo præfecerat, & omnium consiliorum suorum non modò participem, sed moderatorem propemodum habebat. Is igitur cùm esset ditissimus, non habuit satis nuptias illas regio nomine quā splendidissimè administrare, sed vt sua quoque magnificentia Poloniæ splendorem adderet, Imperatori, regibus, ducibus & proceribus eorum domi suæ conuiuium magnifico apparatu dedit, & ampla munera omnibus largitus est: in primis autem regi suo Cazimiro, ita vt quæ ei donauit, plus centum millibus florenorum æstimata esse dicantur. Nuptijs ritè peractis, & fœdere sempiterno inter reges icto, ac iureiurando firmato, & missis inter se vltrò citroq; amplissimis muneribus, domos quisque suas diuersi discesserunt ad fines vsque regni à Polonis proceribus deducti. Dedit autem Cazimirus nepti in dotem centum millia florenorū. Infestata est etiā deinde hoc ipso anno Polonia peste populari. Sequentis verò anni hyems tam fuit aspera & niuosa, vt feras quoque bestias in syluis & volucres extingueret. Adiecit deinde Cazimirus animum ad recuperandam eam partem Russiæ, quam ante tredecim aut quatuordecim annos defectione Russorum magis, quàm vi Lituanorum amiserat: indictaque toti Poloniæ expeditione, cum magnis copijs aduersus Russos & Lituanos profectus est. Cùm autē Belsensium fines primùm attigisset, venit ad eum Georgius dux eius oræ, & placato rege imperata facere pollicitus, impetrauit, vt ditionem illam suam retineret. Itaq; ibi nihil hostile nostri fecēre. Quin & Chelmensem ditionem cum Chelma arce de Lituanis captam Cazimirus ei adiecit. Nam Lubarto petenti veniam dare noluit. In Volyniā deinde siue Vuladimiriensem tractum exercitum promouit: & cùm nemo pugnandi copiam faceret, Luscū, Vuladimiriā, & Olescum arces vi in ditionem suā redegit: cęteras per deditionem accepit. Atq; ita Lubarto eiecto oram illam omnem subactam ac tributariam factam, Alexandro duci Michaelis Coriathi filio, Gedimini nepoti, attribuit. Et quo facilius eum in fide & officio contineret, Luscū & Vuladimiriā ipse retinuit, præsidiaque ijs arcibus imposuit. Deinde successu temporis Vuladimiriam, cùm lignea fuisset, latericio muro muniuit. Et Alexander quidē in Cazimiri fide perstitit: Georgi⁹ verò ambigua fide aliquoties postea rebellionem tētauit. Porrò Lituani nunq̄ deinde, quoad vixit Cazimirus, neq; Russiā, neq; Poloniam infestarunt, eo quod satis habebāt negocij cum Crucigeris, & quòd præsidia contra eos opportunis locis rex collocarat: Masouiam semel duce Keistuto impunè depopulati sunt, ad Poltouiam vsque prouecti. Quo oppido direpto incensoque, quippe quòd munitum non esset, arx quoque cum plurimis mortalibus, qui in eam se cum facultatibus suis receperant, conflagrauit, barbaris materiam incendio subijcientibus. Neque memorabile vllum Cazimiri regis factum post subactam Russiam quatuor illis annis,

Caroli Imperatoris aduentus Cracouiam.

Nuptiarum apparatus.

Verinci Germani dignitas ac magnificentia.

Dos nepti à Cazimiro rēge data.

Pestis.

Hyems aspera.

Georgius dux Belsensium.

Chelma Russica capta.

Volynia subacta & Alexādro tradita.

Luscum & Vuladimiria arces Polonorum præsidijs munitæ.

Vuladimiria muro constructa.

Masouia vexata à Lituanis.

Poltouia incensa.

nis, quibus poſtea vixit, memoratur niſi

Cum Lubuſſenſi epiſcopo tranſactio.

quod cum Petro quoque Lubuſſenſi epiſcopo, quem bonis quibuſdam ſpoliarat, tranſegit, ea lege vt epiſcopus Lubuſſenſis bona, quæ antiquitùs intra fines regni Polonici iam inde à tempore Henrici Barbati ducis habebat, retineret, regẽ autem dominum & patronum ſuum agnoſceret: & quòd comites Dreni ipſi quoque cum ea ipſa arce & Santoco ſe in ditione Cazimiri & regum Polonorũ antiquitùs eſſe, ac deinceps fore iurati profeſſi ſunt: itemque quòd idẽ rex magna parte Poloniæ peragrata, in Pruſſiam ſe contulit cum pacato comitatu, videndi Marieburgi aliarumque arcium & oppidorum cauſa, quæ Crucigeri frequẽtia & permunita, & benecõſtituta habuẽre, vt ad eorum exemplum Poloniam etiam magis cultam redderet. Vbi perhumanè & honorificè à Crucigeris, quocunque adijt, acceptus eſt. Quin & inimicitias cum Carolo imperatore ſuſcepit, idque ſiue ſua ſpõte & aliqua iniuria prouocatus, ſiue Ludouici regis Vngarorum gratia: qui hoc ipſo tempore bellum Carolo indixiſſe, & Morauiam infeſtaſſe memoratur. Extat quidem in archiuo

Comites Dreni & Santoci dedunt ſe regi Polon.

Cazimirus rex in Pruſſiam profectus.

Cazimiri cũ Ludouico fœdus contra Imperatorẽ 1369. ann.

Cracouienſi fœdus & ſocietas Cazimiri cum Ludouico anno Chriſti 1369. diſertè contra Carolum Imperatorem & regem Boemorũ inita. Nec illud ſilentio prætereundum eſt, quòd per hoc tempus metalla Bythomienſia plumbi cum argento intermixto feracia euanuerunt, poſt interfectos crudeliter ab oppidanis publico cõſilio duos ſacerdotes, Petrum parœcum oppidi, & Nicolaum, qui ipſi erat à ſacris concionibus. Neque hac modò pœna Bythomienſes facinus illud luerunt, ſed etiam ab epiſcopo Cracouienſi interdicto perculſi, & honore omni priuati ſunt, damnatique, ne qui ex poſteritate eorum deinceps ſacris initiarentur, aut vlla ſacerdotia obtinerent. Sed ab interdicto & cæteris pœnis poſt biennium demum apud Pontificem max. permagno ſe redemerunt. Erat autem tunc epiſcopus Cracouienſis Florianus Morſcius gente Ielitius, Caſtellani Sendomirienſis filius, poſt Bozentam, qui Bozentino arci, & oppido nomen dedit, amiſſoque viſu obijt. Sub hoc ipſum tempus Boleslaus dux Suidnicienſium & Iauorienſiũ mortuus Carolum Imperatorẽ & regẽ Boemorum affinem ſuum ex pacto hæredem reliquit. Ita tunc Sileſiæ quod reliquum fuerat, Boemorum regno adiectum eſt. Sed iam Cazimiri mors ſtylum noſtrum ad ſe reuocat. Anno igitur Chriſti milleſimo trecenteſimo ſep-

Bythomiẽſium metallorũ interitus.

Bythomienſium pœna ob interfectos ſacerdotes.

Florianus epiſcopus Cracouienſis.

Bozentinũ arx & oppidum.

1370 ann.

tuageſimo cùm hyemẽ Cracouiæ Cazimirus exegiſſet, vere appropinquante in maiorem Poloniam profectus, per æſtatem ibi commoratus eſt. Deinde autumno inde diſcedens, in Sendomirienſi tractu & in Ruſſia venationibus hybernum tempus dare decreuerat: iamque Prædboriam, quod oppidum in Siradienſi tractu eſt, peruenerat, cùm eum grauis caſus afflixit. Fortè enim ad ſextum Idus Septembris, qui dies Mariæ Dei matris natalis anniuerſario & ſolenni ritu à Chriſtianis celebratur, venatum in proximas ſyluas, fruſtra diſſuadentibus nonnullis pijs hominibus profectus erat: vbi dum cupidius ceruum fugientem impedito loco & inter vepres perſequitur, labente magno cum impetu equo, quo vehebatur, vehementer homo ſenex & carnoſus conquaſſatus eſt, ita vt febre exagitaretur. Relatus autem Prædboriam, & citò medicorum ope releuatus, Sendomiriam contendit. Vbi cùm ſpretis medicorum præſcriptis, intemperantiùs viueret, & piris, maliſque, ac cæteris fructibus, quos locus ille producit eximios, ſeſe ingurgitaret, balneiſque nimium vteretur, in febrim recidit. Neque tamen tam acris ea fuit, quin rheda vehi poſſet, medicis Cracouiam proficiſci ſuadentibus, quòd ibi faciliorem eſſe medicationem dicerent. Itaque Sendomiria Chrobranos profectus, cùm ex agitatione itineris grauiore æſtu vrgeretur, frigidam aquam præter ſententiam medicorum bibit. Atque inde maiores flammas concepit. Quibus medicorum arte mitigatis, lectica in Copriuunicenſe monaſterium delatus ſuccollantibus aulicis, octo dies ibi quieuit. Releuatuſque aliquantulum, iter inſtitutum proſecutus eſt. Oſſeci autem cùm alterius de medicis Matthei permiſſu mulſam bibiſſet, rurſum deterius habere cœpit: ſed tamen Corcinum atque inde poſt aliquot dies pridie Calendas Nouembris Cracouiam delatus, languebat magis. Quærit deinde ex medicis, num iam Cracouiam perueniſſent: tacitè eos admonens promiſſorum, quibus ei Cracouiæ certam quodammodo ſanitatem erãt polliciti. Deinde eos rogat, vt verè ac liberè ſibi dicant, an de vita ſua deſperarent. Sed ijs, vt ſolent, bonã ſpẽ oſtentantibus, nihilominus cũ deſtitui ſe virib. animaduerteret, ac cito epiſcopo Cracouiẽſi Floriano, ac Vladislao duce Oppoliẽſi ſororis ſuæ nepote, quem Ludouicus rex Vngarorum illis ipſis dieb. ad viſendum eum miſerat, itemque inſigniorib. nonnullis de cœtu ſacro baſilicæ Cracouienſis, ad hæc & auli-

Prædboria.

Cazimirica ſus.

Sendomiria fructuum optimorum ferax.

Chrobrzany.

Vladislaus dux Oppolienſis.

aulicis ministris suis, in Christiana religione, vti Christianum decet, mori se professus est: testamentumque condidit, quo multa multis cùm satellitibus, tum nothis filijs suis, plurima Cazimiro Scecinensium Pomeranorum duci largitus est: quædam etiam Gnesnensi & Posnaniensi basilicis. Cracouiensi verò crucem illam insignem, quam Leopoli deportarat, cum inclusa portione ligni crucis Christi. Duabus verò filiabus è tertia vxore susceptis, stragulam vestem omnem ac dimidium aureæ, argenteæ, & gēmeæ supellectilis: reliquum autem eiusdem supellectilis matri earū vxori suæ legauit, administrationemq; siue executionem testamenti Ioanni Strelcio, cognomento Suchyuilco, decano Cracouiensi & Cancellario regni commisit. His ritè peractis, sacris mysterijs de more procuratus Nonis Nouemb. vitam cum morte commutauit: ac tertia die post, in basilica Cracouiensi ad dextram aræ maximę honorificè sepultus est. Vbi extat ad huc eius monumentum cū imagine sculpta in marmore. Regnauit autem Cazimirus annos trigintaseptem, vixit sexaginta: pacis quàm belli artibus & operibus clarior: vnde etiam Magni cognomētum solus hic inter Polonorum principes non tam virtute bellica & victorijs meruisse videtur, quàm operibus magnificis, & plurimarum artium & oppidorum munitione, & quòd omnium summorum pariter & infimorum hominū erga se beneuolentiam ijsdem, quibus collegerat, virtutibus, hoc est, iustitia, facilitate, humanitate, elegantia, & clementia, ad extremum retinuit. Etenim ad gloriam quidem plus valent bellicæ virtutes: præsens verò hominum beneuolentia lenioribus his virtutibus facilius compara tur. Magis illas ferè homines admirātur, sed has gratiore memoria persequuntur. Tametsi bellicæ quoque gloriæ non expers fuit cùm alibi, tum in Russia maximè: quam à maioribus suis amissam, maiore felicitate, quàm sudore recuperauit. Nōnulli à corporis habitu & statura Magni cognomentum ei datum esse volunt. Hic princeps inextricabiles iudiciorum laqueos resecuit: leges barbaras & iniquas, quoad tunc potuit, vel sustulit, vel correxit, adeuntibus facilis & comis: querimonias etiā infimorum benignè & patienter audiuit: tenuiores à potentiorum vi & iniuria vindicauit, sic vt ęquior plebi, quā nobilitati esse videretur: captos ab hostibus suos promiscuè redemit: ne cuiquam oneri esset, cauit: seueritate, vt medici solent vstionibus & sectionibus, non

Testamentū Cazimiri regis.

Cazimiri mors.

Magni cognomentum vnde.

Cazimiri virtutes & præclara facta.

nisi necessario vsus est: Poloniam superiorum temporum bellis & alijs calamitatibus vastam & infrequētem, populosiorem reddidit, & ad meliorem cultum redegit, maximè indulgentia in agrestes, ac Teuthonum colonijs deducendis. Arcium verò & oppidorum in Polonia plerorumque omnium munitiones, ac templa lateritia, eius sunt opera. Hic enim Cracouiensem arcem exornauit, cuius tamen exornationis vix iam vlla extant vestigia: Cazimiriam Vistula disiunctam à Cracouia, Veliscam, Scauinam, Ilcussū, Bendinum, Lelouiam, Sendomiriam, Visliciam, Sydlouiam, Radomiam, Opocinum, Vauelniciam, Lublinum, Calissiam, Pysdros, Stauissinum, Velunum, Coninum, Petricouiam, Lēciciam, Ploscum, Inouulozū, Leopolim, Sanocum, Crosnam, Cichouum oppida & castella mœnibus cinxit. Arces Posnaniensem, Calissiensem, Sendomiriensem, Lubliensem, Leopoliensem vtranque, Pysdrensem, Siradiensem, Velunensem, Lēciciensem, Colensem Plocensem, Nepolomicensem, Sidlouiensem, Prædboriensem, Bresnicensem, Boleslauecensem, Ostressouiensem, Premisliensem, Landiscoronensem, Bendinensem, Lelouiensem, Sorstenensem, Ocecensem, Crepiciensem, Secechouiensem, Solecensem, Zauichostensem, Corcinensem, Coninēsem, Naclensem, Velenensem, Medirecensem, Crusuiciensem, Zlotoriensem, Bydgostiēsem, Lubaciouiensē, Trebouuliensem, Haliciensem, Tustanensem, Opocinensem, Prissouiensem, Rauēsem, & Vissegradensem, vel denuò muniuit, vel vetustas refecit. Templa verò præter ea, quæ suprà enumerauimus, Nepolomicense, Corcinense, Solecense, Opocinense, Lapsicense, & in arce Cracouiēsi duo, quorum alterum sancti Michaëlis, alterum Sancti Georgij nomine dedicatum est: è conspectu verò eiusdem arcis Rupense diui Stanislai cæde nobile, itemque prochodochium siue hospitale Stradomiense condidit. Præterea Corcini, Petricouiæ, Calissiæ, & Lenciciæ monasteria: quibus omnibus amplam & luculentā supellectilem ad cultum diuinum accōmodā attribuit. Mogilense quoq; monasteriū imperfectū consummauit: Basilicā etiā Cracouiensem exornauit. Eius etiam opus sunt tabernæ mercatorum & propolarum in circo Cracouiensi. Fuit & viuarium sub arce Cracouiensi ad Vistulam: cuius vestigia se vidisse Mathias Mechouiensis paulo antè nostra tempora memorat. Locus etiamnum vetus nomen retinet, Zvuerzinez dictus lingua ver-

Arces & oppida munita à Cazimiro magno.

Templa à Cazimiro condita.

Smátruz.

Zuuerzinez.

vernacula: Ziemouitum Masouiorum ducē, episcopo Posnaniēsi vt decimas de noualibus agris reddi in sua ditione iuberet, condemnauit. In summa, publica regis huius acta, & opera pleraque omnia laude digna sunt: ac eo quidem magis, quòd dissimilem habuit successorem. Cęterùm domestica vita fuit impurior: in cibo potuque intemperans: in libidines verò ita proiectus, vt præter greges concubinarum, cum quibus magis, quàm cū iustis vxoribus consueuerat, Boemā quādam Rochicianam, captus eius pulcritudine, in loco iustę vxoris haberet, promissa ei conceptis verbis (cùm aliter potiri ea nō posset) fide matrimonij, interueniente abbate Tinecensi thyara ornato: quem mulier episcopum Cracouiensem esse credidit. Sed eam deinde cùm caluā & scabiosam esse comperisset, eiecit, & Iudææ cuiusdam Hester consuetudine vsus est, de qua Nemiram & Pelcam filios suscepit. Nam filias natas, vt in Iudaica religione permanerent, matri indulsit. Huius Hester opera gens Iudaica magnas prærogatiuas in Polonia à rege adepta est, cùm nouas, tùm quas ipsis olim Boleslaus dux Calissiensis in sua ditione cōcesserat. Quin & periculi illius, quod Carolus rex Vngarorum cum vxore & duobus filijs à Feliciano intentatum adijt, Cazimiri huius libidinem in causa fuisse existimant. Itaque iusta pœna diuinitùs affectus esse videtur Cazimirus, quòd nullos post se mares liberos reliquit. Quamuis aūt tam libidinosus ipse esset, tamen continentes sacerdotes singulari fauore prosecutus est. Quòd si industria dexteritateque etiam præditi essent, multum eis vtebatur: & quāuis plebeij & obscuro loco nati essent, nobilibus eos non modò exæquabat, verùm etiam anteponebat. Curabat autē, vt omnes sacerdotes, quoad fieri poterat, sacerdotia sua per se ipsi præsentes administrarent. Statura procera fuit & corpulentus, capillo denso & crispo, promissa barba, voce sonora, sed balbus aliquantulum. Cazimiro etiam regnante, vt ne pios homines suis laudibus defraudemus, Mathias Golancieuius, gēte Toporus episcopus Vuladislauiensis, qui 42. annos episcopi munere functus est, basilicam Vuladislauiensem nouam condidit in oppido, cùm prius sub arce fuisset. Aliud item templum Vitalis martyris memoriæ dicatum in eodem oppido construxit: arces Vuladislauiensem & Racianzum cocto latere muniuit: deinde senio confectus, & visu orbatus, Sbilutho propinquo suo præposito eiusdem basilicæ, episcopam concessit. Quanq̄ postea pœnituit eū facti, cùm nō pro meritis ab illo tractaretur. Iaroslaus verò Scotnici⁹ gente Bogorius, archiepiscopus Gnesnēsis permulta pręclara monumēta reliquit, quę aptius infrà recensebuntur. Per hoc tēpus Crucigeri Prussienses atq; Liuoniēses, & Lituani mutuis populationib⁹, & munitionum euersionib⁹ inter se certabant: nonnunquā etiam ad man⁹ veniebant, & quidem Marte vario. In Germania verò Heluetiorū siue Suitensiū societas, ante septuaginta ferè annos instituta, per iniurias principū, quib⁹ ij ciuitates affligebant, magna cœpit incrementa. Sed iam Librū hunc vnà cum Cazimiri regno finiamus: sequentesque externi generis regibus dedicemus.

Vitia Cazimiri.

Iudæorū prærogatiuæ in Polonia vnde sint.

Effigies Cazimiri.

Vuladislauiensis basilica noua.

Vuladislauia & Racianzum arces munitæ ab episcopo.

Iaroslaus Bogorius

Heluetiorū incrementa.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER TREDECIMVS.

PROOEMIVM.



IAM inde à Lecho condito re vsque ad mortem Cazimiri secundi, semper Polonia sui generis reges atque principes habuit, Venceslao Boemo, de quo in superiore Libro pertractauimus, excepto. Deinceps verò, cū Cazimirus rex moriens, nullos mares liberos reliquisset, ad hoc vsque tempus, quo hæc scribimus, exteri apud Polonos regnarunt, nempe Ludouicus Vngarus, & gener eius Vuladislaus Iagello Lituanus cum sua posteritate, quæ in hunc vsque diem durat atque regnat. Quæ tempora dū persequimur, nemo à nobis exactam eorum omnium, quæ ij reges vsquā alibi gesserunt rationem expectabit. Quāquam enim per reges atque principes historiam ducimus, tamen instituti nostri est, non tā vitas regum ipsorum atq; principum, quàm res gestas Polonorum persequi. Quocirca, quæ Ludouicus, de quo mox scribere aggrediemur, siue in Vngaria, siue in Italia, siue vsquam alias gessit,

Externi reges.

quęque ij, qui poſt eum in Polonia regnarunt, quę quidem ad Polonicam hiſtoriam non pertinebunt, vix & obiter attingemus. Lituanicas verò res à tempore Iagellonis regis, quòd cõiunctæ erunt cum Polonicis, non ferè omittemus, niſi ſi q̃ erunt, quæ minus ad nos pertinere videbuntur. Hæc ſemel præfati, iam ſuſceptum opus à morte Cazimiri ſecundi regis proſequamur.

LVDOVICVS VNGARORVM ET Polonorum rex.

CERTIOR factus de graui morbo, ac mox etiam de morte Cazimiri regis Ziemouitus dux Maſouiorum à Ioanne filio, quem hac de cauſa miniſterio regis addixerat, illico Ploſcum, Rauam, Viſſegradum, Goſtininum, & Sochacziouiam arces in ſuam redegit poteſtatem, dedentibus eas vltrò pręfectis, cùm quòd ſciebant ex pactis conuentis eas Ziemouito deberi, tum quòd muneribus & pollicitationibus ab eo redempti erant. In vtraque etiam Polonia & in Ruſſia poſt vulgatam mortē regis noui quidam motus exciti ſunt à finitimis. Nam Haſſo ſiue Heſſus quiſpiam Ottonis marchionis Brandeburgenſis, qui fuit filius Ludouici Bauari Cæſaris, præfectus, cùm didiciſſet proditione triū Saxonum, qui in præſidio Santoci erant, arcem eam à paucis cuſtodiri, & à commeatu imparatam eſſe, præfectumque eius Sendiuoium Virium caſtellanum Bninenſem abeſſe, cum tumultuaria agreſtium ferè manu eò accurrit, arcemque oppugnatam acrius, tādem Sendiuoio Sleſſinio impigro iuuene, qui ceſſantibus Saxonib⁹ proditorib⁹ cum paucis ſuis arcem defendebat, vigilijs & labore confecto per deditionem ac cepit. Ex alia verò parte Lubartus Lituanus cum Keiſtuto fratre & expeditis copijs Vuladimirienſem arcem in Volynia, poſteaquā primo impetu capere nō potuit, circumſedit. Præerat arci Petraſſius Turſcius de ſatrapia Lēcicienſi. Is quā uis diutius obſidionem ſuſtinere potuiſſet, tamen Alexandro duce, cui Volynios parēre Cazimirus iuſſerat, Cracouiam profecto, cùm necunde quicquam opis expectaret, ferocitate & minis Lituanorum territus, arcē ligneam veterem, quā tuebatur, dedidit. Acceptam Lubartus valido præſidio firmauit. Nouam verò, quam Cazimirus duobus annis magna cura ſumptuq; cocto latere muniuerat, neque tamen conſūmauerat, diruit, & ſolo æquauit. Inde in Lublinenſem atque Sendomirienſem tractū excurſionē fecēre ijdē barbari, magnasq; p̄das egēre. Ac inter alia Lyſſecēſe ſiue Calui mōtis monaſteriū diripuēre. Vnde cùm inter aliā prædā portionem crucis Chriſti auro incluſā aſportarēt, & ad fines Polonię peruenniſſent, memorabilis res accidit. Plauſtrū enim, quo crux cū cętera præda vehebatur, nulla vi neq; iumentorū neq; hominū loco moueri potuit: quin ſubitò cōcidebāt exanimati homines, equi & boues, quicunq; id plauſtrum attigerant. Obſtupefacti re noua Lituanorū duces, cùm ex Ruſſo quopiā miraculi & cladis ſuæ cauſam cognouiſſent, mox crucē cum Chorabala quodā nobili captiuo, libertate donato ad locū ſuū remiſēre: ipſi cū reliqua præda domos ſuas ſalui peruenēre. Neq; enim erat qui noſtros ad arma cogeret, vt fit ſoluta diſciplina omni morte principis. Nā Ludouicus rex Vngarorū, quē Cazimirus multo antè ſucceſſorem ſibi deſignarat, licet mox de morte auunculi certior factus eſſet, tamen continuit ſeſe domi: & quorſum cōſilia Polonorū vergerēt, expectabat. Verebatur enim, ne ij mutata ſententia alij regnū mandarēt. Erant enim ſuperſtites duæ filiæ Cazimiri: Erat & Cazimirus Scecinenſiū dux, nepos ex filia: Erant etiam [illegible]uienſium & Maſouiorū duces propinqui & neceſſarij. Matrē tamen ſuam Ludouicus Cazimiri regis ſororē celeriter in Poloniam præmiſit. Nec ita multo poſt venerūt ad eum Viſſegradū è comitijs Polonorū oratores, Florian⁹ epiſcopus Cracouienſis, & Ioannes Strelcius cācellari⁹ Poloniæ, rogantes vt primo quoq; tempore in Poloniam veniret, regnumq́; deſtinatum ſuſciperet, ac præſentia ſimul & impendētia pericula depelleret. Audita ille legatione, aliquandiu, quid faceret, deliberauit. Cunctanti cùm & noſtri orādo, & Vngari proceres ſuadēdo inſtarent, tandē reſpōdit: Nō ſatis intelligere, neq; hos quid ſuadeāt, neq; illos quid petāt. E neutrorū enim id re fore: ſicuti ne duob⁹ quidē gregib⁹ expediat, vnum habere paſtorē. Satis & abundè eſſe negotij, vni populo præeſſe. Duas Reſpub. vix vlla ratione ſine alterutrius, ſiue adeò vtriuſq; malo & incō modó ab vno adminiſtrari poſſe. Ita tūc Ludouicus. Sed tandē vict⁹ precib⁹ oratorū, annuit. Bōfinius, audita morte Cazimiri auunculi, ſtatim eū ingenti delectū habito in Poloniā ꝓfectum eſſe, regnū q; teſtamēto legatum à ꝓceribus & legatis populorum petiuiſſe, & facilè impetraſſe ſcribit. Venientē proceres Poloni cū frequenti nobilitate ad Sandeciā obuiā progreſſi excepēre, & Cracouiam deduxēre. Ibi rurſus armatę ciuitatis occurſu honorificè cōſalutat⁹ eſt. Poſtero die rogatus publicè à Ioanne Cancellario, an teſta-

man-

Ziemouitus Maſouiorū dux munitiones quaſdam occupat.

Sendiuoius.

Santocū Polonis ereptū.

Vuladimiria à Lituanis per deditionem recepta.

Petraſſius Turſcius.

Lituanorum excurſio in Poloniam.

Lyſſecenſe monaſteriū direptum.

Miraculum.

Ludouici regis cūctatio.

Elizabetha regina Vngar. venit in Poloniam.

Polonorum oratores ad Ludouicum.

Sapiens dictum.

Regna plura non benè ab vno adminiſtrari.

Ludouici regis aduentus in Poloniā.

mentũ Cazimiri regis ratũ esse iuberet, præcipitanter assensus est. Sed admonitus ab ijs qui proximi de senatu aderant, multum detrimẽti eam rem Polonię allaturam esse propter profusas donationes & legata Cazimiri, & quòd de fide quoque scripturæ testamẽti dubitaretur, ad senatum ea de re per Vuladislaum Opoliensium ducem retulit. Senatus porrò, ne quem offenderet, cæteras quidem omnes donatiões valere, de ea verò, qua Scecinensi duci Siradiensis, Lenciciensis (quam post mortem Ziemouiti auunculi sui Cazimirus recuperauerat) ac Dobrinensis ditio, itemque arces Crusuicia, Bydgostia, Vulotouũ, & Valcia cum suis territorijs donabantur, itemq; de ea, quæ fiebat nothis filijs Cazimiri, apud terrestres iudices, quos vocant, disceptandum esse cen[illegible]ca Zambrus iudex Sendom[illegible]cus Naborouius subiudex [illegible]s lecti iudices reb[illegible]runt eas do[illegible] non de [illegible]osæ [illegible] rogans [illegible] Vran [illegible] Ste [illegible] per [illegible]ndum [illegible], beli[illegible], cũ quo [illegible]andum. Q[illegible] legit Ludouic[illegible] Dob[illegible]rum ditione, [illegible]stia, V[illegible] & Valcia acquiesc[illegible], cætera [illegible]nqueret. Quibus re[illegible]s tunc peractis, [illegible]s de coronatione regis ab archiepisco[illegible] & maioribꝰ Polonis scrupulus iniectus est, ꝙ ij cõtendebant, vt ea Gnesnæ more veteri fieret. Sed Ludouicus proximorum regũ Vuladislai aui & Cazimiri auunculi exemplum in ea re secuturum se esse dixit. Quo responso sedatis maioribus Polonis, decimoseptimo die Nouembr. ab Iaroslao archiepiscopo Gnesnensi, adstantibus Floriano Cracouiensi, & Petro Lubussensi episcopis in basilica Cracouiensi diadema solenni ritu accepit. Nec tamen desiderium Cazimiri defuncti regis ex animis hominum rex nouus euulsit: imò plus etiam accendit, cùm non modò dissimilis esset Cazimiri, sed ne adiri quidem à nostris sine interprete posset: quin res quoque Polonicas negligere ac parui facere videretur, ac non modò non intenderet animum ad recuperãda ea, quæ superiori tẽpore à Polonia auulsa erant, verùm etiam enormem donationem adijceret, qua Vuladislao duci Oppoliensium, Vngariæ palatino, Ostressouiensem & Velunensem tractum omnem, qui Rudensis olim dictus est: itemque Olstinense, Crepiciense, & Bobolicense territoria in satrapia Cracouiensi: adhæc Brezniciense in Siradiensi donauit. Sed tamen tum ab hoc ipso Vuladislao, tum à Cazimiro Scecinensi (quã quam de Vuladislao variat Dlugossus) solenne iusiurandum accepit, quòd perpetuò in potestate ipsius & regum Poloniæ deinceps futuri essent, & quòd illæ omnes eorum ditiones regno accrescerent, si ij nullos mares liberos relinquerent. Exequias deinde magnificentissimas & sumptuosissimas auunculo mortuo apparauit. Vbi permultum argenti facti basilicæ Cracouiensi oblatum atque donatum est, & infinita penè hominum multitudo lachrymis, planctu & eiulatu ingens defuncti regis desiderium testata est, præsertim quòd cum eo successionem regum suorum vetustissimã à Piasto v[illegible]agatam, extinctam esse cerne[illegible]que ad externum regem p[illegible] longè absfuturus esset. Qu[illegible]ouicus animaduertisset, veri[illegible]æ Cazimiri nothandarum re[illegible]ionem Polonis [illegible], ablegauit eas in Vngariam, & con[illegible]icio, perfecit vt non ex iusta v[illegible]redes pronunciarentur. Quod [illegible]ominis facinus nõ nisi iusta diuini nu[illegible] dicta factum esse videri potest, vt filię Cazimiri paternarum libidinum & stupri, ingenuæ puellæ Feliciani filiæ oblati in eodem penè loco, quo ille deliquerat, pœnas luerent. Postea tamen Anna Vilelmo comiti Ciliæ, Heduigis Romero cuidam duci nuptui tradita est. Vt verò postulatis maiorum Polonorum satisfaceret Ludouicus, in maiorem Poloniam post paucos dies profectus est, & biduum Gnesnæ cõmoratus, paratum sibi in basilica Gnesnẽsi soliũ ascẽdere noluit, affirmãs id neque sibi, neq; Polonis decorũ fore, vt coronationem Cracouiæ peractam quasi in dubium reuocarent. Deinde Cracouiam reuersus, cùm animos Polonorum vexatione, violẽtia, & rapinis Vngarorum offendisset, neque de recuperando Santoco & Vuladimiria consilij quicquam iniuisset, mox in Vngariam redijt, Transalpinensium Valachorum Voieuodæ defectione excitus, omni gubernatione Polonię matri commisſa. Nec mora, cũ duobꝰ exercitibus Valachiã Transalpinẽsem ingressus, alterũ qui-

De Legatis Cazimiri iudicium.

Iudices dele[illegible]

[illegible]actio [illegible]ici cũ [illegible] Pome[illegible]orum.

[illegible]e corona[illegible] contro[illegible]

Iaroslaus

Ludouicus rex Cracouiæ coronatur.

Ludouicus rex Polonicarum rerũ negligens.

Ludouici profusa donatio, Oppoliensium duci facta.

Pomeranici & Oppoliensis ducis iusiurandũ regi Pol. datũ.

Cazimiri filiæ relegatæ & exhæredatæ.

Vngarorum violentia.

Elizabethæ reginæ administratio regni commissa.

Ludouicus Transalpinã recuperat. Seuerinum.

quidem in syluis circumuentum ab hostibus amisit, cum altero victor defectores in suam redegit potestatem: & ne tã facilè ij deinceps rebellarent, Seuerinũ oppidum quod fortè Zuuerinũ Slaui dixêre, instaurauit, præsidioq; firmauit. Interim Elizabetha mater eius in Polonia muliebri vsa consilio iuuenes & imperitos homines in senatum allegit, compluresq; bonos & graues viros magistratib9 mouit, & nihili homines atq; assentatores eis suffecit. Ac inter alios in primis

Goluchouius motus præfectura maioris Poloniæ. Otto Pileci9 præfectus maiori Poloniæ contra leges.

Prædislaus Goluchouius palatinus Calissiensis vir magnanimus & moderatus, præfectura maioris Poloniæ motus, eiq; Otto Pileci9 successor datus esse memoratur. Quã rem ægrè tulêre maiores Poloni, & parêre Ottoni, quamuis & genere & virtute præstanti, detrectabant, propterea quòd nullas is habebat possesiones in maiore Polonia, atq; ita contra leges præfecturã obtinebat. Sed tamen homo splendidus & liberalis, vt quemq; de nobilitate factiosissimum & sibi maximè aduersarium esse nouerat, ita os eius comitate & munific[illegible] primũ obstru[illegible] us dei[illegible] cùm ora [illegible] is infestaretur, neq; [illegible] opib[illegible] quas ibi nullas [illegible] mpescere [illegible] posset, & nobilitas [illegible] o eius odi[illegible] tiã detrectaret, ce[illegible] uidiæ & [illegible] ra se abdicauit [illegible]

Sendiuoius Subinius præfectus maiori Poloniæ. Pestis.

us indigen[illegible] onim[illegible] Pestilens hic, item[illegible] Polonis fuit. Prodig[illegible] Posnaniæ accidit. Basilica [illegible] adhærente sibi turre dextra de cœlo tacta est, ita, vt perrupto culmine & angulo turris, parua fissura facta in fornice in sacellum regiũ fulmen penetraret: ac cæteris reb9 intactis, solas Præmisli regis & Rixę vxoris eius imagines confringeret. Insequẽs annus nihil ferè memorabile habet, præter quædam de Iaroslao archiepiscopo: nempe quòd is Ziemouitum Masouiorum ducem ecclesiastico interdicto perculit, eoq; adegit, vt duorum pagorum donatione ipsi satisfaceret, pro eò quòd Petrasius Cristini palatini Plocensis filius bona eius ecclesiastica in Masouia iubente vel certè conniuente Ziemouito latrocinio infestasset, vexassetq;. Nec multo pòst senio confectus & oculis captus Iaroslaus, cùm supra triginta annos archiepiscopus fuisset, Nicolao Cossuto uio preposito Gnesnensi propinquo suo archiepiscopam cõcedere statuerat. Sed cùm is improuidè sine regia commen-

Prodigium.

Iaroslaus

Ziemouitus Masouiorũ dux diris de motus, quòd nõ coerceret bonorũ ecclesiasticorũ inuasores.

datione & collegij Gnesnensis consensu Auinionem ad Gregorium vndecimũ pontificem max. ea de re se contulisset, infecto negocio inanis redijt. Neque tamen Iaroslaus dimittendæ archiepiscopę cogitationem deposuit: sed Ioannem Suchyuilcum iuris canonici Doctorem cuius antea mentionem fecimus, sororis filium successorem sibi legit. Verùm is quoq; plusculum negocij in conficienda re habuit, palàm commendante, & clàm impediente eius causam Ludouico apud Pontificem max. Ad extremum tamen noua regis commendatione & collegij approbatione adiutus, voti cõpos factus est. Iaroslaus verò Pomeranicis & Opatouicensibus possessionibus ac decimis in ora Calissiensi indulgentia Pontificis max. ad v[illegible]m s[illegible]m retentis, in Landense mon[illegible] cessit, & biennium ferè ib[illegible] pertæsus monaste[illegible] rauit, vbi intra [illegible] Po[illegible] ces[illegible] ctioni id[illegible] paroe[illegible] rogat[illegible] rem iu[illegible] is archi episcop[illegible] couiensi diœce[illegible] iuente Bozenta episco[illegible] qui dotare eam noluit [illegible] m amnis eo loci Gnesnen[illegible] ouiensem diœceses dirim[illegible] oratur etiã de eo illud excelsi[illegible] facinus, quòd cùm iuuenis adhuc Bononiensis academię rector esset, transtulit inde academiam sua autoritate propter Britannum siue Anglum quẽdam scholasticum à magistratu vrbis capite plexum: nec prius eam restituit, donec pro cæde Angli satisfactum est. Fertur autẽ Iaroslaus mandassemoriens, vt cadauer suũ non ostio, sed pertuso pariete in basilicã sepeliendũ inferretur, ꝙ non ritè neq; ordine archiepiscopũ se factum esse diceret. Hæc de Iaroslao suffecerint: quę omitti certè hic à nobis non oportuit. Per hoc tempus Ludouicus rex cum Carolo Imperatore in

Iaroslaus cæcus abdicauit se archiepiscopa. Ioannes archiepiscopus Gnesnensis.

Iarosl[illegible] mon[illegible]

[illegible] oui[illegible]

[illegible] seon.

Iaroslai [illegible] chiepis[illegible] magn[illegible] mus.

Iaroslaus nõ ritè factus archiepiscopus.

gra-

Sigismundo Caroli filio Ludouicus rex filiam suam despōdit. gratiam rediit, ac filiam suam natu maiorem Mariam filio eius Sigismundo, è quarta vxore suscepto, paruulo etiātū desponsdit, & in aula sua ipsum educauit. Pater *Marchia Brādeburgensis à Carolo Imperatore empta.* verò marchiam Brandeburgensem ab Ottone Ludouici filio ipsi emit: cùm autem duas filias ex Elizabetha Stephani Bosnensium reguli filia suscepta, duoque regna haberet Ludouicus, vtrique filiæ viuens cupiebat prospicere, ita vt altera apud Vngaros regnaret, apud Polonos altera. Ac apud Vngaros quidem iā vni prospexisse videbatur: de altera autem solicito, fortuna siue consilium talem occasionem obtulit. Poscebat is Polonos vectigal, quod regiū & poradline, quasi rastrale dicitur, duodenos grossos latos, & singulos modios siliginis & auenę in laneos, quemadmodum antiquitùs pēdi solitum erat. Negabant proceres sacri pariter & profani ordinis, quòd ab eo Poloniam imm[illegible]ctam esse libera litate [illegible] ille ad mo[illegible]ulsis, [illegible] modo, [illegible] esse à Cazimiro [illegible] [illegible]eret: solutum [illegible] [illegible] vixerit Cazimirus, [illegible]eò r[illegible]axit per internunci[illegible] [illegible]abus suis regna[illegible] [illegible]i iussuros se es[illegible] [illegible] grossos quo[illegible] [illegible]derent, qui[illegible] [illegible]eliquis penis [illegible]gibus ac duci[illegible] [illegible] cuncta nobi[illegible]litati[illegible]que subiecti homines perpetuam [illegible]nem & immunitatem haberent, pr[illegible]erquam si rex [illegible]m arcem condere[illegible]t veterem tempore belli reficeret, tunc demum vt nobilitatis subditi cum *Poloni alteram de filiabus Ludouici reginā sibi destinarūt.* regis opus facerent. Accepêre conditionem Poloni. Atque inde in hodiernum *Episcoporū subditi imunes à poradline vectigali.* vsque tempus manet vectigal hoc ita imminutum regi. Tametsi episcopi tunc nè id quidē suos agricolas pēdere passi sunt, defendētes mordicus Boleslai Pudici & Cazimiri magni remissionē. Cuius quidē remissionis Cracouiensi duntaxat ec- *Cracouiensis ecclesiæ immunitas.* clesiæ factæ, extant diplomata vtriusque principis in basilica Cracouiēsi. Monasteriorū verò adscriptitii, præfectis regiis exigentibus, & conniuentibus episcopis aliquādiu totam veteri more pēdere coacti sunt. Illa quoque in pactis fuêre, nè *Honores & magistratus ne supprimātur.* Rex magistratum siue honorem vllū perpetuum supprimeret, néue externo cuiquam conferret, ac ne præfecturam qui- *Externi & illustres ad honores & magistratus* dem arcis cuiusquam aut oppidi, quæ iurisdictionem adiunctam habeat: imò ne indigenæ quidem illustri, ducum ge- nere orto. Hæc ita tunc conuenêre Cas- *non admittendi.* souiæ anno post Christum natum 1374. *1374. ann.* Nunc iam nouos motus, quibus Polonia deinceps exagitata est, persequamur, paulo altius repetito principio. Ziemomyslus Vuladislai Loctici frater tres filios moriens reliquit: qui sic patrimonium inter se partiti sunt, vt Premislo Bydgostia cederet, Lesco Inouuladislauia, Cazimiro Gneuucouia. Ex his solus Ca- *Ducum Cuiauiensium propago.* zimirus liberos reliquit, Elizabetham & Vuladislaum, cognomento Album. Atque Elizabetham quidem cùm Caroli regis Vngarorum vxor Loctici filia educandam suscepisset, Bosnensium regi Stephano in matrimonium collocauit: de qua Elizabetha item filia nata est, quæ secun- *Ludouici secunda vxor.* da Ludouici regis vxor fuit. Vuladislaus *Vuladislai ducis Cuiauiæ acta.* verò cùm patri & Præmislo patruo, concedente rege Cazimiro, successisset, causamque de vi & alieno agro vsurpato quodam tempore apud eundem regem dicere iussus esset, furore percitus temerè Bydgostiam repudiauit: nec eam pòst *Bygostia in potestatē regis redacta.* [illegible]ibus recuperare à Cazimiro po- *Gneuucouiā empta.* [illegible] Gn[illegible]couiam quoque, accep[illegible]is mille [illegible]gi concessit: & peregrè profe[illegible]r multa loca peruagatus esset, [illegible] Cistercium veniens, monachus [illegible] Nec multo pòst mutato consilio, Di[illegible] in Burgundia Benedictinorum sectæ sese addixit, & com[illegible] annos ibi commoratus, & sororis Cazimirique [illegible] liberalitate sustentatus est. Cùm igitur procer[illegible]dam de maioribus Polonis nouarum [illegible] cupidos pœnitere externi regis & absentis, muliebrisque dominationis cœpisset, cō municato clàm inter se consilio legationem ad acciendum Diuione Vuladislaum misêre, quòd nemo eo propinqui- *Vuladislaus monachus accersitur ad regnum.* or Cazimiro & Vuladislao regibus agnatus viueret. Ac facilè is, vt erat leuis, in spē & cupiditatem adipiscendi regni adductus est. Quoniam autem diaconus iam erat, Auinionem ad Pontificem maximum obtinendæ indulgentię siue dispensationis causa contendit, legatis Basileæ se expectare iussis. Et quamuis nihil à Pontifice impetrasset, tamen Basilieam, atque de legatorū suasu, dimissis eis, in Vngariam dissimulato ꝓposito ad affinē regem profectus est: apud quem reginę propinquę suę magnis precib[9] perfecit, vt ad Pontificem max. ꝓ se legationē mitteret, quò sibi mutato ordine, & abiecta professione possessiōes & principatū obtinere liceret. Sed repulsam etiam tum passus clàm se cū quatuor tantùm comitibus ex Vngaria subduxit, & veniens Inouuladis-

lati-

Vuladislaus dux res nouas molitur in Polonia.

iauiam arcem ex improuiso occupauit. Et mox oppidanos accitos in verba sua iurare iussit. Inde Gneuucouiã, eadẽ celeritate vsus, in potestatem suam redegit, Romliconem Zlotoriæ arcis præfectum in agro fortè repertum cæpit, & Zlotoriam quoque eodem die per deditionem accepit, cùm necem præfecto sub arcem adducto minaretur, ni ea sibi dederetur. Ita tribus arcibus vno die potitus, cùm voluntarij multi ad eum concurrerent, sumpta maiore fiducia postero die Sarleium arcẽ oppugnare adortᵍ, tertio die in deditionẽ accepit. Hæc ad Sendiuoium Subinium præfectum maioris Poloniæ cùm perlata essent, celeriter Ludouicũ regem de statu rerum Cuiauiensium certiorem facit: simulque facta nõ contemnenda manu de nobilitate, ad reprimendos conatus Vuladislai cõtendit. Obsessa primùm Inouuladislauia, cùm nihil esset spei in Vuladislao, deditionem fecit. Qua re permotus Vuladislaus, simul & ab ijs, qui cum eo se coniunxerant, desertus, reliquas quoque arces reddidit, promittente ei Sẽdiuoio cle[illegible]tiam & munificentiam regis. Qu[illegible]s expectata cùm frustraretur, & [illegible]emeretur, rursus eadem, quæ pr[illegible]i suadentibus & incitantibus qu[illegible]am improbis instituit. Sed cùm Sendiuoius præfectus consilia eius sensisset, ratus, ita vt erat, Scripinium sororis suę virum, quem Zlotoriæ prçfecerat, senem inertem & ebriosum, in[illegible]s eius maximè opportunum esse, amouere eum à præfectura volebat: verùm ab eo & sorore sua, ne id faceret, exoratus est. Ad hunc ergo fallendum subornat Vuladislaus piscatores, qui eũ allato Torunia vino inebriarent. Quod cùm factum esset, sopito eo pariter & custodibus, vt ferè ad exemplum heri famili sese componit, nocte intempesta missa à Vuladislao manus scalis admotis arcem, custodes, præfectumque cępit: sed Scripinium propinqui postea mille florenis redemêre. Hinc rursus magnis egẽtium, ære alieno oppressorum, & facinorosorum hominum concursus ad Vuladislaum factus est. Inter alios etiam Vlricus Bo[illegible]cæ Drenij, qui superiori tempore inopem Vuladislaum facultatibus suis sustentauerat, filius, impiger iuuenis cum aliquanta peditum equitumque manu in auxilium ei veniens, Racianzum arcem episcopi ex itinere capere nixus est: sed repulsus ab ijs, q in arce erant, Gneuucouiã oppugnauit: & fauentibus atque adiuuãtibus oppidanis, arcem incendit, præfectumque arcis Gerardum Sloneuium viuum in potestatem suam redegit, quem Sendiuoius postea magno redemit. Infestabat autem Vuladislaus ex arce Zlotoriensi maiorem Poloniam latrocinijs vsque adeò, vt Sendiuoius solus cum maioribus Polonis reprimere eum non posset. Itaque & Iascus siue Ioannes Cmitha gẽte Srenauius præfectus Siradiensis cũ nobilitate Siradiensi ad restinguendũ gliscens incendium profectus est. Verũ eius currus, & impedimenta cùm alia via sub sequerẽtur, à Vuladislao intercepta sunt, Iascus tamen nihilo segnius cum Bartholomæo Veisemburgio præfecto Brestensi coniunctis copijs, Vuladislao ad vexandos Inouuladislauiẽses numerosam magis quàm bellicosam multitudinem ducenti apud Gneuucouiam occurrit, consertoque prælio, facilè eum fudit fugauitque. Nactus autem nauiculam Vuladislaus fugiens Vistulam traiecit, & in Zlotoriensem arcem se recepit. Et quamuis Sendiuoius præsidi[illegible]tum in munitione Iaroslai Sluzeu[illegible]das excursiones eius collocasset, a[illegible]le tamen nihilo minus p̃das ex [illegible] Qua [illegible]maiore vi Sendiuoius [illegible]um [illegible] gerere instituit, mai[illegible]olo[illegible]ctis, & Cuiauijs sum[illegible]na in[illegible]toque etiam in aux[illegible] cinensium duce Ab[illegible]us in arce Zlotorien[illegible] cu[illegible] nuit obsidionem [illegible] bus incommodis [illegible]tes se afficiebat. Nocturno enim tempore expeditos milites ex arce nauigijs emittebat, qui præteruecti silentio castra obsidentium, non modò eos qui longiùs à castris egressi erãt, excipiebant, verùm etiam extrema statiua infestabant: quin machinis etiam quibusdam artificiosis oppugnationi intentos ex arce conuulnerabant, & summouebant. Earum verò machinarum opifices & administri erant duo molitores, quorum alter Zlotoriam Vuladislao prodiderat, alter, cui nomen Hanco, Brestensis moletrinæ hæres captus superiori tempore à Vuladislao. Cùm autem hic ipse Hanco exitum illius belli & obsidionis, quàm diu sustineri non posse propter cõmeatus penuriam videbat, secum reputaret, metuens ne fraudi sibi esset hostes patriæ iuuisse, consilium cæpit prodendæ arcis: sed re coniecturis quibusdam deprehensa, subiectus quæstionibus, rationem & ordinem omnem meditatę proditionis aperuit. Quibus rebus exploratis, emisit Vuladislaus Hanconis generum ad hostes cum mãdatis ipsius de proditione. Lætus ea re Sendiuoius, cùm glo-riam

Sarlensis arx.

Subinius præfectus obstat conatibus Vuladislai ducis.

Vuladislai noui conatus.

Scripinius per ebrietatem Zlotoriam amisit.

Gneuucouia incensa.

Iascus Cmitha.

Vuladislaus dux victus.

Hanco proditionẽ molitur.

riam captæ arcis & confecti belli solus obtinere cuperet, Cazimirum quidẽ ducem cæterosq; proceres cõsilium suum celauit, ipse verò intempesta nocte, quẽadmodum constitutum erat, cum expedita suorum manu sine vllo strepitu ad arcem accessit: patefactaq; porta, cùm iam vigintisex milites immisisset, antequam ipse cum cæteris ingressus est, milites Vuladislai, qui hæc supernè clàm obseruabant, celeriter cratem portę impendentem deiecêre: cuius pondere & clauis prominentibus insignes duo equites Poloni, Fridericus Vedelius, & Vscẽsis dominus oppressi sunt. Nec mora, illustrata ignibus arce, vigintisex illi qui primi ingressi erant, saxis & iaculis vndique coniectis obruti sunt. Ita in insidias præcipitatus Sendiuoius, tot fortibus viris amissis tristis mœrensq; in castra rediјt. Illucescente verò die fremens ob acceptam ignominiam, totis viribus arcem oppugnauit vsque ad vesperã, nec tamẽ capere eam potuit. In ea oppugnatione Cazimirus Scecinensium dux saxo per cassidem ictus in capite, non diu postea vixit. Postero die cùm Vuladislaus de retinenda arce desperasset, crematis palàm ante arcem molitore ac genero eius, itemq; ijs, quorum opera arcem interceperat, deditionem fecit, & ad regem in Vngariam missus, decem millia florenorum ab eo pro Gneuucouiensi territorio accepit. Adhæc abbatia quadam luculenta in Vngaria donatus est. In qua aliquantisper commoratus, Diuionem redijt: ibiq; resumpto monachi habitu, vitam finiuit. At illi, qui eum ad res nouandas in Polonia adiuuerãt, partim voluntarium sibi exilium indixère, partim carcere & bonorum confiscatione damnati, pœnas dedêre. Aliquanto aliter Albertus Crãtius hæc de Vuladislao duce, quem & ipse Album vocat, ac toti Poloniæ vult præfuisse, commemorat. Sed quorsum attinet omnes omniũ opiniones persequi? Pertæsa Polonicorum motuum Elizabetha Ludouici regis mater, excesserat è Polonia, & peramplos reditus in Dalmatia de Venetis dudum recepta, à filio acceperat: sed nõ ita multo pòst pœnitentia ducta, indulgente eodem in Poloniam redijt. Venienti cum magno & splendido comitatu proceres Poloni Cracouienses & Sendomirienses apud Sandeciam gratulabundi obuiam prodierunt: simulq; renunciarunt, compertum se habere Lituanos de inuadenda vastandaq; Polonia consilium iniuisse. At illa muliebri leuitate, quietos & securos eos esse iussit, filium

Cazim. Scecinensiũ Pomeranorum dux interfe-

Vuladislai exitus.

Alber. Crantius.

Elizabetha in Poloniã redijt.

Muliebris stultitia.

enim suum tam longis grauibusq; manibus preditum esse, vt ad solum nomen eius non modò Lituani, sed & cunctę in circuitu nationes contremiscant. Nec mora, Lituani cũ valida manu è Lituania & Russia coacta, ducibus Keistuto, Iagellone, Vitoudo, Lubarto, & Georgio, percurso magnis & clandestinis itineribus, propter vastitatem, Lublinensi tractu, quicquid loci in Sendomiriensi tractu est ad Sanum & Vistulã flumina populabundi & vastabundi magna celeritate peruagati sunt, ita vt ꝑmulti mortales de nobilioribus quoq; & locupletioribus vel in fuga, vel in domibus suis incauti à barbaris opprimerentur. Itaq; permagna ea barbarorũ præda fuit: quã integram, nihil vsquã hostile passi, abegêre. Quanquam per idem tempus ipsi quoque à Crucigeris Prussiensibus domi suę magno incommodo affecti sunt, sex territorijs Samagitiæ vna atq; altera excursione peruastatis. Neq; tamen Elizabetha quicq̃ de lusib⁹ & choreis atque symphonia, quib⁹ mulier octogenaria nimiũ indulgebat, clade illa mota remisit, donec eã præsentius aliud malũ ꝑculit. Vngari qui cũ ea venerãt, domestica cõsuetudine fœnum atq; auenam, cũ Cracouiam siue ad mercatum, siue ad priuatum cuiuspiam vsum importaretur, passim diripiebant. Id Prędborius Brezius nobilis adolescens ne ipse quoq; pateretur, familiam suam armatam ante domum suam, quæ ad portã vrbis Cazimiriensem siue Bochnensem dictam sita erat, obseruare iussit. Ibi cùm Vngari in fœnum, quod aduehebatur, impetum facerent, Prædborij verò ministri prohiberent, iurgium atq; prælium inter Vngaros & Polonos ortũ est. Quod cũ concursu vtrinq; suis opem ferentium atrocius fieret, missus à regina Iascus siue Ioannes Cmitha, præfectus Cracouiensis ad sedandum tumultum, sagitta Vngarica in turba in ceruicem ictus, ex equo defluxit, & expirauit. Ibi necessarij & familiares eius furentes, facto vndiq; concursu in Vngaros coorti, magnam cædẽ fecère, non eorũ tantùm, q̃ se in tumultu illo obtulerãt, sed eorũ quoq;, qui in hospitijs ac diuersorijs inuenti sunt. 160. Vngari eo die trucidati feruntur. Atq; ij modò salui fuerunt, qui in arcem effugere potuêre. Triduo deinde arx clausa, & ab armatis obsessa fuit. Annus quo hęc acta sunt, fuit post Christũ natũ 1376. Paruo aũt interiecto tẽpore Elizabetha mœsta in Vngariã reuersa est, Petro Cmitha Iasci filio in solatiũ necis paternę ꝑfecto Lencicicnsibus dato. Per hoc tempus Gregori-

Lituanorũ excursio in Poloniam.

Samagitia vastata à Crucigeris.

Elizabetha musicis & choreis dedita.

Vngarorũ violentia & rapinæ.

Prædborius Brezius.

Iascus Cmitha interfectus ab Vngaris.

Vngarorũ cædes Cracouiæ.

1376. ann.

Petrus Cmitha præfectus Lenciciæ.

Gregori⁹ pontifex eius nominis vndecimus, cùm cathedram & curiam pontificiam post septuagesimum annū Auinione Romam retulisset, accepissetq́; Turcas Amurathe duce, traiecto nauibus Genuensium Hellesponto, plurimas Græcorum & Constantinopolitani Imperatoris (à quo contra rebelles principes in auxilium ex Asia prius euocati erant) vrbes cæpisse, magnaq́; strage Bulgaros, Serbos, & Albanos profligasse, Italiæ metuens, vndique subsidia corrogabat. Itaq; & in Poloniam ea de re legatū misit Nicolaum Maioricensem episcopum. Qui coacta Vneouiæ synodo episcoporum, vix illud impetrauit, vt bini grossi de vniuscuiusque marcæ prouentu sacerdotiorum in sumptus eius belli conferrentur. Quoniam autem episcopus Vuratislauiēsis Prædisla⁹ Pogorelius paulò antè excesserat, relicta magna pecunia, præter contributionē redegit legat⁹ ex illa hæreditate 30000 aureorū, & insuper 8000 annua pact⁹ est pontif. è reditib⁹ eius episcopæ, donec aliquis Prædislao successor daretur. Cui⁹ renunciationem siue ap̄probatione ob id Pont. in vij. annū distulit. Sequenti anno Ludouicus nouos pręfectos in Poloniade sententia matris instituit: in maiore quidem Polonia Domaratum Pirschnicium, translato Cracouiā Sēdiuoio Subinio. In Cuiauia verò amotis Bartholomęo Veisemburgio, & Bartholomæo Socolouio Petrassium Malochā: propterea quòd hic quidem pluris, q̄ illi, præfecturæ illius fructus redimeret, Domaratus verò multis Vngaris in cæde suprà memorata saluti fuisset. Quoniam autē Ludouicus excursionibus Lituanorum in Poloniam, & Belsensium ducis defectione motus, bellum contra eos parabat, datis Domarato ex Vngaria reuertenti mandatis ad episcopos, & vniuersum ordinem ecclesiasticum totius Poloniæ, subsidium ab eis, & ab eorum agricolis ad pium bellum contra barbaros hostes petiuit. Negatum est, veritis episcopis ne munificentia illa sua in morem, & mox inde in legem abiret. Nihilo tamen minus prosequi institutum bellum perrexit Ludouicus: indictaque toti Poloniæ expeditione, & omnibus ad Sēdomiriam conuenire iussis, ipse cum nō contemnenda Vngarorum manu transmisso Carpatho per Sanocum rectā Sendomiriam profectus est. Ibi conuentu habito, recensitisque copijs, cùm abundaret virib⁹ & multitudine, partem exercitus, in qua erat Cracouiensis & Sendomiriensis nobilitas cum Sendiuoio, ad recipiendā Chelmam misit: ipse cum reliquo ad Belsum castra mouit. Ac Sendiuoius quidem intra octauum diem Chelma potitus, Graboueciam quoque & Grodlum & Seuolossum munitiones cæpit: deinde ad regem Belsum adhuc obsidētem reuertit. Erat enim arx ea natura loci permunita: itaque fame rex præsidiarios ad deditionem compellere decreuerat. Venit interim in castra regis Keistutus dux Lituanorum, ex hoste pacificator factus: & his legibus pacem impetrauit, vt Georgius dux sese Belsumq́; regi dederet, ac Lituani captiuos omnes Polonos redderēt. Quę cùm impleta essent, Ludouicus Georgij blanditijs & pollicitationibus delinitus, non modò Belsum ei reddidit, sed etiam Lubaciouiam, & centum marcas annuas in stipendium è salinis Bochnensibus adiecit, accepto ab eo iureiurando, quòd in fide atque clientela Polonorum semper futurus esset. Fortassis autem & illud adiumento fuit Georgio atque Lituanis, quòd orto inter Vngaros atque Polonos iurgio, ac Petro Safranecio nobili Polono in faciem ab Vngaro quopiam vulnerato, ad seditionem & cædem res spectare cœperat. Itaque Petri quidem dolorem rex donato ei territorio cum arce Pieschoua scala mitigauit, exercitum verò, ne quod maius malum iritatis vtrinque animis excitaretur, statim dimisit. Septem vexilla tunc habuisse sola Topororum familia fertur. Bis postea rursus Russiam à Lituano duce vexatam esse, bisque eiectis barbaris à rege pacatam Bonfinius memorat. Cùm autem ipsi vber & fertile solum Russiæ placuisset, & frequentari eam à catholicæ fidei cultoribus animaduerteret, missa ad Gregorium eius nominis vndecimum pontificem maximum legatione, effecit vt duę ibi cathedræ episcopales, nimirū Præmisliæ & Vuladimiriæ, Haliciæ verò archiepiscopalis institueretur. Ita quidem Dlugossus scribit. Sed si prius metropolis Leopoli constituta fuit, quemadmodum nos superi⁹ ex eiusdem Dlugossi sententia prodidimus, episcopalem Halicię constitutā esse oportet. Vna enim archiepiscopalis est in Russia, & ea quidem Leopoli. Nos initio Leopoli episcopalem cathedram regnante Cazimiro institutam fuisse existimamus. Neque enim archiepiscopus vsq̄ instituitur, qui nullum in ditione seu prouincia sua episcopum habeat: sicuti tunc in Russia nullus fuit: sed cùm Lodouici opera plures episcopę fierent, metropolim Haliciæ constitutam esse, quæ postea Leopolim translata sit, episcopatu Cameneciam trāslato. Cæterùm quoniam

Pontifex Auinione Romam migrauit. — *Turcæ Græciam inuaserunt.* — *Legatus pontificius in Poloniam.* — *Synodus Vneouiæ.* — *Cōtributio.* — *Vuratislauiēsis episcopæ vacatio.* — *Præfecti Poloniæ.* — *Subsidiū ab ecclesiastico ordine regi negatum.* — *Russicū bellum.* — *Sanocum.*

Chelma recepta. — *Graboueciā.* — *Grodlum.* — *Seuolossum.* — *Belsum.* — *Georg. dux Russorum regi sese et Belsum dedidit.* — *Ludouici facilitas.* — *Iurgium inter Polonos et Vngaros.* — *Pieschoua scala Safranecio donata.* — *Topororum vires.* — *Episcopæ in Russia conditæ, Præmisliensis, Vladimiriensis, quæ nūc Lucensis est, siue Luceoriēsis.* — *Haliciēsis archiepiscopa Leopolim translata.* — *Camenecensis episcopa.*

Rußiam Ludouicus Vngaris attribuit.

niã propensiore erat animo Ludouicus in Vngaros, quã in Polonos, Vngaris ad iungere Russiam instituit, Polonis, à quibus subacta fuerat, ademptam. Obtinebat in ea nonnullas præfecturas & ampla territoria Vuladislaus dux Oppolię̃sium Ludouici beneficentia iure hæreditario donata, ita vt iam dux Russiæ vulgò appellaretur, & ipse hunc titulũ vsurparet. Quo facilius igitur Ludouicus id quod cogitabat perficeret, dedit Vuladislao Dobrinẽsem ditionem atq; Bydgostiensem, quę antiquitùs Vissegradensis vocata fuit, excepta Valcia & Slochouia territorijs, q̃ nuper Cazimiri Scecinensium ducis morte ex pacto receperat: itẽq; Inouuladislauiã, Gneuucòuiã, Zlotoriã, & Sarleium, quę à Vuladislao albo duce, quemadmodum dudum memorauim⁹, redemerat. Et ea quidẽ lege hæc ei dedit, vt sacramento adactus, in fide & cliẽtela, quod Feudum vulgò vocant, regum Polonorum semper esset, et ad solos masculos hæredes ea transmitteret. Russicas autem præfecturas ab eo recepit, & Vngaris attribuit. Recẽset autem Bonfinius Emericum Agriensem episcopum, Georgium Zuderem cũ fratribus, deinde Emericum Bebecum, & Ioannem Zapolæum, qui Russiam Ludouici nomine cum imperio obtinuerint. Suspecta & molesta ea res de Russia Polonis fuit: sed mussantur ferè principum & potentium iniuriæ. Nec sanè tũc in promptu erat, quid ea re facerent absente rege, aut quomodo voluntati eius refragarẽtur. Quin alia magis præsentia mala eos à sensu illius, quod in diem differebatur, auertebant: Increbuerant latrocinia: creuerat audacia perditorum & improborum hominum: debilior pręda erat potentiori: vis, non ius valebat: iudicia vel silebãt penitus, vel potentiorum iniuriæ contra tenuiores suffragabantur, propterea quòd nemò vnus vindex legum, scelerumque vltor erat, quẽ cæteri omnes reuererentur. Hæc publica quidem mala, sed cum plurimorum priuato dolore coniuncta, tolerabilius illud videri faciebãt, quod ad neminem priuatim pertinebat. Itaque de præfecturis Russiæ patienter tunc latum: de domesticis verò incommodis crebris literis atque nuncijs, & querimonijs multo tũ cum rege actum. Quibus ille commotus, cùm ipse non veniret in Poloniam, q̃ negaret aurã Polonicã se ferre posse, Vuladislaum Oppoliẽsem pro se gubernatorem & vicarium misit. Et erat quidem id nõ ingratũ plebi ac tenuioribus. Cæterùm nobilitas cum ꝓceribus duobus conuentibus, altero Visliciæ, altero verò Gnesnæ actis, negarunt se homini, quem ipsi sibi principem non constituissent, parituros esse, propterea q̃ id contra leges & instituta maiorum suorum esset. Atque cum his mandatis legati de primoribus è comitijs ad regem missi, facilè effecerũt, vt is Vuladislaum reuocaret. Verebatur enim, ne Poloni ea offensa ad res nouas incitarentur. Interim autẽ dum hæc ita fiunt, vectigal, quod rastrale superi⁹ appellauimus, & quod ad duos grossos à Ludouico redactum esse diximus, dimidium eius, quod antiquitùs pendebatur, iussu regis ab ecclesiasticorum agrorum cultoribus exigi cœptũ est, hòc est, seni grossi, & singuli modij siliginis & auenæ in mansos siue laneos, negantib⁹ exactoribus regijs, gratiam illã, quæ nobilitati facta esset, etiã ecclesijs & sacro ordini factã esse. Debere aũt ecclesiasticos homines æqui boniq; facere, quòd dimidium ferè eius vectigalis sibi suisq; agricolis remittatur. Quod si recusent, integrum se veteri more exacturos: ita enim se à rege in mãdatis habere. Quocirca Ioannes archiepiscopus Gnesnensis synodum Calissiam conuocauit: vnde legati in Vngariam missi Florianus episcopus Cracouiẽsis, ac Dobrogostius decanus, impetrarunt, vt eodem iure, quod ad illud vectigal attinet, cum nobilitatis bonis ecclesiarum bona cẽsẽrentur. Hæc vsq; ad annum Christi 1378. octo annis regnãte Ludouico in Polonia acta sunt, eo ferè ordine, quo hîc à nobis cõscripta sunt. Per quod temp⁹ Lituani & Crucigeri mutuis se excursionib⁹ & cladibus vehemẽter afflixerũt: & Carolus Imperator extremo anni tẽpore vitam cum morte commutauit, cùm aliquanto antè Venceslaum filium natu maiorẽ adolescẽtulum regẽ Boemis designasset: ac deinde, redẽptis magno principibus electoribus, Cæsarem fecisset. Constituit is vniuersi cõuentus Boemici consensu & pacto iurato, vt regnũ illud esset deinceps hæreditariũ in masculos dũtaxat, sublata fœminarum successione, quam ipsam quoq; prius sanxerat. Episcopum autem Olomucẽsem, ac ducem Opauiensem à potestate & iurisdictione Marchionis Morauiæ fecit immunes. Hoc eodem aũt anno & sequentibus aliquot non vsquequaq; tranquillæ res fuerunt in maiore Polonia. Quanquam publico consilio nullum bellũ gestum est: sed priuatis virib⁹ & latrocinijs ꝑpemodum cùm à Polonis finitimi populi, tum ab illis Poloni infestati, & vis vi vltrò citroque propulsata est. Primum

Vuladislaus dux Rußiæ.

Dobrinensis & Bydgostiensis tractus Vuladislao pro Russia datus.

Bydgostiẽsis Vissegradensis olim.

Gneuucouia.

Poloniæ mala ob absentiam regis.

Vuladislaus dux gubernator Poloniæ.

Conuentus Visliciæ & Gnesnæ.

Poloni non parent externo.

Legatio Polonorum ad regem.

Synodus Calißiæ.

Rastralis vectigalis moderatio ex agris ecclesiasticis.

1378. ann.

Crucigerorũ cum Lituanis bellum.

Carolus Imperat. obijt.

Vencesl. Cæsar & rex Boemorum.

mùm enim Borcouij Pomerani homines equestris ordinis Valcienses oppida nos ita vexarũt, vt cùm oppidum id fortuito incendio conflagrasset, aliò ciues commigrare populariter voluerint, ni Domaratus præfectus maioris Poloniæ cum expedita suorum manu ingressus in Pomeraniam, Borcouios, peruastatis eorum prædijs, vicis atque pagis, coercuisset. Deinde Sendiuoius Virius castellanus Bninensis gente Nalencius ditionem Suatobori Scecinensium Pomeranorum ducis, qui Cazimiro fratri germano (ex alia tamen matre) defuncto successerat, igni ferroque depopulatus est, adiutus ope Ioan. Ciarnicouij iudicis Posnaniensis fratris sui filij. Causa verò hostilitatis denũciatę hęc fuit, ꝙ Sendiuoius Cazimiro duci cum Ottone Brãdeburgensi marchione bellum gerẽti aliquandiu cum numerosa cohorte militauerat, nec ei Suatoborus Cazimiri hæres merita stipendia persoluebat. Suatobor⁹ verò vastatione agrorum suorum cõmotus, coacto de suis iusto exercitu, accitisq; Stargardensium, & aliarũ maritimarum ciuitatum auxilijs equestrib⁹ & pedestribus Poloniæ fines ingressus, ad arcem Zlopensem, quæ erat Ioannis Ciarnicouij, castra metatus est. Postero die non ita multo pòst ortum solis arcẽ vi capere adortus, vsque ad vesperũ casso labore suos defatigauit, nisi quòd nõ paucos fortes viros aridas fossas sub testudine transgressos, & ascijs ac securibus munitionem perfringere conatos, saxis telisque supernè obrutos amisit. Induciæ deinde in sequentẽ diem factæ interueniente Sulissio Vedelio sepeliendorum interfectorum causa. Quibus sepultis Suatoborus pridiana clade deiectior ab obsidione discessit, bipartitoq; agmine circumiacentes pagos exussit: nec multo pòst pacem cum Sendiuoio fecit, cùm ei debitorum stipendiorum pariter ac damnorũ nomine satisfecisset. Nec tamen diu frui optata pace Suatoborus potuit. Etenim anno sequenti, qui fuit 1380. Ioãnes Vedelius cùm à Ioãne Ciarncouio arcẽ ac territorium Zlopense hypothecę nomine vtendum fruendum accepisset, facta de asseclis suis ac de Zlopensibus Tusnensibusq; aliquanta pedestri equestriq; manu, in Scecinẽsium fines excursionem fecit, ratus impunè id facin⁹ sibi fore, propterea quòd sciebat Suatoborum alio bello cum Brãdeburgensibus, & alijs Pomeranis gerendo distineri. sed eum spes fefellit. Reuertentem enim cum luculenta præda è Piricensi ora abacta, Suatoborus cum expeditis copijs in finibus Poloniæ cõsecut⁹ est. Et poterat quidem Vedeli⁹ cum suis in arcem Zlopensem propinꝗ euadere, sed cùm prędã partam nollet amittere, nihil motus paucitate suorum, qui rusticani ferè & oppidani erant, manus cum longè validiori hoste cõseruit, pœnasque temeritatis dedit. Cecidêre in eo prælio de Polonis 450, centum in propinquo lacu submersi periêre. Nec tamen Pomeranis incruenta cessit victoria. Per hoc tempus (quod certè silentio prætereundũ non est) machinã æneam, ꝗ à sono terribili bombardam vocant, certissimo vitæ & virtutis humanę exitio Germanus homo apud Venetos excogitauit. Insequẽs annus Elizabethæ senioris reginæ matris Ludouici regis, & Ziemouiti Masouiorum ducis morte insignis est. Ac Ziemouitus quidẽ moriens, duos filios Ioannem & Ziemouitũ è priore vxore Nicolai Opauiensiũ ducis filia susceptos hæredes reliquit, ita vt Ioanni Varsauiẽsis, Ziemouito Plocensis ditio cederet. Ex altero autem matrimonio Zambicensium ducis filiæ Henricum filium & duas filias susceperat. Atque ex his alteram Vuladislao Oppoliensi, alteram verò Cazimiro Scecinensi, ac deinde viduam Henrico Bregensi Ludouici filio in matrimonium collocarat, Henricum verò sacris initiatum Plocensem & Lenciciẽsem prępositum fecerat. Et Lencicienſem quidem non sine vi & iniuria Pelcæ Garbouij, cui id sacerdotium archiepiscopus Gnesnensis contulerat. Nam & possessiones eius sacerdotij manu armata inuasit, & Louiciam cum exercitu obsedit: nec prius soluit obsidionẽ, ꝗ Pelca Hẽrico ius suum concessit. Porrò matrẽ hui⁹ Henrici Ziemouitus, cũ in eam deperiret, per satellites iugulauit, ꝙ adulterij insimularetur. Sed cũ postea facti vehemẽter pœnituit, cùm nihil certi de crimine eius cõperisset, liberosq; ex ea susceptos ꝓsimiles sibi esse cognouisset. Fuit autem Ziemouitus hic liberalis, ne dicam prodigus: eoq; grauior suis, dum crebris exactionibus exhaustum profuso sumptu ærarium replere cogitur. Multa ab ineunte ætate ecclesijs largitus, prouectior factus, eas vexauit & affixit. Atque ob id diris non semel deuotus, & anathemate percussus est. Hunc secutus Dobeslaus cognomẽto Sovuca Plocẽsis episcop⁹, successorem accepit Sciboriũ archidiaconũ approperata electione, metu ducũ Masouiorũ, ne ij fratrem suum collegio sacro inuito obtruderet. Nec mora cõfirmat⁹ is est à Ioãne archiepiscopo: eaque confir-

Sendiuoius Virius Pomeraniam infestat.

Zlopum oppugnatum.

1380. ann. *Vedelius infestat Pomeraniam.*

Poloni à Pomeranis victi.

Bombarda inuenta.

Elizabethæ senioris reginæ mors. Ziemouiti Masouij duci cũ mors & liberi.

Hẽricus præpositus Plocẽsis & Lencicienfis.

Ziemouitus vxorem occidit.

Ziemouiti mores.

firmatione non contentus, Romam excurrens, aliam ab Vrbano pontifice obtinuit. Cæterùm Ludouic⁹ rex matre defuncta cùm assiduis & grauib⁹ Polonorum querelis fatigaretur, vt reipubl. Polonæ constituendæ, iudiciorumque aliquam rationem iniret, Budam eis comitia indixit ad mediã Quadragesimam. Erat res noua, multaq; secũ ferebat incommoda, ac etiã pericula proceribus atque nobilitati, & vniuersæ reipubl. ad exteras oras per tanta locorum interualla euocari. Frequentes tamen proceres eò profecti sunt, frequẽtiores multo ex alijs ordinibus quos priuatæ iniuriæ, factaque spes iudicij regij excitarat. Multa ibi variaque de administratione reipubl. absente rege, ac de summa iudiciorum iactata. Ad extremum de sententia regis paucis approbantibus summa rerum Polonicarum iudiciorumque tribus, nẽpe Zauissæ Curosuãcio gente Roseo episcopo Cracouiẽsi, qui nõ ita pridem Floriano mortuo successerat, & Dobeslao castellano Cracouiẽsi Zauissæ fratri germano, & Sẽdiuoio Subinio palatino Calisiensi & præfecto Cracouiensi mandata. Iudicia verò nulla ibi exercuit Ludouicus, verùm omnia ad vicarios illos suos, siue triũuiros (nihil enim vetat eos & hoc nomine appellare) reiecit. Ad hæc autẽ fecit potestatem Zauissæ episcopo omnium magistratuũ & honorum, quicunq; vacaturi essent, exceptis Castellania & palatinatu Cracouiensi, in Polonia cõferendorum. Ita cõuent⁹ ille solutus est, & calamitosi homines spe iuris sui obtinenda frustrati, mœsti domos reuertêre. Porrò triumuiri illi propositis de iure dicendo edictis, cùm obire Poloniam, à Cuiauia & maiore Polonia orsi, cœpissẽt, noua, sed tamẽ falsa spe rurs⁹ animos hominũ erexerũt. Et audierunt ij quidem in compluribus oppidis magno hominũ cõcursu querimonias & causas multorum: sed nusq̃ ius dixerunt, omnib⁹ Calissiã se sequi iussis, quod eò Zauissã episcopum, sine quo iudicare nolebant, venturum esse sperabant. Nam is profectus nõ erat cùm cæteris, sed magistrum Ioannem Nasšichouicium, archidiaconum Cracouiẽsem, & cancellarium suum pro se miserat. Hoc autem responso accepto, omnis illa querentium multitudo maledictis incessens regem atq; triumuiros, dilapsa est. Vexata sunt eo anno in Polonia nonnullis in locis bona ecclesiastica. Nam Vuladislaus quidẽ dux Oppoliensium vetuit in Dobrinensi tractu decimas dari Plocẽsi episcopo. Insuper ab agricolis eiusdẽ episcopi quaternos & vicenos grossos in laneos exegit. Sed anathemate perculsus à Dobeslao episcopo, interueniente Ioanne archiepiscopo Gnesnẽsi, & Sbiluto episcopo Vuladislauiẽsi in arce Zlotoriensi cũ eo in gratiam redijt, ac de omnibus iniurijs satisfecit. In maiore verò Polonia cũ Bartholomæus Chotelius (nisi fortè Chotetius poti⁹ apud Dlugossum legendũ est) qui etiam Cosminius appellat⁹ est, cùm is igitur viciniam omnem latrocinio infestaret ex arce sua Odalanouia, Domaratus præfectus ei⁹ oræ nobilitate arma capere iussa mandato regio expeditionẽ contra eum fecit. Ibi vulg⁹ equitum crudeliter admodum in bona Gnesnensis & Lubussensis ecclesiarum debacchatum est: Bartholomæo verò petenti pax data his cõditionibus, vt regi arcem territoriumque omne traderet: æstimationem verò eius, hoc est, decẽ & octo millia florenorum acciperet, deducta tamẽ inde ea pecunia, q̃ Gallis mercatoribus, quorum merces Bartholomæus diripuerat, numerari debuit. Nec multo pòst, Vneouia arx Archiepiscopi Gnesnensis à Bernardo Garbouio intercepta est. Prẽerat ei arci Pelca Bernardi frater præpositus Curelouiensis: qui inuitatus ad conuiuium à Petrasio Malocha præfecto Lencicienši & Cuiauiẽsi, rixa de venationibus cùm Nicolao castellano Lẽcicienši excitata, ab eo interfectus est. Sed ne Castellanus quidem fugiens manus ministrorum Pelcæ euasit. Cognita ergò cæde fratris Bernardus, arcem occupauit: & quo paratior esset ad sustinẽdam vim & obsidionem, si quã alicũdẽ afferretur, pecudes permultas mactatas in arcẽ importauit, hominum quãtum potuit in societatem adsciuit, & cùm his thesaurum Archiepiscopi diripuit. Nec prius arcem Archiepiscopo reddidit, q̃ impunitatem facti simul ac direpti thesauri, Domarato præfecto maioris Poloniæ, Petrasio Malocha, & quibusdã alijs proceribus interuenientibus, pactus est. Receptam arcem Archiepiscopus Petro & Nicolao fratribus tenendam & administrandam commisit. Insequentem annum 1382. aliquot primorum episcoporum & regis mors, subsecutiq; mot⁹ nobilem faciũt. Primùm enim pridie Idus Ianuarij Zauissa episcopus Cracouiẽsis in prædio suo Dobrouoda, seu repẽtino & vehemẽti morbo, seu de scala lapsus, cum aceruũ fortè ad cõstuprandã rusticanã puellã ascenderet, (variat. n. fama) extinct⁹ est. Cuius funus cum põpa militari à Dobeslao patre, & Creslao fratre castella-

Polonorum comitia Budæ.

Triumuiri in Polonia. Zauissa episcopus Cracouiensis.

Potestas conferendi honores & magistratus episcopo data.

Hic promotus: Pozmanensis & Kalissa

Plocensis epi

scopæ iniuria.

Bartholomæi Cothetij latrocinium.

Odalanouia regi quæsita.

Vneouia intercepta & reddita.

Pelca præpositus Curelouiensis occisus.

1382. ann.

Zauissæ episcopi mors pudenda.

ſtellano Sēdomiriēſi elatum eſſet, ferūt noctu in baſilica Cracouienſi, vbi ſepultus eſt, exauditos eſſe ſtrepitus & hinnitus equorum diſcurſantium, dæmonūque voces vociferātium: Proficiſcamur meretricatum. Et mirum eſt, ſed multorum ſermonibus ac teſtimonijs celebratum, hoc ita fere vſu venire in hac baſilica, non modò poſt funera nonnullorum clarorum hominum, vt aliqua terriculamenta exiſtant, verùm etiam vt principum, epiſcoporum, atque etiā prælatorum, vt ita dicā, & canonicorum ꝓpinquæ mortes ſignis quibuſdam prænuncientur. Inſtituit autem hic epiſcopus in baſilica Cracouiēſi collegium ꝗdam ſacerdotum, quos Manſionarios vulgò vocant: alioqui profanis negocijs & voluptatibus magis, ꝙ diuinis reb⁹ addictus. Præfuit Cracouienſi eccleſiæ annis duobus & dimidio. Succeſſit autē ei Ioannes Radlicius regius medicus & cācellarius Poloniæ, Ludouici regis fauore adiutus. Zauiſſam poſt alterum menſem Nicolaus Curnicius Poſnanienſis epiſcopus ſecut⁹ eſt, carcinomate morbo in genitalibus membris biennio, ac dein de febre quartana & gutturis atq; linguę exulceratione tāta, vt vſum ſermonis amitteret, afflictus, & ad extremum extinctus: homo garrulus, contenſioſus, & amans litium. Et intra paucos dies Ioannes quoque archiepiſcopus Gneſnenſis deceſſit, vir dexteritate ingenij, prudentiaq; cōmendatior vulgo, dum priuatus vixit, quàm in magiſtratu, præcipiti iracūdia, in eccleſiaſticos homines dictis ac factis cōtumelioſus, nec ſatis acer defenſor & vindex ſacerdotū & bonorū eccleſiaſticorum. In agnatos plus æquo ꝓpenſus. Diripuerunt aūt ij ſupellectilem omnē & facultates defuncti: quin & bona archiepiſcopalia vexauerūt, & Vneouiam vix tandem ſucceſſori eius Bozentæ, gente Seligio, reddidêre. Porrò Ziemouitus Plocenſium dux, cùm Archiepiſcopum defunctum eſſe vita accepiſſet, facta manu pagos archiepiſcopales populatus eſt, Louiciamque obſedit. Legato autem Gneſnenſis collegij Andreę Ceretēſi epiſcopo, q vicarius ſiue à ſuffragijs erat Archiepiſcopo, cauſas belli ſciſcitāti reſpōdit: Ad ſe pertinere, vt bona Archiepiſcopi, quæ à maioribus ſuis ꝓfecta eſsēt, obtineret, dum cathedra illa vacat. Neq; tamen id ſe poſtulaturum fuiſſe, ſi Louiciam canonicus quiſpiā, ac non inimicus ſuus Derſlaus Iuenius caſtellanus Gneſnenſis teneret. Quo reſpōſo accepto, maturauit collegium noui Archiepiſcopi electionem. Electus eſt

Cracouienſis baſilicæ prærogatiua.

Ioannes Radlicius medicus epiſcopus Cracouiēſis.

Garruli & contētioſi epiſcopi ſupplicium.

Ioannis Archiepiſcopi mors & mores.

Archiepiſcopi bona direpta.

Bozenta archiepiſcopus

aūt Dobrogoſtius Nouiduorius iurecōſultus, cantor Gneſnēſis ac decanus Cracouienſis, gente Nalēcius. Quo poſtulante ſoluit Ziemouit⁹ obſidionem. Sed tñ Archiepiſcopā Dobrogoſtius tunc adeptus nō eſt, aduerſante ipſi Ludouico rege, quod eum Ziemouito, vt ſibi in regno Poloniæ ſuccederet, fauere Domarati præfecti delatione accepiſſet. Cùm aūt Dobrogoſtius præter ſententiā regis Romā ad Pont. max. vnà cum Nicolao Poſnanienſi epiſcopo deſignato profectus eſſet, Taruiſi ambo à Venetis à Ludouico ſubornatis capti ſunt, ac detenti aliquandiu. Bozenta verò Seligius, qui regius procurator Cracouię fuerat, ab Vrbano vj. pontific. max. qui Gregorio ſucceſſit, Archiepiſcopus renunciatus eſt. Poſnanienſis verò epiſcopus Ioānes cognomēto Cropidlo Boleslai Oppolienſium ducis Vuladiſlai fratris filius, adoleſcens admodum factus eſt. In vtroque perperā Vrbanus Ludouico regi petenti gratificatus eſt, vt in ſchiſmate, quo tunc eccleſia differebatur, fauorem eius ſibi adiūgeret, ſiue adeò retineret, & bene merēti gratiā referret. Miſerat enim Ludouicus eo poſtulante Carolū fratris filiū cum exercitu in Italiā, vt Ioannam reginam Neapolitanam, cuius ſtudio æmulus Vrbano à Gallis Cardinalibus excitatus erat Clemēs vij. vlciſceretur. Per idem tēpus Ludouicus rex cùm languere ſe, ac ſenſim viribus deſtitui ſentiret, vt viuens adhuc res filiarū ſtabiliret, indixit Polonis comitia ſub finē Iulij Zuolenum, ſiue Zolium, quod oppidum eſt in Scepuſio. Quo cùm frequens ſenatus conueniſſet, ſucceſſores ſibi deſignat in regno Polonorum, Mariam filiam natu maiorem cum Sigiſmūdo ſponſo eius, marchiōe Brandeburgēſi, Caroli Imp. & regis Boemorum ex Elizabetha nepte Cazimiri regis filio, xiiij. annū tunc agēte. In quorū verba proceres Poloni, iuſſu Ludouici ſtatim iurarunt. Eundēne aūt Sigiſmundū Vngaris & Polonis, an hūc quidem Polonis propter vicinitatē Marchię Brandeburgēſis, Guilelmum verò Auſtriorum ducē Leopoldi filium, cui minorem natu filiam Heduigim vxorē deſtinarat, Vngaris ꝓpter ſimilem cauſam atque commoditatem regem dare voluerit, nō cōſtat. Soluto conuentu Zoliēſi profectus eſt Sigiſmundus in Poloniam cum primoribus, & non contemnenda Vngarorum manu ad ſedandos inteſtinos motus, & adeundā viuēte adhuc ſocero regni poſſeſſionem. Veniēs autem in maiorem Poloniā Coſminū arcem & oppidum, itemque Nabyſsice & Coſmi-

Dobrogoſtio electo archiepiſcopo rex obſtitit.

Bozenta archiepiſcopus.

Schiſma in eccleſia.

Ludou. rex Carolum fratris filium cū exercitu miſit in Italiā.

Polonorū comitia in Scepuſio.

Sigiſmundus rex Polonorum deſignatus.

Sigiſmundi aduentus in Poloniam.

Coſmineciū caſtella Bartholomæi Chotecij, fortè q́ꝫ is latrocinari nō intermitteret, in poteſtatem ſuam redegit. Odalanouiā verò circumſedit. Nam eam Bartholomæus poſt priorē obſidionem ex pacto non tradiderat. Deinde cùm aliò feſtinaret Sigiſmūdus, nouis pactis cum Bartholomæo initis, in Maſouiam contendit, vt Ziemouitum ducem detrectātem, per vim ſacramēto adigeret. Nam Ioannes frater eius vltrò iam id fecerat. Itaq; vaſtare ditionem Ziemouiti Sigiſmundus cœpit. Interim Ludouicus rex xiij. die Septembr. Tirnauiæ, quo conuentum Vngaris edixerat, vitam finiuit. Mortē eius cometes prænunciauit. Quo nuncio accepto Sigiſmundus, omiſſo in præſens Ziemouito, Poſnaniam ſe recepit: Ludouici verò fun⁹ Albam regiam, vbi regum Vngarorum ferè ſepultura eſt, ſolenni pompa elatum eſt. Regnauit autem Ludouicus apud Polonos quidē xij. annis, apud Vngaros verò vno & quadraginta: vixit ſex & quinquaginta. Statura fuit mediocri, prominentibus oculis atq; labris, capillo barbaq; criſpa, ſereno vultu, humeris parum incuruis. Morib⁹ verò ita temperatis fuit, vt foris bella acriter & excelſo animo gereret, domi placabilitate & iuſticia pacē coleret: vtrobiq; prudētia & animi moderatione ſingulari eſſet: in cōtumaces ſeuer⁹, in ſupplices clemēs: maleficio iuxta ac beneficio ſuperari ſe nō patiebatur: in doctos viros fuit ꝓpenſior. Nā & ipſe ſtudia bonarū literarum atq; artiū libēter coluit: nec ferè quicq̄ inconſulta aſtrologia ſolitus erat auſpicari. Pietatis atq; religionis ita fuit obſeruans, vt nō in poſtremis duceret, Iudæos & Cunos falſorum deorum cultores ad Chriſtianam religionem adducere. Quod in Cunis quidē aſſecutus eſt: Iudæis autem cū neque minis, neq; præmijs propoſitis perſuadere poſſet, omnes proſcripſit. Plebis non minorem q̄ nobilitatis curam geſſit. Itaq; nonnunquam diſſimulato habitu vicos & oppida perluſtrauit, vt cognoſceret, quid de publicanis & exactorib⁹, iudicibus & magiſtratib⁹ ſuis, ac de ſe denique vulgus hominum diſſimulandi neſciū ſentiret, multaq; ex huiuſmodi ſermonib⁹ in ſe ſuiſq; caſtigauit. Hic rex rebelles Vngaris Bulgaros, Boſnenſes, Serbos, Croatas, Tranſalpinosq; ad officium reduxit: Valachiam ſiue Moldauiam cū Bogdano palatino in clientelam accepit: Dalmatiam Venetis eripuit: In Italia nonnulla bella geſſit. Quibus negocijs diſtentus, non potuit tantam, quantam res poſtulabat, curam rebus Polonicis impendere.

Maſouia vaſtata à Sigiſmundo. *Lodou. rex mortuum.* *Ludouici effigies & mores.* *Ludouic. ſermones hominum de ſe captauit.* *Ludouici res geſtæ.*

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER QVARTVSDECIMVS.

INTERREGNVM.



Diuulgata mortè Ludouici regis, Vngari, qui Ruſſiæ pleraſque præfecturas, quemadmodū ſuprà memorauim⁹, ab eo obtinebant, Cremenecīā, Oleſcum, Grodlum, Lopatinum, & Sniatinum arces cum territorijs ſuis Lubarto Lucenſium duci, magna vi auri & argenti ab eo accepta, prodidere. Sed neſcio, an Sniatinum pro Rathno ſiue Rohatino, apud Dlugoſſum perperam ſcriptum ſit. Sniatinum enim longius abeſt ab eo tractu & Lituanis: Rathnum verò eſt inter enumeratas modò arces, lōgaque fuit de ea iuxta ac de ceteris inter Polonos & Lituanos controuerſia, quēadmodū ſuis locis fortaſſis attingemus. Nec tamen eam proditionē impunè tulêre Vngari. Etenim à regina Vngarorū Elizabetha Ludouici vxore infamia notati, bonisq; multati, & partim capitali, partim tetri carceris pœna dānati ſunt. At in Polonia cū Sigiſmund⁹ marchio rex iam eſſet deſignatus, non magna re magna facta eſt volūtatum cōmutatio. Poſtularunt ab eo proceres cum frequēti nobilitate, vt Domaratum à præfectura maioris Poloniæ amoueret. Quód cū ille negaſſet, omnis illa multitudo, quæ ad eum confluxerat, domos dilapſa eſt. Profectus autem Poſnania, Gneſnā venit: acceptusq; à Bozēta nouo archiepiſcopo honorificè, ſolennes ibi exequias Ludouico regi peregit. Inde in Cuiauiā diuertit. Ibi denuò maiorum Polonorū legatione de amouendo Domarato ſollicitatus, cùm durius & minaciter reſpōdiſſet, ſic animos eorum à ſe alienauit,

Ruſſia ab Vngaris præfectis Lituanis prodita. Volynia in poteſtatē Lituanorum redacta. *Proditores pœnis affecti.* *Sigiſmundus cur contemptus ſit à Polonis.*

Miloslauia.

vt mox conuẽtu apud Miloslauiam habito legationem mitterent ad minores Polonos, vt ij conuentum secum pariter de statu reipublicæ, ac de nouo rege apud Radomscos agere vellent. Obsecundatum est.

Comitia Radomscis de nouo rege creando.

Lecti de proceribus atq; nobilitate minoris Poloniæ constituto loco cum maioribus Polonis ad vicesimam quintam diem Nouembris conuenêre, eoque inclinabant plurimorum sententiæ, vt Heduigim Ludouici natu minorẽ filiã Ziemouito Masouiorũ Varsauiensiũ duci vxorẽ cum regno darẽt. Tuebãtur Sigismundi partes Bozẽta archiepiscop⁹, ac Domaratus præfect⁹ maioris Poloniæ. Itaq; res ad cõtentionem & altercationẽ venerat. Tandẽ ita decretũ est, vt memores pactorũ cum Ludouico initorum, & iurisiurãdi sui essent, neque progeniẽ Ludouici à regno excluderent. Cæterùm eum de genere Ludouici regem crearent, qui in Polonia præsens per se ipse regnum administraturus esset. Quo quidem verbo tacitè Sigismũdus excludebatur, qui Vngariam simul obtinere cupiebat.

Comitia Visliciæ.

Altera deinde comitia minorum Polonorum Visliciæ ad sextam diem Decembris habita: quo vicissim legati maiorum Polonorũ venerunt.

Sigismundus venit ad comitia.

Venit & Sigismundus marchio cum Bozenta archiepiscopo, ac Domarato præfecto, ne deesset causæ suæ.

Oratores Elizabethæ reginæ.

Aduenerunt autem & à regina Elizabetha oratores Stephanus Agriensis, & Ioannes Chanadiensis episcopi. Atque hi facta dicendi potestate, gratias egerũt Polonis, quòd fidem datam Ludouico de filiabus eius seruarent: idemque deinceps etiam vt facere pergerent, hortati sunt. Deinde postularunt, ne sentẽtiam præcipitarent, neu quem prorsus regẽ sibi sumerent, donec à regina matre de filiabus constitutum esset, vtram in Vngaria, vtram in Polonia regnare vellet. Cupidè hæc oratio à conuentu audita est, quòd cũ decreto Radomscensis conuentus, & cum voluntatibus omnium ferè congruebat. Itaque in eam sententiam itum est: Placuit autem alia comitia Siradiam ad vicesimam sextam diem Februarij sequẽtis anni indici, & ibi certum à regina responsum expectari, nequicquam deprecante Sigismundo.

Sigismundi offensæ apud Polonos.

Offenderat enim is Polonorum animos, tum propter Domaratum, tum quòd eijci Polonos, cùm cibum sumpturus esset, patiebatur: & ꝙ sacerdotium quoddam in Polonia, repudiatis procerum precibus, Boemo contulerat. Quocirca repulsam passus, Vislicia discedens, Cracouiam diuertere voluit. Sed eum Do-

Sigismundus exclusus Cracouia.

beslaus Curosuancius castellanus Cracouiensis nõ intromisit: veritus, ne eam vel dolo, vel vi accitis mox ex Vngaria militib⁹ in potestatem suam redigeret, indeque promissis & largitionibus proceres & nobilitatem sollicitaret, & sibi iungeret. Ita acceptus à Polonis, in Vngariam redijt. Sumptus tamen ei de publico suppeditati sunt, quoad per Poloniam iter fecit.

Maria regio diademate coronata ab Vngaris.

Vbi in Vngariam venit, reperit Mariam sponsam suam ab Vngaris iam, non reginam, sed regem renunciatam & coronatam. Sed ibi quoque maiores etiam motus eum excepêre, alienata ab eo socrus voluntate, siue vt ipsa cum filia arbitratu suo regnaret,

Sigismundus ingratus etiam socrui.

seu qua alia iustiore de causa. Quæ res ipsum quidem & sponsam eius in extremum periculũ adduxit, socrui verò exitio fuit.

Nicol. Cara palatinus Vngariæ.

Etenim cùm mulieres arbitratu Nicolai Garæ palatini regnarent, eumq; & necessarios eius, cæteris neglectis, ornarent, ac de alio rege è Gallijs accersendo clàm consilia caperẽt, moti indignitate rei pleriq; proceres Carolum Neapolitanũ regem, Ludouici defuncti regis fratris filium ex Italia euocarunt.

Carolus ab Vngaris ad regnum vocatur.

Cuius aduentu cognito, Mariã ferunt cum Sigismundo nuptias accelerasse, cessisse tamen Sigismũdum ex Vngaria in Boemiam, metuẽtem Vngarorum insidias, quemadmodum scribit Bonfinius.

Sigismundus excessit Vngaria.

Carolus verò partim dolis, partim aperta vi regnum adeptus, haud multò pòst reginæ senioris opera interfectus est.

Carolus rex Neapol. & Vngar. interfectus.

Quo facinore perpetrato mulieres securæ omniũ ad inferiores partes regni, & versus Croatiã iter fecêre. Ibi Ioannes Horuatus præfectus Croatiæ, quem illi Banũ vocant, Caroli, cui ipse studuerat, mortem vlturus, impetum in reginas fecit:

Horuatus Banus Croatiæ.

trucidatisq; palatino & Blasio Farcasso Caroli interfectore, ac cæteris dissipatis, Elizabetham quidem in profluentẽ demergi iussit, Mariam verò aliquandiu asseruauit.

Elizabethæ reginæ mors.

Maria in custodia asseruata.

Ad extremũ Sigismundo Budam venienti, & bellum contra se comparanti, eam remisit. Ita demum eodem anno, quo Iagello apud Polonos, Sigismũdus apud Vngaros regnare cœpit.

Sigismundus quando adeptus regnum apud Vngaros.

Hæc de Vngaricarũ rerũ ei⁹ & posterioris tẽporis statu serie vna paulo prolixius hic persequi libuit, quo planior nobis historia nostra decurrat. Ad quam iam reuertimur.

Ziemouitus Masouius ad regnum adspirat.

Iniecta erat nonnulla spes regni Polonici Ziemouito Masouiorum duci: ꝗ Bartholomeus Cothecius homo audax & factiosus auxit, cum ad eũ venisset, operamque suam & fidem ei pollicitus esset.

Bartholom. Chotecij conatus.

Visum est autem, facilius eum voti compotẽ fore, si quas mu-

nitiones

nitiones Poloniæ in potestatem suã re. degisset:itaque ad eam rem profect⁹ Bartholomæus acceptis ab eo copijs, Calissiam arcem noctu intercipere conat⁹ est. Et iam quispiam de militibus eius portam arcis terebra perforauerat, immissaque serra, capax hominis foramen faciebat, & alij murum ascendere nitebantur, cùm exauditus est à vicino pistore strepitus, excitique vigiles, saxis alijsq; telis fortuitu oblatis hostem ad irruptionem intentum supernè simul & ex æquo cominus repulerunt. Inde reiectus Bartholomæus, munitionem suam Cosminecium, non ita pridem à Sigismundo marchione captam, recepit: Chotecіam item præsidio cõmuniuit, & Prosna amne transmisso Cosminũ contẽdit. Verùm illinc à pſidio Domarati præfecti repulsus, Parscũ Michaëlis Thomassij munitionem octo diebus obsedit: eoque dominum loci adegit, vt is deserto Domarato, in partes suas transiret. Maiora autẽ in dies incrementa factio Bartholomæi capiebat odio Domarati, ꝙ ille (verisne criminibus, an inuidia hominum, nescio) tantum sibi vulgò conflarat, vt publico placito nobilitas plera que omnis parêre ei detrectaret. Quin cùm is satisfacere in Vislicіensibus comitijs minoribus Polonis arbitris vellet, responsum est: Non aliter satisfacturũ esse, quàm si magistratu abiret. Auxit verò maiorem in modum odium eius, fama, quod in Saxonibus, Boemis & Cassubijs copias comparare diceretur, quibus aduersariorum contumaciã reprimeret, & vinculis, contumelijs, bonorum direptionibus, & alijs malis eos cõerceret. Quæ cõsilia eius vt præuerteret nobilitas, authore ac duce Vincẽtio de Kempa palatino Posnaniẽsi arma sumpsit, Bartholomæumq; cũ Masouijs adiutoribus sibi adiunxit. Primumq; medio Ianuario ad Pysdros itum, & oppidum post tertium diẽ per deditionẽ acceptum est. Arx deinde post triduũ dedita, saluis dimissis, qui in præsidio eius fuerant, cum equis, armis, & facultatib⁹. Inde ad Calissiam castra mota sunt. Sendiuoius verò Suiduua castellanus Naclensis cum parte copiarum Posnaniam missus, vt esset præsidio illi oppido, ne quid hostile à Domarati præsidio, quod in arce cum Predipelco Staſſeuio Medirecensi castellano erat, pateretur. Miserant enim Posnanienses ciues simul & alij quidam oppidani publicè legationẽ ad Vincentium palatinum, quòd in potestate eius futuri essent, si cõtra vim Domarati defenderetur. Aduenienti autẽ Calissiam Vincẽtio oppidani portas oppidi aperuêre. Arx à Domarati præsidio, cui Ioannes Lencossinius Lencicіensis castellanus præerat, tenẽbatur. Nã ipse Domaratus in Saxonas, Cassubios & Pomeranos exercitus cõparandi causa profectus erat. Obsessa est igitur arx Calissiensis, cùm esset expugnatu difficilis, excursionesque factæ in agros & pagos aduersariorum. Dum autem obsidetur, aduenit Conradus Olesnicensium dux cum expedita manu, à Derslao Iuenio castellano Gnesnensi Domarati fratre, in auxilium euocatus. Verùm vbi vidit aditum arcis à Vincentio interceptũ esse, retulit pedem, & grauiter obiurgatus à Vincentio domũ rediјt. Cæterùm apud Posnaniam remissius cuncta fiebant. Nam Suiduua domum modò quã dã in oppido è regione arcis castelli loco munierat, ad prohibendas hostium in oppidum eruptiones. Exteriore verò porta, quæ in agrum vergit, ij qui in arce erant, liberioribus excursionibus aduersariorum & ecclesiastica bona depopulabantur. Porrò Suiduuæ minus liberæ erant magisque damnosæ excursiones. Nec alibi res quietiores fuêre à facti oñe Domarati: quæ Naclum, Labissinũ, Pacossum, Medireciam, Sbansinum, Medichodiam, Velenum, & Keplouiam arces atque castella obtinebat, & ex his viciniam omnem armis infestabat. Erant autẽ in partibus Domarati insigniores Grimala Olesnicius Costrinẽsis, Andreas Suiradouius Camenensis castellani, Virbenta Smoguleci⁹, Theodoric⁹ Margonini⁹, propinqui & necessarij ei⁹, præter eos quos paulo ante commemoraui m⁹. Fuitq; miserabilis tunc facies maioris Poloniæ, cũ null⁹ pene loc⁹, nulla cuiusꝗ possessio, nemo neq; vir, neq; fœmina extra munitiones & pſidia vtriusque partis vexationũ, direptionum, & aliorũ malorum, ꝙ bellum secũ trahit, exors esset. Nã quicunq; ab alteris stetisset, alterorũ iniuriæ erat obnoxius. Neq; mercatores & insontes agricolæ exptes illarũ calamitatũ erãt. Adhæc pestis popularis eo ipso anno Poloniã, sicut multas alias regiones, infestauit. Aduenit deinde Domarat⁹ cũ externo milite, bellum illatũ depulsurus: metatusq; castra in Pietrico uice Suiduuæ pdio, Vurõcos & Samotulos oppida diripuit. Quæ cũ Suiduua ad exploratorib⁹ didicisset, Bartholomæũ Chotecіum, & Sremẽsem castellanũ cũ suis copijs clã asciuit, noctuq; cũ his ad Domarati castra cõtendit. Præmonitus quidem erat de aduẽtu Suiduuę Domaratus: verùm de Bartholomęo & Sremẽ

Calissia tentata.

Domarati odium.

Bellum ciuile Polonorũ.

Vincentius Kempius palatin. Posnaniensis.

Conrad. Olesnicensium dux.

Pestis.

Vuronci & Samotuli oppida.

si castellano nihil suspicatus, contempto Suiduua, quem paruā manū habere nouerat, quiescere suos iusserat. Illucescente verò die xv. Februarij hostes ab ijs, qui in statione fuerant, magna celeritate adesse nunciantur. Trepidatur totis castris, nec satis spacij ad expedienda arma frenandosque equos fuit. Neque verò castra munita erant. Itaque Domaratus cum ijs, quos primùm ad manū habere poterat, obuiam hosti progressus, non instructis ordinibus manus cum eo conserit. Et paruo negocio dissipatis suis, in fugam actus est. Fugientes Suiduua longo est spacio persecutus. Fortè Virbēta Smoguletius trans Vartam amnem cum centum hastatis equitibus & quingentis peditibus erat. Is igitur de aduentu hostium ad oppugnanda castra Domarati noctu certior factus, in auxilium Domarati veniebat. Cùm autem comperisset Domaratum profligatum esse, nihil ea clade suorum deterritus, concito gradu aduersus hostes tetendit, palātesq; per agros, dum fugientibus instāt, nactus, magnam in eis stragem edidit. Interim Suiduua cum paucis expeditioribus longius Domaratum persecutus, victor captiuis spolijsque onustus reuertebatur. Cognitoque statu suorum perturbato, nihilominus contra nouū hostem ire pergit. Sed conspecta cominus multitudine consternatus, prospicere sibi quemque iubet. Ipse in Ostrorogum castellum Derslai Grocholæ castellani Santocensis concitato equo profugit, & vix persequentium se Virbentæ ac Domarati, qui iam sese ex fuga recollegerat, manus euasit. Magna vtrinque strages hominum variante fortuna fuit. Ostrorogum deinde Domaratus acriter vsque ad vesperū oppugnauit: sed cùm nouas hostium copias in auxilium Suiduuæ aduentare falsò accepisset, soluit postero die obsidionem, & in Obornicos oppidū copias suas deduxit: indeq; quicquid loci inter Posnaniam, Bucū, Vuroncos oppida, & Vartam fluuium interiacet, infestauit. Instabat iam tempus præstitutum comitijs. Quapropter Elizabetha regina, vt in Visliciensibus comitijs anni superioris conuenerat, flagitantibus Polonis proceribus, ac pericula & incommoda ciuilis belli denunciantibus, Vesprimiensem episcopum cum alijs duobus proceribus Vngaris misit Siradiam, qui Polonos de voluntate sua certiores faceret. Hi reginæ mādato proceres atque nobilitatē iurisiurandi religione, quo se Mariæ natu maiori Ludouici filiæ, & Sigismundo spon

Domaratus profligatus à Suiduua.

Suiduua victus & fuga tus à Smoguletio.

Ostrorogum castellum.

Obornici oppidum.

Bucum.

Comitia Siradiæ.

Oratores Vngari ad comitia.

Poloni soluti religione iurisiurandi Mariæ & Sigismūdo dati.

so eius obstrinxerāt, primùm soluerunt: deinde postularunt, vt regnum ad Heduigim natu minorem decreto comitiorum deferretur, sed vt ea tamen, vbi ad proximum pascha in Poloniam deducta atque coronata esset, triennio deinceps propter teneram & immaturam regno viroq; ætatem, in Vngaria apud matrem educaretur. Re in consultationem posita, variæ dictæ sunt sententiæ: & aberat non contemnenda pars senatus atq; nobilitatis ex maiore Polonia, ciuili bello distenta. Itaque placuit comitia ad xxviij. diem Martij prorogari, & interim per legatos totius conuentus nomine de pace inter dissidentes agi. Lecti ad eam rem Spitco Melstini⁹ Cracouiensis, Sendiuoius Subinius Calissiensis palatini, Nicolaus Bogoria Zauichostensis castellanus & Creslaus Sciucouius, viri graues & prudentes, cum literis Elizabethæ reginæ ad eam rem cōscriptis. Qui cùm ad Calissiam accessissent, imperarunt præfecto arcis Ioanni Lencossinio, vt sibi arcem traderet: nec ille renuit. Quanquam non constat hîc sibi Dlugossus: Nam aliquanto inferius post constitutas inducias obsessam tamen esse nihilominus Calissiam à factione Bartholomæi, quæ eadem Vincentij palatini Posnaniensis fuit, memorat. Nisi fortè paruit legationi Vincentius, non paruit autem Bartholomæus. Peruicit autem Vincenti⁹, vt ea Ioannis Calissiēsis castellani fidei committeretur. Inde reuersi Cracouiensis & Calissiensis palatini, in Vngariam ad reginam profecti sunt: sed qua de causa, non proditur. Reliqui verò duo legati Posnaniam profecti, aduocatis dissidij capitibus & Radimi tantùm amnis interlapsu diremptis, inducias vsque ad viij. Calend. Iulij, qui dies diui Ioannis Baptistæ natalis est, inter eos confecerunt ea lege, vt arces Domaratus in potestate sua retineret. Frequentes deinde proceres atque equites Siradiam ad constitutam diem conuenēre, & omnium penè sententiæ in Ziemouitum Masouiorum ducem inclinatæ erant, vt ei cum Heduigis Ludouici regis filiæ coniugio regnum mādarent. Aduenerat etiam Vuladislaus dux Oppoliensium, cum quo Ziemouiti soror nupta erat, non sine spe aliqua adipiscendi regni, propterea quod propinquitate Cazimirum regem attingeret. Is igitur Ziemouiti fautoribus obnixè refragabatur: sed parū absuit, quin ab eis caperetur, ni primorum senatorū autoritas interuenisset. Fauebat & Bozēta archiepiscopus Ziemouito. Atque ei ro-

Comitia prorogantur.

Minorum Polonorum legatio ad maiores.

Sczucouius.

Poloni oratores ad reginam.

Siradiensia comitia.

Vuladislaus dux Oppoliensium ad regnum adspirat.

roganti, placerétne regnum Ziemouito mandari, magna acclamatione vniuersus cõuentus assentiebatur. Sed vnus homo oratione sua mox omnium voluntates conuertit. Iascus is fuit, siue Ioãnes Tencinius Voinicienſis castellanus, Andreæ, qui fuit palatinus Cracouienſis, filius: qui impetrato silentio, in hanc sententiam verba fecisse dicitur. Non equidem consensum istum & iudicia vestra reprehendo, proceres: nec à Ziemouito alieno sum animo. Sed videte, ne quam infamiæ labem nomini nostro Polono aspergamus. Ego si integra ea nobis res esset, liberaque prorsus suffragia, tamen de re tanta consultantibus amplius deliberandum esse censerem. Periculosa est enim in re qualibet incõsulta festinatio: & præceps consilium ferè pœnitentia sequitur. Nũc verò cùm mortui regis Ludouici filiæ fidem nostram obstrinxerimus, perpendite cum animis vestris diligentius, an ea præterita rectè nobis regẽ creare possimus. Equidem fallendi iurisiurandi nunquã vobis autor ero. Quòd si quispiam est in hoc cœtu, qui religionem illam iurisiurandi, sanctissimum societatis humanæ vinculum, paruipendat, ab hoc mihi liberè dissentire liceat. Neque enim ego ita sum institutus, vt aut homines fidem meam secutos mentiendo, aut Deum mentium inspectorem, quem volens sciensque iurisiurandi testem adhibui, peierando fallam. A vobis quoque patres, & à genere nostro talem mentem, seu verius amentiã, Deus vt auertat, precor. Quid igitur faciemus? dicet aliquis. Ergóne rege orbi, mutuis cędib⁹ & intestinis bellis peribimus? Procul hoc omen Deus auferat. Quid ergo? Dicam quod sentio. Differendam ego hanc de creando nouo rege consultationẽ adhuc esse censeo. Adsunt hîc oratores senioris reginæ: quæ mandata, siue adeò postulata ad nos attulerint, nõ ignoratis. His igitur ita respondendum esse iudico. Nõ mutare vos id, quod semel cum Ludouico rege vestro iureiurãdo dato constituistis. Liberatos autẽ à Sigismũdi marchionis fide, libenter in Heduigi minore natu filia Ludouici fidem seruaturos esse. Sed quòd Polonia tãdiu rege orba in maximo versetur discrimine, petere vos etiam atq; etiam à regina seniore, vt Heduigim filiam primo quoque tẽpore ad vos mittat, diadema ritu solenni suscepturam, & nupturã viro sibi nobisq; grato, & cum eo regnum administraturam. Quòd nisi illa ad proximè venturam Pentecostẽ desiderio vestro satisfecerit, tum demũ testati, non per nos stare, quo minus pacta conuẽta cum Ludouico seruentur, siue Ziemouitum, siue quem aliũ videbitur, regem creabimus. Neque enim eousq; cunctantem, ne dicam ludificantẽ nos reginam expectare debemus, dum funditùs interimus. Cunctis sententia Ioannis placuit. Igitur in eam itum, ac decretũ factum est. In quo illud adiectũ est, vt Heduigis aduenniens, si regina esse vellet, reciperet se de cõsilio Polonorum nupturam, & in Polonia cum viro mansuram: & summo studio annixuram esse, vt Velunensem Dobrinensemq; tractum, & in Russia quicquid Poloniæ detractũ esset, recuperaret. Et cũ hoc responso oratores Vngari dimissi sunt, solutusq; cõuentus. Instante autẽ Pẽtecoste frequẽtes proceres atq; equites Sãdeciam, qua Heduigim reginam designatã venturã esse sperabant, honoris illius causa profecti sunt. Sed illa ad constitutum tempus non venit. Cæterùm palatinus Calissiensis cum mandatis Elizabethæ veniens, moram eius excusauit, quòd diceret, eam cupiẽtem Polonorum votis satisfacere, Cassouiam vsq; peruenisse: inde porrò cõmodè progredi non potuisse, imbrium vi & inundatione aquarũ prohibitã. In hoc tamen eam esse, vt periculo se commissura sit potius, quàm vt ipsorum voluntates offendat. Orare autẽ, quod sine incommodo ipsorum fiat, vt ipsi Cassouiam ad se veniant, & melius atque certius præsentes cum præsente omnibus de rebus constituãt. Efficax fuit oratio palatini: quocirca cætera multitudine domos reuersa, primores de senatu, nempe Dobeslaus Curosuãcius castellanus, Spitco Melstinius palatinus Cracouiensis, Iascus Tarnouius Sendomiriensis, Vincentius Kempius Posnaniensis, Sendiuoius Subinius Calissiensis palatini, ac Domaratus castellanus Posnaniensis, & præfectus maioris Poloniæ Cassouiã profecti sunt. Ibi noua pacta cum regina inita sunt: nimirum vt ad tertium Idus Nouembris, quæ dies diui Martini episcopi memoriæ sacra est, Heduigis in Poloniam veniret, ac de sententia amplissimi consilij matrimonium iniret. Quod si ea deinde nullis liberis relictis decederet, vt Maria soror cum sua posteritate ipsi in regno Polonorum succederet, vicissimq; idem ius esset Heduigi secundum Mariæ mortem in Vngaria. Ita sempiternum fœdus inter Vngaros ac Polonos sancitum. Interea Ziemouitus dux ex actis Siradiensium comitiorum, & nõ obscuris plurimorum procerum studijs in magnam spem adipiscen-

Ioannis Tencinij oratio.

Comitiorum decretum.

Poloni primores Cassouiam profecti.

Fœdus Vngarorum & Polonis.

piscendi regni & coniugij Heduigis erectus, cum quingentis suis equitibus archiepiscopo ac Bartholomæo Cosminio comitantibus Cracouiam contẽdit, eo consilio, vt Heduigim ex Vngaria venientem, si potiri cõiugio eius aliter nõ posset, vi raperet. Nec eius aduẽtus cum tam insigni comitatu latêre Cracouienses ciues potuit. Quapropter in vrbem intromissus nõ est, veritis ciuibus, ne per vim eam occuparet: sed in ædibus præpositi Clepariẽsis, quas Bozenta archiepiscopus, cùm adhuc esset præpositus eius templi ædificarat, diuertit. Nec ibi diu perstitit. Nam cùm suspectum se esse Cracouiensibus intelligeret, veritus, ne qua in se eruptio ex vrbe fieret, postri die Corcinum, quæ etiam Noua ciuitas appellatur, se recepit. Atque ibi quindecim dies Heduigis aduentum, ac deinde Cassouiensis conuentus exitum præstolatus, in maiorem Poloniam præproperè abijt, vt maiorum Polonorũ studia propensiora in se, quàm minorum, retineret, augeretque. Spitconi verò Melstinio maximè infensus, quod aduersari eum sibi accepisset, oppidum eius Xianzum incendit. Creditum est autem aduentum Heduigis propter insidias Ziemouiti euitandas tamdiu prorogatum fuisse. Ille verò posteaquam animaduertit nihil se dolis proficere, ad apertam vim conuersus est: missoque Abraamo palatino Plocensi, & Creslao Dobeslai Crusuiciensis castellani filio, cum expeditis copijs, plerasque omnes Cuiauiæ munitiones in suam redegit potestatẽ, Petrassio Malocha præfecto, & castellano Brestensi, qui Crusuiciæ præerat, cui⁹ nomen non memoratur, fauentibus. Et quanquam ijs propter non obscura studia in Ziemouitum Stiborius Moscici⁹ successor datus erat ab Elizabetha, serò tamen is ex Vngaria venit, occupatis iã à Ziemouiti exercitu arcibus. A Brestensibus modò oppidanis crudelitatem Ziemouiti formidantibus receptus est: sed non multo post excedere oppido coact⁹, cùm à Masouijs circumsessus esset. Accepto per deditionem oppido, multi oppidani in carcerem coniecti, & bonis mulctati: Lencicia quoque per eundem Petrassium præfectum in Ziemouiti potestatem venit. Igitur accessione Cuiauiæ & Lenciciæ auctus animo viribusq; Ziemouitus, apertè iam regnum sibi vendicare: indictisque vniuersæ Poloniæ comitijs Siradiam ad quintamdecimã diẽ Iunij cædes & incendia cõminari ijs, qui dicto audientes non essent. Aduenêre Nicolaus Vuladislauiensis, & Stiborius

Ziemouitus dux Cracouiam non intromissus.

Corcinum Noua ciuitas.

Spitco Melstinius.

Cuiauiam Ziemouitus redegit in suã potestatem.

Lencicia Ziemouito dedita.

Siradiæ comitia.

Plocensis episcopi, & Bozenta archiepiscopus cum aliquanta maiorum Polonorum caterua. Ibi Ziemouitus ab archiepiscopo rex renunciatur, acclamantibus qui aderant ex equestri ordine: coronabatur etiam, ni quidam graues viri dissuasissent. Conuentu soluto, Ziemouitus Calissiam cum exercitu contẽdit, arcemque cum oppido obsedit. Ibi se cũ eo coniunxit Conradus dux Olesnicensium, cum trecentis hastatis adueniens, Odalanouiam mercedis loco, concedẽte Bartholomæo, sibi pactus. Quin ipsi quoque maiores Poloni per idem tempus rursus nouis motibus agitabantur. Nã Costrinẽsis & Camenẽsis castellani, & Virbenta Smoguletius facta manu Znenam archiepiscopi oppidum natura loci munitum capere conati sunt: sed oppidanis petentibus dierum aliquot inducias, dum archiepiscopum dominũ suum ea de re consulerent, concesêre. Atq; interea Gembice oppidum, quod in Ziemouiti partibus erat, diripuêre. Bendimirus verò Radicius eiusdẽ factionis homo Camenum oppidum & arcem archiepiscopi per deditionem intercepit, cùm archiepiscopum à regina proscriptum, solum vertisse affirmaret. Porrò archiepiscopus numeratis quadragintaquinque marcis latorum grossorum, donatisque insuper decimis Palucensibus, Znenam liberauit. Quo facto eius illecti Abraam palatinus Plocensis, & Slauecus vexillifer Masouiæ, qui Cuiauiam cum præsidio tenebant, Quecissouum oppidum eiusdem archiepiscopi cum circumiacẽtibus pagis depopulati sunt. Et iustè fortassis hæc mala tunc in Archiepiscopum ingruerunt, quòd & cathedram illam excluso alio, qui ritè electus erat, interuerterat, & pactorum decretorumque comitialium immemor, priuato consilio ad Ziemouitum transierat. Neque hic tamen malorum finis ei fuit. Nam Domaratus castellanus Posnaniensis, qui iam præfectus maioris Poloniæ esse desierat, successore accepto Peregrino Venglessinio Floriani episcopi Cracouiensis fratris filio, ex Vngaria reuersus, cũ socero suo Alberto palatino Cuiauiensi socero & Grimala & Virbenta gẽtilibus suis Znenam ad eum venit: callidoque commẽto persuasit, vt Grimalæ & Virbẽtæ Znenam ad tempus obtinendam cõcederet, quod eum ab Elizabetha regina & Sigismundo genero eius hostem publicum iudicatum esse diceret: missosque ab his ad summum Pontificem, qui amoueri eum ab archiepiscopa peterent, quod cũ Zie-

Ziemouitus rex Polonorum renunciatur.

Calissia obsessa à Ziemouito.

Conradus dux Olesnicensium.

Poloniæ maioris motus.

Znena oppidum.

Gembice direptum.

Camenum interceptum.

Quecissouum direptum.

Archiepiscopi in stapænæ.

Znena interuersa.

Ziemouito sentiens, perduellis & iurisiurandi sui fœderumq; publicorū prævaricator esset. Pactus est tamē ab eis Bozenta archiepiscop⁹, vt nihil hostile cuiquam facerent, neque vllam postea impendiorum rationem ducerent. Per idē tempus Glogouiēsium duces Henricus & frater eius rati commodam se nactos esse occasionem recuperandæ Vuschouæ in interregno, dū maior Polonia ciuilibus bellis ardet, sumptis armis oppidum id vi capere adorti sunt: sed reiecti turpiter ab oppidanis, territorium omne populabundi peruagati sunt. Hos igitur vt reprimeret Peregrin⁹ præfect⁹ maioris Poloniæ, simulq; vt Calisiæ obsessę opē ferret, delectū habere instituit. Sed paucis conuenientibus & nomina dantibus, nullum operæprecium fecit, bona tantùm ecclesiæ Posnaniensis, & Lubinensis monasterij depopulatus est. Ad hæc Thomislaum Vissotam cum fratre, quòd Poneciam Conrado Olesnicensium duci dedidissent, cępit, & in vincula coiecit. Deinde ad Poneciam profectus, arcem incēsam à Silesijs præsidiarijs aduentum eius nō ferentibus instaurauit, non sine pressura & calamitate agrestium adscriptitiorum Posnaniensis ecclesiæ, qui circum Crobiam atq; Dolscum sunt. Alterum deinde delectum apud Vinecium episcopi Posnaniēsis pagum agere instituit. Ad quem frequentiores equites conueniebant. Sed eum Bartholomæus Cosminius disturbauit, cùm ex inopinato impetum in eos fecisset, oppressosq; armis & eqs exuisset ac nōnullos captiuos abduxisset. Hęc cū ad minores Polonos apud quos quietā erāt omnia & in Vngariā perferrētur, minores quidem Poloni fratrū vicē doluêre: & indictis Cracouiā ad 8. Cal. Aug. qui dies diui Iacobi apostoli memoriæ dicat⁹ est, comitijs, exoratisque Ziemouito duce, & Bozēta archiepiscopo, vt ad ea comitia venirent, de pace totius Poloniæ & concordia cum eis diligenter egêre. Vix tādem inducias bimestres confecêre. Tametsi perstitit nihilomin⁹ in obsidione Calisiæ Bartholomæus, magnisq; incōmodis circumiacentes pagos & oppida contemptis inducijs affecit, donec à Ziemouito veniente abscedere & quiescere iussus est. In Cuiauia quoq; præfecti & legati Ziemouiti aduersariorum bona nihilo secius vexabant. Porrò Elizabetha regina Sigismundum marchionem generum suum, atque Demetrium Strigoniensem archiepiscopum cum duodecim millibus armatorū in Poloniā misit, ad coërcendū Ziemouitū & factionē

Vuschouense territorium vastatum.

Ponecia arx incensa à Silesijs, à Polonis instaurata.

Idē, qui Odalanouium & Chotelius siue Choiecin.

Comitia Cracouiæ.

Induciæ.

Cosminius turbator.

Vngarorum expeditio in Poloniam.

eius, pacandāq; maiorē Poloniam. Transmisso autem Sigismundus Carpatho monte, apud Sandeciam statiua habuit. Quò cùm proceres Cracouienses & Sendomirienses siue vltrò, siue euocati ad eum cōuenissent, disceptatū est, an Ziemouito bellū inferri fas esset, ꝙ alij negarent violādas esse inducias, alij contra iā ab ipso priore violatas esse cōtenderent. Vicitq; hæc posterior sentētia. Quapropter sumpsêre & ipsi cū Vngaris contra turbatorē publicæ pacis arma. Per Radomiensem igitur oram pacato agmine in Masouiā pariter Poloni & Vngari duce Sigismūdo ingressi sunt, & Ziemouito nusquam faciente pugnādi copiā, ditionem eius omnem acerbè igni ferroq; vastarunt. Cæterùm Ioannis fratris eius ditione abstinuêre, propterea ꝙ is quiescebat, nec temerabat pacta cum Ludouico publicè de regno inita. Per idē temp⁹ præfectus maioris Poloniæ fiducia propinqui exercitus suarum partiū erectus, facta aliquanta manu cū Vincentio palatino Posnaniēsi, Derslao Ostrorogo cognomento Grochola Santocēsi, Sendiuoio Suiduua Naclēsi castellanis, Arnoldo Valdouio, & nonnullis alijs ad Znenam castra posuit, ꝙ archiepiscopus cum Ziemouito sentire videretur. Sed repulsi ab oppido, in agrestes & suburbana sæuierunt: raptaq; præda Gnesnam profecti, domos archiepiscopi & sacerdotū diripuêre: Naclense territoriū, quod à Domarati factione tenebatur, vastauêre. Domaratiani aūt vicissim, cùm pręter Lecnum oppidum prędas agerēt, oppidanos ad excutiendam prædam effusos persecuti, oppidū id cæpêre & incendêre. Porrò Drogossius Chrobrius præfectus Siradiēsis Volboriam arcem episcopi Vuladislauiensis, conniuente Henrico canonico Vuladislauiensi, qui tunc ei post mortem Sbiluti episcopi præerat, intercepit, oppidanosq; & agrestes finitimos vexauit, ratus, his malis eò se adacturum esse collegium Vuladislauiense, vt fratri suo Nicolao episcopam mandaret. Sed eum spes fefellit. Nam Troiano præposito Posnaniensi & canonico Vuladislauiensi ea mandata est. Tametsi Vrbanus sextus pontifex maximus reiecta ea electione, Ioānem Cropidlonem Oppoliensis ducis filium, de Posnaniensi episcopa trāslatum Vuladislauiensem fecit. Cæterùm Sigismūdus puastata Masouia, in Cuiauiā duxit exercitū, & Breste vndecim dieb⁹ obsedit. Induciæ deinde semestres cū Ziemouito vsq; ad pascha factæ interuētu Vuladislai Oppoliēsiū ducis. A quo Domaratus

Masouia vastatur.

Gnesnæ domus sacerdotū direptæ.

Lecnum oppidum incensum.

Volboria arx intercepta.

Ioānes Cropidlo Vuladislauiensis episcopus.

Sigismundus Cuiauiā vexat.

Breste obsessum.

Induciæ.

ratus, cùm studium suum operamq; Sigismundo probare vellet, cum Saxonibus & Pomeranis mercenarijs è Cuiauia prædas agẽs, apud Inouuladislauiã non leue detrimentum acceperat, quòd per ditionem eius ipso inuito Cuiauiam infestasset. Interfuit autem illis pactis etiã archiepiscopus: & cùm è Sigismũdo cognouisset, se falsis terroribus à Domarato circumuentum esse, vt Znenam necessariorum & gentilium eius fidei cõmitteret, discedente Sigismundo poposcit eos, vt eam sibi redderent. Negantibus autẽ illis, & impendiorum solutionem contra pacta conuenta reposcentibus, constituta re clàm cum magistro ciuium & primoribus oppidanis, aduenicns receptus est in oppidum: & eiectis vi Saxonibus Pomeranisque præsidiarijs, Iarandũ decanum Gnesnensem oppido præfecit. Dũ hæc ita geruntur turbaturque in Polonia, Lituani occasionẽ bene gerẽdæ rei nacti, Iagellone Olgerdi filio duce Masouiam inuasêre: Drohicinũ arcem, q̃ Ioannes dux Masouiorum Keistuto duci socero suo ciuili bello occupato non ita multo antè vnà cum Melnico, Camenecia, & Surasso interuerterat, obsidione vallauêre. Fortè tunc aberat præfectus arcis Sassinus magister curiæ, siue, vt vulgò dicunt, Marsalcus ducis. Hic igitur vbi de periculo arcis, in qua nihil ipse p̃sidij reliquerat, accepit, cum subitaria triginta hastatorũ & sexaginta balistariorum manu accurrens, & facto cuneo per medios hostes in arcem perrumpens, receptus est à suis. Qua eius audacia barbari de spe potiũdæ arcis deiecti, abire parabant. Interim Russi quidam, à quibus ora illa ferè habitabatur, proditionem cum eis pacti, arcem incenderunt, & per funes in stationes hostium sese dimiserunt. Lituani arcem flagrantem summa vi oppugnarunt, ne quod spacium nostris restinguendi incendij darent. Ita plurimi mortales partim hausti incendio, partim hostilibus telis necati sunt. Præfectus verò cum paucis reliquis, omni ope desperata viuus iñ potestatem hostium venit. Turbauerat Polonorum mentes Elizabetha regina, quòd Heduigim filiam ad constitutum tempus ipsis non mittebat. Itaque frustra expectato Nouembri atque Decembri mense, post initium noui anni 1384. Sendiuoius Subinius palatinus Calissiensis & præfectus Cracouiẽsis de sententia episcopi & aliorũ procerũ Cracouiensis cõuentus cum nobilissimorũ quorumq; adolescentum comitatu ad Elizabetham, Iaderam vsque Dalmatiæ profectus est. Statum rerum Polonicarum, & postulata procerũ diligenter exposuit, minasque precibus adiecit. Petebat autem ab ea, vt quàm primum Heduigim ad breue tempus in Poloniã mitteret, coronatam mox ipsi remissum iri pollicebatur, vt cum ipsa esset, donec adolesceret. Obsidesque ad eam rem nobilium filios, quos secum adduxerat, dabat. Nectere moras Elizabetha, & aliam ex alia excusationẽ quærere, ambiguisque responsis Sendiuoium ducere. Quib⁹ rebus exacerbatus ille iram non obscurè præ se ferre, velleq; discedere. Quod vbi regina animaduertit, verita ne is, in cuius potestate erat Cracouia, reuersus turbas cieret, Iascum siue Ioannem Tarnouium castellanum Sendomiriensem ad occupandam arcem Cracouiensem misit: Sendiuoium autem discedere vetuit. Non latuit Sendiuoium reginæ consilium. Itaque vnum de comitibus fidelem curriculo mittit Cracouiam, qui Tarnouij aduentum anteuerteret, curaretque, ne arx ipsi dederetur, etiam si ipse extrema pateretur. Ipse verò clàm sese Iadera euoluens, ferè intra viginti quatuor horas sexaginta milliaria bene longa, vt sunt Vngarica, crebrò mutando equos emensus, Cracouiam lassus peruenit, & proceres de omnibus rebus certiores fecit. Indixerant Lelouiam comitia minores Poloni ad secundam diem Martij: sed adueniente Sendiuoio Radomscos ea transtulêre, vt maiores quoque Poloni ad ea propinquitate loci inuitati venirent, & in commune de repub. consuleretur. Et frequẽtes ij conuenêre, cùm de legatione & reditu Sẽdiuoij cognouissent. Vbi cũ multa de superbia & frustratione Elizabethę, de sedandis intestinis dissidijs, ac de nouo rege creando tractata essent, neq; tamen creatio noui regis malorum finem allatura esse videretur, propterea quòd neque foris pacem ob violata pacta cum Ludouico inita, neque domi quietem in tantis animorum atque studiorum dissensionibus habituros se esse iudicabant, ad extremum placuit, vt reginę animum adhuc leuiore legatione pertentarẽt, si fortè legati humilitas, quę magnam offensionem & alienationem animorum significaret, pertinaciam reginæ frangeret. Deinceps verò, ne quis omnino ad eam neque publicè, neq; priuatim proficisceretur. Statuta reginæ dies, octaua Maij, vt Heduigim Cracouiæ tandem sisteret, si regnare eam in Polonia vellet. Ni faceret, aliter sibi prouisuros esse. Hæc vt ita rata manerent, iure-

Znena recuperata ab Archiepiscopo.

Lituani Masouiam populantur.

Drohicinum obsessum.

Drohicinũ incensum.

1384. ann.

Sendiuoius Subinius in Dalmatiam excurrit.

Reginæ consilia.

Subinij celeritas.

Comitia Radomscij.

Senatusconsultum.

iureiurando mutuo se obstringunt. Missus cum his mandatis Predislaus Vauelius equestri familia nonillustri, commouit reginam, ita vt Sigismundum generum suum viris, equis, armisque instructum ad gubernandam Poloniam, tantisper dum adolescit Heduigis, mitteret. Quod vbi apud Polonos proceres percrebuit, indignati ludibrio se esse fœminæ, eiusque & Vngarorum arbitratu sibi præfectos atque adeò dominos imponi, & Sigismundum peculiariter perosi, exercitum contrahũt, & Sandeciam contẽdunt. Inde Lubouuliam siue Liblium, quæ tunc Vngaricæ ditionis erat, legationem ad Sigismundum mittunt: monent, ne se inuitis in Poloniam veniat. Si aliter faciat, pro hoste se eum habituros esse. Itaque repressit gradum Sigismundus: sed illud vicissim impetrauit à Polonis, vt nonnulli de primoribus ad se venirent, ac de rebus quibusdam secum constituerent. Missi Spitco Melstinius, Sediuoius Subinius, & Ioannes Tarnouius. A quibus illud modò impetrauit Sigismundus, vt aduẽtus Heduigis ad Pentecosten vsque expectaretur. Author expectandi maximè Sendiuoius fuit, quòd ei Sigismundus receperat, liberaturum se esse nobiles illos adolescentes, qui post fugam ipsius Iaderæ detenti in custodia asseruabantur: qui ferè propinqui erant Sendiuoij. Neque tamen præstitit promissa Sigismundus, propter motus fortassis illos Vngaricos, quorum superius mentionem fecimus. Interim rursus non quiescebat maior Polonia: certatumque est mutuis cædibus atque captiuitatibus inter proceres & equites. Quin & castella quędam magna vi oppugnata: inter quę Bythinum fuit Nicolai Lodij siue Lozij castellum. Qui quòd in Domarati partibus erat, obsessus in eo & oppugnatꝰ est à Vincentio palatino, Peregrino præfecto Posnaniensi, & Suiduua castellano Naclensi: Verùm ij non paruis incommodis in oppugnatione acceptis, re infecta discesserunt, pagos tamen adiacẽtes diripuerunt, & incenderunt. Induciæ deinde inter dissidentes factiones factæ: Quas cùm Suiduua & Vissota Curnicius contemptu Domarati seruaturos se esse negarent, magnis incommodis à Domarato affecti sunt, direptis eorum oppidis Cazimiro & Samotulis cum adiunctis pagis. At verò Cracouienses & Sendomiriẽses proceres ad octauã diem Maij, quemadmodum constituerant, conuentum rursus egêre apud Sandeciam, Heduigisque aduentum prestolabatur. Sed cùm ea nõ veniret, placebat rursus oratores mitti in Vngariam, ni Prædislaus Vauelius dissuasisset, quòd diceret, aut se mendacij, aut conuentum omnem leuitatis argutum iri, si cùm cõstituissent, & reginæ denũciassent, neminem se deinceps neque publicè, neq; priuatim ad eam proficisci passuros esse, nouam legationem mitterent, contemptumque iri eam legationem. Itaque placuit in commune, vt mittenda legatione pariter & creando rege ad tempus adhuc supersederent. Sendiuoius verò Subinius, cuius animum in primis angebat nobilium iuuenum detẽtio, priuatim in Vngariam profectus, perfecit tandem, vt Heduigis in Poloniam veniret. Comitati sunt eam Demetrius tituli sanctorum quàtuor coronatorum presbyter Cardinalis & Archiepiscopus Strigoniensis, & Ioannes Chanadiensis episcopus, & plures alij proceres Vngari. Ad cuius aduẽtus famam exciti Polonorum proceres cum frequenti nobilitate Cracouiam accurrere: & qui tempori aduenerant, venienti vsque ad fines Vngariæ obuiam profecti sunt. Deducta Cracouiam honorificè cum perampla ac splendida aurea, & argentea, & stragulæ vestis supellectili, qualis decebat tanti regis filiam Idibus Octobris, qui dies ob id memoriæ Diuæ Heduigis Legnicensis apud Polonos festus est, regina Poloniæ renunciata, & à Bozenta Archiepiscopo solẽni ritu inuncta & coronata est, magna omnium lætitia & fausta acclamatione: regniquè amplissimi administratio teneræ puellæ commissa. Lenitum erat in animis Polonorum regis desiderium ꝓpter suaues & liberales mores Heduigis reginæ, cum verecundia, modestia, prudẽtia, decentique suauitate coniunctos: quarum virtutum non vulgare condimentum erat, forma corporis eximia. Nec grauatim viri muliebri imperio parituri esse videbatur, nisi ad domesticas procerum inter ipsos dissensiones sedandas, & externorum bellorum impendentium motus parum authoritatis & præsidij fore in puella iudicasset. Nec satis in tuto reginæ pudor illa ætate, illaque forma, & necessaria cum viris consuetudine sine coniugio futurus erat. Ad hæc posteritati quoque prospiciendum erat. Itaque noua cura procerum animos incessit, de adiungendo reginæ marito, qui regiam dignitatem & molem rerum maximarum rectè sustinere posset. Destinarat quidẽ Ludouicꝰ rex adhuc viuens generum sibi & successore siue in Vngaria, siue in Polonia

Vilelmum

Sigismundum marchio venire in Poloniã.

Poloniæ maioris motus.

Bythin castellum oppugnatum.

Induciæ.

Cazimirum & Samotuli oppida direpta.

Sandeciæ conuentus.

Heduigis reginæ aduentus in Poloniam.

Heduigis coronatur.

Heduigis mores & forma.

De rege consultatiõ.

Vilelm. dux Austriæ. Vilelmum Austriorum ducem, & puerum admodũ in aula sua educârat, promisso ei Heduigis filiæ matrimonio. Sed non magnopere placebat Polonis eum habere regem, qui propter paternũ principatum, longo spatio & interiectu terrarum distantem à Polonia, longius aliquãdo à regno abfuturus esset: nec multum opis princeps tenui fortuna & potẽtia domestica Poloniæ in rebus dubijs afferre posset. Dum autem diutius de re tanta consultatur, commodùm aduenerunt oratores ab Iagellone, magno duce Lituanorum. Cuius genus explicãdum nobis est prius, quàm cætera prosequimur. *Lituanorum ducum stirps & propago. Gediminus.* Erat apud Vitenen magnũ Lituanorum ducẽ magister stabuli Gediminus, vir ambitiosus & excelsi animi, qui interfecto domino suo, dominatum inter suos arripuit, & latè propagauit, nõnulla parte Russiæ partim vi & armis, partim pactis sibi adiũcta. *Gedimini filij.* Huic septem fuêre filij, Montiuidus, siue Moniuidus, Narimũdus, Olgerdus, Iaunutus, Keistutus, Koriatus, & Lubartus: filiæ itẽ aliquot, de quibus vnã Cazimirus II. rex Polonorum vxorẽ duxit, queãdmodum superiꝰ exposuimus. *Lituaniæ diuisio inter filios Gedimini.* Inter filios viuẽs adhuc Gediminus dominatum partitus est in hũc modum, vt Moniuido Kernouia & Slonimum, Narimundo Pinscum de Russis vel bello partũ, vel pacto quæsitum, Olgerdo Creua, Keistuto Troci, Coriatho Nouogrodecum, Iaunuto verò Vilna obueniret. Nam Lubartus cùm Russam vxorem Vuladimiriẽsium ducis filiam, quemadmodũ superius memorauimus, duxisset, ac socero hęres factus esset, nullam inter fratres sortem accepit. *Olgerdi & Keistuti amicitia.* Ex his Olgerdus & Keistutus coniũctissimè inter se vixêre, & vegetiora nacti ingenia, molestè tulerunt, penes Iaunutum nihili hominem principatum esse. Itaq; hi duo post mortem patris, Iaunuti Vilna ac de principatu deturbandi consilium cæpêre, diemque patrandi sceleris inter se constituêre. *Olgerdus Vitepscum dotale accepit.* Obuenerat etiam Olgerdo in Russia Vitepscensis dominatus, cũ vnicam ducis eius oræ filiã vxorem accepisset. Itaq; cùm eò profectus esset, nõ venit ad cõstitutam cum Keistuto diem. *Kestutus Vilna potitus. Iaunuta captiuâ fratre.* Keistutus, vt constitutum erat, cum non contemnẽda manu improuisò Vilnam adueniẽs, arcẽ vtramq; occupauit. Iaunutus inter primum tumultum elapsus, in sylua à Keistutanis pquisitus, captus, & Vilnam reductus, in vincula à fratre coniectus est. Aduenit paulò pòst Olgerdus. *Præclarum certamen.* Ibi præclarũ inter coniunctissimos fratres certamẽ fuit de principatu non ambiendo aut vsurpando, sed recusando.

inter fratres circa principatum

Keistutus Olgerdo velut natu maiori concedebat: Keistutũ vicissim Olgerdus sibi eum habere iubebat, quẽ ei fortuna virtusq; obtulisset. *Fœdus inter Olgerdum & Keistutũ.* Tãdem sic inter eos cõuenit, vt Iaunuti portionem inter se partirentur, principatus tamẽ cum Vilna penes Olgerdum maneret: neuter alterius ditionem inuaderet: sed vterq; alterius commoda, perinde ac sua, curaret. Si quid seu bello, seu quauis alia ratione deinceps vteruis quæsiuisset, ex æquo vt cum altero partiretur. His conditionibus fœdus inter eos ictum, & iureiurando mutuò sancitum. *Zaslauiensis dominatus.* Iaunuto verò Zaslauiensis tractus in Russia fraterna misericordia datus. *Olgerdus princeps, seu magnus dux Lituaniæ.* Potitus principatu Olgerdus, multa cum finitimis Crucigeris Prussiensibus, atque Liuoniẽsibus bella vario Marte gessit, quæ psequi hìc nobis necesse non est. *Olgerdi vxor & filij.* Suscepit autem è Maria Russa vxore Thuuerẽsium ducis filia duodecim filios, Iagellonẽ, Skirgellonem, Suitrigellonẽ, Borissum, Coributhũ, Vigundum, Corigellonẽ, Narimũdum, Languinum, Lubartũ, Andreã, & Buthauum. Ex his omnibus Iagellonem natu maximum dilexit pater, quòd esset præclara indole, successoremque sibi *Iagello princeps designatus.* in principatu annuente Keistuto fratre designauit. Habebat & Keistutus sex filios, Vitoudum, Patricium, Totiuilum, Sigismundum, Voidatum, atq; Dougotum. *Vitoudus.* Sed Vitoudum & ipse successorem sibi prę cęteris designauit, quòd is & effigie, & virtutibus, & vigore animi expressius patrem referebat. Inter hos duos, Iagellonem inquã & Vitoudũ patrueles, summa erat animorum & voluntatum coniũctio. Mortuo deinde Olgerdo, anno Christi 1381. Iagello paterno principatu, fauente Keistuto, potitus est. Erat apud eũ gratiosus in primis Voidilo quispiam rusticanæ & obscuræ sortis homo, *Voidilo ex humili fortuna euectus.* callidus & impiger: qui cũ primũ pistrinam apud Olgerdũ exercuisset, & industriam suã probasset principi, cubiculariꝰ, ac deinde pocillator ei factus est, fuitque in intimis Olgerdi, quoad is vixit. Neq; Iagello quicq de paterna beneuolẽtia in eũ diminuit: quin sororẽ ei suam in matrimoniũ collocauit. Quæ res non leuiter Keistutũ offendit. Id vbi animaduertit Voidilo, veritus, ne eius authoritate honoris & gratiæ periculũ adiret apud principẽ affinem, criminari Keistutum apud Iagellonẽ instituit: eoq; consilijs suis iuuenẽ perpulit, vt is clàm fœdus *Iagellonis fœdus clandestinum contra Keistutũ.* cum Crucigeris Prussiensibus aduersus patruum iniret. De eo fœdere Keistutus Osterrodensis commendatoris, qui filiã eius Ioanni Masouiorum duci nuptam de sa-

de sacro fonte susceperat, ꝑditione certior factus, tamen Vitoudo filio chari pa truelis crimina diluēte quieuit, donec Iagello bellū contra Polocēses imperium suum detrectantes suscepit. Quo cùm ei magister Liuoniensium Crucigerorum suppetias venisset, tūc verò sublata omni dubitatione Keistutus, contractis raptim copijs Vilnam inuasit, & in potestatem suam redegit. Accitoque Vitoudo filio (neque enim is arma contra amicū cœperat) deprehensa fœderum monumenta ostendit. Sed ab eo tamen exoratus, Vilnā modò Iagelloni ademit. Cæterùm Creuam & Vitepscum retinere eum passus est. Voidilonem verò suspēdio necauit. Sed non multo pòst, dum Keistutus Coributum rebellem armis ad officium reducere nititur, siue vt Lituanorum annales habent, Nouogrodum Seueriense oppugnat, Iagello non modò Vilnam proditione recepit, verùm etiā Trocos oppugnatos ꝑ deditionem accepit. Deinde nouos vterq; compararunt exercitus: Keistutus è Samagitis ferè, Iagello è Prussis & Liuonibus: ille vt recuperaret Trocos, hic vt defenderet. Sed cùm in conspectum venissent, antequam infestis signis concurrerent, Iagello Keistutum & Vitoudū per speciem colloquij ad se vocatos cæpit: & Keistutum quidem cathenis vinctū, & Creuam missum in carcere necauit. Vitoudus verò Vilnæ in custodia diutius asseruatus, neque Lituanorum, neq; magistri Prussiensium Crucigerorum, neque fratrum & patruorum deprecationib⁹ liberari potuit. Postea Creuam missus, & morti destinatus, vxoris misericordia doloq; liberatus est. Nam ea cùm liberā haberet commeandi ad virum potestatem, nocte quadam commutato cum vna de duabus pedissequis habitu veste muliebri indutum eduxit. Emissus ille in Masouiam ad Ioannem ducem affinem suum, atque inde in Prussiā ad Crucigeros confugit. A quibus obiurgatus primùm, quod aduerso demum tempore suo societatem ipsorum expeteret, deinde benignè recreatus, & bene sperare iussus est: Iagello verò dominatu pacato potitus. Quanquam enim fecerunt Crucigeri cum Samagitis, qui Vitoudo non obscurè fauebant, impetum in Lituaniam, Trocosque munitionem expugnarunt: sed mox inde eiecti à Iagellone è Rūssia reuerso, ad sua sese receperunt. Hęc altiùs repetere libuit, tum propter Iagellonis genus, tum vt lucem afferremus historiæ, quam deinceps de Lituanicis & Prussicis bellis, quaten⁹ ad

Iagello bellū infert Polocensibus rebellibus.

Vilna à Keistutio intercepta.

Voidilonis exitus.

Iagello Vilnam recuperauit.

Keistutus captus, & in carcere necatus. Vitoudus in custodia seruatus.

Vitoudi vxoris amor coniugalis & virtus.

Vitoudi fuga in Prussiam.

institutum nostrum pertinere videbuntur, persequemur. Nunc ad intermissam seriem narrationis reuertamur. Ab hoc igitur Iagellone missi oratores Skirgello & Borisſ⁹ fratres principis, & Hanulo præfectus Vilnensis perampla munera Heduigi reginæ attulerunt: coniugiū eius regnumq; dotale principi suo petiuerunt, multa magnaq; pollicentes, q̄ad amplitudinē reipublicæ Polonæ, & ad incrementū religionis Christianæ pertinere videbantur. Nō surdis auribus oratio illa à proceribus Polonis audita est. Cæterùm Heduigis abhorrebat à barbari matrimonio. Propositæ oratorib⁹ causæ, quam ob rem non impetrarent, quibus de reb⁹ venissent, nimirum ꝙ Christianæ cum barbaro nuptæ esse non liceret, & ꝙ pacta iam quædā cum Vilelmo Austriorum duce de matrimonio prius intercessissent, adiecta ducentorū millium florenorum pactione, ni pactis conuentis statū esset. Ad hæc oratores respōderunt: Quòd ad religionem Christianā attineret, Iagellonem cum cæteris fratribus Christiana matre natum, iam inde ab ineunte ætate Christiana religione imbutum, non alienum ab ea gerere animum, quamuis eius mysterijs de more initiatus non sit. Sed quòd multis principibus viris petentibus hactenus negauerit, id eum Heduigi & matrimonio eius daturum esse, vt se pariter & fratres, & gentem suam omnem Christianis mysterijs initiari sit curaturus. Illa verò ducenta millia ipsum etiam præstaturum, & si necesse sit, exoluturum esse, thesaurosq; suos omnes & maiorum suorum in Poloniam importaturum, & Lituaniam Poloniæ adiuncturum, vt eodem deinceps cum ea imperio cēseatur. Permouebant hæc magnopere Polonorum animos. Magna videbatur fore ad amplitudinem regni Lituaniæ accessio. Perutile non modò pacem, verùm etiam auxilium eius gentis adiungere, cuius hostiles excursiones, quibus magna pars Poloniæ superiori tempore ad vastitatem redacta esset, perdifficulter cohiberentur: præclarum & gloriosum nomini Polono, si eius opera Lituania religionem Christianam susciperet. Verùm tamen nihil præter senioris reginæ sententiam his de rebus statuendum esse visum est. Ad quam Heduigis etiam prouocabat, cùm aliter procerum postulationem rectè refutare non posset. Itaque ad Elizabetham oratores in Vngariam ire iussi: missique cum eis de conuentu Polonorum Nicolaus Bogoria Zauicostensis castellanus,

Iagellonis legatio ad reginam & Polonos proceres.

Conditiones futuri matrimonij.

Lituani oratores in Vngariam profecti.

nus, Vulodic⁹ Ogrodenecius pincerna siue suppincerna, vt vulgò vocãt, Cracouiensis, & Cristinus Ostrouius præfectus Cazimiriensis, optatum responsum retulêre. Respondit enim eis Elizabetha: Si id Poloni ex re sua publica fore existimarent, non remoraturam se esse eorum commoda, neque religionis Christianæ incrementa præcisuram. Nec multo pòst in Croatiam cum altera filia tendẽs, ab Horuato Bano de medio sublata est: quemadmodum superius memorauimus. Hoc responsum Elizabethæ cùm in Poloniam relatum esset, de vniuersi conuentus sententia (in quo tamen pauci aderãt de maiore Polonia, siue quod Ziemouito ferè fauebãt, siue quòd intestino bello distinebãtur) Lituani oratores dimissi, & Vulodic⁹ atq; Cristinus suprà memorati, itemque Petrus Safranecius, & Hincia Roscouicius (nescio an Rogouius) legati ad Iagellonem cum eis missi sunt, vt eum ad coniugium Heduigis & regnum Polonorum vocarẽt, & secum adducerent, si is suprà memoratas conditiones accepisset, & iureiurando suo stabilisset: vna insuper adiecta, de recuperandis ijs, quæ in eum diẽ à iurisdictiõe Polonorũ regum quo quo modo exciderant. Cum Ziemouito autem transegit regina, his conditionibus, vt is munitiones in Polonia sub interregno captas redderet, ac pro ijs decem millia sexagenarum Pragensium ab ipsa acciperet: Cuiauiam autem hypothecæ nomine retineret, donec ea pecunia sibi numeraretur: captiui vtrinque dimitterentur liberi: De iniurijs intra inducias vltrò citroque illatis & acceptis delecti vtrinque arbitri arbitrarẽtur: pactum quod de Lencicia cum proceribus Polonis Ziemouitus iniuerat, esset irritum: denique Mogilnense monasterium idem Ziemouitus recuperaret, ac redderet. Dum hæc ita fiunt, interea Vilelmus Austrius certior factus de statu rerum Polonicarum, ac de propensa Heduigis reginæ erga se voluntate, siue eius ipsius nutu, vt creditum est, à Gneuossio Daleuicio gẽte Stregomio succamerario Cracouiensi (cui sese illa concredebat) ne ipse sibi deesset admonitus & adductus, cum splendido comitatu & apparatu magnisque diuitijs Cracouiam inopinat⁹ aduenit. Sed arcis ingressu Dobeslai Gurosuancij castellani Cracouiensis, & aliorum procerum authoritate prohibitus, in vrbe diuertit. Conuenitque cum eo identidem Heduigis regina in cœnobio diui Francisci luce clara, aulico suo virorum & puellarum comitatu stipata, & choreis indulsit. Quin fama etiam seu vera, seu falsa vulgatum est, eam cõsummandi cum illo matrimonij, priusquam Iagello veniret, tanta cupiditate flagrasse, vt cùm ille thalamo eius arceq; arceretur, ipsa portã arcis clausam effringere, & in vrbe optatis nuptijs cũ eo defungi tẽtarit, nisi Demetrius Goraius thesaurarius regni ei dissuasisset. Intelligens autẽ Vilelm⁹ apertè sibi Polonos proceres aduersari, simul de aduentu Iagellonis certior factus, post aliquantã moram clàm sese euoluit Cracouia, depositis apud Gneuossium thesauris, quos secũ apportarat. Vnde Gneuossius postea multas amplasque possessiones sibi comparasse existimatus est: sed quæ tamen à liberis eius deinde turpiter distractæ ac dilapidatæ sint. Aduentabat iam cum fratrib⁹ Iagello, & cum magno comitatu Lituanorum. Sed ei Heduigis nupturã se non esse præ se ferebat, Vilelmi amore capta: cui se à patre desponsam esse, eodẽque lecto paruulam cũ paruulo cubuisse asseuerabat. Ab Iagellone verò eò magis abhorrebat, quod eum breui statura, deformem & barbarum barbaris moribus esse accepisset. Negabant proceres, valere id matrimonium, quod inter impuberes contractũ esset. De Iagellone autem orabant reginam, vt maiorem reipub. & sanctissimæ religionis propagãdæ, q̃ suarum voluptatũ rationem duceret. Vbi emollitus est muliebris animus, cùm multiplici persuasione & precibus, tũ legatione Zauissę Olesnicij, qui ad contemplandã speciem moresq; Iagellonis per speciem salutãdi missus, vtraq; commodiora opinione in illo esse renunciarat, tum demũ pauci proceres ei obuiam profecti sunt: in quibus principem locum Spitco Melstinius palatinus Cracouiensis obtinebat. Qua re magnam is apud Iagellonẽ gratiã inijt: plures eum Cracouiæ cum regina expectarũt. Aduenit autem Cracouiã Iagello duodecima die Februarij, anno Christi 1386. qui fuit quartus post Ludouici mortẽ, habens in comitatu suo cùm alios cõplures duces atq; proceres Lituanos atq; Russos, tũ Borissum & Suitrigellonem fratres germanos, & Vitoudum patruelẽ. Iam enim eum sibi recõciliauerat, & è Prussia reuocarat, concesso ipsi Grodnensi dominatu, Breste, Drohicino, Melnico, Bielsco, Surasso, Camenecia, Volcouisco oppidis atq; territorijs, pactus sibi fidem & obsequiũ eius, ita vt is ne legatos quidem quoquam se inscio mitteret. Lituanorum annales etiam

Elizabetha regina interfecta. · *Polonorum legati ad Iagellonem.* · *Conditio adiecta.* · *Reginæ pacta cum Ziemouito Masouio.* · *Vilelmi Austrij aduentus Cracouiam.* · *Vilelmus arcis ingressu exclusus.* · *Heduigis reginæ amor erga Vilelmum.* · *Gneuossij Daulicij opes.* · *Heduigis alienus animus à nuptijs Iagellonis.* · *Iagello venit Cracouiam.* · *1386. ann.* · *Iagellonis cum Vitoudo reconciliatio & pacta.*

1386

etiam Volyniam & Podoliam Vitoudo tunc datã esse à Iagellone memorãt. Sed certiora sunt quæ nos ab ipso Vitoudo literis mandata & cõsignata in archiuo regio vidimus. His igitur comitatus Iagello venit. Adueniens, in thalamo Heduigim reginã magna cũ admiratione eximiæ formę ei⁹ salutauit: postridie verò perampla ei dona cum Vitoudo, Borisso, & Suitrigellone misit. Sed iam Iagellonis aduentus interregni & Quartidecimi libri finem nobis faciat.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER QVINDECIMVS.

VVLADISLAVS IAGELLO REX.



De origine & moribus Lituanorũ scripsim⁹ in superioribus libris, quantum quærẽdo inuestigare, & è situ obscuritatis magis quàm vetustatis eruere potuimus. Nũc de religione pauca, quæ ad rem pertinent nobis repetenda sunt ante, quàm Iagellonis regnum stylo persequimur. Ad hęc vsque tempora, fuit gẽs Lituanica priscæ multorum deorum, seu verius dęmonum superstitioni dedita. Quin & ignem pro deo colebat, & eũ in celebrioribus locis atque oppidis perpetuum asseruabat. Fulmini quoque, quod Percunum vocabat, diuinum honorem tribuebat. Lucos & eximias quasdam arbores in syluis sacrosanctas habebat, ita vt violare eas ferro nefas esset: nec impunè erat tale quicquam ausis. Nam violentia dęmonum vel interibãt subitò, vel membro aliquo capiebãtur. Viperas item atq; serpentes diuinitatis non exortes esse credebat, & alebantur ij quasi lares quidam familiares in singulis domibus atque familijs, lac eis libabatur, & galli gallinacei immolabantur. Eratque inauspicatum & exitiabile toti familiæ, quempiam ex ijs occidisse, aut violasse. Erat autem apud eos quotannis solenne sacrificium sub initium mensis Octobris post collectas fruges, ad quod frequentes cum vxoribus liberis & seruitijs conueniebant, ac toto triduo epulabantur de ijs quæ dijs mactarant & obtulerant. E bellis etiam reuertentes manubias, & vnum aliquem de captiuis eximium victimę loco igni cremabant. Corpora mortuorum cum preciosissima supellectili, qua viui maximè vsi erant, & cũ equis & armis cremabãt, & ad busta propinquorum lacte, melle, & mulso parentabant. Hos igitur errores cæterasque omnes superstitiones Iagello, priusquam cũ Heduigi matrimonium iniret, vnà cum fratribus & proceribus, atq; vniuerso comitatu suo, exceptis ijs, qui iam apud Russos initiati erãt, abdicare iussus, xiiij. die mensis Febru. à Bozentã archiepiscopo, & Ioanne episcopo Cracouiẽsi sacro fonte ablutus, & Christianæ religioni initiatus, Vuladislai nomen accepit, & mox matrimoniũ cum regina solẽni ritu contraxit: Lituaniãq; omnem cum Samagitia, & ea parte Russiæ, quæ in ditione ipsius, fratrum que & patruelium eius erat, Poloniæ iure sempiterno adiunxit, & in vnum corpus redegit, iureiurando interposito. Ad hæc Vitoudus cum Michaele duce Zaslauiensi, & Lubarto pro ipso his ipsis de reb⁹ reginæ & procerib⁹ Polonis fidẽ suam obstrinxêre, & obsidum loco fuêre. Quarto autem die pòst vnctus ab archiepiscopo diadema regium nouum suscepit. Nam vetus in Vngariam à Ludouico asportatum, nondum ad eam diem reportatum erat. Sequenti die in vrbem solenni pompa deductus, in foro posito solio collocatus, iusiurandum à Cracouiensibus & alijs oppidanis de more accepit. Lituani quoque & Russi duces atque proceres, qui tunc aderant, in verba regis & reginæ iurarunt: consignatisque diplomatis in fide & clientela ipsorũ & regni Polonici se cum ditionibus suis deinceps semp fore promiserũt. Idem pòstea cęteri quoque fecerunt. Extantque in archiuo regio eã diplomata sub titulis & signis Demetrij Coributhi Nouogrodẽsium Seuerianorum ducis, & octo ducum procerumque eiusdem ditionis pro Coributho fideiubentium: Skirgellonis, Alexandri Vigundi Kernouiensis, Theodori Lubarti Lucensis & Vuladimiriẽsis, Basilij Pinscensis, Vulodimiri Kiouiensis, Simonis Languini filij, quem rex Nouogrodo præfecit: Georgij Dougoti, Georgij & Andreæ, Mi-

Lituanorum superstitiones. *Dij Lituanorum.* *Serpẽtes prò dijs habiti.* *Sacrificium solenne.* *Humanæ victimæ.* *Funerum ritus.*

Iagello baptisatus Vuladislai nomen accepit. *Lituania, Samagitia & pars Russiæ adiuncta Poloniæ.* *Fideiussores & obsides.* *Vuladislaus Iagello coronatur.* *Corona Polonica in Vngariam asportata.* *Lituani & Russi duces iurant in verba regis & reginæ.*

chaelis filiorum, ducum. Indultumque est conuiuijs, choreis, & lusibus complures dies. Per quos dies magister Crucigerorum Prussiensium Conradus Celner, spreta inuitatione regis & reginæ, qua ad nuptias per Demetrium Goraium inuitatus erat,

Crucigeri Lituaniam populantur.

hostiliter in Lituaniam vacuam tunc ducibus & militibus duplici agmine inuasit: & longè lateque eam depopulatus,

Lucomlia capta.

Andreas regis frater.

Lucomliam arcem vi cæpit, & Andream Iagellonis fratrem apud Russos religionem Christianam professum, quo authore & concitatore expeditionem illam in Lituaniam susceperat, cum præsidio in ea reliquit.

Polocensium deditio.

Cui se Polocenses quoque dediderunt. Russorum historia non à Prussiensibus, verùm à Liuoniensibus Crucigeris Andream hunc adiutum esse memorat. Quod sanè probabilius est: quandoquidem viciniores ij sunt Polosco & Lucomliæ: extantque in archiuo literæ induciarum anno sequenti inter Lituanos & Liuones cōstitutarum. Nisi fortè & hi & illi operam Andreæ nauarunt. Id quod indè non malè colligitur, quòd noster Dlugossus memorat, Crucigeros duplici agmine Lituaniam tunc infestasse.

Smolensciorū dux Suētoslaus Lituaniam infestat.

Eodem autem tempore ex composito Russorum Smolensciorum dux Suentoslaus Lituaniam & ipse circum Vitepscum & Orsam vexauit, & Mescislauiam oppugnauit. Hæc vbi accepit Iagello, mox Skirgellonem & Vitoudum cum Lituanis, & cum Polonis voluntarijs in Lituaniam misit, qui festinantes cùm Crucigerorum exercitum Lituania excessisse didicissent,

Lucomlia recepta.

Lucomliam partim trucidato, partim eiecto Andreæ præsidio, receperunt. Inde ad Mescislauiam profecti, nihilo maiori negocio omnem eam oram in potestatem suam redegerunt:

Smolenscij à Lituanis & Polonis subacti.

Suentoslaoque interempto, filium eius Georgium iurare in verba Vuladislai & Skirgellonis iussum, Smolenscijs præfecerunt.

Poloscum receptum.

Poloscum quoq; recuperarunt, ac de authoribus defectiōis pœnas sumpserunt.

Andreas dux in carcerem compactus.

Dedit & Andreas dux postea temeritatis suæ pœnas toto triennio in arce Chencinensi squalore carceris confectus. Cæterùm rex ipse Iagello perfectis ritè solēnibus regni suscepti ceremonijs, ad pacandam maiorē Poloniā animum intendit:

Vuladislaus rex in maiorem Poloniā profectus.

Grimalij & Nalēcij recōciliati.

profectusque eò cum Heduigi regina & magno comitatu armatorum minorū Polonorum, Posnaniæ Pascha sacrum peregit: & Grimaliorū atque Nalenciorum familias capitalibus odijs inter se dissidentes, cū ducibus suis Domarato & Vincentio palatino, de quibus superius multa commemorauimus, in concordiā redegit.

Ecclesijs bona sua reddita.

Barth. Cosminius proscriptus.

Bona ecclesiastica à quibuscunq; per vim siue dolum occupata erant, iustis dominis restituit: Bartholomæum Cosminium prædonicā exercentem, & venire ad se recusantem, proscripsit:

Odalanouia regi quæsita.

Iudex iniustus punitus.

Odalanouiā verò arcē eius in suam potestatem redegit: Ioannem Venetium gente Plomenium, iudicem terrestrem, vt vocant, Posnaniensis conuentus, qui propter iniusta iudicia, & scelera perpetrata, cruenti dæmonis cognomentum meruit, confiscatione bonorū & carcere puniuit.

Krwawy Diabel

Commeatus seu stationes ab ecclesiasticis regi negatæ.

Cùm autem Gnesnam venisset, & cōmeatum, seu stationem, vt vocant vulgò, à Collegio eius basilicæ petisset, nec impetrasset, fertur more barbarico pignerasse facultates adscriptitiorū ecclesiæ: sed cū eam ob rem sacris ciuitati interdictum esset à Nicolao Strosbergo pręposito & vicario Archiepiscopi, Posnania orto, reprehensus à regina Vuladislaus, pignora capta reddi iussit.

Heduigis reginæ pietas.

Ibi illa suspirās: Pignora quidem reddemus, inquit, agrestibus, cæterùm lachrymas quis eis reddet? Pium reginæ dictum, & sempiterna memoria dignum. Sic tunc res maioris Poloniæ perturbatas admodum, placidè Vuladislaus composuit. Autumnus totus cum æstate his rebus constituendis datus. Hyeme & sub sequētis anni initium Vuladislaus nouus rex ingenti procerum & equitum Polonorum caterua stipatus vnà cum regina in Lituaniam se contulit: (1387) Archiepiscopum Gnesnensem & multos sacerdotes ac pios homines secum duxit. Ziemouitus etiam & Ioānes Masouiorum, & Conradus Olesnicensium duces eum comitati sunt.

Lituanorum conuentus.

Conuentu Vilnam indicto ad initium quadragenarij ieiunij, conuenerūt eò Skirgello Trocensium, Vitoudus Grodnensium, Vulodimirus Kiouiensium, & Coributhus Nouogrodensium duces, fratres principis, & infinita equitum plebisque multitudo. Ibi de religione Christiana populariter suscipienda, ac de exterminando cultu falsorum deorum & omni superstitione diligēter actum,

Vuladislaī Iagellonis studiū propagandæ religionis Christianæ.

ipso rege maximam ei rei nauante operam, non solùm hortando & orando, & præmijs inuitando, sed etiā docendo, cùm nostri sacerdotes linguæ imperiti essent: ipse autem Russicam callens, Polonos loquentes intelligeret. A Egrè gens barbara maiorū suorum religiones relinquebat.

Ignis sacer extinctus, et luci succisi.

Sed cū iussu regis sacer ignis extinctus, templum araque eius diruta, & adytum, vnde ora-

cula

cula à sacerdote edebatur, euersum Vilnæ esset, necatique serpentes, & succisi luci nulla cuiusquã læsione, quod præter opinionem barbarorum acciderat, tum verò barbari vanitate sua agnita, alacriores ad principum suorum religionem facti, & aliquot diebus capita religionis, quód Symbolum vocatur, & orationem Dominicam, pio rege nullum laborem subterfugiẽte, edocti, Christianis mysterijs de more initiati sunt. Sed cùm immensi laboris esset, singulos sacro fonte tingere, nobilioribus tantùm hic honor habitus: reliquum verò vulgus turmatim distributum, aqua lustrali siue sacra à sacerdotibus conspersum est, vnumque nomen cuiq; turmæ tam virorum quàm mulierũ inditum. Plurimam ex his multitudinem rex aduectis è Polonia pannis laneis & calceis vestiuit, cùm ad eum diem gens illa conficiendarum earum rerum ignara esset, sed aduectitijs tantùm nobiliores vterentur: nam vulgus agreste peronibus magna ex parte etiam nunc vtitur, & lineis vestibus pelliceisque tunc vtebatur. Basilica deinde Vilnæ condita, & reditibus amplis atque sacerdotijs locupletata, ac diui Stanislai memoriæ à Bozenta archiepiscopo consecrata est, institutusque in ea episcopus, Andreas Vassilo Polonus gente Iastrembecius, de Franciscanorum sodalitate, qui Elizabethæ reginæ à confessionibus fuerat. Septem præterea parœciæ à rege constitutæ dotatæque, Volcomiriensis, Myssogolensis, Nemencinensis, Mednicensis, Creuensis, Obolcensis, & Hainensis. His omnibus templis regina plurimã supellectilẽ ad cultum diuinum accomodã largita est. Remissa deinde regina in Poloniã Vuladislaus rex totum annum propagandæ in Lituania religioni Christianæ vacauit, plurimaq; loca per se ipse obiuit. Dobrogostium verò Posnaniensem episcopum ad Vrbanum pontificem allegauit, eique se dicto audientem fore solenni regum Christianorum more promisit. Deinde Vitepscum & Poloscum profect⁹, nouos motus sedauit; sumpto de seditiosis supplicio. Inde Vilnam reuersus, Skirgellonem fratrem pro se summæ rerum apud Lituanos præfecit: legem condidit, ne Russis & catholicis matrimonium inter se contrahere liceret, nisi Rusus vel Russa à suis ad nostros, hoc est à Græcis ad Latinos transiret. Aliam item, qua bona ecclesiastica omni onere, labore, pensione, & iurisdictione principis & profanorum

Vuladislaus rex euangelistæ & catechistæ fun ctus officio. Baptisatio Lituanorũ.

Lituanorum vestitus.

Vilnensis episcopa & basilica condita.

Parœciæ primæ Lituanicæ.

Heduigis reginæ pia munificentia.

Vitepscum et Poloscum pacata.

Skirgello Lituaniæ præfectus à rege.

Lex de matrimonio dispariumin religione.

Ecclesiastica immunitas.

quorumuis liberauit: Quam stultè abrogare conantur ij, qui posteriores immunitates suas saluas esse volunt. Sorori Alexandræ Ziemouito iuniori Masouio in matrimonium collocatæ, magno apparatu nuptias fecit. Radomiensem ditionem nouo affini in dotem promisit. Reuertens autem in Poloniam, per Russiam iter fecit, Creslaumque Curosuancium castellanum Sẽdomiriensem Lusco præfecit: Leopoli Petrum palatinum Moldauiæ siue Valachiæ cum proceribus ipsius solenni iureiurando adactos, in fidem & clientelam accepit, cùm ij ab Vngaris sub interregno defecissent. Nec diu post discessum regis quietæ res fuerunt in Lituania. Cùm enim esset æmulatio inter Skirgellonem & Vitoudum, & indignum duceret Vitoudus, excelsi animi vir, deteriori parêre, nec stare promissis regem, aut respondere spei meritisque suis animaduerteret, nec ignoraret etiam Skirgelloni homini feroci, & lingua manuque prompto, & qui per ebrietatem compotores suos plerunque ferro peteret, vicissim se suspectum esse, metuens eius insidias, Grodno & Breste arcibus suis valido præsidio firmatis, in Masouiam ad Ioannem ducem sororis suæ maritum cum Anna vxore profugit: inde ad Ziemouitum eius fratrem se contulit. Sed cùm ab vtroque malignius tractaretur, in Prussiam ad Crucigeros contẽdit. A quibus comiter acceptus & habit⁹ est, quòd ij per eum facilè se Samagitia & Lituania potituros esse sperarent. Commoratus autem ibi aliquandiu, administrationem rei familiaris & linguam Germanicam aliqua ex parte didicit. Interim Lituania Crucigerorum Prussiensium pariter & Liuoniensium armis vexata est, & in duas factiones, quarum altera Vitoudo, altera Skirgelloni fauebat, diuisa, intestinis dissidijs laborare cœpit. Veritus autem rex, ne Vitoudus Vilna Russorum impensius ipsi fauentium proditione per inscitiam & ignauiam Skirgellonis potiretur, misit eò Nicolaum Moscorouium procancellariũ Poloniæ cum mediocri militum Polonorũ præsidio, & apparatu bellico, vt arcem vtranq; tueretur. Icerat quidẽ Vitoudus fœdus cum Crucigeris, & spe potiundæ Lituaniæ ab eis onerabatur: sed cùm suspectam eorum fidem siue vanã suspicione, siue coniecturis quibusdam habere cœpisset, clàm sibi per internuncium Vuladislaum regem, proditio-

Alexandra regis soror cum Ziemouito Masouio nupta.

Lusci præfectus Polonus.

Valachia in fidem regis Poloni venit.

Lituanorum ducum dissensio.

Vitoudi fuga in Masouiã, & mox in Prussiam.

Lituania vexata à Prussis & Liuonijs.

Nicolaus Moscorouius cũ exercitu in Lituaniam missus.

Vitoudus regi reconciliatus, redit in Lituaniam.

nem Russorum & Lituanorum metuentem, reconciliauit: & accepta ab eo spe adipiscendi principatus, siue magni ducatus, vt vulgò dicunt, in Lituaniam inscientibus Crucigeris reuertit, & in itinere tres arces eorum Samagitis confines, Iurgenburgum, Mergenburgum, & Nauanzum vel Neihausum fortè, cùm velut socius & amicus intromitteretur, cœpit & exussit, præfectis & præsidiarijs militib⁹ Crucigerorum partim cęsis, partim in seruitutē abductis, vt aliquo tamē cum munere ab hostib⁹ ad suos rediret. Cū aūt spē sibi datam à rege diutius duci videret, consilium cæpit Vilnæ per proditionem capiendæ. Verùm fraude intempestiuè detecta, spe frustratus, in Prussiam, reconciliatis sibi per literas & internuncios Crucigeris, sese recepit, in deque biennio Lituaniam cum auxilijs eorum infestauit. At in Polonia lites & simultates inter regem & reginam suspicionibus quibusdam ac susurronum delationibus excitatę eousque increuerāt, vt non longè essent à dissidio, ni primores intercessissent. Conuenit tandem, vt delatores vtrinq; ederentur. Editus Gneuossius Daleuicius succamerarius Cracouiensis, qui sanctissimam fœminam Heduigim reginam clàm apud maritū regem probri insimularat, quòd diceret, absente illo Guilelmum Austrium secretò Cracouiam venisse, & aliquot diebus cum regina consueuisse. Qua de re satisfecit regina regi iureiurando: cæterùm in Gneuossium iudicium de infamia Visliciæ in conuentu procerum institutum est. Ibi accusatus, damnatusque, cùm nō probasset quæ dixerat, nec dixisse se negare posset, ex decreto iudicij mentitum se esse clara voce & latratu subter scamnum edito professus est. Est autem ea grauissima apud Polonos & infamiæ plena mendacij retractatio, quę fit publicè latratu canino adiuncto. Ita sublata omni suspicione, amor coniugalis inter regem & reginam redintegratus est. Per illud tempus cùm Bozenta archiepiscopus Gnesnensis esset mortuus, Ioannes Cropidlo, quemadmodū prius Posnaniensem, ac deinde Vuladislauiensem sedē inuaserat, Gnesnensem etiā neq; suffragijs collegij, neq; regis cōmēdatione adiutus, vnius de duob⁹, qui de Pontificatu maximo tunc contendebant, authoritate inuadere conatus est. Sed rege aduersante neq; Gnesnensem adeptus est, & Vuladislauiensi excidit, Henrico Legniciensi duce successore accepto. Cùm autem pertinacius de archiepiscopa litigaret Cropidlo, captus à

Crucigerorū arces à Vitoudo exustæ.

Vitoudus iterum transit ad Crucigeros.

Lituania à Vitoudo vexata.

Simultas inter regem & reginam.

Gneuossius Daleuicius infamia notatus.

Mendacij obtrectatoris pœna apud Polonos.

Ioannes Cropidlo archiepiscopa exclusus à rege, et Vuladislauiēsem episcopā amisit.

Cropidlo e

Sbigneo Brezio marsalco regni, & omnibus facultatibus exutus, regisq; iussu dimissus, inopem vitam aliquot annis egit, donec Camenensis episcopus in Pomerania, ac deinde Henrico mortuo, & Nicolao Curouio successore eius ad Archiepiscopam translato, Vuladislauiensis iterùm rege indulgente factus est. Bozentæ autem Dobrogostius Nouiduorius episcopus Posnaniēsis, qui Cropidloni Vuladislauiam translato successerat, voluntate regis successor datus est. Fecit deinde Vuladislaus rex anno Christi 1390. expeditionem in Lituaniam, vt gliscens inter Lituanos, & Russos studio partium dissidium reprimeret, Vitoudiq; potentiam frangeret, atq; excursiones arceret: cuius iuuandi gratia Crucigeri Prussienses exercitum in Germania comparabant. Tenebantur Vitoudi præsidijs arces Breste, Camenecia Polessensis, & Grodnum, è quibus crebræ fiebant in finitimas oras excursiones. Eas igitur arces primùm rex in potestatem suam redigere adortus, Breste intra decimum diem cœpit, & Hinciam Rogouium equitem Polonum cum præsidio ibi collocauit. Inde, cùm Poloni milites impatientia frigoris (nam initio Februarij hæc agebantur) & pabuli commeatusque penuria missionem efflagitassent, cum aulico suo comitatu & paucis voluntarijs, qui nongentorum numerum non explebant, ad Cameneciam castra mouit, captamque nullo negocio arcem Zindrami Mascouicij equitis Poloni fidei commendauit. Inde porrò, nihil paucitate suorum ac dubia Lituanorum & Russorum fide deterritus, transmisso Nemene fluuio, ad Grodnum castra metatus est. Ibi conuenêre ad eum Skirgellonis, Vulodimiri, & aliorum Lituanorum ac Russorum ducum atq; procerum non contemnendæ copiæ. Coributhus verò Nouogrodensium Seuerianorum dux cum Russis de religione sentiens, per se ipse cum insigni equitatu in castra regis fratris venit. His copijs Grodnum, cùm non facilè vi caperetur, obsessum est. Non latebant hæc Vitoudum, nec ignorabat is, Grodnenses diuturnam obsidionē ferre non posse. Properè igitur cum non parua Prussorum, & Crucigerorum manu in auxilium suis aduenit, ac cis Nemenem è regione arcis castris positis, nouam arcem in aggesto de terra tumulo munire instituit. Verùm nihil ea re obsessi releuabantur. Et iam inferior arx inspectante ipso expugnata erat. Igitur intermisso cœpto opere, ferream is cathenam nauibus

piscopus captus.

Dobrogostius archiepiscopus Gnesnensis.

1390. ann. Vuladislaus rex ducit exercitum in Lituaniam.

Breste captū.

Camenecia capta.

Grodnum obsessum.

Vitoudus cū Crucigeris.

uibus deuectam per flumẽ ad arcem deligauit, eaque continuatis nauibus in flumine pontem iũxit, quò facilius laborãtibus suis subueniret, commeatum supportaret, ægros atq; saucios ad se transferret, & pro his recentes submitteret. Contra id opus regij milites ingentes piceas siue pinastros in ripa succisas, & in amnem deiectas secundo flumine impulerunt: q̃ impetu rapidi amnis celeriter delatæ catheñam perruperunt, nauesq; nonnullas cum hominibus obluctantibus attriuerunt ac demerserunt. E quibus vnus quispiam Germanus in vlteriorem ripam ad regia castra, frustra inclamantibus suis, vt in vndis periret potius, quàm in hostium potestatem veniret, enatauit. De quo rerum hostilium status omnis cognitus est. Insequenti autem nocte Vitoudus cum suis desperata defensione arcis fugienti similis discessit, & arx post quinquagesimum obsidionis diem in ditionem regis venit. Nec sanè multo leuior ea obsidio obsidentibus, quàm obsessis fuit. Tãta enim commeatus pabulique penuria ij quoque pressi sunt, vt vix ater ac de siligine pariter cum spicis molita factus panis (quali etiamnum vulgus Lituanorum ferè vtitur) militibus ad vescẽdum suppeteret: equis verò frondes arborum ac vetus palea de rusticanis tugurijs detracta, ac per quatuordecim miliaria petita pabuli loco esset. Ab ea Grodni deditione Vuladislaus profectus in maiorẽ Poloniam, Varcislaum ducẽ Pomeranorum Scecinensium ritu solenni iuratum, in fidem & clientelam suam atque regni, & in societatem contra Crucigeros Prussienses accepit. Extat enim in archiuo regio diploma Varcislai hoc anno cõscriptum: quo is profitetur, se iusiurandum eo nomine regi & regno dedisse: idemque Boguslaum fratrem facturum esse Pysdris: & pro tertio fratre Barnimo itidem promissurum esse, promittit. Recipit etiã se Naclum regi esse redditurum, recepta ab eo Bydgostia. Extat & alterum diploma omnium horum trium fratrum biennio antè conscriptum & cõsignatum, quo ij redditã sibi esse à rege Bydgostiam testatum faciunt, certumque modum auxiliorum & muniorum vti cliẽtes patrono, regi pollicentur. Quomodo autem Naclo potiti fuerint, quòd reddebant, & Bydgostia, quam repetebant rursus amissam, exciderint, nihil cõpertum habemus: nisi fortè in interregno ac ciuili bello maiorum Polonorum, munitiones illas interceperant: aut Naclum quidem interceperãt, Bydgostiam verò

Groduensis arx capta.

Obsidentium patientia.

Panis Lituanicus.

Pomeranorum duces in fidem & clientelam regis Poloni veniunt.

Bydgostia concessa Pomeranis ducibus.

post mortem Cazimiri itidem ducis Pomeranorum Scecinensium, siue fratris, siue propinqui sui iure successionis sibi vendicabãt. Superius enim memorauimus, eam inter alia ipsi à Cazimiro magno testamento legatam, & à Ludouico concessam, rursusque post mortem eius recuperatam esse. Interea verò dum rex expeditione Lituanica occupatus fuit, fertur Heduigis regina alterum de Polonis exercitũ comparasse, & Iaroslauiam, Premisliam, Grodecum, Haliciam, Trebouuliam, superiorẽ Leopolim, & alias quasdam arces in Russia meridionali in potestatem suã redegisse, eiectis Silesijs & Vngaris, quorum fidei arces illæ à Ludouico rége olim commendatæ erant. Maturescentibus autem segetibus, cùm Lancaster Herici regis Anglorum filius cum permagna Anglorum, Frãcorum, Teuthonumq; volũtariorum manu in Prussiam piẽ contra barbaros militiæ opiniõe venisset, triplici agmine in Lituaniam itũ est, Vitoudi vindicandi restituendiq; prætextu, reuera autem vt Lituaniam sibi Crucigeri subiugarent. Ducebat autem vnum agmen Vitoudus, alterum magister Liuoniẽsium Crucigerorum, tertium ipse dux belli Conradus Valerodus magister Prussiẽsium. Apud Cauunam, quod oppidum in confluẽte Nemenis & Viliæ fluuiorum situm est, eæ copiæ cõuenẽre. Inde ad Trocos peruentum, & oppidum id crematum est. Hinc ad Vilnã castra mota. Ibi regij hosti aduentanti occurrêre: commissoque prælio terga dedêre, multis fortibus viris amissis: inter quos clari maximè fuêre duces, Simõ Iauunuti, Glebus Suetoslai filius, & Ioannes Leo. Deinde arx Vilnensis inferior, quam Curuã vocant, vix dum obsessa à proditoribus Russis & Lituanis succensa est. E quo incendio cùm sese Corigello frater regis subduceret, ab hostib⁹ exceptus, & capite plexus est. Cætera multitudo omnis in ea arce partim absumpta incẽdio, partim ferro hostili crudeliter cæsa. Ad quatuordecim millia hominũ ibi perijsse existimantur. Superiorem arcẽ Poloni cum Nicolao Moscorouio præfecto tenebant, nec aut clade suorũ & conflagratione arcis inferioris, aut minis hostium & ostẽtatione capitis Corigellõis, ac ne acerrima quidem oppugnatione, qua pars muri non exigua deiecta erat, ad deditiõẽ cõpelli poterãt. Veriti autẽ proditionem, ipsi inter se custodias ac cætera defendendæ arcis munia, submotis Russis atq; Lituanis, partiti sunt. Loca deiecti muri velhumo fimoque opplebãt, vel corijs pecudum

Russiæ munitiones receptæ ab Heduigi regina.

Crucigeri Lituanis bellum inferũt.

Cauuna oppidum.

Troci incensi.

Lituani fusi à Crucigeris.

Arx Vilnensis inferior incensa à proditoribus Russis.

Corigello dux captus & occisus.

Strages Lituanorum. Vilnẽsis arx superior à Polonis defensa.

dum & iumentorum laxè prætendebant,& sic tormentorũ ictus eludebant: denique corporib⁹ suis hosti irrumpere conanti aditum obstruebant. Skirgello quoque regius frater, noctu ferè cũ suis Lituanis & Russis erumpẽs non paruis detrimentis atq; cladibus hostes afficiebat. Cùm autem tres menses plus minus arx irrito labore obsessa & oppugnata esset, primis demũ Octobris diebus hostes magna non modò profanarum, sed & sacrarum ędium vastitate,& inermiũ hominũm atque infantium cæde perpetrata, ab obsidione discesserè. Nõ paucos tamẽ & ipsi fortes viros in ea obsidio ne desiderauère. In his fuit Algard⁹ comes Hoensteinẽsis. De ducibus aũt hinc Narimũdus Iagellonis, illinc Totiuilus Vitoudi frater periere: hic quidem tormento ex arce ictus, ille verò in singulari certamine victus, captus & pedibus ex vlmo iussu Vitoudi suspensus, & sagittariorum spiculis confectus. Depopulatus est deinde finitimam Prussiæ Samagitiam Vitoudus cum commendatore Ragnetensi, & præfecto Insterburgensi, qui bus hoc negocij datum erat à Magistro. Porrò Vuladislaus rex opem laturus afflictæ patriæ mẽse Nouembri cum magno apparatu armorum, commeatuque copioso venit in Lituaniam, & nutantes dubiosque Russorum & Lituanorum animos liberalitate & largitione maximè lanearum vestium, quarum permagnam vim secum apportarat, confirmauit. Et quoniam Nicolaus Moscorouius præfectura se abdicabat propter Skirgellonis superbiam & crudelitatem, hostiumque potentiam, & Russorum atq; Lituanorum fluxam fidem, Ioannẽ Olesfnicium Polonum gente Dembnium successorẽ rex ei dedit. Skirgellonẽ verò vt Vilna amoueret, Kiouiensi oræ præfecit. Drohicinensẽ tractum cum Drohicino, Melnico & Bielsco arcibus Ioanni seniori duci Masouiæ hæreditario iure donauit, pactus vt is tractus, sicut ad Poloniam pertinebat, ita deinceps quoque pertineret. Idem autem ei⁹ nomine dux regi præstaret, quod alij duces in Lituania præstent. Deinde hyeme rex in Poloniam reuertit. Cum Silesijs ducibus, Hẽrico Glogouiensi atque Stinauiensi, & Conrado Olesfnicensi & Cozlensi inducias pepigit ea cõditione, vt ij Calissiã ad se venirent, ac de cõtrouersijs atq; damnis datis secum transigerent. Vnde apparet, ipsis aliquid dissidij cum Polonis intercessisse. De quo tamen nihil præterea compertum habemus. In Lituaniã deinde milites in supplemẽtum, commeatũ, atque arma Olesfnicio rex transmisit. Aestate sequenti rursus Vitoudus cum Crucigeris ad Vilnam duxit exercitum spe proditionis ab ijs, quibus exosus erat Skirgello, (quem inde amotum esse nõdum cognouerant) faciendæ inductus. Cognito verò aduentu hostium Olesfnicius præfectus, vrbem ne receptaculo esset hostibus cremauit, septisq; de viridi robore extructis, aditum ad arces impediuit, & in venientes hostes ad ædẽ Virginis matris intra mœnia vrbis, quam Franciscani sodales obtinent, impetum fecit: nulloque de suis amisso in arcem se recepit. Animaduersa nostrorum audacia, desperataque ob amotum Skirgellonem proditione Vitoudus & Crucigeri paucis diebus soluerunt obsidionem: & ne nihil egisse viderentur, reuertẽtes, Vilcomiriam & Nouogrodecum castella supra Vilnam fluuium à Skirgellone condita vi cæpêre, & incendêre, interfectis nostrorum præsidijs. Duabus deinde alijs excursionibus eadem æstate Lituaniam populati, Mednicos & Velzanos in Samagitia exussêre. Hyeme verò ad Caunnam, quæ regio præsidio tenebatur, profecti tres munitiones in circuitu excitarunt, Neigardum, Metemburgum & Ritteruerderum. Et hæc quidẽ extrema Vitoudo cum suis concessa: reliquas verò duas Crucigeri suis præsidijs firmarunt, & ex his subiectam oram infestarunt. Porrò Ioannes Olesfnicius vt hostium conatus reprimeret, Alexandrum Vigundum regis fratrem cum expeditis copijs ad expugnandas eas munitiones misit. Et tentauit is quidem Ritteruerderum, sed mox infecta re discessit, cùm prope abfuisset, quemadmodũ postea cognitum est, vt id caperet. Cæperat iam Vuladislaum eius belli satietas propter Polonicas occupationes, quib⁹ distinebatur, & magnitudinem sumptuum. Cogebatur enim per omne id bellũ frumento, larido, leguminibus & pecudibus submittendis non modò presidiariorum, sed & Lituanorum ipsorũ nobilium atque popularium inopiam releuare, ne regionem hostilibus excursionibus peruastatam, & alioqui incultam tunc ferè atque sterilem desererent, & hostibus occupandam permitterent, néue ipsi ad eos deficerent. Itaque Henricum Ziemouiti Masouij filium, qui Plocensis episcopus post Sciborij mortẽ designatus erat, subornat, vt ad Vitoudum profectus clàm de pace ageret. Sublatus erat veneno per eos dies Alexander Vigundus regis frater, qui propter industriam atque dexteritatem in rebus agendis

Narimũdus et Totiuilus duces interfecti.

Vitoudi excursio altera in Lituaniã.

Vuladislai expeditio in Lituaniam.

Ioannes Olesfnicius.

Drohicinẽsis tractus Ioanni Masouiorum duci donatus.

Cum Silesijs induciæ.

Vitoudus Vilnam rursus oppugnat.

Vilcomiria & Nouogrodecum oppida incẽsa.

Medniki & Velzani vici exusti.

Cauunum obsessum.

Commeatus Lituanis è Polonia suppeditatus.

Hericus dux designatus episcopus Plocensis.

Vigund dux veneno extinctus.

dis & mores minimè barbaros regi charus fuerat,& Bydgostiam Inouuladislauiamque ab eo acceperat, & Vuladislai Oppoliensium ducis filiam vxorem duxerat,sed nullos ex ea reliqt liberos. De cuius morte Vitoudus vulgò insimulatus est.Hoc igitur extincto,facilius de pace inter regem & Vitoudum conuenit, cùm rex ei principatum siue magnum ducatum, posthabitis fratribus germanis superstitibus, pollicitus esset, cùm quòd illos ignauos & venationibus modò atque ebrietati deditos esse cerneret, tum vt se molestia belli Lituanici, & metu insidiarum Vitoudi liberaret.Hac igitur conditione Henricus Vitoudum Vuladislao reconciliauit: & ipse iã hypodiaconus repudiato sacerdotio filiam Vitoudi Ringalam vxorem duxit. Sed paucis diebus veneno extinctus, temerati voti pœnas dedit. Qua re cognita Bonifacius pontifex, cũ Plocense collegium sacerdotum alium sibi episcopũ eligere cũctaretur, Mamphiolum propinquum suum episcopum dedit Plocensibus. Sed cùm is possessionem episcopæ adipisci non posset, aduersantib⁹ ducibus sacroq; & equestri ordine,Iacobũ Corskeuiũ siue Curduanouiũ equitem Polonum, iureconsultum & auditorem palatij Apostolici, in locum eius suffecit. Atque hic quoque ægrè receptus est. Vitoudus autem reb⁹ suis cum Vuladislao ex animi sui sententia cõpositis, Crucigeros atq; Teuthonas mercatores in Ritteruerdero castello secũ cõmorantes comprehendit, & incenso castello vinctos in Lituaniã abduxit. Abeuntem Crucigeri è reliquis duobus castellis persecuti, & adorti, paruo negocio fusi fugatiq; sunt,& castella à Vitoudo vi capta,& exusta. Veniens autẽ Vilnam Vitoudus cum captiuis, & nõ contẽnenda p̃da parta,de Crucigeris, honorificè ab Olesnicio, queãdmodũ rex iusserat,acceptus est. Quibus de rebus certior factus Vuladislaus, ad finem mensis Iulij ,ppere in Lituaniã profect⁹,apud Ostrouum Vitoudũ cum suo comitatu supplicẽ obuium habuit: & clemẽter eũ cõsolatus,cum Skirgellone in gratiã reduxit, cùm ei rex promitteret,ac diplomate etiã caueret,se Vilnã, Vitepsũ,Mereciam & Gartenã arces ipso inscio nemini traditurum esse. Vbi Vilnã vẽtum est,ibi rex Vitoudum amoto de p̃fectura Olesnicio, summæ rerum apud Lituanos atq; Russos præfecit, accepto ab eo iureiurando, quòd in fide & clientela Polonorum semper futur⁹ esset.Hoc idem Anna vxor eius pro se & pro marito spopondit,& literis consignatis cauit. Id adeò anno Christi 1392.actum est. Nec tamen concessus Vitoudo principatus,pacem Lituanis attulit. Nam Suitrigello & Skirgello indignè tulerunt, quòd germani fratres Vitoudo patrueli à rege posthabiti essẽt. Ac Suitrigello quidem cùm minus animi & virium haberet, ad Crucigeros profugit, & Lituaniã cum eis vltrò in Vitoudũ incitatis,crebris populationib⁹ diuexauit. Per quod quidẽ tempus Surassum, Gartenã, & Stramelã arces Crucigeri de Lituanis cepêre. Skirgello verò maiore animo & opibus prędit⁹,ex æmulatione & iurgijs ad testatas cum Vitoudo inimicitias venit. Quorum malorũ sedandorum causa rex rursus cum regina anno sequenti in Lituaniam contendit, Skirgellonem,adiecto ei Cremenecensi, Starodubensi, & Starotrocensi tractu, placauit. In posterum si quid noui dissidij inter eos ortum esset, conuenit, vt reginæ arbitrio staretur. Ita quidem Dlugossus, & post eum Miechouiensis. Verùm extant Vitoudi literæ, qubus is testatum facit, se cum Skirgellone in gratiam redijsse,societatem cõtra quemlibet, excepto rege Polonorũ,iniuisse. Ac se quidem Kiouiensem dominatum armis quærere, ipsique & hæredibus eius iure sempiterno tradere debere: Vuladislaũ verò regem, se assentiente, Cremeneciam, & Stoscum eidem donasse, propterea quòd is patrimonio in gratiam suam cessisset. Lituanica historia hîc Skirgellonis mentionẽ nõ facit: sed Coributhũ fratrẽ eius detrectantẽ imperiũ Vitoudi cõparato exercitu cum Vitoudo conflixisse: victumq; Nouogrodecum, vbi vxorem & liberos habebat, fugisse, & cum his, expugnata arce, à Vitoudo captum esse. Atq; hinc nata esse videtur sponsio Alexandri Rezanensium ducis pro Coributho regi facta,& literarũ monumẽtis,quæ extãt in archiuo regio, signata,cũ eũ rex è vinculis liberasset. Nec multo pòst Andreas quoq; frater eius, qui Chẽcinis asseruabatur, dimissus est, Vitoudo &alijs quibusdam ducibus interuenientibus,regique pro ipso fideiubentibus. Theodorus verò dux Vuladimiriensis dominatũ Seueriẽsem tunc à rege accepit, promittens consignatis etiam literis, in fide & potestate regis semper se futurum esse. Ita constitutis rebus Lituanicis, rex & regina in Poloniã reuertêre. Orsam deinde iussu regis à Vitoudo expugnatã esse Lituanica p̃dit historia, Vitepscũ verò per deditionem receptum eiecto Suitrigellone, qui Theodo-

Vitoudus regi reconciliatus.

Hẽricus Masouius hypodiaconus, vxore ducta veneno sublatus est.

Plocensibus episcopus à Pontifice datus.

Iacob. Corskeuius auditor palatij Apostolici.

Vitoud. Crucigeros damno & clade afficit.

Vitoudi reditus in Lituaniam.

Vitoud. princeps, seu magnus dux Lituanorũ creatur.

Vitoudus iurat in verba regis Polonorum.

1392.ann.

Suitrigello ad Prussos transijt.

Lituania vastatur à Crucigeris.

Coributhus, cũ vxore & liberis captus à Vitoudo.

Andreas dux dimissus.

Theodorus dux Seueriẽsis iurat in verba regis.

Orsa capta.

Vitepscū receptum.

dorum quendam aucupem oræ illi nuper à rege post mortem matris præfectū excluserat, & per dolū interfecerat. Atq; hęc fortasse Suitrigelloni causa ad Prussos fugiendi fuit. Occurrisse autem Vitoudo eam expeditionem facienti duces

Odrusсenses & Smolenscenses duces subditi Vitoudo.

Odruscenses: Smolenscensem verò Vitepscum venisse, & omnes professos esse, se in potestate ipsius semper fore. Vere autem proximo eundem Vitoudum Zitomiriam & Kiouiam in potestatem suam redegisse: amotoq; Vuladimiro duce, Skirgelloni eam, sicuti promiserat, tradidisse: à Skirgellone verò Cercassos & Suinigrodum munitiones captas esse.

Skirgello dux Kiouiæ. Cercaßi & Suinigrodū.

Nec multo pòst ipsum ad venationem profectum, à monacho quodam Russo Metropolitæ vicario ad villam inuitatum, venenatoq; poculo de medio sublatum, in Pieciaris honorificè sepultū esse. Sunt autem Pieciari specus vastissimus apud Kiouiam, illustrium Russorū sepultura nobilis. Dlugossus in arce Visegradensi occisum propter intolerabilem crudelitatem refert. Prosequitur deinde Lituanica historia, Vitoudum Kiouiensibus misisse ducem Ioannem Olgemundi filium: Rezanensem autem tractum per Simonem ducem magna ex parte vastasse: ipsum verò Smolēscū contendisse, ac ducem eius oræ Glebum rebellantem amouisse, & alium Smolēscijs præfecisse: eoque ad Vitoudum venisse Basilium ducem Moschorum generum, & honorificè ac liberaliter acceptū esse, ac dimissum. Tattaros deinde à legato Vitoudi Olgerdo duce ꝓfligatos, cæsis tribus eorum ducibus, quibus Podolia tributum pendebat: Theodorum autem Coriathi filium Podoliæ ducem, imperium Vitoudi detrectantem victū, captumque, & Bratislauiam, Cameneciam, Smotriciam, Scalam, Ceruonygrodum, & omnem Podoliam in potestatē redactam esse. Postea verò Vitoudū Vuladislao regi petenti partē Podolię cum suprà memoratis arcibus cōcessisse, quadraginta millibus florenorum ab eo acceptis. Hæc ita bona fide è Lituanica historia hic retulimus. Tametsi quòd ad Podoliam & Cameneciam attinet, vel errasse, vel data opera seriem rei deprauasse videtur scriptor, quisquis ille fuit. Primùm enim vt demus Lituanis, eā oram Podoliæ Tattarorum incursionibus desolatam, à Coriathi filijs occupatam, ab eisdemque arces suprà memoratas, excepta Bratislauia, munitas esse: vicissim illi nobis concedant oportet, id quod superius exposuimus, Russiā meridionalem & Podoliam vsque ad Cremeneciam, à Cazimiro magno Polonorum rege subactam esse: idque nos non leui cōiectura collegimus, sed pactis ipsorum ducum Lituanorum, inter quos fuit Georgius vnus de Coriathi filijs, Theodori huius frater, quem à Valachis ei oræ finitimis interfectum Lituanica historia memorat, comprobauimꝰ. Deinde cùm vt quæque ora ad regnum adiūctā est, ita eius oræ palatinus in amplissimo senatu regio locum tenet, Podoliæ palatinꝰ Belsensem præcedit. Iam autem hoc tempore, cuius res gestas nūc persequimur, Belsensis tractus in ditione Polonorum erat: imò sequenti, aut certè tertio anno pòst, Ziemouito Masouiorum duci à rege donatus est. Ad hęc, sicut cæteræ Russiæ, quæ in ditione Polonorum regum tunc erat, ita Podoliæ quoque Vngaros rex Ludouicus præfecit, sicuti nos suprà memorauimus. Et extāt in archiuo regio binæ literæ Theodori ducis Podoliæ ac domini de Muncatio, quæ arx est in Vngaria, paulo pòst hæc tempora scriptæ: quibus testatum facit, se cum Vuladislao rege Polonorū transegisse, & cum Podolia ipsi sese in fidem & clientelam tradidisse. Postremò extat exemplum diplomatis ipsius Vuladislai regis sub titulo & signo Alberti archiepiscopi Gnesnensis, ex ipso exemplari descriptum, quo rex indicat, Camenecensem arcem ac territorium Vitoudo & hæredibus eius in Feudum, vt vocant, à se dari, idque anno Christi 1394: factum esse. Quod quidem tempus congruit cum eo, quo scriptor ille eandem Cameneciam cum cæteris eius oræ arcibus Vitoudum per vim cæpisse memorat. Quo fit, vt sit verisimilius, Vitoudū, cùm partem Podoliæ eam, in qua est Zitomiria, & Cercassi, in potestatem suam redegisset, Cameneciam quoque de Vngaro duce partam, precario tamen à rege, vt quæ ad regnum pertineret, obtinuisse. Reliquum verò eius oræ Vngarorum indulgentia regis deinceps quoque retinuisse. Per hoc autem tempus Cruciferi Prussienses incitante Suitrigellone Lituaniam crebris excursionibus longè lateque vexarunt: munitiones etiā nonnullas ceperunt, & caput gentis Vilnam tentarunt spe subornatæ per Russos monachos proditionis & incendendarū arcium: sed cùm ab vno ex ipsis detecta esset proditio, sumptūque de conscijs supplicium, Cruciferi re infecta recesserūt. Erant quidem ad manum Lituanis non contemnenda Polonorum, partim à rege missorum, partim voluntariorum auxilia: sed nusquam tamen ad vniuersam

Skirgellonis mors. *Pieciari.* *Ioannes dux Kouiensiū.* *Rezania vastatur.* *Basilius Moschorū dux, gener Vitoudi.* *Tattari profligati à Lituanis.* *Podolia subacta à Vitoudo, & pars eius regi Polono vēdita.* *De Podolia verior historia.* *Podoliā non* *à Vitoudo, sed à Cazimiro rege subactā esse.* *1394. an.* *Cruciferi vexant Lituaniam.* *Vilna oppugnata.*

sam prælij dimicationem cum hoste vētum est. Satis habuêre nostri ex insidijs hostiles vires carpere, nonnunquam etiam ipsi in hostilem agrum populabundi excurrêre. Quo factum est, vt non minus incommodi acceperint Cruciferi, quàm intulerint. Dum hæc ita geruntur in Lituania, rex & regina studijs pacis occupati, muros arcis Cracouiensis, qui humiles ad eam diem fuerant, altius excitarunt, præfectis vigilū, quos Burgrabios vocāt, stipēdia auxerunt: & vt singulos equites sagittarios in prōptu semper haberent, iniunxerunt. In suburbano etiā Cracouiēsi septētrionali, & in ora Cleparię oppidi monasterium titulo sanctę Crucis inchoarunt, & in eo Slauos Benedictinæ sectæ Praga accitos, q Slauica lingua sacris operarentur, collocarunt. Quanq̄ autē templum id atq; monasterium consummatū nō est, morte Heduigis reginę intermissum, cantatum tamē ibi, & sacra facta Slauica lingua vsq; ad suam ætatē Dlugossus memorat. Aliud item monasterium in eodē suburbano occiduo, titulo sāctę Marię in arena Carmelitis sodalib⁹ mendicantib⁹ condidêre. Psaltarum quoq; siue psalteristarum collegium in basilica Cracouiēsi ijdem instituêre, attributo eis de salinis salario Sub idem tempus Ioanne, cognomento Paruo, episcopo Cracouiensi mortuo, successor à collegio designatus est Setegius siue Secechus Chmielicius canonicus. Sed rege & regina postulantibus Bonifacius nonus pōtifex maximus, Ioanne reiecto, Petrum Vissum iureconsultum præpositum Vuladislauiensem & cancellarium reginæ, equestri Brogorū siue Aceruorum familia ortum, non optimo consilio episcopum fecit. Sed luit is pòst ambitionis suæ pœnam. Venit per ea tempora in Poloniam Sigismundus rex Vngarorum visendæ Heduigis reginæ causa. A qua dies aliquot Sandeciæ perhumanè habitus, & post longos tractatus de rebus publicis & priuatis dimissus, in Vngariā reuertit. Id adeò post Mariæ reginæ, quę Sigismundi vxor, Heduigis verò soror fuerat, mortem factū esse, ratio temporum argumēto est. Scribit enim Antonius Bonfinius, Multum negocij Sigismundo Croatas, Bosnēses, Bulgaros, Valachos, atque Transalpinos, mulieris & externi regis imperium aspernatos, exhibuisse: armisque ad officium reuocatos, cæteros quidem quieuisse, Stephanum verò vtriusque Valachię palatinum denuò rebellasse. Interim aūt dum eū bello persequitur Sigismundus, Mariam reginam obijsse: eoq; cognito, Vuladislaum regem Polonorū cum valido exercitu in Vngariam inuadere conatum esse, vt Heduigis vxoris nomine hæreditarium regnum in potestatem suam redigeret: sed occurrente sibi ad fines Polonię Ioanne Canysa Strigoniēsi archiepiscopo cum armata manu, cœpto destitisse. Extant etiam in archiuo regio diplomata fœderis cū Mircio Transalpinæ Valachię palatino fœderato regis Vngarorum à Vuladislao paulo ante hoc temp⁹ icti: quo cautum est, ne alteruter altero inscio Vngarorum regi bellum inferat: inducias verò aut fœd⁹ ab altero ictū vterque vt approbet. Inde fortassis ortum est illud colloquium Sigismundi cum Heduigi nō officij gratia, quemadmodum Dlugosso placet, sed de stabiliēdo regno suo apud Vngaros: quos ille sibi iam inde ab initio infensos, in Heduigim verò vti iustā hæredem Ludouici regis propensos esse non ignorabat: vt ea delinita & assentiente, tranquillius regnaret. Per idem tempus Henricus episcopus Vuladislauiensis in fidem Vuladislai regis concessit. Vltrone autem, an vi adactus, non cōperimus: ac ne illud quidem, cur aut quando à rege defecerit, nisi quòd verisimile est, cùm Cuiauiam rex & regina Ziemouito Masouiorum duci hypothecę nomine tradidissent, eum quoq; cum Cuiauijs Ziemouiti fidem secutum fuisse. Tametsi extāt literæ Ziemouiti quarto demū anno pòst scriptæ, quibus is testatum facit: Decē millia sexagenarum, quarum nomine Cuiauiam oppigneratam tenuerit, à rege & regina sibi soluta esse: nec tamen adijcit, reddatne, an iam prius reddiderit Cuiauiam. Extāt enim Vuladislai Oppoliensium ducis literæ per hæc tempora scriptæ, quib⁹ ille Cuiauiæ quoque ducem se nominat, ita vt eā dotis nomine in pignus accepisse à Ziemouito videri possit. Habebat enim ei⁹ filiam Agathiam matrimonio. Nisi fortè quod Inouuladislauiēse territorium habebat in Cuiauia, Cuiauiæ ducem (vt faciūt vulgò principes) sese vocitabat. Fecit quidem per illud ipsum tempus rex bellum huic Vuladislao. Nec tamen reperio Cuiauiam obnoxiam fuisse eius belli incōmodis, præsertim cùm in Dobrino id gereretur. Quin regi tūc aduersus Vuladislaum Cuiauij militarunt. Causæ autem belli regi hæ fuisse memorantur, vt se religione iurisiurādi, quod initio regni sui dederat de recuperādis ijs, quæ superiori tempore à Polonia auersa erant, exolueret, & Vuladislaum detrectantem imperium suū coerceret.

Cracouiēsis arx firmata.

Burgrabij.

Templa circum Cracouiam.

Sacra Slauico sermone.

Electio episcopi abrogata.

Petrus Vissus episcopus Cracouiēsis.

Sigismūdi regis Vngarorū aduentus in Poloniam.

Rerum Vngar. Decad. 3. lib. 2.

Vuladisl. rex conatus Vngariam inuadere.

Mirc. Transalpinēsis palatinus fœderatus Polonis.

Vuladislauiēsis episc. iurauit in verba regis.

Vulad. dux Cuiauiæ.

Vuladisl. regis bellū cū Vuladisl. duce Oppoliensi.

Nam neque reddebat ille, quæ prodiga Ludouici regis donatione, quemadmodum suo loco exposuimus, acceperat, neq; iusiurandū dabat, se illarū ditionū nomine in fide & potestate regis Polonorum iure Feudi, vt vocāt, semper fore: in quo rex acquieturus erat. Quinetiam cōtemptim atq; superbè legatis regijs responderat, ac tumulis etiā cōpluribus excitatis ditiōes illas suas ad Zitnū oppidū ab reliqua Polonia disiunxerat. Ad hęc Inouuladislauiēse, Tussnēse, atq; Tucholiēse territoria rege incōsulto Heduigi filiæ, q̄ cum Alexādro duce nupta fuit, donarat. Magistro autem Conrado Valrodo atque ordini Crucigerorum Prussiensium primùm Zlotoriā sex millibus sexcentis triginta duobus aureis Vngaricis, mox totam Dobrinensem terram quinquaginta millibus oppignerauerat. Quo facilius autē eum incautū rex oppri meret, cum quinq; modò consiliarijs (quinam verò hi fuerint, non proditur) rem communicauit. Cum Ziemouito iuniore Masouiorum duce genero suo, & affine Vuladislai, de quibusdam controuersijs, siue eæ fuerunt de Cuiauia, siue de dote sororis suæ, quod verisimilius est, bona eius conditione assentiēte regina trāsegit: & Belsensem, Lubaciouiensē, Buscensē, Grabouiensē, Grodlensem, Seuoloſsensē, & Lopatinensem præfecturas iure sempiterno & in hæreditatem ei dedit, his legibus, vt eas non nisi regno Polonico subiectis hominibus vendere posset: expeditiones bellicas cum rege & Polonis obiret: nec bellum cuiquam rege inconsulto inferret. His ita perfectis, & indicta toti Polonię expeditione, Cristinum Ostrouium castellanum Sendomiriensem cum parte copiarum aduersus Dobrinum præmisit: siue vt Vuladislaum à suspicione propinquioris belli auerteret, siue vt duplici bello vires eius distineret: ipse cum reliquo exercitu, cùm se Cristinum subsequi simulasset, deflexo itinere ad Olstinum castrametatus, tertio die eā arcem expugnauit. Ad cæteras deinde arces, partitus cū Spitcone Melstinio palatino Cracouiensi copias, aduentu Ziemouiti & Ioannis ducū Masouiorum auctas, properè discurrit, ne quod perterritis recolligendi se spacium daret, intra vij. diem Crepicia, Velunū, Ostressouia, Breznicia, Bobolice, & Grabouia in deditionem accepta. Monasteria Cienstochouiense & Velunense suburbanum haud multo antè à Vuladislao duce condita, vnà cum possessionibus suis edicto pij regis intacta ab huius belli clade mansêre. Reliqua erat vna arx Boleslauecia, loco arteq; munita, supra Prosnam flumē sita. Quæ quia armis, præsidio & cōmeatu, secundo flumine importatis abūdabat, septem annis obsidionē pertulit. At Cristinus castellanus Sēdomiriēsis, vt primùm Dobrinensem orā attigit, adiunctis sibi Cuiauijs, Bobrouunicos arcē circūsedit: sed cū accepisset magistrū Crucigerorū Prussiensiū Conradum contra se cū validis copijs aduentare, soluit obsidionē. Ipse verò Vuladislaus dux è Silesia regias ditiones latrocinantis in modū infestauit, & mercatorum Polonorū ad Vuratislauienses nundinas proficiscētium merces & facultates cū curribus diripuit. Confluebant enim ad eū è Polonia multi, partim qui suis bonis profusis, alienis inhiabant: partim qui rei capitalis damnati aut proscripti erant, aut consciētia scelerum suorum profugerant. His igitur irritatus rex, in ditionē eius paternā cum exercitu impetū fecit: castella quædam & oppida cæpit: agros pagosq; depopulatus est: & Oppoliam primarium eius oppidum cum duabus arcibus obsedit. Et implorauit quidem Vuladislaus dux Venceslai Cæsaris & regis Boemorum opem: sed non impetrauit, propterea quod icerat is paulo antè fœdus cum rege Polonorum, quo 600. hastatorū, ac totidem balistariorū auxilia contra quēuis hostem, cōtra rebelles autē subditos societatē principes hi sibi inuicē promittebant. Quanquā exceperat Venceslaus Electores Imperij, Vuratislauiensem episcopū atq; ciuitatem, ducesq; Polonos & Silesios Boemorum clientes: verùm eatenus modò, vt ne necesse haberet cōtra eos Polono auxilia mittere. Cùm igitur in illo nihil esset spei, Vuladislaus dux Cōrado Olesnicensium, & Bernardo fratre Nemodliēsiū, siue Falkembergensium ducibus deprecatoribus ad Vuladislaum regē missis, vt vult Dlugossus, pacem impetrauit his conditionibus, vt ablata mercatoribus bona restitueret: rex verò Lublineciā, & Strelce arces, & pręterea nescio q̄ castella & oppida de ipso capta, iure belli retineret. Quę mox Spitconi Melstinio vtēda fruenda dedit. Cęterùm extat in archiuo regio trāsactio Boleslai & Bernardi ducū Oppoliensiū, & fratris ipsorum Ioannis (Cropidlonis nimirū) episcopi Camenēsis cū Vuladislao rege sub Oppolia, defuncto interim, vt videtur, Vuladislao facta, & nouem signis signata: qua disertè cauetur, vt illi ipsi duces Oppoliam, Glogouiam (minorem videlicet) Strelce ac Domarazū arces, oppida ac territoria deinceps retinerent, sicut Vuladislaus patruus ipsorū tenuisset: prouiderent autē ne quid nocu-

Marginalia: *Zitno oppidum.* — *Dobrinū oppigneratum Crucigeris.* — *Consiliū regis cum quinque consiliarijs.* — *Transactio regis cū Ziemouito.* — *Russiæ pars magna Ziemouito Masouiorum duci data.* — *Cristinus Ostrouius.* — *Olstinum expugnatum.* — *Arces in deditionem acceptæ. Cienstochouiense monasterium.* — *Boleslauecia septem annis obsessa.* — *Poloni Dobrinum infestant.* — *Vuladislaus dux latrociniū exercet.* — *Oppoliensis tractus vastatus à rege Polonorum.* — *Vuladisl. regis fœdus cū Vēceslao Cæsare & rege Boemorum.* — *Vuladislaus dux cum rege reconciliatus.* — *Lublinecia et Strelce in tractu Oppoliensi Spitconi donata.* — *Oppoliensiū ducum cum rege Polonorum transactio.*

cumēti inde regi Poloniæq; inferretur: captiui vtrinque vt redderētur: Boleslaueciæ, q̄ à præsidio Vuladislai defuncti Agathię vxoris eius nomine tenebatur, ne quid cōmeatus vel auxilij cōtra regē submitterent: curarēt aūt vt arx ea nemini alij, q̄ regi Poloniæ dedatur: de Olesno verò & Lublinecia ne quid negocij facesserent Spitconi Melstinio. Omnia tamen hæc vt ita fierent, ne quid iuris regi Boemorum derogarent. Fideiusserunt autem pro suprà memoratis ducibus cuncta hæc rata firmaq; fore, Venceslaus episcopus Vuratislauiensis, Ludouicus Bregensium, Conradus Olesniensium & Cozlensium, & Præmislus Opauiensium duces, promittentes cum rege se futuros esse contra illos, si quid fefellerint. Magistrat⁹ verò vrbani Oppoliæ, Glogouię, Strelcę & Crepicię promiserūt se sine vlla tergiuersatione oppida illa sua regi certisque proceribus Polonis ab eo designatis dedituros esse, si suprà memorati duces sui pactis non steterint. Hæc nos, quàm Dlugossum sequi malumus. Oppignerauit autem postea Melstinius Lublineciam; Olesnum & Gorzouum Præmislo duci Cessinensium, & filijs eius Boleslao & Præmislo mille marcis Pragensibus. Eiusq; rei monimentum extant literæ ab ijsdem ducibus consignatæ. Dlugossus autem memorię prodidit Vuladislaum regem ea bona reddidisse Bernardo suprà memorato Oppoliēsium duci, cùm is Heduigim filiam Melstinij vxorē duxisset, ac Boleslaueciam regi Vuladislai ducis defuncti vxor reddidisset. Hoc ipso autem anno, nempe 1396. Sigismūdus rex Vngarorum, cùm Turcæ duce Baiazete Amurathis filio Thracib⁹, Græcis, & Macedonib⁹ deuictis, Mysos, hoc est, Bulgaros & Rascios vexarent, & Vngaris abstraherent, coadunato è varijs gentibus Christiani nominis ingenti exercitu; infeliciter pugnauit apud Nicopolim: elapsus tamen, traiecto naui Danubio Constantinopolim fuga delatus est: & inde aliquanto pòst Rhodum, ac deinde in Dalmatiam & Vngariam reuersus. Interim autem Turcæ anno sequenti Vngariæ prouincias fœdè populati sunt: cumq; Sigismūdus rex perijsse putaretur, Vuladus Trāsalpinæ palatinus, & comes Seuerinensis, siue Zuuerinensis, cum ditione sua in fidem & clientelam Vuladislai regis Heduigisq; reginę Polonorum, vti hæredis Vngariæ vltrò concessit. Alij præcedenti anno funestū illud Christianis prælium commissum esse prodidêre. Militauerūt autem in eo

Lublinecia Olesnum duci Cessinensium oppignerata.

1396. anni.

Sigismūdus rex Vngarorum à Turcis profligatus apud Nicopolim.

Vulad. Trāsalpinæ palatinus in fidē & clientelā regis Polonorū venit.

bello contra barbaros etiam Poloni voluntarij, & nōnulli ex ijs fortiter dimicātes occubuêre. In quibus nobiles in primis fuêre Basilius castellanus Vissegradensis cum Rolando filio, & Thomas Calscius. Sciborius verò Sciboricius gēte Ostoius fugiēs cū rege, & Vngaris, cū nauim ingredi non posset, insequentib⁹ Turcis, ita vt erat armat⁹, in Danubium se proiecit, & enatauit, charusq; postea Sigismundo regi fuit. Insequenti anno Vuladislaus rex iratus Crucigeris Prussiensibus, q̄ ij violato fœdere arma contra se sumpsissent, Dobrinumq; improbè interuertissent, simulq; (& magis quidem fortasse) q̄ Lituaniam infestare nō intermitterēt, & magnā Samagitiæ partem occupassent, bello eos persequi cogitabat. Sed abhorrebant ab eo bello procerum Polonorū animi; q̄ non ignorabant se vniuersam Germaniā in se concitaturos esse. Itaq; re in cōsultationem posita, cùm maxima pars senatus quieta consilia magis probaret, placuit vt conuentus cū Crucigeris ijs de rebus Inouuladislauiæ ageretur, ad eumque cōuentum vt regina modò cum proceribus proficisceretur: verebātur enim, ne rex dolore acceptarum in Lituania iniuriarum exacerbat⁹, asperiore aliquo dicto intempestiuum bellum exuscitaret: Neque tamen sic æqui aliquid à Crucigeris impetrari potuit. Sed nectere ij moras & excusationes, nostrorumq; patientiam eludere, vt sibi diuturnitate tēporis possessionē Dobrini firmarēt. Ibi Heduigis reprehensa eorū cùm præsenti auaritia & fœderis atq; iurisiurandi violatione, tū superiorū tēporum ingratitudine & impietate, qua in patronos suos Polonos vsi erāt, disertèq; quasi fatidico ore adiecit: Se q̄dē viuēte nihil eos aduersi pro illis ausis passuros esse: pòst mortē verò suam maximis incōmodis atq; cladibus suis illa omnia expiaturos. Ita tūc rebus infectis, neq; certa pace, neq; apertò bello, Inouuladislauia discessum est. Hoc autē anno Vitoud⁹ expeditionem illam in Tattaros, cuius paulo antè è Lituanica historia mentionē fecimus, fecisse memoratur: ac tribum vnam Tattarorum, quam illi Ordam vocāt, cum pueris & mulieribus abegisse, partemq; captiuorū regi & procerib⁹ Polonis dono misisse: Reliquos in media Lituania suprà Vacam amnem prope Vilnam agris attributis collocauisse. Qui manēt ibi vsque in hodiernū diem, boni ac diligentes patresfamiliâs, & virtutis priscæ armorumq; non immemores: ritus autem patrios Mahometicę superstitio-

Sciborius Polonus armatus Danubiū tranauit.

Consultatio de bello Crucigeris inferendo.

Conuentus reginæ cū Crucigeris.

Heduigis reginæ vaticinium.

Vaticinium Reginæ Hedwigi

Vitoudi expeditio prior contra Tattaros.

Orda.

Tattari in Lituania collocati.

nis adhuc seruat. Tametsi negant ij se à Vitoudo subactos, verùm ciuili bello domo pulsos, siue adeò in auxiliū cōtra Crucigeros à Vitoudo euocatos, in Lituaniam vltrò venisse, & in eo, quem incolunt, loco à Vitoudo sibi concesso domicilium fixisse. Cui rei argumento est illud, ꝙ ij in hanc vsq; diē liberi legibus suis viuunt, ex æquo cum Lituanis magni ducis imperium agnoscētes. Verùm vtut est de ijs, victorē quidem certè exercitū è Scythia tunc Vitoudus reduxit, aut recepit, si quidēper legatū id bellum gessisse fertur. Inescatus autē hac victoria, & re bene gesta, annū quidem vnum quieti & cōparādis maioribus copijs dedit. Quo anno Sigismundus rex Vngarorum Cracouiā siue visēdi regis & reginę, vt vult Dlugossus, siue res suas stabiliēdi causa, magis etiā alienatis ab eo post cladē illam Nicopolēsem Vngarorum animis, & non obscurè nouas res molientibus, iterū venisse fertur. Et sanè pepigit is tūc cū Vuladislao inducias ad annos sexdecim. Insequēti verò anno Vitoudus, nequicquam dissuadentibus rege & regina, alteram expeditionē fecit in Tattaros: ad quam permulti de Polonica & Germanica nobilitate glorię cupidi nomina dedêre. Multi Heduigis reginę aduersos eius expeditionis successus prædicentis authoritate de procinctu retracti sunt. Fuerunt autem in ea expeditione de Polonis maximè insignes Raphael Tarnouius Iasconis filius Ioannis Castellani Sendomiriensis filius, Sendiuoius Ostrorogus, Dobrogostius Samotulius, Ioānes Glouaci⁹ palatinus Masouiēsis, Ioānes Dābrouius, Varsius Michouius, Socha Plocēsis palatinus, Thomas Verincus, & illustris in primis Spitco Melstinius palatinus Cracouiēsis, ac domin⁹ inferioris Russiæ siue Podoliæ, ꝗ ei Vuladisla⁹ rex ante duos annos frustrà reclamāte regina cū ꝓceribus donarat, siue adeò certo pacto obligarat, ea lege, vt accitus à rege ad quoduis bellū cum auxilijs præstò esset. Recensitis apud Kiouiā copijs Vitoud⁹ bonæ spei plen⁹ Scythiā cum infesto exercitu ingreditur. Imperabat tunc apud Tattaros Tamerlanes, humili quidē loco natus, verùm scientia rei militaris & felicitate eò potentię prouectus, vt duodecies cētena millia hominū haberet in exercitu, ac Turcis profligatis, imperatoreq; eorū Baiazete capto, & in ferrea cauea ferę in modū secū circūuectaret, & Iberia, Albania, Armenia, Persia, Mesopotamia, Asia & Aegypto incredibili celeritate vastatis, orbē terrarū terrore

Sigismūdus rex Vngar. venit Cracouiam.

1399. ann.

Contra Tattaros altera Vitoudi expeditio.

Aliud vaticinium.

Nobiliores Poloni qui ad bellū Tattaricum nomina dedēre.

Podolia Spitconi Melstinio donata siue oppignerata.

Tamerlanes princeps Tattarorum maximus.

Baiazetes Turcarū princeps à Tamerlane captus, & in caueacircūuectus.

terrore sui nominis impleret. Iāq; transmissis Sula & Psola fluminib⁹ ad cāpestria Tattariæ, & ad Vorsclam amnē Vitoudus nemine repugnāte peruenerat, cū Edigam vnū inter duces Tattarorū potentissimū Tamerlanis legatum cum innumerabilibus copijs obuiū habuit. Ibi consternatis nostrorum animis reginæ monita in mentē veniebāt. Itaq; suadente maximè Spitcone, de pace cū barbaris agi placuit. Neq; illi pacē aspernabantur. Verùm id maiorū natu consilium quasi timidū ferociores pleriq; cùm reprehēderēt, re vniuersę dimicationis discrimini commissa, vicerunt barbari, non incruenta quidē victoria. Quod ni multitudine abūdassent, virtute nostrorum superati fuissent. Cecidêre de nostris plurimi, nec inulti tamē. In his fratres regis Andreas & Demetri⁹ Coributhus, & alij nouē duces Lituani & Russi: pauci viui capti. Vitoudus cū Suitrigellone patruele, Ostrorogo & Samotulio, cùm inclinari aciem suorū cerneret, ꝓnici fuga euasit. Melstini⁹ cùm seu fuga, seu ducis hostiū indulgentia, cui virtutem & prudentiā suam inter colloquēdum de pace probarat, saluus esse posset, inter cōfertissimos hostes honestissimè occumbere maluit, quemadmodū ipse optarat & prædixerat Paulo Sciucouio. Nam is ipsi pacem suadenti timorem, & amorē venustæ vxoris exprobrarat: & tamē ipse dictis, ꝗ factis fortior, primus ꝓpemodū fugam inijt. Nec diu Tamerlanes ei victoriæ superstes fuit, eo ipso anno extinctus. Porrò Tattari continuantes cursū victoriæ in Podoliā & Volyniam populabundi vsq; ad Luscū excurrerūt. Kiouiēses tamē tribus millib⁹ rublorū oppidum agrūq; suū, ne vastaretur, redemerūt. Cōtinet autē in se rublus apud Russos & Lituanos centum grossos. Sub idem ferè tempus Heduigis regina filiam Elizabetham Bonifaciam primo partu enixa est, eiq; post tertium diem extinctæ nec ipsa diu superstes fuit: & in læua parte basilicæ Cracouiensis ante aram maximā sepulta est, elata magnificētissimo funere, multorum regū & summi pontificis Bonifacij noni splēdidis legationibus celebrato. Tametsi non ad exequias, verùm ad leuādam de sacro fonte prolem regiam, rege ipso inuitante eæ missæ erant. Fuit autem Heduigis singulari pietate & sanctimonia vitæ prædita, ab omni fastu, leuitate, & iracundia aliena, ocij iuxta ac alienorum à suo sexu atq; dignitate negociorum fugiens, tempus omne suum vel diuino cultui, vel lectioni eorum, quæ ad pieta-

Sula fl. Psola fl. Vorscla fl.

Tattarorum victoria de Lituanis & Polonis.

Duces cæsi à Tattaris.

Vitoudi fuga.

Melstinij mors præclara.

Tamerlanis mors.

Tattari Russiam vastarunt.

Rublus.

Heduigis reginæ mors & laudes.

pietatem moresque formandos pertinerent, vel denique audiendis & leuandis viduarum, pupillorum, & aliorum miserabilium hominum querimonijs impertiebat. Facultates verò suas, quas amplissimas è paterna domo secum aduexerat, liberaliter in vsus egentium, in cultum diuinum, & in publicas vtilitates expendebat. Ac præter ea, quæ superius cõmemorauimus, viuens aras duas in basilica Cracouiensi dotauit: Pragæ verò domum peramplam Lituanis, qui honestis disciplinis operam darent, siue emit, siue condidit: possessionesq; peramplas, vnde eis sumptus suppeditarentur, adiecit: quæ domus Reginæ vulgò dicta, Dlugossi temporibus hæreticorũ furori intacta vnà cum possessionibus suis fuit. Sed ad nostram memoriam non permansit. Moriens verò Heduigis quicquid habuit reliquum in supellectili, partim egenis dilargiendum, partim ad excitandam Cracouiæ & cõsummandam Academiam, quam Cazimirus magnus Cazimiriæ inchoauerat, legauit: nuncupatis executoribus vltimæ voluntatis suæ, Petro episcopo, & Ioanne Tencinio castellano Cracouiensi. Donauit etiam basilicæ Cracouiẽsi vestem ad sacra peragenda factam, margaritis & lapidibus preciosis distinctam. Duo anni tempora, Quadragesimam & aduentum Domini religiosa abstinentia & ieiunio semper coluit. Delicias, pompas, & ostentationem diuitiarum contempsit, ita vt cùm propinqua partui, regali cultu atq; magnificentia exornare cubiculũ regis absentis literis iuberetur, respondisse ei feratur, se pompam omnem & inanem splendorem pridem abdicasse: nec insciã esse, sæpe mortem partui comitem esse. Tum autem rectius se vilitate & neglectu mundani fastus diuinæ benignitati, quæ sterilitatis probrum à se amouerit, responsuram esse. Feruntur autem ob sanctitatem eius, miracula quædam ad tumulum eius postea fuisse edita.

Lituanorum collegium Pragæ.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER SEXTVSDECIMVS.



IVSTIS reginæ peractis, Vuladislaus rex mœstissimus, ac de retinẽdo regno addubitans, quòd non ignorabat se externum vxoris nomine apud liberrimam gentem eò vsque regnasse, in Russiam secessit: cogitabatque vltrò regno se abdicare, & ad paternum principatum reuerti potius, quàm vt vi & armis summa cum ignominia pelleretur. Sed hæc eum cogitantem primores Poloni placidè consolati confirmarunt, cùm ei studia sua in posterum quoque detulissent. Quod si quam id ei dubitationem faceret, quòd alienus amissa vxore nihil iam hæreditarij iuris in regno haberet, ostendebãt ei rei remediũ, quod ipsa etiam Heduigis regina moriens indicasse ferebatur, nimirum vt Annam Vilelmi Ciliæ comitis filiam, cuius sororem iam Sigismundus rex Vngarorum post Mariam in matrimonio habebat, secundam vxorem duceret. Eam enim iustam regni hæredem esse, propterea quòd Cazimiri regis neptis esset. Placuit consilium Vuladislao. Quocirca missi oratores ad Hermannum patruum puellæ (nam pater iam obierat) Ioannes Obychouius castellanus Sremẽsis, Hincia Rogouius, & Ioannes Ostrouicius, optata omnia retulêre, simulque sponsam ad sedecimam diem Iulij mẽsis anni sequentis Cracouiam adduxẽre. Et cùm ea nullius linguæ prę̃ter Germanicam gnara esset, octo menses condiscendæ linguæ Polonicæ operam dedit, priusquam nuptiæ celebrarentur. Interea rex in Lituaniam profectus, pacta & fœdera cum Vitoudo & Lituanis suo Polonorumq; nomine renouauit: vbi promissum est, & literarum monumentis cautum, vt si Vitoudus sine liberis decederet, in regis & regni Polonici potestatem reciderent omnia quæcunque is possedisset, vnà cum magno ducatu: excepta dimidia parte Nouogrodeci, cum quatuor prædijs, quæ Sigismundo Vitoudi fratri cedere deberet, ea quidem lege, vt is tamẽ regi & regno sit subiectus: exceptis etiam bonis dotalibus Annæ vxoris Vitoudi, q̃ post eius demum obitum ad regẽ atque regnũ redire deberent. Hæc adeò anno Christi 1401. acta esse, literis ea de re tũc conscriptis & cõsignatis constat. Reuertens autem rex è Litua-

Vuladisl. cogitat regnũ relinquere.

Secundæ nuptiæ Vuladislai.

Rex in Lituaniam profectus.

Pacta cũ Vitoudo & Lituanis renouata.

1401. ann.

Lituania, quoniam à nuptijs propter deformitatem sponsæ abhorrebat, proceribꝰ Polonis interuenientibus mẽse Februario apud Biecium oppidum cũ Ciliensibꝰ proceribus conuentum habuit, nouisque pactis initis, seu prioribus cõfirmatis, liberalibus diebus nuptias perègit: cui celebritati Anna reginæ mater Cazimiri regis filia, & Vitoudꝰ cũ Anna vxore interfuêre. Coronationẽ verò nouę reginę in sequentẽ annum dilatã esse Miechouiensis refert. Per hæc fermè tẽpora Academia Cracouiẽsis ex testamẽto Heduigis reginæ, & cumulatiore liberalitate regis cõdita est: duę domus siue collegia excitata, alterũ philosophis & theologis in platea, q̃ Iudęorũ tunc fuit, nunc diuę Annæ nomine nũcupatur, alterum iurecõsultis & medicis, quà ex vrbe ad arcẽ itur. Tametsi medici cum philosophis sese coniunxêre. Accitiq; magistri & doctores omnis generis è Pragẽsi academia, censusq; his in perpetuũ attributi à rege è salinis & telonio, & adiũcta sacerdotia omnia apud diui Floriani, p̃ter præpositurã, vt vocãt. Auctior deinceps ea ipsa Academia, & locupletior multorum & maximè doctorũ ipsorum beneficentia reddita, magnopere quodã tempore studijs dialecticis, mathematicis, philosophicis, atq; theologicis effloruit. Quietę tunc res erãt in Polonia, eoq; florebãt pacis studia. Non itẽ alibi. Apud Boemos quidẽ & Germanos Venceslaus Cęsar totũ se cõpotationibꝰ, lusibus & nequitiæ dabat, ita vt cùm de arcis cuiusdam suæ conflagratione nuncium accepisset, rogasse dicatur, An cella vinaria incẽdio superfuerit. Proinde ita contemptibilis erat, vt primùm à Pragensibus ciuibꝰ caperetur, & aliquot mẽsibus asseruaretur: inde verò cùm euasisset, iterum à proceribus quibusdam Sigismundo fratre conscio captus, Viennã custodiendꝰ deduceretur: inde quoq; cùm elapsus esset, à principibus Electoribus Imperio amoueretur: & Robertum palatinum Rheni Bonifacio nono pontifice maximo approbante successorem non inuitus acciperet. Infestata est etiã tunc ab Vngaris quidem Morauia: Boemia verò à Mysnensibꝰ & Morauis marchionibus, incitante Sigismũdo. Ne Vngaria quidem pacata fuit. Nam Sigismũdus rex, dum fraterno regno inhiat, suũ penè amisit: captus quidem & ipse est à suis Vngaris, ob seueriorem in aduersarios suos animaduersionem, post Nicõpolensem cladem, & filijs Nicolai Garę in custodiam traditus, in arce Soclosſen si adseruatus est, Ladislaus verò rex Neapolitanꝰ, Caroli interfecti filius, in locũ eius suffectus, & ex Italia euocatus: Qui tamen cùm in Dalmatiã peruenisset, inde Neapolim reuerti necesse habuit, siue pulsus à Sigismundo, cùm is è custodia dimissus esset, siue ad cõprimendos nouos motus suæ gentis reuocatus. Iam & Galeatiꝰ Vicecomes dux Mediolanẽsium totam ferme Italiam ad arma concitarat, & Florentini contra eum Robertum Cæsarẽ magna mercede & promissis in auxilium euocarant. Verùm is re infecta ex Italia in Germaniam se recepit. Porrò tota respubl. Christiana duos tunc habebat põtifices iã inde ab Vrbano & Clemente. Nã Clementi Galli Cardinales, & qui cum eis sentiebant, Benedictum eius nominis tertiumdecimum natione Aragonẽsem, Vrbano verò Itali Bonifacium nonum, eoq; per hoc tẽpus defuncto Innocentiũ septimum, & huic mox Gregorium duodecimum suffecerunt. Hos alij principes & populi, illum alij sequebantur. Ipsi Põtifices se in uicem execrabantur, & pro schismaticis habebant, & studia principum multa indulgendo, & cõniuendo sibi cõparabãt: & tamen ꝓ se vterq; concordię in ecclesia redintegrandæ, vel cum iactura pontificatus dignitatisq̃; suæ se studere, iureiurãdo etiã interposito & chirographis præ se ferebãt. Ita tunc perturbatus erat omnino status Christiani orbis. At in Polonia tranquilla ferè erant omnia. Itaque per aliquot illos annos nihil in ea memorabile gestum esse memoratur, pręter, quòd perduellium quorundã vias publicas infestantiũ latrocinia tunc Vuladislaꝰ rex coërcuit, expugnata ꝑ aulicum suũ comitatum Ciorsteno arce, q̃ illis receptaculo fuerat. Fuêre autẽ latronum illorũ principes, Grotꝰ Slupecius de Rauiorum familia, & Ioãnes Rogala, quod etiã equestris familiæ nomen est, castellanus Vuladislauiensis. Quorum hic quidem captus multis annis carcerem pertulit, donec in Zauissij Nigri gratiam dimissus est: ille verò euasit: sed arx eius Conari in tractu Sendomiriensi diruta est. Latrocinãdi verò occasionẽ ei dederat prior proscriptio ob cædem Ioannis Ossolinij castellani Visliciensis, dum disceptant inter se de limitibus agri præbendæ Sendomiriensis, q̃ filius Ossolinij obtinebat, patratam. Vlricus verò Dreni hæres Vuladislai regis & regni potestati sese subdidit ea lege, vt si decederet sine liberis, arx ea regi cederet, præfectique arcis deinceps etiam ipso viuente in verba regis iurarent. Per idem tempꝰ apud Posnaniã, cùm diuinũ

Christi

Vuladislai regis secundæ nuptiæ.

Academia Cracouiensis condita.

Quibus disciplinis potißimùm floruerit Cracouiẽsis academia.

Venceslaus imperat. bis captus, et ab imperio amotus.

Robertus Cæsar.

Boemia & Morauia vexatæ.

Sigismũdus rex captus ab Vngaris.

Ladislaus rex Neapolitanus ab Vngaris exp etitus.

Galeat. dux Mediolanẽsium.

Schisma in ecclesia Christi.

Ciorstenum arx expugnata ab aulico Vuladislai comitatu.

Grotus Slupecius et Ioãnes Rogala latrocinantur.

Conari arx diruta.

Drenũ arx regi dedita.

Christi corpus in specie panis,(quemadmodũ antiquissimo totius ecclesię Christianæ ritu & ipsius Christi & Apostolorum eius instituto in tẽplis publicè vulgò distribuitur)ab infelici quadam muliercula ore sublatum, vt Iudæis ad ludibrium venderetur, mutataq; sentẽtia in pratis suburbanis eius vrbis abiectum esset, miraculis quibusdam insignibus proditũ est,& repertum.Itaq; templum in eo loco Vuladislaus rex condidit, & sanctissimi corporis Christi titulo dedicauit.Tarnouiæ verò collegium sacerdotum Petrus episcopus Cracouiẽsis Ioanne domino loci palatino Sendomiriensi petente,&redituũ partẽ de suo conferente instituit. Per hoc ipsum tempus Dobrogostius siue Bonauẽtura archiepiscopus Gnesnensis mortuus, successorem accepit Nicolaum Curouium gente Srenauiũ:qui Vuladislauiẽsem quoq; episcopã, vnde transferebatur, fauente rege toto biennio simul retinuit. Anno sequẽti,qui fuit à Christo nato 1403. Valachiæ palatinus Alexander,& mox Roman⁹ Petri filius,cùm è potestate & vinculis Suitrigellonis à rege liberatus esset,iurati vnà cum consiliarijs in verba regis,in potestate eius atq; regni se esse, foreq; professi sunt:Romanus verò etiã societatem belli contra quosuis hostes, Prussis atq; Lituanis propter locorum intercapedinem exceptis, promisit. Boguslaum verò Pomeranorum ducẽ rex in aulam suam suscepit, octingentarum marcarum stipendium ipsi pollicitus, vt quoties opus esset, cum centum hastatis sibi militaret.Porrò Vilhelmus marchio Misnẽsis fœdus & societatem cum eodem rege pepigit: itemq; Vngari proceres cum Polonis: quo cautum est,ne alteri contra alteros regibus suis opitulentur.Ad regem quoque Vuladislaum ijdem Vngari pòst de pace ac fœdere oratores cum certis mandatis misêre: sed an inter eos conuenerit, non liquet. Ac ne illud quidem constat,quid his fœderibus causam præbuerit: nisi fortè odiũ Vngarorũ, & perpetratũ facinus in regem suũ Sigismundum. Sed magno studio Vuladislaus de liberãdo eo laborasse fertur, ita vt regnũ quoq; à procerib⁹ Vngaris sibi oblatum contẽneret.Quin Sandeciã profect⁹ est, vt ꝓpinquitate loci terrorẽ Vngaris obijceret. Euasitque tunc Sigismundus misericordia nobilis matronæ, cui⁹ filijs in custodia tradit⁹ erat. Nõ parũ autẽ &Sciborij⁹Sciboricij⁹ eques Polonus ipsi cõmodauit, ꝓpterea quòd armis Polonorum & Boemorum superiores Vngariæ partes Poloniæ &

Christi corpus in pratis Posnan. repertum.
Templũ corporis Christi in suburbano Posnaniensi.
Tarnouiæ collegium sacerdotũ institutum.
Nicol. Curouius archiepiscopus.
1403. ann.
Valachiæ palatini iurãt in verba regis.
Misnense fœdus.
Vngarorum procerũ cum Polonis fœdus.
Vuladisl. regis studium erga Sigismundum.
Sciborij Sciboricij fides erga Sigismũdum regem.

Morauiæ finitimas in fide eius continuit, compluresq; aduersariorũ munitiones in suam potestatem redegit, & proceres quosdã captos in vinculis habuit: & cùm neruo belli, pecunia inquã, deficeretur, à Vuladislao rege decẽ millia marcarum Polonicarũ accepit mutua: pro hisq; nouam Marchiam, quæ simul cum veteri hæreditario iure ad Sigismũdum pertinebat, ipsi oppigneraauit. Cuius rei monumentum extat in archiuo. Quanquã tunc non nisi quatuor millia ei numerata sunt: nec de reliqua pecunia postea numerata, neq; de possessione Marchię regi tradita, quicquã inuenio. At Vitoudus magnus dux Lituanorum cum Smolenscijs rursus rebellibus bellum gerebat, fretusq; Polonorũ auxilijs, arcem Smolenscum, in quã ciues & nobiliores quique vxores, liberos, & fortunas suas contulerant, aliquandiu obsessam & oppugnatam amissis compluribus fortibus viris Polonis, vi cæpit, magnasque opes in ea repertas partim Vuladislao regi transmisit, partim militibus, vt quisq; meritus erat, dilargitus est. Cæteras verò arces in deditionẽ accepit, & principatum omnẽ in formã ꝓuinciæ redegit. Dux in Vngariam profugit, & in ministerio Sigismũdi regis vitã finiuit. Cum Crucigeris quoq; Prussiensibus & Liuoniensibus bellũ paruo tempore intermissum, Suitrigellonis opera ipsi recrudurat. Nunquam is tamẽ hostibus ditionem suam infestantibus occurrere ausus est: verùm Liuonienses cum præda reuertẽtes vestigijs clàm secutus, cùm ij diuersi domos abijssent, agros eorum vicissim longè lateq; vastauit, pagos vicosque incendit: ac Zuuinã munitum oppidum, quod à flumine nomen habet, ac Germanis Duneburgum est, vi cæpit atque diripuit: arcem verò oppido imminentem in deditionẽ accepit: incensisq; arce pariter & oppido cũ ingenti præda in Lituaniam se recepit. Nec multo pòst rursus Lituania hinc à Prussiensibus, illinc à Liuoniẽsibus Crucigeris vehementer peruastata est, multique mortales in seruitutẽ abacti: quos Vitoudus permutatione captiuorum liberauit. Tandem Vuladislaus rex afflictæ patriæ vicem miseratus, Suitrigellonem fratrẽ exulem è Prussia reuocauit, magno ære alieno, quod ibi cõtraxerat, exoluto. Ac ne quod ei cũ Vitoudo noui dissidij seminariũ relinqueret, Podoliam ei quinq; milibus marcarũ Pragensium à filijs Spitconis Melstinij redemptam, concessit: itemque Strium, & Zidaciouiam in Russia, Sidlouiam, Stob-

Noua Marchia Vuladislao regi oppignerata.
Smolenscij subacti à Vitoudo.
Smolenscioru dux profugus.
Crucigeri Lituaniam infestant.
Zuuina oppidũ & arx Liuoniæ à Vitoudo capta & incẽsa.
Lituaniarursus vexatur à Crucigeris.
Suitrigello reuocatus è Prussia.
Podolia & præfecturæ quædam in Polonia Suitrigelloni attributæ.

niciam, atque Drugniam in Polonia:ad
hæc mille quadringentas marcas annu-
as è salinis adiecit.Nec tamen ea libera-
litas regis animum Suitrigellonis sana-
uit. Conuentum deinde rex cum Pruf-
sicis Crucigeris apud Racianzum epi-
scopi Vuladislauiensis oppidũ ad Pen-
tecosten anni sequentis habuit: vbi sic
de pace conuenit, vt rex quinquaginta
millia(licet quadraginta sint apud Dlu-
gossum)florenorum Crucigeris exolue
ret, Dobrinumque & Zlotoriam recipe-
ret:verùm vt ratas tamen Magistri do-
nationes atque largitiones haberet, &
pacta à Cazimiro magno cum eis cõue-
ta rata esse iuberet:deinde vt Nouogro-
di magni dominatus regi,Samagitia ve-
rò Crucigeris cederet:ipsi verò vt omni
iure qđ habebãt in Lituania,sese abdica
rent:nec paterẽtur hostilẽ aliquẽ exerci
tum per ditiones suas in Lituaniã trans-
ire, neq; ipsi per eam sine permissu re-
gis copias suas ducerent:neque recepta-
rent proscriptos è Lituania, ac ne pro-
fugos quidẽ propinquos regis: denique
vt liberã mercaturam atq; societatẽ ha-
berent inter se Lituani atq; Prussi. His
autem conditionibus implendis annuũ
tempus constitutum.Sic necessaria ma-
gis, q̃ speciosa pace facta, Vuladislaus
rex inuitatus à Magistro Toruniã cum
magna parte procerum diuertit,triduo
quę ibi mansit, splendidè & magnificè
acceptꝰ: per quos dies simulachro eque-
stris pugnæ inter Teuthonas & nostros
edito, cùm superiores illi ferè essent in
eo genere,inquo suntexercitatissimi,ad
extremũ tamen Dobeslaus Olessnicius
vnus de nostris palmam & brabium ob-
tinuit.Dum autem Vuladislaus obequi
tans,situm,munitionem,atque ædificia
vrbis contemplatur, sordibus culinæ à
muliercula quapiam seu casu,seu data
opera perfusus,mulierculæ morti ob id
destinatæ impunitatem impetrauit. In-
de discedens in maiorem Poloniam di-
uertit,æstateque ibi exacta,& particula-
ribus conuentibus habitis (qui tunc pri-
mùm haberi propter nouam rem cœpe
runt)Corcinum, quo comitia toti Polo
niæ ad xj. diem Nouembris indixerat,
venit:perfecitq; precario,vt sibi redimẽ
di Dobrini causa agraria cõtributio no-
ua omnium ordinum consensu extra
ordinẽ decerneretur, nempe deni gros.
si in laneum ab agrestibus tantùm & op-
pidanis cultum. Ex qua contributione
cum ordinaria illa binorum grossorũ,
q̃ Rastralem appellauimus, coniuncta,
ad centũ millia marcarũ tunc redacta
esse memorãtur. At nunc quãdo longè

Pax & pacta cũ Crucigeris Prußiẽsibus.

Vuladisl. rex Toruniam profectus.

Dobesl. Olesnicius.

Rex perfusus à muliercula.

Vuladislai clementia.

Comitia Corcini.

Agraria siue iugeralis contributio noua decreta.

Summa exactæ pecuniæ.

cultior atq; populosior est Polonia,lon-
gè minus ex ea contributione cõficitur.
Vuratislauiã deinde rex splendido plus
q̃ quinque millium equitum comitatu
profectus est, cum Venceslao rege Boe-
morũ,illo postulante, congressurus.A-
nimaduertebat enim Venceslaus, quã-
uis stupidus, cœnoq; voluptatum peni-
tus immersus, se de summa rerum peri-
clitari:bis captus,& ab imperio amotus
erat:palàm ab eo Sigismundus frater, vt
sibi regno Boemorum cederet, conten-
debat,& non obscurè fauebant ei Boe-
mi proceres. In gratiam eius etiam dux
Austrię Morauiam infestare videbatur.
Quo igitur obuiam iret conatibus ad-
uersariorum Venceslaus,& regnum su-
um stabiliret, regis Poloni amicitiam &
societatem certo fœdere sibi adiungere
satagebat.Itaque aduenientẽ perhuma-
nè lauteq; accepit, non sine admiratio-
ne opum eius:ita vt etiã Sbigneo Brezio
cum sexcẽtis equitibꝰ antecedẽti,regem
in eo comitatu adesse ratus, extra vrbẽ
obuiam prodijsse dicatur. Octo diebus
de fœdere inter consiliarios regum tra-
ctatum est,& eò res propemodum per-
ducta erat, vt Boemus Polono Silesiam
omnem redderet,Polonus illi vicissim
cum quadringentis hastatis equitibus,
quoties opus esset, præstò esset. Sed vel
indigna res visa est Polonis proceribus,
Boemis esse obnoxios,vel certè Ioannes
Smiritius cõsilio & authoritate præstãs
inter Boemos superueniẽs rem infecit.
Dum hæc ita fiunt, nihilo tamen magis
fida pax Polonis fuit à Crucigeris. Ete-
nim cum expedita manu clàm in Maso-
uiam ingressi,Ioannem ducẽ Cirnensiũ
nihil hostile suspicantẽ in prædio quo-
dam, siue apud Zlotoriã arcem, quam
tũc ligneam ædificabat,cæpêre, & equo
impositum, ac subter aluum equi pedes
indignè colligatum, arce incẽsa secum
abduxêre:non multo pòst tamen à rege
de violato fœdere admoniti dimiserũt.
Dimissus,paulo pòst in eam curam dili-
genter incubuit,vt nouum prælatorum
& canonicorum, & item vicariorũ col-
legium in templo & parœcia Varsauiẽ-
si institueretur.Et institutũ id est ab Al-
berto Iastrembecio Posnaniensi episco-
po, cùm Ioannes dux luculentos redi-
tus de bonis suis,ac de decimis à Plocẽsi
episcopo permutatione quadam acqui-
sitis vtrique illi collegio,atq; parœcias
aliquot & quædã alia sacerdotia, sup-
pressis veteribꝰ titulis, addixisset. Anno
à Racianzensi cõuentu circũacto, alter
cõuentus Gneuucouiæ à rege & Cruci-
geris de perficienda pace inchoata habi
tus

Vuladislai cum Venceslao Boemorum rege cõgressus apud Vuratislauiam.

Venceslai regis Boemorũ fortuna.

Marsalci Poloni comitatus.

Acta inter Polonos & Boemos.

Ioannes Masouiorũ dux captus à Crucigeris.

Varsauiæ collegiũ sacerdotum institutum.

Gneuucouiẽsis conuentus cũ Crucigeris.

tus est. Ibi noua res à Crucigeris oblata, negociũ omne infecit. Postulabant ij, vt Rex Pomeraniæ nomen in inscriptionibus & sigillis suis nõ vsurparet, quemadmodũ cum Cazimiro rege multo antè conuenerat. Negabat ille, consiliarijs dissuadentibus. Itaq; Crucigeris Dobrinum non reddentibus infecta pace discessum est. Tametsi extãt in archiuo regio literę Conradi magistri, hoc ipso tẽpore scriptæ: quibus testatũ facit, quinquaginta millia Vngaricorum florenorũ pro Dobrino & Zlotoria sibi numerata esse. Et sanè scribit Dlugossus, non multò pòst bello conflato, primum omnium Dobrinum à Crucigeris oppugnatũ esse. Quo fit, vt conuenisse tunc pacẽ, Dobrinumq; redditum esse Polonis, verius sit. Alterius quidem conuẽtus cum eisdẽ Crucigeris à Vitoudo acti deterior euentus fuit. Nã is cùm ægrè se aduersus potentiam & vim eorũ defenderet, cessit ipsis Samagitia. Detrectabãt quidem Crucigerorum imperiũ Samagitæ, & nocturnis incursionib⁹ atq; insidijs præsidium eorum affligebãt: Vitoudumq; obsecrabant, ne se immanibus Teuthonibus proderet: sed vincebat vtilitatem necessitas. Itaque iussu principis obsides dedêre Crucigeris. Quo facilius verò eos Crucigeri in officio continerẽt, tres arces in Samagitia condidêre. Duas supra Neuazã fluuium, tertiã verò in confluente Nemenis atq; Dubezæ. Profugerat iterum in Prussiã Suitrigello spe totius Lituaniæ per Crucigeros potiundę: sed Podoliã nihilominus præsidijs suis tenebat. Itaq; conuentu Gneuucouiensi soluto, Rex eò profectus, omnem eam cum arcibus in deditionem recepit, ortoà Camenecia ciuitate initio: præfectu ramq; eius oræ Petro Saffranecio Polono mandauit. Ab Alexandro Valachorum palatino, iam inde à duobus annis sibi addicto, & cõsiliarijs eius Camenecia euocatis solenne iusiurandum, ꝙ in fide & clientela sua, reginæ ac filiorũ, & regni Polonici permansuri essent, accepit. Quanquam idem anno superiori Romanus palatin⁹ & ipse fecerat: cuius rei extant monumẽta in archiuo regio vtriusq; diplomata. Vnde credibile fit, inter se de principatu contendisse. At in maiore Polonia Thomas Vẽglesnius castellanus Sendomiriensis & pręfectus maioris Poloniæ, Drahimum arcem ab ijs, qui religiosam militiã D. Ioannis nomine profitẽtur, interceptã, quatriduo expugnauit: eiectoq; præsidio in potesta tem suã redegit. Vitoudus verò pacem nactus à Crucigeris, eodem anno, qui

Pax cum Crucigeris infecta.

Pecunia pro Dobrino numerata à rege.

Samagitia concessa Crucigeris.

Samagitæ detrectãrũt Crucigerorũ dominatum.

Neuaza fl. Dubeza fl. Suitrigello iterum ad Prussos fugit.

Podolia redacta in ditionem Polonorum.

Valachiæ palatini cũ proceribus iurant in verba regis Camenecia.

Drahimum arx recuperata à Polonis.

Moschicum bellum Vitoudi.

fuit 1406. transmisso Vgra flumine primam fecit in Moschos expeditionẽ, siue proferẽdorum finium gratia, siue iniuria prouocatus à genero, duce gẽtis Basilio. Parua & obscura initiò gẽs Russorũ fuêre Moschi, quẽadmodum Primo libro indicauimus: sed iam tũc accessione finitimarum gẽtium, partim successionibus iustis adiunctarum, partim vi vel fraude subactarum, nõ parua incrementa cæperant. Nec tamen elici ad pugnã potuêre. Peruastata igitur longè lateq; eorum regione, Vitoudus præda onustus in Lituaniam redijt. Fuerunt ei expeditionis illi⁹ socij complures de nobilitate Polonica, qui præda hostili magnopere ditati sunt. Maiore is vi postea in id bellum anno vno intermissum incubuit, fretus maioribus Polonorum, quibus Sbigneus Brezius marsalc⁹ præfuit, & Crucigerorum auxilijs: & vsque ad Occam fluuium populabundus peruenit. Quo minus autem fluuium trãsmitteret, Suitrigellonis patruelis armis prohibitus est. Nam is seu leuitate quadam ingenij siue, inuidẽtia stimulatus, Bransco & Starodubo arcibus, quæ in Seueria Vuladislai regis beneficẽtia obtinebat, incẽsis, ad Basilium hostem Vitoudi transfugerat, bonamq; illi nauabat operam, exercitum Vitoudi ex insidijs & iniquis locis lacessendo. Atque hinc potest colligi, Suitrigellonẽ aut nõ ad Crucigeros profugisse paulo ante id tempus, sicuti nos dudũ è Dlugossi sententia narrauimus, aut certè ex formula fœderis cum Vitoudo icti ab eis exactum siue exclusum, cum hostibus eius Moschis sese coniunxisse. Impetrauit tã dem à Vitoudo pacẽ Basilius ęquis conditionibus. Qua constituta Vitoudus properè equos permutando in Lituaniam ad vxorem (vt erat in Venerẽ pronus) contendit. Exercitus verò eius sine imperio & ordine ex Moschouia decedens, cùm per vastata dudum à se & ab ipsis etiã Moschis loca iter faceret, fame afflictus & magnis incõmodis propter cæli intemperiẽ in vliginoso solo affectus, & à Tattaris etiã, quos Moschus vel ut cliẽs patronos in auxiliũ acciuerat, à tergo & ab laterib⁹ incursantibus vehemẽter vexatus est. verũ ij tñ virtute Polonorũ atq; Crucigerorũ pedestri magis q̃ equestri prælio victi pulsiq; sunt. Poloni amissis armis & eqs reuertẽtes, liberalitate regis abũdè recreati. Lituanica historia nullã belli cuiusq̃ à Vitoudo contra Moschos suscepti mentionẽ facit: & q̃dem trans Occã nõ Moschica, sed Rezanensis ditio est, quã à Vitoudo vastatam esse

Vgra fl.

Moschi.

Sbign. Brezius dux copiarum Polonicarum.

Suitrigello Moschis adest contra Vitoudum.

Lituanicus exercitus incommodo affectus.

Moschi cum Tattaris victi.

Rezania à Vitoudo vastata.

esse constat: quæ quamuis nūc Moschorum duci pareat, tūc quidem suum adhuc habebat ducē, Olgum nomine.

De stupro reginæ insimulati.

Per hoc tempus Iacobus Cobilenius gente Grimalius, Nicolaus Chrāstouius Stregomius, & Andreas Tēcinius Toporus de adulterio Annæ reginæ insimulati sunt. Et Chrāstouius quidem solum vertit: Cobilenius verò triēnio in arce Leopoliensi in carcere asseruatus est: Tencinio, quòd minùs suspectus esset, nihil actum. Obiurgatus autem rex à senatu de nimia credulitate, & probro reginæ, iudiciū in delatores instaurauit:

Moscorouius castellanus Visliciensis de mendacio damnatus.

vbi Clemens Moscorouius castellanus Visliciensis & præfectus Cracouiensis delator editus, publicè & solenni ritu dicta sua retractauit, & mendacij se ipse dānauit.

Iudæi Cracouiæ direpti & contrucidati.

Cracouiæ incendium.

Paulò autē antè Cracouiæ vulgò in Iudæos impetu cōcitatæ multitudinis, nequicquam prohibentibus illo ipso Moscorouio præfecto, & Nicolao Lituos procuratore arcis, sæuitum est: direptæ & incēsæ eorum dom⁹: serpsitq; per plateas aliquot etiam in Christianorum tecta incendium. Quin & ædes D. Annæ, circum quam tunc erant Iudæorum domicilia, cōflagrauit: Academiæ domus, quam Collegium maius vocant, ægrè à studiosis iuuenibus defensa. Magnā autem Christiani in Iudæorum pueris, quibus parsum erat, educandis, & Christiana religione imbuendis, curam impēdêre. Adulti quoque, qui cædi superfuêre, pleriq; vltro Christiani facti. Inuidia opum fraude & vsuris quæsitarū, & opibus aucta licētia, ac scelera flagitiaq; impunita, ipsis cladis illius causæ fuêre. Porrò in Lituania post Moschicā illam expeditionem, qua vires Lituanorū vehementer attritæ erant, Crucigeri nullum cupiditati suæ modum statuentes, nouas inimicitiarum atque belli causas quærere, neq; iniurijs abstinere.

Conuentus regis et Magistri Crucigerorum apud Caunanam.

Quibus rebus adduct⁹ rex Vuladislaus, cùm ad pacem quamuis iniquā pronior, quàm ad iustum bellum esset, conuētum cum Vlrico Iuningo magistro Crucigerorū Prussiēsium apud Caunam oppidum egit. Sed nihil æq; à feroci homine, & ex mansuetudine aliena maiores spiritus sumente impetrare potuit: amicè tamē missis vltro citroq; muneribus discessū est, Crucigeris bellum, quod meditatū nondum maturauerāt, dissimulantib⁹. Nec diuturna tamē ea dissimulatio fuit.

Naues Polonicæ cū frumento interceptæ à Crucigeris.

Nam vt reuertit rex in Poloniā, 20. naues frumento onustas è Cuiauiensibus horreis suis secūdo flumine Vistula ad mare misit, vt inde porrò aduerso Nemene in Lituaniam ducerentur, subuēturus genti suæ, inopia ex tenui prouentu frugū tunc laboranti. Eas naues Crucigeri intercepêre.

Polonorum legati ad Magistrum.

Missi ad eos repetitū res legati, Nicolaus Curouius archiepiscopus Gnesnēsis, Nicolaus Michalouî⁹ Sendomiriensis, Ianussius Tuliscouius Calissiensis, & Vincētius Granouius Naclensis castellani, re infecta rediêre, causificantibus & cauillantibus Crucigeris, arma ijs nauibus contra se barbaris supportata esse.

Mercatores Lituani interfecti à Crucigeris.

Mox & alteram iniuriā adiecêre. Etenim Lituanos mercatores apud Ragnetam violarunt, & merces eorum diripuerūt. Hac gemina iniuria irritatus Vitoudus, prior bello persequi Crucigeros adortus, Rumboudū marsalcum clàm cum expeditis copijs in Samagitiam misit: præsidia Crucigerorū, quæ erāt cum Michaele Cochmeistero præfecto siue aduocato nouæ Marchiæ, vel cæpit, vel interfecit, vel eiecit,

Samagitia recepta à Vitoudo.

& Samagitiam omnem iam inde ab initio à Crucigerorum imperio abhorrētem, in suam ditionem redegit.

1409. anni: Crucigerorū legati ad regem.

Venêre deinde anno sequenti, Obornicos ad regem legati Crucigerorum, questum de erepta Samagitia, captisq; & cæsis ibi præsidijs suis: & cùm bello sibi tantā iniuriam vlcisci necesse esset, propterea quòd res repetitæ à Vitoudo non redderētur, quærebant ij à rege, essétne illi opem laturus? Fluctuabat animo Vuladislaus, q̲d faceret: si deesset Vitoudo, Crucigeris eum atq; patriam suam planè prodebat: sin opitularetur, omnem difficilimi belli molem in se & Poloniam, cōmodiorem prædas agentibus & bellantibus, q̄ Samagitia est, attrahebat: & abhorrebat ab eo bello Polonorum animi. Itaq; ad amplissimum consilium atque comitia rem integram reiecit, neque certi quicquam legatis tunc respōdit. At illi elati superbia & impatiētia, & protestati, nō à se, verùm à rege fœdera violari, minabundi discesêre.

Comitia Lēciciæ.

Comitia deinde rex Lenciciæ ad 17. diem Iulij habuit.

Poloni oratores ad Crucigeros.

Inde cùm omnia priùs experiri, quàm ad arma venire, in commune placuisset, tres legati ad Magistrū missi, ijdē qui prius, vltimo excepto. Postulabant hi à Magistro, vt conuētu constituto amicè cum rege de rebus omnibus iniurijs transigeret. Regis enim, non Vitoudi proprium & hæreditarium esse dominatū Lituaniæ.

Magistri Cōradi ferocia.

Excandescere Magister, & moram pati nolle, cōfestimq; arma se Lituaniæ illaturū esse minari. Ibi Archiepiscopus non ferēs Magistri superbiam: Desinas, inquit, nos bello terrere: Si arma contra Lituanos cæperis, vicissim arma nostra domi tuæ senties. Quod dictum in man

datisne

datisne Archiepiscop⁹ à rege acceperit, an bili percitus inconsideratius protulerit, incertum est: optatum quidem certè Magistro accidit. Quocirca statim is subiecit: Bene se rem habere: cũ sententiam regis teneat: caput se potius petiturum, quàm pedes, & culta magis, quàm inculta, agros vberes potius, quã syluas & solitudines. Ita tũc legati impatientia bellũ approperatũ est. Nec mora, dictis facta Magister adiecit. Dimissis enim legatis, ad mediũ Augusti mensis cũ exercitu Dobrinum magna vi oppugnatum cæpit & incẽdit: Polonos qui arcẽ defendebãt, vnà cũ præfecto arcis Iacobo Plominio capitali pœna affecit. Inde Ripinum & Lipnũ oppida primo impetu capta vastauit, magnaq; in oppidanos & agrestes crudelitate debacchat⁹, ne teneræ quidẽ ætati & muliebri sexui pepercit. Inde motis ad Bobrouunicos castris arcẽ oppugnare orsus, in deditionẽ accepit: q̃uis defendi ea diuti⁹, arte, ꝑsidio & cõmeatu munita, potuisset. Quare præfectus arcis Varcisla⁹ Gotartouicius de Lissorum familia fœdũ carcerẽ postea regis decreto ꝑtulit. Cæteri verò equestris ordinis, q in præsidio fuerãt, infamia notati. Tametsi ea infamia Bartholomæus Plomycouius vnus de his anno sequẽti, cùm multa fortis viri opera in ꝑlio Grunualdensi edidisset, sese liberauit. Nunquã tamen postea satis compos rationis fuit, cùm semel dolore infamiæ de statu mentis dimot⁹ esset. Zlotoria deinde acriter oppugnata, post octauũ diẽ in deditionẽ Crucigerorum venit, cùm magna pars defensorum ictu balistarum & bõbardarum interfecta esset: reliqui captiui abducti, cùm de commutatione captiuorum postea cum Vitoudo conuenisset, tamen Crucigerorum perfidia, cùm ij suos recepissent, dimissi nõ sunt. In Bydgostia expugnanda cùm plusculum laboris sentirent, propterea quòd arx ea munitior erat, per proditionem, corrupto præfecti vicario, quem Burgrabium vocant, ea potiti sunt. Quo cognito præfectus arcis Thomas Venglessinius, qui etiã totius maioris Poloniæ præfectus erat, absens magno mœrore confectus, non ita multo pòst vita excessit, & successorem Vincentium Granouium castellanum Naclẽsem accepit. Rex vbi hæc crebris certisque nuncijs accepit, minimè cessandum sibi ratus, expeditionem & ipse toti Poloniæ, Russiæ & Lituaniæ contra Crucigeros indixit: minores Poloni cum Russis ad Volboriam, maiores ad Lenciciam conuenire iussi. Quod vbi factum est, recensito apud Radeouiam exercitu, ad Bydgostiam sub finem Septembris castra admouit, arcemque obsedit. Ibi Magister, cùm retinere se eam posse diffideret, Conradum Olesnicensiũ ducem ad regẽ cum his mandatis misit, vt rex Venceslaum regem Boemorum de Bydgostia, secum pariter arbitrum caperet. Quanquam autem hoc ille agebat, vt apparatum regium eluderet, non abnuebat tamen Vuladislaus, si non modò de Bydgostia, verùm etiã de cuncto Dobrinẽsi tractu, atq; adeò de omni controuersia Magister illum sibi arbitrum ferret. Iã enim hyems appetebat, nec Vitoudus cum Lituanis veniebat, missoq; excusandi sui causa ad regẽ nũcio, inducias suadebat. Dũ cunctatur Magister conditionẽ oblatam à rege accipere, Bydgostia pòst octauum diem à Polonis expugnata, & mox refecta, præsidioq; munita est. Magister ad Suece suos cõuenire iusserat: quod vbi rex cognouit, partẽ copiarum statim eò misit: pulsi dissipatiq; q primi de hostibus conuenerant, & castris exuti. Interea interuenẽre oratores regis Venceslai, Cõradus senior dux Olesnicẽsium, & Ienco Vuratislauiensium ac Suidnicensium præfectus: bellumque, inducijs vtriusque partis consensũ vsque ad vicesimamquartam diem Iunij sequentis anni constitutis diremẽre, vt interea Vẽceslaus de tota controuersia inter dissidentes arbitraretur. Quo nomine senatus regi⁹ vulgo malè audiuit, quasi corruptus à Crucigeris non satis decoras sibi inducias confecisset. Ita tũc ab armis discessum est. Quanquam Sigismundus Coributus frater Vitoudi, cùm nihil adhuc de inducijs compertum haberet, è Lituania excursionem fecit cum Lituanis in Prussiam: ac tribus oppidis hostilibus, plurimisq; pagis direptis & incẽsis magnam prædam reportauit. Quos vt vlciscerentur Crucigeri, qui excusationem ignorantiæ non accipiebant, mense Martio anni sequentis clàm per auias solitudines atque syluas tacito agmine progressi, transmisso Netupa amne, & statione Lituanorum apud Iascrum, prodente eam fumo, oppressa, in Volcouiscos improuisò impetum fecẽre, multosque mortales, qui ad rem diuinam festo die conuenerant, vico incenso, captiuos abduxẽre. Vitoud⁹ verò cũ septẽ milliaribus ab eo loco abesset, ac de aduentu hostium certior fact⁹ esset, raptim in interiores syluas cũ vxore sese abdidit, donec discessisse eos cognouit. Sub initiũ autem huius belli Prussici concilium Pisis in Hetruria apertũ est, extinguendi schis-

Dobrinũ captum & incensum.
Ripinum & Lipnũ oppida direpta.
Sæuitia Crucigerorum.
Bobrouunici dediti.
Varcislaus Gotartouicius proditionis dãnatus cũ alijs compluribus.
Plomycouius virtute infamiã deleuit.
Zlotoria dedita.
Bydgostia prodita.
Vincentius Granouius præfectus maioris Poloniæ.
Polonorũ expeditio cõtrà Crucigeros.
Bydgostia recepta à Polonis.
Prussi apud Suece malè accepti.
Induciæ inter Polonos & Crucigeros.
Venceslao regi Boemorum arbitrium delatũ.
Lituani Prussiam vastarunt, & tria oppida incenderũt.
Lituania vicissim vexata à Crucigeris.
1410. ann.
Netupa fl.
Vitoudus in syluam sese abdidit.
Consilium Pisanum.

schismatis causa, quod supra quadraginta annos, binis, ac interdum ternis de summo pontificatu contendentibus, rempublicam Christianam afflixit. Ad id concilium Petrus Vissus episcopus Cracouiensis profectus est: cæteri verò episcopi Polonici, itemque academia Cracouiensis, collegium Plocensis basilicæ, quæ tunc episcopum non habebat, & abbas Tinecensis legatos misêre. Sed non modò non oppressum, sed auctum etiã ibi schisma est, cùm duobus, nempe Angelo Corrario, qui Gregorius duodecimus, & Petro Lunensi, qui Benedictus tertiusdecimus appellatus est, nequicquam reiectis tertius Petrus Cretensis de sodalitio Franciscano pontifex creatus esset, Alexandri quinti nomen adeptus. Causa reijciendi duos illos fuit, quòd ij, cùm sanctè vterque promisisset se redintegrãdę ecclesiæ gratia abiturum esse pontificatu, vbi id Cardinales postulassent, ludificabantur eos, qui fidem suam secuti erant, ac ne veniebant quidem ad concilium. Secutus est autem Vuladislaus rex concilij authoritatem, cùm superiori tempore Gregorium pro pontifice habuisset. Per idem tempus Praga, ac mox tota Boemia nouis motibus agitari Ioanne Husso, & Hieronymo Pragẽsi authoribus cœpit, vicinasque Morauiã, Silesiam, & Germaniam, ac Poloniam etiam partim pestifero nouæ hæreseos veneno afflauit, partim cædibus & incẽdijs exercuit, & multis magnisq; incommodis vehementer afflixit, ab ambitione & contentione scholastica orto initio: rege Venceslao non modò non cõpescente, sed compendij sui causa alente etiam contentionem, cùm dictaret, anserem (hoc enim Hussi cognomen apud Boemos sonat) aurea sibi oua párere. Ac suppressit quidem vtcunque incendium id oriens Sbinco Archiepiscopus, quoad vixit: sed cùm ipsi Albicus medicus homo auarus successisset, nec multo pòst, emptam Archiepiscopam auariori etiam Conrado Vestfalo vendidisset, atque is muneris sui negligens, pecuniam modò cùm ad propinquos ditandos, tum ad res suas dubias auarè corraderet, ac miserè compararet, diffudit id sese longè lateque, fomentum subministrante dissidio pontificum, & crucis militia, quæ iussu Ioannis vicesimitertij pontificis cõtra Ladislaum regem Neapolitanum per totum orbem Christianum, venia peccatorum omnium proposita, concitabatur. Grauiter enim edictum illud pontificium, ac deinde vitia sacerdotũ Hussus, vt erat disert⁹, secundo populo insectatus est: & hoc quasi gradu facto mox cùm sacrum ordinẽ inuisum vulgò reddidisset, Ioannis Vicleffi Angli hæretici praua dogmata vnà cũ Hieronymo disseminare cœpit. Quorum successu inuitati Iacobellus & Petrus Mysnenses Germani, nonnihil & ipsi de suo ad ea dogmata adiecêre: Inde vires sumente multitudine, ducesq; improbos nacta, coitiones non modò contra magistratũ Pragensem, sed etiam contra regem ipsum vulgò haberi, & res gladijs, non verbis geri, bonisque ecclesiasticis manus admoueri cœptæ: mox omnia summa & ima permixta, iuraq; humana ac diuina euersa, ita vt neq; Venceslaus rex, amissis semel per incuriã & conniuentiam habenis regni, subuenire perditis rebus potuerit: ac ne Sigismũdus quidem frater eius, cùm ei mortuo successisset, quãuis multa consilio pariter & armis contra cõtumaces tentasset. Sed nos ad nostra redeamus. Reuersus à bello Prussico Vuladislaus per maiorẽ Poloniam, apud Nepolomice comitia habuit. His peractis, legatisq; ad Vẽceslaum regem ad tractandum de pace cum Crucigeris designatis, mox Breste Lituanicũ contẽdit, & ibi cum Vitoudo de ratione totius belli gerendi secretò, solo Nicolao Trãba præsente, constituit. Inde in Russiam diuertens, venationibus vacauit, confectamq; bisontium, onagrorũ atq; ceruorum magnam vim, & sale conditam, secundis fluminibus Narua & Vistula Ploscum transmisit. Inde porrò sequentis anni initio per Chelmensem, in Lublinẽsem & Sendomiriensẽ tractum reuectus, nusquam venationes intermisit. Inde cùm eum Hermãnus comes Cilię frater patruelis Annę reginę visisset, ac de congressu cum Sigismũdo Vngarorum rege instituẽdo confecisset, Russia ac Podolia rursus cursim peragrata, post Pascha Sandeciam pariter cum Vitoudo aduenit, quò iam complures proceres iussi conuenerant. Expectabat etiam Kesmarci Sigismũdus. Nec tamen conuenerunt reges. Sed missus à Vuladislao cum nonnullis proceribus Polonis ad Sigismundum Vitoudus de stabiliendis cum eo in reliquos quatuor annos inducijs, q̃ in 16. annos olim pactæ erãt, id responsi accepit: Si Vuladislaus bellum Crucigeris faceret, Sigismundũ eis deesse nõ posse. Etenim Roberto Cęsare per id tempus vita defuncto, aspirabat is ad Romanum imperium, quod & consecutus est. Quamobrẽ gratiam Germanorum principũ, apud quos gratiosi erant

Boemici motum. Husiticæ sectæ initium & incremẽtum. Venceslai regis auaritia. Hus. Episcoporũ auaritiæ. Hussi fauor apud Boemos ex edi- Ambitio et contentio scholastica Rō pontificio. Ioannes Vicleffus hæresiarcha. Comitia Nepolomiciæ. Rex in Lituaniam. Venationes Russicæ. 1410. ann. Hermannus Comes Ciliæ. Vitoudus à rege ad Sigismundum in Vngariã missus. Sigismũdus curfauit Crucigeris. Roberti Cæsaris mors.

Sigismundus rex redēptus à Crucigeris. erant Crucigeri, aucupabatur. Quin ipsi Crucigeri quadraginta millia numûm aureorum ei promiserât, si Polonis bellum indixisset. Cæterùm ad pacē componēdam operam suam regi pollicitus est Sigismundus. Cum Vitoudo autem secretos sermones absq; arbitris habuit, quibus eum ad se allicere, & à fide ac societate Vuladislai, spe regni Lituanici *Sigismundi regis Vngarorum artes.* iniecta auocare conatus est. Verùm Vitoudus dolis Sigismundi intellectis, insalutato eo discessit. Sed intra vnum milliarium consecutus eum Sigismundus, honorificè, magnis donis muneratum, dimisit. Nec celauit is Vuladislaū de Sigismundi cōsilijs atq; artibus: quibus etsi tunc captus non est, postea tamē irretitus fuit, quemadmodum suo loco dicemus. *Monasterium Sandecense.* Condidit autem per hoc tempus Vuladislaus rex Sandecię monasterium Præmonstratensib⁹, quos vocant, monachis, abbatiq; eius curam propinqui prochodocij mandauit. Ad bellum deinde Prussicum summo studio cępit incūbere, spe pacis Crucigerorum improbitate, & iniquitate Venceslai prius quàm moreretur, præcisa. Nam is cū ar*Venceslai regis Boem. arbitriū inter Polonos & Crucigeros.*bitrium inter dissidētes ex compromisso ad se delatū recepisset, vt erat homo nihili, & voluptatibus atq; ebrietati penit⁹ immersus, ne cognita quidē causa, de sententia Iodoci marchiōis Morauiæ ita pronunciauit, vt nullam prorsus neque iustitiæ neq; ęquitatis rationem duceret, & ineptissimè quæ extra controuersiam erāt adiungeret, vt Poloni scilicet non nisi ex Occidentalibus oris regē sibi deinceps peterent Dobrinensem autem tractū, vt ipse vno anno obtineret, atque interim deliberaret, vtri parti eum adiudicaret. Quæ sententia cum Germanica lingua à Scriba recitari inciperet, nostri discessêre, negantes se Germanicæ concioni propter linguę imperitiā interesse velle. *Iodocus marchio Morauiæ infensus Vuladislao regi.* Erat autē Iodocus infensus Vuladislao, propterea quòd is æmulum ipsius Procopiū contra ipsum armis adiuuisset. Desperata igitur æqua pace Vuladislaus, dimissis in oēs partes *Restes.* literis restibus alligatis, quæ ex eo restiū nomen obtinent apud Polonos, expedi*Prussicum bellum.*tionem cunctæ Poloniæ edixit. Ne quid autem absente se, & in Prussicum bellum intento Sigismundus turbaret, *Ioannes Scecociniu o drouanzus. Sciriciensis & Biecensis nobilitas relicta in præsidio contra Vngaros.* quemadmodum præ se ferebat, Ioannem Scecocinium castellanum Lublinensem & præfectū Sandecensem generOdrouanzum cum omni Sciriciensis atque Biecensis oræ nobilitate ad tutādam illam orā ab Vngaris reliquit: Vitoudum & aulicum suum comitatum, vt se ad bellū compararent, dimisit: militem mercenariū cum ductoribus ordinum atq; centurionibus, metādorum *Centuriones & rei militaris periti acciti è Boemia.* castrorum, & instruendarū acierum peritis è Boemis atq; Morauis de sententia Sbignei Brezij marsalci (alijs aduersantibus, & sumptuum magnitudinem, dubiamque & infirmā externorum militū fidem causificantibus) acciuit: cùm Sbigneus diceret, victoribus quidē illis vi*Mercenarij milites externi an vtiles sint.*ctos hostes stipendia pensuros esse: si verò victi fortè essent, pro cæsis captisq; nō fore qui ea peteret: fidelem autem operam eos nauaturos esse in conspectu eorum, apud quos stipendia facerent, dimicantes, & infamiā ignauiæ siue perfidiæ ex disciplina militari metuētes. Misit tamen iterū Vuladislaus legationem ad Sigismūdum regem, eumq; & fœderū, & promissi de tentāda pace inter se & Crucigeros admonuit. Et prolixè quidē ille promisit, ipsum se ad Crucigeros ea de causa profecturū esse: sed mutata sententia Nicolaum Garā Vngariæ, & Sciborium Sciboricium Polonum Trāsyl*Legati Sigismundi ad Crucigeros.*uaniæ palatinos, & Georgiū Kersdorfiū Silesium legatos misit in Prussiam, non tam pacis tractandę, quàm quadraginta milliū florenorū à Crucigeris emungendorum causa. Benigneq; ij legati habiti à Vuladislao, & in Prussiā vsq; eius iussu atq; sumptibus deducti sunt. Nihilo tamen magis remittebat is institutam expeditionem. Erant in aula & ministerio Sigismūdi complures Poloni equestris *Polonorum equitum factum laude dignum.* ordinis, & in his nobiles in primis, Zauissius cognomēto Niger, & Ioannes Farureius Garbouij fratres germani gente Sulimæi, Thomas Calscius Roseus, Albertus Malscius Nalencius, Dobeslaus Puchala Vienauius, Ioānes Broglouius Grimalius, & Scarbicus Gorscius Habdācus, qui propter præclara merita sua non contemnēdas facultates & possessiones in Vngaria beneficentia eius regis adepti erant. Qui omnes vbi regē suum Vuladislaum ad Prussicū bellum proficissi, & Sigismundum ad violandū cum eo fœdus pronum esse senserūt, relictis possessionibus, & ingentibus Sigismūdi pollicitationibus repudiatis, memorabili exemplo Vuladislaum secuti sunt. Nec malè eis postea respondit Vuladislai gratitudo & liberalitas. Proficiscens autem is ad bellū Prussicum, Nicolaum *Archiepiscopus gubernator Poloniæ.* Curouium archiepiscopū Gnesnensem Cracouiæ cum imperio reliquit: & quacunque iter faciebat, profusa in egenos largitione vtebatur. Cùm autem Slu*Slupa oppidum.*piam, quod oppidum episcopi Vuladislauiensis sub Lyssecensi monasterio situ

Memorabile

est, peruenisset, biduo ibi commoratus, diluculo ad ædem sacram ligno crucis Christi celebrem in excelso monte posi tam pedester ascēdebat, nec nisi vesperi ad sumēdum cibum in oppidum descēdebat, cùm totū diem precationi flexis genibus in templo vacasset. Iam induciæ cum Crucigeris expirarant, Poloniq; equites, quos rex de aulico comitatu suo ad præsidiū Inouuladislauiæ, Breste, & Bydgostiæ præmiserat, initium belli fecerant, incensis compluribus pagis in ripa Vistulæ, Magistro Crucigerorum cum legatis Sigismundi non sine pertur batione animi inspectante. Sed furore eius mitigato, legati decem dierum inducias, per quas de pace ageretur, rursus confecerunt. Quæ quidem induciæ, tametsi nihil per eas de pace actum est, tamen ex re nostrorum fuêre, quod nondum copiæ ad constitutum locum conuenerant. Cùm autem eæ apud Ciruenscense monasterium conuenissent, nauali ponte iuncto, qui multo ante ad eū vsum apud Cozinicios saltus paratus erat, Vistulam cum impedimentis, curribus & bombardis transmisêre, & in vlteriore ripa castra posuêre. Eò Vitoudus cum Lituanicis ac Tattaricis copijs aduenit. Neque verò is suos tantùm Lituanicos Tattaros adduxit, sed Zauolgēses siue Transuolganos etiam, quos per hyemem vnà cum liberis & vxoribus eam ob rem sustētarat. Exactis inducijs, cùm ne tentata quidē pax esset, Ioannes Broglouius, quem rex præsidio Bydgostiensi præfecerat, cum non contemnēda suorum manu noctu in Succense territorium ingressus, insidias opportuno loco posuit: ipse verò postridie cū paucis circum arcem & oppidum populabundus hostes elicuit, & simulata fuga in insidias induxit: vbi à fronte & à tergo circūuenti, omnes ad vnum partim cæsi, partim capti sunt. Quo cognito Crucigeri Henricum Plauenium commendatorē Succensem cum præsidio tueri oram illam iusserunt. Venerūt deinde in castra regis legati Sigismundi, & perspecta voluntate regis ad pacem æquis conditionibus componendam inclinata, ad Crucigeros reuerterunt. Fuerunt autem cōditiones à rege editæ, vt Crucigeri Dobrinensem ditionem sibi redderent: Samagitia abstinerent, de damnis verò vt Sigismundus arbitraretur. Nec eas tamē Crucigeri accipiebant, indignum rati, ab hoste armato, ac ditiones suas infestāte cuiusque modi cōditiones accipere: quasi victoriam in manibus haberēt. Cū autem nihil responsi rex ab Vngaricis le

Religio Vuladislai regis.

Poloni vexant Prussiam.

Induciæ.

Vitoudi exercitus.

Polonorum prima de Crucigeris victoria.

Pacis conditiones à Polonis proposi tæ.

gatis acciperet, misit ad eos Petrū Corsbocum equitem, vt de Crucigerorū sen tentia certior fieret. Re in consultationē Crucigerorum à Magistro posita, fremere omnes, & bellum quàm pacē malle: vnus ab omnibus commendator Meuensis comes Vendensis, annis & vsu rerum prudētior, dissentiebat, pacem suadens, & communem esse Martem, dubi umq; euentum belli dictitans. In quem Vernerus Tetinger Elbingensis commendator grauius inuectus: Poteras, inquit, cum istoc animo domi manere, & ægrotorum fratrum curam gerere. At ille: Ego, inquit, quæ recta & vtilia iudico, in medium consulo: sed tamen si his aliter videbitur, ita me Deo propitio gerā, vt genere meo dignū est: Tu vide, ne sis dictis ferocior, quā factis fortior. Intercepit rixam commendatorum Sciborius, pacemq; enixius suadere cœpit. Sed eum quoq; Magister increpuit: Polonus, inquiens, cùm sis Scibori, quæ in rem Polonorum sunt, loqueris. Interea dum hæc fiunt, promouebat castra Vuladislaus, & quodam tempore ex cōposito hostium aduentum nunciari iussit, vt inopinato tumultu negligentiam & securitatem suis excuteret. Cùm autem ad Vucram amnem castra haberet (qui locus Masouiticæ quidē ditionis erat, sed eum tunc Crucigeri datis duci mutuò quinq; millibus marcarum Pragensium hypothecæ nomine obtinebant) ibi Lituani atque Tattari non secus ac in hostes omnem crudelitatem, nulla neque sexus neque ætatis miseratione, exercuêre. Qua de re grauiter reprehensus rex à primoribus Polonorum, cùm se ij cum omni nobilitate Polonica tam impia castra deserturos esse minarētur, captiuos omnes solui iussit, ac dimitti. Motis autem ex eo loco castris, cùm primùm hostium fines attigit, expandit acies in latè patenti planicie, acceptumque manu sua vexillum maximū, (cuius insigne est alba aquila coronata hiante rostro, & extensis alis) explicat, suspiransq; & lachrymabundus sonora voce ita fatur. Deus Opt. Max. non modò factorū atque dictorum, sed & cogitationū omnium cognitor, tu mihi testis es locupletissimus, me inuitum ad hoc bellum cū Christianis qualibus qualibus, Christianis tamē, gerendū descendere, maximis & intolerabilibus Crucigerorum iniurijs prouocatum, & officio meo adductū, vt populos abs te curæ & fidei meæ concreditos de rapacibus & cruentis eorum manibus, et infandis contumelijs vindicem. Tu nosti, consilia pacis me nunquam defugisse,

Crucigeri belli quàm pacis cupidiores.

Meuensis cō mendatoris consilium.

Tetingeri ferocia.

Vucra fl.

Rex à consiliarijs grauiter obiurgatus de Lituanorum ac Tattarorum licētia.

Aquila Polonorum principis insigne.

Vuladislai regis oratio pia.

gisse, & vel iniqua pace iustum bellum redimere cupiuisse, si quem religiosi homines insatiabili cupiditati, & irreligiose superbiæ suæ modum statuere voluissent. Sed quando nihil apud eos mansuetudine & patientia vix priuato homini, nedum principi consentanea, proficio, tuæ iustitiæ fiducia iusta piaque arma sumpsi, tuisque auspicijs vexillū hoc nunc explico. Tu quæso iustiori causæ faueto, & sanguinē Christianorum hominum, qui immaniter hactenus à Crucigeris trucidati sunt, quosque hoc bellum vtrinq; absumet, ab illis, qui bello causam dederunt, expetito. Hæc rex, collachrymante omni exercitu. Idem fecēre deinceps Vitoudus, & Masouij duces, & proceres tam Poloni quàm Lituani. Deinde Poloni abstersis lachrymis, carmen patrium, siue pæana Virgini matri Dei dicatum, cuius authorem diuum Adalbertum episcopū ferunt, cecinēre. His peractis, quæsitus est, cui summa administratio totius belli secundum regē committeretur. Detrectantibus autē tātum onus maximo cum periculo cōiunctum Boemis & Morauis, qui scientia rei militaris præstare in primis videbantur, ad Zindramum Mascouicium ensiferum Cracouiensem, ortum ex ea familia, cuius insigne sol est, munus id defertur. Erat is quidem statura parua, sed ingēti spiritu, & ingenio solertiaq; nō vulgari. Huic adiuncti cōsiliarij, Vitoudus, Cristinus Ostrouius castellanus Cracouiensis, Ioannes Tarnouius Cracouiensis, Sendiuoius Ostrorogus Posnaniensis, Nicolaus Michalouius Sendomiriensis palatini, Nicolaus Tramba præpositus apud S. Floriani & procancellari⁹, Sbigneus Brezius marsalcus, & Petrus Saffranecius magister cubiculi, siue sucamerarius, vt vocant, Cracouiensis. His constitutis, ad Luterbergam hostile oppidum, quod iam nostri succenderāt, castra mota. Ibi res horrenda accidit, ac barbarico duorum Lituanorum supplicio disciplina militaris in exercitu sancita est. Dira ac detestanda scelera Lituani atque Tattari in excursionibus atq; populationibus pagorum nihilominus patrabant, matronas atque virgines constuprabant, infantes dissecabant, templa cum sacris diripiebant, & quodam loco sanctissimum Christi Iesu corpus, quod in templis de more apud Christianos asseruatur, de argenteo ferculo profanè in terram abiecerāt. Id vbi resciuēre nostri, fremere cuncti: & ni plectantur sacrilegi, militiam se deserturos esse populariter minari. Hoc clamore & fremitu

Bogarodiza pæan D. Adalberti.

Zindramus Mascouicius dux belli delectus.

Consilium castrense.

Luterberga oppidum.

Lituanorum impium facinus.

Polonorum pietas.

cōmotus rex, authores sceleris perquiri iussit. Inuenti duo Lituani, Vitoudi iussu ipsi sibi patibulum excitarunt, & suis vterq; manib⁹ barbaro, sed patrio tamen more, sese suspēderunt, obiurgantes sese mutuò, ne sua cunctatione iram principis in se magis accenderent: quasi is atroci⁹ etiam aliquid in eos posset statuere. Nec ferè tale quippiam postea designatum est, territis cunctis duorū supplicio. A Luterberga deinde ad Curetnicum, ꝙ oppidum cum arce superposita ad Rubicouum lacū est, haud procul à Deruancia flumine, castra mota. Vnde cùm pabulatū nōnulli de nostris excurrissent, quinquaginta equos hostiū, qui in flumine adaquabantur, sessoribus deiectis cæpēre: & cùm his reuertentes, eminus conspecti, cùm speciem hostiū aduētantium præbuissent, tumultum in castris conciuēre. Sed mox is resedit, errore cognito. Quod ne deinceps accideret, edictum est publicè regis iussu, ne quis absq; commeatu castris egrederetur, ne ue in castris tuba vteretur, pter vnum regium tubicinem. In mouēdis autem castris hęc ratio instituta, vt ad primum regij tubicinis cantum cuncti sese armarent: ad secundum, equos sternerent & frenarent: ad tertium verò vt Marsalcū cum regio vexillo minore præcedentē compositi suo quisque ordine sequerentur. Omnia deniq; cautius & accuratius fieri cœpta, ꝓpterea quòd haud procul castra habebāt Crucigeri, traiectu fluminis nostros prohibituri, cuius vtramque ripam & alueum densis stipitibus & sudibus præfixis impedierant. Quibus rebus cognitis rex, ne suos in extruendo pōte fatigaret, ac dimicationi objceret, reflexo ad caput amnis per aspera & mōtosa loca itinere, prope Zialdouiam oppidum castra metatus est. Venit eò ad regem Fricius Reptius Silesius cum mandatis legatorum Sigismūdi regis: & quā do frustra de pace apud Crucigeros tentatum esset, bellū Vuladislao Sigismūdi nomine in secreta magistri militiæ & octo consiliariorum audientia, denunciauit. Soli autem regi secretius in aurem insusurrauit, ne quid ea denunciatione terreretur. Quadraginta enim millium aureorum à Crucigeris emungēdorum causa eam factam esse: animauitq; eum, vt ne conferere manus cum Crucigeris, quorum vires longè essent inferiores, reformidaret. Dimissus cum eo responso, quo Vuladislaus Sigismundo extremā pro compluribus maximisq; suis beneficijs ingratitudinem exprobrauit, & vltionem diuinam in caput ei⁹, qui prior

Supplicij sumendi mos apud Lituanos.

Curetnicum oppidum.

Rubicouo lacus.

Druuāza fl.

Tumultus in castris.

Edictum regiū ad disciplinam militarem pertinens.

Zialdouia oppidum.

Sigismūdus rex bellum Polonis indicit.

 fœdus

fœdus rumpebat, imprecatus est. Vbi in castra Crucigerorum rediјt Fricius, certiores eos fecit de castris regijs. Crediderant enim ij Polonos atque Lituanos subito pauore perculsos, fuga dissipatos esse. Nec multo post ab exploratoribus nunciatum est, Polonos Dambrouunū, quod Gilgemburgum Teuthones vocarunt, oppidum frequens & opulentum, & lacu in orbem fere circumfuso, & spisso muro munitum expugnasse, direptūque incendisse, & versus Marieburgum iter intendere. Quo nuncio accepto Crucigeri ira perciti vociferari, indignissimum facinus impunè ab his ditiones suas vexari, quibus ipsi prius Pomeraniam atque Dobrinum eripuissent, & quorum regionem ferro & igni quodā tempore longè lateq; peruastassent: nec ferendum amplius, quin de summa rerum cum Polonis primo quoque tempore decernerent. Itaque in hostem se duci flagitabant. Neq; Magister abnuit. Rex cùm altero quoque die apud Dambrouunum expugnatum statiua habuisset, captiuosque omnes, exceptis Crucigeris religionem professis, benignè relaxasset, prædaq; & commeatu copioso exercitū ditasset, tertia die, hoc est quinta decima mensis Iulij, facto duûm milliarium itinere, inter fruteta & nemora prope Gruneualdum & Tannebricum pagos castra metatus est. Fuerat nox præcedēs tempestatibus inquieta, sed apud Crucigerorum, quàm nostrorū castra longè inquietior, ita vt eorum tentoria disijceret: manè autem validiores venti flare cœperant. Quam ob rem cùm rex non facta re diuina præter morē castra mouisset, apud Gruneualdū demum erecto tētorio rei diuinę vacauit. Interim ei nunciatur ab exploratoribus, alio super alium accurrentibus, hostes adesse. Ad extremum veniens ipse Vitoudus, nunciat hostes in conspectu esse: Ni maturetur, in imparatos impetū daturos. Nec tamen auelli rex ab altaribus, donec sacra peragerentur, potuit. Et fuit sanè res in periculo, si hostes aciebus nostrorum nondum instructis ilico signa intulissent. Sed ne id facerent, diuinitùs, vti creditum est, impediti sunt, veriti, ne quid fraudis & insidiarum nostri nemorum opportunitate occultarēt. Interea cōmodè à Zindramo & Vitoudo acies instructæ: læuum cornu Poloni, dextrū Lituani tenuêre. Quinquaginta fuêre signa Polonica, Lituanica quadraginta. In prima acie robur totius exercitus & veterani milites collocati. Iamq; pugnę signū à rege poscebatur, & singuli bini, terniq; inter duas acies procurrētes cū pari numero hostium manus conserebant: & rex iam peractis sacris armatus in aciem prodibat, imbellemque sacerdotum & scribarum turbam in castris relinquebat, cùm ex hostili acie duo caduceatores progressi, quod mandata ad regem à Magistro ferre se significabant, ad regem deducti sunt. Hortabantur autem ij regem Magistri nomine, ne tam cunctanter & meticulosè pugnā iniret: & quo incunctantius id faceret, duos gladios strictos & cruētos (quemadmodū carmen vulgare de prælio hoc cōpositū, quod in hanc vsq; diē extat, habet) ei & Vitoudo obtulêre, vt vel ijs aduersus Crucigeros vterētur. Ne quam verò angustiarū ad explicādos ordines excusationē necterent, néue inter nemora latitarēt, cōcessurum ipsis esse Magistrum plus campestris spacij. Hæc tam superba mandata dum caduceatores exponunt, interea Crucigericus exercitus, vt fidem dictis eorum præstaret, non modico interuallo retrocessit. Rex (nam Vitoudꝰ aberat Lituanicā aciem obequitans) cōmunicato cū his, quos circa se, quemadmodū diximus, habebat, cōsilio, placidè & modestè caduceatoribus respondit. Quamuis armorum satis habeat in exercitu, accipere se tamen in Dei nomine gladios cōtumeliæ causa ab hoste missos: atq; ita accipere, vt omen victoriæ, quam sibi armorum traditio portēdat. Nunquā se quidem à pace abhorruisse: sed quando bellū mallent Crucigeri, & sanguinē Christianū tantopere sitirent, sperare, māsuetudini suæ & iustiori causæ diuinū auxiliū affuturū, ac de illis cōdignas crudelitatis atq; superbiæ pœnas expetiturū. Omnem autē eam rē vnà cū electione cāpi se diuinæ sapientię & iustitię cōmittere. Accepti gladij, in ęrario regio in hāc vsq; diem asseruātur. Caduceatores autē alter Sigismūdi regis, alter Scecinensium ducis insignia præ se ferebant. Mox Vuladislaus paucis pro tēpore milites adhortatus, excedens ex acie (nam ita visum erat proceribus atq; cōsiliarijs, vt is aliquo loco cū delecta manu, quæ ipsi custodię & præsidij causa attributa erat, extra discrimē prælij consisteret) canere signa iussit, simulq; exercitus omnis alacer patriū pæana cecinit. Editiore loco Crucigeri constiterant: inde cùm duas bombardas dato loco eiaculati essent, nec vllo tamen ferè detrimento nostros affecissent, per decliue cum infestis signis decurrêrunt. Occurrêre & nostri aduenientibus. Commissum vtrinque summa vi prælium ita vt fra-

Dambrouunō oppidum direptum & incensum.

Crucigerorū ferocia.

Rex rei diuinæ vacare solitus.

Signa Polonorum & Lituanorū.

Caduceatores Crucigerorum.

Gladij missi regi à Magistro.

Regis modestum responsum.

Rex excessit ex acie.

Prælium.

vt fragor sonitusque armorum procul exaudiretur. Iamque ad vnius ferme horæ spacium pugna durauerat, & neutro tamen inclinabat victoria, ibi Crucigeri animaduertentes debilius esse dextrū cornu nostrorum, in quo Lituani, Russi atque Tattari, armis, equis & multitudine Polonis aliquanto inferiores, turmatim instructi erant, cùm aliquot alarum subsidijs maiorem in id impetum dedêre, eo consilio, vt eo pulso, totis viribus læuum, in quo pertinacius Poloni dimicabant, adoriretūr. Nec vanus omnino conatus hic fuit. Statim enim res nostrorum in ea parte deteriore loco esse cœpit, Lituanis atque Tattaris sensim pedē referentibus: & ad extremum, cùm ad vnius iugeri spacium tamen vtcunque hostium impetum sustinuissent, in fugam, nequicquam reuocante Vitoudo, effusis. Nec ij sisti vllo modo potuêre, sed perpeti fuga plerique in Lituaniam contendentes, actum esse de vniuerso exercitu renunciarunt. Soli Smolēscij Russi, qui sub tribus signis in eodem cornu constiterant, fœditatem fugæ detestati, eximiæ virtutis laudem meruêre, & vna turma penitus deleta, duæ reliquæ cum Polonis in læuo cornu sese coniunxêre. Alia ibi erat rerum facies: nostri enim acerrimè dimicantes, vexillum regium, cuius signifer fuit Martinus Vurocimouicius vexillifer Cracouiensis, ab hostibus deiectum, summa vi connixi, recuperarunt. Ibique primùm inclinari cœpit hostilis acies. Instabant nostri perturbatis: & commodùm leni pluuia delapsa, puluis, qui longiorem aspectum adimebat, resederat. Affuêre quidē (sed post tempus fermè) ij qui Lituanos à dextro cornu pulsos longius persecuti erāt: & ni confusi iam fuissent suorum ordines, restituissent proculdubio pugnam. Verùm ij quoq; & fatigati, & suorum ꝑturbatione consternati, & sine ordine inuecti, non diu Polonorum impetum sustinuêre. Erat extremum agmen Crucigerorum sub sexdecim signis, quod nōdum prelij fortunam tentauerat, in quo Magister & primores Crucigerorum erant. Id vbi suorum fortunam cognouit, circūduci cœptum, vt ab latere nostros inuaderet. Fortè in ea parte rex cū globo suo & minori vexillo constiterat, euentum pugnæ expectans: ratusq; in se aciem illam dirigi, Sbigneum Olesnicium scribam in aciem ad suos misit, vt cohortes aliquot subsidiarias inde sibi adduceret. Sed is reiectus à Nicolao Kelbassa gente Nalencio, negante id fieri commodè posse, ne speciem fugientiū exhiberent, & hostibus perculsis quidē, sed non deuictis terga obijcerent: retulit, nullum in acie cuiusquam imperiū exaudiri. Ibi rex cùm experiri nihilominus fortunam prælij cuperet, retent⁹ est ab ijs, quorum fidei à toto exercitu commendatus erat: & vexillum minus, ne ex eo ibi esse agnosceretur, occultatum. Interim Lusacius quidam Dipoldus Kikericius miles strenuus, totum corpus armis tectus, ex hostili acie procurrens, regem & ipsum armis insignem infesta hasta petere videbatur. In eum & rex vicissim hastā direxerat: sed Sbigneus Olesnicius inermis cum semifracta hasta precurrens, vt vel suo periculo regium periculū auerteret, ab latere vibrata hasta de equo Dipoldum deiecit: deiectū rex hasta in frontem reuoluta casu casside apertam, ferire satis habuit. Sed regij satellites eum interfecerunt. Præclarum & memorabile nobilis adolescentis facinus: quod rex postea magnis donis & episcopa Cracouiensi remuneratus est, cùm ille sacris initiari cogitās, baltheū militarem abnuisset. Iam nostri totam hostilem aciem, seu quæ initiò contra se constiterat, seu quæ actis in fugam Lituanis posterius accesserat, ingenti strage fractam profligarant, cùm illum fortè cuneum sub sexdecim signis procul aspexêre: & primùm quidem Lituanos esse è fuga reuersos credidêre: deinde cū error Dobeslai Olesnicij opera & audacia discussus esset, signa in eum cuneum à nostris illata sunt, & auctus is erat accessione non modica eorum, qui è profligata acie fuga eò delati erant. Sed eadē ibi fortuna fuit: victi hostes non maximo negocio. Cæsis enim primoribus, qui primi pugnam inierāt, facilè reliqua multitudo, cùm nihil iam spei opisque vsquam cerneret, in fugam acta est. Fugientium terga nostri prementes, eodem impetu castra iunctis carris atq; curribus munita cæperunt, & plurimos ibi mortales ira nihil pensi faciente con trucidarunt, ita vt inde torrens sanguinis longius profluxisse memoretur. Sed vinum id fuit, sanguine cęsorum tinctū. Nam cùm nostri captis castris ad prædā versi essent, & magnam vini copiam, vt in opulentis ac delicatis castris, reperissent, auidius eo se, vt q̨ ęstu ac labore diuturno & vulneribus confecti impensè sitirent, ingurgitare cœperant. Quare ne à continuanda victoria retraherentur, neu immoderatiore potatione morbum contraherent, dissectis regio iussu vasis, vinum inter cæsorum corpora profluens, speciem sanguinis præ-

Lituanorū fuga.

Smolenscioꝝ rum virtus.

Vexillū regium recuperatum.

Rex non permissus pugnam inire.

Sbignei Olesnicij virtus.

Crucigeri victi à Polonis.

Castra capta.

præbuit. Neq; verò longiore fuga multi hostium euasêre. Nam fugientes quoquouersus nostri persecuti ad aliquot milliaria partim ciciderunt, partim captiuos abegerunt. Quodam autem loco palustri aliquot turmæ latitãtes armorum splendore proditæ, abiectis armis pecudum in morem nostris præ se agentibus in castra compulsæ sunt, paucis, qui primùm resistere ausi erant, interfectis. Cæsa feruntur hostium ea die quinquaginta millia, in quibus Magister & commẽdatores omnes, paucis exceptis, fuêre: capta ad quatuordecim millia, vt prodidit Vapouius, signa militaria relata vnum & quinquaginta. Nec id mirum cuiquam videri debet. Nam ad cẽtum quadraginta millia hostium fuisse, autores habeo. Et sanè omnis ferè Germania tunc autoribus Crucigeris in exitium Polonorum conspirauerat. Silesiorum item & Slauorum, siue Pomeranorum, qui ad mare Balticũ & Chersonesum Cymbricam accolunt, duces in consanguineorum ac progenitorum suorum perniciem deuoti, armis Crucigeros virisq́ue iuuerunt. Ex his Conradus Albus Olessnicensis, & Cazimirus Scecinensis, qui soli per se ipsi cum auxilijs affuerant, viui capti: multi item alij insignes & illustres viri: castra opulẽta direpta. Ibi magna vis tædarũ ad incendia Poloniæ, magna catenarum, funium, & compedum ad vinciendos nostros comparatarũ, malo dominorum suorũ reperta. Vlrici Magistri torquem cum cruce aurea gemmis preciosis distincta Msciugus Scrinnius ad regẽ attulit, à gregario milite suo, qui eum interfecit, detractum. Fertur autem à multis, ex vtroque exercitu per omne tempus prælij conspectus esse in aëre vir venerandus pontificali habitu, dimicantes nostros confirmans, hostibus verò terrorem incutiens. Atque is diuus Stanislaus episcopus Cracouiensis fuisse existimatur. Quin & ea nocte, q̃ prælium hoc præcessit, ostẽtum in cælo circa lunam, euentum prælij portẽdens, multis testibus apparuisse memorant. Monachum enim cum rege aliquandiu depugnasse: & ad extremum, monachum victum, ac cælo deturbatum esse. Nec sanè nouum & inusitatum est, futuros maximarum rerum euẽtus ostentis & prodigijs quibusdam, siue cælestium conuersionum efficientia, siue sanctissimarũ mentium, quos Angelos vocamus, siue impurorum dæmonum, caliginosum hũc ac terræ vicinum aërem incolentium ministerio, non sine diuino tamen nutu, editis significari. Et affuit sanè Polonis non obscurè diuinum numen in eo prælio. Nam præter Tattarorum, Russorum, & Lituanorum stragem, quæ non parua fuit, de nobilioribus Polonis perpauci cecidêre: inter quos Iacubouius gente Roseus, & Imbramus Ciulicius gente Ceuinius maximè insignes fuêre. Nonnihil fortasse momenti ad victoriã nostris & Boemi Morauique mercenarij, sed imprudentes, attulêre. Nã ij cum vno vexillo, cuius signifer fuit Ioannes Zarnouius Boemus, siue metu, siue auro Crucigerorum corrupti, sub initium pugnæ secesserant. Conspicatus aũt eos in sylua Nicolaus Tramba procãcellarius, cùm ex acie iussu regis in castra cũ cætera imbelli turba reuerteretur, accurrit ad eos: & grauiter obiurgatos in aciẽ redire cõpulit, in ductorem suum Zarnouium culpam omnem referentes. Qui quidem ita deinceps infamis fuit ac despicatus ob id factum, vt ne vxor quidem coniugali thoro eum dignaretur. Hi ergo reuertentes in aciem, speciem noui exercitus hostibus præbuêre, terroremq́; addidêre. Dum autem nostri post victoriam pertinacius hostes fugientes persequũtur, rex cum impedimẽtis subsecutus, haud lõgè à loco prælij versus Marieburgum fixit tentoria, & ad vesperum suos cum spolijs & magna captiuorũ multitudine reuertẽtes, ingenti lætitia in castra recepit. Ibi defessa totius diei labore, æstu & inedia corpora, cibo potuque, ac deinde somno curata sunt. Quo quidem factum est, vt complures saucij in loco certaminis neglecti, nocturni cæli, & pluuiæ pernoctis intemperie afflicti extinguerentur. Insequenti die sacris in primis Deo solenni pompa peragendis, hymnisq́; iussu regis vacatum est. Hinc cæsorum funeribus cura impensa: collectaque Magistri Vlrici & principum Crucigerorum (inter quos comes Vendensis erat, qui ita, vt prædixerat, fortissimè dimicans occubuerat) corpora, & curribus imposita Marieburgum transmissa sunt à rege, mortẽ hostium simul & humanarum rerum vicissitudinem pijs suspirijs & lachrymis prosequente. Relata deinde ad regem capta signa, & captiui omnes exhibiti, ac secũdum nationes distincti atque descripti. Ac cæteri quidem omnes sponsione militari, vt se ad diem sancti Martini Cracouiæ sisterent, à Sbigneo marsalco, & Petro Saffrancecio succamerario Cracouiensi obligati, iussu regis domos dimissi sunt, dato etiam pro cuiusq; conditione viatico:

Cæsorum et captiuorum numerus. Magister occisus.

Crucigerorũ copiæ.

Olessnicensis & Scecinẽsis duces capti.

D. Stanislaus Polonis dimicantib. adfuit. Ostentum.

Iacubouius & Ciulicius interfecti.

Boemorum secessio.

Nicolaus Tramba.

Zarnouius Boemus infamis. Muliebris virtus.

Regis pietas & humanitas.

tico: Cazimirus verò Scecinensium, & Conradus Olesnicensium duces, Christophorus Kersdorfius Silesius, Venceslaus Duninus Boemus,& quicunque erant de Crucigerorum ordine, in Poloniam missi,per arces asseruandi distribu ti sunt. De duobus modò, Marquardo Salisbachio commendatore Brãdeburgensi,& Sumbergio,nequicquam deprecante rege,à Vitoudo sumptum supplicium:quod ij in colloquio quodã prope Caunnam, matri eius probrum obiecissent,& tunc captiui nihil de fastu suo diminuissent. *Vitoudi ira.*

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER DECIMVSSEPTIMVS.



Imissi autem in Poloniam veredarij cum nuncio victoriæ & literis ad archiepiscopũ,episcopos, ac præsides Academię,& ad senatum Cracouiensem à rege scriptis,celeriter cunctã Poloniam immensa lætitia repleuêre.Quã obrẽ solennes supplicationes apud omnia templa habitæ,diesque iduum Iulij mensis tam insigni victoria memorabilis,quo dimissio,siue diuisio Apostolorum Christi repræsentatur, inter festos relatus.Triduo verò in ijsdem statiuis nostri mansêre non optimo consilio, & contra sententiam eorum, qui magnũ in re militari vsum habebãt,quibus placebat,continuari cursum victoriæ, neq; vllum recolligendi sese spacium dari hostibus.Si mox ad Marieburgũ eatur, aut pars modò exercitus integrior præmittatur,paruo negocio arcem eam capi posse.Ea verò capta, omnes Crucigerorum munitiones in potestatem regis & Polonorum venturas esse.Et sanè ita euenisset. Perpauci.n. eam arcem seruabant,atque ij victis & ad internecionem cæsis suis inopes animi & cõsilij partim de deserenda arce, partim de deditione cogitabant:donec tertio die Hẽrici Plauenij Suecensis commendatoris, qui ad præsidium eius oræ relictus prælio non interfuerat,aduentu confirmati sunt. Adduxit autem is quinque millia hominũ, ex omni vicinia collecta. Porrò legati Sigismũdi regis cùm de clade Crucigerorũ, & nece Magistri Marieburgi cognouissent,acceptis Gdani reliquis viginti millibus florenorum, quæ ibi eis Magister annumerari iusserat, ad regẽ suum reuersi sunt. Acceperãt nostri,qui ad præsidium oræ Pomeranis finitimæ cum Mathia Vansossio gente Toporo, palatino Calissiensi, & præfecto Naclẽsi relicti à rege erãt,nonnihil incommodi à Michaele Cochmeistro aduocato nouæ Marchiæ tertio die ante Grunealdense prælium,cùm in hosticum populabundi excurrissent:eiusque rei culpa in præfecto hæsit, qui nostris acriter cum hoste obuio dimicantibus primus fugam inijt:sed percommodè accidit, quod de ea clade post victoriam demũ in castris regijs cognitum est. Debilitasset enim proculdubio nostrorum animos,si ante conflictum nunciata esset.

Diuisionis Apostolorũ festus dies.

Poloni nesciuere vti victoria.

Henricus Plauenius Marieburgũ præsidio firmauit.

Poloni incõmodo affecti à Crucigeris. Mathias Vãsossius pal. Calissiensis.

Mouit deinde castra rex:& cùm oppida quædam cum arcibus, nempe Hohensteinum,Morangum,Preismarcum,Zirgonum in deditionem accepisset,repertamque copiosam supellectilem Crucigerorum in milites distribuisset, septimis demum castris ad Marieburgũ peruenit,& postridie oppidum expugnauit: parumque abfuit,quin eodem impetu arcem quoque caperet,nostris refugientium è capto oppido terga premẽtibus. Quoniam autem arx amplo & spacioso ambitu est,veriti hostes,ne si vndique ea eodem tempore oppugnaretur,diducti, & rarefacti pauci sufficere defensioni non possent,pontem quo Nogatus, qui Vistulę pars est,iungebatur,exusserunt, vt ab ea duntaxat parte,qua flumen arcem alluit,securi essent. Arx deinde distributo in ternacastra exercitu obsideri à nostris cœpta:quorum vna Poloni in superiori parte,altera Lituani in inferiore,tertia verò inter vtrosque interiecti ad Meridiem Russi & Podolij obtinebant:bombardisque distributis, & nonnullis in templo oppidi, alijs in ea parte vbi pons fuerat, trans flumen collocatis, vtrinque quassata mœnia.

Hoensteinũ, Morangum, Preismarcũ, & Zirgonũ oppida in deditionem accepta. Marieburgũ oppidum captum.

Nogatus fl.

Marieburgensis arx à Polonis obsessa

Dum hæc ita apud Marieburgum geruntur,pleraque omnis nobilitas Prussica,Culmensis,& Pomeranica,cum quatuor episcopis, Culmensi, Varmiensi, Pomesaniensi, & Sambiensi, vltro in pote-

Prussia ferè omnis in deditionem accepta.

potestatem regis venit: arces quoque & oppida in deditionē accepta, in primis Gdanum, Elbinga, Torunia, Chelmum siue Culma, Kynixberga, Suece, Gneua, Tysciouū siue Dersauia, Nouum, Brodnicia, Brādeburgum, Copriuunum siue Engelsberga, Grabinum, Vēceslauum, Golubum, Grudentum, Allenburgum, Osterroda, Nidburgū, Zialdouia, Scythnum, Curētnicum, Brathianum, Coualle, Hamersteinum, Bythouia, Lemburgum, Holandia, Piscaria, Rogoznum, Stuma, & Tucholia. Sed Elbingensium maximè studiū in Polonos enituit: qui Vernerum Tetingerum commendatorem suum, hominem dictis quàm factis ferociorē, ex arce, quò se ex prælio Grunualdensi turpi fuga receperat, eiecerunt, arcemque regi dediderunt. Eam verò rex Ioannis Tarnouij palatini Cracouiensis fidei commendauit: repertaq; ibi centū vasa partim aurea, partim argētea, & bona fide ab eo missa accepit. Nobilitatem verò omnem & oppidanos, cùm in verba ipsius iurasset, suo sibi iure vtrumq; ordinem viuere permisit.

Vrbes Prussicæ.

Elbingensium studiū erga Polonos.

Ex his verò arcibus atq; oppidis Kynixbergam & Holādiam Vitoudo duci, Osterrodam & Nidburgum Ioanni, Zialdouiam & Scythnum Ziemouito, Masouiorum ducibus, Bythouiam verò & Hamersteinum, itemque Sipelbeinum, Fridlandiam, & Balgēburgum, (Falkenborgum fortassis) ac dimidium Slochouię Boguslao Stolpensium duci concessit. Coniunxerat quidem se Boguslaus hic anno superiori cum Crucigeris, prioris pacti cum rege oblitus, verùm pari leuitate ijs desertis, post pugnam Grunualdensem, ad regem in castra venit, & in fide atq; clientela eius Polonorumq; se fore deinceps, suisq; impēdijs contra Crucigeros & quemuis alium hostē intra fines maioris Polonię, extra verò, regis stipendijs perinde atque alij clientes militaturum esse, solenni iureiurando interposito, consignatoque diplomate promisit, Vngaros modò excipiēs, quatenus ij ab ęquis conditionibus pacis nō abhorrerent. Ac de his omnibus etiam subditi ipsius Pomerani, pro ipso fide iusserunt regi. His igitur legibus addixit ei rex ea, quæ modò enumerauimus. Quin & Cazimirum fratris eius filium dimisit, cùm ipse Boguslaus cum suis eiusque subditis de sistendo eo quò rex iuberet, fide iussisset. Ceteras verò arces inter proceres & eqtes Polonos, ne Boemis quidē præteritis, pro meritis cuiusque distribuit. Ciuitati verò Gdanensi dimidium omnium emolumentorum molę farinarię, agrumq; vnius milliarij spacio circum vrbē (exceptis ecclesiasticis & priuatorum hominū peculiaribus bonis, & pratis ad arcem pertinētibus) aliasq; item certas villas, & liberā in mari piscationem per duo milliaria in parte Orientali portus, denique parœciæ primariæ, scholæque, & campanaturarum, vt vocant, conferendarum ius donauit. Reliquæ erant arces Radinensis, Gdanensis, Plochouia, Suecensis Brandeburgensis, Balga, Ragneta, & Troipeda siue Memela, quæ hostium præsidijs tenebantur. Ex his Gdanensis, ne quid aduersi à nostris pateretur, pacto de deditione, cùm primùm Marieburgo rex potitus esset, facienda, sese liberauit.

Largitio regis in Prussia.

Boguslaus Pomeranorū Stolpensium dux cum suis iurat in verba regis Polonorum.

Gdanensi ciuitati donata à rege.

Dū autem cōtinuatur Marieburgi obsidio, quadā die obsessi, cùm negligentius stationes à nostris seruari animaduertissent, cum impetu erupêre: sed mox concurrentibus nostris, non sine strage in arcem compulsi sunt: quos nostri temerè prouecti, vsque ad murum arcis persecuti sunt. Erat is ab ea parte ictu bombardarum labefactus: itaq; facilè eum hostes in nostros incautius succedentes impulerunt, eaq; ruina non paucos oppresserunt: Fuerunt in ea statione ij, qui sub Dobeslai Olesnicij, Cmithæ Visnicij, & Gryphium vexillis militabant.

Incommodū apud Marieburgum è Polonis acceptum.

Petijt deinde, & impetrauit Henricus Plauenius à rege colloquium: adueniēsq; in castra cū fratre & paucis Boemis atq; Silesijs supplicis habitu, ita apud regē verba fecisse perhibetur. Deuicti abs te rex maxime grauissimo prælio, & ad extremum ferè deleti, nihil est quòd vel tua victricia arma incusemus, vel fortunæ succenseamus: penes nos ipsos huius cladis atq; omnium malorum, quæ cumulatè nunc in nos inundarunt, culpa est. Nos iniustè tua appetiuimus, atq; diuexauimus: nos stultè mansuetudinem & patiētiam tuam contempsimus: nos denique te grauiter læsum, & tamē æquissimas pacis leges ferētem superbè aspernati sumus. Itaque iusta diuini numinis vindicta abs te, tuoque inuicto exercitu perculsi & afflicti sumus. Sed iam satis abundè pœnarum tibi Deoque vltori dedimus, non modò exercitibus nostris ad internecionem deletis, verùm etiam ducibus & authoribus horū malorum extinctis. Iam agnito errore & culpa nostra, exiguæ miserorum Crucigerorum reliquiæ ad tuam clementiam confugimus, ne ad extremum nos excindas. Eiusdem est virtutis, rex inclyte, Parcere subiectis & debellare supbos. Nouimus te Christianum principem esse, & clementiæ

Plauenij oratio ad regem.

mentiæ magis atq; bonitatis, quàm fortitudinis laudem expetere. Quanquam quæ fortitudinis laus esse potest, si prostratos atq; iacentes proteras? Ne leones quidē atq; vrsi, id facere dicuntur. Quid tibi seu cōmodi, seu voluptatis nostrū afferet excidium? Multa fateor, in te tuosque Lituanos atq; Polonos peccauimus. Verùm quo maior est culpa nostra, hoc illustrior erit clemētia tua. Neque nos tamē tibi omnē victoriæ fructū eripim⁹, neq; incolumitatē impudenter petim⁹. Pomeraniā, Culmensē & Michalouiēsem tractū, & si quid aliud de Polonis siue bello, siue qua alia ratione q̄siuimus & vsurpauimus, tibi vt habeas, per nos licebit. Prussiam modò, quam olim nostri maiores, dum Masouiam atque Poloniā illo præmio inuitati defendūt, iustis armis & sanguine suo barbaris eripuêre, nobis concedas, per te salutarem Christi Iesu mortem, & sanctissimæ matris eius Mariæ nomen, sub cuius signis nos militamus, rogamus & obsecramus. Maiori tibi tuisq; Polonis & Lituanis vsui posthac fuerimus in extremo illo terræ angulo relicti, quàm ex hisce sedibus nostris penitus eiecti & exterminati. Variè hæc oratio Plauenij à cōsilio regio excepta est. Flexerat enim nonnullos ad misericordiam, humanitatis atq; religionis intuitu, & ipsa æquitate conditionū atq; postulatorum, perpendentes secum fortunæ inconstantiā, & rerum humanarum varietatem: alij verò secundis rebus elati, præsentisque fortunæ cursum proprium ac perpetuū sibi pollicentes, præsertim quòd innata genti Teuthonicę siue magnitudo animi, siue superbia verisimile faciebat, nō nisi ab extrema desperatione tā demissam atque supplicem orationem profectam esse, incumbendum esse perculsis, extirpandumq; penitus ex illis oris germen improbum & insatiabile: ne, quæ tunc necessitate cōcederet, mox resumptis viribus per vim atque fraudem vsitatā repeteret. Et videbatur Marieburgum, vbi tunc summa rerum erat, diuturnam obsidionem tolerare nō posse. Vicitq; hęc in senatu sententia: in quam Sbigneus Brezius marsalcus Plauenio respondere à rege iussus: Accipere eum à victore conditiones pacis, non domo afferre debuisse, dixit: aut si afferret, non ea sanè victoribus eum cōcedere oportere, quæ ipsorū & olim fuissent, & nunc denuò iure belli atq; deditione facta essent: Marieburgum potius, & quæ alia in potestate sua haberet, dederet, ac tunc demū clementiam victoris imploraret.

Consultatio Polonorum.

Responsum Plauenio à rege datum.

Offensus hoc responso Plauenius, cùm aliud instanti nō redderetur: At ego, inquit, æquissimas vobis & vltrò expetendas conditiones attulisse me arbitrabar: Sed quando aliter vobis & regi vestro videtur, Marieburgū cæterasq; munitiones, quas adhuc retinemus Crucigeri, prius quàm ego dedā, extrema quæq; experiar: & respiciet iam nos, vti spero, deinceps magis propitius Deus, quādoquidem irā & offensionē eius ruptione fœderis & superbia nostra contractam, partim suppliciis nostris, & mortibus eorū, qui in hoc bello ceciderunt, partim tam demissa & supplici hac petitione nostra satis, vt opinor, expiauimus. Et cum his dictis, multa Deum rerū omnium arbitrum & inspectorē testatus, in arcem se recepit. Neq; irritę fortassis eæ Plauenij preces Deo acciderūt. Nā ex eo tempore minus prosperæ nostris res esse, retroque relabi cœpêre. Paucis diebus, quib⁹ hæc acta sunt, statio Velunensiū pulsa, bombardæ deiectæ, & alia quædā parua incōmoda accepta. Nec multo pòst Hermannus Liuoniensiū Crucigerorū magister clàm cum quingentis militibus in Prussiam aduenit, occasionem bene gerendæ rei captans: qua quidē non difficulter per fraudē potitus est. Nā vt Rex de aduētu eius cognouit, Vitoudū cum suis, & cū duodecim vexillis Polonorū cōtra eum misit. In quē cum Vitoudus apud Passariā amnē vltra Holandiā oppidum impetū facere vellet, ille ab armis ad dolos cōuersus, colloquio Vitoudi secretò impetrato, persuasit ei, vt suam potius, q̄ Polonorū rem ageret: ac Samagitarū Sudorūq; oras pactis secum & cū Crucigeris ineundis sibi pacaret atque stabiliret. Itaq; eo authore Hermannus cætera manu apud Balgā & Brandeburgum relicta, cū quinquaginta equitibus ad Regē in castra, atq; inde permittente Rege in arcē obsessā, quasi sequester deditionis, vel arbiter pacis peruenit: Plaueniū & obsessos cōfirmauit, cū eos de volūtate Vitoudi certiores fecisset: ac de ratione ꝓsequēdi, si op⁹ sit, belli, & amissa recuperādi cū eis cōstituisset. Quibus peractis, pace infecta discessit. Inde iam auctus animo Plauenius, nullā facere pacis mentionē: à nostris verò factā ita accipere, vt quas ipse prius cōditiones tulerat, abnueret. Vitoud⁹ verò & ipse missionē à rege flagitabat, & eum ad soluendam cœptā obsidionē inducebat. Verū hoc tamē nō ꝑsuasit, illud partim precib⁹, partim odio, multa causificādo, post natalē demū sanctissimę Marię impetrauit. Mox & Masouiorū duces indulgente Re-

Plauenij responsum magnanimum.

Fortuna Polonorū mutata.

Liuoniensis magister Prussiensibus in auxilium venit.

Hermanni magistri callidum consilium.

Vitoudus è castris discessit.

Masouij du-

eis discessere. te Rege discessêre. Interim dum hæc ita fiunt, parœcus Gdanensis senex admodum, quasi molestias obsidionis diutius tolerare non posset, ex arce Marieburgensi, nostris permittentibus, & nihil fraudis subesse suspicantibus, ætatique & sacerdotio honorem habentibus excessit, & inter supellectilem suam triginta millia aureorum numûm duplicium, siue nobiliũ, vt vulgò vocantur, ab Henrico Plauenio accepta secum exportauit: & Gdanensi, Slochouiensi & Suecensi cõmendatoribus, vt ij mercenarium militem inde conducerent, distribuit. Sed lẽtius id erat, quàm vt sustineri posset tam diu obsidio: quæ difficilis iam atque molesta esse Boemis mercenarijs, propter frumenti penuriam dysenteria vulgò afflictis, incipiebat. Itaque ij priuato consilio per Ioannem Socolum Boemum, & ipsum in castris regijs militantem, de arce dedenda cum Rege constituebant, incolumitatem & quadraginta millia florenorum pacti. Sed re ad senatum relata, turpe visum nostris, auro & proditione hostilium munitionum potiri victores dudum, & ferrum in manibus habentes. Ita reiecti Boemi. Falso deinde rumore in castris regijs percrebuit, Sigismundum Cæsarem cum valido exercitu in Poloniã inuasisse. Quo commoti nostri missionem à rege flagitabant: & suadebant id Regi complures proceres, in primis autem Andreas Tencinius castellanus Voinicienſis, non ferens pulchræ & iuuenculæ vxoris, quemadmodum Dlugossus memorat, desiderium. At verò primores nobilitatis ciuitatumque Prussicarum & Pomeranicarũ, quæ post victoriam Gruneualdensem ad regem defecerant, sedulò dissuadebant, ac ne præcipuum illius victoriæ fructum Marieburgi expugnationem omitteret, orabant. Ni faceret, omnia mox rursus Crucigerorum fore, quæ in potestatem eius dudum venissent: excusantiq; regi inopiam pecuniæ in stipendium, suadebant vt tributum sibi imperaret. Cùm ille in nouo imperio, nouis dedititijs oneri esse nollet, fuêre qui suaderent, vt arces atque oppida earum regionũ mercenarijs militib⁹ debiti stipẽdij nomine pignori daret. Ne id quidem probauit, veritus ne milites illi ciuibus graues essent, neu qua siue ab his, siue ab illis proditio fieret. Itaque repudiatis salutarib⁹ consilijs, quorum autor præcipuus erat Nicolaus Tramba procancellarius, non modò verbis, sed etiam lachrymis suadens, nequaquam cœpto desistendum esse, ad tertium decimum Calendas Octobris incensis statiuis, & mediocri auxiliorum comitum præsidio cũ Andrea Brochocio gente Ossorio, Stumæ ad infestandam oram Marieburgensem relicto, ab obsidione discessum est. Iucundum id fuit spectaculum obsessis: qui eò iam inopiæ redacti erant, vt vix pauculos dies Henricus Plauenius ab eis impetrauerit, ne sese arcemque regi dederẽt: quod diceret exploratum se habere, soluturos esse obsidionem Polonos. Ni facerẽt ante quintumdecimum diẽ, tunc demum milites arbitratu suo arcem dederent. Quo minus autem lætus discess⁹ ille discedentibus nostris esset, non maxima res effecit: nempe quod equus regius, qui dudum alacriter hinniens, terramque scalpens vngula adstiterat, dũ rex eum abiturus conscendit, subitò exanimatus concidit. Quæ res mali ominis vulgò est habita. Discedens autẽ rex, Radinum arcem permunitam, in qua obsidenda & oppugnanda pars exercitus à prælio Gruneualdensi frustra tempus triuerat, in deditionem accepit, cũ iam eam milites facto impetu portaque effracta fere cæpissent. Quindecim ibi Crucigeri insignes reperti, & in Poloniam captiui abducti sunt: reliqua multitudo nihil aduersi passa. Arx Ioannis Socoli Boemi fidei commendata. Eoque mox Toruniæ, quò regem secutus erat, veneno à ciue quodam Torunensi extincto, Dobeslao Puchalæ & Alberto Malscio pariter rex custodiam ei⁹ mandauit. Socoli verò paruos filios propter merita patris honestẽ & liberaliter educari Cracouiæ iussit. Non cessabat interim Henricus Plauenius, qui iam Magister Crucigerorum factus erat: sed vndique cõtrahebat exercitum, acceptis mutuò in stipendium centum millibus florenorum à ciuitate Gdanensi, quæ iam rursus in fidem Crucigerorum inclinauerat: totidemq;, & insuper quindecim millibus à Venceslao rege Boemorum, cùm ei bona Chomentouiensia, quæ ordo Crucigerorũ in Boemia habebat hypothecæ nomine tradidisset. Et quæ prima manus è vicinioribus oris conuenerat, ea Michaële Cochmeistro, aduocato nouæ Marchiæ, duce Tucholiã arcẽ obsedit. Nam oppidani primo aduentu hostium deditionem fecerũt. Nessouiæ tunc rex erat, cùm hæc ad eum perlata sunt. Neque is expediebat, quomodo cũ his, tum alijs suis, qui similem fortunã ab hostib⁹ expectabant, succurreret, vastationemq; ditionis suæ prohiberet. Centũ modò vel paulo plures hastatos de aulico suo comitatu, & ipsos necessariam

Parœci Gdanensis fraus. *Aurei nobiles siue duplices.* *Proditio refutata à Polonis.* *Andreæ Tẽcinij consilium.* *Prussorum fidele consilium, & studium erga regem.* *Nicolai Trãbæ consilia.* *Obsidio Ma-* *rieburgensis soluta.* *Andreas Brochocius.* *Omen infaustum.* *Radinũ per deditionem accepium.* *Socoli liberi regis impendijs educati.* *Henricus Plauenius Magister Crucigerorum creatus.* *Gdanenses ad partes Crucigerorum sese rursus inclinãt.* *Tucholia arx obsessa à Crucigeris.* *Aulici equites in præsidium missi.*

tiam missionē flagitantes, precibus promissisq; adduxit, vt cum suis quisq; ministris, quibus merebat, Tucholiā præsidij causa proficisceretur: quibus Petrus Miezuuecius gente Stariconius, præfectus est. Opportunè autem Sendiuoius Ostrorogus palatinus Posnaniensis, & Dobrogostius Samotulius castellanus cum suis cohortibus & nōnullis maioribus Polonis, & Martinus Labissinius palatinus Brestensis è vicinia cū his sese coniunxêre. Atque hæc manus omnis, seu quòd aditu Tucholiæ interclusa esset, seu qua alia de causa Coronouiæ (quod oppidū neq; arte, neq; natura munitum haud longè abest à Tucholia) substitit. Cuiauiensem verò atq; Dobrinens. nobilitatē rex Brodniciæ, Breste, Ripini & Nacli in præsidijs esse iussit, ad tuendas eas munitiones, arcendasq; hostium excursiones. Ipse Inouuladislauiæ cū exiguo comitatu mansit: & quidē damnās consiliū suum desoluta obsidione Marieburgi, dimissoq; exercitu, cū alia super alia aduersa ipsi renunciarētur. Nā & Osterroda, Nideburgum, Zialdouia arces per eos dies ab hostibus receptæ sunt, & Stanislaus Charbinouius Sulimeus, ac Nicola9 Synouetz Stariconius, cùm de prǽsidio Coronouiensi decessissent, aduenientes perterruerāt regem, quod dicerent præsidium in magno esse periculo. Erant enim in propinquo iam satis magnæ vires hostium cum Michaele Cochmeistro. Atque ij quidem, vt de aduētu & paucitate nostrorum cognouerunt, paucis ad obsidionē Tucholiæ relictis, raptim tanquam ad certam prędam Coronouiam contenderūt, vt nostros nec opinantes opprimerent. Et sanè aspirare initiò conatibus eorum fortuna visa, tamen non ad extremum vsq; respōdit. Etenim cùm exploratores Polonos incautius progressos excepissent, & ex his callidè & constāter omnia eleuantibus, exiguam modò promiscuæ & imperitæ multitudinis manum Coronouiæ coaceruatam esse didicissent, cōtemptim, turbatisq; ordinibus ex equis delapsi, latrocinantium in morem impetum fecêre in oppidū. Nostri vbi adesse hostem sensêre (& fortè tunc prandebant) tumultuariè correptis armis ad monasterium in crepidine mōtis supra Berdam amnem situm intrepidè sese recollegêre, celeriterq; aciem instruxêre. Quod cū præter expectationem hostib9 accidisset, curriculo ij sese ad equos suos recepêre, atque his conscensis retrocessêre: idq; siue re inopinata perculsi, siue certo consilio, vt equites nostros à pedi-

Petrus Miezuuecius.

Sendiuoius Ostrorogus, Dobrogostius Samotulius, & Martinus Labissinius, voluntarij militarunt.

Coronouia oppidum.

Cuiauiensis ac Dobrinēsis nobilitas in præsidia distributa.

Osterroda, Nideburgū & Zialdouia arces à Crucigeris receptæ. Stanislaus Charbinoui9 & Nicolaus Sinouetz.

Berda flu.

tum auxilio longius abducerent. Et sanè impigrè Poloni equites pugnæ auidi, recedentibus institêre, audaciùs adequitando, iaculando, & cominus etiam feriendo, remorantes agmen, donec pedites consequerētur. Vbi ad Lanscum, qui pagus monachorum Coronouiensium est, vno ab oppido milliario, non sine multis hostium vulneribus peruentum est, substitêre Teuthones in colle quodam editiori, & raptim ordines instruxêre. Ne Poloni quidem pugnandi moram fecêre. Erant enim vtrinque milites & numero, & virtute, & scientia rei militaris ferè pares. Sed erat ascensus ad hostem ab ea parte qua Poloni constiterant, arduus atque difficilis. Itaque ne simul cum hoste & cum iniquitate loci dimicarent, circumuecti, leniori & accliuiori ascensu aciem aduersus collem erexerunt. Prius verò quàm signa canerent, Conradus Nemcius Silesius, de cohorte regis Sigismundi ex hostili agmine eques in medium procurrit, aliquem de Polonis ad singulare certamen prouocans. Incunctanter sese ipsi Ioannes Scycius, gente Doliuius obtulit. Concursum infestis hastis: victus atque captus à Polono Silesius, non leue de euētu vniuersi prælij omen atque præiudicium suis vterque attulit. Confestimq; sublato vtrinq; clamore signa collata. Aliquandiu pugna dubia fuit, nemine ex eo loco, quo primùm constiterat, referente pedem. Itaque defatigatis militibus, quasi ex composito pugna vtrinq; intermissa, diuersi paulum retrocedunt, saucios summouent, vulnera alligant, commutant captiuos, sudorem sibi quisque ociosè abstergunt. Quin & pocula inter se misisse memorantur, ita vt colludētium, non infestis odijs concurrentium agmina videri potuerint. Vbi aliquantisper respiratum est, signo dato redintegrant prælium, nō minore quàm prius pertinacia. Vulnerantur & cadunt vtrinque multi: nec tamē in alterutram partem inclinat victoria. Rursus ergo consensu quodam mutuo cessatur, & respiratur. Refocillatisque, sicuti prius, viribus, tertiò concurritur, obstinatis vtrinque ad vincendum, vel moriendum animis. Ibi Ioannes Ostrouicius cognomento Nassianus, gente Toporus, adacto equo vexilliferum hostilem obtruncat, vexillumque, quo vno totus eorum exercitus (itidem atque noster) vtebatur, abripit. Qua re tandem hostium acies perturbari, ac deteriore loco esse cœpit. Institêre nostri acrius trepidantibus, Ibi verò

Singulare certamen. Scytsci.

Prælium apud Coronouiā.

Pugnæ inter missio semel atque iterū.

Crucigeri vincuntur à Polonis.

verò illi metu pudorem superāte auersi fugam capessunt. Premunt fugientiū terga nostri: nox tandem persequendi finem fecit. Cæsa feruntur eo prælio hostium ad octo millia. Captorum numerus non memoratur: non exiguus tamē fuit. Insignior hæc victoria superiore illa Gruneualdensi habita est, propterea quòd maiore contentione & labore parta est, & quòd ita ea vires atq; animi Crucigerorum fracti sunt, vt per multos annos pòstea nunquā auderent rem vniuersæ dimicationi cōmittere. Parta est autem decima die Octobris. Sequēti die spolia à nostris lecta, humatiq; qui ceciderant. Deinde motis castris Bydgostiæ prædam inter se partiti, Inouuladislauiam ad regem cum lōgo captiuorū ordine peruenēre. Ibi omnibus à rege gratiæ actæ: cōpluribus, quorū illustriora merita esse cōstabat, perampla munera data sunt. Captiuis verò lautè instructa cœna: qua peracta, sermonē apud eos rex de Crucigerorum superbia & iniustitia, ac de sua māsuetudine & æquitate habuit: illosq;, quòd iniquiori causæ fauissent, clementer obiurgauit. Deinde benignè consolatos, & militari sponsione vt sese certo loco ad præstitutā diem sisterent, obligatos omnes dimisit: excepto Michaele Cochmeistro duce exercitus, quem aliquandiu postea in arce Chencinēsi in vinculis habuit. Nihil tamen consternati animis ex ea clade ij, q̄ ad obsidionē Tucholiæ relicti erant, dolo etiam locum ex ea inuenêre. Subornatis enim transfugis Polonis, & qui inter ipsos Polonicæ linguæ gnari erant, & pro captiuis eos ostentantes, magna strage se deuicisse nostros apud Corono uiam illis testificantibꝰ mentiti, persuaserunt Ioanni Broglouio præfecto arcis atq; præsidij, vt arcem sibi dederet. Augebatur autē indies Crucigerorū exercitus nouo milite mercenario, & à Tucholia in Poloniā excursionē facturus esse videbatur. Id ne accideret, celeri cōsilio prouidendum sibi esse rex Vuladislaus existimauit. Quocirca nouam expeditionem Poloniæ, excepta ea, quæ minoris nomine censetur, atq; Russia, indixit. Nec segniter ea manus Bydgostiam, vt à rege imperatum erat, conuenit. Inde porrò eam cum cohorte regia coadunatam Petrus Saffranecius succamerarius Cracouiensis sub signis duodecim ad Tucholiā duxit. Præmissisque sexcentis balistarijs, qui prædas agendo, vastandoq; subiectam Tucholiæ oram, hostem elicerēt, ipse cum reliquo exercitu opportuno loco in insidijs substitit.

Humanitas regis erga captiuos.

Mich. Cochmeister captus.

Tucholia dedita Crucigeris.

Noua expeditio in Prussiam.

Petr. Saffranecius dux exercitus.

Simulatq; conspexêre equitatū Polonicum per agros palantem hostes, cōtempta eius paucitate, cùm pertinacꝰ eum fugam simulantem insecuti essent, in paratas insidias præcipitati sunt. Quas cū maturè animaduertissent, pedē retulêre. Ibi nostri tardius, q̄ res postularat, signo dato, pauciores aduersus plures coorti ex insidijs, vsq; ad portas oppidi fugientes persecuti sunt: & quoniā agilioribus equis vtebantur, multos ex illis partim interfecêre, partim viuos cępêre, & castris hostium, quę ante oppidū posita erant, vacuis potiti sunt. Nō pauci oppido, ne nostri simul irrūperēt, exclusi, inconsideratè in vndas sese præcipitantes, mersi sunt. Fuêre inter captiuos insignes quinque ductores ordinum, tres Boemi, vnus Silesius, & vnus Lusacius. Porrò Ioannes dux Monsterbergensis, & Eberardus episcopus Virceburgensis, qui & ipsi voluntarij in castris Crucigerorum militabant, fuga euaserunt. Quod si maturius nostri ex insidijs consurrexissent, creditum est, & oppido & arce eos potiri potuisse. Sed siue imperitia, siue insidias & ipse metuens Saffranecius, tardius signum dederat. His ad vicesimam octauam diem Octobris gestis, captiuisque ad regem missis, exercitus omnis, præter aulicam cohortem, mox iniussu regio domos dilapsus est, propter tempus anni, cuiuis rei magis, quàm bello gerendo, commodum. Captiuos rex, accepta ab eis, itidem atque ab alijs prius, sponsione, dimisit. His verò cladibus permotꝰ Plauenius magister Crucigerorum, non ausus denuò fortunā aduersus regē tentare, in interiorem Prussiā reliquias profligati exercitꝰ deduxit: & Stumam arcem aliquandiu obsessam, in deditionem accepit, nostris, qui in prę sidio eius arcis erant, propter incēdium turris, in qua tormenta & pulueres bellici fuerant, longiorem obsidionem ferre non valentibus, & vt sibi saluis rebus suis abire liceret, pactis. Eam deditionē Morangi quoque deditio secuta est. Inde ad Radinū castra mota, circumsessaque ea arx sex septimanis. Sed cùm in spē Toruniæ Gdaniq; per deditionem recipiendi Magister venisset, soluta obsidione, saucijsque, quorum non exiguus erat numerus, cum præsidio in oppido Radino relictis, ad recipiendas eas vrbes profectus est. Quo discedente, Poloni accitis celeriter his, qui erant in prę sidio Brodniciæ, impetum fecêre in oppidum: expugnatumq; paruo negocio, diripuêre & incendêre. Nō parum autē & ibi nostros fortuna iuuit. Erat in porta op-

Crucigeri rursus profligati à Polonis.

Monsterbergensis ducis fuga.

Stuma per deditionem recepta à Crucigeris.

Morangum deditum.

Radinū arx obsessa, nec expugnata.

Radinum oppidum receptum & incensum à Polonis.

ta oppidi, quę ad arcem spectat, sita bombarda. Ea, cùm hostes cõferti aperta porta in nostros fortè erupissent, à sacerdote quodam temerè succensa, non modicam in suis stragem edidit, de nostris tres modò extinxit. Quo factum est, vt illi perculsi, dolumque subesse rati, abiectis armis viui ferè in potestatem nostrorum venirent. Temperatum est autem à cæde supplicium. Porrò Torunenses & Gdanenses ciues aduentante Magistro cum exercitu, miserunt ad regem, vt sibi celeriter opē ferret, quòd ipsi per se oppida sua defendere nō possent. Sed cùm præter opinionem eorum accidisset, vt rex tempori se illis affuturum esse promitteret, nec mora eò contenderet, rursus ei legationē obuiā misêre Gneuucouiam: Se iam necessitate adactos, deditionem cum Magistro pactos esse. Itaque rex dimissis contra sententiam multorum legatis saluis, quòd diceret testatum se cunctis facere velle, non suam illis, sed sibi illorum fidem defuisse, Inouuladislauiam se recepit. Magister acceptis in deditionem Torunia & Gdano oppidis, arcem Torunensem nequicquam oppugnauit. Nam ea strenuè à pręsidio regio defensa est. Rex Gnesnam ad sepulchrum diui Adalberti, & Posnaniam ad ædem sanctissimi corporis Christi, votorum, quæ antè prælium Gruneualdense nuncuparat, exoluendorum causa profectus, equestrem ordinem totius illius tractus denuò ad expeditionem in Pomeraniam exciuit: eaq; manus ductu Sendiuoij Ostrorogij palatini Posnaniensis Nouum oppidum vi cæpit & exussit: Pomeraniamque omnem, omissa arcium & oppidorum oppugnatione, longè lateque ferro & igni vastauit. Dum hæc ita geruntur in Prussia & Pomerania, interea Sigismūdus rex Vngarorum, vt Vuladislaum à Crucigerico bello auerteret, promissisque, ob quę quadraginta millia florenorum à Crucigeris acceperat, satisfaceret, Sciborium Transyluaniensem palatinum cum duodecim vexillis Boemorum, Morauorum, & Austriorum (nam Vngari fœdera sibi cum Polonis constare causati sunt) misit ad vastandam submontanā Poloniam, cùm iam nostri, qui ad præsidium eius oræ relicti à rege erant, hyeme ingruente domos dilapsi essent. Sed celeriter tamen ij ad primum nuncium concurrentes, hostem præda ex agro Sãdecensi capta grauem, abeuntem persecuti sunt, & non procul à Bartfa siue Bardeouia adepti, magnoque impetu adorti, profligarūt. Maior pars hostilis exercitus vel cæsa, vel capta à longè paucioribꝰ nostris. Quanquam ne nostris quidē incruenta fuit victoria. Iamq; ad fugam spectare cœperant, nisi Bohunek, Caspar, & Dalibor ductores ordinū, fugam inhibuissent, præliumq; restituissent. Fuerunt autem clari maximè in Polonico exercitu, Sciborius Agriensis episcopus cū fratre, exules Vngari, Spitco Iaroslauius, Ioannes Sciecocinius castellanꝰ Lublinensis, & Ioannes Valachus Chmeliciꝰ. Et vastauit ea manus deinceps repetitis excursionibus finitimā Polonis Vngariam. Hęc de nouo ex Vngaria illato bello vbi ad regē Inouuladislauiam reuersum perlata sunt, veritus ne quo grauiori incommodo Sigismundus Poloniā se absente afficeret, simul autem quòd permolesta & perdifficilis erat viris eqs quę hyberna militia, mittit ad Magistrū de inducijs. Constituta colloquio dies Racianzi in Cuiauia ad octauam diem Decembris. Interea verò nostri penultima Nouēbris memorabili rursus victoria de Liuonibus potiti sunt. Hermannꝰ Magister Liuoniēsium Crucigerorum non contemnendas copias militū è Germania & Boemia in Prussiam adduxerat: ijsque apud Golubū relictis, ipse cū paucis equitibus Marieburgum, vt de ratione belli cum Prussienſibꝰ Crucigeris consultaret, profectus erat. Id cùm comperissent nostri, qui Ripini & Bobrouunicis in præsidijs erant, ausi facinus audax, ductore Dobeslao Puchala, ad hostem viris armisque longè superiorem contendêre: insidijsq; apto loco dispositis, pauci per agros palantes, & prædas agentes, sub Golubo sese ostendêre. Quos hostes correptis armis auidius persecuti, locum insidiarum incautè prætereuecti sunt. Ibi consurgens Puchala cum toto agmine à tergo eos adortus, prætteritos & incompositè fugientes vsque ad oppidum insecutus est. Oppidani, vbi id animaduertêre, veriti ne patentibus portis nostri permixti suis fugientibus pariter in oppidum irrumperent, portas clauserūt. Ita exclusi oppido hostes, cùm cæderentur passim in medio, proiectis armis supplices nostris sese dediderunt: & quadruplo maior numerus captiuorum, quàm eorum qui eos cæperat, fuisse proditur. Verùm illi re inopinata perculsi, alium longè maiorem exercitum nostrorum in syluis latuisse credideran. Ripinum tandem captiui cùm appulsi essent, ingēti cum dolore ac pudore errorem suum cognouerunt. Inde porrò Breste ad regem trāsmissi, sub militari sponsione omnes dimissi sunt,

Torunēses et Gdanēses ad Crucigeros defecēre.

Torunensis arx defensa.

Nouum oppidum captū à Polonis et incensum. Pomerania vastata.

Sigismundus rex Poloniæ fines circum Sandeciā populatus est. Vngari noluerunt arma sumere cum rege suo contra Polonos.

Bartfa, siue Bardeouia.

Sigismundi copiæ profligatæ à Polonis.

Vngariæ fines vastati à Polonis.

Crucigerorum exercitus victus à Polonis.

Dobeslaus Puchala.

Captiuorum multitudo.

Curouiensibus modò, quòd fidei tenaces non essent, & ijs qui religionem professi erant, retentis. Conuentus deinde inter regem & Crucigeros habitus: verùm in eo tamen de inducijs non conuenit. Posterius autem eæ menstruæ tantùm per Petrum Saffranecium confectæ sunt. Quibus durantibus rex properè in Poloniam excurrit, & apud Radossice oppidum cum regina congressus, excitisque denuò ad expeditionem cunctis Polonis ad integrandum cum Crucigeris bellum post noui anni initium reuertit. Vitoudus quoque cum Lituanicis auxilijs Vuladislauiam ad eum venit, eiusque consilium de circumuallanda Torunia, vbi Magister & primores Crucigerorum erant, spe pacis iniecta, mutauit: persuasitq; vt in sylua quadam castra haberet. Interea de pace in insula Torunensi agi cœptum. Fortè accidit, vt induciæ expirarent, & consensu mutuo in longius tēpus prorogarentur. Sed eius rei ignarus Ioannes Broglouius præfectus Bygostiensis præsidij, cùm permagnum numerum equorum hostilium apud Pappouiam esse didicisset, traiecta cum quadraginta modò equitibus Vistula, & facto impetu ex improuiso in antemurale Pappouiēse, equos ibi stabulantes abegit, & antemurale incendit. Qua re Toruniam subitò nunciata, emissi sunt non pauci equites, qui eum persequerentur. Hoc animaduerso Broglouius, cæteris cum equis captiuis præcedere ac tranare Vistulam iussis, ipse cum duodecim modò equitibus persequentes se hostes sustinuit, non ausos sensim cedentem pertinacius sequi metu insidiarum. Recept⁹ deinde in naues paratas, nullo accepto incommodo flumen traiecit. Pax deinde victoribus quàm victis iniquior, instante maximè Vitoudo, proceribus verò Polonis regi dissuadere non ausis, confecta est: cuius hæc potissima fuēre capita, vt Samagitiam Vitoudo & regi, quoad ij viuerent, Crucigeri concederent, ducentaq; millia florenorum Pragensis pecuniæ intra annū vertentē trib⁹ pensionibus numerarent: Ziemouito autē Masouiorum duci Zauucrēse territoriū redderent: Rex Crucigeris, quæ de ipsis bello ceperat, remitteret: Dobrinum sibi haberet: captiui omnes inuicem vti dimitterentur: de Dreno & Santoco, & alijs controuersijs, seni viri vtrinque delecti arbitrarentur. Quòd si inter eos non conueniret, Pontificis maximi arbitrio staretur. Complexi sunt autem hoc fœdere rex quidē duces Stolpensium & Masouiorum: Magister verò Sigismundum regem Vngarorum, si is vellet: interim autem, dum de eo non constat, ne ei Polonus bellum faceret. Hæc tam iniqua nostris pax, stipulatione vtrinque interposita, cùm Magister Henricus in castra regis venisset, firmata est, & mox captiui omnes sponsione soluti. Munera deinde inter principes vltrò citroq; missa. Vitoudo autem ibi rex, inconsulto senatu Polonico Podoliæ dominatum, amoto à pfectura Petro Vulodico Charbinouio, vtendum fruendum concessit, non sine magno Polonorum incommodo. Dimissoque deinde exercitu in Poloniam redijt: nec diu ibi moratus, in Russiam contendit, cum Alexandro palatino Valachorum, iam prius fœderato & cliente suo nouam contra Sigismundum regem Vngarorum societatem inijt, Sniatinumque & Colomeiam, & omnem tractum Pocuciensem ipsi oppigneraui t, acceptis ab eo mutuis mille rublis, siue ciclis argenti. Eodemque anno Stephanus, cùm Alexandro siue extincto, siue pulso in principatu successisset, missis à regem quatuor oratoribus, in fide & clientela ipsius itidem vt maiores sui fuissent, se fore, & vbi accitus ab eo fuerit, venturum, solenneque iusiurandum daturum, neque repetiturum vnquam Pocuce, sed præsentem cum præsenti rege arbitratu ipsius de eo transactum esse promisit. Quod quidem literarum monumentis, quæ in archiuo extant, satis constat. Vnde sanè colligitur, Pocuce vel non fuisse traditum Alexandro, vel certè mox receptum à rege. Alioqui cur pactus esset Stephanus id se repetiturum non esse? Transactum autem esse de ea ditione, argumento est diploma regium, quo eam Alexandro obligauit: quod & ipsum extat in archiuo, redditum procul dubio à Valachis. Per idem tempus opera Zauissij nigri apud Vngarorum iuxta ac Polonorum regem gratiosi, effectum est, vt primores Poloni & Vngari simul apud Nouam villam conuentum de pace inter reges redintegranda agerent: sed ea non confecta, octo mensium inducias tantùm constituerunt ea lege, vt Polonis cum Crucigeris pax rata maneret. Quòd si eam Poloni nouo bello rupissent, illæ quoque induciæ cum Sigismundo & Vngaris irritæ forent: sin Crucigeri priores id facerent, Sigismundus sese deinceps ab amicitia & societate eorum seiungeret. His ita compositis, rex per Chelmensem oram sub initium veris in Lituaniam secessit. Ad Ioānem verò pōtificem, qui

Induciæ mēstruæ. *Radoßice oppidum.* *Vitoudi malum consilium.* *Pappouiæ antemurale direptū & incensum.* *Pax & trāsactio regis cū Crucigeris.* *Conditiones pacis.* *Podolia Vitoudo concessa.* *Vuladisl. regis iter in Rußiam.* *Procuce oppigneratum Palatino Valachiæ.* *Stephani palatini Valachiæ promissa.* *Polonorum cum Vngaris conuēta & pacta.* *Rex in Lituaniam profectus.*

qui Alexādro quinto mortuo successit, oratores misit, Andream Lascarem præpositum Vuladislauiensem, Martinum Vurocimouicium vexilliferum Cracouiensem, & Sbigneum Olessnicium secretarium suum cum pamplis donis, nempe quatuor patinis, duob⁹ crateribus magnis aureis, tribus vestibus sabellinis, & cul citra item ab altera parte è pātherarum, seu verius luporum ceruariorum, ab altera ex armellinorum pellibus consuta, obedientiam suam ipsi delaturos, postulaturosque, vt Pōtifex declararet, ipsum iustè bellum contra Crucigeros suscepisse: & quicquid rerum sacrarum è templis Prussicis per id bellum ablatum esset, rectè in Polonica templa distributum esse: deinde, vt ipsi Pōtifex crucis militiā cōtra Tattaros concederet. Ac cætera quidem impetrata sunt: extremum hoc ne impetraretur, illud obstitit, quòd eiusdē modi militia contra Ladislaum regem Neapolitanum ab ipso Pōtifice promulgabatur: & obstabant Polonis Sigismundi regis & Crucigerorum oratores, veriti fortassis, ne cōtra se rexvteretur illis militibus. Sub id tempus Iacobo Haliciensi archiepiscopo, & Alexandro Camenecensi episcopo mortuis, huic quidem Andreas nescio quis, illi verò Nicolaus Trāba procancellarius, rege petente à Ioanne vigesimotertio, vno de tribus de pontificatu maximo contendentibus, successores dati sunt. Quanquam Tramba eodem ipso anno ad Gnesnensem archiepiscopam, præter collegij Gnesnensis voluntatem (quod Albertum Iastrembecium episcopum Posnaniensem postularat) translatus est, secundum mortem Nicolai Curouij archiepiscopi: qui cùm in Russia regi è Lituania reuertenti, ab ipso euocatus occurreret, casu equi collisus & extinctus, iudicio regis & Vitoudi sese subtraxit. Nam regina ei crimen intenderat, quasi ipsam de stupro sollicitasset. Reliquit autem is permagnas diuitias: quas Petrus frater eius cum alijs fratribus & agnatis diripuit. Trambę verò Ioannes Ressouius in Haliciensi successor dat⁹: qui archiepiscopam illam postea Leopolim trāstulit. Venit deinde rex Cracouiam pedester religionis causa incedens: vexillaq; & signa militaria vnum & quinquaginta de Crucigeris capta ad sempiternam tam insignis victoriæ memoriam in basilica suspendit, quæ in hāc vsque diem extant. Haud multo pòst inde discedens in Lituaniam, partem hyemis in venationibus exegit. Sequētis aūt anni, qui fuit 1412. initio properè Cracouiā reuertit, de aduentu Hernesti ducis

Oratores Poloni ad Pontificem maximum.

Dona Pontifici mißa.

Nicol. Tramba Leopol. & Gnesnensis archiepiscopus.

Nicolai Curouij archiepisc. mors.

Archiepiscopi facultates direptæ à fratribus.

Haliciēsis archiepiscopa Leopolim translata.

Signa militaria Crucigerorum in basilica Cracouiensi appensa.

Rex in Lituaniam iterum.

1412. ann.

Austriorum certior factus. Cum quo affinitatē iunxit, collocata ei in matrimonium Cimbarca Ziemouiti Masouiorū ducis & sororis suæ filia. Aduenerat & Venetorum legatio, quingentorum hastatorum stipendiū regi pollicens, si Sigismundo bellum facere pergeret. Iam erat creatus Cæsar Sigismundus: facessebant autem ei negocium Veneti in Dalmatia. Ipse verò à Ioanne pontifice in Italiam & ad liberādam de manu Ladislai regis Neapolitani Romam, suscipiendumque diadema imperiale inuitatus, Foroiulianam Venetorum ditionē infestabat. Auerti igitur eum Veneti, ac distineri bello Polonico volebant. Sed nihil impetrarunt. Cauebant enim proceres Poloni ne vetusta cum Vngaris fœdera violarentur. Et cùm sensisset id agi à Venetis Sigismundus, misit & ipse legatos ad Vuladislaum regem, Brandam Cardinalum presbyterum, & Sciborium palatinum Transyluanorum, de renouando fœdere, aut certè de conuentu & colloquio. Conuentus ad certam diem Lubouuliam siue Liblium impetratus. Prior Anna regina eò profecta est, Barbarā sororem, quę cum Sigismundo nupta erat, visum. Rex deinde, qui Sandeciæ substiterat, secutus, Boleslao duci Masouio, & Sigismūdo Coributo patruele, & multis proceribus Polonis deducentibus. Venienti Sigismundus obuiam prodijt vnà cum vxore vsque ad iugum montis. Atque ibi septem diebus tentatā nequicquam inter proceres regum pace, cùm discedere iam Vuladislaus vellet, ad secretum colloquium semotis prorsus arbitris à Sigismundo inuitatus, blanditijs eius & ingentibus pollicitationibus expugnatus, tandem homo minimè malus in gratiā cum eo pactis iureiurando mutuo firmatis redijt. Erat aūt in pactis, vt Sigismundus cum Vuladislao & Vitoudo duce contra quosuis hostes, & in primis ad extirpandos Crucigeros arma coniungeret: ac Prussia quidem eiectis Crucigeris inter reges pro portione copiarum vtriusque ad id bellum adductarum diuideretur: Pomerania verò, Culmensis, & Michalouiensis integrè Vuladislao Polonisque, quorum fuissent olim, cederent. Porrò de Russia, Podolia & Valachia, quæ iuris Polonici & tunc erant sine controuersia, & antiquitùs fuerant, vt nulla fieret mentio aut controuersia, quoad ambo viuerēt, & quinq; annis ꝓximis post obitum ei⁹, q prior de ipsis obijsset: Valachi duntaxat Sigismūdo cū Turcis bellum gerenti, mandato Vuladislai, vt essent auxilio, si ipsi Vuladislao

Venetorū legati Polonos contra Sigismundum incitant.

Sigismundus Cæsar cū Venetis bellum gerit.

Roma à Ladislao rege capta.

Regum Pol. & Vng. conuentus Liblij.

Pax inter reges constituta.

Pacta secretò conuenta et societas inter Vngarorum & Polonorum reges.

De Prußia.

De Rußia et Valachia.

& Polonis tunc non militarent. Quòd si dicto audientes nō essent, ambo simul reges eos bello persequerentur, ditionēque eorum subiugatam, certis finibus inter se partirentur: tamen vt ea nihilominus sub conditionem suprà memoratā quinque annorum post mortem alterius caderet. De priuatis verò hominum inter ipsos iniurijs constitutum in posterum, vt Vngari Sandeciam, Poloni Liuociam siue Leiciam referrent: & quater ni vtrinque designati omnium controuersiarum atque iniuriarum cognitores & iudices, qui animaduertendi in sontes potestatem haberent. Hæc ita tunc inter reges priuatim conuenēre. Publicè verò ne qua mentio Prussiæ & Crucigerorum fieret, Sigismūdi precibus perfectum est: quòd is diceret, Minimè sibi expedire, id palàm tunc fieri. Et erant fortè tunc apud eum Crucigerorum legati: quibus seorsum prolixè omnia pollicebatur, vt aliquid rursus ab eis emungeret. Quo factum est, vt caput illud de Prussia diplomatis à regibus & proceribus eorum con signatis disertè non insereretur: sed in genere modò caueretur, vt reges contra quosuis alterutrius hostes, nemine prorsus excepto, fœderati inter se essent, ac ne assensū quidem alter alterius hostibus & rebellibus faueret: quin vterque alterius incommoda pro viribus præmonendo & omni ope auerterent. Nec hoc solùm perfecit Sigismundus, verùm etiam cùm Vuladislaum sub specie venationum lōgius in Vngariam secum, nequicquam reclamantibus consiliarijs, & in primis Ioanne Tarnouio palatino Cracouiensi, extraxisset, persuasit homini simplici & credulo, vt se iudicem & arbitrum, propitium quidem, vt videri volebat, controuersiæ cum Crucigeris per compromissum sumeret: promittēs, idē facturos Crucigeros, & iudicato parituros: ni facerent, vim suam experturos. Iam enim rursus Vuladislaus non obscurè præ se ferebat inimicum contra eos animum: propterea quòd ij primam pensionem ex pacto Torunensi ad præstitutam diem sibi non soluissent. Cùm autem iudicium id Sigismūdus sanè quàm libenter assentientibus Crucigeris instituisset, varias nectebat moras, vt cùm Vuladislaum spe pacis duceret, tum Crucigeros obnoxios haberet. Tandem grauiores occupationes, & expeditionem contra Venetos caussificatus, cognitionem causæ proceribus quibusdam Vngaris delegauit. Interim aduenēre iterum legati Venetorum, quòd eis Vuladislaus rogatu Sigismundi spem pacis æquissimis conditionibus conficiendæ fecisset. Ac tentata quidem Vuladislao interueniente, sed non confecta pax est; propterea quòd nihil æqui Veneti afferebant, nec reddebant Sigismundo ereptam Dalmatiam. Dum autem Vuladislaus Budæ commoratur, venit eò fortè ad ipsum splendida legatio Tattarorum cum muneribus, magna auxilia, sicubi opus esset, ei pollicens. Honorificentissima hæc erat ei legatio apud exteros. Persuasit autem is legatis, vt eadem Sigismūdo nunciarent. Quo ille ferocior factus, Venetos territabat. Dimissis legatis, ludis ac deinde venationibus vacatum est. Vbi cùm Vuladislaus bubalinis carnibus recentibus sese repleßet, ac deinde calido balneo vsus, in profluente Danubij de more gentis suæ diutius sese abluisset, febrim contraxit. Ab ea verò paucis diebus regiorum medicorum opera releuatus, & amplissimis muneribus à Sigismundo donatus, per Morauiam atque Cessinensem oram in Poloniam reuertit, quinto demum mense, posteaquam Vngariam ingressus fuerat. Fuerunt autem præcipua dona, quæ à Sigismundo acceperat, corona, sceptrum, & pomum aurea, & Boleslai Chrobri gladius, insignia regni, quæ Elizabetha Ludouici regis mater in Vngariam asportauerat, verita ne Poloni mutata sententia alium sibi regem crearent. Ea rex Cracouiam ingrediens publicè sibi prǽferri iussit. Nec diu moratus Cracouiæ, per Sendomiriensem & Chelmensem tractum profectus, supra Bugum fluuium prope Rubessouum oppidum cum Vitoudo de omnibus, quæ in Vngaria egerat, communicauit. Venerat eò ad exorandum regem Petrus Vissus episcopus Cracouiensis, magna necessariorum caterua stipatus, quòd ab eo de Cracouiensi episcopa in Posnaniēsem, quasi delirus & inutilis Alberti Iastrembecij episcopi Posnaniensis & cancellarij regni ambitione detrudebatur: sed nihil impetrauit. Et aduersa is quidē vsus est valetudine, ex quo ex cōcilio Pisano, & lōgiore ad sepulchrum Christi peregrinatione reuerterat, stupore quodam & lethargo afflictus: sed tamen de gradu mentis dimotus non erat. Facilè tamen in dissidio Pontificū Rex quæ volebat obtinuit. Non fuit tamē sine metu postea Iastrēbeci⁹, propinquis Petri ad omnē occasionem intentis, qua eū de medio tollerēt. Dimisso deinde Vitoudo Russiam Rex obibat. Quò cū legati Sigismundi regis ad eū venissent, octoginta millia sexagenarum Pragensium ab eo mutua acceperūt, oppignerato ipsi

De priuatorum controuersijs discептandis. *Sigismundi Cæsaris calliditas.* *Pacta publica Sigismūdi cum Vuladislao.* *Arbitriū inter Polonos & Crucigeros Sigismūdus Cæsar sibi sumpsit.* *Dalmatia Veneti Vngaris eripuere.* *Tattarorum legatio ad Vuladisl. Budā profecta.* *Vuladisl. ægrotauit in Vngaria.* *Insignia regni Polonici reportata ex Vngaria.* *Petr. Vissus è Cracouiensi ad Posnaniensem episcopatum detrusus.* *Albertus Iastrēbecius episcopus Cracouiensis per ambitionem factus.*

ipsi Scepusiensi tractu cum tredecim oppidis, arce tamen Scepusia excepta. Atq; ex eo tempore Scepusium in ditione Polonorum est, vsque in hanc diem. A Crucigeris autem ea pecunia sumpta est: quibus Sigismundus eam mulctam irrogarat, ꝙ pactis in insula Torunēsi cum Vuladislao initis nō satis fecissent. Ita quidē habet Dlugossus. Verùm nos reperimus in archiuo literas Ioannis xxiij. pontificis maximi, quibus is postulat à Vuladislao, vt proroget Crucigeris tempus numerandæ pecuniæ, quam ij ex pacto ipsi deberent. Vnde nobis verisimile fit, in pactis Torunensibus de ea pecunia numeranda, Crucigeris cum rege conuenisse, licet literis pactorum id incertum nō sit. Quin extant testimonia Benedicti Macrini, cui Sigismundus delegerat arbitrium, & in rem præsentem in Prussiam & Lituaniam eum miserat: qui testificatur Vuladislaū quidē & Vitoudū iudicatū fecisse, Crucigeros verò minimè. Inde autē apparet, Sigismundū iudicasse quidē tūc inter dissidētes. Quid autem iudicarit, nō liquet, præter quòd Vuladislaus & Vitoudus parentes rei iudicatæ, tradidêre Magistro Crucigerorū diplomata super Samagitia: tametsi Heduigis regis filia testata est, se ei traditioni aduersari.

Scepusiū oppigneratū regi Polono.

Crucigeri non parnerunt decreto Cæsaris.

Samagitiæ ius datū Crucigeris.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER DECIMVSOCTAVVS.



RVSSIA peragrata in Poloniam Rex reuertit: paucisque diebus Nepolomiciç exactis, in Lituaniam rursus secessit, & hyemem illam ibi exegit: quæ quidem prodigiosè mitis fuisse memoratur, ita vt initio Februarij flores & olera in religione frigidissima existerēt. Verno atque æstiuo tempore Poloniam is rursus ferè omnem peragrauit. Posnaniam autem cùm venisset, Petrum episcopum in delubrum seuocauit: & in genua procumbens, culpam ab eo deprecatus est, quod eum sede Cracouiensi præcipitanter eiecisset. Apud Grodlum dein de supra Bugum amnem Polonorum & Lituanorum conuentum habuit. Ibi fœdera inter has duas nationes renouata: concessumque ius nobilitatis Lituanis ijs duntaxat, qui ritus ecclesiæ Romanæ & catholicæ seruarent, ijsdem vt insignibus, & imaginibus, ijsdemq; prærogatiuis, quibus Polona nobilitas, vterentur: præterquā vt deinceps quoque iussu magni ducis arces conderent, vias publicas reficerent, tributaque solita penderent: senatum autem & magistratus more Polonorum haberent: nec tamen honores & magistratus alienis ab ecclesiæ Romanæ institutis mandarentur: ducem, quando vsus postularet, non nisi de sententia regis & amplissimi consilij Polonorum legerent: vicissimque Poloni, vt ne inscijs & inconsultis duce & senatu Lituanico regem sibi crearent, comitijs communibus quoties opus esset, vt ea Lublinum vel Parsouiam, vel alias quò videretur mutuo consensu indicerentur: ordo item ecclesiasticus vt eodem iure ijsdemque prærogatiuis, quibus in Polonia vteretur. Hæc omnia proceres Lituani, libertatem & prærogatiuas nobilitatis adepti approbarunt, & literarum monumentis consignarunt. Soluto conuentu, quia pestilens autumnus erat in Polonia, in Lituaniā rex secessit. Inde porrò in Samagitiam profectus, gentem eam quæ nōdum falsorum deorum cultum penitus abdicarat, magno studio, magnaque cura, extinctis sacris ignibus, succisis lucis, necatisque serpentibus & alijs sacris animalibus, ad religionē Christianam cōuertit, partim donis alliciens, partim autoritate & minis adigens, non modò pij regis, verùm etiam doctoris & Apostoli fungens officio, suggerētibus sacerdotibus nostris, q̄ diceret, quęue faceret, cùm ipsi barbaros loquentes non intelligerēt, nec ab eis vicissim intelligerentur. Populariter autem Samagitæ tunc religionem Christianam susceperunt, per vnum natu maximum apud regē professi, se quos in eum diem deos coluissent, velut infirmos & ignauos deserere, & in eius ius concedere, cuius numine illi à rege victi & profligati essent. Cùm autem nonnulli adhuc, si resuscitare ignem extinctum è calidis fauillis post regis discessum possent, relapsuri esse in pristinum errorem viderentur, & hæc inter se mussitarent, substitit ibi rex diutius quàm statuerat, locumque ignis largiore aqua inundari iussit. Episcopum apud Mednicos, attributis agris & reditibus, & parœcos duodecim (tot enim territorijs continetur Samagitia) vt ijdem cano-

Hyems calida.

Rex veniam petijt ab episcopo.

Conuentus Polonorū et Lituanorū apud Grodlum.

Lituanis prærogatiuæ & leges datæ à rege.

Samagitia ad Religionē Christianam conuersa.

Samagitæ falsos deos abdicant.

Episcopā Mednicensis siue Samagitiæ instituit.

canonici Mednicenses essent, instituit. Quanquam hęc quarto demũ anno pòst à Ioanne archiepiscopo Leopoliensi & Petro Vilnẽsi episcopo consummata sunt. Tunc autem rex præfecto genti Kesgellone nobili Lituano, & religionis curã in primis in rudi populo gerere iusso, in Lituaniam, atque inde porrò post anni sequentis initium in Poloniam, & in Cuiauiam ad constitutum cum Crucigeris apud Slonscum conuentum contendit.

Kesgello Samagitiæ præfectus.

1414. ann.

Conuentus regis cũ Crucigeris.

Iã summũ apud Crucigeros magistratũ Michael Cochmeister gerebat, amoto & in carcerem cõiecto Henrico Plauenio, siue propter profusas largitiones, siue propter inuidiam, siue quod à Michaele ambitioso & feroci homine, quasi Polonis impẽsius faueret, insimulatus esset.

H. Plauenius magistratu amotus, & in carcerem coniectus.

Quo comperto, Vlricus Henrici frater commendator Gdanensis metuens & ipse sibi, clàm ad regem perfugit. Fugisset Henricus quoque è custodia, re clàm per internuncios cum rege composita, nisi eum Ioannes Cropidlo Vuladislauiensis episcopus, cum quo fortè rex ea de re secretò cõmunicarat, prodidisset.

Vlricus Plauenius cõmẽdator Gdanensis ad regem perfugit.

Cropidlo episcopus arcanum regis prodidit.

Pace cum Crucigeris tentata, sed non confecta, causa verò tota à Strigoniensi archiepiscopo delegato Sigismundi Cæsaris iniquissimè disceptata, cùm Crucigeri iniurijs nullũ modum statuerent, mercatoresque Posnanienses Gdani, direptis eorum mercibus crudeliter interfecissent, & per subornatos homines, quemadmodum ferebatur, multa oppida & pagos in Polonia incendissent, latrocinantiumque in morem è Dobrinensi & Polonia finitima prædas agerent, & captos homines, nõ modò plebeios, verùm etiã equestres in patibulum agerent, cumque ad extremum sub signis populabundi in Dobrinum excurrissent, ac subito pauore turbati diffugissent, nouam in eos expeditionẽ rex Polonis, Russis, atque Lituanis cunctis indixit.

Crucigeri Polonis iniurij.

Dum aũt bellum id adornatur, ipse maiorẽ Poloniã percurrit. Fortè tunc Petrꝰ Vissus episcopꝰ Posnaniẽsis lẽto morbo cõfectus obijt. Quod ni obijsset, restitutꝰ fuisset authoritate Cõstantiẽsis cõcilij ad Cracouiensẽ episcopam, Alberto deiecto: sed profuit Alberto mors eiꝰ, vt facilius à cõcilio, rege petẽte, veniam impetraret.

Albertus Iastrembecius ægrè episcopam Cracouiensem retinuit.

Etenim tribus tunc de põtificatu maximo contendentibus, & Ioãne Husso turbas ciente in Boemia, Sigismundus Cæsar magno studio, labore & cursitationibus perficit, vt consilium œcumenicum consensu Christianorum principum, & primorum ecclesiasticorũ apud Constantiam Germanorum aperiretur: quod quidem durauit in quartum annum. In eo cùm alia multa reipubl. Christianæ salutaria cõstituta sunt, tum Hussus hæresiarcha condemnatus & exustus, & post eum Hieronymus Pragensis. Ad extremum autem sublato dissidio cùm tres illi pontificatu partim amoti essent, partim vltrò ipsi se abdicassent, Martinus eius nominis quintus pontifex creatus est. Verũ hæc & externa sunt, & posterioris temporis.

Constantiense concilium.

Tũc autem cùm collegium Posnaniense petisset à rege, vt sibi episcopum arbitratu suo legere liceret, non abnuit is: solusque in consilium sacerdotum reuerẽter ingressus, impetrauit, vt de quatuor à se editis (inter quos fuit Alexander ducis Masouiæ filius, è sorore eiꝰ natus) vnus legeretur episcopus. Lectus est absens magno omnium consensu Andreas Lascaris Goslauicius decanus Cracouiensis, & canonicus Posnaniensis, gente Gozembius: qui tunc fortè legatꝰ à rege cum tribꝰ alijs ad Sigismundum Cæsarem de causa Crucigerica profectus erat. Aegrè tamen is decreto collegij cum voluntate regia coniuncto assẽsus est, vir bonus, & nõ ignarus quantũ onus in se susciperet. Cuiꝰ similes perpaucos fortasse illa ętas habuit: nostra vnum quod sciam, habet. Quo libentius tam rarum integritatis & modestiæ exemplum commemorauimus.

Andreas Lascaris Posnaniensis episcopus electus rege præsente, vix assensus est.

Iam ingentes copiæ ex omni Polonia, Russia, Lituania & Masouia cum suis ducibus Volboriã conuenerant. Tattarorum etiam non contemnenda auxilia Vitoudus adduxerat. Erat & mercenariorum militum ex Boemis atque Silesijs non exiguus numerus. Ad hæc Silesiorum duces Bernardus Oppoliensis, Ioannes Ratboriensis, Boleslaus Cessinensis, Conradus Olessnicensis, Venceslaus Zeganensis, Ioannes Lubinẽsis, Conradus Albus Cozlensis, & Venceslaus Opauiensis auxerant exercitum regium. Quin & Lacicus Crauarius præfectus Morauiæ vnum vexillum militum in auxilium regi miserat: ita vt tantus ille esset exercitus regius, quantus non modò ad Prussiam, sed ad magnam orbis partem perdomandã sufficere posse videretur.

Prussicũ bellum.

Duces Silesij in exercitu regio.

Lacicus Crauarius præfectus Morauiæ.

Itaque rex non moratus diutius, in terram hostilem eum duxit, instructum inspectãtibus legatis hostium, qui siue ad auertendum bellum, siue ad speculandum vires nostrorum venerant. Verùm non ita magnum operæprecium cum tantis copijs factum est. Oppida modò & castella quædam ignobilia partim vi expugnata, partim in deditionem accepta, partim vacua delapsis habitatoribus occupata, direpta & exusta. Inter quæ fuère Nidbur-

Oppida Prussica à rege capta.

gum,

gum, Hoensteinum, Allesteinum, Guttestadia, Zirgonum, Prabutha, Bissouisuerderum, quod nostrates Biscupecium appellāt, & Cruciburgum. Nā ab Helsbergæ obsidione Ioannes Varmiensis episcopus, cuius ea arx est, precibus regem auertit. Holandiæ obsidio cùm in longum extractum iri videretur, omissa est. Et nonnihil ibi incommodi Lituani, cùm incautius prædas agerent, accepêre. Capti ab hostibus Butrim magister curiæ, siue marsalcus Vitoudi, Mikita, (ita Russi Nicetam vocant) & nonnulli alij. Peruastati tamen agri longè lateq; nemine obuiā ꝓdeunte. Cùm aūt Chelmi, siue Culmę, atq; Torunię oppidorū dedendorū regi nonnulla spes facta esset, eò moturus erat castra, ni eum Magister Crucigerorum vafro consilio elusum, aliò auertisset, subornato homine cum literis, commendatoris Brodniciensis nomine ad se confictis, quibus perscriptum erat, arcem Brodniciensem à commeatu tormentisque bellicis imparatam, longiorem obsidionem sustinere non posse. Quæ literæ, capto & excusso tabellario, cùm fidem fecissent nostris, hoc perfecerunt, vt eius arcis potiundæ spe conatus meliores frustrarētur, viresque nostrorum non hosti magis, quàm sibijpsis propter difficultatem annonæ graues, inerti obsidione languidas & inutiles redderēt. Nam Brodnicia, preterquam quòd natura arteque permunita est, valido hostium præsidio tenebatur, & commeatu armisque abūdabat. In eius igitur obsidione rex cum omni exercitu totum mensem frustra consumpsit. Inde Vitoudus, nequicquā retinente rege, nō sine animi eius offensione discessit. Et iam morbus vulgò in corpora militum ex panis penuria grassari cœperat. Cōtinuabat tamen rex obsidionem, dimissisque quoquouersus frumentatoribus cum præsidio armatorum, frumentum in castra comportabat. In eos cùm quadam die hostes, ad omnem occasionem rei bene gerendæ intenti, impetum fecissent, longè plures à paucioribus fusi fugatique sunt, sexaginta captis, ducentis desideratis. Venit interim ad regem legatus pontificis maximi Ioannis xxxiij. Ioannes Lausanēsis episcop⁹: qui facilè impetrauit à rege deditis & famelici belli (sic enim vulgò appellatum id est postea) iam pertæso, vt duorum annorum inducijs cum Crucigeris constitutis, Constantiensis concilij iudicio causam & controuersiam suam omnem cum Crucigeris permitteret. Itaque rex dimisso exercitu reuersus in Poloniam, de amplissimi consilij sententia legatos ad concilium misit, Nicolaum archiepiscopum Gnesnensem, Ioannem Vuladislauiensem, Iacobum Plocensem episcopos, Andream Lascarem electum Posnaniensem, Ioannem Tuliscouium Calisiēsem castellanum, & Zauissium Garbouium cognomento Nigrum, virum clarissimum. Pollicebatur autem Sigismundus, non defuturū se ibi esse causæ regiæ cōtra Crucigeros, eiq; vicissim rerum Vngaricarum curā commendauit. Idemq; fecit concilium illud, scriptis ea de re ad regem literis. Ac fecit quidem Vuladislaus amici officium. Nā cùm Turcæ Vngariam infestarent, Bosnamq; à Sigismundo prius recuperatam, ipsi iterum eriperent fusis profligatisq; Vngaris, Vuladislaus missa ad Turcas graui & minaci legatione, sex annorum inducias inter eas gentes, captiuis Vngaris proceribus liberatis, confecit. Pacem quoque perpetuā confecisset, ni Pipo Florentinus comes Themessiensis temerè omnia turbasset, capto pro exploratore Gregorio Armeno Vuladislai internuncio, qui Turcicæ legationi de pace venienti tutū ad Vngaros accessum præstructurus antecesserat. Prosperè tamen postea rem contra Turcas gessit aliquoties Nicolaus Petri Macedonis filius, absente Sigismundo, eosq; Bosna expulit. Interea Vuladislaus rex Lituaniam, Poloniam, Russiam continentibus ferè itineribus obiuit. Et Sniatini cùm esset in Russia ad Pentecosten anni sequentis, venit ad eum Alexander palatinus Valachorum, permagna & splendida nobilitatis suæ caterua stipatus: adoratoq; publicè rege, & vexillo ad pedes eius proiecto, & dato conceptis verbis iureiurando, in fide & clientela eius atq; Polonorum se fore semper promisit, & perampla munera ei dedit, ab eoq; vicissim accepit. Venit & ab Imperatore atque Patriarcha Constantinopolitanis legatio, frumentarium subsidium petens. Vehemēter enim Turcæ Thraciā infestabant & premebant. Quorum princeps Mahometes recuperatis in Asia ijs, quæ Tamerlanes auo eius ademerat, Imperij sedem Prusa Adrianopolim trāstulerat: & iā transalpinos Valachos vexabat, Constantinopolique ac toti Græciæ ferox imminebat. Vuladislaus rex inopia laborantibus Constantinopolitanis liberaliter opitulatus, in Cacybeio portu maris Pōtici, qui in ditione Polonorū tunc erat, frumentū admensus est. Sniatino in Lituaniam rursus diuertens, viginti mil-

Varmiensis episcop. supplex regi. *Lituani incommodo affecti à Prussis.* *Vafrum consilium Magistri.* *Brodnicia arx munita, frustra obsessa à Polonis.* *Vitoud. è castris discessit.* *Prussi à Polonis fusi.* *Legatus Pōtificius ad regem.* *Famelicum bellum.* *Induciæ duorum annorum.* *Constantiensi concilio cōtrouersiæ Prussicæ disceptatio permissa.* *Vuladisl. curam gessit Vngariæ, Sigismundo absente.* *1415. ann.* *Palatin Valachiæ Alexander iurat in verba regis Polonorum.* *Legati Constantinopolitani Imperatoris ad regē Polonorum.* *Cacybeius portus in ditione Polonorum.*

Dona regi à Vitoudo data.

lia marcarum Pragensium, quadraginta vestes Sabellinas eximias, centum equos, totidemq; aureos pannos à Vitoudo dono accepit. Anno sequenti cùm

Anna regina mortua.

Conuentus Lituanorum cum Crucigeris.

Annam reginam mortuam Cracouiæ sepelisset, rursus in Lituaniam profect⁹, apud Velunam Samagitiæ cum Crucigeris Prussiensibus pariter atque Liuoniensibus de regundis finibus Samagitiæ, ac de pace perpetua constituẽda cõuẽtum egit. Sed Crucigeris intolerabili fastu tumentibus, neq; vllam æqui aut iniqui rationem ducentibus, re infecta discessum est. Augebat autem eis spiritus, vt creditum est, societas cum Tattaris inita, qua eos ad vastandos Russiæ fines excitârant.

Tattari Russiam vastarunt.

Nec multo post ingens vis barbarorum duce Ediga in Kiouiensem tractũ improuisò effusa, ferro ignique omnia crudeliter depopulata est. Vrbem quoq; ipsam Kiouiam diripuit ac diruit. Atque ex eo tempore ea splendorem pristinum nunquã recuperauit. Arce quidem, summa vi oppugnata hostis potiri non potuit. Rex pro eo quod hostes bello persequi debuit, Sanoci nuptias celebrauit, indignas illa ætate, & nomine ac dignitate sua, ducta in matrimonium

Rex Elizabetham Pileciam vxorem tertiam duxit.

Elizabetha Pilecia Ottonis palatini quondã Sendomiriensis filia, vidua prouectæ iam ætatis, & compluriũ virorum thoros experta. Quæ virgo propter magnitudinẽ dotis à Morauo quodam rapta, eique aliquanto post ab alio quodam Morauo itidẽ erepta, & interfecto priori raptore in loco iustæ vxoris habita, ad extremum Vincentio Granouio castellano Naclensi gente Toporo, despõdente Spitcone Melstinio propinquo, nupserat: perq; eam Granouius sese in familiam Leliuiorum inseruit. Siue autem intempestiuo amore & consuetudine eius mulieris captus, siue philtris etiam & magicis artibus dementatus Vuladislaus, co se tam impari matrimonio implicauit, magnam certè nomini suo infamiam nõ modò apud suos, verùm etiam apud exteros aspersit: ita vt concilium quoque ea fama, traducentibus Crucigeris, impleret. Huc accessit, ꝙ Christianorũ institutis incestũ id erat cõiugiũ, cũ illa regi in loco sororis esset, ꝓpterea ꝙ is à matre ei⁹ de sacro fonte leuat⁹ erat. Sed instãte rege cõciliũ indulgenter legitimas esse iussit eas nuptias. Rex inde Cracouiam indicto conuentu, reginam quoque eam ritu solenni fecit, necquicquam aduersantibus nonnullis proceribus; & in primis Sendiuoio Ostrorogo palatino Posnaniẽsi.

Elizabetha coronata.

Quoniam autem ea ab archiepiscopo Leopoliensi Ioanne Ressouio coronata erat, veritus Nicolaus archiepiscopus Gnesnensis, qui tunc in concilio Cõstantiensi propter splendorem gratiosus erat (ita vt summus pontificatus ad eum, si Dlugosso credimus, deferretur, si eum suscipere voluisset) ne sibi posterisq; suis archiepiscopis Gnesnẽsib⁹ ea ꝑrogatiua coronãdi reges & reginas præriperetur, obtinuit apud Cõcilium, vt archiepiscop⁹ Gnesnẽsis deinceps Poloniæ & Lituaniæ primas sit.

Archiepiscopus Gnesnensis primas.

Ea verò est dignitas Ecclesiastica Archiepiscopatu eminentior, à Primate regni diuersa. Perfecit autem idem cum collegis suis, vt Ioannes quispiam Falchembergius sodalis Dominicanus decreto concilij in tetrum carcerem compingeretur, quòd subornatus à Crucigeris satyram siue famosum libellum in Vuladislaum regem, & in omne Polonum nomen conscripserat.

Ioannes Falchembergius carcere punitus propter famosum libellum.

Cùm verò mitius cum eo postea Martinus eius nominis quintus pontifex maximus, cui Nicolai archiepiscopi fauor ad pontificatum nõ parum suffragatus erat, ageret, rem nouam legati regis ausi, ad futurum concilium, quod in decimum annum indicebatur, prouocarũt.

Prouocatio à Pontifice ad conciliũ futurum.

Verùm satisfecit eis deinde Pontifex auctoritate Patrum adductus. Cæterùm libellus ille famosus Lutetiæ archiepiscopo oblatus erat, cùm eius vrbis doctores academiæ conuiuio accepisset. Etenim Sigismundo Cæsari ad conciliandum concilio regem Arragonum, & ad pacificandum Francorum & Anglorũ reges proficiscenti, comes itineris vnà cum Tuliscouio & Zauissio de concilij sententia adiunctus erat.

Poloni Oratores cũ Cæsare missi in Gallias.

Induciæ cũ Crucigeris.

Prorogauit deinde Vuladislaus rex inducias cum ijsdem Crucigeris in aliud biennium, Cæsare & rege Francorum Carolo petentibus.

1418. ann.

Lituanorum conuentus cum Crucigeris.

Et anno sequenti, qui fuit 1418. rurs⁹ apud Velunam Samagitiæ cum Crucigeris de pace conuentum egit, deductis secum primoribus Polonorum. Vnde cùm re infecta discessisset, dimissisque proceribus ipse cũ paucis apud Vigros, syluæ id nomen est, venationi vacaret, parum abfuit, quin in Rastemburgensis cõmendatoris insidias incideret.

Insidiæ in regem intentæ.

Vitoudi vxor altera.

Sub idem tẽpus Vitoudus amissa paulo ante Anna vxore, alteram duxit Iulianam viduam, prioris materteram. Atque id matrimonium incestum Ioannes Cropidlo episcopus Vuladislauiensis, qui etiam regem fortè in Lituaniam secutus erat, præter disciplinam ecclesiasticam iunxit, cùm Petrus Vilnensis, vt id faceret, nequaquam adduci posset. Ita plurima sibi plerunque præter ius & æquum

per-

» pmittunt homines excelso loco nati. In sequēti anno cùm rex in Poloniam reuertisset, venēre ad eum legati Martini pontificis maximi, Iacob⁹ Camplus Spoletanus, & Fernandus Hispanus Lucensis episcopi, de pace cum Crucigeris conficienda postulantes: qui comiter & liberaliter à rege habiti, cognita eius voluntate ad pacem propensa, in Prussiam inde ad Crucigeros contenderunt. Quorum corrupti muneribus, cùm monumenta ad causam ipsorum pertinentia inspexissent ac descripsissent (ad quam fortè rem magis quàm ad pacem faciendam, Crucigerorum rogatu atque sumptibus venerāt) regis causam incognitam temerè testimonio suo damnarunt. Qua de re grauiter postea rex cum Pontifice questus est. Ac fecit is deinde regi potestatem producendi documenta causæ suæ. Dimissis autem legatis pōtificijs, rex Cassouiam profectus est, ad colloquium à Sigismundo Cæsare inuitatus: ibiq; blanditijs eius inductus, arbitrum eum tulit Crucigeris ex compromisso de contumelijs, damnis & iniurijs, quas ab illis acceperat, reclamantibus, quos secum duxerat, proceribus, & ad extremum, vt certa tamen formula, certoque die id compromissum adstringeretur suadētib⁹: quorū princeps fuit Albertus episcopus Cracouiensis, idemque Cancellarius Poloniæ. Recusabant autem id compromissum Crucigerorū legati, qui tunc ibi aderant, siue adeò recusare se ex composito simulabant. Qua re Cæsar vehementer, vt viderí volebat, irritatus, arma secum Vuladislao contra eos coniuncturum iureiurādo interposito pollicitabatur. Qua de causa remittere ei Vuladislaus pecuniam, quam mutuam dederat, Scepusiumque mox reddere cogitabat, ni proceres, cum quibus ea de re communicarat, id ei dissuasissent. Soluto conuentu Vuladislaus in Poloniam reuersus, magna cura bellum aduersus Crucigeros apparauit. Misit & Cæsar episcopum Passauiensem imperialem curiæ Cancellarium, & Ioannem comitem de Herdek Cracouiam, vt in speciē arma & cætera ad Prussieum bellum necessaria exercitui suo cō pararent. Quibus lautè à rege sumptus suppeditati sunt. Sed ij cū supra quadraginta dies Cracouiæ mansissent, vltróne an reuocati, incertum est, in Vngariam ad Cæsarem reuerterunt. Redijt deinde ad Regem ex Vngaria Sbigneus Brezius marsalcus, qui ad deducēda à Cæsare auxilia relictus erat, vanitate Cæsaris perspecta. Lactatus inanibus Cæsaris promissis Vuladislaus, tamen institutam in Prussiam expeditionem non remisit, ne legatione quidem eius motus, qua ille ab eo contendebat, vt in aliud tempus id bellum differretur. Iā copiæ omnes Volboriam conuenerant, indeque per Masouiam progressæ ad fines hostium peruenerant, cùm venit ad regem in castra Bartholomæ⁹ Capra archiepiscopus Mediolanensis, legatus à Cæsare dirimendi eius belli causa. Et confecit is quidem rursus, adiuuante maximè Vitoudo, & accedente Pontificis maximi authoritate, duorum annorum inducias, cùm compromissi sui regem admonuisset, & aliud ei ex aduerso respondens ipse à Crucigeris attulisset. Præfinita autē compromisso dies ad viij. Idus Ianuarij, quā Epiphanias Christiani dicimus. Itaque irritus tantus ille conatus atque apparatus belli fuit, non sine magno omnium fremitu, imprudentiam regis in faciendo compromisso incusantium. Verùm eam culpam rex in Cācellarium reiecit. Quamobrem magno is omnium odio deflagrauit. Cum Erico autem Daniæ, Suetiæ & Noruegiæ rege, ac duce Pomeraniæ, eiusque consiliarijs publicè à Vuladislao & Vitoudo in castris tunc ictū est fœdus & societas, cùm contra alios vtriusque partis hostes, tum nominatim contra Crucigeros, ea lege, vt etiam si vteruis principum ab eo fœdere vellet discedere, subditi tamē ipsius eo nihilo minus tenerētur, Ne tamē vteruis altero inscio Crucigeris, vel cuiq̃ omnino bellū inferrēt. Excepti sunt aūt à Vuladislao & Vitoudo Sigismund⁹ Cæsar, & Vēcesla⁹ rex Boemorū, ꝓpter priora cū ipsis fœdera. Reuertēs aūt ex eo bello Vuladislaus, per Cuiauiā in maiorē Poloniā diuertit. Posnania verò Srodā ꝓficiscentē aduersus casus ꝑculit. Nam sub vesperum cùm serenum esset cœlum, subitò atris nubib⁹ obductum est: vnde inter crebra fulgura ac tonitrua fulmē magno fragore decidens quadrigas carpento, quo rex vehebatur, iunctas, duosque stipatores regios, itemque Posnaniensis & Sendomiriensis palatinorum, & nouem alios regiorum comitum equos vnà cum regio, cui cubicularius quidam hastam regis ferens, insidebat, vno ictu interfecit: aurigæ & sessoribus equorum nihil actum, nisi quod cubicularij vestis discerpta est. Rex cùm aliquandiu exanimat⁹ iacuisset, tandē respirauit, cæterà sospes, præter quòd surdaster paucos dies, & modico manus dextræ dolore affect⁹ fuit. Vulgò creditū est, ꝓpter incestū matrimoniū diuinit⁹ eo terrore correptū fuisse. Per illud temp⁹ Ediga princeps Tattarorū missa legatione

Legatio pontificis Maximi ad regē Poloniæ.

Legatorum mala fides.

Vuladisl. regis congressus cum Sigismundo

Compromissum regis.

Vuladislai credulitas.

Albertus episcop. Cracouiensis, et cancellarius Poloniæ.

Sigismundi Cæsaris astus & vanitas.

Legati Cæsaris ad Vuladislaum.

Legatus Cæsaris.

Induciæ inter Polonos & Crucigeros.

Apparatus belli irritus.

Alberti episcopi Cracouiensis odiū.

Danicū fœdus.

Fulminis impetus in comitatum regium.

Rex exanimatus.

à Vitoudo.

cum muneribus ad Vitoudum, fœdus cum eo icit. Sub idem tempus cùm vires

Boemici motus.

ſumeret hæreſis Vicleffi & Huſſi in Boemia, motusque magni cùm Pragæ, tum alibi cum ſummo contemptu regis exiſterent, & ad quadraginta millia oppidanorum pariter & agreſtium cum mulieribus ac paruulis ad montem quendam coiuiſſent, magiſtratusque nouæ Pragæ concurſu populi trucidatus eſſet, anxio fuit animo rex Venceſlaus: & ira fortè in pocillatorem ſuum percitus, cùm interficere eum ſuis manibus vellet, paralyſi affectus concidit, & paucis diebus poſtea vita exceſſit.

Vēceslai Boemorum regis mors.

Parabat fortè expeditionem in Turcas Sigiſmundus Cæſar, cùm hæc ad eum perlata ſunt. Obierat enim paulo antè Mahometes imperator Turcarum: vnde Sigiſmundo commoda occaſio recuperandi ea ꝗ ille de Vngaris ceperat, & vlciſcendi clades ſuas, oblata eſſe videbatur.

Mahometes Turcarū imperator mortuus.

Sigiſmundi Cæſaris cum Vuladisl. rege congreſſus Sādeciæ.

Cùm igitur diſtracto eſſet animo: impetrato à rege Polonorū colloquio, Sandeciam venit. Ibi de Boemicis rebus ac de Turcico bello conſultatū. Suadebat Cæſari Vuladiſlaus, vt Boemia ante omnia in poteſtatem ſuam redigeret, hæreſimque ſumētem vires opprimeret: & ad hæc peragenda auxilia ipſi pollicebatur. Sed ille dum inconſultè & intempeſtiuè Turcicum bellum Boemiæ pacandæ præuertit, & Turcas, nullo operæprecio facto, magis irritauit, non auſus cum exercitu Danubium tranſmittere, illis vlteriorem ripam tenentibus, & Boemiæ potitus non eſt.

Sigiſmundi bellū in Turcas.

Ac Vngariam quidem atque Tranſyluaniā Turcæ Baiazetis noui imperatoris, qui patri Mahometi ſucceſſit, ductu ſiue auſpicijs magnis affecêre incōmodis: Boemi verò Bernam ad comitia euocati à Cæſare, paruerunt, & in poteſtate eius fore ſe polliciti ſunt: ac fecerunt etiam iuſſa Pragenſes, qui tunc factionibus & hæreticorum cō ſenſu potēres erant, amoliti caſtella quæ dam contra arcem erecta, cathenasque & repagula, quibus plateas vrbis impediuerant. Amoti ſunt etiam præfecti, quos poſt Venceſlai mortem arcibus regijs im poſuerant.

Vngaria vaſtata à Turcis.

Pragenſium potentia.

Sed cùm Sigiſmundus Berna non in Boemiam, Sed Vuratiſlauiam iter deflexiſſet, ibique de ſeditioſis, qui magiſtratum vrbis necauerant, ſupplicium ſumpſiſſet, Pragenſes veriti, ne ſibi idem auſis idem accideret, cauere ſibi im penſiꝰ cœpêre: Taboritas, promiſcuam illam fecem hominum, quæ à caſtris nomen ſumpſit, ſibi adiunxêre portas vrbis regi venienti clauſêre, copiasq; eius Germanis & Vngaris validas profligauêre, & caſtris exuêre: vbi plurimi de proceribus & nobilitate Boemica, qui cum rege ſentiebant, cecidêre: ipſe verò Sigiſmundus poſt ſuſceptum in arce S Venceſlai regium diadema, fuga ſaluti ſuæ conſuluit.

Vuratiſlauiæ magiſtratus amoti.

Pragenſes repugnant Sigiſmundo regi.

Sigiſmundi fuga.

Sed hæc paulo poſteriꝰ acta ſunt. Illa prius. Sigiſmundus Vuratiſlauiam ſe ſequi legatos Polonorū & Crucigerorum iuſſerat, vt ibi inter eos arbitriū peragerent. Sed ipſe ad extremam demum compromiſſo præfinitam diem poſt initium noui anni eò venit. Veritus igitur, ne die lapſa irritum eſſet compromiſſum, vt Crucigeris gratificaretur, cauſa non cognita neq; diſceptata, ſententiam ex ſcheda, ꝗ in pera paratam habebat, inſertis quibuſdam, quæ in controuerſiam non venerant, recitauit, reclamantibus nequicquā noſtris, & fidem religionemque iudicis requirentibus.

Decretū Sigiſmundi Cæſaris ex compromiſſo.

Oratores Poloni ad Cæſarem.

Fuêre autem archiepiſcopus Gneſnenſis, Cracouienſis, Vuladiſlauienſis, Poſnanienſis, & Plocenſis epiſcopi: palatini, Cracouienſis, Poſnanienſis & Sendomirienſis, itemque Caliſſienſis caſtellanus, marſalcus regni, & Zauiſſius Niger: qui omnes duobꝰ relictis actutùm diſceſſêre Cæſare nequicquam retinente, & errorem quidem agnoſcente, ſed culpam in alios transferente, & moderationē decreti pollicente. Quam tamē legati Crucigerorū fieri paſſi non ſunt. Eò verò ſpectabat potiſſimùm decretum illud Cæſaris, vt abolito decreto delegatorum apoſtolicorum, Caroli Vngarorum & Ioannis Boemorum regum arbitriū, pactaque apud Toruniam inter Polonū regem & Magiſtrum conuenta, rata eſſent, quamuis ijs pactis iuxta ac arbitrio priores Cruciger non ſtetiſſent.

Sigiſmundi Cæſaris decretum.

Additū nonnihil de Zlotoria laſeneciaque arcibus, Lubicia moletrina, & finibus ditionum Crucigericarum cum Maſouia, itēque cum Samagitiæ parte, quæ Lituanis relinquebatur. Qui fines tantiſper duraturi eſſent, quoad rex & Vitoudus viuerent. Pœna autem appoſita eſt decē milliū marcarum argenti. Hæc vbi celeriter ad Vuladiſlaum, in Lituania tunc venationibus cum Vitoudo vacantem perlata ſunt, dolore & ira vterque ad lachrymas vſque & vlulatum exarſit. Mox cōmunicato cum paucis conſilio, rex curriculo Sbigneum Oleſſnicium ad Cæſarem miſit, qui ei beneficia ſua plurima & maxima, & ipſius non modò ingratitudinem & ſummam iniuſtitiam, verùm etiam perfidiam & periurium exprobraret, ſeque pariturum eſſe illi ſententiæ negaret.

Vuladiſlai & Vitoudi mandata ad Cæſarem.

Quod cùm Sbigneus in frequenti epiſcoporum & principum conſeſſu grauiſſimis verbis feciſſet, ſimulque Nicolaus Cebulca ſubſecutus, Vitoudi nomine cùm

cùm alia quædam acerbè in Cæsarem dixisset, tum fœdus & amicitiã eius refutasset, ita accẽderunt Cæsarẽ, vt eos violato iure gentium in profluentem demergere voluerit, nisi eum qui proximi assidebant episcopi & principes à tã præcipiti & nefario consilio auertissent. Sine responso autem ij dimissi sunt. Nec ita multo pòst Cęsar missis duobus legatis ad regem, correcturum se esse pollicitus est, quòd non maliciosè, verùm imprudenter Crucigerorũ fraude circumscriptus deliquisset. Verùm ne in eo quidem seruauit fidem, cùm Vuladislaus rursus episcopum Cracouiẽsem & marsalcum ea de re ad eum misisset. Relata deinde re ad senatum, parendúmne esset iniquissimo decreto Cæsaris, an eo spreto inferendum bellum Crucigeris, placuit ad tempus quiescere & expectare, ecquam priores Crucigeri, non parẽdo decreto Cæsaris, iustam belli occasionem darent. Nec ea diu expectata est. Cùm enim ij duodecim millia & quingentos aureos numos regi decreto Cæsaris ad certam diem numerare deberẽt, nec satis auri parati haberent, legati regij Ioannes Coscelecius palatinus Vuladislauiensis, & Sbigneus Olesnicius secretarius argentũ ꝙ in supplemẽtum auri dabatur, nõ acceperunt: dieq; lapsa, testati priores Crucigeros iudicatum nõ fecisse, discesêre. Quę res apprimè grata & exoptata regi Polonisq;, atque etiam Vitoudo accidit. Quietæ tamẽ aliquandiu postea res fuêre inter Polonos & Lituanos atque Crucigeros. Cæterùm domi in comitijs Lencicienſibus ad vicesimamquintam diem Iulij parum abfuit res à perniciosa seditione & cæde. Infensa erat Elizabetha regina Alberto episcopo Cracouiensi, cùm quod is matrimonium suum cum rege in primis improbabat: tum quod Ioanni filio suo, quem Vincentio Granouio pepererat, diploma de comitatu, quo is à rege contra leges publicas ornatus erat, non signabat. Cùm autem ea non ignoraret, infiniti compromissi culpam à rege in Albertum episcopum, Tulisco uium castellanum Calissiensem, & Sbigneum Brezium marsalcum, quos etiam alieniori-bus credo à se animis esse sẽtiebat, reijci, mulier vindictæ cupida, vrgebat eam occasionem, regemque in eos assiduò ,, incitabat: & vt sunt efficaces fere apud ,, viros mulierum suasiones atque pre- ,, ces, quæ noctu & in geniali thoro adhibentur, propemodum eò regem perpulerat, vt Alberto indicta causa Cancellarij munus abrogaret. Id quidem perfecit, vt in tres illos iudicium publicum in comitijs instauraretur. Et mortua quidem est regina ante diem comitiorum, publica omnium ordinum, præterquã regis ipsius, lætitia, quam splendidior vestitus omnium testatam faciebat. Iudicium tamen nihilo minus in episcopum & reliquos duos, quos diximus, institutum est. Ibi cùm propinqui & clientes Petri Vissi episcopi veteris iniuriæ memores, frequentes Alberto insultarent, & Bartholomæus Vulodicus gẽte Sulimæus, cum quo Petri fratris filia nupta erat, causam aduersus Albertum dicens, acerbius in eum inueheretur, non tulerunt id Alberti fratres, propinqui & clientes, quorum numerosa turba stipatus aduenerat. Crescebat iniurijs & conuicijs mutuis tumultus, & ab vtrisque ad arma sumenda, acciendosq; socios ex arce in oppidum decurrebatur. Rex cum primoribus in penitius cubiculum se subduxit. Quod ni mox porta arcis clausa, & pons sublatus esset, multum ibi sanguinis effusum esset. Repressa tandem est à primoribus, gliscens seditio, rexque reconciliatis reis, maximè Ioannis Tarnouij palatini Cracouiensis opera & industria. Consultatum deinde est de republica, & in primis de Boemis, an eos petentes rex in fidem suam reciperet. Nam ij victo pulsoque Sigismundo, ad Vuladislaum regnum deferre nunciabantur. Nondum tamen oratores eorum aduenerant. Re diligentius agitata in senatu, placuit, vt rex regnum à Boemis delatum ne reciperet, propter hæreses, quæ variè totam Boemiam infecerant, & propter intestina gentis dissidia factionesque diuersas, & quod inimicus capiendus erat Sigismũdus Cæsar, ad quem regnum illud iure pertinere videbatur: nec apertè tamen id refutaret, sed ambiguos legatos dimitteret, vt eo metu Sigismundus in officio contineretur. Soluto conuentu, venêre deinde Boemorum legati: quibus questis de Sigismundi superbia & acerbitate, regnumque Vuladislao deferentibus, responsum est: Regem vicem eorum dolere, ipsum quoque multis in signibus iniurijs à Sigismũdo affectum, vt meritò Boemis, pro tam propensis eorum in se studijs, auxilio aduersus eũ esse deberet: sed quoniam res magna esset ac difficilis, quam postularent, nolle eum quicquam de ea sine Vitoudi fratris consilio statuere. Hoc responso accepto pars legatorum in Lituaniam ad Vitoudum profecta est: cæteris Nepolomiciæ manẽdi locus datus, sumptusq; suppe-

Sigismundi Cæsaris præceps iracundia.

Consultatio Polonorum.

Crucigeri non faciunt satis decreto Cæsaris.

Comitia Lencicię turbulenta.

Regina cur infensa Alberto episcopo Cracouiensi.

Elizabethã reginæ mors omnibus grata.

Iudicium in episcopũ Cracouiensem & alios duos proceres.

Iurgium in comitijs.

Rex reconciliatis episcopo, &c.

Ioannis Tarnouij authoritas.

De regno Boemico suscipiendo consultatio.

Boemorum legatio ad Vuladislaũ regem.

Responsum regis Boemis datum.

ſuppeditati, ne in vrbe propter hæreticorum præſentiam ſuperſederi ſacris neceſſe eſſet. Indictis deinde rurſus comitijs

Comitia Nepolomiciæ.

Nepolomice ad vndecimam diem Nouembris, legati Boemorum (iam enim & ij qui ad Vitoudum iuerant, reuerſi erāt) non præciſa apertè ſpe ſuſcipiendi à Vuladislao regni dimiſſi ſunt. Reuerterunt

Boemorum legati iterū ad regem.

autem ij poſt inſequentis anni initium, repertoque rege vnà cum Vitoudo in Lituania apud Mereciam, idem quod prius poſtularunt, adijcientes: ſic eum facilius coniunctis Boemorum & Polonorum viribus, & Crucigerorum & Sigiſmundi communis hoſtis iniurias vlciſci poſſe. Quod ni faceret, Boemis ſubactis, ne Poloniam quidem ab iniuſtis Sigiſmundi armis tutam fore. Quòd ad religionē attineret, omnia ſe morib⁹ & inſtitutis Eccleſiæ catholicæ remiſſuros eſſe, quatuor capitibus exceptis: quę ipſa à Sigiſmundo quoque concedi ſibi poſtularant, ſed repulſam acceperant. Erant autem ea capi-

Boemorum poſtulata ad religionem pertinentia.

ta: Vt ſub ſpecie panis & vini Euchariſtiam ipſis vulgò accipere liceret: vt libera eſſet cuiuis verbi Dei prædicatio: vt publica eſſet facinorum correctio: & vt prædia cæteraque bona Eccleſiaſtica, quæ eccleſijs & ſacerdotibus eripuerant, ne redderent. Quòd ſi Vuladislaus regnum illud abnueret, vt Vitoudus id ſuſciperet. Diu eos Vitoudus ſuſpenſos tenuit, oſtētata nonnulla ſpe, vel Sigiſmundi vlciſcendi cauſa ſe id non recuſaturum. Tandemque ad decimumoctauum Calendas Septembris Lublini certum eis reſ-

Reſponſum Boemorum oratorib. datum.

Vuladiſlaus rex & Vitoudus repudiāt oblatum regnum Boem.

ponſum regis pariter ac ducis nomine datū eſt. Cui⁹ ea fuit ſententia. Licet ambo grauiter à Sigiſmundo læſi ſint, non eſſe tamen ſibi in animo, improbitate cum eo certare. Scire ſe, Boemiam Venceslai regnum hæreditario iure ad Sigiſmundum fratrem pertinere: Meminiſſe fœderum, quæ cum ipſo ſibi cōſtent, quamuis non eadem fide vtrinque ſeruentur: Religionem etiam ſibi eſſe, apud hæreticos regnare. Honoris autem Boemorum gratia ſe omni ratione curaturos eſſe, vt eis Sigiſmundum & Pontificem maximum & Eccleſiam catholicam, à qua deſciuiſſent, reconciliarent. Quòd ſi patiatur Sigiſmundus alium eos habere regem, ſiue adeò non patiatur, modò vt illi in viam rectæ religionis & ad ſocietatem vniuerſæ Eccleſiæ redire velint, reipublicę Chriſtianæ cauſa alterutrum de ipſis, ſi ita Pontifici max. videatur, non eſſe recuſaturum, quo minus id regnum ſuſcipiat.

Poloni oratores ad Sigiſmundū Cæſarem.

Dimiſſa cum his mandatis Boemorum legatione, miſit rex legatos ad Sigiſmundum Cæſarem, Ioannem Tarnouium palatinum Cracouienſem, & Sbigneum Oleſnicium ſecretarium: qui commemoratis modeſtè ſuperioribus Vuladiſlai in eum beneficijs, illiusque viciſſim in Vuladislaum iniurijs, perſtare tamen Vuladislaum in amicitia, nec mutare fidem oſtenderent: peterentque ab illo, vt cum Boemis in gratiam redire, Eccleſiæque reconciliare clementer eos vellet. Si ille pateretur, vtranque rem Vuladiſlao curæ fore, & vel armis, ſi aliter nequiret, eos ad officium reducturum, & in ditionem eius ſocietatemque Eccleſię catholicæ redacturum eſſe: modò vt poſtea viciſſim Sigiſmundus cum ipſo contra Crucigeros ſecundum pacta conuenta tandem arma coniungeret. Eius autem rei præſtandæ pignus interim Sileſia in poteſtate Vuladislai vt eſſet tantiſper, quoad Sigiſmundus fidem ſuam apud eum liberaſſet. Grata hæc fuit legatio Sigiſmundo, maioraque is vltrò Vuladiſ-

Sigiſmundi reſpōſum & pollicitationes.

lao, quàm quæ poſtulabant legati, obtulit, nimirum coniugium vnicæ filiæ ſuæ, cuius Vngaria & Boemia hæreditaria regna futura eſſent, aut verò Agathiæ viduæ, quæ cum Venceslao rege fratre ſuo nupta fuiſſet, ſi magis par coniugium ipſi placeret. Adhuc enim impubes erat filia Sigiſmundi. Ei verò viduæ dotem fore Sileſiam, & centum millia florenorum. Hæc cùm legati à Cæſare ad regem retuliſſent, miſſus eſt inde Sbigneus ad Vitoudum in Lituaniam, vt cum eo rē omnem communicaret. Res autem ip-

Comitia Nepolomiciæ.

ſa reiecta eſt ad comitia Nepolomicenſia. Inde Zauiſſius Niger de ampliſſimi conſilij ſententia ad Sigiſmundum de Agathiæ matrimonio conficiendo miſſus, cùm Cæſarem in expeditione Boemica occupatum ſequeretur, eoque ab hæreticis profligato in proximum oppidum Goram cum multis alijs ex acie ſeſe recepiſſet, oppido per proditionem ab hæreticis capto, in poteſtatem ipſorum venit: Pragamque ductus, per longum

Zauiſſius orator regis captus à Boemis.

tempus in cuſtodiam habitus eſt. Et poterat quidem ante obſidionem oppidi euadere: ſed extrema quæque pati, quàm ſocios ſuos, & milites Cæſaris deſerere maluit. Eius igitur captiuitas diuturna impedimento fuit, quo minus matrimonium illud perficeretur. Dum hęc fiunt, Vula-

Marchia Brandeburgenſis quomodo ad Burgrabios Norembergenſes peruenit.

Friderico marchioni Vuladiſlaus filiam deſpōdet.

dislaus rex cū Friderico marchione Brādeburgēſi, qui cùm eſſet Burgrabius Norembergenſis, Marchiam à Sigiſmundo Cæſare dono acceperat, ſiue emerat, affinitatē iunxit, deſpōſa filio eius natu maximo Friderico vnica filia ſua Heduigi. Atq; is cū impubes etiā tum eſſet, in aula regia deinceps ab Elia theologo decano

Sendomi

Sendomiriensi, & Petro Chelmio honesto equite, honestè & liberaliter educat⁹ est. Conuenerat enim inter affines, assentiente senatu Polonico (Cracouiæ verò hæc agebãtur, quò Frideric⁹ senior ea de re aduenerat) vt si Vuladisla⁹ nullos mares liberos susciperet, regnũ Poloniæ post eius mortẽ dotale Fridericus gener, etiãsi ante nuptias moreretur spõsa, acciperet: Marchiãq; paternã suam ditionẽ, quæ detrimẽtis Poloniæ creuisset, iure sempiterno eidem rurs⁹ adiũgeret, quemadmodum Dlugoss⁹ prodit, tametsi hoc in pactis sponsalibus disertè cautum non est. Si quas verò alias filias rex relinqueret, eas Fridericus elocaret. Sin filium hæredem rex relinqueret, centũ milliũ aureorũ Vngaricorũ puellæ dos esset, intra duos annos post cõsummatũ matrimoniũ exoluẽda: quæ tamen, Heduigi defuncta, ad regẽ & regnum rediret, si Fridericus ex ea nullos liberos suscepisset. Quod si Fridericus dote non accepta è viuis excederet, Heduigis tamen nihilò min⁹, quoad viueret, in Marchia certorũ prædiorum atq; bonorum ducentis millibus aureorũ æstimatorũ vsufructum haberet. Pollicebatur autẽ Fridericus pater Vuladislao magna aduersus Crucigeros auxilia, quoties op⁹ esset. Sed ea cùm ex pacto paulo post poscerẽtur, negauit in eum annum se mittere posse, persuasitque regi, vt in sequentem annum bellum Crucigericum differret, quod diceret, initurum se esse rationem vt Crucigeri vltrò imperata regis facerent, & vel culinarium eius currum ducerent. Accessit etiam, ni fallor, ad prorogãdas inducias Pontificis maximi authoritas, apud quem tunc causa inter regem & Crucigeros, Paulo Vuladimirio custode & canonico Cracouiensi negocia regis Romæ gerente, disceptabatur. Et venit quidem sequentis anni, qui fuit à Christo 1422. initio legatus Pontificis Antonius Zenus iurisperitus, vir integer & incorruptus, siue ad componendas res inter dissidentes Polonos & Crucigeros, siue ad cognoscendam diligentius causam, & audienda vtriusque partis testimonia, describẽdaq; monimẽta. Secutus autem is est regem in Lituaniã. Nam ibi tunc ille inconsulto senatu Polonico quartas nuptias cum Zonca Russa, cui Sophiæ postea nomen fuit, Andreæ Kiouiensium ducis & sororis Vitoudi filia, celebrabat. Id verò matrimonium sine dote Vitoudus, nequicquam aduersantibus Polonis, qui cum rege erant, conciliauit, vsus illa occasione, quod Zauissio capto, nihil ad eam diem cum Cæsare constitutum erat.

Pacta publicè conuenta inter regem & marchionem Brandeburgẽsem.

Friderici Marchionis ingentia promissa.

Induciæ cũ Crucigeris.

Paulus Vuladimirius.

1422. ann. Legatus Apostolicus Antonius Zenus.

Quartam vxorem ducit Vuladislaus

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER DECIMVSNONVS.


Euertenti è Lituania regi legatus ducis Montensis siue Bergensis occurrit, orãs vt eum ducem rex in fidem & clientelã suam susciperet. Sed ei respõsum est: Neq; regi, neq; duci eam rem, propter tantam loci inter eos intercapedinem commodo esse posse. Est enim is dominatus ad Rhenũ in interiore Germania. Cùm autem esset rex in Polonia, poposcit ordinẽ ecclesiastiçum quinque millia florenorum, quę ei Pont. max. exigenda cõcesserat. Verùm ea de synodi sententia negata sunt, ne quid eiuscemõdi in consuetudinem veniret, & quod nullum tunc rex bellum aduersus hæreticos Boemos gerebat. Nã in eum vsum Pont. eam exactionem indulserat. Bellum deinde regi cum Crucigeris præter omnem opinionem exarsit. Nauiter operã dabat causæ disceptãdæ Zenus legat⁹, & iã finis induciarũ appetebat. Egit ergo is cũ vtrisq; de prorogãdis inducijs: eoq; rẽ perduxerat neutris recusantib⁹, vt eæ cõuenirẽt, ni fraus Crucigerorũ deprehẽsa esset. Offens⁹ enim iniquitate Cæsaris Vitoudus, Sigismundũ Coributhũ fratrem cũ non contẽnendis Polonorũ & Lituanorũ copijs in Boemiã ad recipiẽdum ac defendendũ aduers⁹ eum gentis illius regnũ haud multo antè miserat, si non annuẽte, certè non aduersãte rege. Id cùm ægerrimè ferret Cæsar, Crucigeros ad inferẽdum Polonis bellũ incitabat: & vt facilius incautos fallerẽt, suadebat vt inducias nõ abnuerẽt, illa cõditiõe in pactis adiecta, vt eaten⁹ eæ firmæ essent, quatenus ipsi quid aliud siue à Pont. max. siue à Cæsare in mandatis non haberẽt. Ea de re cũ Cæsar aliquot hominibus habitu mẽdicorum ornatis literas ad Magistrũ Cruci-

Dux Montẽsis non susceptus à rege in clientelã.

Contributio à Pontifice concessa regi à clero negata.

Prussicũ bellum.

Coributhus cum exercitu in Boemiã profectus.

Sigismundi Cæsaris conatus.

cigerorum perferendas dedisset, vnæ ex his inter vestes mendici apud Coninum forte mortui inuentæ, dolum detexerunt. Itaque cùm Crucigeri in inducijs Pontificis siue Cæsaris autoritatem disertè exciperent, re infecta, & arguta euidenter à nostris Crucigerorum fraude, irritatisque animis, discessum est, bellumque magna celeritate & ingenti animorum ardore comparatum. Intra paucos dies cũctæ copiæ è Polonia, Russia, & Lituania, quò iussæ sunt, conuenêre. Interim autem Zenus cùm cognitioni causæ apud Vuratislauiã insisteret, mandato Pontificis importunitati Cæsaris

Antonij Zeni integritas. concesso reuocatus est. Suspecta enim eius fides & integritas Crucigeris esse cœperat. Ingressus autem rex hostilẽ terram, composito agmine, perinde ac si hostes in conspectu essent, incedebat: & habebant ij sanè supra triginta millia equitum pariter atque peditum, commisissurique erant rem vniuersæ dimicationis discrimini, ne vastari sua sub oculis

Conradus Nencius. suis paterentur, nisi Conradus Nencius Silesius vir scientia rei militaris præstãs, temeritatem eorum qui cum tanto exercitu pauci dimicare vellet, redarguisset.

Regius exercitus. Erant enim supra centum millia bellatorum in castris regijs. Itaque Crucigeri mutato consilio ad tutandas munitiones dilapsi sunt, relicta aliquanta manu ad prohibendum nostris Deruanciæ amnis transitum. Sed ea facilè à nostris pulsa est, cæsis captisque compluribus. Circum castella deinde & oppida nostri arma circumtulêre: Fridecum, quod Vam

Vambrezum olim sedes episcopi Culmensis. breznum nostri vocant, vbi domicilium erat Culmensis episcopi, & Golubũ oppida cæpêre, diripuêre, & incẽdêre. Duæ

Golubum oppidum & arces duæ. Golubo arces imminebant: ex his inferiorem præsidiarij milites Crucigerorum ipsi incenderunt, quo facilius superiorẽ defenderẽt, & equos suos, ne prædæ Polonis essent, interfecêre. Sed superiore quoque Poloni, cùm machinis eã quassassent, per deditionem potiti sunt. Præsidiarij omnes, qui supra quadringentos fuerunt, cum quindecim Crucigeris in vincula coniecti. Ibi dum rex castra ha-

Legatio Cæsaris ad regẽ Vuladislaũ. bebat, venit ad eum Corbauiensis episcopus legatus à Cæsare, petens, vt Coributhũ è Boemia reuocaret: Crucigeros ne bello vexaret: si quid ij deliquissent, iure cum eis apud Cæsaris tribunal, cui illi subiecti essent, ageret: Quod si iniquitate sententiæ Cæsaris offenderetur, Cæsarem, si quid eiusmodi esset, correcturum esse. Si qua alia iniuria læsum se esse à Cæsare arbitraretur, Polonis & Vngaris proceribꝰ rẽ disceptandã secundũ fœ

dera permitteret. Ad hæc sic ei responsũ

est. Quod ad Crucigeros attineret, Regẽ *Responsum regis.*
satis perspectã habere fidẽ & æquitatem Cæsaris: pariturũ tamen eum fuisse eius decreto iniquissimo, nisi Crucigeri priores id contẽpsissent. Deinde prorogaturũ quoq; nihilominꝰ inducias cũm eis fuisse, ni sublestam fraudem ex literis Cæsaris deprehẽdisset. Illud etiã quale esset, quod is opera sua Antonij Zeni legati pontificij incorrupti viri iudicium intercepisset? Itaque oportere regẽ armis sua repetere, quando aliter non posset. Coributhũ non regis iussu in Boemia cũ exer

citu esse. Intulit mox Vitoudus: A se cũ *Vitoudi responsum.*
illuc missum esse, vt Cæsaris iniurias & violata fœdera vlcisceretur: futurũq; ibi esse deinceps etiã, vt intelligeret Cæsar, quos homines sub specie amicitiæ dolis falleret. Cum his respõsis dimissus legatꝰ. Non intermittebãt interea nostri populabũdi hostiles agros longè lateq; di-

spersi infestare. Fortè quadringẽti Vala- *Valachorum auxilia ad bellum Prussicum regi missa.*
chi expediti (tot enim Palatinꝰ regi in auxiliũ miserat) sub Marieburgo prædas agebãt. In eos Crucigeri magno numero ex arce effusi, impetũ fecerũt. Valachi venientiũ cõtra se hostiũ multitudine animaduersa, in proximã syluã se recipiũt, ex equis desiliũt, nõ insueto genere pugnãdi pedestres inter cõdensas arbores se se defensuri. Descẽdunt & Germani, vt latitãtes, quemadmodũ opinabãtur, è latebris extraherẽt. Sed mox dẽso sagitta-

rũ imbre obruti, cæsis captisúe primis, *Valachorum victoria de Prussis.*
fugã capessunt. In fuga quoq; à persequẽtibꝰ non paruã cladẽ accepêre. Victores Valachi cũ præda & captiuis in castra reuersi sunt. Alia quoq; non minore clade per idẽ tempꝰ Crucigeri inter Orlouiam & Murinouiã pagos profligati sunt ab

Andrea Brochocio præfecto Brestẽsi, nõ *Andreas Brochocius.*
magis viro forti, quã pio atq; religioso. Erat is cũ Mathia Labissinio Brestẽsi, & Ioanne Coscelecio Inouuladislauiẽsi palatinis, & cũ omni nobilitate Cuiauiensi relictus à rege ad præsidium eius oræ cum imperio, ne qd à Crucigeris ibi moueretur. Indignati verò palatini, sibi eum prælatum esse, domos cum clientibus suis per speciem comparandi cõmeatus recesserant. Perstitit in castris Brochocius, nihil ea discessione deterritus, diligentiusque seruabat excubias quoquouersus dispositas. Erant in præsidio Nessouiæ octingenti equites Crucigerorum: ij vt incautos Polonos opprimerent, silenti agmine circumuecti, à tergo, vbi nullas rebantur seruari excubias, noctu eos adorti sunt. Sed non fefellêre tamen. Et primas quidem excu

bias securas oppresſere: verùm à ſecundis ad tertias, & inde in caſtra clamor ꝑlatus, Brochocium cum ſuis exciuit. Armis raptim correptis, hoſti ſepta caſtrorum conuellere iam incipienti intrepidè occurſum eſt: commiſſoq; prælio (& lucebat fortè luna) ceſſit noſtris victoria: diſſipati fuga hoſtes, cùm per ignota ſibi loca ſyluasq; errarent, agreſtib⁹ prædæ fuêre per ſubſequētes dies. Magnuſque fuit numerus captiuorū, in quibus commendatoris Torunenſis vicarius, ac duodecim Crucigeri fuerunt. Nam commendator ipſe fuga elapſus eſt. Rex Golubēſi arce potitus, ad Coualouiam, quam Germani Schoneſee vocant, caſtra mouit: & in arcis illius oppugnatio ne nonnihil incommodi accepit. Nam oppidum ipſi Crucigeri ſuccenderant. Captus cum paucis Dobrogoſtius. Camenēſis caſtellanus, per cuius incuriam Drahimū haud multo antè interceptū erat à Germanis militibus in Pruſſiam contendentibus. Tametſi intra paucos dies arx ea à noſtris recuperata fuit, Pauli Venzici Germani opera: qui cùm eſſet inter præſidiarios hoſtium, Polonos clàm noctu caſſibus venatorijs in arcem ſuſtulit: à quibus mox præſidium hoſtile deiectum eſt. Paulus perpetuo cenſu donatus à rege in ſalinis Veliſcenſib⁹ Omiſſa Coualouiæ oppugnatione, ad Toruniam rex duxit. Fortè didicerat ab exploratoribus, Crucigeros non contemnendas copias coegiſſe. Quanquam nō habebant ij in animo, aperto prælio manus cōſerere, ſed occaſionem & opportunitatem rei bene gerendæ captabant. Contra hos ergo ſedecim Polonorum, totidemque Lituanorum vexilla miſit. Sed priuſquam in conſpectum ventum eſt, hoſtes aduentu noſtrorum cognito, fuga dilapſi ſunt. Rex cùm peſtem graſſari Toruniæ accepiſſet, contagionem metuens, mutato conſilio, vaſtatis modò ſuburbanis, in Culmēſe territorium exercitum reduxit, vt id ſiue peruaſtaret, ſiue in poteſtatem ſuam redigeret. Interea Crucigeri, & ipſi inauſpicati belli pertæſi, & nobilitatis oppidanorumq; ſuorum clamoribus & querimonijs defatigati, legatos ad eum de pace miſerunt. Non difficulter impetratum: pacis leges ſupra Oſſam fluuium & apud Melnum lacum in caſtris cōſcriptæ: inter quas erāt præcipuæ, vt rex Galardi & Petri iudicum à Pōtifice maximo delegatorum decretum: Magiſtri verò Crucigerorum, Pruſſienſium quidem Paulus, Liuonienſium verò Sifridus pacta Torunēſia, & Sigiſmūdi Cæſaris decreta duo ex cōpromiſſo lata repudiarent: Samagitiam, Sudos, Neſſouiam, arce tamen ab ipſis diruta & materia aſportata, rex haberet, itemque dimidium Viſtulę & nauli apud Toruniam: Crucigeris verò redderet, quicquid de ijs tunc cæpiſſet: præteritæ omnes iniuriæ obliterarentur. Quod ſi vtriuis bellum renouare vellent, vt ſubditis eorum impunè liceret dominis ſuis nullam opem ferre. Pecuniam quoque certam regi Crucigeri numerare debebant: quanquam hoc monumentis literarum mādatum non eſt. Hæc ita conuenta, Eberhardus quoque generalis Crucigerorum Magiſter literis ſuis comprobauit. Nec tamē rata fuêre. Nam diſcedente rege, nō impleuerunt Crucigeri promiſſa, ita iubēte Cæſare. Vnde cùm irritatio animorum inter principes maiores motus par turire videretur, Vngarorum proceres conuentum cum noſtris expetiuêre. Nec difficulter impetrarunt, vt ad Keſmarcū oppidum delecti à rege de ſententia comitiorum ſecum conuenirent. Ibi conſtitutum, vt ad medium Quadrageſimæ anni ſequentis ipſi inter ſe Cæſar & rex conuenirent, & proceribus Vngaris & Polonis arbitris quēadmodum erat in fœdere, de iniurijs mutuis diſceptarent: Crucigerorum quoque legati cum luculentis mandatis vt adeſſent. In eo verò conuentu cùm Nicolaus Tramba Archiepiſcopus Gneſnenſis mortuus eſſet, ſucceſſor ei Albertus Iaſtrembecius, quamuis reluctans, rege authore datus eſt. Poſt eum verò Sbigneus Oleſſnicius aduerſante primùm, deinde verò fauente & adiuuante Vitoudo (nā in Lituania tunc rex erat) Cracouienſis epiſcopus factus eſt. Congreſſi deinde Cæſar & rex ad præſtitutam diem apud Stareſolum, ſiue antiquam villam, cùm de iniurijs mutuis inter ſe audientibus proceribus expoſtulaſſent, pacem inter ſe renouarunt: Crucigeri quoque pacta conuenta apud Melnum lacum ſeruare iuſſi, dicto audientes fuerunt, & controuerſa quædam pactorum conuentorum capita, ad mercaturam & commercia pertinentia, conuentu cum Polonis apud Neſſouiam inſtituto, explicarunt. Reuocatus deinde eſt à rege Coributus è Boemia, vbi non contemnendas vires habuerat, & authoritatē ſibi apud Boemos, præter Ziſcæ factionem comparauerat: Pragenſem ciuitatē lenitate cum ſeueritate mixta in meliorem formam, quemadmodum inquit Aeneas Syluius, redegerat: arcemque munitiſſimam, cui Garliſteino nomē eſt, ſex totos menſes fru-

Neſſouienſes præſidiarij fuſi à Brochocio.

Coualouia Schoneſee.

Drahimum captum & receptum.

Crucigeri pacem petūt à rege, & impetrant.

Pacis apud Melnum factæ conditiones.

Pax infecta iuſſu Cæſaris.

Vngarorum & Polonorum procerū conuentus apud Keſmarcum.

Albertus Iaſtrembecius archiepiſcopus Gneſn. Sbigneus Oleſſnicius epiſcopus Cracouien.

Sigiſmundi Cæſaris & Vladislai regis congreſſus.

Pax renouata inter Cæſarem & regem.

Cum Crucigeris pacta nouata.

Coributus è Boemia reuocatus.

ſes fru-

ses frustra obsederat, & cum Sigismundi copijs leuibus prælijs aliquoties prosperè fermè dimicauerat. Reuersus inde, cùm Dobrinēsem dominatum à Polonis non impetraret, solicitabat animos multorum ad res nouas. Qua re magnum sibi odiū apud regem & proceres conflauit. Missi deinde à rege Sbigneus designatus episcopus, Sendiuoius Ostrorogus palatinus, & Dobrogostius Samotulius castellanus Posnaniensis,& Stanislaus Ciolcus procancellarius ad regūdos fines cum Crucigeris in Samagitiam, certis signis Samagitiam à Crucigerorum ditione diremerunt. Nihil præterea memorabile eo anno gestum, nisi quòd proceres cum nobilitate in comitijs Vartēsib⁹ rege absente leges quasdam condidêre. Insequenti autem anno, duodecima die Februarij, Sophię reginæ diadema solenni ritu impositum est. Quam celebritatem præter Polonos & Lituanos proceres, Sigismundus Cæsar cum Barbara vxore: Ericus rex Danorum, qui tunc fortè Ierosolyma religionis ergò iter habebat: Branda cardinalis cognomento Placentinus legatus Pontif. maximi: Iulianus Cæsarinus auditor cameræ Apostolicæ, qui postea Cardinalis fuit: Ludouic⁹ Bauarorum, Ziemouitus, Vuladislaus, Cazimirus & Alexander fratres Masouiorū: Bernardus Oppoliensium, Boleslaus Cessinensium, Ioãnes Ratiboriensium, Cazimirus Osuencimensium, Venceslaus Oppauiensium, duo Conradi albus & niger Cozlensium, Venceslaus Zeganensium, Sigismundus Coributus Vitoudi frater, duces: itemq; Elbingensis & Torunensis commendatores nomine magistri Crucigerorū Pauli Rusdorfij cohonestarunt. Vitoudus venire noluit, nescio qua de causa infensior reginæ factus. Tentatū est in illo cõuentu à principibus de Heduigi regis filia Boguslao duci Stolpensium Cæsaris necessario in matrimonium collocanda, cùm Vuladislaus non obscurè alienum à Friderico marchione, cuius filio ea desponsa erat, animum præ se ferret, propterea ꝙ is auxilia nulla ex pacto ipsi ad bellum Prussicum miserat. Sed nihil tamen ea de re impetratum est, dissuadentibus regi proceribus, fidemque rebus omnibus potiorem ducētibus. Dissuasit & Vitoudus absens, apud quem tunc Fridericus iunior educabatur, cùm res tota ad eum à rege reiecta esset, Cæsarque & reges ad ipsum ea de re oratores allegassent. Accessit etiam Pontificis autoritas postea, qui Fridericum è sua familia Columnē-

Fines regni statuuntur inter Prussiam & Samagitiam.

Comitia Vartæ absente rege. 1424. ann.

Sophia regina coronata Principum conuentus Cracouiæ.

Legatus Apostolicus.

Rex alienatus à Friderico marchione.

Marchiones

si originem ducere profitebatur. Effectum autem est in eodem conuentu, adnitente maximè Cardinali, vt rex Vuladislaus Cæsari præter voluntarios, qui certatim crucis militiam à Pōtifice promulgatam amplectebantur, quinq; millia equitum ad bellum contra Boemos hæreticos promitteret. Acta & alia nōnulla in secretis colloquijs. Post quintumdecimum tandē diem reges & principes liberalissimè & magnificentissimè habiti, suas quisque domos discessêre. Vuladislaus rex Visliciam profectus: ibi eum legatio Boemorum conuenit, petens, vt quando ipse Vitoudusq; nollēt, Coributum sibi regem mitteret. Probauerat enim is priore expeditione Boemis industriam, virtutem ac diligentiā suam. Non modò negatum, sed bellum quoque denunciatum Boemis, ni hæresim abijcerent, & Romano pontifici dicto audientes essent. Profectus est tamē iterum ad Boemos Coributus rege inscio cum aliquanta facinorosorum & obæratorum hominum manu, quæ ad eum cōfluxerat. Quamobrem suspicionem Cæsaris, multorumq; præterea vitare Vuladislaus non potuit, quamuis promissa equitum auxilia duce Petro Mezuuezio Cæsari misisset. Quin ea quoque auxilia, cùm per Moraniam iter facerent, & suspecta se esse ijs, quibus suppetias ibant, haud obscurè animaduerterent, oppidisque excluderentur, verita necubi opprimerentur, in Poloniam ab Olomucio reuertêre. Hoc anno natus est Vuladislao filius pridie Cal. Nouembris, ingenti patris lætitia: & post quartum demum mensem religioni Christianæ ritu solenni initiatus, Vuladislai nomen accepit. Adfuerunt autem ei cerimonię Pontificis maximi, Cæsaris, Venetorum & Mediolanensium ducum, & nonnullorum aliorum principum à rege inuitatorum legati, cum amplis donis puerperæ allatis, Vitoudus verò argenteas cunas centum pondo puero misit. Remisit autem vicissim Vuladislaus omnibus munera. Aduenit postea legatus pontificis Latinus Vrsinus Cardinalis episcopus Hostiensis, afferens regi dono vnum de clauis, quibus Christus Iesus author salutis nostræ cruci affixus fuit. Acceptus est summo cum honore veniens Cracouiam, multitudine omni cum sacerdotibus & monachis obuiam effusa: clauusque sacer voluntate regis in basilicam Cracouiensem illatus: vbi in hanc vsque diem asseruatur. Nihil præterea memorabile gestum duobus illis annis, pro-

Brandeburgenses gentiles Columnensium.

Coributus ad regnum à Boemis vocatur.

Boemorum repulsa.

Coributus ad Boemos profectus.

Vuladislaus misit auxilia Cæsari contra Boemos.

Vuladislaus filius Iagelloni natus.

Legatus pontificius in Poloniā. Clauus sacer.

propterea quod pestis Poloniam & Lituaniam peruagata est, ita vt rex cum regina & Vitoudo in syluis degere cogeretur. Vbi cùm vacaret venationi, casu crus fregit, in quo curando menses aliquot Crasnistauiæ absumpsit. Anno verò millesimo quadringentesimo vigesimosexto, ad Pentecosten Lenciciæ comitia habita sunt. Ad ea rex per Masouiam proficiscens, Ziemouitum seniorem ducem in gratiam recepit, cùm is ipsi primùm per filios, deinde per se ipse satisfecisset de eo, quod insimulat⁹ erat, quasi in potestate regis esse nollet. Cui quidem suspicioni Stanislaus Pauulouius archidiaconus Plocensis occasionem dederat, cùm is fortè anno superiori in synodo Lencicienſi, in qua de viginti millibus florenorum regi Pontificis maximi iussu ab ordine ecclesiastico inferendis frustra actũ est, negasset mandatum illud pontificium ad Plocensem diœcesim pertinere, quod in ea ac in tota Masouia rex nihil prorsus iurisdictionis haberet. Atque id de sententia ducis, cuius erat Cancellarius, & cuius authoritate non multo post Iacobo episcopo mortuo, Plocensis episcopus designatus erat, dixisse videbatur. In comitijs verò Lencicienſibus permissum Cruciger is, importunissimè efflagitante Vitoudo, vt moletrinam Lubicensẽ, quã ex pactis conuentis demoliti erant, instaurarẽt. Missi ea de re legati ad Vitoudum Sbigneus episcopus Cracouiensis, Domaratus castellanus Biecẽsis, Petrus Saffranecius succamerarius Cracouiensis, & Nicolaus Dreuicius scriba regius, ducem de temeritate promissi & importunitate grauiter obiurgarant. Præ se ferebat enim Vitoudus, nisi id precibus suis datum esset, se Dolangense territorium in Samagitia ad mare vergẽs Crucigeris donaturum esse. Alia res magna in ijsdem comitijs à rege tentata, sed nõ impetrata est: cùm is promissa eam ob rẽ in superioris anni comitijs Brestensibus non præstaret. Promiserat autem, confirmaturum & aucturum se esse nobilitatis prærogatiuas, stationes ecclesijs & monasterijs remissurum, Cuiauienses autem auenæ pensione liberaturum, si filium suum anno superiore natum, regem post se designarent: conueneratq; vt ijs de rebus rex in proximis comitijs diplomatis in singulos tractus siue palatinatus datis, diligenter caueret. Verùm is mutato, suasu Cæsaris, consilio, cùm negaret id se facturum esse, consurgens omnis senatus, diploma suum, quo regi de filio promittebat, à Sbigneo episco-

Vladislaus rex crus fregit.

1426. ann.

Ziemouito Masouio rex recõciliatus.

Synodus Lẽcicia.

Comitia Lẽcicia.

Lubicensis moletrina.

Vitoudi temeritas & importunitas.

Vladislaus laborat, vt filius suus infans rex designetur.

Senatus regij factum insigne.

po, cuius fidei concreditum fuerat, receptũ, magno cũ fremitu ac tumultu rege inspectante concerpsit. Sic re infecta cõuentus ille solutus est. Alia tamen via rex id quod cupiebat, postea perfecit, cũ singulos senatores priuatim, quemadmodũ Cæsar monuerat, prensasset, & à singulis chirographa exegisset: itemq; à ciuitatibus, & plerisq; conuentib⁹ nobilitatis, præsertim Russiæ & Podoliæ. Perpauci de procerib⁹ reperti, q̃ maiorẽ reipublicæ, quàm priuatorũ commodorũ suorũ & gratiæ regiæ rationẽ ducerent. Natus autem est eo anno regi alter fili⁹ Cazimir⁹, & intra annũ vertẽtem mortuus. Porrò Vitoud⁹ cõducto è Polonia magno numero mercenariorum militũ, fecit eodem anno expeditionem in Pscouenses Russos, liberos tunc, sed postea in ditionem Moschorum redactos. Nec ea expeditio satis prospera ei fuit initiò, quippe quæ nulla iusta de causa suscepta esset, perennib⁹ fere pluuijs madente humo per se etiam vliginosa, ita vt neq; progredi cõmodè exercit⁹, neq; pabulari posset. Ad extremũ tamẽ Pscouenses magna vi auri & argenti infecti pariter & signati pacẽ redemerũt. Vladisla⁹ verò per idem tẽpus de nobilitate Russica ditionis Polonicæ, quæ vergit ad Meridiẽ, quinq; millia equitũ duce Ioãne Cobilenio gente Grimalio præfecto Sanocensi in auxilium Sigismundo Cæsari contra Turcas misit. Qui ad Brailouum vsq; (quod oppidum ad confluentem Serethi ac Danubij fluuiorum in extremis Moldauiæ ac transalpinæ Valachiæ finibus fuit) longum iter emensi, duos menses in eo loco campestri vnà cum Valachis (qui & ipsi ex fœdere iussu regis præstò fuerunt) castra habuêre, dum Cæsarem vltrà constitutum tempus expectant. Vbi verò Boemicis rebus impeditum venturum non esse intellexerunt, pacato agmine, quemadmodum profecti domo erant, reuertêre. Detrectarant nonnulli de Russis eam militiam, propterea quod quinæ marcæ in hastas ex Ludouici regis sanctione ipsis non dabatur: Eos rex carcere diuturno coercuit, & bonis multauit. Sed remisit post omnibus multam rogatu procerũ. Aduocatiam modò Crosnensem retinuit. Mortuus est eodem anno Ziemouitus dux Masouiorum relictis quatuor filijs, & quinque filiabus. Ac filij quidem sic inter se paternum dominatum partiti sunt, vt Ziemouito Rauensis, Vladislao Plocensis, Cazimiro Belsensis ditio cederet: quartus Alexander exors patrimonij, sacris initiatus episcopus

Cazimirus filius Vladislao natus & mortuus.

Vitoudi bellum in Pscouenses.

Russi & Valachi in auxilium missi Cæsari contra Turcas.

Serethus fl.

Russi contumaces coerciti à rege.

Ziemouiti ducis Masouiorum mors & liberi.

Alexander Masouius Tridentinus

 Triden-

episcopus & Cardinalis. *Cimberca Friderici tertij Cæsaris mater.*

Tridentinus, postea Cardinalis presbyter fuit. De filiabus verò Cimbarca Ernesto Austriorum duci nupsit, de qua Fridericus tertius Cæsar natus est: Eufemia Venceslao Cessinensium: Cunilia Boguslao Stolpensium duci: quarta Osca, quæ eadē Agathia est, Michaëli duci, qui Sigismundi, Vitoudi fratris filius fuit: quinta innupta obijt. Lascaris quoq; episcopus Posnaniensis codē anno mortuus, longam & perniciosam successoribus, Miroslao Nalencio iureconsulto ac datario Apostolico, & Stanislao Ciolco procācellario regni litem reliquit: cùm hic sacri collegij suffragijs, & regis authoritate, ille Pontificis prouisione niteretur: & Miroslaus quidem cōsecratus, possessionem tamen bonorū adire inuito rege non potuit. Stanislaus verò omnia bona episcopi in potestate sua habuit, quanquam non nisi post bienniū episcopus à Pontifice renunciatus, Miroslao vita defuncto. Lascarem haud multo pòst Ioannes Pella Vuladislauiensis episcopus, qui ante duos annos Ioanni Cropidloni successerat, secutus, Ioānem Saffranecium decanū Cracouiensem & Cancellarium regni habuit successorē.

Lis de Posnaniensi episcopa.

Rex contempsit prouisionem pontificiam.

Ioannes Saffranecius episcopus Vuladislauiensis

Insequēs annus nulla ferè alia re, quàm probro reginæ memorabilis est. Eius verò author Vitoudus fuit: qui siue odio reginæ, siue cupiditate regni, quam apertius postea præ se tulit, stimulat⁹, seu denique rumoribus hominū vulgatis permotus, augente suspicionem in decrepita regis ætate tertio, quod instabat, reginæ puerperio, cùm omnib⁹ minimè mali regis actionibus moderaretur, facile credulum hominem, vt in pudicitiam reginæ inquireret, induxit. Captæ duæ puellæ pedissequæ reginæ, Catharina & Elizabetha, sorores Sciucouiæ, quæ omniū esse consciæ existimabantur, terrore tormentorū adhibito, cōfessæ sunt de libidinib⁹ reginæ: sed verène, an falsò, in certū est. Editi nominatim, cum quib⁹ illa rem habere consueuisset, Hincia Rogouius, Petr⁹ Curouius Laurentius Zaremba, Petrus Crasca, Ioannes Conespolius, Petrus ac Dobeslaus Scecocinij. De quibus tres vltimi re intellecta profugerunt: reliqui indicta causa in carcerē cōiecti, procerib⁹, qui cum rege Grodlum (vbi hæc agebantur) à Vitoudo euocati venerant, partim gratia, partim metu assentientibus: pedissequę in Lituaniam relegatæ, maritos ibi postea nactæ sunt. Regina non audita plena mœroris ex tam insigni infamia Cracouiam remissa est. Remittebatur in Lituaniam asser-

Inquisitio in pudicitiam reginæ.

De reginæ adulterio rei.

uanda in custodia, ni Poloni proceres, & in primis Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis, cuius magna tunc erat authoritas, dissuasisset. Is enim, cùm id à rege clàm agi ex apparatu curruū, & mox ipsius confessione cognouisset, percontatus est regem, Quid pueris ex ea natis facturus esset? Cùmque rex, secum eos fore, & in spem regni educatum iri, respondisset. Apage, inquit Tarnouius: túne reges nobis relinquere vis, quos ipse, dum matrem ipsorum probro afficis, pro tuis liberis non agnoscis? Cæterùm senatus frequens eō rem perduxit, vt regina se suo ipsius, & septem honestarum & nobilium fœminarum iureiurando purgaret. Iurarunt cum ea, Catharina Nicolai Michalouij Sendomiriensis palatini vxor: Cochna, quæ cum Iacobo Conespolio Siradiensi: Heduigis, quæ cum Ioanne Glouacio Masouiæ, palatinis: Anna, quę cum Sbigneo Brezio mar salco: Clichna, quæ cum Nauoio Mocri scio nupta fuerat: Helena Pauli Bogumi louicij iudicis vxor: & Helena Cotca vir go. Iudicium deinde in Ioannem Strassum à regina efflagitatum est, quod is princeps hunc de ipsa rumorem apud Vitoudum & Germanos sparsisse diceretur: atque is neque confessus, neque conuictus, cùm se etiam decreto Petri Vi dauij iudicis Siradiensis, cui rex cognitionem eius causæ mandarat, iureiurando purgasset, & accusatores ad singulare certamen prouocaret, in carcerem tamen à rege coniectus est Sendomiriæ: vbi parum abfuit, quin fumo & vapore prunarum illatarum enecaretur. Sed hoc posterius mortuo demum Vitoudo accidit. Tunc autem non multo post regina filium peperit, cui Andreæ Casimiro nomen fuit. Erat Cracouiæ Henricus quispiam Boemus insignis astrologus. Hic infantem recens natum longæuum, sed infelicem fore, Poloniamque multis ac magnis malis atque calamitatibus eo regnante afflictum iri, ex astris prædixit: fratrem verò eius Vuladislaū clarissimum atque victoriosissimum futurum: & ni fata longiorem ei vitam inuiderent, multis gentibus imperaturū. Quæ vtraque euentus postea comprobauit. Post hæc reginæ infamia, conquieuit. Sed tamen res ea dissidij, quod deinceps inter regem & Vitoudum accidit, seminarium fuit. Id verò dissidium gliscens, Sigismundus Cæsar tertio deinde anno maleuolentia quadam ductus, maximè inflammauit. Cùm enim subolfecisset, subiratum esse regi Vitoudum,

Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis.

Reginæ purgatio.

Ioānes Strassus ob infamatam reginam in carcerem coiectus.

Andreas Cazimirus filius Vuladislao regi natus.

Vaticinium astrologicum de filijs regijs.

Sigismundi Cæsaris maleuolentia.

Vuladislaus Vitoudi consilijs nitebatur.

conciliandum esse eum sibi existimauit, de cuius consilijs regem pendere non ignorabat, vt vel committeret eos inter ipsos, vel facilius ipse regem minimè malum circumscriberet. Itaq; colloquium vtriusq; expetiuit. Verùm id, Turcico bello implicat⁹, in tertium annum distulit. Duxit autē exercitum in Turcas insequēti anno, quo Golubeciā arcem à Rasciano quodā Turcis, cùm ipse emere eam nollet, paruo vēditam, recuperaret: siue adeò, quo belli Turcici prætextu cessationē suam à bello Boemico Martino Pontif. Max. id vrgenti, quemadmodum scribit Dlugossus, excusaret. Sed priusquam ad congressum cum hostibus veniret, retrò se trāsmisso raptim Danubio cū magna parte exercitus ad tutiora loca in Trāssyluaniam recepit, proditis hosti reliquis, quos naues capere nō potuêre: in quibus fuit Zauissius Niger præfectus Scepusiensis, de Boemorū captiuitate dimissus. Qui submissum à Sigismūdo lēbum ascendere noluit, malēs fortiter occumbere, q̄ turpiter socijs proditis fugere. Quare adacto calcaribus equo, in confertissimos hostes irruit, & multis præclaris operibus editis, ad extremum cōglobatis circa eum Turcis viuus captus, & cum pro magno munere ad tyrannum vir robore corporis, oris dignitate, & auratis armis insignis duceretur, controuersia inter duos barbaros orta, quod vterq; captiuum sibi vendicabat, ab imbecilliori desecto capite interfectus est: vir in omni vita belli pacisq; artibus clarissimus, & sempiterna memoria dignus. Per idē verò tempus Vitoudus fretus Polonis militibus, quos multos circū se & præstantes habebat partim volūtarios, partim stipendio proposito euocatos, Nouogrodēsibus Russis Piscouensium vicinis, libero populo prætextu controuersorum finium bellum intulit: superataq; præter spem eorum difficultate itineris, cùm ad Oposcam castra haberet, supplicibus & ingētia dona afferentibus pacem dedit. Fuerunt autem in ea expeditione de Polonis insignes in primis, Cazimirius dux Masouiorum, Vincentius Samotulius castellanus Medirecensis dux copiarum, Iacobus Cobylenius, Ioānes Cizouius, Mesciugus Scrinnius, Nicolaus Brezius, Zicus Cadlubius, Mathias Vscius, Ioannes Sciecocinius, Ioannes Lopata Calinouius, Iacobus Precora Morauianius, Nicolaus Sepinius. Viguisse autē in primis in toto illo exercitu disciplina militaris memoratur, Vitoudi seueritate sancita: pter quòd confecto bello, & tunc & aliàs solebat is relictis copijs in hostico, domum præcurrere. Vnde cùm sine duce & ordine redirent Lituani, impeditis locis nonnunquam incommodo afficiebantur. Sed vnde digressi sumus, reuertamur. Ex illo igitur inauspicato bello Turcico reuersus Cæsar, Vuladislaum regem incusabat, quòd is promissa sibi auxilia non misisset (quæ tamen ille superiori anno frustra miserat) & maiori in eum odio exardescens, vrgere consilium illud suum de adiungēdo sibi Vitoudo, colloquiumque efflagitare. Nec difficulter id impetrauit. Dies dicta cōuentui apud Luscum, ad sextam diem Ianuarij sequentis anni. Interea filij Ziemouiti Masouij superiore anno defuncti venientes ad regem Sendomiriā solenni ritu in verba eius iurarunt. Et intra paucos dies Ioannes patruus eorum dux Varsauiensium vita excessit. Cùm autem cōuenissent Luscum Cæsar cum Barbara vxore, rex & Vitoudus, actum est aperta fronte de mutuis offensis, ac de Moldanis maximè. Postulabat Cęsar ex formula fœderis, vt rex & Vitoudus Moldaniam secum pariter subiugarēt, & partirentur: propterea quòd nemini satis fida ea gens esset, & quòd sibi ad Turcicum bellum dudum præstò non fuisset. Negabat Vuladislaus, id se factu rum passurumúe esse: parēre enim sibi Moldanos antiquitùs. Nam quòd suppetias Cæsari non venissent, ipsius, non illorum esse culpam. Venisse enim vnà cum Russis, & expectasse frustra superiori anno. Et cessit quidem in ea re Vuladislao Cæsar: cæterùm secretò longè alia cum Vitoudo egit. Societatē enim cum eo inijt, ac diadema regiū ipsi pollicitus est, vt eum cum Vuladislao Polonisque committeret. Non abnuebat Vitoudus, homo ambitiosus, & ingentis spiritus: sed negabat, sibi inuito Vuladislao accipe licere. Itaq; ad Vuladislaum callidè & blādè affectata à Cæsare & vxore eius via: perfectumque est, vt is cohonestādæ patrię gratia nō renueret, si senatus Polonicus assentiretur. Ad senatū verò cùm res relata esset, & pręsens ipse Vitoudus hoc sic cōcedi peteret, dicendisq; sentētijs, quo minus liberè dicerentur, nō optimo exemplo interesset, princeps Albertus Iastrębecius archiep. Gnesnēsis lōgis verborum ambagibus vsus, nihil tamē certi statuebat. Post hūc Sbigneus Olesnicius Cracouiensis episcopus pręfatus: Indiguisse rē tantā longiore deliberatione, grauissimis verbis Vitoudi præsentis consiliū reprǽhēdit:

1428. ann.

Turcis bellū facit Sigismundus Cæsar, euentu nō satis prospero.

Zauißij Nigri præfecti Scepusiensis mors.

Nouogrodēses pacem à Vitoudo redemerunt.

Masouij duces iurant in verba regis Polonorum.

Ioannes Varsauiensium dux mortuus

Cæsaris cum Iagellone et Vitoudo cōuentus apud Luscum.

De Moldanis contentio inter principes.

Sigism. Cæsaris secreta pacta cum Vitoudo.

Vitoudus admissus in senatum Polonicum.

Senatus cōsultatio de regno Vitoudi.

Sbignei sententia fortis.

pactorum conuentorum quæq; rex,quę que ipse cum Polonis sanctissimo iureiurando interposito olim firmassent, & quibus Lituaniam Poloniæ adiunxissent,admonuit. Turpē esse prudēti seni, & saturo glorię principi intempestiuam illam ambitionem,quæ magnas secum clades atq; calamitates Lituanis iuxta ac Polonis importatura esset. Cogitaret Vitoudus,venenatam esse illam offam, & exitiale munus, quod sibi à deuoto & cōmuni hoste Cęsare offerretur:nō hoc illum agere,vt eum cohonestet, sed vt dissidium inter eum & Vuladislaū faciat, & quos coniunctos nullo incommodo possit afficere, disiunctis ac dissidentib⁹ omne malorum genus inuehat. Reputet secum ingentia Polonorum & Vuladislai beneficia magis,quàm recentes & insidiosas Cæsaris pollicitationes:illum nunquam fideliter neq; cum ipso, neq; cum Vuladislao amicitiam coluisse:pacta conuenta toties irrita fecisse: sub specie beneuolētiæ vel maximè semper nocuisse. A Polonis verò Lituanos omnium rerum egenos,& aduersus Crucigeros ægrè sese tuentes in societatem receptos,& ad regnum,posthabitis claris & potentibus alijs principib⁹,vocatos: Polonorum armis atque sanguine inexplebilem Crucigerorum crudelitatē à ceruicibus eorum depulsam esse: ipsum à Vuladislao præ germanis fratribus principatū Lituanorum adeptū, regni etiam administrandi moderatorē ferè magis quàm participem adhiberi. Vafrum illud Cęsaris cōsilium multo antè sibi notum fuisse:sed non se credidisse, Vitoudum tanta prudentia præditum, vnquā eo captum iri. Rediret ad se,neq; pateretur, tot res tantasq; in eam diem à se præclarè gestas, & sempiternam sui nominis memoriam aliena fraude contaminari. Hæc elocutum Sbigneum excepit Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis, grauiq; oratione & ipse rem illam & conatum Vitoudi exaggerauit. Hos frequens senatus magno consensu secutus est. Itaq; repulsam passus Vitoudus, iratus fremensq; foras se proripuit, minitans,quando sic ipsis videretur,alia id se via tamen assecuturum esse. Correptus deinde rex à senatu, ꝙ tam facilis atque credul⁹, hostē suum in regno in perniciē suam reiq; publicę Polonæ grassari pateretur. Ni sibi caueret etiā atque etiā futurum esse, vt mellitis dolis eius caperetur. Nec mora proceres Lusco frequētes discedūt:quos rex proxima nocte secutus est. Cęsar paucos dies cum Vitoudo cōmoratus, veritusq; ne quem in se

Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis.

Rex à senatu obiurgatus.

Cæsaris discessus.

dolum Poloni offensi intēderent,ꝓpere in Vngariam redijt. Venerat autem Lusc cum ad regē & ad Vitoudum Andreas Constantinopolitanus,theologus de sodalitio Dominicano,magister palatij Apostolici,legatus Pontif. max. postulās, vt ij vel pacatis consilijs & pactionibus, vel armis Boemos ad rectam religionē pacemque reducerent. Pergraues enim ij erant Cęsari,& vniuersę Germaniæ sępe magnos exercitus profligarant: Silesiam, Misniam, Austriam, & cęteras finitimas regiones infestabant & subigebant, ita vt Sigismundus Alberto genero suo Austriorum duci Morauiam donaret, quo eam ab hæreticis vindicaret: Ziscā cæcum hostium ducem, quē armis vincere non poterat, ingentibus promissis ad se pelliceret. Sed nihil tamen legatus propter dissidium regis atque ducis impetrauit. Incitabant Vitoudum assentatores(quibus plenæ semper sunt principum aulæ) vt cœptam rem perageret. Itaque misit is Gastoudum palatinū Vilnensem,& Romboutum marsalcum oratores ad regem & ad primores Polonos,qui frequētes Corcinum ad regem de impediendis Vitoudi consilijs conuenerant. Fuit autem legatorum extrema oratio: Vitoudum siue volentibus, siue nolentibus Polonis regem fore. Ad eam legationem qui responsum Vitoudo referrent Sbigneus episcopus, & Nicola⁹ Michalouius palatinus Sendomiriensis de senatu missi, cùm eum fœderum & iurisiurandi,ac temerarij perniciosique incœpti admonuissent, ac ni desisteret, Polonos armatos conatibus eius obuiam ituros asseuerarent, Ille in Vuladislaū culpam reiecit:ab eo se detrectantē ad id impulsum esse. Non fore autem è dignitate sua,si rem semel institutam,leuiter remitteret. Nec sanè remisit: quin per internūcios promissum à Cæsare diligentius exigebat, incitātibus maximè Crucigeris, qui nullam incommodādi Polonis imo & Lituanis,occasionē etiā in pace ꝑtermittebant, fœdusq; & societatē fraudulētam cum Vitoudo inibāt. Id vbi apud Polonos increbuit(nam & literę & nuncij aliquot intercepti erant) conuenēre proceres ad regem Sendomiriam ad natalem diuę Mariæ(nam eum diem ibi rex,sicut obitus siue assumptionis eiusdem Vislicie libenter peragebat) decreta iterum legatio ad Vitoudum: cui⁹ principes fuēre Sbigneus episcopus iterum,& Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis. His datum in mādatis, vt si aliter animum Vitoudi à proposito flectere nequeant, Polonorū regnum,concedencedent-

Legatus pōtificius ad regem & Vitoudum.

Boemi Sigismūdo Cæsari & finitimis Germanis graues.

Lituani oratores ad Polonos.

Polonorum legatio ad Vitoudum.

Crucigeri inimici Polonis.

Polonorum legatio ad Vitoudum.

Poloniæ regnum Vitoudo oblatum.

cedente Vuladislao: ad eum deferrent, vt, quando tam appetens esset regni, ab amicis id potius, quàm ab hostibus acciperet. Cęterum sperarintne beneficio illo oblato emollitum iri Vitoudum, quem aduersando frangere non poterant, an reuera id egerint, impendens à tanta illa conspiratione exitium patriæ quoquo modo propulsare cupientes, certum non habemus. Vuladislaus quidem non tam altos, seu potius tumidos spiritus nact⁹, & pristinum ingenij sui, quantuluscunq; is fuit, vigorem ætate magis ac magis indies hebescentem, ac propemodùm iã extinctum, viresq; defectas sentiens, nõ grauatè Vitoudo longè vegetiori solertiorīq; regnum concedebat, cuius iam ipse satur & penè pertæsus erat: & filios paruos, regnoque administrando inutiles adhuc habebat: ad quos tamẽ id, Vitoudo nullos relinquente liberos, rediturum esse haud ita multò pòst, intelligebat. Iam enim & Vitoudus octogesimum annum

Vitoudi ætas.

excesserat. Huc accedebat non aliena à Vitoudo plerorumque procerum Polonorum voluntas, munificentia eius conciliata. Ipse quoque Vuladisla⁹ per multum tempus eius consilijs maximè in omni re nixus, ita ei⁹ authoritatem indulgentia sua apud Polonos auxerat, vt illum magis quàm se reuererẽtur. Flexisset hęc talis oratio quamuis prefractum & pertinacem Vitoudi animum, nisi ꝓceres quidam Poloni priuata compendia publicæ rei præferentes, vt largitiones eius in se assentando magis augerẽt, clam eum per internuncios hortati essent, vt persisteret in proposito. De quibus etiam cognouerat, priusquã legati aduenirent, quid ij afferrent. Itaque respondit is: Nolle se esse tam impudentẽ & impium, vt Vuladislaum regno spoliaret: cæterum cœpto per omnium gentium atque principum ora vulgato, & cuius author sibi Vuladislaus fuerit, desistere, turpe sibi & indecorum videri. Nihil se aduersus regẽ & Polonos moliri. Sed si quod bellum sibi ab eis inferatur, omni conatu propulsaturum. Dum aũt aliquot dies ibi commorãtur legati, allatus est Vitoudo à Cæsare draco affabrè factus, pignus societatis, expetitumque ab eo iusiurandũ de seruanda societate certis legibus. Ac draconem quidẽ pro hospitali munere, non pro pignore societatis accipere se respõdit: iusiurandum verò nullum dedit, reueritus legatos regios, qui grauiter & seuerè cum eo agebant: ac Sbigneus quidẽ longè, q̃ collega liberius. Itaq; illum amplis do-

Vitoudi authoritas apud Polonos.

Proditio in senatu Polonico.

Vitoudi responsum.

Cæsaris legatio ad Vitoudum.

nis Vitoudus honorauit, siue quòd bene uolẽtiorem sibi esse crederet, siue vt Sbigneo egrè faceret: cum Sbigneo verò expostulauit, quòd solus desiderio suo aduersaretur, Tarnouio collega non aduersante. At Sbigneus perspectã habens fidem & integritatem Tarnouij, respondit incunctanter: se quoq; ipsi assensurũ esse, si Tarnouius assentiretur. Ita Vitoudum refellit vir excelsi animi, & raræ integritatis. Nec tamen ille cæpto destitit. Dum hæc ita fiunt, constituère Poloni proceres cum Vngaris, vt certo loco, certoq; die simul conuenirent, ac de resarcienda regum suorũ amicitia toties interrupta inter se tractarent. Sed neq; ad constitutam, neq; ad comperendinatam diem Vngari affuerunt. Omnia verò tentabat rex, vt ne consilium Cæsaris de coronando Vitoudo procederet. Itaque & ad Pontificem max. questum ea de re misit. Et ille vtrumq; missis literis ab instituto dehortari conatus est. Intelligens autem Vuladislaus, quorsum Cęsaris & Vitoudi conatus & moliminα, & noua cum CrucigerisPrussiensib⁹ atque Liuoniensibus fœdera inita spectarent, anno sequenti, qui fuit post Christũ natum millesimus quadringentesimus trigesimus, comitijs Iedlinam (pagus hic est in tractu Radomiensi venationib⁹ tãtum nobilis) indictis, vt Polonorum voluntates beneficijs suis, sibi liberisq; suis obstringeret, regnique successionem alteri de filijs suis, vtrum ipse pòst ederet, stabiliret, veteres priorũ regum ac principum donationes & immunitates confirmauit: permulta equestri ordini, non nulla etiam ecclesiastico, pauca oppida næ rusticaneq; plebi indulsit, ac de pensionibus & oneribus remisit. Quę quidẽ his ferè capitibus continentur. Honores & magistratus sacri iuxta ac profani vt non nisi indigenis in suo cuique tractu mandentur: neque quicquam eorum cuipiam, priusquam vacet, promittatur: Arces & præfecturæ ne cuiquam ducali genere orto, neué externo committantur. Ecclesiæ & monasteria cum suis præsidibus vt pensionũ, quas stationes siue procurationes vocant, immunitatem prorsus habeant: Equites vt absque vllo stipendio regni fines per se ipsi defendant: si extra fines ad bellum proficisci iubeantur, quinas marcas in hastam stipendium accipiant: Quòd si fortè accepto eo, intra biennium non educantur, deinceps vt pro eo nihil debeant: Si prælium intra fines cõmissum sit, capti vt à rege redimãtur: extra fines vero etiam damna ac detrimen-

Olesnicij atque Tarnouij integritas & cõstantia.

Cõuentus Polonorum cũ Vngaris.

Legatio Vuladislai regis ad Põt.

Vitoudi fœdus cum Crucigeris.

1430. ann.

Comitia Iedlinæ.

Vuladislaus cõfirmat Polonis priorũ regum beneficia, & noua largitur.

De honorum & magistratuũ collatione.

De ecclesiarũ immunitate.

De defensione regni & expeditione extra fines.

De redẽptione captiuorũ.

De solutiõe damnorum.

De captiuis. menta exoluantur: Captiui hostes vt eo-
rum sint serui, à quib⁹ capti fuerint: pro
vnoquoque autem rex, si velit, duos flo-
De Moneta. renos ei q cepit, numeret: Monetam ne
quam rex, nisi de sententia senatus, cu-
Nobilitatis subditorū immunitas. dat: Equitum aratores & adscriptitij vt
immunes sint ab omni frumēti iuxta ac
pecuniæ pensione, procuratione, subue-
ctione, & alio quouis onere regi præstā-
do, excepta rastrali pensione, cuius iam
antea mentionem fecimus: & ab ea ta-
Sculteti & oppidani immunes à rastrali pensione. men sculteti siue aduocati, qui patroni
sunt pagorum, & oppidani, agros colen
tes, vt immunes sint, itemq; hortulani,
molitores, & caupones, qui exiguos a-
Nobiles quādo capi possint. gros colunt: Equestrem hominē indicta
causa ne liceat prehēdere, aut supplicio
afficere, excepta causa furti, incendij, ho
micidij voluntarij, stupri virginum &
matronarum, latrocinij, & ijs qui va-
dimonium promittere nollent, aut non
De bonis nobilium. possent: Bona item ne rex cuiquam equi
ti absq; iudicij authoritate auferat. Ad
De recuperatorib⁹ siue commissarijs. fines regundos recuperatores, quos cō-
missarios vulgò vocant, qui in rem præ-
De mulctis. sentem veniant, ne cuiquam neget: De
controuersijs si qui pendente lite amicè
inter se composuerint, vt ne mulctæ iu-
diciariæ ab eis exigantur: quæ verò mul-
ctæ à litigātibus debebuntur, vt ipse eas
rex per se, vel per quæstores siue procu-
ratores suos exigat, neque cuiquam exi-
De actuarijs siue notarijs terrestribus. gendas donet: Actuarij siue notarij ter-
restres, vt vocantur, vt ipsi per se adsint
in omnibus iudicijs, nec vicarijs, nisi ne-
cessaria causa impediti, vtātur: & eos au
tem vicarios, vt integræ famæ apud præ-
sides iudicij edant: Russi vt eodem peni-
tus iure sint cum Polonis, auenæ modò
pensione Vuladislao, quoad vixerit, sal-
Cuiauiensibus ac Dobrinen. immunitas promissa. ua: Cuiauij quoque, ac Dobrinēses post
decem annos deinceps vt ab auenæ pen-
sione immunes sint. Hæc tunc à rege cō-
cessa publicè, & literarum monumentis
consignata: receptumque ei vicissim de
Poloni regis Vuladislai filium regē sibi designant. alterutro filio, (vter aptior regno admi-
nistrando fore videretur,) rege creādo,
& cùm adoleuerit, & prærogatiuas atq;
beneficia superiorum regum cunctis or
dinibus publicè data confirmauerit, co-
Cōfœderatio Polonæ nobilitatis cōtra turbulentos & fautores hæreticorū. ronando. Obstrinxit etiam vniuersus cō
uentus ille fidem & honorem suū quis-
que, se pro hoste habiturum, quisquis cō
muni illi placito aduersari, aut turbas a-
liquas tumultumque in regno ciere vel
let, aut conspiraret vlla de re, aut hæreti
cis denique & hæresibus faueret. Atque
hæc deinceps quoq; ternis comitijs Pos-
naniæ, Breste, ac Dobrini paulo ante
mortem regis repetita sunt à proceribus
& nobilitate. Extant in archiuo diplo-
mata consignata. Quo demum tempore
diploma regis supra memoratum scrip-
tum reperio. Missi deinde ex ijs comitijs
legati ad Vitoudum, Sbigneus episcop⁹ *Legatio regis & Polonorū ad Vitoudum.*
tertium, & Nicolaus Michalouius ite-
rum, qui ei pro rege satisfacerent. Quere
batur enim Vitoudus, Traductum se es-
se ab eo apud Pontificem maximum, &
alios principes Christianos. Ad hæc, vt
fœderum eum admonerent iterum atq;
iterum, & ad sanam mentem reducerēt.
Rebellionē.n. moliens, nouo sacramēto
Lituaniā omnem adigebat, & arces fini- *Vitoud. conatus.*
timas Polonię muniebat. Sic est.n. ambi
tio, vt modum prorsus nesciat, si semel
ei habenas laxaueris. His respōsum à Vi-
toudo datum, quo ille p̄ se ferebat, Non
nouandarum, sed stabiliendarum rerū
suarum causa ea se facere, ne incaut⁹ ab
hostibus opprimeretur, propterea quòd
accepisset petiuisse à rege Boemos, vt se
per Poloniam in Prussiam & Lituaniam
exercitū ducere pateretur: ac de eo se prę
ter morē à rege celatū esse. Rex vbi nul-
la ratione Vitoudum de sententia deduci
posse animaduertit, simulq; maturari co
ronationē p̄stituta ad decimum sextū Ca
lendas Septēbris die didicit, negocium
dat Ioāni Ciarncouio succamerario Pos *Ioānes Czarncouuski.*
naniēsi, nobili & impigro homini, vt ad
cōfinia Poloniæ & Marchię Brādeburgē
sis, vbi possessiones ipse luculentas habe
bat, obseruaret, atq; internuncios Cæsa-
ris & Vitoudi per Prussiam vltro citroq;
cōmeantes interciperet. Nec malè suc-
cessit Ciarncouio negociū. Etenim Bap-
tistam Cigallam iureconsultum Genuē *Legati Cæsaris capti & excußi à Zarnicouio.*
sem, & Sigismundum Rothum Silesiū, à
Cæsare ad Vitoudum proficiscentes cæ-
pit, excussosq; incōsultè dimisit: scriptu-
ras autē ab eis ablatas ad regem attulit.
Missi autē ij erant, vt Vitoudo dubitatio
nē omnē eximerent. Dubitabat enim is, *Legatio Cæsaris ad Vitoudum.*
an Cęsar, siue vt vulgò loquūtur, rex Ro
manorum, q Imperatoriū diadema nō-
dum adeptus est, potestatem habeat no-
ui regni instituendi: simulq; vt diploma
ta Cęsarea, quib⁹ in Lituānia regnum cō
stituebatur, & Vitoudus rex creabatur,
ipsi afferrent, ac diadema ad tempus al-
latū iri ab alijs legatis promitterent. Ha-
bebant & alia quædam mandata de fœ-
deribus & societate Prussiensium atq; Li
uoniensiū Crucigerorū aduersus Polo-
nos. His cognitis rex Ciarncouium splē-
didè p meritis remuneratum, & amplio
ribus pollicitationibus oneratum ad in-
sidēdas diligētius vias remisit. Propediē
enim Germanorum, Vngarorū & Boe-
morum legationes splendidæ cum dia-
demate à Cęsare ad Vitoudum profectu

ræ e-

ræ erant. Sed cùm Ciarncouius aduersa valetudine præpeditus, vacare ei rei nō posset, nobilitas omnis maioris Poloniæ, Sēdiuoio Ostrorogo palatino & præfecto, Dobrogostio Samotulio castellano Posnaniensi, & Iarando Bruzeuio palatino Vuladislauiensi ducibus nemine iubente quasi sublato signo armata syluas apud Turagorā insedit, dimissis quoquouersus stationibus & exploratorib⁹, vt quocunque opus esset, etiam ad extremum Oceanum Germanicum, cuncta accurreret, vel cum longè maioribus copijs pro patriæ tranquillitati & honore decernere parata. Iam Frācofordiā, quæ supra Odrā est, legati prætergressi erant, cùm obsideri vias omnes à Polonis acceperunt: & non ausi periculo sese committere, cùm duos menses frustra expectassent, ad Cæsarem reuertēre. Non omisēre tamen Poloni longiorem custodiam: quę cùm suspecta esset Crucigeris suorum sibi consiliorum & conatuum conscijs, misit Paulus Rusdorfius magister perquisitum ab ijs, hostésne eos, an amicos ducere deberet? Responsum est: Nihil eius referre, si ipsi intra fines suos armati rerum suarum curam habeant. Si bellum illaturi sint, indicturos id esse prius. Aegerrimè hæc tulit Vitoudus, vbi rescijt: sed tamen dolorē apud hospites ad celebritatem inuitatos, sedulò dissimulauit, & ad finem vsq; Septēbris eos apud se retinuit. Fuerunt autem ij, duo magistri Crucigerorū Prussiēsium & Liuoniensium cum primoribus cōmendatoribus: Moschorum, Tuuerensium, & Odoiouiensium Russorū duces, & principes Tattarorum. Fortè tunc anthracē morbum siue ex angore animi, seu qua alia ex causa Vitoudus contraxit: neq; tamen quicquam de ambitione sua detraxit. Cùm autem inuitis Vuladislao & Polonis voti se compotem fieri posse desperaret, arte sibi tentandum esse duxit, quod aperta vi peragere non poterat. Sciebat Vuladislaū haud difficulter exorari à se posse, si eum in Lituaniam, cuius visendę desiderio teneri eū nouerat, extraxisset. Quòd si q forte proceres Poloni cum eo venissent, eos quoq; vel blanditijs deliniri, vel muneribus corrū pi, vel terrore deniq; compesci posse. Itaque misso in Poloniam legato, pręterita excusat: iam se omnem de regno cogitationem deposuisse ostentat: in Lituaniā regem ad venationes inuitat. Cupiebat rex ire in Lituaniam: sed suspecta erat proceribus, qui cū eo Lublini tunc erāt, Vitoudi inuitatio, tamq; repentina mutatio. Nouerant ei⁹ ingenium, nouerāt spiritus, & coniunctā his pertinaciā. Aliquid eū doli nectere suspicabantur. Sed sanari rursus animum eius posse regis præsentia & sermonibus nō desperabāt. Quare mittūtur cum rege cùm alij quidam proceres, tùm Sbigneus episcopus, cuius neq; prudentia facilè circunscribi, neq; integritas corrumpi, neq; cōstātia frangi à Vitoudo posset: quemq; rex reuereretur, vt ne quid prēter sententiā eius faceret. Non ignorabat hæc Vitoudus. Itaq; cùm regem & cæteros omnes, qui cum eo veniebant ab extremis finibus Lituaniæ comiter & liberaliter acciperet, vnum Sbigneum negligebat. Vbi Vilnam peruentum est, instabat regi Vitoudus orando, ne sibi regium diadema inuideret. Negabat ille, licere id sibi concedere Polonis reclamantibus, eaq; de causa Sbigneū sibi in Lituaniā proficiscenti adiunctum esse comitem, ne qd præter sententiā eius faceret. Illum prehensandum, & quoquo modo expugnādum esse. Allegat Vitoudus ad Sbigneū, qui eum orent suo nomine, & ingentibus promissis onerent, ne solus honori suo aduersetur. Si dimoueri de sentētia nequeat, vt existimationi tamen suæ vtcunque consulat, & simulari momēto temporis coronationem sinat. Acceptū diadema statim se depositurum esse. Si pertinacior ne hoc quidē concedat, pro hoste se illum habiturum esse, & manib⁹ pedibusq; adnixurum, vt episcopa deijciatur, quemadmodū Petrus Vissus antea deiect⁹ esset. Immot⁹ ad hæc omnia Sbigne⁹ renunciari Vitoudo iussit. Dignissimum eū sibi videri regio diademate, & summis quibusque honoribus. Verùm saluis fœderibus & iurisiurandi religione assequi id eum non posse. Quocirca suadere se, desineret id cupere, quod ei nō honorem, quemadmodùm ipse putet, sed dedecus & infamiam sempiternam pariturum, Poloniæ verò & Lituaniæ pręsens exitium approperaturum esset. Ne erret, nō honoris eius gratia id ei suadere Cæsarem & Crucigeros, deuotos & sempiternos non magis Polonorum quàm Lituanorū hostes: sed vt duos cōiunctissimos populos, qui cōiuncti graues ipsis essent, disiūctos commissosq; inter se intestinis atque ciuilibus propemodùm bellis debilitent atque deleant: idque Cęsarem vulgò iactare, dictitantē se os in medium duorum canū coniecisse, ob quod ij ad mutuum vsq; interitū concertaturi sint. Poneret ergo Vitoudus modū inconsideratę & intempestiuæ ambitioni. Non conuenire ætati & prudentiæ eius, vt seniculus capu-

Maiorū Polonorum studium.

Magistri Crucigerorū legatio ad Polonos. Responsum Polonorum.

Inuitati à Vitoudo ad celebritatē coronationis.

Vitoudi morbus.

Vitoudi callidum consilium.

Sbignei Olesnicij virtus.

Vitoudi ad Sbigneū allegatio.

Sbignei Olesnicij responsum.

capulo proximus nullos habēs liberos, quib⁹ regnum relinquat, tam cupidè ꝑ fas & nefas ad id aspiret. Se quidem neq; precib⁹ emolliri, neq; largitione corrūpi, neque minis deterreri posse, quo minus in hoc cupiditati ei⁹ aduersetur. Pluris apud se esse fidē, virtutem & charitatem patriæ, quàm fauorem, gratiā & omnes thesauros Vitoudi. Mirari verò se magnopere, quòd is Petri Vissi, eiusq; deiectionis mentionem faceret, q̄ sine sua regisq; infamia commemorare nō posset. Neque id se reformidare. Alia iā esse tempora, & minus turbulenta, minus que deprauata, quàm tunc erāt cæca plurium de pontificatu maximo contendētium ambitione. Paratum autem se esse non honoris modò, verùm etiam vitæ discrimen adire pro patria, quæ tantam illam rem suæ fidei credidisset: neq; falsurum esse vnq̄ eius expectationē. Atq; ita quidē Sbigneus, non sine magna ipsi⁹ Vitoudi admiratione. Inualescebat interim Vitoudi morbus, ita vt ipse despera tione vitę suę cogitationem omnem de regno abijceret, & ad mortem, vti Christiano principe dignum est, obeundam sese componeret. Rex vbi animaduertit viuere eum diutius non posse, Sbigneū & cæteros Polonos proceres in Poloniā amandauit, quòd intelligebat ijs præsentib⁹ Suitrigellonem fratrem se Lituanis ducem, quēadmodum destinabat, præficere non posse. Discedens autem Sbigneus, cū rogaretur ab Iuliana Vitoudi vxore, vt supellectilem suam gazamque inde asportaret, ac superstiti sibi seruaret: si quid autem humanitùs sibi accideret, vt eam ad cultum diuinum cōuerteret, assensus non est. Vitoudus verò, cùm se viribus destitui sentiret, ritu Christiano sacris procuratus, & verè Christianum se mori testatus, veniam superiorum ad missorū à Vuladislao petiuit, & Lituanos ei cōmendauit, petens vt acta donationesq; suas ne rescinderet. Nec multo pòst apud Trocos spiritum exhalauit, cùm 80. annum excessisset: princeps impiger, & vegeto ingenio: abstemius in omni vita, nihil ꝑter aquam bibere solit⁹: in victu temperās: temporis perparcus, ita vt supra mensam iudicaret, & respōsa legatis daret: cæterum in Venerē procliuior: in externos liberalis: suos verò metu magis, quàm beneficentia in officio cōtinere solitus: statura fuit mediocri, gracili corpore, radere barbam & genas solitus, qualē apud Trocos in tēplo depictum vidimus. Habebat autē in more, vt procuratores bonorum suorū rapinis ditatos excuteret, atque expilaret, rursusque præficeret.

Rex Polonos à se amandat.

Vitoudi mors, mores, & effigies.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VICESIMVS.



POST mortem Vitoudi, suspensi animis Lituanorum & Russorum proceres hærebant, quidnam se fieret. Supererat Coribut⁹ Vitoudi frater: sed aberat, Boemorum furori ducem se præbēs: nec vllum pręclari ingenij specimē in Lituania ediderat. Porrò Suitrigello regis frater, qui Vitoudū metuens ad Sigismundū Cæsarē aliquāto antè profugerat, & Vitoudo indulgēte in Lituaniam redierat, homo erat nihili, ebriosus, & præcipitis iracundię, sed tamen liberalitate multorum sibi animos conciliarat: in primis autem Russi ei fauebant, propterea quòd à sua secta non alieno eum animo esse existimabant. Sed tamen sensum regis, penes quem rerum Lituanicarum summa erat, non tenebat. Posteaquam verò persenserunt, principatum Lituaniæ clàm ab eo ad Suitrigellonem deferri, tunc verò certatim omnes ad eum concurrēre, studiaque ei sua probare velle, ita vt ingens circa regem solitudo esset. Venit deinde Vilnam ad exequias Vitoudi Suitrigello ingenti turba stipat⁹: elatusque fauore hominum, Vilnensem, Trocensem, & alias quasdē primarias arces occupauit, & ꝓ duce gerere se absque authoritate regis cœpit. Deinde magis ac magis insolescens, assentatoribus frigidam, quod aiunt, suffundentibus, oblitus omnium beneficiorum regis, fraternæque necessitudinis, contumeliosius eum tractare: carceris & exilij veteris memoriam refricare: venisse tēpus dictitās, cùm vlcisci eum probè posset: Polonos, qui cum rege erant, asperi⁹ appellare: internuncios, qui à rege in Poloniam quiue ex Polonia ad regem mittebantur, excutere, epistolasque refringere.

Suitrigellonis mores.

Russorū studia erga Suitrigellonē.

Suitrigel apud Lituanos principatum arripuit

Suitrigellonis impotentia animi.

gere. Plus eius amentia atque temeritate, quàm suo periculo rex commouebatur, & quantum poterat, furorē eius & insolētiam lenitate & comitate sua mitigabat. Placatiorque is iam futurus esse videbatur, cùm res noua oblata denuò furorem eius accendit. Podolij primores, nimirū Paulus episcopus Camenecensis, vir humili quidem loco natus, verùm generosi spiritus, Risco Kerdei⁹, Theodoric⁹, Michael & Mirsilo fratres Buciacij, & Crussina Galouius, cognita celeriter Vitoudi morte, Doigertū palatinum Vilnensem, qui Podoliam Vitoudi nomine administrabat, rerum omnium adhuc ignarū, euocatum ad colloquium cæperant: arcesque Cameneciam, Smotriciam, Scalā, & Cieruonigrodum occuparant, & magnam partem Podoliæ facilè in potestatem suam redegerant, vt regi eam & Polonis restituerent, et ne in ditione Lituanorum ea deinceps esset. Id vbi factum resciuit Suitrigello, homo violentus & impotens, fremere in regē, & maledictis eū Polonosq; incessere, palamque vincula aut necē pˀsentibus intentare, ita vt excubare omnes die noctuq; circum regiā necesse haberent. Et non deerat nostris, quā uis paucis, animus, nō modò ad defendēdum sese atque regē, sed etiam ad inuadēdum ac trucidandum Suitrigellonē. Sed rex siue quòd sibi metuebat, siue quòd Suitrigellonem impensè diligebat, seu denique quòd Lituaniæ quàm Poloniæ incremētis & amplitudini impensius fauebat, inconsultis omnibus assensus est de Podolia, Suitrigelloni, recipienti vnà cum proceribus Lituanis, regi se eam bona fide redditurū esse, si de ea inter Polonos & Lituanos nō conuenerit: ac deinde ius suum persecuturum atque repetiturum: eaque de re Zaclicā Tarlonem in Podoliam cum literis & mandatis misit, qui eam Michaeli Babæ Russo Suitrigellonis nomine recipiēdam, & obtinendam traderet. Aegerrimè id ferebat iuuentus Polona, quæ in comitatu regis erat: & in primis duo nobiles iuuenes, Andreas Tencinius, & Nicolaus Dreuicius custos Sendomiriensis, cui rex annulum suum signatorium, cācellario & procancellario absentibus, credebat. Igitur hi duo ducti amore patriæ scripsēre Michaeli Buciacio, qui Cameneciam obtinebat. Regē extrema necessitate adactum Podolia Suitrigello ni cedere: Sed si ipse communi patriæ simul & honori suo consultum vellet, nō modò nō pareret mādatis regijs, verùm Zaclicam pariter & Babam comprehenderet. Eas literas, quoniam palàm ferri nequibant, Suitrigellone omnes iter capessentes excutiente, conuolutas ceraque contectas, vt speciem cerei præ se ferrent, Zaclicæ puero omnium inscio, paucula pecunia præ manu ei data, dedēre: vt is cùm primùm Cameneciā venisset: cereū illum Buciacio pˀfecto redderet, atque hæc verba adderet: vt si errare ille nollet, ex eo cereo vnà cū magistratu vrbano lumen quæreret. Cùm autem puer bona fide omnia fecisset, miratus Buciacius, quid sibi cereus ille, & ambigua mandata vellent, non de nihilo tamen omnia illa esse suspicatus, refracta cera literas inuenit, Zaclicam & Babam in custodia habuit. Dum hæc ita fiunt in Lituania, cognouēre tandem Poloni referente Ioanne Olessnicio marsalco, qui mille ciclos argenti, & alia quædam munera post reconciliationem à Suitrigellone regi donata in thesaurum Polonicum inferre iussus erat, quo in statu regis sui res essent: & iure quidem optimo ei aduersa, quæ accidissent, accidisse cuncta censebant: verùm aliud tamen succensendi & reprehendendi eius tempus fore rati, de liberando eo seclusā omni mora agendum sibi esse existimarunt. Grassabatur quidem tunc dira pestis in omni ferè Polonia, sed nihilo tamen segnius comitijs Vartam ad sextam diem Decembris indictis frequentes conuenerunt. Re diligentius in consilio agitata, expeditio in Lituaniam decreta: edictumque, vt ad medium Ianuarij apud Kianos pagum supra Veprum amnem armati omnes præstò essent. Tentari tamen prius legatione Suitrigellonis animum placuit. Ad eam obeundam designati Sbigneus Cracouiensis, & Ioannes Vuladislauiensis episcopi: Sendiuoius Ostrorogus Posnaniensis, & Ioannes Lichinius Brestensis palatini. Sed ij cùm Varsauiam vsque progressi essent, mandato regis nunciantis liberum se iam esse, domos reuerterunt. Vt enim audiuit Suitrigello, quæ in Vartensibus comitijs acta ac decreta essent, liberū ac reconciliatum sibi regem dimisit. Nec pontifex quidem maximus Martinus quintus prætermiserat ad Sigismundum Cæsarem & ad Suitrigellonem de liberando Vuladislao scribere, cùm detineri eum in Lituania celeri nuncio accepisset. Eiusdem autem Vartensis conuentus decreto cura regiorum liberorū educandorum & instituendorum magistro Vincentio Cotho Dembenio custodi Gnesnensi, & Petro Ritericio equiti mandata est. Post insequentis anni principium rex per Chelmensem tractum è Lituania reuersus, Sendomiriæ comi-

Podoliorum præclarum facinus.

Michael Buciacij factū.

Polonorum procerū stu dium erga regem.

Pestis in Polonia.

Comitia Vartæ, absente rege.

Decretum de rege libērando.

Vepres fl.

Podoliā rex concedit Suitrigelloni. Lituanorum promissa.

Andreæ Tencinij & Nicolai Dreuicij charitas in patriam.

Pontificis maximi studium de libērando Vuladislao.

Educatores regiorum liberorum.

Comitia Sendomiria.

comitia habuit. Ibi cũ de Suitrigellonis insolentia siue amentia plenius cognitũ esset vulgò, afferreturq́;, etiã munitiones & castella quædam in Podolia per illud tempus ab eius copijs intercepta, Smotriciam circumsessam (cuius tamẽ obsidio nostrorum virtute nõ sine strage Lituanorum soluta rursus erat) Treboulliensem & Leopoliensem orã excursionibus & populationibus diuexari, damnabãt omnes præceps & peruersum regis consiliũ: & bellum aduersus Suitrigellonem flagitabant. Sed peruicit rex, vt legatione prius ad eum missa res repeterentur. Missi Stanislaus Posnaniensis, & Ioannes Chelmensis episcopi: Sendiuoius Posnaniensis, & Ioannes Lichinius Brestẽsis palatini, cũ his mandatis, vt Suitrigello castella, quæ in Podolia cæpisset, redderet. Lusco & Volynia decederet, ad regem ad certã diem veniret, ab eoque principatũ Lituaniæ certis legibus acciperet, quem perperam & contra fœdera inuasisset. Aliter necesse fore Polonis cum rege ius suũ armis persequi. Ferocius his responsum est à Suitrigellone. Nihil enim eorũ, quæ postulabantur, faciebat: & asseuerabat, se quicquid egisset, agerétue, rectè & iure optimo egisse & agere. Quin etiam reliquã Podoliam à rege repetebat. Hæc eadem mandata luculentius & acrius postea ꝑ Basilium ducem Russum, cognomento Crasni, apud regẽ ab eo repetita. Interea dum hæc fiunt, venit ad regem Coributus, cũ cæteris Boemorũ hæreticorum, ꝗ post mortẽ Ziscæ cæci Orphanos sese dixêre, ducibꝰ: qui Boemia siue pulsi, siue vltrò excedẽtes, cùm Lusatiã diuexassent, Silesiam quoq;, belli sede Gliuiciæ posita, longè lateq; vastabãt: oppida hostiliter diripiebant, & incendebant, & in templa atq; monasteria, sacerdôtesque & monachos potissimùm barbarico furore debacchabãtur, Ziscæ ducis sui immanitatem secuti: qui quasi viuens parum insanisset, moriẽs cutem sibi detrahi, eamque timpano induci iussit: fore pollicens, vt ad eius timpani sonũ animis conciderẽt ipsorũ aduersarij. Cum his autem coniunxerat sese Coributus, captus, & mox pulsus à Pragẽsibꝰ, quemadmodum Hagecus memorat: & cum primoribus eorum ad regẽ venerat, accepta ab eo fide publica. Actum cum his de religione: adhibiti doctores Academiæ Cracouiensis, qui errores ipsorũ disputando refellerent. Rex ipse simpliciore oratione vsus. Quanta rerum omnium perturbatio secuta apud eos ex mutata & perturbata religione esset, cõmemorauit: vt florentissimum quõdã Boemorũ regnum ad interitũ properaret, sublatis magistratibꝰ sacris iuxta ac ꝓfanis, euersis oppidis & munitionibus, cæsis vel fuga dilapsis optimatibus, cõstupratis honestis matronis atq; virginibus, coniugijs nobilissimarũ fœminarũ in agrestes homines & in infimã fecem plebis vulgatis, agris partim hostiliter vastatis, partim furore quodã ipsorum cultorũ desertis, profanatis, direptis, ac dirutis tẽplis, abrogatis sanctissimis ceremonijs, sacrosancta religione cõtaminata, ac tam varijs, portentosis & abominandis opinionibus discerpta, vt nemini propemodũ cum altero conueniret, deniq; peruerso rerũ omniũ, atq; naturę ipsius ordine. Quę omnia, ni maturè resipiscerent, præsens & extremũ exitium consequi necesse esset. Quòd si his rebus cõmouerentur, pollicitabatur se perfecturum, vt æquis conditionibus res eorum cõponeret. Sed surdis auribus Boemi hæc accepêre. Neque enim facile est, cũ impetu ruẽtes semel in præceps, sistere, aut in viam reuocare. Quoad autẽ ij substitêre Cracouię, cessatum est à sacris interdicto Sbignei episcopi, consecratũque ab eo chrisma in Mogilensi monasterio. Itaq; propter solennes Paschæ dies Cazimiriam Boemi cum Coributo à rege eiecti sunt fremẽtes in episcopum, alia quoq; de causa ipsi infensi. Nã cùm paulo antè Lechnicense monasterium in finibus Vngarorum diripuissent, Sbigneus facta de clientibus propinquis & amicis subitaria manu, reuertentes persecutus erat: & paucos, qui agmen raptim sese recipiens cõsequi non poterãt, exceperat. His ergo de causis Coributus indignãs, coram rege cũ Sbigneo iurgatus est: discedensq́; Cracouia cũ cæteris, nõ modò ipsi, sed tẽplo etiã ac diuo Stanislao sublata manu cõminatus est. Verùm eę minæ diuinitùs mox irritę cecidêre. Reuertẽtes enim, cũ Gliuiciã à Cõrado albo Olesnicẽsiũ duce ꝑ proditionem captã, direptam & incẽsam, suosq́; magna strage cęsos reperissẽt, ad paucos redacti, & rerũ omniũ egeni in Boemiã recessêre. Ab ijs autẽ & Poloni eqtes latrocinari cũ didicissent, quodã tempore Censtochouiẽse monasteriũ, ꝗ propter peculiarẽ Virginis matris cultum, & frequentissimas non modò Polonorũ, sed etiam vicinorum Vngarorum, Morauorum, Boemorũ, Silesiorum, Saxonũ, Prussorũ, atq; Lituanorum peregrinationes magnis diuitijs refertũ esse credebatur, diripuêre: atque vt patrati sacrilegij suspicionem à se in Boemos hæreticos

Legatio Polonorum ad Suitrigellonem.

Suitrigellonis ferox responsum.

Coributus Orphani.

Ziscæ cæci immanitas.

Regis oratio ad hæreticos.

Interdictum Cracouiæ propter hæreticos.

Rex Cazimiriam hæreticos eiecit.

Episcopus etiam armatus hæreticis restitit.

Coributi minæ cõtra episcopum.

Boemi minaces profligati.

ticos

ticos auerterēt, imagini virginis matris, quæ vulgò magna religione colitur, vulnus inflixêre. Sed minorem opinione prædam reperêre: meritasque sacrilegij pœnas intra illum ipsum annum expendêre. Fuerunt autem authores sceleris Iacobus Nadobni Rogouius gente Zialossius, & Ioãnes Curopatua gente Srenauius. Dimissis Boemis cum Coributo Vuladislaus rex Biecium profectus, bellum in Suitrigellonem parabat. Eò venit ad ipsum Ludouicus commendator Torunensis legatus à magistro Crucigerorum, deferens eius operam ad cōponendas res inter dissidentes fratres. Ei gratiæ actæ, factaq; potestas vt id ageret. Tametsi secretò aliud actū esse Dlugossus memorat: nempe postulasse regem à magistro, vt Suitrigelloni faueret: seque expeditionē faciente in Russiam, vt ipse Poloniā armis infestaret. Citatq; idem non leues authores huius rumoris, qui mortuo demùm rege diuulgat⁹ latè manarit: quem nos vnà cum ipso Dlugosso neq; affirmamus, neq; refellimus. Misit deinde rex Ioannem Brezium Lutici filium scribam ad Suitrigellonē, vt eum ad saniorem mentem reuocaret. Sed eū Suitrigello excādescens contra ius gentium violauit. Quare iritatus rex, maturauit expeditionem, motisq; castris, ad Grodlū oppidū supra Bugum amnē 12. dies statiua habuit: & maiores Polonos tardius venientes, & hostiliter penè in suos quacunq; iter faciebant grassantes, expectauit. Deinde Bugum amnem traiecit. Interim vulgus omne eius oræ cū iumentis, pecudibus & facultatibus suis in densas palustresq; syluas sese abdidit. Aduenit & Suitrigello cum sex ferè millibus armatorū, arcemq; Lucensem armis, cōmeatu, præsidioq; muniuit. Certatum est deinde leuibus aliquot prælijs cum hoste: in quibus omnib⁹ nostri vel nullo vel paruo incōmodo accepto superiores fuêre. Senco dux Russus occis⁹: captiui nō pauci ad regem adducti: incēsa Vuladimiria: peruastatum Vuladimiriense territorium, quod rex Theodoreto siue Feiduscono duci Russo fratris filio donauit: qui dux nō multo pòst mortuus regem fecit hæredem. Nō intermittebat tamen rex Suitrigellonem ad pacem inuitare. Sed nihil inde pacati referebatur. Sperabat enim ille, regem breui inde ad aliud bellū à Crucigeris, cum quibus fœdus icerat, reuocatum iri. Aduenêre deinde maiores Poloni. Quibus grauiter de tarditate, & neglecta disciplina militari in itinere, obiurgatis, rex cum omni exercitu Styrum fluuium, qui Luscum alluit, difficili ac profundo vado transmisit, cùm Suitrigello pontē disiecisset, vlterioremq; ripam frustra seruasset. Videns autem is se valde imparem esse tanto exercitui, incenso Lusco oppido, arce verò Iurzæ Russi fidei commēdata, ne tentata quidem prælij fortuna fugā inijt. Ducē suum secutæ copiæ, diuersæ & ipsæ dilapsæ sunt. Sed multi mortales ex his in fuga à Polonis cæsi captiq;. Inter captiuos insignes maximè fuêre, Rumboudus marsalcus Lituaniç, & Gastoudus. Quos Suitrigello deinde liberauit, cùm spopōdisset regi, eos Cracouiam, cùm rex iussisset, venturos esse. Creditus est autē & Suitrigello cecidisse, cùm vestis eius cruenta inter cætera spolia reperta esset. Cecidêre tamen de Polonis quoq; nonnulli nobiles & fortes viri, dum incautius Tattaros, qui in castris Suitrigellonis militabant, persequuntur. Alia quoq; per eosdem dies victoria de eodem hoste Belsensem tractū vexante Polonis parta est. Nā eò sex millia hominum rex cum Cazimiro duce Masouiorum, & Ioanne Menzico Dambrouio præfecto Russiæ ad præsidiū submiserat. A quibus Olescum arx, cùm capi posset, tamen in potestate Bogdani Rohartinij Russi, qui ad Suitrigellonē nulla necessitate adactus perfugerat, p̄fecturamq; eius arcis ab eo, confiscatis à rege bonis suis, adeptus erat, relicta est, ea cōditione, vt eam regi redderet, cùm is Lusco potitus esset. Obsessa est deinde à toto exercitu arx Lucēsis, & oppugnata etiam: sed remissè admodum, atque segniter, indulgentia quadam regis, vti creditum est. Et cùm pars muri à Polonis bombardarum ictu deiecta esset, frustra tamen impetus factus est. Trium deinde dierum induciæ, per quas de deditione deliberarent, obsessis datæ à rege frustra dissuadentibus cōsiliarijs: per quos dies mœnia & propugnacula arcis refecta sunt: saxa, & alia missilia congesta: & aqua importata, cui⁹ haustu à nostris arcebantur præsidiarij. Deinde iterum quoque idem factum nō sine murmure totius exercitus. Fuêre tamen inter proceres & consiliarios regios, qui noctu clàm cum obsessis colloquia habere, & arma eis commeatumque suppeditare soliti esse dicerentur. Et probri loco id obiectum est postea Laurentio Zarembæ castellano Siradiensi à Stanislao Zuuicla gente Labencio. At Suitrigello ridiculo magis, quàm callido, vt ipse existimabat, commento nostros ab instituto deterrere aggressus est, confictis literis nomine principis Tattarorum

Crucigerorum legatio ad regem Polonorum.
Vuladisl. cōmendat Crucigeris Suitrigellonem.
Suitrigello legatum regium violauit.
Bellum contra Suitrigellonem.
Grodlum op.
Bugus fl.
Maiorum Polonorum licentia.
Senco dux occisus.
Vuladimiria incensa.
Feiduscō dux.
Suitrigel. fœdus icit cum Crucigeris.
Stirus fl.
Luscum oppidum incensum.
Suitrigellonis fuga.
Romboudus & Gastoudus Lituani capti.
Lituaniterum victi in Belsensi tractu.
Olescū arx.
Lucensis arx obsessa.
Induciæ damnosæ.
Proditores in exercitu Polonico.

rum ad regem, vt is Podoliam Suitrigel loni à se donatã redderet. Cæterùm vbi is commentum id sibi non procedere animaduertit, legationem de pace ad regem misit, siue ex animo id agens, siue ducendi belli, & obsessis subueniendi causa simulans. Intelligebat enim Polonos belli ob aduentantem hyemem, grassantemque in equos luem pertæsos, domos reuerti cupere: & ipse Tattarorum & Valachorum auxilia, cum quibus per hyemem Russiam & Poloniam infestaret, expectabat. Conuênit, vt proceres vtrinque delecti certa die de conditionibus pacis inter se tractarent. Interea dum hæc ita fiunt, arx regia Rathnum prodentibus eam Russis defensoribus ab hostibus capta & exusta est, Chelmensisque ora diuexata. Sed eos Ciolcus præfecti Chelmensis vicarius, siue suppræfectus cum centum triginta non amplius hominibus facto in securos animosè impetu, vltus est, ita vt trecentos ex eis interficeret, quadraginta viuos caperet. Ad Cremeneciã quoque eodem tempore bene res à nostris oram eam depopulãtibus gesta est. Cùm enim hostes in nostros paucos cõsultò per agros palantes, ex arce decurrissent, excepti insidijs, ppauci in arcem refugerunt, plurimis vel cæsis, vel captis. Continuabatur autem ab reliquo exercitu Lusci obsidio, & maioribus odijs, quàm viribus inter obsidẽtes & obsessos certabatur. Lituani & qui cum eis sentiebant Russi quoscunque Polonici generis & Latinorum, vt ipsi dicunt, rituum in arce repererant, exquisitis supplicijs in propugnaculis, vt inspectarẽt nostri necabant, & omne genus contumeliæ in nostros iactabãt, fisi incantationibus, quibus gens ea valde vtitur, & magicis artibus: quarũ professores Iudei, cũ alia quædã abominanda faciebant, tum captiuum quendam Polonum eleganti forma infixo in iugulum cultro mactarunt: haustumque sanguinem, & intestina vitaliaque membra extracta, & in minuta frusta concisa prunis imposuerunt & adoleuerunt: eoque suffitu impias & sacrilegas precationes adhibẽtes, omnes arcis angulos lustrarunt. Sæuiebant & Poloni vicissim in Russos quoscunque cæperant, vt par pari referrent. Conueniebat iam de pace inter proceres: sed eam Suitrigello approbare noluit, nisi Crucigeri quoq; & Valachi fœderati & socij sui pacis eius legibus continerentur. Vtrosq; enim in societatem adsciuerat, eoque magnis muneribus illectos adduxerat, vt & Crucigeri violato fœdere Cuiauiam atque Dobrinum, & Valachi clientes Polonorum Podoliam & Russiam finitimam armis infestarent. Sed Valachos quidem cum ingenti præda è Sniatinensi, Haliciensi & Camenecensi agro capta reuertentes, Russi regij Buciacijs fratribus ducibus è castris regijs curriculo profecti & consecuti, magna strage fuderunt, prædamque excusserunt. Alexander quidem palatinus dux & author belli fuga elapsus est: verùm non multo pòst, pœnitentia facti & mœrore confectus obijt. Nec dissimili, sed pro numero tamen aliquanto minore clade Crucigeri quoque Crainensem oram vastãtes affecti sunt ab agrestibus Cuiauijs ac Dobrinensibus, Ioanne Iarogneuio gẽte Orleio, Bartholomæo Vissemburgio Nalẽcio, ac Dobrogostio Colinio equestris ordinis ducib⁹, cùm ij accepto domesticæ calamitatis nuncio, præpeti cursu è castris domum contendissent. Neque parsum est arma abijcientibus. Theodoricus modò marsalcus Liuoniensis, & septem commendatores capti cum quatuor vexillis, Cracouiamque ad regem missi, omnes præter Theodoricum in carcere vitam finierunt. De vniuerso autem agmine illo, in quo septingenti Liuonienses equites, præter cæteram Torunensium, Succensium, Tucholiensium, Slochouiensiumque equitum pariter & peditum manum, fuẽre, paucissimi equestres ferè euaserunt. Nam reliquus Crucigerorum exercitus peruastata longè lateque Cuiauiensi ac Dobrinẽsi ora, viginti quatuor oppidis (in quibus pręcipua fuẽre Inouuladislauia, Vuladislauia, & Nessouia Toruniæ æmula) & plurimis pagis direptis & incensis, arceque Nessouiẽsi præsidio munita, incolumis & præda onustus domum reuerterat. Illos vberioris prædę spes ab Iodoco Tucholiensi commendatore ostensa longius prouexerat. Et quidem non sine magno compendio, nisi id sanguine suo exoluissent. Nec mirum cuiquã videri debet, tantum detrimenti vna illa excursione acceptum esse. Proposuerant enim Crucigeri præmia incendiarijs, oppidorum quidem ternas marcas, pagorum verò singulas. Munitioribus autẽm oppidis & arce Nessouiensi proditiõne Nicolai Tumigralæ Siecouij, quem rex ad custodiam Cuiauiæ reliquerat, potiti erãt: Breste frustra tẽtarũt. Sed ad Luscũ reuertamur. Cùm igitur de conditionibus pacis regi cum Suitrigellone non conueniret, inducijs interceptum est bellum, vt postridie Calend. Februa-

Suitrigello pacem postulat.

Rathnũ proditione captum & exustum.

Lituani fusi in Chelmensi territorio.

Lituanorum clades apud Cremeneciam.

Russorum sæuitia.

Russi incantationibus dediti.

Impius ritus lustrandi.

Crucigeri Cuiauiã ac Dobrinũ infestarũt, Valachi Russiã & Podoliã.

Alexander palatinus Valachorũ extinctus.

Crucigeri profligati à Polonis.

Craina.

Crucigeri insignes capti.

Oppida incẽsa à Crucigeris.

Nessouiensis arx præsidio firmata.

Incendiarij conducti à Crucigeris.

Tumigralæ proditio.

Induciæ cũ Suitrigellone.

Februarij ſequentis anni in conuẽtu Parſouienſi accuratius de pace tractaretur. Nec mora, ſoluta eſt Luſci obſidio, dimiſſusque exercitus. Ac tum demũ Cuiauiẽſes illi, quos dudum commemorauimus, & complures alij eiuſdem oræ equites curſu omnia præuertentes, & cũ agreſtibus coadunati, illam, quam dudũ commemorauimus, de Crucigeris victoriam adepti ſunt. Miſerant quidem rex & Suitrigello pariter, inducijs ſic inter ſe factis, legationem ad Crucigeros, vt ne Poloniam bello vexarent: ſed tardius ea peruenit, cùm iam hoſtes ſatis in homines omnis ordinis atque ætatis, & innocua tecta debacchati, preda graues do mum reuerterentur. Illud Crucigerico illo bello animaduerſum, variè ſuſpicãdi hominibus anſam dedit, quod Maſouiorum fines intacti prorſus ab omni vi hoſtium fuerunt.

Maſouiorũ ditiones expertes incõmodorum belli.

Rex verò à Luſco diſcedens, in Chelmenſi ora aliquãdiu ſubſtitit: per quod tempus Ruſſi Volynienſes nullum genus crudelitatis omiſerũt in noſtros, qui ibi poſt pacem factam & diſceſſum regis cum mercibus omnis generis Lucenſibus venum expoſitis, ſiue alia quauis de cauſa remanſerant, aut antiquitùs domicilia fixerant. Templa etiam quæcunque Ruſſici ritus non eſſent, impiè & immaniter exuſta & euerſa ſunt. E Chelmenſi deinde rex Leopolim profectus eſt: quo cùm ingens Cuiauienſium ac Dobrinenſium equitũ multitudo conflueret, opem & ſubſidium regis afflictis & perditis Crucigerica incurſione rebus ſuis atq; ſuorum implorãs, magna in cũctos & profuſa benignitate vſus eſt, nonnullos preſente pecunia ſubleuans, nonnullis verò poſſeſſiones de ſuo largiens: cũmque non illius modò, ſed & cuncti ſuperioris temporis immẽſis donationibus ſeſe & ærarium ſuum exhauſiſſet, ſupereſsẽtque adhuc multi, quibus ipſis cum liberis & vxoribus etiã ſubuento opus eſſet, eccleſiaſtica bona illis dilargiri cœpit, vt per hyemem dun taxat eorum vſufructu ſuſtentarentur.

Vuladiſlai beneficentia in calamitoſos.

Calamitoſi, immiſſi à rege in bona eccleſiaſtica.

Perniciosi exempli res ea viſa antiſtitibus. Itaque Albertus archiepiſcopꝰ Gneſnenſis, & Sbigneus epiſcopus Cracouiẽſis cum primoribus eccleſiarum ſuarũ ſacerdotibus properè ad regem excurrerunt, tã iniuſtas donationes eius repreſſuri. Et archiepiſcopꝰ quidem ſubmiſſiꝰ fruſtra orabat regem: Sbigneus verò maioris animi & conſtantiæ vir, grauius in eum inuectus eſt, iniuſtas illas alienorũ bonorum donationes reprehendens: ni cœpto deſiſteret, grauiore ſe in eum cenſura & animaduerſione vſurum eſſe minitans. Excuſantique neceſſitatem, & piam calamitoſorum hominum commiſerationem, adiecit: Nihil ea commiſeratione & miſericordia opus futurum fuiſſe, niſi ipſe calamitatem illam tam multis inuexiſſet. Vulgò enim iactari, ab eo ipſo Crucigeros quieſcentes excitatos eſſe. Quod ſi id verum non ſit, non eſſe tamen ipſum culpæ expertem, propterea quod iuſtum aduerſus ingratum & ſceleratum fratrẽ bellum, quod paruo negocio debellari potuerit, peruerſa quadam indulgentia ſua duxiſſet, commeatumque & arma obſeſſis Lucenſibꝰ ſubminiſtraſſe diceretur. Inducias quidem certè, per quas illi ſeſe recrearent, bis eis contra omnium ſententiam conceſſiſſet. Ita tunc Sbigneus: quanquã nihil cuiquam rex in Cracouiẽſi diœceſi, præter quædam Miechouienſis monaſterij, donarat, Sbigneũ reueritus. Atq; id ipſe tum commemorabat. Sed nihil tamen ea res animum Sbignei mollijt, non tam ſuam, quàm publicam eccleſiaſtici ordinis cauſam agentis.

Rex ab epiſcopis obiurgatus ob largitionem eccleſiaſticorum bonorũ. Sbignei epiſcopi libertas dicendi.

Reuerſus deinde rex eſt in Poloniam ad comitia; quæ Nepolomiciam ad vndecimã diem Nouembris indixerat. Ibi Heduigim filiam Friderico iuniori marchioni Brãdeburgenſi deſponſam, immatura mortem defunctam amiſit. Creditum eſt vulgò, veneno eam à nouerca ſublatã eſſe, ne quo filijs ſuis impedimento ad regnũ adipiſcendum eſſet: propterea quod ea Cazimiri magni regis, cuius grata etiam tum erat apud Polonos memoria, proneptis eſſet. Rex quoq; ipſe æquiori, quã par erat animo mortẽ eius tuliſſe viſꝰ eſt.

Comitia Nepolomiciæ. Heduigis Vuladiſlai regis filia mortua.

Poſt initium verò inſequẽtis anni Lublinũ is magna procerũ caterua ſtipatꝰ profectus eſt: proceresq; omnes, excepto Alberto archiepiſcopo, Parſouiã ad conuẽtum cũ Suitrigellone agẽdum tranſmiſit. Verùm ij cùm diu fruſtra Suitrigello nẽ moras nectẽtẽ expectaſſent, re infecta diſceſſerũt.

1432. ann.

Conuentus Parſouiæ nõ ſucceſſit.

Erat autẽ apud Suitrigellonem Ludouicꝰ commẽdator Toruñẽſis, qui hoc agebat ſedulò Crucigerorũ nomine, ne pax cũ Polonis coiret. Rex de ſtatu reipublicæ, ac de impẽdentibus vndique periculis anxiꝰ, ad viceſimamtertiã diẽ Aprilis Siradię comitia habuit. Ibi Vuladiſlaꝰ maior natu regis filiꝰ regni ſucceſſor à patre deſignatꝰ, totiuſque cõuentus ſuffragijs approbatus eſt. Cõſtitutum eſt etiam, vt ſi plura ſimul bella ingruiſſent, cæteris omiſſis ad tempus, in id quod eſſet grauiſſimum, toto conatu & cunctis viribus incumberetur, ne diductæ multipliciter & extenuatæ copiæ nulli rectè ſuſtinẽdo ſatis eſsẽt. Nicolaus

Comitia Siradiæ. Vuladiſlaus Vuladiſlaũ filium regem Poloniæ deſignat.

Tumigrala proditionis damnatus. laus verò Tumigrala proditionis, cuius superius meminimus, ibi damnatus est: quamuis necessitate, cùm nullas ad resistendum hosti vires haberet, eò adductus esse plerisq; videretur. Vucieleius *Vucieleia fa milia.* is gente fuit, cuius insigne est latruncularia tabula. Nuptias deinde rex Eniliæ Masouiorum ducis & sororis suæ filiæ, Boguslao Stolpēsium duci in matrimonium collocatæ, splendido apparatu fecit. Reuertentem in minorem Poloniā, Pabianice quod oppidū cum omni territorio sacri collegij Cracouiēsis basilicæ est, legati Boemorum hæreticorum *Boemorum hæreticorū oratores ad regem.* conuenerunt, auxilia contra Crucigeros pollicentes, & Coributo regē reconciliantes. Ad hæc Basileensis cōcilij propensionem erga se nunciantes. Etenim *Basileēse cō cilium.* indixerat Basileam Martinus pontifex anno superiori cōcilium, eiq; suo nomine Iulianum cardinalem diaconū præfecerat: cumque interea vita defunctus, Eugenium eius nominis quartum successorem accepisset, nihilomin⁹ patres, qui conuenerant, Sigismūdo Cęsare authore id prosecuti sunt, & cùm alia multa ad salutē reipublicæ Christianæ pertinentia faciebant & sanciebant, tum ad Boemos Egræ conuentum agentes miserant oratores, qui eos blandè in viam reuocarent, aut certè ad congressum & colloquium amicè inuitarent, prolixè multa pollicentes. Hæc igitur tunc Polonorum regi Boemi nunciabant. Grata fuit ea legatio regi & procerib⁹, bellū in Crucigeros molientibus. Quare comiter & lautè legati habiti sunt, & assentientibus archiepiscopo & episcopis, qui *Boemi adē missi ad sacrorum communionem à rege & epis scopis.* tunc aderant, ad sacrorum communionem admissi. Perfuncti verò legatione, cùm reuerterentur, & Cracouiam cōtra præceptum regis ex itinere diuertissent, cessatum est à sacris mandato episcopi *Interdictum sacris Cracouiæ propter Boemos.* licet absentis, adstipulāte vniuerso cœtu sacerdotum, & theologorum, & iureconsultorum, quos Vicarius episcopi ea de re conuocarat. Cōtumeliosum id visum Boemis: regi verò (qui tamē futurum id diuinauerat) & cæteris episcopis permolestū fuit, ꝙ Sbigneus vnus omnium acta ac placita irrita faceret. Accendebant etiam magis iram regis Ioannes Menzicus Dambrouius palatinus Russiæ, & Petrus Corsbocus, ꝗ Boemos honoris causa iussu regis deduxerant. Itaq; *Rex iratus Sbigneo episcopo.* excanduit is in episcopum, & venienti ad se Visliciam, dextram beneuolentiæ symbolum nō porrexit: quin asperioribus etiam verbis eum increpuit, & Petri Vissi fortunam ei comminat⁹ est. At ille imperterritus respondit: Fauorem se, non offensam regis meritum arbitrari, *Sbignei oratio ad regē.* quòd solus & salutis & existimationis eius, quæ ab inimicis ei⁹, & maximè Crucigeris cùm aliàs, tum in Basileensi concilio ꝑscinderetur, optima fide curam haberet, prouideretque omni ratione, ne rex meritò pro fautore hæreticorum traducatur. Et cùm de religione agitur, „ neque regis, neque cuiusquam omnino „ vultum atq; minas se reformidare, quin „ id faciat, quod rectū esse intelligat. Au- „ thoritate archiepiscopi & cæterorum episcoporum nihil se in hac parte moueri, habentē adstipulatores diuini humaniq; iuris professores. Petri Vissi calamitatem desineret rex cōmemorare, quæ non tam innocenti episcopo, quàm iniurioso regi ignominiosa accidisset. Neque verò ea se terreri: paratum non modò quasuis contumelias pro religione, verùm etiam exilium atque mortē subire. Cùm autem rex subijceret, Se quoq; diuini & humani iuris peritos diuersæ sententiæ authores habere, acciti primores academiæ Cracouiensis, & cum his commissi Ioannes Saffranecius Vuladislauiensis, Ioannes theologus Chelmensis episcopi, & Vuladisla⁹ Oporoui⁹ pontificij iuris peritus, procācellarius regis, qui postea Vuladislauiēsis episcopus fuit, haud difficulter refutati sunt. Neque tamen penitus regis ira in Sbigneum resedit: admonitusque is est ab Ioāne Tarnouio palatino Cracouiensi, vt sibi diligēter caueret. Subornatos.n. esse à rege, qui eū de medio tollerent. Et egit quidē *Sbignei magnus animus contēnendi periculi.* gratias palatino Sbigne⁹: sed nihil tamē ea nocte, in quam sibi periculum cōparatum esse acceperat, de consuetudine sua remisit. In eodem cubiculo, eodē lecto cubuit, nullam sibi custodiam adhibuit: nocteque intempesta cum vno sacerdote & puero lumen præferente ad matutinas precationes ad templū adijt. Neque aduersi quicquā ei accidit, quòd vel rex mutasset consilium, vel vanus ille terror fuisset. Nec multo pòst, sacerdotē hæreticum, ꝗ ad regē venerat, idē Sbigneus eiecit, vir excelsi animi, & sempiterna posteritatis memoria dignus. Venit autem eòdem ad regem illustris *Cyprī regis legatio ad Vuladisl. regē Poloniæ.* legatio Iani Cypriorum, Hierosolymorum & Armeniorū regis, mediterraneo mari per Propontidē & Pōtum Euxinū, atque inde aduerso Danubio aduecta in Moldauiā, & inde porrò terrestri itinere non sine magna difficultate in Russiā & Poloniam profecta. Eius legationis princeps Balduinus de Noris marsalcus Cypri donis regi & reginæ oblatis connubiū Heduigis regię filię, regis sui filio,

lio, ac ducenta millia aureorũ numûm ipsi regi mutua petebat, bessemque, hoc est duas tertias partes Cypriorum regni hypothecæ nomine Vuladislao offerebat. Sed nihil impetratũ, quòd & Heduigis iam obierat, & pecuniã se rex habere assiduis bellis exhaustum negauit. Misit deinde Vuladislaus Laurentiũ Zarembam castellanum Siradiensem legatum in Lituaniam, admonẽdi in speciem, & sanandi Suitrigellonis causa: reuera autem,

Rex Lituanos in Suitrigellonẽ cõcitat.

vt Lituanorum procerum animos sua sponte iam à Suitrigellone, cùm propter crudelitatẽ eius, tum propter propensiorem erga Russos fauorem alienatos, magis etiam clàm in eum incitaret: Sigismũdumque Vitoudi fratrem germanum, Starodubensium ducem ad inuadendum principatum Lituanorum animaret. Neq; irritus hic conatus fuit. Cognita enim voluntate regis Lituani cum Sigismundo conspirantes, aduersus Suitrigellonẽ apud Osmianos tunc agentem arma sumũt.

Suitrigellonis fuga.

Et euasit quidem Suitrigello fuga in Russiam, ab Ioanne Moniuido de insidijs pręmonitus: cupideque receptus est, cùm à cęteris Russis, tum à Smolenscijs: indeq; postea adiunctis sibi Liuoniensibus Lituaniam vexauit.

Suitrigello vexat Lituaniam.

Vxorem verò eius Russam Tuuerensium ducis filiam Sigismund⁹ cæpit, Lituaniamq; omnem in potestatẽ suam redegit. Deinde ad regẽ misit oratum, vellet iuberet, se principem esse Lituaniæ.

Sigismundus dux Lituaniæ à rege præficitur.

Pacta Lituanorum cum Polonis.

De feudo.

De societate & fœderibus.

Missi in Lituaniam septem de primoribus Polonorum, conditiones Sigismundo tulerunt, vt iureiũrãdo interposito reciperet: Se in fide & cliẽtela regis, qui supremi ducis Lituanię titulum retinebat, & Polonorum, semp futurũ: eosdẽ cum eis amicos hostesq; habiturum, suisque stipẽdijs eis militaturũ: cum Suitrigellone & Crucigeris nullum fœdus contra regem & Polonos seruaturum:

De Podolia.

Olescum, quod tunc ab exercitu regio obsidebatur, Grodlum, Rathnũ, Vetlios, Lopatinum, & omnem Podoliã, quæ in ditione Polonica fuisset, deinceps quoque esse passurum:

De regno.

diadema contra sententiam Polonorum ne vltrò quidẽ oblatum à quoq̃ accepturum:

De successione.

neminẽ aliũ quàm regem & liberos eius in principatu successorem relicturum: Michaelem verò filium, & reliquos hæredes suos legitimos in Trocẽsi tantùm dominatu & patrimonio: & quidẽ fidẽ & subiectionẽ regi regnoq; profitentes: ijs verò, si absque suis hæredibus decederent, regẽ & regnum hęredes fore:

De Volynia.

Volyniam quoad viueret, sibi concessam & adiunctã, quẽadmodum & Vitoudo concessa esset, se mortuo in ius ac ditionem Polonorum reuersuram esse. Hæc omnia Sigismundi ipsi⁹, & filij Michaelis, senatusq; Lituanici, & vniuersæ nobilitatis consensu approbata & accepta, & vnis atq; alteris literarum monumentis consignata sunt.

Principatus insigne.

Quibus ritè peractis Sbigneus episcopus princeps legationis regiæ gladium, principatus insigne, Sigismundo regis nomine publicè tradidit. Interfuit his omnib⁹ Ludouicus commendator Torunensis cum trib⁹ collegis à Paulo magistro Crucigerorum ad ineundam nouam cum Sigismundo, posteaquã Suitrigello principatu eiectus erat, societatẽ missus.

Crucigerorum conatus.

Georg. Butrim.

Atque is enixè studuit infecta reddere quæcunq; à Polonis proceribus agebantur, adiutorem ad id nactus Georgium Butrim Lituanum, hominem ingeniosum & callidum, quippe qui multas Christiani orbis regiones peragrasset. Sed irriti tamẽ ij conatus fuêre: iussiq; Crucigerorum legati, velut hostes, Lituaniæ finib⁹ statim excedere. Compositis rebus Lituanicis, ad Podoliam pacandam rex animum intẽdit. Et miserat quidẽ eò nõnihil copiarum: sed in Olesci obsidione tempus eæ terebant, & minores erant, q̃ vt Podoliam, cuius nonnullæ munitiones adhuc Suitrigellonis præsidijs tenebantur, subigere possent.

Olesci obsidio.

Itaq; ipse Leopolim profectus est, vt ex propinquo rectius è re nata rebus consuleret.

Lucensium priuilegium.

Ibi Lucẽsi conuentui ad priores immunitates adiecit, vt nobilitatis subditi nõ nisi aduenienti ad id territorium regi commeatum & stationes prẽberent. Templa Russorũ ne vastarentur, neq; cogeretur quisquã transire ad religionẽ catholicã. Fortè p eos dies Olescum expugnatum erat. Eas igitur victrices copias nouo supplemento auctas ad recipiendas reliquas munitiones Podoliæ misit.

Podolia recepta à Polonis.

Bratislauia incensa.

Fedco dux Ostrogius.

Nec magno eæ negocio in potestatem redactæ sunt. Bratislauiã verò arcem, ne nostri ea potirẽtur, Theodoretus siue Fedco Ostrogius dux Russus partium Suitrigellonis vir strenuus & bellicosus, vnà cum oppido incendit. Habebat is quidem circa se nõ contemnendã manum. Sed nusq̃ aperto marte cum nostris rẽ gerebat, nec se certo loco tenebat. Ex insidijs verò nostros lacessens, sæpe fusus fugatusque erat. Cùm autem hominem in latè patentibus campis cum expedito equitatu vagantem adipisci & perdomare difficile esset, tempusque anni hybernum bello gerẽdo minimè aptum esset, reuertebantur nostri. Reuertẽtes Fedco occultus sequebatur, oportunitatẽ & occasionẽ rei bene gerendæ captans: & nõ

minimũ auxerat vires suas auxilijs Valachorum, Tattarorum & Bessarabum, ita vt numero nostros longè vinceret. Moraqua amnis est, qui in Nestrum siue Tyram influit, limosus & latè restagnans, ac per syluestria loca means. Et iam fragili glacie concretus erat. Quam certo loco nostri virgultis consternebant, vt firmior facta transitum præberet reuertentibus. Eo igitur alio itinere præcurrens Fedco, occultus & syluis tectus cum exercitu in vlteriore ripa consedit. Iam pars nostrorum angusto tramite impeditum locũ transiuerat: ponè carri & impedimenta in medium recepta sequebatur: cùm subitò ille magno cũ impetu, clamore, ac dissono tubarũ, tibiarũ tympanorũq; cantu & strepitu inuectus, nec opinãtes primos adoritur. Trepidi nostri re noua & inexpectata, cũ neq; ad extremum agmẽ receptus daretur, nec ab eo magna auxilij spes affulgeret, tamen impetum hostiũ vtcunque sustinuêre. At qui in extremo agmine erant, vbi suorum periculum animaduertêre, nihil cũctati, contempto omni periculo, partim per constratam viam, euersis & in cœnum deiectis carris, partim per infirmiorem amnis restagnãtis glaciẽ superata difficultate, auxilio suis iam laborantibus accurrerunt, & prælium instaurârunt. Superabant tamen multitudine hostes, perturbatosq; nostros & sine ordine pugnãtes premebãt: pars etiam, quasi parta iam victoria ad diripiendos carros discurrebat: deplorata res nostrorũ erat, cùm subitò quasi diuinitùs eis auxiliũ affulsit. Kemlicius quispiam tribunus militum cum 100. equitibus pabulatum præcesserat. Is cùm è clangore tubarũ, & fragore armorum pugnari eminus cognouisset, instructa subitò acie, sublatoq; maximo clamore in auersos & prælio intentos hostes impetum fecit. Qua re & illos vehementer perturbauit, & nostris animum addidit. Redintegrato igitur prælio, à tergo pariter & à fronte cæduntur hostes: & qua fugę patebat exitus, dissipantur. Fugientibus institêre nostri vsq; ad mediam ferè noctem, quæ tunc sublustris erat, & cùm neminem viuũ seruarẽt, magnam hominum stragem fecerũt, duodecimque signa capta retulerũt: dux ipse fuga euasit. De nostris non adeò multi desiderati sunt, & ij quidẽ ferè gregarij. Abest locus ille prælij à Leopoli nõ minus quadraginta milliaribus bene longis: & tamẽ quo die hæc gesta sunt, hoc est vltimo Nouembris, cùm rex in templo, vbi tunc tótos dies transigebat, diuinam opem sedulus imploraret, non ignarus cũ quàm grauibus & insidiosis hostibus exercitui suo res esset, rumor de victoria sparsus totam vrbem impleuit. Nec autor eius rumoris inueniri potuit, ita vt vana lætitia exultasse homines viderentur. Póstero deinde die certo nũcio res omnis, vt gesta erat, cognita est, gratiæq; actæ Deo, ac dona à rege missa militib⁹. Nec multò pòst cumulata est regi ea letitia, profligato à Sigismundo duce apud Ossmianos insigni strage Suitrigel lonis exercitu, è Russis, Tattaris & Liuoniensib. collecto: de quo ad 10. millia cæsa, quatuor capta esse, relata sunt. Suitrigello quidẽ pernici fuga crebro mutando equos euasit. Sigismũdus monimentum victoriæ templũ & collegiũ sacerdotũ apud Ossmianos postea instituit. Hac gemina victoria rex lætus, Leopoli discedẽs, Cracouiã ad comitia, ad natalem Christi indicta, venit: & ouãs pedibus vrbẽ ingressus, apud complura templa festas supplicatiões obiuit, priusquã arcem ascẽderet. In comitijs deinde de Prussico bello agi cœptũ, resq; integra ad alia comitia, quæ ad secũdam dominicam Quadragesimæ Sendomiriã indicebantur, reiecta. Eò porro aduenerunt oratores è concilio Basileẽsi, quod Eugenius pontifex cùm ab initio approbasset, Ferrariã transferebat, atque adeò dissoluebat. Conciliũ contrà, abrogare põtificatum Eugenio nitebatur. Quanquam obstabat Sigismũdus imperator, vt gratiam referret Eugenio, à quo Romæ paulò antè diadema imperatorium ritu solẽni acceperat. Postulabat autem ea legatio, vt rex cum omnibus populis suis concilio aduersus pontificẽ faueret, & vt vexandis bello Crucigeris supersederet, concilioq; causam illam omnem cognoscendam & arbitrandã permitteret. Cui respõsum est. Non abhorrere à pace regẽ, si à Crucigeris ipsi satisfieret. Porrò de ijs, quæ ꝑterea oratores póstulabant, diligẽtius eum consultaturum, ac deinde missurum legatos suos ad cõcilium cum certo responso. Ita dimissi oratores concilij, in Prussiam ad Crucigeros, vt eos ad accipiendam conditionem pacis à rege oblatam adducerent, profecti sunt. Cæterùm in comitijs de cogitatione & apparatu belli nihil à nostris remissum est. Tametsi gerendi eius ratio nõ expediebatur, propterea quòd rex senio confectus, & caligantibus oculis munia belli per se ipse obire non poterat: & Lituanorũ, Russorum atq; Valachorũ auxilia, cùm eæ gentes partim proprijs ac domesticis bellis implicatæ essent,

Margin notes: Moraqua fl. — Polonorum cum Russis prælium. — Kemlicius instaurat pugnam. — Russi victi. — Rumor celer. — Suitrigello fusus & fugatus à rege. — Ossmianense collegium. — Comitia Cracouiæ. — Comitia Sẽdomiriæ. — Basileensis concilij oratores ad regem. — Concilij cum Põtifice dissidium. — Sigism. Eugenij imperator fautor. — Responsum regis oratoribus concilij.

essent, partim à fide regis desciuissent, de futura erant. Itaq; tertia comitia armatorum ad diem sancti Ioannis Baptistæ natalem Colum indicēda, & Boemorū hæreticorum auxilijs vtendū esse, quãuis refragantibus episcopis, decretum est. Nec ita multo pòst, conuentu inter nostros atq; Crucigeros opera oratorū concilij de pace frustra instituto, cùm Crucigeri quindecim dies vltra cōdictū expectati non venirent, euocati Boemi à rege, duce Ciapcone præstò fuêre: con iūctiq; cū maioribus Polonis, quibus Sendiuoius Ostrorog⁹ iussu regis præerat, nouã Marchiã Crucigerorum imperio subiectã crudeliter vastarūt, duodecimq; oppida munita partim vi, partim ꝑ deditionē cæperunt: quæ quidem omnia direpta ac diruta sunt, Chossno, quã Teuthones Ernisbergam dixêre, excepto: quod quoniã erat munitissimum, præsidio firmatum est, quo facilius omnis ea regio in fide regia contineretur.

Noua Marchia subacta à Polonis.

Chossno oppidum à Polonis munitum præsidio.

Per eosdem ferè dies Sigismundus dux Lituanorum coadunatis magnis copijs, duodecim dies Liuoniam depopulatus est, & ingentem prædam inde asportauit. In Russia verò Risco siue Gregorius Kerdeius Nossum ducem Russum Suitrigellonis partium, qui Luscum nō ita pridem interceperat, profligauit atque cæpit. Vbi statuta armatorū comitiorum dies aduenit, frequens conuentus sciuit, vt rex in Polonia subsisteret: exercitui verò vniuerso, & summæ rerum præfectus est Nicolaus Michalouius gente Roseus castellanus & præfectus Cracouiensis. Huic rex dedit in mandatis, vt hostiles regiones longè lateq; vastaret: munitionum oppugnationibus abstineret. Retinuit autem secum nonnullos de senatu graues & grādæuos viros, cum quibus quacunque de re ad se referretur, consultaret. Colo profectus Michalouius cum exercitu in Pomeraniam, non diu mandatorum regiorum memor fuit. Iam maiores Poloni cum Boemis subacta omni noua Marchia, præter Landisbergam oppidum, in Pomeraniam antecesserant, & Choiniciã obsidebant: quoniam autem consultissimum videbatur coniunctis copijs rem gerere, eò duxit reliquum exercitū Michalouius: facileque persuaderi sibi ab Ostrorogo passus est, vt cœptam Choiniciæ obsidionem prosequeretur. Erat autem oppidum bene munitum, commeatu, præsidio & omni apparatu belli instructissimum. Vbi in longius temp⁹ obsidionē eius duci animaduersum est, institutus cuniculus, quo ex improuiso in oppidum irrūperetur. Verùm is non altè ductus, priusquam perduceretur, subsidente sabuloso solo obrut⁹ est. Tētata deinde vi & impetu oppugnatio, exiccata fossa oppidū ambiente. Sed inde quoq; multis vulneribus acceptis, re infecta discessum est, cùm primi Boemi in tutum se recepissent. Iam difficiliore an nona, propter multitudinem, & vias ab hostibus infessas, nostri vtebantur, & ex pabuli inopia plurimos equos amittebant. Itaq; serò regiorum mandatorum recordati, cū totos duos menses in obsidione Choiniciæ casso labore consumpsissent, ea soluta, castra mouerunt, & in interiora Pomeraniæ populabūdi progressi sunt: ꝑtergressiq; nōnulla opp. direpto Pelplinēsi monast. magnificentissimè ædificato, & opulēto, ad Tiscioul si ue Deruasiã peruenerunt. Præcesserãt & prēterierant oppidum Boemi, q primas stationes seruabant, & loca metãdis castris capiebant. Poloni verò quo minus in suburbana prædandi causa discurrerent, cohiberi à ducib⁹ nequiuêre. Erat in oppido validū hostium præsidium. Nam ij quocūq; admoturos esse nostros suspicabantur, omnia præsidia ex propinquis munitionibus deducta noctu eò contrahebãt. Id igitur præsidium occurrit nostris ex extrema suburbana: sed tamen quo minus ea incenderentur, ꝓhibere nō potuit. Itaq; latè vagante incendio in oppidum se hostes receperūt. Nec mora, aduerso ac vehementi vento flante vrbana quoq; ædificia flamma corripuit: nec ea restingui vllo cùm hostium ipsorum, tum ad extremum etiã nostrorum conatu potuit. Sic oppidum longè munitius & opulentius q̃ Choinicia, quasi fortuito incendio conflagrauit: præda omnis, præter eam, q̃ in subterraneis cellis & fornicibus abscõsa erat, igne corrupta: captiuorū supra decem millia fuisse dicuntur. Ex his quicū que Boemici generis fuerunt, Ciapcō reuertēs, vt sibi cōdonarentur, impetrauit. Traditos, grauiter, ꝙ Teuthonib⁹ cō tra Polonos eiusdē secū linguæ & originis militarēt, corripuit, pyraq; ingēti extructa exussit. Eius exēplum secut⁹ Ioannes Strassus Bialaciouius piratas seu nauticos homines in ergastulo conclusos, quorū non exigu⁹ numerus inter præsidia Crucigerorū fuit, circumiecta palea & arida materia succendit. Et effregerūt ij quidē ergastulum ligneum: sed cùm effugere vellent, aduersis hastis à nostris excipiebantur, donec Michalouius superueniens cædem eorum repressit, ignemque restinxit. Matronis verò & puellis captiuis iustus honor habitus: adhibitaque publicè custodia, ne quid

Liuonia à Lituanis vastata.

Nossus dux victus & ceptus à Kerdeio.

Coli comitia armata.

Nicolaus Michal. dux exercitus Polonici.

Choinicia obsessa à Polonis.

Lues equorum.

Pomerania vastatur.

Pelplinense monasteriū direptum.

Dersauia incensa.

Ciapconis acerbitas in Boemos.

Piratæ combusti.

Fœminis captiuis honos.

habitus à Polonis. ne quid in eas cõtumeliosè à quoquã fieret: factaq; diligẽti cõquisitione, ne qua priuatim à quopiã occuleretur, omnes ad Vistulam deductæ, traiectæq; nauib⁹, liberè dimissæ sunt. Perhonorificum id fuit nostris apud ipsos etiam hostes, omnesque eis omnia bona precari: suis verò, qui longè essent, fuissentque in populanda Polonia dissimiles, mala imprecari. In templis, monasterijs, & rebus sacris nostri nõ eadem abstinentia vsi sunt. Sed plus hic valuit ira & dolor immanissimè direptorum à Crucigeris in Cuiauia templorum. Itaque Oliuense quoque monasterium paulo pòst direptum & incensum est. *Oliuense monasterium incensum.* Inde ad Gdanum castra mota, quatriduoque in conspectu eius vrbis statiua habita: per quos dies omne id territoriũ peruastatum, munitio portus lignea disiecta. *Poloni exercitus lætitia, quòd ad mare peruenissent.* Equites cùm ad mare venissent, longius in salum atque fluctus ludibundi & gratulabundi sibi inuicem, quòd mare infestis armis attigissent, procurrêre. Feruntur etiam Boemi marinam aquam haustã laguncculis domum deportasse. Peruastata satis vsq; ad mare Pomerania reuertentes nostri alio itinere, Tucholiensem & Iaseneccensem oram vastabant. Cùm autem apud Iaseneciam statiua haberent, de pace ab hostibus tractari cœptum est. Et Boemi iã præcesserant, vt se in Polonia reficerẽt. Dũ colloquũtur inter se primores, pauci de nostris iuniores temerè impetum in arcẽ fecêre: eosq; prægressos exercitus omnis, cùm esset sine imperio, quasi dato signo secutus est. *Iasenecia arx capta et incensa.* Capta momẽto arx, & direpta, & improbitate cuiusdam militis incẽsa est. Captiui ad vnum omnes trucidati, furore militum ob interfectũ in oppugnatione Ioannem Leuinum Vilcinium, nemini parcẽte. Permolestè id factum, dũ de pace agitur, tulêre Crucigeri. Sed nostris iniussu id suo, & tamẽ iure belli, neq; pace, neque inducijs adhuc cõstitutis, factum defendentib⁹, accelerata sunt induciæ trium mensium. *Induciæ.* Interim autem ad Calendas Decembris, vt in conuentu Brestensi de conditionibus pacis constitueretur. Captiui Crucigerorum nobiliores facta sponsione sistendi sese, si de pace non conuenisset, dimissi: tenuiores & gregarij vel commutati, vel binis florenis redempti. Nostri munitiones in noua Marchia q̃sitas retinuêre, pacti nihil munire interim, nec reficere. Mirũ autẽ est, tum demum Crucigeros de pace & inducijs q̃ diligẽtissimè egisse, cùm nostri peruastata omni Pomerania (ita vt soli quatuordecim pagi inter lacus & paludes intacti relinquerẽtur) domũ reuerterent. Senserant fortassis nutare incõmodis affectas plebes. His peractis exercitus omnis accepta à Michalouio missione, suam quisq; domum dilapsus est. Sed Boemorum primores Pysdros ad regẽ, vt erat ab eo prȩceptum, profecti, honorificè ab eo accepti & remunerati sunt. Neq; verò labis quicq̃ tunc nostri ex eorum consuetudine contraxêre: quin odisse magis eorũ fœditatem & impietatem cognitam cœpêre. *Poloni non corrupti consuetudine Boemorum.* Nouum etiam tunc fœdus Cazimirus dux Pomeraniæ Scecinensis cũ rege icit, veteri, quemadmodum credere par est, violato: quo recepit sub fide & honore suo vnà cum primoribus suis, nullam opem se laturum esse Crucigeris aduersus Polonos: neque passurum esse quenquam, qui contra eos arma sumpserit, ꝑ ditionem suam trãsire. *Fœdus cũ duce Pomeraniæ Scecinẽsis.* Hoc fœdere icto, & Boemis dimissis, rex in Sendomiriensem tractum se recepit, fugiẽs pestẽ, quæ maiorem Poloniam inuaserat: *Pestis in maiore Polonia.* qua quidem Ioannes Saffranecius episcopus Vuladislauiensis absumptus, Vuladislaum Oporouium decanum Cracouiensẽ & procancellarium regni, rege suffragãte, successorem accepit. Cùm autem Rex esset Prissouiæ, venit ad eum Boem⁹ quispiam sacerdos hæreticus à Christiano astrologo, nuncians, vt mortem propè sibi imminentem caueret. *Prædictio mortis regia.* Id cùm ille semotis arbitris ageret, Sbigneus episcop⁹ Cracouiensis veritus, ne quid de religione hæreticus ille regi suaderet, grauiter obiurgauit regem, ꝙ neminem de consiliarijs ad audientiã Boemi adhibuisset. Et satisfecit quidem rex Sbigneo, nihil Boemum neque de religione, neque de republica secum locutum esse: sed tamẽ coactus est eum primo quoq; tempore instante Sbigneo dimittere, propterea quòd spargebat is vulgò praua dogmata. Non multo autem pòst cometes non obscurus, plus quàm vnum mẽsem pernox, face ad Occidẽtem versa apparuit: *Cometes.* regiæ mortis, vt vulgò tũc creditum est, postea euentus comprobauit, prænuncius. Nepolomiciæ iam rex erat, quò comitia ad diem diui Martini episcopi memoriæ dicatum indixerat: *Comitia Nepolomiciæ.* eò venit Elias Alexandri palatini Moldauiæ defuncti filius à minore natu fratre Stepha no dominatu paterno eiectus, regis opẽ implorans, & in fide clientelaque regis & filiorum eius ac Polonorũ se fore sem per solenni iureiurando recipiẽs. *Elias palatinus Moldauiæ iurat in verba regis.* Consecuta est eum & Stephani fratris legatio cum splendidis donis, Lẽciciam vsq; regẽ sequens, & postulans, vt ipsi poti⁹ quã fratri omnibus inuiso, rex faueret. Fore & ip-

& ipsum perpetuò in fide & clientela Polonorum, quemadmodum pater maioresque ipsius fuissent. Offensam autem à patre paulò ante mortem contractam damnaque data Podolijs, vt ipsi rex condonaret. Habebat quidem Elias in matrimonio sororem germanam Sophiæ reginæ: sed tamen re in consultationem senatus posita, placuit, vt Stephanus, in quē studia gentis inclinassent, dato iure iurando in verba regis & regni Polonici, retineret Valachiam, tractumque Sepinensem cum Chocimo, Ceciuno, & Chmelouia munitionibus à rege iure sempiterno reciperet. Eliæ verò, quo magis Stephanus eius metu in officio contineretur, luculentæ possessiones à rege in Polonia datæ sunt. Sed cùm in his ille non acquiesceret, & ad recuperandum dominatum paternum aspiraret, ex fuga retractus, Siradiæ deinceps sub honesta custodia cum vxore & libe ris vixit. Stephanus verò, sicut conuenerat, Sociauiæ solenne iusiurandum legatis regijs exigentibus dedit, promisitque etiam, se, cùm iussus fuerit, in Russiam venturum, & iusiurandum illud coram iteraturum esse: & vt gratiam referret regi, non ita multo post Tattaros in ditiones Polonicas excursionem parantes repressit: Bratislauiam, quæ instaurata, ni fallor, erat, & Suitrigellonis præsidio tenebatur, interceptam regi restituit. Ex ijsdem comitijs missi sunt proceres quidam in Cuiauiam ad conuentum Brestensem agendum cum Crucigeris. Verùm ex eo cōuentu infecta pace, & irritatis animis, incertum qua de causa, discessum est. Lenciciæ rex euentum illius conuent⁹ expectabat. Vbi rediêre ad eū legati è conuētu, de bello agi cœptū: visumq; est, non expectandā esse æstatem, sed quamprimū immittendū in terras hostiles exercitū. Expeditiora fore omnia cōcretis glacie fluminib⁹ atq; lacub⁹; quibus abundat Prussia. Vna res difficultatē faciebat, quod pecunia regi deerat in stipēdium, & prope abfuerat res à seditione superiore æstate apud Choiniciā, fremēte vniuersa nobilitate cōtra proceres, quod ij bellū extra fines Poloniæ sine stipēdio decreuissent: receperāt q; illi nunquā id se deinceps admissuros esse. Inuent⁹ tandē modus est eius difficultatis explicādę, vt Palatini suę quisq; ditionis nobilitati de stipēdio soluendo cauerēt. Hęc vbi didicêre Crucigeri, missis mox ad regē legatis, quas antea repudiarāt conditiones vltrò accepêre, in 12. annos pacti inducias. Adiectū, vt ad natalē Virginis matris diē sequēti anno apud Slonscū de pace perpetua tractaretur. Ibi tunc marsalcus Crucigerorū Liuoniensiū ex pacto dimissus, sine adeò spōsione militari solut⁹: dimissus enim erat, cùm de sistēdo eo, quū rex iussisset, Suitrigello quoq; cauisset: ac Theodoricus Buciatius præfectus Camenecensis pro eo receptus. Captus hic à Fedcone duce Camenecēsem agrū & suburbana vastante, cū paucitate prędatorum contempta temere in eos erupisset, & in paratas insidias incidisset, Magistroque Liuoniensi petenti à Suitrigellone donatus erat. Neque enim quiescebat Suitrigello cum Russis: sed cum ipse per se auxilia Liuonum habēs, Lituaniam tū per Fedconem & Nossum duces Russiā regiam æstate præterita Crucigeris incitātib⁹ infestarat, illa occasione vsus, quod nostri Prussico bello distinebantur, & quod is Sigismundum ducem Lituanorum inuisum iam esse plerisq; Lituanis acceperat. Et sumpserat Sigismūdus paulo ante suppliciū capitis de Ioanne Moniuido palatino Trocensi, & Rumboudo supremo marsalco Lituaniæ authoribus conspirationis, quæ in eum comparata esse dicebatur. Itaque liberè tunc Suitrigello Lituaniam depopulatus est, Sigismundo habente quidē & ipso exercitum, sed non satis ei fidente, propter necessarios & propinquos interfectorū procerum: opportunis modò locis exercitum hostilem is carpebat. Itaque nō multum operæprecij tunc fecit Suitrigello, nisi quòd Vilnam, Trocos & Lidā oppida immunita exussit: Breste Russicum per Fedconē & Nossum duces obsedit: nec difficulter eo potitus esset, propter commeatus inopiam, dubiamque Russorum fidem, nisi Masouios arma iussu regis sumpsisse, & aduentare eò renūciatum esset. Tattaros quoq; magnis donis ad vastandam eam oram Russiæ, quæ Sigismūdo parebat, concitarat. Verùm ij cùm aliquousque progressi, Sigismūdum in clientela regis Polonorum esse accepissent, mutata statim sententia in Kiouiensem & Ciernicouiēsem tractum, qui in Suitrigellonis ditione erat, populabūdi excurrerūt. Insequēs annus 1434. Vuladislai regis morte insignis est. Ac initio quidē eius anni in Lituaniā is rogatu Sigismūdi ducis profectus, Krincos peruenit. Inde verò stabilito Sigismūdi principatu, magnisq; muneribus ab eo acceptis, Corcinum, quæ & Noua ciuitas dicitur, venit: & comitia ibi per temp⁹ quadragenarij ieiunij habuit. In quibus legati ad conciliū Basileēse designati sunt, qui & vniuersi regni personā

Pacta cum Steph. palati no conuenta. Sepinensis terra donata Valacho. Eliæ palatini conditio.

Tattari fusi & repressi à Stephano Moldauiæ palatino.

Conuentus Polonorum Brestie cum Crucigeris.

Consultatio de ratione belli.

Fremitus nobilitatis Poloniæ apud Choiniciam.

De stipendio soluēdo nobilitati cautio.

Induciæ 12. annorū cum Crucigeris.

Theodoricus Buciatius captus & liberatus.

Suitrigello infestus Lituaniæ & Russiæ.

Sigismundus inuisus Lituanis.

Moniuidus & Rumboudus proceres Lituani, læsæ maiestatis damnati.

Tattari à Suitrigello euocati, ipsius ditionem vastāt.

Rex in Lituaniā profectus.

Comitia Corcini.

Legati ad concilium Basileense.

ibi ſuſtinerent,& Sigiſmundi imperatoris, Crucigerorumq; obtrectationes & criminationes,quæ aduerſus Vuladiſlaum regem iactabantur, refellerent, ac de vniuerſa cauſa cum Crucigeris diſceptarent. Fuerũt autem principes eius legationis Sbigneus Cracouienſis, Staniſlaus Poſnanienſis, epiſcopi, Ioannes Coneſpolius cancellarius regni, & Nicolaus Laſſocius decanus Cracouienſis. Non putauit autẽ Sbigneus prætermittendam ſibi eſſe occaſionem caſtigandi regis,priuſquã peregrè proficiſceretur. Itaque in illo ipſo conſeſſu ampliſſimo grauiſſimis verbis id egit, in hanc ſententiam locutus:Non recuſare ſe iniunctũ legationis onꝰ pro honore ac dignitate patriæ ſimul &regis:ſed non poſſe tamẽ, quin regem quibuſdam de rebus pro officio ſuo, priuſquam proficiſcatur, admoneat.Vereri enim ſe, vt eum reuertens è concilio ſuperſtitẽ reperiat, quippe qui tam grandis natu eſſet, & profligatis iam viribus. Neſcire etiam,quonã pacto pleraſque Imperatoris & Crucigerorum criminationes in ipſum diluat.Nã & ipſum ſe,& alios pleroſque omnes in illo cõſeſſu animaduertere in eo nonnulla reprehenſione digna. Multas quidem in eo dignas bono principe virtutes relucere:ſed non carere eum & vitijs,quibus virtutum illarum ſplendor obſcuretur:qualia ſint,quod ipſo vel iubente vel permittente multis per iniuriam,aut certè ſummo quodam iure,& nimis exacta & acerba interpretatione iuris bona adimantur: quod oppreſſi à potentioribus non vindicentur: quod calamitoſorum hominũ cauſæ non audiantur atque decidantur,ipſo in profũdam noctem prolixioribus cœnis indulgente, ac deinde magnam diei partem inerti ſomno abſumente. In itineribus etiam pergrauem eum eſſe eccleſiaſticis iuxta ac equeſtribus hominibus, oppidanisque & agricolis, propterea quod aulicum ſuum comitatum à rapinis,ſtupris & iniurijs non cohibeat: ſubuectionesque & procurationes præter ius & æquum acerbè & pigneratione iumentorum exigi patiatur. Ad hæc monetæ cudendæ fœminis eum poteſtatem feciſſe: eam verò perleuem cudi magno reipublicæ detrimento. Superſtitiones verò eius quaſdam ex priſco dæmonũ cultu retẽtas,quas ipſe quoq; non ignoret, reticere ſe pudore præpeditum. Egiſſe ſe his de rebus pleriſque omnibus cũ ipſo primùm quidem ſemotis arbitris: deinde paucos etiam arbitros adhibuiſſe:verùm quando in eam vſque diem nihil profeciſſet, in ampliſſimi conſilij conſeſſu id ſibi facere neceſſe fuiſſe, vt quem Dei timor in officio non contineret,pudor hominum duntaxat cohiberet. Quod ni hæc quoque profutura eſſent, acerbioribus deinde medicamentis ad ſanandum eum vſurum eſſe. Licere quidem ſibi non minus quàm alijs diſſimulando,vel etiam aſſentando gratiam eius aucupari,ſed memorem ſe eſſe officij ſui,& nullo neque metu, neq; gratia deſerturũ eſſe ſtationem, in qua ſe Deus & rex ipſe, ſenatorem & epiſcopum conſtituiſſet.Pluris ſe facere incolumitatẽ patriæ,quàm omnia quæ vulgò concupiſcantur:& pro magnis regis in ſe beneficijs, antiquiorẽ ſibi eſſe eius ſalutem,quàm præſentem & aſſentãdo quæſitam gratiam, quæ tamen certa & ſtabilis eſſe non ſoleat. Non poterat ſe diutius rex tenere,quin ſermonem eius interrumperet , ira fremens atque lachrymans:intemperanter eum & arroganter facere,qui cunctis alijs ſenatoribus cum archiepiſcopo ipſo primate & moderatore conſilij tacentibus, vnus tã acerbè in ſe inuehatur. Ibi aſſurgens cũctus ſenatus, eandem omnium eſſe ſententiam,& illam epiſcopi Cracouienſis orationem,ſuam eſſe profeſſus eſt. Quo audito rex accenſus magis, è conſilio ſeſe proripuit,multa Sbigneo minitans. Verùm citò ad ſe reuerſus, impenſius Sbigneum poſtea coluit:& corrigere ea, quæ ille reprehenderat, ſtuduit. Albertus verò archiepiſcopus,etiam gratias egit Sbigneo, quod maiore fiducia, quẽadmodum diui Staniſlai ſucceſſore dignum erat,regis peccata corrigere aggreſſus eſſet.His ita actis, & conuentu ſoluto,rex Cracouiam profectus eſt, vt inde porrò in Ruſſiam proficiſceretur, iusiurandũ à Stephano palatino Moldauorum promiſſũ ipſe coram ritu ſolemni acceptur꙰.Dum autem itineri ſe accingit, nunciatũ eſt, Fridericum quempiã Ruſſum ducem exulẽ cum non cõtemnẽda Boemorum manu arcem nouam prope Ciorſtenũ munire inſtituiſſe, vnde in finitimos Polonos & Vngaros latrocinium exerceret. Id vbi rex accepit, miſſo confeſtim aulico comitatu ſuo, manũ illã diſſipauit: deinde iter inſtitutũ ingreſſ꙰, cùm Grodecũ(oppidi id nomẽ eſt in Ruſſia)perueniſſet,inter prandendũ valida febri correptꝰ eſt. Quam inde accidiſſe exiſtimatũ eſt,quod nocte præcedẽti,quæ præter tempꝰ anni frigida fuit,in ſyluis diutius luſciniæ cantu ſeſe de more oblectans, cœli intemperiem pertuliſſet. Vbi vitæ ſuæ finẽ adeſſe ſenſit,ſa-

Sbigneus episcopus regem obiurgat.

Vuladislai vitia.

Sbignei libertas digna vere Episcopo et Senatore!

Senatus Polonici constãtia.

Candor archiepiscopi Alberti.

Boemi profligati in finibus Vngariæ. Grodecum oppidum.

Causa morbi.

Extrema acta Vuladislai regis.

sit, sacris mysterijs procurari se postulauit: offensas omnibus remisit, sibiq; vicissim ab omnibus remitti petiuit: testamẽtum condidit: si quid cuiquam per iniuriam abstulisset, reddi iussit. Filios proceribus præsentibus atq; nobilitati cõmendauit: ac Vuladislaum quidem diligentius. Nam eum teneri⁹ diligebat. Sbigneo verò episcopo annulum nuptialem ab Heduigi regina, quo nihil charius ipse in omni vita sua habuerat, dono misit, veniam superiorum omnium admissorum ab eo petens, & animam suam liberosq; superstites ei cõmendans. Deinde pridie Cal. Iunias septimodecimo die posteaquam ægrotare cœperat, animam exhalauit, cũ regnasset annos duodequinquaginta, & tres ferè mẽses. Nã quãtum vixerit, non constat: Vitoudo quidem natu maior fuit.

Vuladislai Iagellonis mors.

Tanta autem fuit liberalitate & munificentia, vt non modò fiscum exhauriret, verùm etiam magnam partem regiarũ possessionum etiam immerentibus, & maximè venationũ ac cæterarũ voluptatum suarũ, quanquam non inhonestarũ, asseclis & ministris dilargiretur, ac tota interdum singulis hominibus donaret territoria: sic vt quodam tempore Martinus quintus pont. max. prodigalitatẽ eius inhibendã sibi esse duceret, dato ad archiepiscopũ Leopoliensem mãdato, vt donationes eius rescinderet.

Liberalitas siue prodigalitas Iagellonis.

Arces & vrbes neq; nouas condidit, & vetustas neglexit. Basilicas Chelmensem atq; Kiouiensẽ in Russia instituit, & episcopis attribuit. Ex his ad Chelmensem Ioannẽ theologũ sodalitij Dominicani extulit: & in gratiam ei⁹ Lublinẽsem tractũ omnem à Cracouiensi diœcesi abstrahere, & Chelmensi adiungere conatus est: perficere tamen id, constanter aduersante Sbigneo Cracouiẽsi episcopo, nequiuit. Monasteriũ quoque præter ea, quæ superius cõmemorauimus, Lublini diuæ Brigitæ nomine condidit: in Caziмiriẽsem verò Cracouiæ vicinã parœciam canonicos diui Augustini institutũ professos induxit: Gnesnense, Sẽdomiriense & Visliciense templa Græca pictura decorauit.

Munitionum negligentia. Chelmensis & Kiouiensis episcopa instituta.

Lublinẽsem tractũ Sbigneus ab episcopo Cracouien. auelli passus non est. Lublinense monasteriũ. Cazimiria

canonici regulares.

Venationũ sine vllo modo auidus fuit: interfectas feras maiores, & præsertim bisontes, in prælatos & canonicos, Academiæq; ac ciuitatis Cracouiensis præsides & magistratus partiri solitus: in peregrinos hospitalis & munificus. Nullũ quãuis exiguum munus aspernabatur: nec eos qui donarant, irremuneratos dimittebat. Aliquid petentibus à se, ferè dimidiũ eius quod petissent, largiebatur. Itaq; duplum petebant, qui simplum auferre cupiebant.

Venationum studium.

Offensarũ immemor: ad supplicia de sontib⁹ sumenda lentus: assentatorib⁹ ac delatorib⁹ aurem libenter accommodabat: cultui diuino apprimè dedit⁹: ieiuniorum diebus pane & aqua ferè vtebatur. Superstitiones quasdam ab ineunte ætate imbibitas, ad extremũ vsque retinuit: in quib⁹ illa fuit, quòd quotidie priusquam prodiret in publicum, ter sese in gyrum vertebat, & stipulam ter cõfractã in terrã abijciebat. Abstemius in omni vita sua, nec nisi aquæ potu vsus: cæterũ cibi appetentissimus fuit, itemque balnei, sic vt alternis diebus eo vteretur: nonnulli quotidie vsum esse ferũt. Cultu corporis neglecto, neq; alijs quàm agnellinis pellibus, & laneis ferè vestibus vsus. Amalis abhorruit, vt ne odorem quidẽ eorũ ferret. Statura fuit mediocri, facie oblonga, macra, & ad mentum contractiore: capite caluo, paruo & fastigiato: oculis nigris, paruis, & instabilib⁹: ceruice lõga, voce graui citaq;. Corpus eius magna põpa Cracouiã relatum, & intra mẽsem in basilica Cracouiẽsi magno procerum atque nobilitatis concursu funus celebratum est. Extat ei⁹ sepulchrũ in media ferè basilica ad dextrũ latus, à Sigismundo rege nepote eius, paulo ante nostrã memoriã magnificè instauratũ. Ac de Iagellone quidẽ hæc nobis scripta sunto. Deinceps de Vuladislao, ei⁹ filio ꝓsequemur.

Lenitas. Ieiunia. Superstitiones. Victus. Cultus corporis. Effigies.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VICESIMVS PRIMVS.

VVLADISLAVS TERTIVS REX.



IAM Sbigneus cæteriq; legati ad concilium missi, Posnaniam peruenerant, cùm de morte Vuladislai regis nunciatum est. Hoc igitur nuncio accepto, conueniunt mox Posnaniam frequentes proceres & nobilitas maioris Poloniæ, rogatu Sbignei: initoque consilio, ex eius sententia Vuladislao natu maiori defuncti regis filio regnum decernunt, eique solenni ritu inaugurando diem ad tertium Cal. Iulij statuunt: & ad Sigismundum magnum ducem Lituanorum, vt ad eam celebritatem vel ipse adsit,

Maiores Polonicũ Sbigneo episcopo Vuladislao regis defuncti filio regnum decernunt.

adsit, vel legationē mittat, oratores mittūt. Molestè hoc maiorum Polonorum præiudicium minores tulêre: sed tamen quia Sbigneus episcopus Cracouiēsis, homo suarum partium, autor eius fuerat, & ex rep. esse maximè videbatur, ne qua dissensio, neu qua mora in re tanta fieret, in eandem & ipsi sententiam decretum fecerunt. Dies modò ad octauum Cal. Augusti prorogata est, quo maiore ac splēdidiore pompa omnia fierent. Erant in equestri ordine duo nobiles, factiosi, ac turbulenti iuuenes, Spitco Melstinius, ac Derslaus Rithuianius Martini Lencicensis palatini filius, agnatus Alberti archiepiscopi Gnesnensis. Quorū hic quidem ingentem thesaurum ab archiepiscopo magno patruo suo clàm paucis cōscijs (inter quos ipse quoq; fuit) defossum, paulo antè effoderat, & Eufemiæ Boleslai ducis Masouiorum filiæ insano amore captus, paruo tempore decoxerat: sed magnas tamen sibi prodigalitate sua clientelas compararat: ille verò patris palatini quondam Cracouiensis, & maiorū suorum opibus & imaginibus tumens, nullo neque honore, neque magistratu auctum se esse indignè ferebat. Cùm igitur vterque res nouare cuperet, & vterq; magnas post se iuuentutis cateruas traheret, conuenticulum Opatouiæ ad tertium Idus Iulias cōmunicato cum suis consilio instituêre. Ibi omnium vna erat sententia. Malè tantum regnum puero committi, cuius ætate & regina mater, superba mulier, & primores ad dominatum abusuri essent: aliter de repub. constitui oportere. Cōfirmabat autem id in primis Gouorcus Chrobranius homo senex, multa ex vetere memoria ad rem faciencia commemorans. Reuerterat iam Sbigneus cum Conespolio cancellario, reuocatus ex itinere reliquis duobus legatis institutum iter Basileam prosequētibus. Ab eo igitur Sophia regina non ignara consiliorū Spitconis atque Derslai, impetrauit, vt Opatouiā proficisceretur, turbulentaque iuuenum consilia dissiparet. Non fuit gratus aduentus eius ijs, qui conuenerant. Sed tamen ille singulari patientia vsus, & in consilium admissus, graui & prudenti oratione plurimis persuasit, vt abiecto nouandarum rerū studio, ne quid dissidij alienissimò tempore in Polonia exuscitarent, præsertim quòd res iam integra non esset, Vladislao defuncti regis filio ante aliquot annos in comitijs summo omnium consensu rege iam designato. Ita conuentus ille re infecta nequicquam frementibus se ditionis authoribus, solutus est. Nec tamen ij quieuerunt, nacti plures sententię suæ adstipulatores. In quibus præcipui fuerunt Abraam Sbanscius iudex Posnaniensis conuentus, & Ioannes Strassus. Nā cùm frequentes vndique proceres ac equites Cracouiam ad præstitutam diem conuenissent, iniectus est ab ijs scrupulus, quòd dicerent, nouum & inusitatum esse, impuberi diadema imponi: in discrimen autem adduci libertatem & prærogatiuas equestris ordinis, magno labore & sanguine maiorū suorum partas, illa impuberis regis coronatione. Neque enim rectè ab impubere iusiurandum dari posse. Quod si id in aliud tempus differatur, difficulter exactum iri ab eo, qui iā rerum potiatur. Verùm hic quoque scrupulus à maioribus natu exempt' est, producto à Sbigneo codice è basilica Cracouiensi, in quo effigies Cazimiri magni regis impubes depicta erat. De iureiurando autem regis reiecta res ad pubertatem ei': interim aūt placuit, vt Sophia mater, & primores sacri pariter & profani ordinis pro eo fideiuberēt, nec eum prius ad gubernacula regni admitterēt, quàm iusiurandum ritè præstitisset. Conquieturi iam turbatores illi videbantur, cùm in ipso coronationis articulo nouas concierunt turbas, vociferantes, ne sibi inuitis paucorum conspiratione rex imponeretur. Inita denuò suffragia: nec ea tamē liberè ferri poterant, factiosis illis altercando tempus extrahentibus, vt præteriret dies & interim ipsi plures de nobilitate ad se pertraherent: ij porrò quib' magis placebāt quieta cōsilia, vttędio diuturnę moræ domos dilaberentur. Quod vbi à primoribus animaduersum est, Ioannes Olesnicius cognomēto Glouacius marsalcus è senatusconsulto pronunciauit ad nobilitatem, vt quibus placeret Vladislaum coronari, in dextram discederent: qui aliter sentirēt, in læuam. Id vbi factum est, vna voce omnes Vladislaū regē esse iusserunt. Melstinius verò cum Sbanscio & Strasso, qui in editiorem locum contradicturi conscenderant, turpiter deturbati sunt. Nō abstinuit tamē maledictis Melstinius, cùm in alios, tum in Marsalcum. Verùm ille rogatu procerum patienter ea tunc tulit, ne institutū negocium impediretur. Nec mora, coronatio regis in basilica ritu solēni peracta est, sole ad vesperum declinante: postridie in vrbem descēsum ad recipiendum ab oppidanis & plebe iusiurandum. Nec tamen ascendit tunc rex in præparatum sibi in foro solium, contentione orta inter episcopos ac duces Masouiorū, quòd proximum regi locum vtrique sibi vendicarent.

Minores Poloni ægrè, assentiuntur tamen maioribus.

Spitco Melstinius. Derslaus Rithuianius.

Conuenticulum Opatouiæ.

Gouorcus Chrobranius.

Sbigneus episcopus dissipat consilia iuuenum.

Abraam Sbanscius. Ioānes Strassus.

Cōtrouersia de coronatione & iuramento regis noui.

Factiosi tur bas cient.

Vladislaus tertius rex coronatus.

Episcoporum & Masouiorū ducū de loco cōtrouersia.

dicarent. Subsequentibus deinde diebus consultatum est à proceribus de ratione administrandæ reipublicæ. Multorum que sentētiæ in Ziemouitum ducem Masouiorum inclinabant, vt is gubernator regni esset. Erat enim vir bonus, & magno consilio. Sed vicit plurium sententia, metuentium ne is dominandi dulcedine degustata, ambitione deprauatus, aliquid aduersus regem & rempublicam moliretur: & indignum visum est, ad eum summā rerum Polonicarum deferre, qui in cliētela Polonorum esset. Itaq; placuit, in singulis satrapijs siue palatinatib⁹ singulos prouisores; in Craco uiēsi verò propter monetariam officinā duos ex ijs qui summis in rep. honoribus non fungerentur, constitui: qui quęstores regiorum redituum essent, & intra suos quisque fines negocia publica regio nomine administrarent. Sed ne quid tamen noui in rep. nisi ex amplissimi consilij decreto statuerent. His quinquagenæ marcę annuę in sumptus constitutæ. Ibi etiam Russica & Podolica nobilitas cum Polonica omni iure exæquata est à nouo rege, non sine murmure multorum, qui remitti illa quoque Russis ægrè ferebant, quòd necesse eis fuit antiquitùs quandocunque & quocūque rex iusserat, sine vllo stipendio ad bellum proficisci: ad arces muniendas & reficiendas operas mittere: de quolibet iugero culto duos auenæ, totidemque siliginis modios, & quaternos grossos quotannis regi pendere. Verùm illud maximè permouit regem, qđ à patre & senatu illam exæquationem promissam eis esse cōstabat. Incessit deinde cura consiliaris constituendæ reipublicæ atque pacis. Multæ vndique difficultates impendebant. Cum Crucigeris adhuc pēdebant induciȩ, nec dum pax certa confecta erat. Sigismundus quoque imperator ne quid ex inueterato in Polonos odio, violataque sæpius cum Iagellone amicitia, contempta pueri ætate moueret, cauendum erat. Ad hæc Silesij post mortem regis finitimas sibi oras Nicolao Cotificio cognomento Sestrenecio duce latrocinijs infestabant. Ne domi quidem vsquequaque quietæ res erant, nouatoribus illis, quos dudum memorauimus, nobilitatem aduersus ecclesiasticum ordinem ob repressos conatus suos concitantibus, & ius decimandi censuræque ecclesiasticæ, siue excommunicationis in controuersiam reuocantibus. His de rebus omnibus frequenti senatu actum. Et ad Sigismundum quidem imperatorem missi legati, Conespolius cancellarius, & Olesnicius marsalcus, quò æquioribus cōditionibus pacem conficerent, coniugium duarum filiarum Alberti ducis Austriorum generi imperatorij nouo regi, fratrique eius petere iussi sunt. Sed reiecta res ab Imperatore, vt prius dissidiorum causæ conuentu instituto summouerentur, eique rei constituta dies ad Pētecosten insequentis anni. Quod autem tunc nihil impetratum est, in causa fuit illud, quòd Imperator tutelam regis, & gubernationem regni sperabat & ambiebat, legatosque largitione & pollicitatione frustra tentarat, vt eum sibi honorem publicè vel simulatè deferrent, repudiaturo honestius, quàm diuulgarat. In eam autem spem adduxisse eum ferebatur Ioannes Gamratus præcursor ante legatos missus, qui cum his mandatis venire legatos regios, à Petro Saffranecio palatino Cracouiensi ei nunciarat. Cum Crucigeris conuentus actus apud Racianzum & Zlotoriam ad natalem diuæ Mariæ: sed vtrinque re infecta discessum, propterea quod in expectatione erant Crucigeri, quonam modo succederet Liuoniensibus, qui Samagitiam & Lituaniam cum Suitrigello ne tunc bello infestabant: & iam nostri discedentes Breste Cuiauiense peruenerant, cùm eos commendator Osterrodēsis consecutus est, de pace postulans. Fefellerat enim Crucigeros euentus Samagitici belli. Nā Liuonienses præda onusti à Samagitia reuertentes, in sylua quadam succisis arboribus impediti à Samagitis, & circumuenti, magnaque strage profligati erant. Atque id nostri quoque eo ipso puncto temporis, quo commendator aduenit, cognouerant. Prorogatæ sunt tamen induciæ ad tertium Nonas Maias insequentis anni, & de alio conuentu constitutum. Cùm Silesijs quoque Bendini conuentus actus est ipsis postulantibus, propterea quòd Cristinus Cozeglouius castellanus Sandecensis damna passus à prædonibus Silesijs, cum fœnore ipsis vicem reddebat, & Gliuiciam oppidum in Silesia interceperat. Renouata pax his conditionibus, vt Nicolaus Cotificius turbator pacis vnà cum socijs suis vtrinque pelleretur: damna data acceptaque inuicem vt compensarentur. Deinceps verò si quod latrociniū ab alterutris in alteros patraretur, ad id armis persequendum vt præstò essent ij quoque ipsi, à quorum parte id extitisset: nec diu tamen hæc à Silesijs obseruata sunt ad ingenium redeuntibus. Podoliam verò cùm Suitrigello infestaret, ac Theodoretum

Ziemouitus dux Masouiorum.

Prouisores instituti in Polonia.

Russica & Podolica nobilitas exæquata cum Polonica. Russorum onera.

Pericula Poloniæ impendentia.

Nicolaus Cotificius.

Nobilitas contra ecclesiasticum ordinem fremit.

Legatio Pol. ad Sigism. Imperatorē.

Sigismundus tutelam Vuladislai regis expetiuit.

Ioannes Gāratus.

Petrus Saffranecius palatinus Cracouiensis.

Conuentus cum Crucigeris.

Liuones profligati à Samagitis.

Induciæ prorogatæ.

Cristinus Cozeglouius vltus est Silesios, & Gliuiciam cæpit. Pacta cum Silesijs.

Fedco dux captus.

siue Fedconem Nesuissensem ducem cæpisset, repressus est à nostris ducibus Vincētio Samotulio, & Michaele Buciacio, receptusq́; & liberatus Fedco, Bratislauiam & Cremeneciam regi dedidit, moxque rursus concedente rege eas, quoad viueret retinendas recepit, cùm se vnà cum posteris suis Sbarassum, Viniciā, Chmelnicum & Socoliciam retenturis, in fide & cliētela eius & Polonorum fore solenni iureiurando professus esset: promisisſetque, non nisi iuratis in verba regis atq; regni præfecturas & custodiam illarum arcium se mandaturum esse.

Bratislauia & Cremene cia & reliquæ munitiones Podoliæ regi deditæ.

Porro domi diutius res agitatæ inter sacrū & profanum ordinem, conuentumque sæpius, neq; tamen conuenire quicquā inter partes poterat, Melstinio, Sbanscio & Strasso omnia turbantibus. Temperatum tamen est à vi, metu interdicti ecclesiastici. Ad extremum pedetentim turba omnis conquieuit, compluribꝰ ex ijs, qui signiferi erant illarum turbarum, iusto Dei iudicio, quemadmodum creditum est, intra breue tempus extinctis: cæteris verò religione & metu perculsis.

Aduersarij ordinis ecclesiastici extincti.

Illud autem in contentionem venerat, quòd cupiebant profani valere constitutionem Iaroslai archiepiscopi, qua sanciebatur, vt qui agri ex illo tempore coli cœpissent, ex ijs ne manipularis decima penderetur. Verùm ea constitutio per vim expressa esse ferebatur.

Causæ dissidij inter ordines.

Præterea, quem agrum quisque eques agresti & adscriptitio depulso sibi ipse coleret, vt inde parœco suo decimam penderet, quamuis alij prius ea pendi solita esset. Sed neutrum extortum: illud modò concessum, vt quoscunque agros eques coleret, ex his canapale ne solueret, neque conueheret suo curru decimam: neque delectum in ea sacerdos haberet, nisi data opera viciosum frumentum ab equite relinqueretur.

Nobilitati prærogatiuæ concessæ à sacerdotibus.

Aliud quoque equitum minoris Poloniæ intestinum inter ipsos dissidium mortuo Spitcone palatino Sēdomiriensi, de conferendis honoribus in conuentu Visliciensi diuersis partium studijs excitatum, sedatum est, cùm esset constitutum, vt vacantes honores ijs, qui essent gradu proximi cōferrentur. Itaque Ioannes Cijzouius, qui castellanus Sendomiriensis erat, palatinus factus est. In eius verò locum castellanus Lublinensis suffectus, & sic alijs alij deinceps successerunt: Biecensem verò castellaniam Clemēs Strelcius cognomento Vātropca alter de prouisoribus Cracouiēsis tractus, nobilitatis suffragijs adeptus est. Verùm hæc duo extrema insequenti ferè anno, q fuit à Christo nato 1435. acta sūt.

Constitutio de honoribus distribuendis

1435. ann.

Conuentus deinde rursus cum Crucigeris apud Breste Cuiauiense & Sluzouiam eodem planè, quo superiori anno, euentu actus est, Crucigeris itidem ex euentu Samagitici belli pendentibus, & nostrorum facilitate abutentibus, & ad octauū Idus Decembris conuentum & inducias prorogantibus.

Conuentus cum crucigeris irritus.

Inde Siradiæ comitia rex habuit. Ibi de dimittendo Elia Valacho petitum ab eius fautoribus: nec tamē impetratum. Sed post paucos dies is siue prę̄fecti cōniuentia, siue custodum negligentia euasit, & miscere Moldauiā ciuili bello adortus est.

Eliæ Valachi fuga.

Autumno verò Suitrigellonis exercitus cum auxiliaribus Crucigeris Liuoniensibus insigni strage in Lituania à Polonis duce Iacobo Cobilanio in auxiliū Sigismundo duci à rege missis, & Michaele Sigismūdi magni ducis filio ad Vilcomiriā profligatus est: multi mortales capti, multi cæsi: multi Suentæ fluuij vndis, vbi commissum est prælium, extincti. Ibi robur omne Liuoniensiū cū magistro & marsalco cōcidit.

Suitrigello & Liuones victi à Polonis & Lituanis.

Captus est in eo prælio Sigismundus Rotus Silesius is, qui à Cęsare ad Vitoudum proficiscēs, à Ioanne Ciarnicouio captus, & sub militari spōsione dimissus fidē fregerat: itemque Coributus, qui paulo antè è Boemia, vbi negligi iā se animaduerterat, per Prussiam cum auxiliaribus Boemis & Silesijs reuersus, cum Suitrigellone se coniunxerat. Vterque in profluentē demersus. Tametsi de Coributo fama variat. Nam & veneno in medicamentum infuso à Sigismūdo duce extinctum esse vulgatum est.

Sigismundi Roti fidefragi interitus. Coributi mors.

Suitrigello verò cum paucis Russis effugit. Sed ex eo tēpore Smolenscū, Orsam, Poloscum, Vitepscum, & Russiam ferè omnem, victoris fidem secutā, amisit.

Russi à Suitrigellone ad Sigismundum magnū ducem Lituan. defecerunt.

Miserat interim dum hęc in Lituania geruntur, Sigismundus Imperator legationem ad Vuladislaum regem, vt bellum inter cognatos duces dirimeret, non tam pacis cupidus, quàm quòd Suitrigellonis partibus, quem ipse vanis promissis ad id bellum cōcitarat, metueret.

Sigismundi Imperatoris legatio ad Vuladislaum regem.

Ei legationi, priusquam de exitu belli Lituanici cognitū esset, responsum est. Libenter id facturū fuisse regem, si integrum esset: verùm credere eum, illos collatis signis iam ferro inter se decreuisse. Vtrilibet autem cessisset victoria, eum difficiliorē fore adęquas conditiones pacis. Necdum legati discesserant, cùm de victoria Sigismundi allatum est. Quo minus postea negocij fuit cum Crucigeris in conficienda pace perpetua, cùm ij fracti animis duriores etiam conditiones acciperent. Insequenti anno ad Pentecosten proceres Vngarorum & Polonorum apud Kesmarcum conuen-

Vngarorum procerum cū Polonis conuentus apud Kesmarcum

Pax redintegrata inter Vngaros & Polonos.

uenerũt: ſublatisq́ue diſsidiorum cauſis, pacem inter reges ſuos fecerunt. Qua cõfecta, miſit rurſus Vuladislaus rex legationem ad Imperatorem, coniugium neptium eius ſibi fratriq́ue poſtulans. Nec ille abnuit, ſed in aliud tempus, quo eſſet bellicis curis & negocijs Boemicis ſolutior, eam rem reiecit. Iam enim pertæſum erat Boemos proceres ciuesq́ue Pragenſes malorum, quę ex diſsidio domeſtico, ac Taboritarum & Orphanorum licentia magis ac magis indies pullulabãt. Inter quos deſertores ſacrificuli potiſſimũ prætextu religionis impotenter dominabantur, & in quos collibitum erat ſæuiebant. Nam cùm inter eos de religione & ritibus ſacrorum nõ conueniret, vt fit vbi ſemel à legibus & inſtitutis maiorum priuata paucorum temeritate diſceſſum eſt, alij in alios leuem credulamq́ue multitudinem concitabant, ita vt plurimum ſanguinis humani effunderetur, templa euerterentur, magiſtratus in vrbibus & oppidis è profligatiſſimorum hominum libidine inſtituerẽtur ac deſtituerentur: quin ad ſupplicia quoque raperentur: vrbes denique & oppida diriperentur. Quæ cùm explorata haberet Sigiſmundus, nihil curæ ac diligẽtiæ prætermittebat, quo eos, q̃ quietis & ocij cupidiores eſſe videbãtur, ſibi & Eccleſiæ catholicæ recõciliaret. Ad quam rem conficiendam concilij Baſileenſis ope & authoritate vſus eſt. Ac indultus quidem eſt eis à cõcilio promiſcuus vſus Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis & vini, vbi is iam inoleuiſſet: ea tamen lege, ne diuerſum vſum improbarent, aut interdiceret, ſub vtraq; autem ſpecie Chriſtum totum ſumi crederent: & profiterentur. neu ſe ab Eccleſia catholica in cæteris ritibus dogmatibusq́ue ſeiungerent. Quibus rebus ita trãſactis, publicè ab ea gente Sigiſmundus per hoc ipſum ferè tempus, quod perſequimur, rex appellatus eſt: ingreſſusq́ue Boemiam, ad pacandas res animum intendit. Nec diu poſtea vixit. Neque Vuladislaus bis reiectus, vrgere deinceps deſideriũ ſuum de vxore eo viuente perrexit. Porrò inter Moldauos fratres diſſidium tunc rex per legatos compoſuit, partitus inter eos dominatum, ita vt inferior & maritima ora, quam Beſſarabiam vocant, in qua Bialogrodum arx eſt, & Kilia Stephano, ſuperior verò hoc eſt, Occidentalis, & Ruſſis vicinior, cum Sociauia metropoli, Eliæ cederet. Qui quidem Elias incunctanter Leopolim veniens, in verba regis præſentis, & habitu regio præſidentis vnà cũ proceribus ſuæ partis iurauit, vexilloq́ue ritu ſolenni ad pedes regis abiecto, in fide

Boemorum incommoda ex diſsidio religionis.

Sacrificulorum impotẽs dominatus.

Sigiſmundi Imper. ſtudium pacandæ Boemiæ.

Communio ſub vtraque ſpecie Boemis conceſſa à cõcilio Baſileenſi.

Sigiſmundus rex Boemorum appellatus.

Moldauia diuiſio.

Elias palatinus Valachiæ iurat in verba regis Leopoli.

& clientela eius & omnium deinceps regum Poloniæ ſemper ſe fore, & contra quoſuis hoſtes ſumma ope ipſis affore ꝓfeſſus eſt. Quo facto rex eum ſubleuatũ exoſculatus eſt: proceribꝰ verò Moldauis dextram dedit, tributũq́ue centum equorum, totidem, ſiue vt volunt alij, quadringentorũ ſericorum pannorũ, quæ Camchæ vulgò vocãtur, totidem boũ, ac ducẽtorum curruũ Viſonis ſiue Vſionis (piſcis id prægrandis nomen eſt, cuius ferax eſt Danubius) in ſingulos annos impoſuit. Quanq̃ piſces bouesq́ue muneris tantum loco tũc ab eo regem accepiſſe, nonnulli prodiderũt: Scepinenſem verò tractũ, diplomaq; paternũ, quo is tractꝰ Stephano donabatur ex pacto ab eo recepit in cõpẽſationem damnorũ, quæ Alexãder pater eius in Colomeienſi & Sniatinẽſi præfecturis dederat. Tãetſi eo demũ anno, quo Vuladislaus rex perijt, munitiones eius tractꝰ Ioãni Cyzouio caſtellano & præfecto Cracouiẽſi, & Petro Odrouanzo palatino & pręfecto Ruſſiæ à Marilia ſiue Maria vxore Eliæ & præfecto Chocimẽſi traditas eſſe reperio. Porrò Halicienſis arcis poſſeſſionem Eliæ, quoad viueret, rex cõceſſit. Cuius precibus adductus Ioannem Odrauanzum, Leopolienſem archiepiſcopum eſſe poſt Ioannem Reſſouiũ paulo antè mortuũ iuſſit, amoto Sylueſtro Sciechouio, qui iã paulo antè à collegio electus erat. Oſtẽdebat & Stephanus, miſſa ad regem legatione cum ampliſſimis donis, & cõmemoratione ſtudij meritorumq; ſuorum erga ipſum recentiũ, ſimile iuſiurandum ſe velle dare, cùm diu id priꝰ facere diſtuliſſet. Sed neſcio cur ſiuè ipſe diſtulit, ſiue reiectus eſt: niſi fortè ſatis eſſe viſum eſt, quod is Eliæ fratri palatino fidem ſuam Bialogrodi obſtrinxit. Sed poſt quartum demum annum & ipſe, & Elias frater iterum cum vniuerſo ſenatu ſuo in verba eiuſdem regis iurarũt. Sub finem anni pax cum Crucigeris Pruſſienſibus & Liuonienſibus Breſte Cuiauienſi facta eſt à regẽ: qua cautum eſt fide & iureiurando principum inter cætera, vt fœdus Crucigerorum cũ Suitrigello ne eſſet irritũ: epiſcopis & eccleſijs Polonicis bona ſua ac decimæ in ditione Crucigerorum ſaluæ vt eſſent atq; liberę fructus præteritorum duorum annorum in teruerſi, ad Paſcha proximum vt ijs à Crucigeris reſtituerentur: epiſcopo Vuladislauienſi mille ducenti aurei pro domo Gdanẽſi diruta ſoluerentur: Nouã marchiam & Choſnum rex Crucigeris, ipſiq; viciſſim Neſſouiam ac dimidium traiectum Viſtulæ apud Toruniam regi redderent, & nouem millia florenorum &

Moldauorũ tributum.

Vſio piſcis.

Scepinenſis tractus regi & regnó reſtitutus.

Halicienſis arx Valachò conceſſa ad tempus.

Ioannes Odrouãzus archiepiſcopus Leopolienſis.

Stephani pal. Valach. legatió ad regem.

Stephani palatini iuſiurandum.

Pax Breſtenſis, & pacta cum Crucigeris.

quingentos aureos numerarent: Iasseneciam retineret: nec fraudi esset cuiquam, à suis dominis ad hostes defecisse: finium regundorum ratio certa præscripta. De controuersijs dirimendis conuenit, vt quotannis bini vtrinque delecti arbitri certo loco conuenirent: sed ita, vt Polonos magister, Prussienses rex ederet. Atque hæc pacta conuenta noui reges, duces atque magistri intra annum vertentem à creatione sua, consiliarij verò atque subditi decimo quoque anno solenni iureiurando coram legatis alterius partis approbarent: nobilitas atque ciuitates cauerent sibi inuicem, non fore se dicto audientes dominis suis, si ij contra hæc pacta venire vellent: idque impunè fore, principes ipsi suis quisque subditis intra certũ tempus cauerent. Quod quidem fecerũt postea. Fatalis autem annus ille fuit archiepiscopis. Nam & Albertus Iastrembecius Gnesnensis archiepiscopus eodem autumno vitam cum morte commutauit: cui collegium illius ecclesiæ Vincentium Cotum Dembeniũ gente Doliuium, custodem Gnesnensem, & pędagogum regium, successorem dedit, nequicquam aduersantibus proceribus & curatoribus regijs, qui Vuladislaum Vuladislauiensem episcopum, velut ordine & gradu proximum, cùm Sbigneus Cracouiensis renueret, sufficere Alberto voluerant. Superiori autem anno Ioannes Lubenius cognomento Slezus Præmisliensis episcopus mortuus, Nicolaum Chranstouium gente Stregomium regis & procerum voluntate, summoto Francisco Orecio decano Leopoliensi & canonico Præmisliensi, qui à collegio electus erat, successorem accepit. Sequẽs ann⁹ nulla re memorabilis est, nisi quòd cum Sigismundo Lituanorum principe de Suitrigellone reconciliando per principes senatus Polonici, legatos à rege missos frustra actum est. Commouerat enim Suitrigello regem senatumque ad misericordiam supplici habitu adueniens, & Luscum, quod adhuc retinuerat, regi tradens: quod nõ multo pòst rex Sigismundo repetenti ex fœdere tradidit, ea lege, vt eo mortuo in ditionem regis & Polonorum cum tota Volynia recideret. Dougerdus verò cùm creatus esset palatinus Vilnensis, iusiurandum dedit, se post Sigismundi magni ducis mortem non nisi Vuladislao & successoribus eius regibus Polonorum arcem Vilnensem traditurum esse. Insequenti anno, qui fuit 1438. non vsque adeò quietæ res fuère domi forisque. Etenim Spitco Melstinius partim inueterato in Sbigneum episcopum (quòd conatibus suis ad nouandas res intẽris obstitisset) odio, partim etiam nouo (quòd de hæresi Boemica exagitaretur) inflammatus, bona eius Vsseuensia Melstinio arci suæ propinqua armata manũ inuasit atq; diripuit: castellum interceptum præsidio muniuit. Citatus aũt à rege velut publicæ pacis turbator in gratiã cum Sbigneo redijt, cùm ei cõmunium amicorum arbitrio satis fecisset. Quæ tamen gratia diuturna non fuit. Ea verò, ni fallor, causa fuit vtriusque ordinis proceribus, vt in comitijs Corcinensibus mense Aprili habitis sanctè se obstringerent, pro perduelle habituros, quisquis iudicia contemneret, armisque priuato consilio sumptis ius suum persequeretur: & quisquis hęresim vllam profiteretur, aut profitentes defenderet. Vbi etiam minores Poloni frequentes cõstituerunt inter se, prouisoribus siue curatoribus regijs deinceps non parere, dominatus eorum pertæsi, siue adeò indignum esse rati, à paribus regi. Vixdum hoc malum conquieuerat, cũ subitò aliud exortum est. Derslaus Rithuianius auctus opibus & animo ex direptis facultatibus propatrui sui Alberti archiepiscopi superiori anno defuncti, validam peditum equitumque manum coegit. Accitusque ad regem, negauit se quicquam contra rempublicam moliri. Dimissus, nocte quadam ad Zatoriam duxit, & scalis admotis oppidum id cæpit, oppidanis nihil eiusmodi suspicantibus: deinde Osuencimensem tractum omnem in ditionem suam redigere adortus est, & magnum vicinis Silesiorum ducibus terrorem incussit. Etiam Sigismundus Imperator, ac Vngarorum & Boemorum rex ætate, laboribus, morboque confectus obierat. Molestum tamen regi senatuique fuit, quemadmodum scribit Dlugossus, vicinum & amicum principem, eamq; oram, quæ promptuarium quoddam est Cracouiæ, à suis vexari. Nec tamen reuocari se Derslaus à cœpto passus est, donec, dum incautius statiua habet, fusus fugatusque à Silesijs, regi Zatoriam tradidit, acceptis ab eo mille marcis impendiorum nomine. Rex verò non prius eam Venceslao Osuencimensium duci Cazimiri filio reddidit, donec is in fide & clientela regis Polonorum se vnà cum Præmislo & Ioanne fratribus impuberibus fore deinceps solenni iureiurando spopondit, & Berualdum castellum infame latrocinijs ipsi concessit. Dederant autem ei tumultui causam duces ipsi Silesij, qui cùm latè propagati patrimonia sua in tenues portiones diduxissent, neque commodè & pro dignitate

Marginalia (left): *Vincentius Dembenius archiepiscopus Gnesnensis.* — *Nicolaus Chranstouius episcopus Præmisliensis.* — *De Volynia pactum. Vilnensis palatini iusiurandum.* — 1438. an.

Marginalia (right): *Spitco Melstinius Vsseuense castellum episcopo intercepit.* — *Sbigneus Spitconi reconciliatus.* — *Comitia Corcini.* — *Constitutio contra persequentes armis ius suum & fautores hæreticorũ.* — *Prouisores amoti à minoribus Pol.* — *Derslaus Rithuianius Zatoriam intercepit.* — *Sigismundi Imperatoris mors.* — *Osuencimensés duces in fide & clientela regis Pol.* — *Berualdum accepit rex pro Zatoria.*

gnitate inde sustentare se possent, rapto viuere neutiquam turpe aut ignominiosum ducebãt: & cùm aliàs in mercatores viatoresque grassabantur, tum post pacem haud multo antè cum Polonis factam, Velunense territorium nouo latrocinio infestarant: quanquam non impunè. Nam reuertentes à Laurentio Zaremba cæteraque Velunensi nobilitate præda omni exuti, trepidè domos dilapsi sunt. Sic ergo tunc Vuladislaus Silesios vltus est. Quo fit, vt minus molestè factum illud Rithuianij tulisse videatur.

Silesij Poloniam latrocinijs vexarunt.

Laurentius Zaremba Silesios vltus.

Boemicum deinde bellum exarsit, neq; spacio temporis diuturnum, neque exitu funestum. Cuius hæc fuit causa. Sigismundus Imperator moriens, cùm animaduertisset Barbaram vxorem suam de regno magis, quàm de vita sua sollicitam, cum primoribus Boemorum clandestina consilia conferre, Albertum generum suum ducem Austriorum Vngaris & Boemis proceribus diligenter commendauit: Barbara, quæ regna illa ad Vuladislaum regem Polonorum dotalia afferre, quàm filiam reginam videre malebat, capta Znoimæ, & cum funere mariti in Vngariam ducta est. Neque satis constat, an ita Sigismundus ipse iusserit. Post Sigismundi mortem nihilo minus Boemi in duas factiones diuisi, partim Albertũ, quẽ Vngari iam sibi regem creauerant & coronarant, partim Cazimirum Vuladislai regis fratrem ad regnum inuitarunt. Acceptauit delatum regnum Cazimirus, magna & saniore senatus Polonici parte nequicquã dissuadente: cæterùm iunioribus, & prouisoribus siue curatoribus regni, compendij sui causa, quemadmodum creditum est, in primis suadentibus. Itaq; missi in Boemiam ad adeundam possessionem regni nomine Cazimiri Sendiuoius Ostrorogus Posnaniensis, & Ioannes Tencinius Sendomiriensis Palatini, cum non contemnendis copijs, vel vt habet Bonfinius, cum duobus tantùm millibus equitum, pacato agmine per Silesiam iter fecerunt. Cum his sese non exiguus Boemorum numerus coniunxit, ita vt ad quatuordecim millia essent in eo exercitu. Vastabatque is aduersariorum agros. Præuerterat eos Pragam Albertus, iamque solenni ritu diadema susceperat. Quin coegerat etiam longè validiorem exercitum cùm de Boemis & Vngaris, tum ex omni ferè Germania. Cum eo igitur, obuiam hostibus prodijt. Cazimiriani ne iniquo loco cum longè potentiori hoste pugnare cogerentur, ad Thaborum oppidum fossis & carris castra communiunt. Nec Albertus castra oppugnare ausus, non longè & ipse castra sua metatus est. Crebris excursionibus & leuibus certaminibus haud leuia vtrinque damna accepta. Cùm autem Cazimiriani, quo tutiores essent ab ictibus bombardarum, quibus acriter petebantur, in oppidum se recepissent, dimisit Albertus exercitum. Nam difficili & ipse pabulatione atque annona iam vtebatur, & perdifficilis erat oppidi operibus præsidioq; permuniti oppugnatio. Cazimiriani quoque nullo operęprecio facto numis exhausti, & amissis equis, Boemia excesserunt. Verùm id priusquã Vuladislaus rex factum resciret, quoniã de periculo eorum certior factus erat, nihil deterritus minaci legatione Alberti, Poloniam omnem ad bellum Boemicũ exciuit: & qua proximus patebat aditus Cracouia proficiscenti, in Silesiam cum infesto minorum Polonorum exercitũ ingressus longè lateque eam vastauit. Idem ab altera parte maiores Poloni in inferiore Silesia fecère. Causę autem vexandæ Silesiæ hæ fuerunt, quòd Silesij partes Alberti sequebantur, & quòd latrocinijs Poloniam infestare non intermittebant: ad hæc adulterina moneta cudenda & importãda non parum incommodi Poloniæ afferebant. Itaque vi metuq; adacti Venceslaus Opauiensium & Ratiboriensium, Boleslaus Glogouiensium & Oppoliensium, Bernardus item & Ioannes & Nicolaus Oppoliensium duces, & nobilitas Bregensis, fœdus cu Vuladislao & Cazimiro icerunt, Cazimirumq; electum regem Boemorum acceptarũt, pollicentes tum demum se in verba eius iuraturos esse, vbi is diademate à Boemis redimitus fuerit: de falsa quoque moneta inhibenda receperunt. Osuencimensium verò duces Venceslaus, Præmislus & Ioannes, primi omnium spoponderunt, se contra Cazimirum nemini affuturos esse. Quòd si aliorum Silesiorum voluntates in eum inclinarent, se in verba eius iuraturos esse. Hæc tunc acta in Silesia. Inde verò in Boemiam rex progredi, & suis opem ferre parabat. Sed cùm de statu rerum Boemicarum apud Opauiam è palatino Sendomiriẽsi è Boemiá reuertente, cognouisset, exercitum dimisit, domumq; redijt. Non fuerũt in ea expeditione Russi & Podolij, clade domestica, quam insignẽ eius æstatis initiõ à Tattaris acceperant, impediti: & ne quã maiore etiam absentes obruerẽtur veriti. Excurrerãt enim Tattari populabundi in Podoliam, ingentemq; prædã abigebant. Recedẽtes eos cùm Podolij valida

Barbara Imperatrix capta.

Albertus rex Vngar. Cazimirus Iagellonis filius à Boemis ad regnum vocatus senatu Pol. improbante.

Polonorum expeditio in Boemiam.

Albertus rex Boemorum.

Poloni re infecta Boemia excesserunt.

Vuladislai regis expeditio in Silesiam.

Silesiorum pacta cum rege Polonorum & fratre eius Cazimiro.

Tattari Podoliam vastarunt, & Podolios profligarunt.

manu facta persequerentur, in limosam quandam paludem ex metu recipere se coegerũt: ignarique locorum, adactis equis impetum in eos fecerunt. Stabāt cōtrà instructi Tattari æquiori loco, eminusq; imbrem sagittarum in nostros cũ cœno confligantes iaculabantur. Ibi ancipiti malo perculsi primi, extremis, vt retrocederent, sibique explicandi sese ex illa difficultate locum darent, significabant. At illi actum esse de suis rati, in fugam se prorsus coniecerunt. Nec Tattari occasioni defuerunt. Obtritis enim primis, cæteros auersos obstinatè persecuti, magna strage profligarunt, neminem viuum seruantes. Ibi pleraque omnis nobilitas & firmamētum Russiæ cum Michaele Buciacio pręfecto siue Palatino Podoliæ concidit, ita vt crebris deinceps excursionibus Tattari omne millam regionem absque metu peruastarent. Non est autem prætereundum egregium fortis viri facinus, tolerantiæque exemplum singulare, Ioannes Vulodicus gente Sulimæus multis vulneribus confectus, cùm inter cadauera iacens à victoribus despoliaretur, ita cōpressit vitalem spiritum, vt cum barbarus caligas de pedibus eius non sine vulnere rescinderet, digitumq; cũ annulo præcideret, tamen nullam doloris atq; sensus significationem edidit, & incredibili patientia vitā seruauit. Vidisse eum se postea cum illis notis Dlugossus memorat. Per illud tempus Albertus rex Cæsar à Germanis principibus appellatus est. Quem honorem vix, ac non nisi assentientibus Vngaris, quibus promiserat se eum non esse suscepturum, suscepit. Barbara verò socrus cùm ei cunctas possessiōes, quas dotales in Vngaria Boemiaq; habebat, cōcessisset, ac duodenûm millium aureorum pensionem anniuersariā ab eo accepisset, dimissa ab eo, ex Vngaria in Poloniā commigrauit: & à Vuladislao rege perhumanè atque honorificè accepta, Sendomiriēsem arcem cum præfectura & omnibus emolumētis ad vtendum, fruendum & habitandum, quoad viueret, accepit. In Boemia tamen eam nequiter, libidinosè, sine vlla religione & spe futuræ vitæ reliquum ætatis exegisse, vitaque defunctam, in arce Pragensi in sepulchris regum solenni pompa à Georgio Podiebradio gubernatore cōditam esse, Vngaricarum & Boemicarum rerum scriptores Dlugosso posteriores, memoriæ prodidêre. Eodem anno confirmatum est Vuladislao regnum in comitijs Petricouiensibus mense Decembri habitis: amotique ab administratione curatores siue prouisores, cùm rex iam quintumdecimum annum (qui apud nos finiendæ tutelæ legitimus est) attigisset, ac iusiurandum solenne dedisset. Sigismundo magno duci Lituanorum renouanti pacta conuenta cum Iagellone & Polonis stabilitus principatus regio diplomate. Monetæ probandæ qui præessent in singulis ciuitatib⁹ designati: Valdè enim iactabatur numus. Verùm non diu id decretum valuit, præterquam in minore Polonia & Russia. De pace deinde inter Cæsarē & regem agi cœptũ. Non conueniebat tunc inter Eugeniũ papam & concilium Basileense. Ille enim concilium Ferrariam reuocabat, quo iã Ioannes Palæologus Imperator, & Iosephus patriarcha Constantinopolitani cum complurib⁹ Gręcis episcopis ea ipsa de causa appulerant. Concilium verò pontificatum Eugenio abrogauerat, & alium Pontificem creabat. Et concilium tamen & Pontifex per oratores de pace inter Cæsarem & regem Polonorum componenda diligenter egerunt, quo commodius sublato inter hos principes bello, Græcis atque Vngaris subueniretur. Vtrisque enim grauis erat rex Turcarum Amurathes: Transalpinensem Valachiam vectigalem sibi fecerat: ac per illud ipsum tempus Rasciā & Serbiam vectigales regum Vngarorũ ditiones affligebat: Singidunũ siue Sinderouiam, vel Smiderouiam, quemadmodum nostrates vocant, vrbem in ripa Danubij non multo infra Bielogradum, quam Nandor Albam appellant, sitam obsidebat & oppugnabat: nec succurrere socijs Cæsar commodè poterat Polonico bello distentus. Non abhorrebat igitur is à pace. Ac ne Poloni quidē. Iam enim refrixerāt studia Boemorum in Cazimirum: Silesij verò Alberto marchione Brandeburgensi duce accepto à Cęsare, crebris populationibus, quemadmodũ scribit Aeneas Syluius & Dubrauius, Poloniam vexabant: siue adeò, vt vult Bonfinius, vexare parabant. Itaque ex illis ipsis comitijs Petricouiensib⁹ quatuor de primoribus Polonis legati missi ad Cæsarem Vuratislauiam, quò is venerat è Boemia, multis hinc inde iactatis, eò rem perducebant, vt potestas fieret Boemis denuò, quem vellent, regem creandi. Id eo lubentius faciebant nostri, quòd Cæsar secretò pollicitus esse dicebatur archiepiscopo principi legatiōis Polonicæ, daturũ se Cazimiro Boemiā in dotē cum filia natu minore. Nec tamen de pace conuenire ibi potuit, variante Cæsare

Michael Buciacius à Tattaris interfectus. *Ioannis Vulodici patientia.* *Albertus Cæsar.* *Barbara Sigismundi Imp. vxor in Polonia Sendomiriēsi præfectura à rege donata est.* *Barbaræ Imperatricis nequitia.* *Comitia Petricouiæ.* *Prouisores abrogati.* *Tutelæ finiendæ temp⁹ legitimum apud Polon.* *Iusiurādum regis.* *Lituanorum cum Polonis pacta renouata.* *Monetæ probandæ magistri.* *Concilium Ferrariam ab Eugenio reuocatum.* *Græci venère ad concilium.* *Basileense concilium Eugenio pōtificatum abrogauit.* *Oratores Eugenij & Basil. concilij ad Cæsarem & Pol.* *Rascia & Serbia à Turcis afflictæ.* *Smiderouia obsessa.* *Silesij Poloniam infestant.* *Polonorum legatio ad Albertum Cæsarem.*

ſare conditiones pacis, Teuthonū quorundam conſilio & maleuolentia. Nā ipſe vir bonus erat, & pacis amans. Diſcedentes autem legati infecta pace, precibus legatorum Pontificis atque concilij ægrè reuocati ſunt. Namyſlouiæ denuo tentatum de conditionibus pacis: neq; ibi tamen ea cōuenit: induciæ modò quadrimeſtres, per quas commodiꝰ pax conficeretur, conſtitutæ. Atque id anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimi noni principio actum eſt. Quo quidē anno pax foris fuit: domi turbæ quædam, ſiue nouandarum in religione rerum ſtudio, ſiue eccleſiaſtici ordinis odio & inuidia, ſiue vtroq; excitatæ, paucorum ſupplicio ſedatæ ſunt. Corcinū ex compoſito, quemadmodū vult Dlugoſſus, indicta erāt comitia poſt Paſcha. Et iam rex peragrata maiore Polonia & parte Ruſſiæ, eò venerat: conueniebant & proceres: cùm Spitco Melſtiniꝰ facta clam non contemnenda manu equitū aſſeclarum, agreſtibusque ſuis armatis apud Piaſcum maiorem pagum ſuæ ditionis, in oppidum improuiſus irrupit: & impetu facto in diuerſoria Vladiſlai Vladiſlauiēſis epiſcopi, & Nicolai Laſocij decani Cracouiēſis ſummo manè, quieſcentibus adhuc omnibus ea diripuit. Idemque monaſterio fecit, cùm ibi Ioannem Conespolium cancellarium, & Ioannem Oleſſnicium marſalcū, qui ibi diuerterāt, non inueniſſet. Commodum enim ſeſe ſubduxerāt, præmoniti à quibuſdam Spitconis ſocijs, quod eū infenſum ipſis eſſe nouerāt: quippe qui conatibus eius antea reſtitiſſent. His patratis, ex oppido ſuos eduxit, & è regione oppidi, vbi Nida reſtagnans Viſtulæ miſcetur, caſtra curribꝰ & foſſis munire cœpit. Sed priuſquam ea perficeret, coadunati omnes, qui circum regem erāt, impetum in exercitum eius Hincia Rogouio, ac Dobeſlao Sciecocinio inermes fere in armatum fecerunt: commiſſoque prelio, cùm Spitconē ipſum inter primos pugnam cientem interfeciſſent, facilè cæteros in fugam egerunt. Nec multum ibi ſanguinis fuſum eſt. Parci enim rex agreſtibus, qui inuiti dominū ſecuti erant, iuſſerat. Non pauci tamen in Nidam fluuium, quem à tergo habebant compulſi, ſubmerſi ſunt. In Spitconem palpitantem adhuc iudicium inſtitutum: damnatusque perduellionis triduo nudus & inhumatus in publico iacuit. Rapſtinum arx eius in ditionem regiam redacta: Melſtinū verò vxori eius deprecanti conceſſum. Quin & iudiciū decretūq; ſuum rex proceribꝰ ſupplicātibus, ne quid factū eius poſteris obeſſet, clemēter reſcidit, quod is amentia deliquiſſe diceretur. In Sbigneum verò epiſcopum conatus illos ſuos maximè intēdiſſe Spitco exiſtimatꝰ eſt, partim propter litem quandā priuatā ex affinitate ortam, partim etiam, quod diris deuotus, & ſenatu abſtinere iuſſus erat ab eo propter hæreſim. Sed vim eius Sbigneꝰ præmonitus, ad comitia non veniendo declinauit. Vulgò etiā creditum eſt, quēadmodum Dlugoſſꝰ memorat, ſuaſu & inſtinctu Sophiæ reginæ Spitconē facinus illud aggreſſum eſſe. Sed in quē, aut quam ob rē id illa intenderit, cōiectura aſſequi non poſſum. Non minores in maiore Polonia per idē tempꝰ motus erant, Abraamo Sbanſcio cōcitante. Fauebat & hic Boemorū ſectæ, Boemosq; ſacerdotes hæreticos domi ſuæ alebat, per quos virus in populū ſpargeret: Orthodoxis verò ſacerdotibꝰ, & epiſcopo Poſnanienſi Staniſlao Ciolco infeſtꝰ fuerat, ita vt is Cracouiā commigrare cogeretur. Eo verò defuncto, & Andrea Bninio ſucceſſore ei dato, magis etiā inſaniebat Abraamus. Et perculit quidē cum anathemate Andreas epiſcopꝰ: ſed cùm ea via nihil proficeret, vi coercere nouatores adortꝰ eſt. Coactos enim nōgentos ampliꝰ equites de propinquis & cliētibus ſuis ad Sbanſinum arcē duxit, dediqúe ſibi quinq; Boemos ſacerdotes coegit. Quos inſtaurato Poſnaniæ iudicio publicè cremauit. Nec multo pōſt Abraamus ipſe mœrore, ira & pudore cōfectus perijt. Sic incēdium illud peſtilens haud leuiter iam gliſcēs in maiore Polonia, virtute epiſcopi reſtinctum eſt. Habuit autē hic Andreas in epiſcopa cō petitorē Nicolaum Laſocium decanū Cracouienſem, quem bona pars collegij Poſnaniēſis elegerat, & rex Eugenio pontifici max. commendarat. Sed tamē Andream prætulit Pontifex infēſus Laſocio, quod legatus regio nomine in Baſileenſi concilio, cùm ibi de abrogando ipſi pontificatu ageretur, fuiſſet. Hoc anno Staniſlao Paulouio epiſcopo Plocenſi mortuo, Paulus Gizicius ſcholaſticus Cracouienſis & canonicus Plocēſis ſucceſſit, confirmatus à Vincentio archiepiſcopo Gneſnenſi, propterea quod de Eugenij pōtificis max. à concilio deiecti authoritate dubitabatur. Eodem anno magna pars Cracouiæ gemino incendio conflagrauit. Superiori verò Nicolaus Seraphinus præfectus ſalis, & nonnulli alij de ſenatu vrbis ob im portatam adulterinam monetā populari inuidia penè deflagrarūt. Quod ni

conſpi-

Induciæ Polonorum cū Cæſare. 1439. ann.

Comitia Corcini.

Spitco Melſtinius interfectus & perduellionis damnatus.

Rapſtinum arx Spitconi adempta.

Spitco cūr Sbigneo fuerit infenſus.

Abraam Sbancius fautor hæreticorum.

Staniſlaus è piſcopus Poſnanienſis ceſſit Sbanſcio.

Andreas Bninius epiſcopus Poſnanienſis Sbanſinum adortus armis propter hæreticos.

Nicolaus Laſocius electus Poſnan. sed non confirmatus.

Paulus Gizicius epiſcopus Plocen. ab Archiepiſcopo confirmatus.

Cracouiæ incendium.

Cracouiæ tumultus contra senatum.

conspirationem hominum subodorati, in arcem properè fugissent, cæsi essent tumultu & concursu populi. Gliscētem seditionem Sbigneus episcopus repressit, coniectis reis senatoribus in carcerem, & post aliquot septimanas desidente ira hominum dimissis. Ad Pētecosten eiusdem anni actum de pace inter proceres Polonos & Vngaros, neque tamen regibus ipsis absentibus quicquam confectū. Reiecta res ab congressum ipsorum regum. Qui antequam contingeret, Albertus Cæsar ab expeditione, quam in Turcas nullo operæprecio instituerat, reuertens, dysenteria ex immoderato esu peponum contracta, vitam finiuit. Post cuius mortem Vngari recta secum ratione perpendentes, in quantis essent periculis Turcico bello implicati, communicato cum defuncti Cæsaris & regis sui vxore Elizabetha consilio, ad Vuladislaum regem Polonorum regnum vnà cum ipsius Elizabethæ coniugio detulerunt. Tametsi prægnans tunc erat Elizabetha: sed neque certum erat, marem ne paritura esset, neque tutum, maturam regno ætatem pueri expectare. Missi publicè ad aciendum Vuladislaum è Polonia Ioannes Signiensis episcopus, Matco siue Mathias Talonci⁹ Dalmatię & Croatię præfectus, quem Banum illi vocant, Emericus Marcellus magister curiæ regiæ, Ioannes Perenæus maior, & Ladislaus Palocius, mēse Februario insequētis anni cum splendido comitatu & legatis ciuitatum Cracouiam venerunt, & postulata totius Vngariæ Vuladislao regi exposuerūt. Re in consultationem senatus posita, variabant sententiæ senatorum, dissuadentibus multis, difficultatemque duorum amplissimorum regnorum administrādorum, & Turcici belli magnitudine exaggerantibus: alijs cōtrà rem splendoris & gloriæ plenam nequaquam repudiandam esse censentibus, neque prodendam barbaris cum florentissimo regno salutem & amplitudinem reipublicæ Christianæ, quæ illo quasi firmissimo quodā propugnaculo niteretur: & præstabilius autem consultiusque esse, Polonos Vngarorum armis atq; periculo cōtra Turcarum vim sese tueri, quàm illo quasi intermedio pariete sublato, per se ipsos ōnem maximi ac difficilimi belli molem sustinere. Pronior in eam partē erat Vuladislai anim⁹, vt regno suo paterno cōtentus esse vellet, cùm propter illas quas paulo antè exposuim⁹ causas, tum quòd adolescens prouectæ mulieris coniugium fastidiebat. Sed tamen cessit plurium diuersum suadentium sententiæ, & Vngarorum precibus. Et aderat fortè Amurathis Turcarum imperatoris legatio, quæ viuente adhuc Alberto Cæsare missa, fœdus & amicitiam tyranni, pecuniamque & centum millium armatorum auxilia Vuladislao contra Albertū deferebat. De conditionib⁹ deinde cum Vngaris tractatū. Cōueniebat iā legatis, toti⁹ cōuētus Vngarici & reginæ mādata disertè ꝓferentibus, vt si Elizabetha regina ex Alberto Cæsare masculū posthumum peperisset, eum Vuladisla⁹ ad Boemorum regnum adipiscendū adiuuaret, Vngaricum ipse ad posteros suos trāsmitteret. Quòd si nullos mares liberos relinqueret, tum demum vt Alberti posthum⁹ in Vngaria ipsi succederet. Hęc dum ita cōstituuntur, interim aduolat ex Vngaria veredarius cum literis ad legatos, quibus scriptum erat, vt re infecta redirent, eo quòd regina filium peperisset. Verùm non putabant id legati ex dignitate suæ gentis fore: & habebant in eum quoque euentum diserta mandata, vt etiāsi regina marem peperisset, nihilominus Vuladislao regnum deferrēt. Abiecerat eo nuncio rex omnem de suscipiēdo eo regno cogitationem: sed tamen vict⁹ est legatorū perseuerātia. Tum demum Turcarum legationi quę aliquot menses Cracouiæ expectarat, responsum à rege datum est, Regnum sibi ab Vngaris delatum esse. Quòd si Amurathes amicitiā suā expeteret, Vngariam ne infestaret, socijs & clientib⁹ Vngarorum Rascijs redderet, quæ ademisset. Nā is post expugnatam Smiderouiam, alias etiam quasdam Rassiorum munitiones partim viuente, partim defuncto iā Alberto ceperat. His ita confectis, legati Vngarorum, duob⁹ ad deducendum regem relictis, cæteri in Vngariam reuerterunt. Ac Prenæus quidem apud Sarissam arcem suæ ditionis regem veniētem hospitio accepturus substitit: Mathias verò & Emericus ad reginam dolorem & ira dissimulantem, cōtenderunt: eiusque iussu comprehensi, & in vincula cùm omni comitatu suo coniecti sunt. Id vbi Sendiuoi⁹ Ostrorogus palatinus Posnaniensis, & Ioannes Conespolius cācellarius qui legati à Vuladislao ad reginam missi erant, accepēre, omissa, Simonis Agriēsis episcōpi sua su, legatione, in Poloniam reuerterunt. Scinduntur in duas partes Vngari, dum alij reginæ, alij Vuladislao student. Nihil tamē hæc Vuladislaū mouebant, vt mutaret sententiā. Quin aliud quoque lōgè mai⁹ impedimētū fortuna ei obiecit Nā ꝑ eos dies, quib⁹ iter adornabat in Vngariā nūciū accepit è Lituania, Sigismūdum

Conuentus Vngarorum cū Polonis. — *Alberti Cæsaris mors.* — *Vngari Vuladislaum regem Pol. ad regnum vocant.* — *Oratores Vngarorum in Poloniā.* — *Consultatio senatus Pol. de regno Vngarorum.* — *Turcarum legatio ad Vuladislaū regem.* — *Pacta Vuladislai regis cū Vngaris.* — *Vngari oratores reuocantur è Polonia.* — *Ladislaus posthumus Alberti Cæsaris filius.* — *Turcicæ legationi responsum à rege datum.* — *Vngari oratores ab Elizabetha regina capti.* — *Poloni oratores ad reginam.* — *Vngarorum diuersa studia.*

Sigismundus dux Lituanorum à suis interfectus.

dum ducem Lituanorum auarè & crudeliter dominantem, conspiratione Iuani siue Ioannis Russi ducis Ciartoriensis, & aliorum quorundam Russorum & Lituanorum procerum, apud Trocos interfectum esse, permultorumque maximè Samagitarum studia in Michaelem filium eius inclinare: Suitrigellonem verò Luscum proditione rursus in potestatem suam redegisse. Magnos etiam thesauros Sigismundus reliquerat, eosque Ioannes interfector vnà cum Trocensi arce occuparat. Sic autem is Sigismundum ex insidijs adort⁹ esse fertur. Vrsam habebat Sigismundus cicurem, quam ad mensam & ad cubiculum familiariter admittebat. Ea vel non venerat illo eunte cubitum, vel de more emissa exiuerat, & à coniuratis alicubi conclusa erat. Eius igitur vnguium scalptura ad ostium cubiculi assimulata cōiurati intromissi, ducem nihil tale suspicantem trucidarunt. Desiderabant nonnulli de primoribus Lituanis regis præsentiam, & res ipsa flagitabat. Nihil tamen is de sua in Vngariam profectione mutabat, ne leuitate quadam, aut metu & angustia animi cœpto destitisse videretur. Cazimiro verò fratri recipiendæ, pacandæ & gubernandæ suo nomine Lituaniæ negocium dedit. Ingressurum autem iter post medium Aprilem ingēs aquarū inundatio, soluta tūc primùm niue & glacie, remorata est. Asperrima enim præterita hyems fuerat, magnaq; niuium vis ante medium Nouembrem delapsa, ad illud vsque tempus durarat. Neque verò bene superiore æstate fruges prouenerant, ita vt hominib⁹ vulgò folijs atque teneriorib⁹ frōdib⁹ arborum & radicib⁹ herbarū vesci necesse esset. Pecudes verò & iumenta vetustis tuguriorū stramentis detractis ægrè sustentata: indeque magna vis morbi passim grassabatur. Cūcta hæc agminatim cōcurrentia, ominosa vulgò habita, regē tamen minimè commouerūt. Itaque institutū iter adornās, in minore quidē Polonia & Russia Ioannē Cyzouiū castellanū Cracouiensem, in maiore verò Albertū Malsciū palatinum Lēciciēsem vicarios pro se reliquit: præfectos Cracouiensem, Posnaniēsem & Podoliensem nescio qua de causa mutauit: & in Cracouiēsi quidē præfectura illum ipsum Cyzouium Ioanni Pilecio, in Posnaniensi Creslaū Curosuanciū Stanislao Ostrorogo, in Camenecēsi verò Theodoricum Buciacium Petro Polaco suffecit. Porrò Scepusium Sbigneo episcopo Cracouiensi, vt inde debitum pro argēto cælato signatoque cuius non modicum pōdus ab eo mutuatus erat, sibi deduceret, commēdauit: Boleslao duci Masouiorū præcepit, ne Drohicinēsem tractum, quē post interfectū Sigismundū Lituanorū ducē ex fœdere vetusto, sed ab ipso Sigismūdo renouato, occuparat, cuiquā cōcederet. His peractis, & rebus omnino Polonicis pro tēpore cōstitutis, cū magnificentissimo apparatu, & comitatu nobilitatis Polonæ splēdidissimo & iusti exercit⁹ speciē præ se ferēte in Vngariā ꝑfectus est, præmissoq; Simone Rosgonio episcopo Agriēsi, Vincētio Samotulio castellano Medirecēsi, Ioanne Sennenio, & Andrea Tēcinio, Budā in potestatem suam redegit. Quod quidē peropportunè accidit. Paulò pòst enim Vlricus comes Ciliæ reginę Elizabethę propinquus cū 500. equitibus eā ob causam à regina missus venit. Sed cū cognouisset à Polonis arcē & vrbem teneri, ad reginā se vacuus recepit. Illa verò certior facta de omnib⁹, filium suū Ladislaū nondū quadrimestrē, sublato Alba regia diademate D. Stephani, à Dionysio Zecho cardinali & archiepiscopo Strigoniensi, ꝑsentib⁹ & assentientibus Benedicto Iaurinensi episcopo, Vlrico comite Ciliensi, Ladislao Gara ærarij præfecto, Nicolao Fristacio, Stephano Rosgonio, & Thoma Zecho fratre archiepiscopi, coronari curauit. Posteaq̃ Budam venit Vuladislaus, magnaq; nobilitatis & procerū (in quibus & archiepiscop⁹ Strigoniēsis, & Ladisla⁹ Gara fide publica accepta fuēre) multitudo ad eū conuenit, huiusmodi concionē ꝑ interpretē habuisse fertur. Aliū ego, proceres & viri Vngari, aliū longè q̃ video, regni hui⁹ statū me reperturū esse speraui. Credebā. n. sūmo omniū ordinū hominūque cōsensu me accitū esse, vt vobis volētib⁹ imperarem, Turcarumq; arma ab Vngaria depellerē. Itaq; omissis reb⁹ Lituanicis, quę meā ꝑsentiā nūc maximè requirebant, desiderio vestro & precib⁹ legatorū vestrorum satisfeci, & meum ad vos aduētum maturaui. At nūc aduenienti alia se mihi rerum facies offert. Nō idē est sensus omnium: diuersa studia: habet inter vos non paucos nec obscuros fautores Alberti filius posthumus, & iam ab his diademate redimitus est. Quid hinc aliud quàm ciuile bellum inter vos propediem expectandum est? Ei⁹ ego vobis author causaque esse nolo, Vngari. Abundè regno paterno contentus sum. Vos, me nihil obstante, quouis modo cōmodis vestris & quieti, salutique publicæ diligenter etiam atq; etiā ꝑspicite: mei verò nullā ducite rationem. Hæc elocuto rege, secedūt in cōsilium Vngari, admirātes regis modestiam,

Luscum à Suitrigellone interceptum.

Trocēsis arx à duce Ciartoriensi occupata.

Cazimirum fratrem rex Lituaniæ pro se præfecit.

Inundatio. Aduersa omnia regi in Vngariā iter paranti. Hyems aspera.

Fames.

Pestis.

Gubernatores Poloniæ.

Præfecti primarij mutati

Scepusium Sbigneo episcopo commēdatum.

Vulad. profectio in Vngariam.

Buda redacta in potestatem Vuladislai.

Ladisl. posthumus infans coronatur ab Vngaris.

Archiepiscopus Strigon. & Ladislaum Gara fide publica ad Vuladisl. venēre.

Vuladisl. regis oratio ad Vngaros.

destiam, & excelsum animum. Deinde Laurentius Hedreuarus palatinus Vngariæ ex omniũ sententia gratias regi egit, quod patris clarissimi & optimi regis vestigijs insistens religionem Christianam defendere in primis studeret, queadmodum ille propagare studuisset, plurisque publicam salutem, quàm suam amplitudinem faceret: deinde orauit eum, vt susceptum semel summa omnium cum lætitia & spe optima regnum ne repudiaret. Non falli eum, quod crediderit, publico omnium ordinum consensu id ad se delatum esse: permanere autem illum consensum, optima atque etiam necessaria ratione nixum. Paucos siue muliebri consilio seductos, siue dominãdi alieno nomine cupidos, cum regina mutasse sẽtentiam, & alienissimum ab illo tempore de infante coronando consilium iniuisse: sed eorum conatibus improbis se cunctos vsque ad sanguinem obstaturos esse.

Responsum ab Vngaris Vuladislao datum.

Ne quam verò ei dubitationem relinquerent, statim cuncti in verba eius iurarunt, orsi ab Dionysio archiepiscopo: sublatumque de more gẽtis in humeros Vuladislaum, acclamante populo, regẽ renũciarunt.

Vuladislaus ab Vngaris rex enũciatur & attollitur.

Vissegradum deinde itum est, vbi asseruari solebat diadema, quod diui Stephani ferebatur. Verũ id regina inde clàm omnib⁹ surripuerat. Quare parum abfuit, quin Ladislaus Gara Banus, præfectus eius arcis & ærarij, tumultu populi concerperetur.

Ladislai Garæ periculũ.

Captus quidem est: sed mox regis beneficio liberatus, cùm is in Poloniã statim rediturum se esse minaretur, ni sibi Ladisla⁹, qui fidem suam secutus eò venisset, condonaretur.

Vuladislai fides.

Decretum autem est, vt Vissegradensis arcis præfecturam deinceps non nisi Polonus obtineret. Itaque Vincẽtio Samotulio Medirecensi castellano tunc ea mãdata est.

Vissegradensis præfectura Vincentio Samotulio mandata.

Regi verò diadema de caluaria S. Stephani detractum ad xv. Cal. Aug. solenni ritu apud Albam regiam ab archiepiscopo Strigoniensi impositum.

Vuladislai coronatio.

Accidit per eos dies facinus memorabile. Vngarus quispiam obscuræ sortis indicauit magnã auri vim ab Elizabetha regina sibi oblatam esse, vt Vuladislaum regẽ ferro, vel veneno de medio tolleret. Id siue verũ fuit indicium, siue ementitum spe maioris muneris, Vuladislaus irremuneratum pretermisit atque dissimulauit, ne quam Elizabethæ infamiam suscepti sceleris inureret. Vngari verò indicẽ ignitis forcipibus immaniter dilaniatum dissecuerunt.

Regis clemẽtia & Vngarorum ira in proditorem.

Coronatione ritè peracta rex Polonos proceres, qui se in Vngariam deduxerant, dimisit. Ex his Sbigneus episcopus nouo Cardinalis presbyteri honore tam ab Eugenio pontifice maximo, quàm ab Amadeo Allobroge, siue Sabaudo duce, quem concilium Basileense amoto Eugenio suffecerat, & Felicem quartum appellarat, auctus, Cracouiam reuertẽs, magna omnium gratulatione exceptus est.

Sbign. Cardinalis designatus.

Amad. dux à cõcilio Basileensi Pontifex maximus creatus.

Tametsi in itinere apud Keuessum oppidum in Vngaria non multum abfuit à periculo, iurgio & prælio inter oppidanos & familiam eius concitato. Nemo tamen de comitatu ei⁹ cæsus est, vulnerati complures. Oppidani verò multorum sanguine & nece, dimidijque oppidi conflagratione, excitati temerè tumultus pœnas luerunt.

Sbignei periculũ apud Keuessum.

Conuentum deinde minores Poloni bis apud Corcinum egerunt, & auxilia quinque millium equitum regi in Vngariam decreuerunt. In eorum verò stipendia vt agricolæ duodenos grossos in laneos penderent: Sculteti & equites, qui nullos haberent adscriptitios, octinos & quadragenos, quæ marca apud nos dicitur. Cæterùm qui equites per se ipsi eam militiam obire vellent, vt & ipsi & adscriptitij eorum ab omni pensione immunes essent.

Conuentus minorum Polonorum Corcini.

Iugerale tributum decretum regi in subsidium à minoribus Polonis.

Marca.

Fuit autem necessariũ id subsidium, propterea quòd Vngari apertius iã factiones alere cœperant, & partim regi, partim reginæ studebant.

Vngarorum fluxa fides.

Et firmiores erant reginæ partes in superiore Vngaria, Austriæ & Morauiæ finitima: cuius ciuitates pleræque omnes à Teuthonib⁹ habitata: nõ contemnendo externi militis mercenarij p̃sidio duce Ioãne Iscra Boemo in fide reginæ cõtinebãtur.

Ioan. Iscra.

Ab his aduersariorũ agri vexabantur, munitiones etiã partim expugnabãtur, partim p̱proditionẽ intercipiebãtur. Ab altera quoq; parte Ladisla⁹ Gara malè referens regi liberatori suo gratiam, temerato vnà cum archiepiscopo Strigoniensi iureiurando, multos in reginæ partes potentia & authoritate sua pertraxerat, & validum exercitum contraxerat.

Ladisl. Gara cum archiepiscopo Strigoniensi deficiunt à Vuladislao.

Contra eum rex non expectatis Polonorum auxilijs, aulicum suum comitatum Vngaris & Polonis constantem, & quos ad manum habuit Vngaros voluntarios, Nicolao Fristacio, siue Vilachio, vt habent alij, qui à regina ad regem defecerat, & Ioanne Huniade ducibus misit: & certam sibi victoriam pollicentem, insigni strage profligauit.

Nicol. Fristacius.

Ladislaus tamen ipse fuga euasit: sed nõ ita multo post à Friderico Cæsare, qui Alberto patrueli à Germanis principib⁹ successor dat⁹ erat, captus, septuaginta milibus florenorum se redemit, cùm reginam secutus in Austriam venisset.

Ladisl. Garæ fusus fugatusque, & à Cæsare captus.

Captiuos autem omnes rex liberaliter dimisit. Qua clemẽtia permagnam apud Vngaros gratiam inijt, Slauo

niã.

Slauonia & Croatia in potestatem Vuladislai redacta.

niamq; & Croatiã, misso illuc Nicolao Lasocio decano Cracouiensi legato, sine armis recepit. Fristacium verò & Huniadem amplissimis muneribus affecit. Et illum quidem Croatię Banum, hunc verò Trãsyluaniæ Voieuodam siue palatinum fecit: deinde verò etiam Themessiensi & Seuerinensi præfectura auxit. Inde primùm Ioannis Huniadis, quem & Coruinum, à vico in quo natus est, appellauêre quidam, nomẽ celebre esse cœpit: cùm is antè clarus nõ fuisset, matre Græca, patre autem Valacho natus. Nonnulli eum à Sigismundo Cæsare genitum esse existimarunt. Ab eo quidem Huniadũ arcẽ in extrema Transyluaniæ ora cõditam esse, & inde cognomen ipsum accepisse existimãt. Deinde verò cũ nauiter rem gereret Huniades, Turcasq; Vngariã infestãtes aliquoties magnis cladibus affecisset, etiã Magister Vngaricæ militiæ factus est à Vuladislao. Dum ita dissident inter se Vngari, ne Boemi quidem quieti fuêre. Edictis enim Pragam noui regis creandi causa comitijs, cùm interim Elizabetha Alberti Cæsaris vxor peperisset, ac de nato hærede regni Boemos illustri legatione admonuisset, alij benemeritorum de se regum Alberti filium, Sigismundi nepotem, Ioannis pronepotem, prætereundum non esse censebant: alij ineptã regno administrando ætatem pueri, intestinaque dissidia causati, ad Albertũ Bauarorum ducem regnum deferebãt: quorum sententia vincebat. Sed Albertus molem turbulenti regni auersatus, & à Friderico Cæsare, ne Ladislao posthumo paternũ regnum præriperet, præmonitus, non accepit oblatum. Ad Fridericum Cęsarem deinde itum est, vt is regnũ vel ipse susciperet, vel pro tutore duntaxat cognati infantis, quoad ille adolescat, administraret. Vtrumque negauit: ꝙ neq; eum, quẽ omni ratione defensum ire debeat, iniuria afficere sibi conueniret, neq; tam negociosum pauperq; regnũ alieno nomine gerere vellet. Ad Ladislaũ potius Boemi hæreditariũ regnum deferret, & gubernatores ipsi sibi legeret, penesquos foret summa rerũ, quoad rex adolesceret. Fecêre iussa Boemi: designatoq; rege Ladislao ad Meinardũ & Ptarscone primores summam administrandi regni detulerunt: quorũ hic erat hæreticus, ille rectè de religione sentiebat. Nec tamẽ cessabat domestica latrocinia. Nõ multò pòst extincto Ptarscone, cõspiratione idẽ sentientiũ Georgius Podiebradius prętextu administrationis dominatũ arripuit: Pragam gentis metropolim & Meinardum gubernatorẽ in potestatẽ suam redegit. Nec multo pòst Meinardus extremum clausit diẽ non sine veneni suspicione. Vires sũpsêre hæretici autore Rochezana pseudarchiepiscopo. Hęc de Boemicis rebus obiter hîc modò cõmemorasse suffecerit. Dũ ita res turbãtur in Boemia & Vngaria, Cazimirus regis frater cũ plerisq; primoribꝰ minoris Poloniæ, & ducibus Masouiorũ Cazimiro & Boleslao, accepta de ærario regio pecunia, splẽdido comitatu ꝓ gubernatore in Lituaniã profectus, Vilnæ dux magnus à Lituanis renunciatus est, nequicq̃ reclamantibus Polonis, & fœdera, regisq; aduersam voluntatẽ testantibus. Sed plus valuit apud Lituanos præsens metus. Verebantur enim, ne, si vicarius modò ducis esset Cazimirus, Michael Sigismundi cæsi filius Samagitarum & aliorum fautorum suorum ope principatũ arriperet, pœnasque mortis paternę à se expeteret. Quin apud Russos iam noui motus extiterant, & Smolẽscia plebs in primis tumultuata sumptis armis præfectos suos cum nobilitate profligarat, & eiecerat, arcem in potestatem suã redegerat, & Georgium Mescislauiensiũ ducem, dominum sibi adsciuerat. Sed Cazimirus nouus dux cum subitario exercitu exusto oppido, ingentique cæde hominum edita, arcem recuperauit. Hæc igitur causa siue prætextus fuit Lituanis, creandi sibi magni ducis præter sententiam regis, & contra pacta cõuenta cum Polonis. Petiuit tamẽ à rege postea per legatos diligenter Cazimirus, vt factum Lituanorum approbaret: sed non modò non impetrauit, verùm etiam vehemẽtius eum iritauit, quòd neque exẽplum regi placebat, & Michaelẽ Cazimirus patrimonio omni exuerat, & Bielscum, Melnicum, ac Drohicinũ cum omni eo tractu Boleslao Masouiorum duci eripiebat. Nam Boleslaus eas munitiones auo suo Ioanni ab Iagellone rege olim donatas, sed à Vitoudo deinde ereptas, post Sigismundi demũ obitum ex pacto occuparat. Insequens annus nihil ferè memorabile habet, nisi ꝙ minorum, ac deinde maiorum etiam Polonorum & Russorũ auxilia partim ex mercenarijs militibus, partim ex voluntarijs collecta, ducibus Ioanne Tencinio palatino Cracouiensi, Ioãne Olesnicio castellano Sendomiriensi, Petro Odrõuanzo palatino Russiæ, Gregorio siue Riscõe Kerdeio palatino Podoliæ, Ioãne Sennenio prefecto Sendomiriẽsi, Derslao Rithuianio, Laurẽtio Zareba castel-

Ioann. Huniadis genus, honores & res gestæ.

Boemorum dissidium in creando rege

Albert. Bauarus regnũ Boemicũ repudiauit.

Frid. Cæsar & regnũ & administratione Boemiæ recusauit.

Ladisl posthumus rex Boemiæ designatus.

Meinard. & Ptarsco gubernatores Boemiæ.

Cazim. magnus dux à Lituanis creatus est.

Smolensci res nouantes à Cazimiro cohibetur

Michael Sigismundi filius patrimonio spoliatus à Cazimiro. Bielscũ, Melnicũ, ac Drohicinum Cazimirus Masouijs eripuit.

Poloni auxilia mittũt regi in Vngariam.

castellano Siradiensi, Nicolao Scora iudice Posnaniensis regionis, & nonnullis alijs viris nobilibus in Vngariã, nequic quam prohibente Iscra, ad regem venerunt. Quorum opera, ductu Tencinij, in ea quidem parte, quæ Austriæ finitima est, superiores ferè partes regis fuerunt, Posoniensis arx obsidione liberata: aliæ munitiones, quæ reginæ prȩsidijs tenebã tur, partim per vim, partim per deditionẽ extrema adhuc hyeme receptæ sunt: Vlric⁹ comes Ciliæ capt⁹: in ea verò ora,

Diuersa fortuna regis Vladisl. in Vngaria.

quæ ad Poloniã vergit, diuersa fortuna regis fuit, ita vt ab obsidione Cassouiæ re infecta discedere Poloni cogerẽtur, Kesmarcũ amitterẽt: Scepusiensem etiã orã, quȩ in ditiõe Polonorũ est, & à Sbigneo episc. tunc tenebatur, Iscra infestaret, & Podolinetiã obsideret. Nec tamẽ eò rex arma cõuertere ab Vngaris permiss⁹ est, siue propter grassantẽ pestẽ, siue quod ij vererẽtur, ne pertæs⁹ tã negociosi ac turbulẽti regni, in Poloniã, propinquitate

Pestem Vlad. contempsit.

loci inuitat⁹, sese subduceret. Pestẽ tamẽ ita is cõtẽpsit, vt quãuis plurimi passim repentè conciderent, & in intimum quoque cubiculum eius contagio morbi peruaderet, nihilo tamen minus versaretur in publico, regiaque obiret munia.

Polon. conuẽtus cũ Lituanis irritus.

Apud Parsouiam verò Poloni proceres cum Lituanis conuentum egẽre: frustraque, Lituanis rem inficientibus, concordiam inter Cazimirum regis fratrem, & Boleslaum Masouiorum ducem, & Michaelem Sigismundi ducis filium tentarunt.

Moschicum bellum.

Per quod tempus Moschorũ dux adiunctis sibi Tattaris Casanensibus excursionem fecit in Lituaniam, Vesmen semque tractum ferro & igni depopulatus est. Quem vt vlciscerentur Lituani, ipsi quoque vicissim ditionem eius longè lateque vastarunt, & ingentẽ prædã abegerũt, Moschosq; se insecutos cõmisso prælio fuderũt, Cazimiro interim Smolẽsci euentũ belli expectãte.

1442 ann. Silesia vexata à Pol.

Sequẽti anno maiores Poloni facta manu Silesiã finitimã depopulati sunt: ac duo castella Gorzouũ & Cecerinũ expugnarũt & incẽderunt, vlti crebra Silesiorũ latrocinia.

Velunenses vexati à Vratislauiensibus.

Vexatũ est tamẽ postea nihilominꝰ territoriũ Velunensẽ à Vuratislauiẽsib⁹, duce Hasenemero, siue Zaiezo Austrio, Vierussouiũq; oppidum cũ castello incẽsum, ac domin⁹ eius Vierus capt⁹.

Tattari vastraunt Podoliam & Russiam.

Podoliam verò atq; Russiã Leopolim vsq; ingentia Tattarorũ examina impunè ferro igniq; vastarunt, & infinitam penè captiuorũ multitudinem cæteráque prædam abegerunt.

Vindica.

Reuertẽtes Vindica Glinianorum præfectus cum parua manu insecutus, magna strage afflixit, multos que captiuos liberauit: sed ad extremũ hostium multitudine circumfusus, honestissimam cum suis omnibus mortẽ oppetijt. Rex vbi de excursione Tattarorum nuncium accepit, Polonos &

Vlad. regis profusa liberalitas.

Russos proceres profusè magis quàm liberaliter non modò pecunia de reditibus Polonicis prouueniente, verùm etiã cẽsibus, possessionibus, ac totis pfecturis præter leges Polonorũ siue donatis siue hypothecæ nomine addictis, atq; etiam alienis bonis perperam per imprudentiam attributis remuneratos dimisit. Ex his Petrus Odrouãzus palatinus Russiæ & præfectus Leopoliensis cum suis Russis properè reuertens, cùm Agriæ à Simone episcopo lautè acceptus esset, à Boemis, qui Cassouiæ erãt in præsidio, sum mo diluculo duce Telepho in oppidum

Petrus Odrouãsus captus in Vngar.

improuiso irruentib. captus est, currusq; eius direpti. Sed Boemos cum præda raptim sese recipientes cõsecuti nostri pariter cũ comitatu episcopi, ad internecionem penè ceciderunt, suaque omnia præter ipsum Odrouanzum recuperarunt. Nam eum Telephus in arcem quandam propinquam præmiserat. Sed eum tamẽ præfectus arcis Iacobus Zuder regi con-

Iacob. Zuder.

donauit, defectionisque suæ impunitatem, placato rege eo munere, impetrauit. Pauci hostium viui in potestatem nostrorum venẽre: inter quos fuit ipse

Telephus captus.

Telephus. Hi omnes Simoni episcopo traditi, non multo post ab eo, icto cum Iscra fœdere, & affinitate firmato dimissi sunt. Sub idem ferè tempus Nicolaus Ciaica Brozoueciæ, & Nicolaus Comorouius Podolinetiæ in Scepusio præfecti cum parua manu noctu Eperias-

Eperiassum direptum & incensum à Polonis.

sum oppidum, quod modico Iscræ præsidio tenebatur admotis scalis ingressi, raptim direptum incenderunt. Quo properè cognito Iscra cum expeditis equi-

Pol. fusi ab Iscra.

tibus eos abeuntes insecutus, facilè fusis, vel cæsis, vel captis paucis, qui cum ducibus hostem à longè conspectum temerè expectarant, prædam ferè omnem recepit, Ciaicam & Comorouium duces cæpit, & ad Brozoueciam admotis castris,

Brozouecia arx altera arsit, altera Iscræ dedita.

altera arce siue fortuito incendio, siue subiecto à quopiam igni exusta, altera per deditionem potitus est. Quocirca subsidiarias aliquot cohortes Sbigneus cardinalis ad tenendum Scepusium mittere ex Polonia coactus est. Aestatis hu-

Legati Cardinal. duorũ Pont. ad Vladregem.

ius initio duo legati pontificij in Vngariam ad regem ijsdem de causis venerũt: ab Eugenio quidẽ Iulian⁹ Cæsarin⁹ cardinalis episcop⁹ Sabinẽsis: à Felice verò & cõcilio Basileẽsi Alexãder Ziemo-

Alex. Masouius Card.

uiti Masouiorũ ducis & Alexãdræ regiæ amitæ

amitæ filius, patriarcha Aquileiẽsis, episcopus Tridẽtinus, & Cardinalis presbyter tituli S. Laurentij in Damaso non ita multo antè ab ipso Felice creatus. Atq; hic quidem vt Felicis, ille verò vt Eugenij authoritatem rex cum suis omnibus sequeretur, postulauit. Iustior Eugenij causa Vngaris visa est, quippe q̃ Græcos etiã & Armenos adstipulatores haberet qui concilio Ferrariã ab eo cõuocato, & propter pestem Florẽtiam translato interfuêre. Adfuit & Isidorus Kiouiensis ac totius Russiæ metropolites, cum ducentorum equitum comitatu. Polonis quoniã Academia Cracouiensis authoritatem concilij defendebat, & nõ modò Sbigneũ Cracouiensem episcopum, sed etiam Vincẽtium archiepiscopum Gnesnensem Cardinalis presbyteri honore ornarat Felix, tutius visum neutrum, donec dissidium illud maneret, pro Pontifice maximo agnoscere. Egit deinde Iulianus cum rege & Vngaris de pace facienda cum regina Elizabetha. Quæ relicto in Austria, ac Friderici Cæsaris tutelæ commẽdato Ladislao puerulo cum sacro diademate, Strigonium redierat, quo Vngaros partes suas secutos in fide cõtineret: egit & de suscipiendo bello contra Turcas. Et pax quidem cum regina secretis conditionibus composita est, cùm ad eam rex Iaurinum rogatu Iuliani venisset, moresque & virtutem suam, ac dignitatem oris ei probasset. Verùm ea pax, regina paucis diebus ex dysenteria ac dolore matricis mortua, rursus infecta est, defendentibus nihilo segnius partes Ladislai posthumi, seu verius suam rem agẽtibus, & nullo amici & inimici discrimine omnia infestantibus ijs, qui in superiore Vngaria cum regina senserant. Iactatum est vulgò, reginam veneno sublatam esse. Bonfinius quidẽ eam Budam ad regem venisse, & inde Iaurinũ reuersam, post tertium diem torminibus ventris ingenti regis dolore extinctã esse, scriptum reliquit. Neque verò in persuadendo bello Turcico plus difficultatis sensit Iulianus, cùm non tam vtilitatis inferre bellũ barbaris, q̃ necessitas illatũ ab ijs depellere, & amissa recuperare suaderet. Etenim Amurathes nõ ignarus Vngaricorum dissidiorũ, ciuilisq; belli, infestabat reliquum Rasciæ, atq; Transyluaniã: Bielogradum obsederat, & summa vi oppugnarat. Et quamuis Vuladislaus rex per Dobrogostium Ostrorogum, & Lucam Gorcanũ Polonos oratores suos postulasset ab eo, vt ab obsidione discederet, & pacem fœdusq; dudum vltro expetitum secum sanciret, ille tamen ferox a mandatis Smiderouiã oratoribus, continuauit obsidionem in septimum mensem. Nec nisi maxima suorũ strage adactus ab ea recessit. Ac ne tunc quidẽ demisit spiritus. Quin dimittens oratores regios, ijs demum legibus pacem se daturum esse respondit, si sibi reliquũ Rasciæ & Bielogradũ traderetur. Pollicebatur legatus regi & Vngaris ad id bellum ingentia Pontificis Max. & quorundam principũ Christianorum auxilia. Ad hæc aũt Vngarorum spes per se ipsæ iam inde ab initio in Vuladislaũ erectæ, rebus ad eam diem aduersus eundẽ hostem auspicijs eius prosperè gestis augebantur. Nã prẹter id quod Amurathes à septimestri illa Bielogradi oppugnatione re infecta turpiter discedere coactus erat, Ioãnes Huniades regis huius auspicijs eosdem barbaros tribus insignibus prẹlijs, vno apud idẽ Bielogradum, altero in Transyluania, tertio apud Vascapum in finibus eiusdem Transyluaniæ per illud ipsum tẽpus vicerat, & magnis cladibus affecerat: Mezitem Bassam dũcem exercitus bellicosissimũ cum filio interfecerat: Sciabadinum alterum Bassam trepidè fugere coegerat. Cõmouebat etiam regẽ & Vngaros Stephani siue Georgij Despotę Rasciẹ & Albaniæ misericordia, qui paucis illis annis vtraq; ditione à Turcis exutus, & filijs duobus captis, exectis, & excœcatis orbatus, regis beneficentia in Vngaria sustentabatur, & cùm publicè cunctis supplicabat, tum priuatim singulos proceres prehẽsabat, vt in suum dominatum reduceretur. Ad extremum superba Turcarum tyranni Amurathis legatio in illud fortè consultationis tempus coniecta, omnium animos vehemẽter accendit. Afferebat aũt ea pacem vel inducias Vngaris, si tributũ tyranno quotannis penderent, aut Bielogradum (quod Nandor Albam, & Albam Græcam vocãt, olim Taurunũ fuisse existimatur) traderẽt. In quã spem barbaros Mathias Taloncius Dalmatiæ & Croatiẹ Banus, illorũ vires & felicitatem, ac perturbatum Vngariæ statũ secũ reputans, & grauiora metuẽs, adduxisse existimatus est. Itaq; procerũ animis ad bellũ inclinatis, comitia Budam ad Pentecosten anni sequentis, qui fuit à Christo nato 1443. à regẽ indicuntur. Ibi bellum vno omnium consensu decernitur. Mittũtur oratores ad Fridericũ Cẹsarem, & ad alios principes Christianos, & ad Crucigeros Prussiẽses atq; Liuoniẽses nominatim in hostes Christiani nominis militiã ꝓfessos, petitum auxi-

Concilium Florẽtinum.

Pax inter regem & reginam in Vngaria.

Elizabetha Imperatrix mortua.

Bielogradũ à Turcis frustra obsessũ & oppugnatum.

Tres victoriæ de Turcis per Huniadem partæ.

Steph. Despotes Rasciæ & Albaniæ pulsus à Turcis.

Amurathis legatio ad Vuladislaũ regem.

Comitia Vngarorum Budæ.

1443. ann. Bellum contra Turcas decretum.

Christianorũ principum auxilia frustra implorata.

auxilia ad tam piã, ac toti Christianę reipublicæ salutarem expeditionem. Sed nihil vsquam impetratum, præter duorum annorum inducias à Cæsare Friderico. Pontifex quidem Eugenius piam Crucis militiam aduersus barbaros per omnes nationes Christianas pronunciari iussit. Inde aliquantulus voluntariorum militũ, siue adeo promiscuæ multitudinis numerus confectus est: quem Iulianus legatus, cruce pro vexillo vtẽs, duxit. Poloni regi suo non contemnẽda auxilia misêre. Per id tempus Nonis Iunij magnus terræ motus Vngariam, Boemiam & Poloniam afflixit, quo multa ædificia & arces etiam quædam cõcussæ ac deiectæ sunt. Vicesimasecũda die mensis Iulij Buda castra mota sunt: transmissoque apud Salsum lapidem Danubio ad hostiles terras peruentum. Capta & incensa in Rascia & Bulgaria non pauca ignobilia oppida, & cæteræ munitiones: in his insignis in primis Sophia, quam Sardicam nonnulli antiquitus fuisse volunt. Vbi ad Morauam fluuium, aliũ ab eo qui Morauiæ nomen dedit, ventum est, cùm didicisset rex ab exploratoribus, in propinquo esse hostium copias, Ioannem Huniadem cum decem millibus expeditorum militum, in quibus & Poloni erant, contra eos misit. Qui cùm intempestæ noctis silentio improuiso in statiua eorum impetum fecisset, magna strage ad internecionem hostes profligauit. Cæsa ferũtur ad triginta millia Turcarum, capta quatuor. Bulgaria deinde pleraque omnis, quemadmodum Bonfinius memorat, partim per vim, partim per deditionem, ob linguæ & stirpis cognationem Polonorum opera potissimùm in potestatem regis redacta, ad fines Macedoniæ peruentũ est. Altissimi & celebratissimi apud Poetas & Historicos, Græcos præsertim, montes Macedoniam atque Thraciam à Mysis, Dardanis, & Triballis, qui nunc Rascij, Serbi, Albani, & Bulgari sunt, separant, nec nisi duobus locis peruij, altero ad Pontum Euxinum, & in Thraciam vergente, altero in Macedoniam perangusto ac difficilimo tramite, sed propiore à castris regijs: & insederat iam eum penè infinita vis Turcarum duce Carambeio propinquo tyranni, præfecto copiarum Asiatico, siue Beglerbeio Natoliæ, ab Amurathe ad prohibendum nostris transitũ post primam illam cladem transmissa. Edixerat autem Amurathes Carambeio prorsus ne manus cum nostris consereret: cuius tamen ille edicti, animaduersa nostrorum paucitate, tenax non fuit. Sed nostris ad montes appropinquantibus pridie natalis Christi Dei nostri impetum fecit in regis exercitum. Neque rex detrectauit pugnam: victosque & fusos barbaros, duce ipso Carambeio capto in montes compulit: & rupem, in qua statiua habebant, vsque ad vesperũ summa vi frustra oppugnauit non sine suo incommodo, ita vt ipse quoque, licet armatus, aliquot sagittas aduerso pectore exciperet. Ita quidem ferè Dlugossus noster & Philippus Callimachus. Antonius verò Bonfinius aliter paulo hoc prælium literis prodidit. Scribit enim is, exercitum regis, cùm propè claustra montium peruenisset, partim difficultate transitus deterritum, partim hyberni cœli inclementia & fame confectum, missionẽ nequicquam reclamante Huniade ac deprecante Georgio Despote efflagitasse. Ac regem quidem cũ cætero omni exercitu conuersis signis reuertentem, vno die præcessisse. Huniadem verò cum expeditis lentius subsecutum, quo tutiorem transitum regi præstaret. In eam manum Turcas impetum fecisse, & fusos fugatosque esse, priusquã rex cum cæteris copijs opem suis ferens reuerteret. Venientem autem cum omni exercitu hostes fugientes ad montes insecutum esse. Ita Bonfinius: qui nescio an assentari Huniadi in gratiam Mathiæ regis filij eius, cui suos illos de rebus gestis Vngarorum libros dicabat, voluerit. Vtcunque res acta est, satis constat Polonos bonam operam in eo prælio regi nauasse, non solùm equites, verùm etiam pedites, cùm ij immixti equitibus hostilium equorum inguina suffoderẽt, equitibusque ipsis crura præciderẽt. Post hanc victoriam orabat regem magnopere Georgius Despotes, ne reduceret exercitum, priusquam Rasciam & Albaniam omnem receptam atque pacatam sibi restitueret: ac centũ millia numũm aureorum ei dabat. Sed vile est in fame aurum, nec adduci vllo modo exercitus potuit, diutius vt illic maneret, equis & hominibus vulgò fame tabescentibus. Quoniam autem ostentabant se à tergo proficiscentibus Turcæ, veritus rex insidias, aut vim aliquam maiorem, quo expeditius agmen duceret, arma quidem superflua, vel de hostibus capta, vel à suis desideratis relicta, in terram infodit: cætera verò impedimenta & hostium spolia, quæ oneri futura erant militibus, exussit, magnisque itineribus Bielogradũ peruenit. Ibi aliquot diebus refecto exercitu, continuato itinere Budam attigit, & nudis pedibus vrbem ingressus, signa hostium

Marginalia: Terræ motus. — Sardica Sophia vrbs capta à Vladislao. — Turcæ ad Morauam profligati. — Montes Macedonici. — Turcæ iterũ victi. — Carambeius Bassa et dux Turcarum captus. — Rex ictus in oppugnatione rupis. — Fames in exercitu.

hoſtium in ædeVirginis matris nomine dicata affixit. His in vniuerſum orbem Chriſtianum celeri fama vulgatis, frequentes à pleriſque omnibus principibus & rebuspublicis,etiam à Conſtantinopolitano Imperatore Ioanne Palæologo legationes tam inſignem victoriã regi gratulabantur, & ad proſequendũ incœptum bellum eum cohortabãtur, pollicentes auxilia.

Legationes Principum Christianorum ad Vuladislaum.

Nominatim autem pontifex Eugenius cum Venetis, Genuenſibus,& Philippo duce Burgundionũ claſſem ad prohibẽdum Turcis ex Aſia traiectum deferebant. At verò Poloni proceres miſſis publicè & priuatim legatis, verè & ipſi gratulabantur tam felices ſucceſſus regi ſuo: obteſtabantur autem eum, vt vno illo periculo defunct⁹, ne rurſus difficillimi & longinqui belli fortunam tentaret:ſed in Poloniam vt primo quoque tempore veniret, ac benemerentis patriæ ſaluti atque tranquillitati etiam atque etiam conſuleret.

Polonorum consilium.

Nã & Tattari crebris excurſionibus Podoliam atque Ruſſiam infeſtabãt, & Lituani cum duce ſuo Cazimiro bellum aduerſus Boleſlaum Maſouium ob occupatum Drohicinẽſem tractum apparabãt,& verò è Silesia magna belli moles conſpiratione principum exiſtere videbatur,ex huiuſmodi principio.

Tattari Podoliam infestarunt.

Silesiorum motus.

Sbigne⁹ Cardinalis & epiſcopus Cracouiẽſis vt eccleſiam ſuam locupletaret, emerat à Venceſlao Ceſſinenſium duce territorium ſiue ducatum,vt vocãt, Seuerienſem ſex millibus marcarum Prageſium. Sed in adeunda poſſeſſione difficultas ei à Nicolao Ratborienſiũ duce obiecta eſt.

Seueriensis dominatus à Sbigneo Cracouiensi episcopo emptus.

Eum verò dum noſtri publicè ea de re ductore Petro Saffranecio bello perſequuntur,forte contagio & incõmoda belli Boleſlaum Oppolienſium ducem, qui extra noxam erat, attigerant. Is igitur à noſtris res repetebat. Ni redderentur,bellum denunciabat.Et adiuturi eũ cæteri Sileſiorum duces, vt erant fere cognati & affines inter ſe, videbantur. Hæc igitur præsẽtia pariter & impendentia mala vt rex aduẽtu ſuo ſedaret & auerteret,Poloni magnopere inſtabant. Quod ſi is Turcico bello tamen abduci nõ poſſet,certè ne quid ſe incõſultis de eo ſtatueret.Hæc optimi regis animũ in diuerſa diſtrahebat.Hinc dulcedo degu ſtatæ gloriæ,& cohortationes maximorũ Chriſtiani orbis principũ:illinc Polonorũ,quib⁹quantũ deberet intelligebat, preces & impendentia pericula, cogitationes ei⁹ differebãt.Vicit tamẽ cauſa toti⁹ Chriſtiani orbis publica,inſtãte maximè legato Põtificio. Cęterum ne Polonos omninò deſpicatui ac derelictui habere videretur, pollicetur ad Pẽtecoſtẽ ſe in Polonia futurũ, ac de ampliſſimi cõſilij ſentẽtia rempublicã conſtituturũ eſſe.

Regis deliberatio.

Vngaris verò ad diẽ S. Georgij Budam indixit comitia.Quò Iſcra quoque aduerſæ factionis princeps euocat⁹,data à rege fide aduenit.

Comitia Vngarorum Budæ.

Nam Vngari proceres poſt reginæ mortem omnes iam in fide & poteſtate regis erant.Ibi pactis cũ Iſcra & factione Ladiſlai pueri inducijs, bellum in Turcas ſummo omniũ ordinũ conſenſu decernitur:oppidanis atq; agreſtibus pecunia in ſumpt⁹ belli, quia ærarium regiũ nullum erat, imperatur.

Induciæ cũ Ladislai parte.

Dant vltrò nomina pię militię Ioannes Varadiẽſis, & Simon Agriẽſis epiſcopi. Peractis comitijs regem in Poloniã iter adornantẽ Vngari proceres ſummo ſtudio atq; cõtentione retinuêre, veriti, vt à Polonis deſideriũ eius non ferentibus rurſus dimitteretur. Quæ res nõ paruo Polonis cõſtitit. Nam Boleſla⁹ Oppolienſis poſteaquã cognouit,regẽ Turcico bello implicatũ, in Poloniam venturũ non eſſe,maiore cõfidentia mercatores Cracouiẽſes ad nundinas Vuratiſlauiẽſes proficiſcẽtes diripuit: atq; id damnũ ad decẽta millia aureorũ numûm æſtimatu eſt.

Boleslaus dux Oppoliensis mercatores Polonos diripuit.

Quę res cùm regi in Vngaria renũciata eſſet, quietos eſſe iuſſit ſuos, quoad ipſe à Turcico bello reuerteretur.Dum autem bellũ id cõparatur, de pace à Turcis agi cœptũ eſt cũ Georgio Deſpote Raſciæ, & Ioanne Huniade per ſpeciẽ redimẽdi Carãbeij:pro quo quinquaginta millia numûm aureorũ numerata ſunt Deſpotæ.

Turcæ pacẽ postulant à Vuladislao.

Quo verò proniorẽ ad pacem redderet Huniadẽ Deſpotes, promiſit ei cuncta, quæ exul in Vngaria partim Sigiſmũdi & Alberti Cæſarum, partim Vuladiſlai regis munificẽtia nactus erat.Cupiebat autẽ pacem Amurathes propterea, quod non ignorabat quanto cõſenſu & quanta mole Chriſtiani principes contra ſe bellũ pararent,& ſatis iam anno ſuperiore ſolius Vuladiſlai vires magno ſuo malo expertus erat. Adhæc aliud ei pergraue bellum in Aſia à Carmanorum principe immi nebat:in quod totis viribus incumbere, pace cum Vuladiſlao facta, cogitabat. Nec Vuladiſlaus neque Vngari ab honeſta & gloriæ plena pace abhorrebant, ex multo tempore petere à Turcis, ac non dare ipſis pacem ſoliti:& nihildũ conſentaneum promiſſis de claſſibus & naualibus ſocijs Venetis ac Genuenſibus afferebatur.Segedinum igitur profectus rex, non intermiſſo tamen apparatu belli, quo facilius hoſtem in ſuas

Segedinum.

conditiones perduceret, oratores Amurathis ampla dona afferētes in augusto Vngarorum & Polonorum consessu audiuit: pacemque petentibus, sine adeò inducias decem annorum dedit his legibus, vt Amurathes Golubeciā, Synderouiā siue Smiderouiā, Zarnouiam, Crussoueciam, Couinum, Seuerinum, Nouobardum, Srebernicum, Ostrouiciam, Surinū, Cosnicum, Coperhanum, Procopiam, Lascoueciam, Zelenigradum arces, totamque Rasciam, & eam partem Albaniæ, quæ in ditione Despotæ Rasciæ fuisset, ac duos filios Despotæ captiuos redderet: ad eaque implenda pauci dies cōstituti. Interim allatæ sunt literæ à Frācisco cardinali Veneto præfecto classis pontificiæ, & aliarum sociarum classium præfectis, itemque ab Imperatore Constantinopolitano, quibus nunciabatur, Amurathem omnes ferè copias suas in Asiam ad Carmanicum bellum traduxisse: mareque socijs classibus teneri. Maturaret rex expeditionē: neq; occasionem tam cōmodam, tamque luculentam Græciæ liberandæ, & Europæ vindicādæ elabi sibi è manibus fineret. Pollicebantur autem ij, se præstaturos esse, ne Turcæ in Europam rursus traijcerēt. Palæologus autem terrestres etiam copias & societatē belli polliceri. His permotus Iulianus cardinalis, qui pacem frustra dudum dissuaserat, tunc verò ad omissum bellum summa cura atque diligentia regem incitare: belli præmia longè ampliora quàm pacis in immensum attollere: necessitate expressam pacem, quę diuturna futura non esset, eleuare, ac temporis causa simulatā dicere. Argumento esse, quòd lapso iam tempore, tamen promissa à barbaris non implerentur. Quòd si maximè nulla per eos mora in tradēdo fieret, priora tamen cum Pontifice, duce Burgūdionum, Venetis & Genuensibus fœdera, & societate pij belli initam magis valere oportere. Quòd si qua religione rex teneretur ne iusiurandum barbaris datum violaret, illo se eum metu Pontificis maximi authoritate prorsus liberare. Hæc identidem agendo & inculcādo, tandem perpulit iuuenem, vt nouo sacramēto se cum proceribus ad prosequendum bellum Turcicum obstringeret, cedente de priore sententia etiā Huniade, Bulgarici regni promissione illecto. Non placebat hoc regis de violandis pactis consilium Polonis proceribus, qui absque eo quoq; regem illo bello tunc implicari molestè ferebāt, & pacis nuncio dudū exhilarati erant. Itaque cùm primùm hæc accepērūt comitia Petricouiæ instituunt: ad vicesimam quintam diem Iulij, legationem ad regem decernunt. Sed eos ille anteuertit, misso ad conuentum Ioanne Cruscinio custode Cracouiensi, qui indicaret, regi omninò cōstitutum esse Turcicum bellum persequi, iuberetq; Polonos auxilio esse Boleslao Masouio aduersus Lituanos & Cazimirum, si bellū id æquis conditionibus dirimere non possent. Iā enim Cazimirus ad Drohicinum castra posuerat. Habebat & Boleslaus exercitū genere militum hostili nō imparem: in quo multi de Polonica nobilitate voluntarij militabant. Nec Michael Sigismūdi ducis filius & Boleslai gener aberat, qui non parum momenti rebus soceri allaturus esse videbatur, propterea quòd complures de Lituanico exercitu cum eo clàm sentire, commissoque prælio transituri esse ad eum dicebantur. Nec tamen Nicolaus Pouala succamerarius Sendomiriensis, & magister militiæ Masouiticę fortunam pręlij absente Boleslao experiri volebat. Intererat enim Boleslaus comitijs. Atque ibi eo petente, è sententia regis decretum est, vt Lencicienses, Cuiauij, ac Dobrinenses arma pro eo sumerent. Præmissi tamen ad Cazimirum Vincētius archiepiscopus Gnesnensis, & Ioannes Olessnicius palatinus Sendomiriensis, cùm pacē nequirent, inducias & controuersiæ totius reiectionem in aduentum regis confecerunt. Sed mox ipsis inter se ducibus de re tota ita conuenit, vt Boleslaus Cazimiro omnem illam cōtrouersam ditionem, excepto Vęgrouiensi territorio, concederet, ac duodecim millia florenorum Pragēsium ab eo acciperet. Nec ad amussim tamen Cazimirus ea pacta seruauit. Mox enim & Vengrouiēse territorium Boleslao eripuit. Legati verò, qui ad regē designati erāt, vbi de Gruscinio cognitum est, regem iam iter ingredi, reuocati sunt. Missæ tamen publicè ad eum illa ipsa de re literæ per veredariū. At ille post medium Septembris Segedino castra mouit non satis alacer, nec spe optima, propterea quòd violari à se fœdera & iurisiurādi religionem non cogitare non poterat. Iā enim Turcæ & filios Despotæ, & munitiones promissas reddiderant: & animaduertebat, quàm longè minores copias, q̄ pro magnitudine belli, & quàm superiore expeditione duxisset, duceret. Multi enim cùm ex Vngaris, tum ex alijs Christiani orbis nationibus nō occurrebāt, pacis conuētione decepti. Ad hæc

Induciæ decem annorū grauibus cōditionibus Amurathi concessæ.

Munitiones Rasciæ & Albaniæ.

Absolutio à iuramento.

Poloni non probant consilium regis de violandis pactis.

Comitia Petricouiæ.

Mandata regis ad Polonos.

Bellū inter Lituanos & Masouios.

Decretum de iuuandis Masouijs cōtra Lituanos.

Transactio.

Cazimirus Vengrouiam Masouijs eripuit.

Expeditio Vladislaī contra Turcas.

Exercitus Vladislaī exiguus.

hæc de Polonis, qui circum regem fuerant, multi, quod eorum spei liberalitas regis minus respõdebat, commeatu accepto discesserunt. Cuius rei inuidiam Nicolaus Lasocius, qui fiscũ regis administrabat, sustinuit. Directo autem in Bulgariam itinere, tertia die Nouẽbris rex cum omni exercitu apud Orsauam Danubiũ traiecit. Erat consiliũ eius, vt Callipolim ad oram Hellesponti sitam, vbi erat statio classis Italicę, rectà duceret, & ibi se cum maritimis copijs cõiungeret. Atq; eò, si cõpendioso maximè itinere peruenire vellet, per fines Macedoniæ & Adrianopolim proficisci eum necesse erat. Quoniam autem iter illud difficilimum, quemadmodum superius cõmemorauimus, per montes transitum habet, nec muniri paucitas exercitus proficiscentis obiectu curruum inter angustias poterat, per Bulgariam planiori & flexo in læuam itinere ad põtum Euxinum exercitus iter habuit. Ad Nicopolim, quę metropolis Bulgariæ est, vicesimosexto die cùm peruenisset, venit ad regem Vuladus, qui & Dracula, palatinus Transalpinæ Valachiæ veniam petens, quòd necessarium cum Turcis fœdus superiori tẽpore icisset. Visaq; paucitate exercitus regij, in quo vix quindecim millia equitum, pedites verò longè pauciores, & ij ferè cruce signati erant, cùm reditum regi persuadere nequaquam posset, quatuor millibus suorum hominum duce filio exercitum eius auxit: ipse verò domum reuertens, duos equos pernicissimos, duosque iuuenes viarum peritos in aduersum belli euentum ei dedit. Vbi ad fines Thraciæ, multorum clarissimorum & admirabilium signorum atq; monumẽtorum, à vetustis Imperatoribus positorum (quæ barbari demoliti erant) vestigijs etiam tum visendæ, peruentũ est, proposuit rex edictum, vt milites à Christianorum templis manus abstinerent: itemq; vt Turcę liberè & securè saluis rebus suis, munitionum præsidijs decederent: eiusq; edicti exẽpla per Turcas captiuos quoquo versus dimisit. Hinc deditæ nonnullæ munitiões: Petressum verò & Sumenũ, quæ Pezechium & Sunium vocat Bonfinius, cùm nõ dederentur, vna die summa vi expugnatæ sunt. Vbi præclarum in primis eximiæ virtutis specimen duo Poloni equites Ioannes Tarnouius, & Lescus Bobricius, vel Vngaricorum annalium testimonio, edidêre, dum alter Sumeni portas duobus vulneribus acceptis refregit, alter Petrẽssi murum primus ascẽdit. Interim Amurathem cum quadraginta, vel vt Bernardus Vapouius scribit, centum, siue, vt Paulus Iouius, octoginta millibus Turcarum infra Callipolim paruis nauibus ex Asia traiecisse allatũ est, siue conniuentibus Venetis & Genuẽsibus mercede corruptis, siue cùm commeatus comparandi causa è custodia decessissent. Nec tamẽ hic nuncius regem ab incœpto deterruit. Decima die Nouembris, cùm nostri ad Varnam, quam Dionysiopolim dixêre veteres, oppidum mox clade sua nobile futurum, quod iam in deditionem receperant, castra haberent, post ortum solem hostes adesse ab exploratoribus nũciatum est. Laborare ex apostemate pedis rex cœperat. Itaque Huniades militibus prælium poscentibus, ita acies instruxit. Sub ipsis radicibus mõtium, qui ad Varnam terminãtur, lacus sinui maris continens vallem mille passuum spacio latam in medio inter se & mõtes relinquit. In ea igitur valle arcuatam Huniades aciem direxit: ac dextrum quidẽ cornu montibus continens Despotę, Trãsalpinis, Iuliano legato, Varadiensi & Agriensi episcopis, & Frãcobano, adiuncto ijs Bobricio cum paucis Polonis attribuit: sinistrum ipse sibi desumpsit: regem media acie cum cæteris Polonis & Vngaris aulicis collocauit: currus, quę magno pugnantibus munimento ab lateribus & à tergo solent esse, in extremo cum imbelli multitudine, relicti sunt, propterea quòd intra eos multorum ignauia facilè latêre diceretur. Ita instructa acie ad duo millia passuum hostibus obuiam itum est: deinde signis defixis (quæ tamẽ subita tẽpestas in tranquillo coorta concerpsit) ad tres horas hostes expectati. Apparuerunt ij pòst, ab extremis collibus in dextrum cornu nostrorum inuehentes: nec eorum impetum nostri ab ea parte, equis insuetum camelorum aspectum & odorem non ferentibus, Trãsalpinis, Iuliano legato, ... illicò dissipatis, sustinuerunt: fusi fugatique per montosa versus Galatam ad decem ferè millia passuum. Meliore fortuna à rege & Huniade ab alia parte collata signa, & ad quatuor millia passuum submoti nõ sine cæde barbari, instabili ferè genere pugnæ vtentes. Inde ad opem ferendam suis, qui reliqui in dextro cornu cum Iuliano & Francobano ægrè vim barbarorum sustinebant, rex reuertens, inde quoque hostes in fugam egit, ita vt ij dissipati Thraciam trepidatiõe implerent, quasi deletis iam omnibus suis copijs. At rex fuso fugatoque iam omni equitatu Turcico, in Ianizerorum pha-

Nicolai Lasocij tenacitas.
Consilium regis.
Nicopolis metropolis Bulgariæ.
Vuladus siue Dracula palatinus Transalpinensis.
Thraciæ veteramonumenta.
Edictum regium.
Petressum & Sumenũ arces expugnatæ.
Ioannes Tarnouius, Lescus, Bobricius.
Turcicus exercitus.
Varna.
Acies Christianorum.
Triste omẽ.
Conflictus apud Varnã.
Galata. Vuladulai virtus et audacia.

langem, in qua Amurathes ipse erat, & in quam se Bassa siue dux Asiaticus, ex fuga recipiebat, temerè cũ paucis, ijsq; Polonis maximè, inuectus, cùm ab Hunia de siue persequente adhuc hostem fuga tum (vt Vngari & Turcæ ipsi) siue fugiente cum dimidia parte exercit⁹ (vt nostri prodidêre) nequicquam reuocaretur, pedem referre turpe, & se generéq; suo indignum esse duxit: neganti eius esse, qui bellum inferret, fugere. Itaque cùm magnam inter confertos hostes pugnãs stragem faceret, atque Asiaticum Bassam, quemadmodum Bonfinius memorat, interfecisset, ad extremum sub vesperum iam equo ab Ianizeris confosso perijt, princeps longiore vita & immortali gloria dignissimus. Aliquãto aliter Callimachus hoc prælium enarrat. Ac de instructa quidem acie regia non dissentit ferè ab ijs quæ nos memorauim⁹, nisi quod Huniadem cum Valachis Trãsalpinis nullum sibi certum locum sumpsisse scribit, intentum ad subueniendum, sicubi suos laborare conspexisset. Cæterum in conflictu eos qui in dextro cornu erant Vngaros densò sagittarum imbre à Turcis eminus lacessitos, subijsse temerè non seruatis ordinibus in aduersos colles: indeque, aucta hostiũ multitudine, depulsos in vallem, cùm aliquandiu dimicassent, tandem dissipatos esse: & episcopos quidem fugiẽtes perijsse, legatum verò cum Despote & Frãcobano ad munitionem curruum sese recepisse, ibique ancipiti pugna aliquandiu dimicatum esse, donec Lescus Bobricius, qui audendo hortandoque, vim hostium potissimum sustinuerat, multis vulneribus confossus cecidit. Ibi verò cedentibus iam Vngaris, in castra impetum factum esse à Turcis. Id animaduertẽtem regem cum Hunia de accurrisse, hostemque ferocẽ ad duo millia passuum submouisse. Reuersos deinde diuersis locis pugnam suorum restituisse, & omnem barbarorum equitatum in fugam egisse. Inde nostros ad prædam versos, fortè in camelos onerarios incidisse: eorum aspectum & odorẽ insuetum equos non tulisse, necregi aut retineri à sessoribus potuisse. Regem interim cum paucis equitibus ad Ianizerorum aciem peruenisse. Ibi cruentum fuisse prælium. Et iam Turcæ penitus ad fugam spectabant, cùm nostros partim camelorum occursu, partim falsa inter fecti regis fama perturbatos conspexẽre: ibi verò cohortati sese mutuò Ianizeri instaurant præliũ. Huniades verò visa suorum perturbatione & fuga, regem nequicq̃ inter confertissimos hostes pugnam cientem reuocare conat⁹ est. Ad extremum is excussus ab equo saucio, Ianizerorum telis obrut⁹ est. Huniades cùm regis occisi cadauer recuperare nõ posset, omnibus diffugientibus, ipse quoque cum paucis Valachis meliori se fortunæ seruauit. Ita ferè, quamuis plurib⁹ verbis Callimachus. Nec barbari equitatu destituti persequi fugientes Vngaros atque Transalpinos, ac ne currus quidẽ & castra vsque ad tertium diem inuadere ausi sunt. Nox enim pugnãtes adhuc opprimens, incertam eis fecerat victoriam: & insidias autem timebant. Tertio demum die castra, immaniter trucidatis ægrotis & saucijs, direpta. Iulianus cardinalis fugiens, à Transalpino nauiculario, cùm per Danubium veheretur, ꝓpter aurum quod secum ferebat, occisus, & in profluentem nudus deiectus perijt. Callimachus in valle quadam à latronibus spoliatum, & à Gregorio Sanocio prætercurrente conspectum, & cum exprobratione ꝑfidiæ increpitum, perijsse scribit. De Polonis duo tantùm ex eo prælio euasẽre, Ioannes Ressouius, q̃ postea Cracouiẽsis episcopus, & Gregorius Sanocius, cui⁹ modò meminimus, qui Leopoliẽsis archiepiscopus fuit. Cecidere autem insignes maximè duo fratres Tarnouij Maior & Gratus, & Martinus atque Stanislaus Zauissij Nigri filij. De omni exercitu, qui viginti millia pugnatorum nõ excessisse existimatur, vix quintam partem eo prælio desideratam esse, & tamen vix tertiam euasisse, multo pluribus in cœno ac longa fuga absumptis: Turcarum autem ad octoginta millia, vt vult Dlugossus noster: secundum Bonfinium autem supra triginta millia (cùm fuissent sexaginta) periere. De captiuis Polonis Paulus Grabouius, qui Chelmensis episcopus; Albertus Zichlinius, qui procancellarius regni, Ioannes Vantropca Strelcius, qui canonicus Cracouiensis, & præpositus apud S. Michaelis, Andreas Sennenius, Ioannes Borouinius, Martinus Choranzicius, & Petrus Lathossinius postea mirabiliter euaserunt. Duodecim verò alij ingenui adolescentes Poloni Adrianopoli, cùm ab Amurathe ex omni captiuorum numero propter eximiam formam secreti, & in cubiculum tyrãni deducti essent, in necem eius coniurarunt: peregissentque facinus prẽclarũ, & omnibus seculis memorabile, nisi in ipso articulo à Bulgaro, quem vnum socium consilij adhibuerant, proditi essent. Atque

Bassa Asiaticus à rege interfectus.

Vuladislai regis interitus.

Turcarũ timor post victoriam.

Iuliani cardinalis mors

Polonorũ strages.

Exercitus viriusq; magnitudo, ac desideratorũ numerus.

Polonorum captiuorum eximia virtus.

que ij tamen, vbi rem palam esse cognouerunt, ne tyranni siue libidini, siue crudelitati essent obnoxij, obditis ostio pessulis armati inter se concurrerunt, & mutuis vulneribus fortiter conciderunt. Accidit autem clades hæc anno à Christo nato millesimo quadringentesimo quadragesimoquarto, Regni verò Vuladislai in Polonia quidem vndecimo, in Vngaria verò quinto, cùm is vicesimum ætatis suæ annum vixdum egressus esset. Fuit autem Vuladislaus hic procera statura, facie fusca, sed honesta, ac dignitatis plena, capillis nigris, laboris & inediæ patientissimus, abstemius, iustitiæ & religionis cultor eximius: probitate, comitate & clementia etiã in hostes singulari, liberalitate propemodum nimia, animi verò magnitudine tanta, vt nihil humile cogitaret, nulla difficultate ab eo, quod consultò instituerat, auelli se pateretur. Denique summa in eo fuerunt omnia, quę maximos & optimos principes decent: Poloniæ quidẽ, totus in Turcicum bellum intentus, minorem quàm debuit curam gessit, eiusque regni non modò ærariũ in alienam rem exhausit, verùm etiã reditus profusis largitionibus extenuauit. Sed ne ob hæc minus grata esset apud Polonos eius memoria, consequẽtia tempora effecerunt.

1444. ann.

Vuladislai regis effigies, mores & studia.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER SECVNDVS ET VICESIMVS.

INTERREGNVM.

POSTEAQVAM in Poloniam de clade regia incerto primùm rumore, deinde & sermonibus eorum qui fuga euaserant, percrebuit, ingens mœror atq; luctus mentes omnium peruasit. De rege ipso, viueretne, an perijsset, certũ sciri non poterat. Non deerant tamen in Vngaria, qui euasisse eum, & vel Constantinopolim, vel Venetias, vel in Moldauiam, vel in Transalpinã peruenisse affirmarent: nonnulli etiam in Rascia siue in Albania cum exercitu incolumem esse dictitabant. Et quanquam varietas suspecta esse poterat, credebatur tamen id quod maximè optabatur, donec residere sensim & languescere ea fama cœpit. Tunc verò missi publicè in Thraciam, Græciam & Bulgariam Ioannes Ressouius & Aegidius Suchodolius perquisitum regem, nihil tamen explorati retulêre. Dum autem hæc ita fiunt, Poloni proceres inducias annuas cum Bernardo & Boleslao ducibus Oppoliensium publicè pacti sunt Glogouiæ: quæ argumento sunt, orto à latrocinijs & iniurijs mutuis initio, ne ab armis quidem temperatum esse. Conuenit autem, vt captiui vtrinque data cautione dimitterentur: Polonis cum aliquo alio bellum gerentibus, vt liceret ex Oppoliensi agro commeatum petere: Duces verò illi ne cui aduersus eos opem ferrent, neue suos homines ferre paterentur, ac ne transitum quidẽ præberent per ditionem suam latrunculis & hostibus Polonorum: Si quid iniuriæ damniúe datum esset alteris ab alteris, de eo bini vtrinque arbitri certis locis conuenirent ac deciderent. De vniuersa autem controuersia, vt Vuladislai regis, si is reuersꝰ esset, arbitrio staretur, si cum Polonis proceribus duces rem nõ composuissent. Promittebant enim ob id venturos se esse in Poloniam. Cũ Vuratislauiensibus quoq; ciuibus & Namyslouiensibus & Nouoforensibus tertio post anno decennes induciæ factæ iisdem ferè cõditionibus. Porrò Opauiensium, Ratiboriensiũ, Cessinensiũ, Osuencimensiũ & Toscensiũ duces eo ipso anno Cracouiam cùm venissent, pacem & cõcordiam cum regibus & regno Polonorũ redintegrarunt. Vnde satis euidẽs est, non leues offensas tunc Polonis cũ vniuersa Silesia intercessisse ex quo tempore rex Vngaricis negocijs, & Turcico bello distentus erat. Quæ tamen magna ex parte sopitæ sunt, incerto adhuc rumore de morte eius. Cæterùm vbi cognitum est, Vngaros alium sibi regẽ, Ladislaum posthumum Alberti Cæsaris filium nondum quinquennem, creasse, Poloni quoque ad xxiij. diem Aprilis insequentis anni post amissum regem, Siradiæ comitia perquam frequẽtia de rege creãdo habuêre: Atq; ibi in Sbignei cardinalis sententiam, quamuis aduersantibus nonnullis, qui expectãdum adhuc censebant, decretum factum est, vt Cazi-

Rumor incertus de rege.

Silesiorum cum Polonis offensæ mutuæ compositæ.

Ladislaum puer ab Vngaris rex creatus.

Comitia Siradiæ de nouo rege creando.

Cazimirus à Polonis rex creatur. Cazimiro Vuladislai fratri regnum mādaretur. Facilimè & æquo animo fratrē fratri cessurum, si is vel post aliquot annos reuerteret. Missi legati, quos episcopi ediderunt, ad Cazimirum in Lituaniam, qui eū, re tota suspensa, ad alia comitia, quæ Petricouiam ad xxiiij. diem *Comitia Petricouiæ.* mensis Augusti indicebantur, euocarēt ad consultandum in commune, & constituendum de Republica Polona rege orba. Et Polonorū quidem legatos ille absque certo respōso dimisit: suos verò *Cazimiri legatio ad Polonos.* ad conuentum Petricouiensem cū his mandatis misit: Debilitatum se ægritudine ex aduerso casu fratris, venire eò non posse, & inopem esse consilij: prçter quod immatura sibi ea de surrogando rege consultatio videretur. Se quidem, dum adhuc incerta essent omnia, neque regnum, neque administrationem vllam suscepturum esse. Videri autem sibi, vt ij deinceps quoque summæ rei præessent, quos Vuladislaus in Vngariam discedēs, vicarios & gubernatores reliquisset. Non acquieuit in eo responso conuentus. Itaque placuit, vt octo *Polonorum legatio ad Cazimirum.* principes senatus ad Cazimirum proficiscerentur, ac disertè ad regnum suscipiendum eum vocarent. Si renueret, aut cunctaretur, alium sibi quæsituros esse. Neque enim tutum sibi esse, neque consultum reipublicæ, diutius principe carere. Perstabat in sentētia Cazimirus, siue quod de fratris vita nō desperabat, siue quod Lituani proceres ægrè eum à *Lituanorum consilium de retinēdo Cazimiro.* se dimittebant, lenis, ne dicam lenti imperij dulcedine degustata, ac veriti, ne absente eo Michael Sigismūdi filius dominatum arriperet, interfectique patris pœnas à se expeteret: aut si cui alij principatus à Cazimiro mandatus esset, ne is profusas ipsius donationes in se retractaret. Adhæc Luscum & Podoliam in suā ditionem redigere cupiebant. Id autem, si regnū susciperet Cazimirus, cōmodè fieri non posse iudicabant. Nec tamen Cazimirus regnum penitus repudiabat. Vbi per Lituanos stare, quo minus Cazimirus tunc regnum delatum acciperet, animaduersum est, actum est cum eis diligenter: sed nihil impetratum. Itaq; discedebāt re infecta legati, testati sese Polonumq; nomen omne functum esse officio suo, quod paternum fraternumq; regnum Cazimiro detulissent: deinceps *Reginæ studium in euehendo ad regnum filio.* aliter sibi prospecturos esse. Regina Cazimiri mater, quæ ea de re in Lituaniā legatos antecesserat, filium, vt saniore consilio vteretur, nequicquam obsecrabat. Quem vbi obstinatum vidit, à legatis impetrauit, vt referre illi de re tanta ad Lituanorum & Russorum conuentum liceret. Ad octauum Idus Ianuarij sequentis anni, qui fuit post Christū natum 1446. eum certum responsum Po- *1446. ann.* lonis daturū esse. Ita dimissi legati. Vbi tempus id aduenit, frequensq; nobilitas *Comitia Petricouiæ.* cum proceribus Petricouiam conuenit, venēre sex legati à Cazimiro & Litua- *Cazimiri legatio ad Polonos.* nis, differri adhuc rem postulātes. Quod ni fieret, bellum cōminantes, propterea quod Cazimirus armis ius suum persecuturus esset: quem tamen dicebant in principatu Lituanorum acquiescētem, regnū non appetere. Irritati hoc respōso Poloni, alium regē creare sibi statuunt. Sed cùm ad rem ventum est, pœnitentia nonnullorū mentes subijt, metuentium ne graues inde motus existerēt. Veniebat enim in mentem, Cruciferos, orto inter Polonos & Lituanos dissidio, minimè defuturos esse occasioni vexandæ & infestandæ Poloniæ. Quare placuit rursus rem in tertium mensem differre, & interim adhuc Cazimiri animum pertentare. Missi ad id Prædiborius Conespolius Sendomiriensis, & Sciborius Sarleius Sciboricius Inouuladislauiensis castellani, qui authores comperendinandi in senatu fuerant, nihilo æquius responsum retulerunt. Itaque *Comitia Petricouiæ.* ad vicesimam octauam diem Martij cū frequens senatus Petricouiam conuenisset, cunctusque, quo religiosius reipublicæ consuleret, sacris Christi Iesu mysterijs procuratus esset, inita de rege creando suffragia, ea tamen cōditione, vt Cazimiro etiam tunc acceptandi regni locus relinqueretur. Persuadebant enim sibi complures, mutaturum eum esse sententiam, vbi intelligeret, alium regem creatum esse. Et episcoporū qui- *Suffragia de nouo rege.* dem sententiæ ferè in Fridericum marchionem Brandeburgensem, qui iam antè gener & successor Iagelloni regi destinatus fuerat, inclinabant: præter Paulum Gizicium Plocensem episcopum, qui ad alterutrum de ducibus Masouiorum Vuladislaum vel Boleslaum regnum deferebat: hunc secuti Ioannes Cizouius castellanus, Ioānes Tencinius palatinus Cracouiēsis, Lucas Gorcanus palatinus Posnaniensis, & maior pars senatus, & pleraque omnis nobilitas, Boleslaum regem edebant. Itaq; in hanc sententiam senatusconsultum factum, *Boleslaus Masouius rex à Polonis creatus.* & Boleslaus à Vincentio archiepiscopo Gnesnensi rex renunciatus: designatiq; quinque de primoribus oratores ad eū, si Cazimirus antè Pentecosten mutatæ voluntatis significationem nullam daret. Ibi Cazimirum, cùm de ijs quę Petricouiæ

Cazimirum pœnitet non suscepti regni.

couiæ acta erant, celeriter certior factus esset, pœnitere vehementer consilij sui cœpit: nec modò speratum regnũ se amisisse dolebat, verùm etiã de principatu Lituanorũ, ac de vita deniq; in periculũ se venturum esse propediẽ augurabatur. Non ignorabat, impigrũ esse Boleslaũ, & sibi merito suo inimicum: Michaëlẽ verò hostẽ itidẽ suum, generũ eius esse: in eumq; rursus Lituanorũ & Samagitarum studia inclinata esse, alienatis à se animis, quod molestè ferrent, Gastoudi arbitratu sibi impari: & meminerat aliquoties iã insidias à cõiuratis capiti suo & ferro & veneno comparatas esse, etiã ab ijs quos charissimos & intimos habuerat: in quibus Suesta quispiam Russus fuit: quem tantopere dilexit Cazimirus, vt in eodem cum eo lecto cubaret. Cogitabat ergo, si secundis rebus suis septies tamen petitus, ægrè insidias depulisset, quid futurum esset aduersis? Itaq; consultores suos, & ipsos per se peccatum suum agnoscentes, reprehẽdebat: & ad matrem secretò misit, petens, vt erratum suum, si quo modo posset, corrigeret. Nec segniter ea proceres atque nobilitatem pro filio prehensauit, multa largiendo, plura pollicendo. Nec difficulter minores Polonos induxit, vt cõuentum apud Belzice agerent, indeque Petrum Curouium castellanum Sandecensem ad Cazimirum mitterent. Is vbi cupere eum iam regnum renunciauit, regem eum nobilitas, quæ frequẽs Crocouiam conuenerat, renunciabat, reclamante Spigneo, & nõnullis alijs proceribus, qui leuitatem multitudinis reprehendebãt, quòd nulla propria Cazimiri legatione expectata, soli sine cæteris Polonis de re tanta statuerent. Itaque reiecta res ad maiores Polonos: ad quos Ioannes Pilecius legationẽ sibi desumpsit. At illi Coli conuentu acto, in Cazimirum ipsi quoq; rursus animos inclinãt, & abrogata Boleslai electione, legationem nouam ad Cazimirum decernunt, vt ad penultimã diem Septembris Parsouiæ, siue vsquam alibi in finibus Lituaniæ inter Breste & Parsouiam conuentum secum ageret. Deinde & minores Poloni ad XVIII. Calen. Septembris Corcini conuentum rursus egerunt, & Colense decretum approbarunt. Erant enim complures de proceribus atq; nobilitate, qui amplas patris, fratrisq; Cazimiri profusa liberalitate possessiones nacti, verebantur, ne Boleslaus regnum „ adeptus irritas eas faceret. Et fit ferè, vt „ priuatæ res publicis præferantur. Conueniunt ergo frequentes proceres ad

Gastoudi potentia & auctoritas.

Suesta Cazimiro charissimus.

Cazimirus Lituanorum & Russorũ insidijs petitus.

Minorũ Polonorum studia in Cazimirum.

Sbignei grave consilium.

Legatio Polonorum ad regem.

constitutam diem Parsouiam. Cazimirus verò diu frustra expectatus, & admonitus vt veniret, negauit vllam se significationem, voluntatis suæ de suscipiendo regno, aut de conuentu pariter instituendo dedisse Petro Curouio: sed matris & quorũdam Polonorum procerum sibi amicorum precibus adductum se Breste venisse. Si quid secũ Poloni agere vellent, illuc ad se venirent. Nimia tunc erat nostrorum hominum patientia, & misera propemodum conditio, qui barbaricum fastum & ludificationem tam æquis animis ferrent. Et tamen miserunt ij sex de primoribus ad eũ Breste. Nam vniuersos proficisci nõ placuit, ne qua vi ad iniqua pacta adigerentur. Dicebatur enim Cazimirus non exiguã Lituanorum atq; etiam Tattarorum manum secum habere. Eam verò conditionem ille legatis tulit: Nõ aliter se suscepturum regnum, nisi Podolia, Luscum & Olescum Lituanis redderentur. Quam cùm nostri non acciperent, & re infecta recedere pararent, insusurrarunt nõnulli de nostris Cazimiro, in manu ei fore suscepto regno, vt p se ipse faceret ea, q̃ tunc aliunde postularet. Ita patrẽ ei⁹ Melstinio, ita Suitrigelloni, ita Vitoudo deniq; eas ipsas ditiões cõcessisse. Placuit Cazimiro cõsilium. Sic tãdem Polonorũ desiderijs assensus est, & ad 8. demum Calend. Iulij sequentis anni in Poloniã ad suscipiẽdum regnũ venturũ se esse recepit. Mox autẽ, quemadmodũ Dlugossus memorat, Lomazos & Polubice à pfectura Parsouiensi & à Polonia abstraxit, & adiunxit Lituaniæ. Nõ multò pòst Nicolaus & Vencesslaus Ratiboriẽsiũ, & Boleslaus Cessinẽsium duces aduenientes Cracouiã, pacẽ cum Polonis reddita Sbigneo episcopo Cracouiensi Seueria, fecerunt. Per eadẽ tempora Ioãnes Huniades in Vngaria magnas rès gessit. Nõ multò enim post Varnensem cladem, cùm à Transalpinensi palatino Dracula, à quo ex aduerso prælio fugiens captus erat, dimissus esset, coacta valida armatorum manu Turcas Rasciam infestantes ad Sauum fluuium nocturno prælio profligauit: mox Vlricum Ciliæ comitem, Croatiæ & Slauoniæ finitimæ, vt in interregno, imminentem, peruastata ditione eius ad deditionem cõpulit. Inde cùm ad comitia Vngarorum, quibus rex creatus est Ladislaus puer, venisset, omnium consensu prorex siue gubernator factus Transalpinensem Valachiã cum infesto exercitu ingressus est: vastatisq; agris Draculam cum vno filio cepit & inter-

Cazimiri tergiuersatio.

Legatio ad Cazimirum.

Cazimirus conditiones fert Polonis.

Improbum consilium.

Cazimirus suscipit regnum.

Pax cũ Ratiboriensi & Cessinensi ducibus.

Transalpina Valachia ab Huniade vastata.

interfecit, alterum vita & libertate donauit: regem à Friderico Cæsare, vbi educabatur, bello repetijt: & Austriam, Styriam, Carinthiamque vexauit: nec tamen peruicit, vt Ladislaus Vngaris redderetur. Ac ne Boemis quidem flagitantibus is missus est. Itaque ibi Georgij Podiebradij nutu & arbitrio cuncta gerebantur. Ita simili quodam fato tria hæc regna tunc, vt aliâs nonnunquam, erãt. Sed nos iam Cazimiri regnum ordiamur.

Georgius Podiebradius gubernator Boemiæ.

CAZIMIRVS TERTIVS REX.

1447. ann.

IGitur anno Christi 1447. Cazimirus insigni Lituanorũ & Russorũ comitatu stipatus, vicesimaquinta die Iunij, quemadmodum cõuenerat, venit Cracouiam: insequenti die ritu solenni coronatus est: tertia de more castellano Cracouiensi coronam, Palatino sceptrum, Posnaniẽsi verò palatino pomũ, & Sendomiriensi gladium præferentibus in forum vrbis ad recipiendum ab oppidanis iusiurandum descendit. Ibi priusquã præparatum sibi solium ascenderet, controuersia inter episcopos ac duces Masouiorũ Vuladislaum & Boleslaum (nam Cazimirus anno superiori obierat) de loco, vtri dextrum regis latus tenerent, orta, reuerti regem in arcem re infecta coegit. Cessêre tamen postea duces episcopis. Accidit autem res ominosa inter solẽnes ceremonias. Nam cùm de pagis aliquot Tinecensi monasterio subiectis pecudes pigneratæ ob negatam regi nouo inusitatã procurationem siue stationem essent, mulieres rusticanæ pecudes suas secutæ, eiulatibus & lamentis non sine molestia & fremitu omnium templum impleuerunt. Monasterium quoque Mogilense, quo die Cazimirus Poloniæ fines attigit, totum fortuito incendio conflagrarat. Consultatum deinde est, vtrum de duobus rex Pontificem Max. agnosceret: Felicémne, à quo oratores ea de re aderãt: an Nicolaum quintum, qui Eugenio mortuo, dudum à collegio Cardinalium suffectus erat, & literas ad regem miserat. Hunc agnoscere placuit: missique ad eum legati Vissota Gorcanus, præpositus Posnaniensis, & Petrus Samotulius castellanus Calissiensis, regis obsequium ei detulerunt, impetraruntque decem millia florenorum in subsidium contra Tattaros: quæ ordini ecclesiastico in Polonia imperata sunt: itemque facultatem conferendi nonaginta sacerdotia, quæcunque in prouincia Gnesnensi vacatura essent, & ad ius summi Pontificis pertinerent. Petierãt autem ij regio nomine decimam decimæ, & ius omnium sacerdotiorum in tota Polonia conferẽdorum, & pensionem siue denarium S. Petri. Sed ea negata sunt. Nec multo pòst Felix certis cum Nicolao pactis interuenientibus pontificatu se abdicauit, & concilium Basileẽse solutũ est. Peractis ritè noui regni ceremonijs, dimissisque, & extra portã honoris causa deductis Lituanis proceribus, rex Cazimirus in maiorem Poloniam comitante matre profectus est: & cùm esset Calissiæ, venit ad eũ Michael Sigismundi Lituanorũ ducis filius: supplexque & prostratus ad pedes eius, red di sibi paternã hæreditatem petiuit: nihil tamen æqui impetrauit. Posnaniam vbi rex aduenit, tota vrbs fortuito incẽdio conflagrauit. Quam calamitatem infelicium ciuium rapacitas regij comitatus auxit. Sed rex in fontes supplicio capitis animaduertit. Lublinum quoq;, Znena, Siradia, Bochna, & Xianzũ oppida eodem anno arserũt. Comitia deinde Petricouiæ ad diem diui Bartholomæi memoriæ sacrum habita: in quibus leges quasdam rex de amplissimi consilij sententia condidit: pacem & pacta conuenta Vuladislai fratris cum Cruciferis approbauit: missisque ad eos vicissim legatis, iusiurandum secundum ea ipsa pacta ab eis exegit. Rogatus autẽ à proceribus, ne quid eorum, quę in Polonorum ditione essent aut fuissent, Lituanis concederet. Proficiscẽs in Lituaniam, vt graues & prudentes viros de Polonico senatu secum duceret: Theodorico Buciacio præfecto Podoliæ, qui arces quasdã à Lituanis interceptas recuperarat, vt veniam daret: omnia de Lituanorum, quos secum habebat, consilio negauit, & properè in Lituaniam secessit. Quo quidem facto additi sunt animi improbis & sceleratis hominibus, vt furtis & latrocinijs non modò vias publicas, sed pagos etiã ac domos equestrium hominum, & oppida infestarẽt, rege interim in Lituania venationibus assiduis vacante, & neutiquam curante res Polonicas. Itaque impunitate creuit licentia, adeò vt nostri quoque nõ pauci de nobilitate latrociniorum societatem cum Silesijs & Vngaris inirẽt, præfectis Regijs & senatoribus nonnullis si non fauentibus, certè conniuentibus. Multorum tunc mercatorum merces prope Grabouiam direptæ: multi item pagi in ora Veluneñsi direpti & incensi: Bendinum quoque oppidum dolo captum & exustum. Sequenti anno sub

Cazimirus rex coronatur.

Masouiorum ducum controuersia cũ episcopis de loco. Cazimiri Masouij obitus. Episcopi ducibus antepositi.

Mogilensis monasterij incendium.

Legatio Cazimiri ad Nicolaum Pont. Max.

Postulata regis à Pontifice.

Schisma sublatum.

Michaelis Lituani repulsa. Posnania arsit.

Oppida exusta.

Comitia Petricouiæ.

Postulata Polonorum à rege negata.

Theodoricus Buciacius.

Latrocinia.

Cazimirus Poloniam neglexit.

Grabouia oppid. Bendinum oppid.

1448. ann.

Comitia Lublini cū Lit. Lituanorum poſtulata.

ſub finem Maij comitia cum Lituanis apud Lublinum habita ſunt. Poſtularunt Lituani, vt ſibi æquo iure fœdera cum Polonis eſſent, vtque caput illud, quo Lituania Poloniæ Vuladiſlai Iagellonis diplomate adiungitur & inſeritur, de fœdere tolleretur: itemq́; vt Podolia, Oleſcum, Vetli, Lopatinum, & Grodlum territoria, quæ præter ius ſibi adempta eſſe aſſeuerabant, redderētur. Ad hæc vt commodè & placidè Poloni reſponderent, neque Lituanorum animos à ſe alienarent, rex petiuit. Re in conſultationem poſita, reſponſum eſt:

Polon. reſpōſum.

Commodiorem viam ad retinēdos Lituanorum animos non eſſe, quàm vt ij Ruſſiq́; omnes Polonorū regno atq; nomine, abrogato principatu ſuo, cēſeri ſe deinceps velint. Quod cū illi abnuerēt, tūc demū ad poſtulata eis reſpōſum eſt: primùm quod attineret ad fœdera, rectè ea à Vuladiſlao rege & Vitoudo cōſtituta ac deſcripta eſſe: nec eſſe quod querantur de iniquitate fœderum Lituani, quibus libertatem, nobilitatem, immunitates, & multa præterea præclara adepti eſſent. Non licere autem Polonis quicquam de ijs mutare, ne penitus ea labefacerent.

Podolia iure Polonici.

Podoliam à Cazimiro magno rege ſubmotis Tattaris quæſitā, & Camenecia, Chaceno (neſcio an Chocimo potius) Cecinis, ſiue Cieciuno, Bacota, Medibozo arcibus, & quibuſdam alijs caſtellis munitam, à Ludouico deinde poſſeſſam, ad Iagellonem quoque vnà cum regno perueniſſe. Ab eo primùm Melſtinio, deinde Suitrigelloni fratri, ad extremum Vitoudo ad temp⁹ precario conceſſam eſſe: morte autem Vitoudi ad ius Polonorum redijſſe, pro uidēte etiam ipſo Vitoudo paulo ante obitum, & ſacramento præfectos adigente, vt non niſi regi eam traderent. Idque ita factum eſſe.

Luſcum iure Polonici.

Nam de Oleſco, Vetlis, Lopatino, Luſco, & Grodlo, extare etiam apud ſe diploma Sigiſmundi magni ducis Lituanorum, teſtatum facientis, ea ad Poloniam pertinere. Super eſſe etiam inter ipſos, qui hæc ita ſe habere meminiſſent. Ita tunc reſponſum Lituanis, conuentuſque ſolutus eſt.

Legat pōtificius ad regē.

Venerat eò Baptiſta Camerinenſis epiſcopus legatus à Nicolao pontifice max. & auream roſam dono regi attulerat. Nullum autem honorem ei Cracouiam venienti Academiæ præſides habuêre, pro pterea quod affirmarent, non Nicolaū, ſed Felicem iuſtū eſſe pōtificem, quippe qui Eugenio ritè amoto à concilio Baſileenſi ſuffectus eſſet. Necdum enim de ceſſione Felicis increbuerat. Peractis ſolutis comitijs, Cracouiā rex adijt. Vbi paucos dies commoratus, cùm legatum pontificiū dimiſiſſet, & inducias cum Sileſiorum ducibus in vnum annū prorogaſſet, in Ruſſiam profectus eſt ad ſedandos motus Moldauicos.

Moldauici motus.

Stephano & Eliæ fratribus palatinis vita defunctis, huic quidem Romanus, illi verò Petrus filij in dominatu ſucceſſerant: ex his Petrus Ioannis Huniadis, qui Vngariā pro Ladiſlao rege gubernabat, ope fretus Romanum eiecit.

Huniades gubernator Vngariæ.

Erat autem Romanus cō ſobrinus Cazimiri regis. Eiectus in Podoliam profugit. Hunc ergo reducere Cazimirus, & res inter diſſidentes patrueles componere volebat. In itinere autē certior fit, Romanum veneno ſublatum eſſe: itaque accelerauit iter, Ruſſoſque Præmiſlienſes, Leopolienſes, Belſenſes, Chelmēſes, & Podolios arma ſumere, & ſe ſequi iuſſit. Sublato enim æmulo detrectabat Petrus iuſiurandum in verba regis, quod prius per legatos obtulerat. Leopoli cùm eſſet rex, venit ad eum matertera, Romani extincti mater cum ducētis equitibus Valachis. Ac equites quidem is, fide eorum commēdata, præſenti pecunia ſubleuauit: materteræ verò Colomeiam cōceſſit.

Colomeia palatinæ conceſſa.

Cameneciam deinde cùm veniſſet, ingenti Podoliorum lætitia & liberalitate exceptus eſt. Inde legatos ad Petrum palatinum miſit Petrum Odrouanzum palatinum Ruſſiæ, & Prædiborium Coneſpolium caſtellanū Sendomirienſem, & præfectum Præmiſlienſem, cum his mandatis, vt ille ad ſe veniret, atque in verba ſua iuraret: Michaëlē verò Sigiſmundi ducis filium profugum vt ſibi traderet.

Legatio Cazimiri regis ad palat. Valachiæ.

Nam is cùm inſidiari capiti ſuo regem intelligeret, è Lituania in Maſouiam ad ſocerum, inde in Pruſſiā: & cùm ne ibi quidem tutò eſſe poſſet, in Sileſiam, ad extremū in Valachiam profugerat. Et ad præſtandum quidem iuſiurādum venturum ſe eſſe Petrus, accepta à rege fide, recepit: Michaëlem verò qui ad ſe confugiſſet, vt proderet, neque ex fide ſua, neque ex dignitate regis fore reſpondit: ſed iuſſurum ſe, deinceps vt is finibus ſuis excederet. Itaque ad Tattaros is deinde profugit. Non expectauit autē rex Petrum: ſed miſſis ad eum quatuor legatis Chocimi promiſſum iuſiurandum abſens ab eo conſiliarijſque & nobilitate Moldauica accepit: quo diſertè illud cauebatur, irrita fore eſſeque fœdera, quæ Petrus & Valachi cum quibuſuis hominibus atque principibus prius iciſſent.

Valachi cum palat. iurant in verba regis Polon. abſentis.

Quibus verbis Vngari potiſſimum deſignabantur. Ipſum autem palatinum venturum eſſe ad regē intra

tres menses posteaquam accitus fuerit, datumq; iusiurandum in verba eius iteraturum. Missis autem Chocimum legatis rex ipse properè in Lituaniam, vt tempori ad comitia Nouogrodecensia adesset, se recepit. Venerat autē ad eum Tattarorum principis legatus Camenecciam, auxilia cōtra Petrum Valachum pollicens: eumq; rex cum secretis mandatis dimiserat. Vix autem in Lituaniā ad constitutū locum venerat, cùm Tattari rapidi torrentis in modum in Podoliam populabundi sese diffuderunt, ferro & igni cuncta vastantes. Quos tamen palatos Theodoricus Buciacius p̄fectus Podoliæ cum expedita manu im peditis in locis aliquoties adortus, non leuibus incōmodis affecit, multosque captiuos liberauit. Reuertentes autem Tattari, à Iurza Russo siue Lituano ad Bratislauiā comiter accepti sunt. Vnde aucta est vulgò suspicio, eos siue à rege, siue à Lituanis subornatos, Podoliam vexauisse.

Tattari Podoliam vastarunt.

Buciacius Tattaros vexauit.

Tattari comiter accepti à Lituanis.

Per hæc tempora Vincentio Cotto archiepiscopo Gnesnēsi mortuo Vuladislaus Oporouius episcopus Vuladislauiensis à maiore parte collegij in gratiā regis suffectus est. Ei verò in Vuladislauiensi episcopa, Nicolaus Lasocius à Nicolao Pontifice maximo contra volūtatem regis, qui Ioanni Gruscinio fauebat, successor datus est. Nec tamen possessionem bonorum, rege per præfectos prohibente, adeptus est Lasocius. Anno autem sequenti peste apud Camerinum de viuis sublatus, liberam Gruscinio episcopam reliquit: vir ingenio, solertia, doctrinaq; singulari: cuius etiam consilio Ioannes Huniades multum vsus esse fertur.

Vuladislaus Oporouius archiepiscopus Gnesnēsis.

Nicolaus Lasocius inuito rege episcopus factus, possessione exclusus est.

Nicol. Lasocij laus.

Quoniam autem Huniadis mentio facta est, libet cladem eius, quam hoc anno à Turcis accepit, paucis attingere. Is igitur cùm accepisset Amurathem Turcarum principem in Vngaros arma sumere decreuisse, vltrò cum vigintiduobus millibus Vngarorum & auxiliariorum obuiam hosti in Bulgariam ad Scijtnizam fluuiū processit, adiunctis sibi in societatem belli palatino Transalpinensi, & clarissimo Albanensiū principe, quem Turcę Sanderbeium appellârunt. Nam Georgius Rasciæ Despotes cùm post Varnensem cladem dominatum suum Amurathis munere recuperasset, fidem datam barbaro seruauit. Nec tamen Albanensis ad condictū locum tempusq; occurrit. Triduo ibi à manè vsque ad vesperum infestis armis dimicatum est. Ad extremum superante hostium multitudine defatigati Vngari succubuêre. Nec tamen Turcis incruenta cessit victoria, Trigintaquatuor millia barbarorū in ijs p̄lijs cecidisse feruntur, Christianorū verò ferè octo millia. Huniades fuga saluti suæ consuluit: sed cùm in Despotæ manus incidisset, ab eo detentus, ac deinde certo pacto dimissus est, dato pro se obside Ladislao filio. Quem tamen paulò pòst comminatione belli repetitum recepit: Despotæque contra Turcas, ditionem eius propter dimissum se infestantes, cum exercitu præstò fuit, & inopinato aduentu suo perterritos hostes in fugam egit. Nec diu postea vixit Amurathes. Moriens Mahometi filio, quem viuens successorem sibi designârat, Imperium reliquit.

Vngarorum expeditio contra Turcas.

Sanderbeius.

Rascia Turcis subdita.

Vngari victi à Turcis.

Huniades captus à Despote Rasciæ.

Turca fugati ab Huniade.

Amurathis mors.

Mahometes Turcarum princeps.

Sed nos nostra repetamus. Insequenti anno cùm Michael dux profugus, Starodubum, Nougrodum Seueriēse, & nōnullas alias munitiones in Russia Moschis finitima auxilio Tattarorum intercepisset, tumultuariasq; regis copias fudisset, maiore mole rex contra eum arma mouit: eiectoque eo, munitiones interceptas recepit.

1449. ann.

Seueriensis ditio in Russia à Michaele occupata, à rege recuperata est.

Dum autem in Lituania commoratur, Sophia regina & Sbigneus cardinalis missis in Vngariam Ioanne Zagoranio magistro curiæ reginæ, & Ioanne Dlugosso maiore canonico Cracouiensi legatis regio nomine, perniciosum inter Ioannem Huniadem & Ioannem Iscram bellum, Polonis quoque propter vicinitatem (nam in Scepusiensi ora gerebatur) metuendum, pacę inter eos facta, interceperunt.

Huniades et Iscra Polonorum opera reconciliati.

Decembri demum mense rex in Poloniam ad comitia Petricouiensia reuertit. Vbi magna exorta est inter p̄ceres de prærogatiua loci & sententię dicendæ controuersia, propter Sbigneū episcopum, cui à duobus pontificibus prius cardinali presbytero designato, Nicolaus paulo ante insignia eius honoris miserat. Nā illo in senatū veniente, Vuladislaus archiepiscopus, ne principē locum amitteret, cū omnibus maiorum Polonorū proceribus, qui & ipsi prærogatiuam illam ad minorem Poloniā à se transferri nolebāt, discessit. Maiore enim dignatione esse censetur Cardinalis quilibet, q̄ episcopus & archiepis. atq; etiā patriarcha.

Comitia Petricouiæ.

Contentio de loco inter Cardinalem & archiepiscopum.

Cardinalis dignitas.

Rex nihilominus cū ijs, qui manserant, senatum habuit, Friderici Cæsaris legationem pro Vuladislao Masouiorū duce propinquo suo postulantem, vt rex eum Rauam atq; Belsum secūdum fratres absq; liberis defunctos retinere pateretur, audiuit, & causam illam cum Vuladislao in aliud tempus reiecit. Expostularunt postea grauiter cum rege

Friderici Cæsaris legatio ad Cazimirum.

maio-

maiores Poloni, de senatu se absentibus habito: & vt archiepiscopus principem in senatu locum retineret, contenderunt. Sed negauit rex id sibi in manu esse: quando sic visum sit Pontifici, authoritati eius stari oportere. Ad extremū, ne quo obstaculo cōtrouersia illa esset reipublicæ, exoratus Sbigneus Petricouia discessit. Idemque fecit archiepiscopus. Liberius deinde habita sunt consilia de republica, quibus nonnulla salutaria statuebantur. Sed ea cuncta mox irrita fuere, cùm rex proceribus petentibus solenne iusiurandum (quod ritè & secundum leges regnum administraturus esset) dare, & regum superiorum acta, constitutiones, & beneficia quæuis publicè & priuatim cōcessa, rata habere (ne quid Lituanis suis detraheret) recusaret. Sequenti anno, nempe 1450. veris initio conuentū rex egit Cracouiæ cū solis minoribus Polonis, de inquirēdis & cohibendis furtis & latrocinijs, quæ impunitate admodum inualuerant etiam inter primos de nobilitate: nominatimq; Petrus Saffranecius vulgò magna infamia laborabat. Et placebat primoribus inquisitionem vulgò haberi. Verùm Ioānes Tencinius palatin⁹ Cracouiensis, cuius magna erat apud nobilitatem gratia & authoritas, eam rem dissuasit: non quod faueret is furibus & prædonibus, sed quod agi quicquam, & statui publicè cum rege nollet aduers⁹ vniuersæ Poloniæ consensum. Conuenerat enim inter proceres superiorib⁹ comitijs, ne pro iusto rege Cazimirum haberent, quoad is iusiurandum, quod à se petebatur, præstitisset. Quanquam solent etiam plerumque proceres plusculum sanguini suo & necessarijs indulgere, quo maiorem sibi potentiam comparent. Itaque soluto conuentu, creuit magis perditorum hominum licentia, & iam regi quoque ipsi Saffranecius insidias tendere dicebatur. Misit deinde rex Petrum Odrouanzum & Prædiborium Conespolium cum exercitu Russorum & Podoliorum in Moldauiam, quæ nouis tunc rursus motibus agitabatur. Quid Petro palatino Moldauorum factum fuerit, non reperio. Sed tamen Bogdanus, qui se nothum Alexādri palatini filium esse præ se ferebat, dominatum apud Valachos, quasi hæreditario iure secundum fratres legitimos ad se pertinētem inuasit. Supererat adhuc paruus Eliæ filius Alexander cum matre profugus: atque is reductus paulo antè fuerat iussu regis à Ioanne Sennenio Olescio, Bogdanusque eiectus. Sed

Card & archiep. è comitijs discesserunt.

Cazimirus recusauit iusiurādum dare Polonis.

1450. ann. Conuentus minorū Pol.

Petrus Saffranecius de latrocinio suspectus.

Ioannes Tēcini⁹ palat. Cracouiens.

Pol. noluerunt pro rege habere Cazimirum, donec iusiurādum ipsis daret.

cùm Sennenius copias reduxisset, Bogdanus, qui in montana se abdiderat, facta aliquanta manu latronum, & nouas res cupientium hominum, quibus eorum, qui cum Alexandro sentiebāt, bona pollicebatur, Alexandrū rursus eiecerat. Ac deliberatum quidem est in consilio regio, an rex Moldauiam omnino subigeret, atque in prouinciæ formam redigeret, attributis Alexādro puero bonis in Russia. Sed res magnæ difficultatis visa in feroci populo, & externi dominatus impatiente, & propter Turcarum vicinitatem, qui Bulgariam & vlteriorem Danubij ripā tenebāt. Consultius visum, vt alienis viribus & alieno periculo tam potentem hostem à se arcerent. Itaque Odrouanzus cum Conespolio, Valachis ipsis petentibus & opitulantibus, reducere iterum Alexādrum iussi sunt. Atque hi tripartito agmine Moldauiam ingressi sunt: Alexander enim Moldauos, Theodoricus Buciacius Podolios, cæteros verò Russos Odrouanzus & Conespolius ducebant. Bogdanus imparē se esse hosti animaduertens, in nemora sese cum suis abdidit. Ac de pace tamen cum nostris, dolos nectens, per internuncios egit: impetrauitque ea lege, vt Alexādri nomine, donec is ad quintumdecimum annum perueniret, Moldauiæ præesset, regique septuaginta millia, quemadmodū Dlugossus scriptum reliquit, vel vt Bernardus Vapouius habet, septem millia modò Turcicorum aureorum, equorum certum numerum, & certos pecorum greges quotannis penderet. Pace facta reuertebantur nostri. Ibi Bogdanus circumductis suis per compendiosos calles, syluam apud Crasne pagū qua iter habebāt nostri angusto & impedito tramite, insedit. Sed ea de re edocti nostri à transfugis & exploratoribus Burculabi, quo nomine præfectum arcis illi vocant, qui summa fide partes pueri tuebatur, curribus & impedimentis cum præsidio Moldauorū duce Burculabo & ala Podoliorum præmissis, ipsi expediti prælij fortunam æquo & iniquo loco tentare, ac honestè poti⁹ occumbere, quàm turpi & fugæ simili receptu perfido hosti incruentā victoriā concedere, statuunt. Cōplures tamē de exercitu iniussu prefectorū clàm se cū impedimentis subduxerūt. Sexta die Septēbris Bogdan⁹ cū expedito agmine apparuit. Nec nostri quāuis cōsternatis Valachis, qui cū Alexādro erant, pugnā detrectarunt. Equitatu nostri, peditatu hostis pro loci opportunitate abūdabat: sed eū tamē

Consultatio Pol. de Moldauia redigēda in formā prouinciæ.

Pacta cū Bogdano pal. Valachiæ.

Moldaui vectigales regi Pol.

Bogd. fraus.

Burculabus

peditatū equitatu texerat. Equestri pugna conserta, & acriter inuehētibus nostris, hostes cedentes, & huc atque illuc dissipati peditum aciem ostendēre. Nec eo segnius tamen à nostris, quamuis ini quo genere pugnę, dimicatum est. Cadebant fortissimi quique de nostris, qui in prima acie pugnā ciebant, & iam inclinari cęperat tota acies, cùm Burculabus certior factus de prælio, collocatis in tuto curribus, cum præsidiaria illa sua manu adueniens, nostris animum addidit, hostium verò ferociam & exultationem repressit, territosque in fugam vertit. Ita nostri insperata & cruenta victoria potiti sunt. Multos enim fortes viros amisēre: atque in his principes Odrouāzum palatinum, & Michaelē Buciaciū. Pugnatum est à manè vsque ad vesperū. Hostes fuga dissipatos quatriduo Burculabus in sylua conquisiuit. Bogdanus sospes Barlotum, oppidi id nomē est, se se recepit. Nostri quamuis victores, valde tamē debilitati, & maiorem ex amissis fortibus viris dolorem, quàm ex profligatis hostibus lætitiam capientes, satis tunc habebant domū reuerti. Odrouanzum palatinum Ioannes frater archiepiscopus Leopoliensis paucis diebus secutus est, mœrore confectus: cui Gregorius homo plebeius è Sanoco oppido ortus, artium liberalium magister, cuius superius meminimus, successit. Nō multo pòst Tartari, vbi de strage Russicæ nobilitatis accepēre, magno impetu in Podoliam atq; Russiam vsque ad Grodecum oppidū & fines Belsensium populabundi excurrerunt: parūque abfuit, quin Vuladislaum ducem Masouium, Belsensem dominatum secundum fratris mortem obtinentem, & venationi tunc vacātem, caperent: abactaq; ingenti hominum, pecudum & iumentorum præda, incolumes ad sua se recēpere. Inde ingens mœror atque luctus, ac met⁹ etiam geminato malo, non modò Podolios atque Russos, verùm omnes Polonos afflixit, cū nemo esset, qui, si quid mali rursus ingruisset, succurreret, rege in Lituaniam commorante, & conuentum cum Lituanis de Podolia & Lusco agente. Ne in Cracouiensi quidem ora quietæ res fuēre per id tēpus. Nam Præmislus dux Toscensium coacto exercitu Seueriam episcopi Cracouiensis arcem oppugnauit: reiectus verò inde cū ignominia, tractum illum omnem dieuexauit. Sed eum Sbigneus cardinalis coadunatis aliquantis copijs vltus est vsque adeò, vt eum ad petendam pacem, & satisfaciendum de damnis datis adigeret. Ad Pentecosten demum sequētis anni rex Petricouiam ad comitia venit: ibi actum rrursus de Sbigneo cardinali ipso absente. Nam eum rex, ne veniret, exorauerat: sancitumque, vt is quidem principem in senatu locum obtineret: deinceps verò ne quis eum, atque legationis etiam Apostolicæ perpetuæ honorem rege & senatu inconsultis peteret aut vsurparet. Cracouiam deinde rex veniens, conuentum minorum Polonorū egit. Ad quem Lucas Gorcanus palatinus & præfectus Posnaniensis, Nicolaus Scora castellanus Calissiēsis, & Laurentius Zaremba castellanus Siradiensis & præfectus Velunensis nomine omnium maiorum Polonorum adfuēre. Tentatum ibi rursus de purganda Polonia latrocinijs. Sed inquisitionem nobilitas pleraq; abnuebat. Nec ea sanè magnopere op⁹ erat, si rex in eos modò, quorum publica erant scelera animaduerteret, infamesque latronum receptu munitiones Berualdum & Velcinum in potestatem suam redigere voluisset. Velcinum Gels Silesius, Berualdum Vulodicus Scrinnius vnà cum Catharina vxore latrocinans tenebat. Clausum est autem à rege mercatoribus Polonis iter, & interdictum exportatione mercium Vuratislauiam & in Silesiā propter noua telonia ibi instituta: interdictumque externis mercatoribus, & præsertim Norimbergensibus Cracouiæ & aliorum oppidorum domicilijs, propterea quòd nostris victus quærendi rationes pręriperent. Cum Boleslao verò Oppoliensi duce rursus prorogatæ induciæ. Cæterùm cùm rex iusiurandū solēne posceretur, impetrauit vt ea res differretur tantisper, donec communis cum Lituanis conuentus ageretur. Atque is Parsouiam ad penultimam diem Augusti indictus est. Impetrauit etiam, habito denuò apud Corcinū minorum Polonorum cōuentu, vt seni grossi in laneos ꝓ necessarijs vsibus reipublicę cōferrētur: eiusque pecuniæ quęstores atq; dispēsatores Cracouiēsis & Sendomiriensis palatini cōstituti. Ibi Sbigneus arrepta occasione, grauiter regē increpuit cùm de alijs quibusdā peccatis, tum de Michaēlis Sigismundi ducis filij iniuria, & indigna supplicis repulsa: ob q̄ min⁹ ei prosperè caderent omnia. Cumq; eum de sentētia nō dimoueret, Deū testatus est, eum reum fore omnium, quęcunq; hominibus ac ditionibus ipsius aduersa euentura essent. In Russiam inde per Sendomiriā rex iter habuit. Venit autēad eū Sendomiriā Dauid Mustaphæ Amurathis

Moldaui Valachi fusi fugatique.
Petri Odrouanzij & Michaelis Buciacij mors.
Barlotū opp. Moldauiæ.
Gregorius Sanocius archiepiscopus Leopoliensis.
Tartari Russiam & Belsensem populati sunt.
Seueria infestata à duce Toscensi.
Sbigneus cardinalis ducem Toscensem repressit.
1451. ann. Comitia Petricouiæ.
De Cardinalatu & legatione constitutio comitialis.
Conuentus Cracouiæ.
Latrocinia.
Vuratislauiam ne proficiscantur cum mercib. mercatores Poloni.
Mercatoribus externis interdictum domicilijs in Polonia.
Parsouiæ conuentus Polonorum & Lituanorum.
Sbigneus episcopus regem obiurgat.

David Turca profugus. rathis Turcarum principis non ita pridem defuncti fratris filius:qui pulsus olim à patruo, in Vngaria complures annos exulauerat,& religionem Christianam susceperat:tunc autem cognita patrui morte, præreptum imperium repetere in animo habebat:& à Cazimiro petebat, vt sibi per eius ditiones transire liceret. Quod impetrauit quidem ille, & splendida insuper munera à rege accepit: sed cùm ad Istri ostia peruenisset, Mahometemque post Amurathem patrem apud Turcas sine controuersia imperare didicisset, per Poloniam in Vngariam rediit, & ibi consenuit. Samboriæ cùm esset rex Cazimir⁹, legatio Sophiæ reginæ & procerum Polonorum eum consecuta est, rogans & admonens, vt ne Luscū à Polonia alienari pateretur. Nam Suitrigello, qui id obtinebat, grauiter ægrotabat. Idem contendebāt, qui præsentes in regio comitatu erant. Rex ad comitia Parsouiensia integram eam rem reiecit:& cupere se quidem Luscū Polonis adiungere, affirmauit, sed prouidendum esse etiam atque etiam, ne Lituani ea re alienarentur. Venit etiam *Maria palatina Valach.* eò Maria Eliæ defuncti Valachorum palatini vxor cum Alexandro filio, regis opem aduersus Bogdanum implorans. Reiecta res ad comitia proxima. Interim eos, & munitiones, quas retinebant *Andreas Odrouanzus Alexandrū Valachū tueri iussus.* in Moldauia, Andreas Odrouanzus præfectus Leopoliensis tueri iussus est. Comitia deinde Parsouiæ habita. Ad quæ *Conuentus Polonorum cū Lituanis Parsouiæ.* Lituani non veniebant, nisi fides publica ipsis à Polonis daretur. Verùm ea ne- *Fides publica negata Lituanis.* gata ne quid fœderib⁹ derogaretur. Tandem rex obuiam eis egressus Lomasos vsque, secum eos adduxit. Gastoudus ta- *Gastoudus.* men venire renuit. Eadem autem quæ prius, Lituanorum postulata in eo conuentū fuerunt cùm de Podolia, Lusco, & cæteris eiusdē oræ munitionib⁹, tum de corrigendis fœderibus, quod ea se inscijs non sine contumelia sua, & obnoxiæ seruitutis testificatione conscri- *Lituanorum postulata refutata.* pta esse dicerent. Itaque in eandem quoque sententiam eis à Sbigneo cardinali cunctæ Poloniæ nomine responsum est, refutatumq; euidentissimè illud, quod illi se inscijs fœdera conscripta esse asseuerabant. Nam & Mathias Vilnensis episcop⁹, & alij proceres Lituani negare non poterant, se ea posteri⁹ approbasse, & iureiurādo suo confirmasse, simulq; de Podolia, & cæteris quæ sibi vindicabant, professos esse, ad Polonorum ius ea pertinere. Sumerent tamen ijs de rebus quos vellent siue iudices siue arbitros, vel regem denique ipsum commu-

nem principem, ne quam querendi ansam, neu quod dissidij fomentum relictum haberent. Verùm illi ne hanc quidem tam æquam conditionem acceperunt. Ne verò irritatis animis discederetur, placuit in annum integram rem differri ad alia eodem in loco habenda comitia. Conuentu soluto rex in Lituaniā ad venationes secessit, rerum Valachicarum cura Ioanni Gijzouio castellano & præfecto Cracouiensi, Petro Samotulio Posnaniēsi, & Prædiborio Concspolio Sēdomiriensi castellanis mandata, Polonicis verò quasi derelictui habitis, nihil motus recenti complurium equi- *Silesij Velunensem oram vexarunt.* tum Velunensium cæde à Ioanne Gels prædone in conflictu quodam patrata. Tametsi potuit rex habere nonnullam excusationem, pestis vitationē: quæ gra- *Pestis.* uiter eo anno maiorem Poloniam afflixit. Minor enim ferè immunis ab ea fuit, quamuis magnus esset vndiq; Cracouiam hominū concursus Iubilæi gra- *Iubilæus in Polonia.* tia, quem Nicolaus 5. pontif. max. ad spacium vnius anni post peractum Romanum, Cracouiæ, Gnesnæ, Leopoli, & Vilnæ concesserat ea lege, vt quisque dimidium eius, quod in itinere Romano *Pecuniæ Iubilæi dispensandæ ratio.* impensur⁹ esse videretur, in capsam publicè ad id paratam imponeret. Ex ea verò pecunia vt dimidium regi in sumpt⁹ belli contra Tattaros gerēdi cederet: de reliquo dimidio dimidium Sophia regina in dotem egētium puellarum auferret, reliquum verò pontifici pro instaurandis Romæ templis mitteretur. Sed cùm grauis vulgò esset ea æstimatio, ad quartam redacta est. At illi, qui ad componēdas res Moldauicas designati erant, dum moliūtur, interea Bo- *Bogdanus Valachus interfectus.* gdanus à Petro Alexandri senioris notho filio (qui & ipse sibi ius in domina- *Petrus domi natum inuasit.* tu Moldauiæ vendicabat, & fœdus atq; societatē cum Alexandro inierat) ebrius per dolū interfect⁹ est. Nec multo post, ipsum quoq; Alexandrum idē ille Petrus rupto fœdere de medio tollere conatus est: fecissetq; adeò, ni se ille subduxisset. Reuersus autem cum præsidio Polonorū Alexander, nihil tamen propter hybernū temp⁹ anni, & quod Petr⁹ in interiora secesserat, agere potuit. Venit per id temp⁹ ad regē Philippi Burgū- *Philippi Burgundionis ad Cazimirū regē legatio.* dionū ducis legatio, auxilia vel pecuniariū subsidiū ad bellum Syriacū contra Soldanū Aegypti & Syriæ regē petens. Sed ei respōsum est, regē satis negocij habere, vt Tattarorum, qui & ipsi barbari sint, vim à suis propulset: tantū abesse vt quietos lacessēdos sibi esse putet. In Vngaria verò per idē temp⁹ Huniades gu-

bernator Ioannem Iscram, Cassouiã & alias quasdam in ea ora munitiones obtinentẽ,& sibi dicto minus audientem, cùm insidijs frustra appetisset, aperto bello adortus, monasteriũ, quod ille pſidio munierat, obsidione cinxit. Sed Iscra coadunato raptim de Boemis & Polonis quatuor milliũ armatorum exercitu, laborantibus suis, deditioneq; Huniadi superbè recusanti offerẽtibus succurrit. Commisso autẽ prælio, & obsessis tempestiuè erumpentibus, victus & magna clade affectus est Huniades cum sexdecim millibus Vngarorum. Anni sequentis, mense Februario Suitrigello dux moriens Luscum Lituanis ad hoc turmatim accurrentibus tradi mandauit, immemor & illorum maleficij, & Polonorum beneficij: cùm illorũ opera arcem illam atq; ditionem amisisset, horum verò beneficio recuperasset, ac iureiurando sese & præfectos suos nobilitatemq; omnẽ obstrinxisset, mortuo se non nisi Polonis parituros. Et eodẽ ferè tempore Michaël Sigismundi ducis filius apud Moschos exulans veneno opera Lituanorũ procerũ, vt creditum est vulgò, in poculum infuso, extinctus est. Vtriusq; corpus Vilnam relatum, honorificè à rege sepultũ est. Hos paucis diebus Petrus Chranstouius episcopus Premisliensis præcessit. Magni inde motus in Polonia extiterunt, fremebantq; vulgò in regẽ tum ob Luscum ipso conniuente, atq; adeò assentiẽte, vt creditum est, interuersum, tum ob episcopã Præmisliensem Nicolao Blascouicio homini externo, nempe Silesio, delatam. Habitaq; sunt nonnulla eas ob res conuenticula à minoribus Polonis maximè, atque Russis. Inde Ioannes Olesnicius palatinus Sendomiriẽsis, & Albertus Michouius castellanus Zauichostensis publicè ad regem de Lusco, de Præmislienſi episcopa, ac de iureiurando exigendo allegati, ex itinere reuocati sunt, cũ castellan⁹ Cracouiẽsis, rege volente & iubente Luscũ interceptũ esse, affirmasset, ne contẽptui esset ne illa legatio: decretumq;, vt minores Poloni atq; Russi Vuladimiriã à Lituanis nuper exustã reficerent, pſidioq; firmarẽt, & Luscũ quocunq; modò possent, in potestatẽ suam redigerẽt. Sed irritum tamẽ decretum id fuit metu offensæ regię, & ꝙ negligũtur ferè, q̃ à multis pariter curãda suscipiũtur. Preceptũ est autẽ thesaurario & salinarũ prefecto, ne qua arma Luscum, quamuis mandante rege, mitterẽt. Hæc vbi regi renunciata sunt, grauiter in Sbigneum cardinalem, & palatinos Cracouiensem atq; Sendomiriensem exarsit, questum de ijs ad maiorũ Polonorũ conuentum misit, quasi illi regnum sibi abrogarent, & reditibus Polonicis inter dicerent. A proceribus autẽ petiuit, vt Sendomiriam ad Pentecosten vindicãdæ contumeliæ & ignominiæ suæ causa ad se venirẽt. Venêre Ioannes Vuladislauiensis episcopus, Lucas Gorcan⁹ Posnaniẽsis, Nicolaus Sarleius Brestensis, & Boguslaus Inouuladislauiẽsis palatini: ac de minoribus Polonis aliquot nominatim euocati. Venerant & alij quidam non vocati nominatim: sed ij, quòd fauere Sbigneo, in quem maximè regis ira efferbuerat, videbãtur, à consilio excludebantur. Nec tamen rex voti compos factus est, cùm omnibus constaret, illos quos rex accusabat; immeritò ac falsò delatos esse. Vbi venit Cracouiã, venerunt & illi quadam die in consilium, & grauiter cum eo expostularunt, quòd assentatoribus aures accõmodaret, vt se pro hostibus traduceret, atq; infamiæ notam sibi studeret inurere. Paratos se esse purgare omni ratione ea q̃ sibi obijcerentur. De corrigenda quidẽ inutili atq; praua regni administratione, se ꝓ officio suo egisse, & consilium captasse, necessarium magis, quàm vtile reipublicæ. Si quid secus fiat, quàm rex vellet, penes ipsum eius rei culpã esse, qui nec ipse peccata sua multa magnaque corrigeret, neq; salutaribus monitis obsecũdaret. Ocio, venationibus, epulisq; vacantẽ cum assiduò, neq; causas afflictorum hominũ cognoscere, neq; de quiete atq; tranquillitate publica cùm à barbaris hostibus, tum à latronibus pręstanda consilia inire: Superiorũ regum acta, constitutiones & prærogatiuas suas cuique ordini benignè datas, nõ modò nõ approbasse adhuc toto quinquẽnio, sed labefactare etiã per summam multorũ iniuriã: Creberrimis & grauissimis subiectionib⁹ miseros oppidanos & agrestes ad inopiam redigere: ab ecclesiasticis & monasticis hominibus inusitatas pensiones siue stationes, & alimenta equorũ exigere: nuper adeò externo homini, suis longè dignioribus præteritis, Præmisliensem episcopã destinasse: Lituanis totum sese dedere, Polonis neglectis: illos solos in cubiculum & in familiarem vitæ consuetudinem admittere: cum illis seria iocosque miscere: in illorum vsus atque amplitudinem Polonicum ærarium reditusque exhaurire: illis denique Luscum & Podoliam à Polonorum iure abstrahenda permittere, atque adeò fauorem opemq; suam

Huniad. ab Iscra victus. 1452. ann. Suitrigello obijt. Luscũ Lituani occupant. Michael dux mortu⁹. Polon fremitus aduersus regem. Legati Pol. ad regem. Pol. conatus contra regis sententiã. Querelæ regis apud conuentũ maiorũ Pol. de minoribus. Conuentus Sẽdomiriæ. Primores minorũ Pol. expostularunt cũ rege. Regis facta reprehensa.

ad id impertiri. His de rebus plerisque crebro eum à se & priuatim & publicè admonitum, dicebat Sbigneus, qui pro omnibus verba faciebat, nec tamen cor rexisse peccata. Itaq; deinceps abstinere se velle consilio regio, ne eius peccata approbare videretur: sed nihilo tamen magis ecclesiarum, monasteriorum, pupillorum & viduarum causis vel cũ periculo vitæ suæ defuturum. Subiecerũt Cracouiensis & Sendomiriensis palatini, eandem suam esse sententiã. Et cum dicto omnes de consilij loco excessérũt, cæteris consiliarijs, qui aderãt, tacitè eorum sententiam ferè approbãtibus, sed rege iritato mutire non ausis. Venerant ad regem nonnulli duces vicini: aderãt & aliorum legationes: quibus pudebat eum dare audiẽtiam, primoribus senatus in consilium non venientibus. Itaq; actum cum his est, vtrinq; vt omnia, etiam de episcopa Præmisliensi, integra ad proxima comitia, quæ Siradiam ad 24. diem mensis Augusti indicebantur, penderẽt. Ita illis delinitis, auditæ ac dimissæ sunt legationes. Non multò pòst Tattari improuisa in Podoliam excursione facta, propterea quòd stationes & excubiæ à Theodorico Buciacio prętermissæ erant, permagnã prædam abegerunt, & Rouum castellum quod nostra memoria Bona regina instaurauit, & Barum appellauit, ceperunt. Rex in maiorẽ Poloniam, & inde Nessouiam profectus, Ludouicum Erlichausium magistrũ cum episcopis & primoribus Cruciferorum ad se veniẽtem lautè & magnificè accepit, vicissimque ab ipso Toruniam inuitatus est. Interea Boleslaus dux Oppoliensium non tam absentia regis, quàm mutua eius cum proceribus offensione ac dissidio fretus, valida militũ manu è Boemis, Morauis, & Silesijs conducta, bellum Poloniæ indixit: Seueriensem & Velunensem tractum hostiliter vastauit. Id vbi rex cognouit, sumere arma Polonos iussit. Sed nemo obtemperauit. Itaq; ipse quidem Siradiam ad comitia cõtendit: aulicum verò comitatũ suum, ne tamen negligere prorsus res Polonicas videretur, ad reprimendã vim hostium ad oram Velunensem misit. Sed ea manus nulla re memorabili patrata, nonnullis peste, q̃ in Silesia & finitima Polonia tũc grassabatur, absumptis, ad regẽ redijt. Et commodum Boleslaus de pace misit. Igitur factæ sunt cum eo rursus vnius anni induciæ, interim vt de pace accuratiꝰ ageretur. In comitijs verò eadẽ, quæ pridẽ, cãtilena à Lituanorũ legatis superbè & non sine minis repetita. Eiq; modestè à nostris responsum est: cum rege de iure iurando & cõfirmatione importunius actũ. Itaq; is in angustum redactus, cum octo primoribus consiliarijs secretũ cõsilium habuit: & cùm asseueraret, non posse tunc se sine capitis sui periculo atque defectione Lituanorum postulatis Polonorũ satisfacere, annũ vnum impetrauit, vt interea Luscum & primarias Lituaniæ munitiones inpotestatẽ suam redigeret, thesaurũq; Lituanicũ in Poloniam trãsferret. Tametsi admonebat Sendomiriensis palatinus Olesnicius, vidẽdum esse, ne rex Polonos vana spe & pollicitatione lactaret: eoque syngrapha siue diploma, quod ea de re fidem faceret, ab eo exactum, & regis ac omnium illorũ signis obsignatum, archiepiscopo asseruandum concreditum est: atque ita conuentus ille solutus. Sub illud verò tempus Tattari rursus in Podoliam populabundi vsque ad Leopolim excurrerunt: & cùm se recedere simulassent, reuersi quater, eos qui ex latebris ad messem prodierant circũuentos, in miseram seruitutem abegerunt. Quocirca rex Ioannem Cijzouium castellanum, & Ioannem Tencinium palatinum Cracouiẽses in Russiam ad reprimẽdam cum Russis atque Valachis efferatam rabiem barbarorum proficisci iussit, ipse in Lituaniam, quamuis dira peste afflictam, ad venationes secessit. Sed dum nostri sese comparant, Tattari præda onusti discessêre. Compertum est autem, à Lituanis eos immissos fuisse. Mox enim ij Radiuilum Hosticouitiũ cum amplis muneribus ad barbaros remunerandos miserunt. Sed is cùm fortè in id tempus, quo Sadachmetes citeriorum Tattarorum dux cum suis è Podolia reuersus, ab Ecigere duce Tauricano profligatus est, incidisset, excussus & exutus à victoribus, nudus dimissus est: Sadachmetes verò fugiens cum nouem filijs, & familiaribus siue purpuratis, quos Murzas & Vlanos illi vocãt, in Lituaniam, tanquam ad amicos, sese recepit. Sed eum spes sua fefellit. Nam captus à Lituanis, & cùm paulò pòst Kiouiam fugisset, è fuga retractus Cauune in custodia vsque ad mortem asseruatus est, vt ea re hostem eius Ecigerem in amicitia continerent. Neque Cracouiensis ora à belli cladibus tunc immunis fuit. Etenim Præmislus Toscensium, & Ioannes Osuencimensium Silesiorum duces coactis nongentis mercenarijs militibus equestribus atque pedestribus, finitimam sibi oram

Sbignei episcopi grauitas & libertas in dicendo.

Tattarorum excursio in Podoliam.

Rouum castellum captum.

Conuentus regis cũ magistro Cruciferorum.

Polonia à Silesijs vastata.

Induciæ cũ duce Oppoliensi.

Comitia Siradiæ.

Lituanorum legatio.

Secretum consilium.

Regis excusatio, quòd nõ præstaret promissa.

Cautio regis.

Tattari Russiam peruastarunt.

Lituani Tattaros in Russiam immiserunt.

Tattarorum ciuile bellũ.

Murzæ & Vlani apud Tattaros.

Sadachmetes Tattarus à Lituanis in custodia habitus.

Silesij Poloniam vexarunt.

Poloniæ impunè populādo longè lateq; peruagati sunt, nacti occasionem commodam, quòd sine vllo præsidio tūc ea loca essent, proceribus cum nobilitate ob sæuientem Cracouiæ & circumquaque pestem partim dilapsis, partim extinctis. Causa verò belli fuit, bellū aliud inter Petrum Saffranecium & Vulodicum Scrinnium de Berualdo gestum: cuius incommoda vt à finibus suis duces illi propellerent, duo millia florenorū Saffranecio promiserant. Itaque Saffranecius cùm sua causa id bellum motum esse intelligeret, è Malesso castello de illis capto, & Bendino ditiones eorū cum centum equitibus totidemque peditibus vicissim infestauit, vsq; adeò vt homines tributo pacem vulgò redimere cogeret. Et iam duces etiam ipsos tædiū eius belli ceperat, propterea quòd stipendijs exhausti erant. Quamobrem pacem à Saffranecio petiuerūt & impetrarunt his legibus, vt profiterentur, iniustè se Poloniæ bellum intulisse: captiuos dimitterent: & supra duo millia prius promissa, octingentos florenos ipsi annumerarent. Ille verò Malessum eis vicissim redderet. Atque hęc quidem priuata ducum illorum cum Saffranecio pacta conuenta fuerunt. Cum Præmislo verò Toscensi induciæ in sex menses publicè factę, propter hyberni cœli, quo hæc gerebantur, inclementiam. Nec tamen is fidem seruauit. Nanque mercatores Cracouienses Vuratislauia cum mercibus reuertentes haud multo pòst diripuit. Per idem tempus, cùm Fridericus Cæsar altero diademate præter morem, ac tertio de more vnà cum noua nupta Leonora regis Portugalliæ filia Romæ à Nicolao pontifice, fauentibus cunctis Italis, coronatus in Austriam reuertisset, neque redderet Austrijs, Vngaris & Boemis Ladislaum regem duodecim annos natum, quemadmodum in Italiam proficiscēs promiserat, obsessus ab ijs Ciliæ comite Vlrico ductore, dimisit eum è tutela sua, Austriaque cessit. Nec multò pòst missi ad Ladislaū in Boemiam à Cazimiro rege Polonorum legati Nicolaus Sarleius Brestensis palatinus, ac Derslaus Rithuianius præfectus Sendomiriensis Elizabetham sororem eius petitum in matrimonium, optatum responsum retulerunt. Nec tamen pacta sponsalia tunc confecta sunt, sed reiectum id Vuratislauiam, quò Ladislaus è Boemia sese venturum promittebat. Nec scio, an legati Poloni non ad conciliandas regi suo nuptias, verùm ad cohonestandam coronationē Ladislai missi, in iussu regio matrimonij & affinitatis mētionem fecerint, vel ipsi vltro ea de re compellati sint. Eoq; nihil tunc effectum, & Ladislai regis ac Vlrici comitis, cuius arbitrio rex adolescens cuncta gerebat legatio paulo pòst ad Cazimirum venit, animum eius de nuptijs exploratura, quem admodum scribit Vapouius. Hoc anno cùm Mahometes Turcarum princeps Carmanorum regem subegisset, turbatoq; fœdere, quod cum Constantinopolitano Imperatore cōstitutum habebat, in ora Propontidis summa celeritate arcē excitasset, classemq; armasset, qua Græcos quasi obsessos teneret, ne libero mari vterentur, Nicolaus pontifex Isidorum metropoliten Kiouiensem, legatum misit Constātinopolim: qui Cardinalis factus ab Eugenio, & à Russis fuis quod se cū Latinis in concilio Florentino coniūxisset, pulsus Romam reuerterat. Cùm autem is metu Turcicę classis penetrare eò non posset, ad Alphonsi Arragonum, Siculorum & Neapolitanorum regis, & Venetorum opē confugit. Habebant ij tunc pariter classem instructam aduersus Soldanum AEgypti. Ab ea igitur classe Isidorus, Turcarū classe deuicta ac disiecta, ad Imperatorē Constātinopolim deductus est. Nihilo tamen minus Mahometes insequenti anno eam vrbem obsedit, & acriter oppugnauit, & post quinquagesimum obsidionis diem Gerlucæ cuiusdam Græci proditione cepit, & imperatorē Constātinum Palęologum fortissimè dimicantem ad portam vrbis interfecit. Nec multo pòst Gerlucæ, cùm cognouisset eum ab imperatore, quem prodiderat, magnis beneficijs affectū fuisse, iustam proditionis mercedem diro supplicio exoluit: sedemque imperij Cōstantinopoli posuit. Sed ad curriculum reuocetur oratio. Eiusdem anni initio pauci Tattari improuiso in Lucensem & Olescensem oram excursionem fecerūt, & ad nouem millia captiuorum, ingentēque aliam prædam abegerunt: ijdemq; iterū ad Pascha aucti numero, Trebouliēsem agrū depopulati sunt. Hos insecuti Ioānes Lassciuus Zincouiensis, Ioannes Niemez, quo nomine Poloni Germanū appellant, Laticiouiensis, & Mathias Medibozensis præfecti, noctu in securos ac sopitos perpauci in longè plures impetum fecerunt, & magna strage eos profligarunt, prædamque omnem excusserunt. Trecenti cùm è nocturno illo tumultu euasissent, & paucitate nostrorum animaduersa sese recollegissent,

Pestis.

Saffranecius Silesiam infestauit.

Malessum castellum.

Pacta Saffranecij cū Silesijs ducibus.

Mercatores Cracouiēses direpti à duce Toscensi.

Fridericus Imperator bis Romæ coronatus.

Frider. idem obsessus in noua ciuitate.

Ladislaus rex sui iuris factus.

Legatio Cazimiri ad Ladislaū regem Vngar. & Boem.

Ladislai regis & Vlrici comitis legatio ad Cazimirum.

Turcæ Carmaniam & Cōstātinopolitanū imperium subegerunt.

Isidorus Russus cardinalis legatus ad Imperatorē Constāt.

Isidorus cardinalis pulsus à Russis.

Turcica classis disiecta à Christianis.

Cōstantinopolis capta.

Proditionis iusta merces

Turcici imperij sedes Constātinopolim translata.

1453. ann.

Tattarorūm excursio in Russiam.

Lasc.

Tattari ad internecionem cæsi à Russis.

ſent, poſtero die denuò cum noſtris manus conſeruêre. Sed ij quoque non reſumptis prorſus ex trepidatione nocturna ſuorumque ſtrage animis, paruo negotio fuſi. Reliquias fuga diſſipatas Bratiſlauienſes exceperunt, & partim trucidarunt, partim captiuas regi miſerunt, ita vt ne vnus quidem euaſiſſe exiſtimetur. Per hoc tempus Alexander palatinꝰ Moldauorum cùm paternum dominatum adiuuantibꝰ Polonis recuperaſſet, in fide regis atque Polonorum ſemper ſe fore iureiurando coram legatis regijs dato, & litteris conſignatis, vnà cum cōſiliarijs ſuis profeſſus eſt, & ſocietatem belli totis viribus contra Tattaros, & quoslibet alios hoſtes promiſit. Per idē tempꝰ Vuladiſlaus archiepiſcopꝰ Gneſnēſis, qui Oporouiam arcem muniuit, vita defunctus, Ioannem Sprouium gēte Odrouanzum præpoſitum Sendomirienſem, canonicum Gneſnenſem, & ſcribam regiū accepit ſucceſſorē, cùm plura ſuffragia, quàm Thomas Strempinius theologus, in gratiā regis tuliſſet. Tametſi Vapouius ſcribit, Strempinio magis fauiſſe regem: ſed à ſenatu perſuaſum poſtea, Sprouium, vti digniorem, ipſi prætuliſſe. Archiepiſcopum Mathias Vilnenſis, & Paulus Camenecēſis epiſcopi paucis diebus ſecuti ſunt. Menſe Iunio rex apud Parſouiam Polonorum ſimul & Lituanorum comitia habuit. Verùm ad ea tamē Lituani procèeres nō adfuerūt, inſidias neſcio quas cauſificātes: legationem modò miſere, quæ vſitatam illam de corrigendis fœderibus, reddendaque Podolia & Volynia cantilenam occineret. Proferebant noſtri diplomata Iagellonis, Vitoudi & Suitrigellonis: & ſuis ipſorum argumentis Lituanos refellebant, quod ij dicerēt oppigneratam Vitoudo à Iagellone rege Volyniam & Podoliā quadraginta millibus aureorū fuiſſe. Vel inde enim liquidò conſtare, eas terras Polonici iuris eſſe, & mortuo Vitoudo vnà cum pecunia in ditionem Iagellonis legitima ſucceſſione recidiſſe. Ad extremum ferebant eis arbitros, ſiue regem, ſiue pontificē maximum, ſeu quem alium principem vellent. Tattarorum principem ſiue Cæſarem illi edebant. Quod cùm indecorum, atque etiam ridiculum eſſet, ita dimiſſa eſt legatio, vt intelligerēt Lituani, Polonos iuri ſuo nequaquam defuturos. Tentatum eſt autem à rege & nonnullis conſiliarijs, vt in aliud tempus res tota adhuc reijceretur. Sed negarunt Poloni. Deinde auditæ legationes

Alexander palat. Moldauiæ iurat in verba regis Pol. abſētis.

Oporouia arx Ioan. Sprouiꝰ archiep. Gneſnenſ. electus.

Comitia Parſouiæ.

Lituanorum legatio.

Refelluntur Lituanorum poſtulata.

Vuladiſlai & Boleſlai Maſouiorum ducum, nobilitatis & ciuitatum Pruſſicarum, & Magiſtri, totiusque ordinis Crucigerorum. Maſouij Ticocinum & Gonianzum oppida, à Lituanis intercepta, repetebant: Pruſſi aduerſus iniurias & impotentem dominatum Crucigerorū opem regis implorabant. Crucigeri cōtra, ne rex aduerſus fœdera Pruſſis adeſſet, poſtulabant. Reſponſum eſt Pruſſis & Crucigeris, Regem veluti Chriſtianū principem diſſidia nolle alere. Si eo arbitro vti vellent, non recuſaturum. Maſouijs durius rex inconſulto ſenatu & non ſine cōminatione reſpondit. Quocirca grauiter à Sbigneo cardinali obiurgatus eſt: Non eſſe regium, aſperioribus dictis aut factis quenquam lædere. Inter apes quoq; regem aculeo carere. Maſouios duces, non modò non contumelioſè, ſed honorificè accipi oportuiſſe, quippe qui ſocij & conſanguinei Polonorum, & propinqui regis ipſius eſſent. Ad hæc, cauſam illam ad vniuerſam Poloniam attinere. Non paſſuram eam, ſocijs atque adeò ſibi iniuriam illā fieri. Approbarunt Sbignei dicta cæteri ſenatores, & gratias ei egerunt. Itaq; moderatior poſtea rex in legatos fuit. De iureiurando deinde, & confirmãdis actis ſuperiorum regum & principum cum eo Sbigneus idem publicè omnium nomine egit. Admonuit regem contemptꝰ Lituanici, cùm quod vocati ab eo ad comitia non venirent, tum quod alioqui etiam imperium eius non magni facerent, & omnia arbitratu ſuo agerēt. Admonuit & periculorum atque inſidiarum, quibus ab eis identidem appetitus eſſet. Contra, Polonorum fidem, ſtudia, obedientiam, atq; etiam nimiam penè patientiam exaggerauit: petiuitque, vt his viciſſim quàm illis propenſiorem ac magis propitium rex ſeſe exhiberet: his quàm illis fidelioribus atque beneuolētioribus conſultoribus vteretur: illorū contumaciam his adiutoribus retunderet. Neque defectionem eorum ſe vigentibus & incolumibus reformidaret, aut certè non impunitam ſperaret. Se volentes lubentesque ipſi dicto audientes eſſe: etiamſi fortuna paginam verteret, ſe nihil de ſuis erga ipſum ſtudijs mutaturos eſſe. Illos, qui ſecundis ipſius rebus tam infidi eſſent, quales futuros eſſe ſperare deberet reflāte fortuna? In hāc fermè ſententiā cæteri quoq; omnes multa dixêre. Audiuit hæc rex ſubtriſtis demiſſo capite, & crebra ex imo pectore trahens ſuſpiria. Hæc ita quidem

Ticocinum et Gonianzum à Lituanis intercepta.

Pruſſi regis opem implorant contra Crucigeros.

Rex obiurgatus à Sbign. & ſenatu.

Lituanorum contumacia aduerſus regem.

Polonorum obſequium.

dem Dlugossus de Parsouiensibus comitijs memoriæ prodidit: idéque Ioannem Osuencimensiū ducem superiori anno necessitate adductum, cùm arx Osuencimēsis à nostris oppugnaretur, Cracouiæ cum proceribus transactione facta, arcē certis cōditionibus dedidisse memorat. Sed extant in archiuo regio pacta ipsius Ioannis cum proceribus Polonis hoc demum anno non Cracouię, sed Parsouię, & quidem absente rege cōuenta: quibus ille recepit arcem Osuencimensem, quæ tunc obsidebatur, se intra certos dies castellano & præfecto Cracouiensi traditurum esse, & ad regem in Lituaniam profecturum venię petendę, dedendique sese ipsi gratia. Quòd si repulsam ab eo passus fuerit, se ei mille & octingentos aureos partim mutuò sibi datos, partim in stipendia militū & bellum expēsos, ad medium mensem Augustum exoluturum esse: ac tum demū vt sibi arx sua reddere tur. Deinde rex, si vellet, iniuriam suam suorūque persequeretur. Quod ni ad eā diem exolueret, post id tempus pro damnis quoq; deligendorum vtrinque arbitrorū arbitrio regi satisfaceret, priusquā sibi arx redderetur. Quòd si ipse è viuis excederet, pacta hæc ad Venceslaū fratrē Zatoriensium ducem pertinerent. Quas cōditiones rex approbauit, & Ioannem in gratiā recepit. Parsouia Petricouiā ad alia comitia ad diem natalē diui Ioānis Baptistæ indicta itum est. Ibi fortassis acta sunt ea cum rege, & à rege, quæ Dlugossus Parsouię acta esse prodidit. Ibi quidem prolata est ab archiepiscopo regis promissio diplomate consignata, postulatumque à rege, vt ei promissioni tandem satisfaceret. Sumpta ad deliberandum die, respondit ille: Non licere sibi aduersum priori iuriiurando, quod Lituanis dedisset, iusiurandum dare: daturum tamen, sed vti regem modò Polonorum, non etiam vti Lituanorum principem. Captiosum, sicuti reuera erat, id iusiurandum visum est. Itaque instare proceres vnà cum Sophia regis matre, vt captione illa rex abstineret: & commendato cuipiam Lituanorum principatu, Polonam rempublicam per se ipse diligentius administraret: Lituanos à suo contubernio amoueret: quatuor viros de primoribus Polonorum senatoribus publicè designandos semper in consilium adhiberet, ac de illorum sententia cuncta ageret ac decerneret: quæ verò præter sententiam ipsorum acta vel decreta forent, vt irrita essent: stationes & subuectiones vti moderatius & more antiquo exigeret. Ni hæc faceret, diutius

Osuencimensis dux Parsouiam profectus.

Osuencimensis ducis pacta cum Polonis.

Comitia Petricouia.

Polonorum postulata à Rege acerbiora.

non esse expectaturos, quin sibi reiq; suę publicæ aliter prospicerent: dictisque facta adiecerunt, ac data & accepta fide mutuò sese obstrinxerunt, neutiquam defuturos esse patriæ reipublicæ. His tandem tam importunis postulatis atque etiam minis motus Cazimirus, iusiurandum, quale petebatur, dedit. Quo facto, proceres cætera postulata remiserunt, siue adeò in aliud tempus reiecerunt, veriti ne ægrotum regis animum exacerbarent: simul sperantes eum tempore sanatum iri: Præmislo Toscensi è senatusconsulto induciæ in biennium concessæ: itemque Bernardo, Boleslao & Nicolao Oppoliensibus ducibus. In nonum vsque diem tunc durauêre comitia: quod quidem velut nouum & inusitatum Dlugossus memorat. Quomodo is nunc acciperet, cùm in tertium, interdum in quartum & quintum etiam mensem durant. Rex Petricouia discedens, paucosque dies Cracouiæ cōmoratus, in Lituaniam secessit. Ratus autem Ioannes dux Osuencimensium absente eo oblatam sibi esse occasionem recuperandi arcem Osuencimensem, quam tunc ab eo traditam Ioannes Curopatuua regio nomine obtinebat, facta manu subitaria, eam adortus est. Sed repulsus à nostris cum ignominia, ruinas vetustæ arcis, cui Volco nomen fuit, refecit, indeque latrocinio vexare Poloniam cœpit. Quare exciti Poloni proceres, aulicos regis atque suos comitatus duce Ioanne Tencinio palatino Cracouiensi ad obsidendam eam arcem miserūt: & facilè ea per vim potiti fuissent, nisi nobilium iuuenum, qui voluntarij ad eam militiam concurrerant, ne quid in oppugnatione aduersi paterentur, ratio ducta esset. Interea pax data Ioanni petenti ea conditione, vt accepto certo precio, de quo tunc conuenit, omni prorsus ditione Osuencimensi regi Polonisque cederet. Sic tandem Osuencimensis regio longo quasi postliminio in ditionem Polonorum redijt: nobilitasque omnis eius oræ sequentis anni initio solenni iureiurando fidem suam regi & regno obstrinxit. Quanquam ne postea quidem quieuit Ioannes, donec repertis identidem pactis, auctoque precio post tertium annum ius omne suum regi concessit. Per hæc tempora maiores in Prussia motus à nobilitate & ciuitatibus contra Crucigeros extiterunt, cùm Imperator Fridericus, quem iudicem partes sibi sumpserant, illos non modò nō vindicasset ab intolerabilibus impotentium dominorum iniurijs & contumelijs

Polonorum procerum cōfœderatio.

Iusiurandum regis Poloniæ datum.

Comitiarum dierū.

Osuencimensis arx frustra tentata à Ioanne duce.

Volcum arx instaurata.

Osuencimensis principatus redijt in potestatem regis Pol.

1454. ann. mensis conuentus iurauit in verba regis Polon. Osuencij

Friderici imperatoris arbitriū inter Prussos & Crucigeros

melijs & tyrannide, verùm etiam confœderationem ipsorum aduersus eos publicè initam, decreto suo abrogasset, nobilitati quidem pœnam, prærogatiuarum siue priuilegiorum omnium amissionem, ciuitatibus verò sexcentorum millium florenorum mulctam irrogans, atque ita duriori seruituti illorum eos addicens. Itaque illi magnitudine iniuriarum & contumeliarum permoti, cōspiratione inter se facta, plerasque omnes munitiones & oppida sex & quinquaginta in potestatem suam, eiectis Crucigeris, redegerunt: missaque ad regem splendida legatione, ea omnia, seque, & omnem Prussiam, Pomeraniam, Culmensem, & Michalouiensem terram ei dedebant. Sendomiriæ ea legatio regem è Lituania reuertentem reperit: sed Cracouiæ Februario mense adesse iussa est.

Prussi se & munitiones suas regi Polon. dedunt.

Nam rex ad nuptias in illud tempus cōstitutas festinabat: quo etiam frequens senatus (quo inconsulto nihil de re tanta statuere poterat) cōuenturus erat. Nona die Februarij noua nupta Cracouiam splendido comitatu aduenit, à rege ipso vnà cum matre obuiam ei profecto deducta. Dos ei centum millium aureorum numûm fuit promissa, ea conditione, vt ea penes regem remaneret, etiamsi illa sine liberis decessisset. Nec tamen ea numerata est. Rex verò ei loco muneris nuptialis prouentus annuos quinque millium marcarum in salinis Bochnensibus & Veliciensibus constituit. Postridie contentio inter Archiepiscopum & Sbigneum cardinalē fuit de nuptiali ceremonia, vter eius administer esse deberet: quòd ille Archiepiscopus & primas, hic cardinalis & Cracouiensis episcopus, vbi hæc agebantur, esset. Re diu agitata, conuenit tandem, vt Ioanni Capistrano eum honorem deferrent. Erat autem is Italus non ignobilis de sodalitio Franciscanorum, qui se Obseruantes & Bernardinianos appellant, doctrina, facundia & sanctimonia vitæ pollens, vsque adeò vt multis miraculis eam comprobaret. Susceperat autem peregrinationem Boemorum maximè ad rectam religionem reducendorum gratia: & cū in ea re apud Boemos non multum profecisset, à Sbigneo cardinali accitus, anno superiori Cracouiam effusa obuiam omni penè ciuitate cum sacerdotibus & episcopo atque ipso etiam rege & regina, aduenerat: & posita in foro, ac deinde hyberno tempore in æde Virginis matris cathedra,

Nuptiæ Casimiri regis cū Elizabetha Alb. Cæsaris filia.

Cōtētio inter Card. & Archiep.

Ioan. Capistranus Franciscanus vir sanctus in Polon. venit.

quotidie per interpretem ad populum conciones habebat, & multos ægrotos diuina virtute sanabat: autorque fuit Sbigneo, vt cœnobium omnium primùm in Polonia suo sodalitio sub arce ad Australem portam vrbis conderet. Huic ergo tunc datum est negocium, nouos coniuges ritu solenni coniungēdi. Sed cùm is neque Polonicam, neque Germanicā linguam calleret, ac Sbigneo muneris eius functionē adiudicaret, Sbigneus vtriusq; linguæ peritus cedente Archiepiscopo id peregit. Archiepiscopus verò sacris operatus, nouam reginam inunxit, ac diademate cinxit. Post hæc Prussorum legati, quorum princeps Ioannes Basenus erat, in senatum introducti, facta audientia prolixè exposuerunt, qua improbitate, & quibus artibus Crucigeri Pomeraniam & Michalouiensem tractum olim Polonis interuertissent: qua crudelitate in Dobrinum, Cuiauiam, Masouiam, cæteramq; Poloniam parentem suam ferro & igni debacchati, in solitudinem ferè eas oras redegissent: quàm infidam incertamque pacē cum Polonis coluerent, semperque colu issent: deinde quàm acerbo, crudeli, cōtumelioso, & impotenti dominatu in se vsi essent, atque etiam tum vterentur: commemorabant eorum rapinas, stupra, & libidines in vxores, liberosque suos è complexibus maritorum atque parentum abstractos. Quod si qui contra mutire ausi essēt, in eos verbera, vincula, & sexcenta tormentorum genera, capitis deniq; supplicia deprompta esse. His tot ac tantis malis vt occurrerent, se confœderationem quandam, quam ligam vocabant, inter se fecisse. Eam verò à duobus Magistris, Paulo & Conrado approbatam & confirmatam, à Ludouico, qui tunc Crucigeris præerat, abrogari cœpisse, & Imperatoris Friderici opem contra se quasi rebelles subditos imploratam esse. Ad eum se legationē splendidam purgandi sui, Crucigerorumque accusandorum causa misisse: legatos suos per Morauiam iter facientes à latrunculis, quos Crucigeri subornauissent, captos, & in vinculis aliquandiu asseruatos, & ad extremum dimissos, ad Imperatorem peruenisse. Ibi cùm is ex compromisso iudicium instaurasset, nihil æqui se impetrare potuisse, eoque re adhuc integra iudicem illum recusasse. Nihilo tamē minus instantibus aduersarijs, & legatis principū Germanorum, quos ij corrupissent, adiuuantibus, non modò abrogatum esse fœdus suum,

Cœnob. D. Bernardini.

Prussorum querelæ de Crucigeris.

Confœderatio Prussorum.

Prussorū legati capti.

Prussi iudicē Fridericū imperatorem recusarunt.

suum, verùm etiam sexcentorum millium florenorum mulctam sibi dictam esse: atque adeò infamia se notatos, & libertate priuilegijsque spoliatos, seruorum aut pecudum in morem tam impotentibus dominis addictos esse, & ab ijs deinde trecẽtos morti destinatos. Eam tyrannidem se diutius ferre non potuisse: sed sumptis armis Crucigeros eorumque magistratus & præsidia ex oppidis, vrbibus, atque arcibus plerisque omnibus eiecisse, neq; deinceps in potestate eorum fore. Scire autem se probè, à Polonia se, orasque illas à se cultas & habitatas, olim partim dolo, partim per vim ac per summam iniuriam auulsas fuisse: non ignorare, Crucigeros initiò Polonorum beneficio in illis oris consedisse. Ad illorum igitur, qui & Crucigerorum patroni, & iusti domini sui essent, opem se supplices cõfugere, eisque se suaque omnia dedere: orare, ne se in extrema sua necessitate despicerent, neue opprimi, & ad extremum excindi paterentur. Nihil autem esse, quòd Poloni vererentur, ne ea re fœdera cum Crucigeris violarent. Iam ab illis prius violata esse, cũ ciues Chosnenses, propterea quòd ij se vrbemque suam bello adacti Polonis dediderant, contra quàm in pacificatione conuenerat, capitis supplicio affecissent, & noua fœdera cum Lituanis aduersus Poloniam dudum icissent. Non voluntate Crucigeros, neque pacis colendæ studio, sed vi à se adactos, pacem cum Polonis fecisse, & in eam diem seruasse. Se enim cunctam superiorum bellorum molem, dum illi Mariebürgensis arcis mœnibus sese ferè continent, sustentasse: defessos autem & exhaustos, ad pacem illos impulisse. Non aliena Polonos occupaturos, verùm sua recepturos esse, quæ ipsis sedes Apostolica aliquoties adiudicasset: spondere autem sibi fortunam regis, & Polonicæ gentis virtutem, illa omnia è sententia sua ipsorumque processura esse. Nec se sibi defensoribusque suis esse defuturos. Huiusmodi ferè fuit Prussorum oratio. Relata re ad senatum. Vera esse quæ dicebantur à Prussis, omnes recognoscebant: meminerant multi, Crucigeros quater ictum cum Iagellone rege fœdus rupisse: & ad extremum, vt Pontificis maximi & Basileensis concilij authoritate id sibi facere liceret, elaborasse: ciues Chosnenses, propterea quòd se regi in bello dediderant, contra pacta & iusiurandum suum immaniter interfecisse: commercia cum Polonis capitali supplicio Prussis interdixisse. Memorabant seniores, eos cum hostibus Polonorum consilia & arma socia non semel coniunxisse, Polonisque pium aduersus barbaros bellum diuersa parte gerentibus, Poloniæ fines impiè & perfidè infestasse: nulla cum eis fœdera, nullam certam pacem esse. Hæc tunc in senatu commemorabantur: sed tamen de acceptanda deditione variabant sententię. Censebant multi: Nonnulli, quorum princeps Sbigneus fuit, dissuadebant: alij verò ad comitia rem integram reijciebant: cuius sententiæ Tencinius palatinus Cracouiensis author erat. Nec deerat suis ex altera parte Crucigerorum legatus, thesaurarius eius ordinis, qui ad cohonestandas regias nuptias missus, quinquaginta millia florenorum ad corrumpendos proceres Polonos secum attulerat. Atque is cùm vniuersos publicè fœderum admonebat, tum priuatim singulos orando & pollicendo prensabat. Ad extremum clientes ac vectigales regi Polonisque Magistrum atque Crucigeros in futurum omne tempus fore promittebat. Quo circa quindecim plus minus dies consultando absumpti sunt. Legati Prussorũ vbi cõperendinari rẽ animaduertêre, contẽderunt à rege, ne differret: alioq; se alios dominos & patronos sibi quæsituros esse, qui obuijs, quod aiunt, vlnis tam luculentam conditionem accepturi essent. Apparebatque eos in Boemiam ad Ladislaum regem profecturos esse. Nam is cupere id se significabat. Interim afferebatur è Prussia, nobilitatis & ciuitatum partes indies meliores fieri. Magistrum & Crucigeros in angustum redactos, Mariebur gi & Stumæ ferè munitionibus sese tueri: Brodniciã arcem, ne in aduersariorum potestatem veniret, Ioanni Coscelecio Inouuladislauiẽsi palatino à commendatore siue præfecto traditam esse. Nam oppidum in fide Crucigerorum mansit. His igitur impulsi rex atque proceres Poloni, ne tam luculentam & insperatam occasionem recuperandi ea, quæ maiores sui olim amiserant, vix vnquam postea redituram, sibi elabi paterentur, deditionẽ Prussorum accepêre: tametsi præuidebant nonnulli mot⁹ bellorum qui inde consecuturi, & Poloniam atque Germaniam inter ipsas collisuri essent: verebanturque quorsum tanta illa & inopinata prosperitas ad extremum euaderet. Thesaurarius vbi acceptam esse deditionem didicit, absque mora Cracouia discedens, in Si-

Prussi Polonos pro iustis dominis agnoscunt.

Crucigeri fœdera cum Polonis violarunt.

Crucigeri quomodo se gesserint contra Polonos.

Senatus Polonici varia sententiæ de recipiendis Prussis.

Crucigeri non desunt sibi.

Crucigerorum res minus prosperæ.

Prussi à Casimiro rege Polon. in fidem accepti.

in Silesiam, indeque in Misniam & Saxoniam, mercenarios milites conductū contendit. Prius tamen aculeum, & veluti seminarium quoddā intestini mali atque dissidij, quo distinerentur nostri, immisit, cùm Petrum Saffranecium, hominem callidum, audacem, & factiosum, & latronum, furum atque sicariorum, vt inquit Dlugossus, socium & fautorem, donis promissisque clam corrupisset, vt bello & latrocinio Poloniam exagitaret. Et facilè id erat persuadere homini turbulento, & huiusmodi rebus assueto, & qui se ob id regi bonisq; omnibus inuisum esse intelligeret. Nō latuit hoc regem atque proceres. Verùm nōnullis res visa incredibilis. Alij porrò dissimulando sanatum iri insaniam eius iudicabant. Missi extemplò in Prussiam Andreas episcopus Posnaniensis, & Ioannes Conespolius cancellarius, iusiurandum ab vniuersa nobilitate ac ciuitatibus concepta formula in verba regis datum acceperūt. Episcopi in aduentum regium dilati sunt: arces, quibus rex iusserat, traditæ. Quanquam Torunenses, Elbingenses, Gdanenses, & Kynixbergēses, siue Regiomontani ciues, eas, quæ vrbibus suis imminebāt, diruerant. Quæ res neque nostris, neq; Prussicæ ipsi nobilitati placuit: sed neq; aduersandi, neque factum reprehendendi tempus tunc erat. Per idem tempus Fridericus marchio Brandenburgensis nouam Marchiam, quæ Cassubiæ pars fuit antiquitùs, detrectantem & ipsam Crucigerorum imperium, in deditionem accepit, missaque ad regē legatione, vt cum bona eius venia id fieret, petiuit, auxilia contra Crucigeros pollicens. Sed nihil certi respōsum est, propterea quod Stolpensium quoque Pomeranorum dux eam petebat, & suo quodam iure sibi vendicabat, & in clientela & fide regis fore se vnà cum ditionibus suis, duoque millia equitum ad quoduis bellum regi Polono adducturum, pollicebatur. Ne huic quidem certum responsum datum. Tametsi Vapouius, Marchionem occupatione Cassubiæ, quæ iuris fuisset Polonici antiquitùs, abstinere iussum esse scribit. Ni faceret, vi & armis depulsum inde iri. Vngarorum quoque & Boemorum rex Ladislaus eam ditionem iure quodā suo repetebat. Misit deinde rex legatos ad Ladislaum quidem Nicolaum Chranstouium tribunum Cracouiensem, ad Imperatorem verò apud Ratisponam Germanorum comitia tunc

Petrus Saffranecius redemptus à Cruciger. latrocinio turbat Polon.

Prußi iurant in verba regis.

Arces à primarijs ciuit. Prußiæ dirutæ.

Noua Marchia à Frid. Brādeburg. occupata.

Frid. march. & ducis Pomeran. legationes ad regem Cazim.

Legationes à Cazim. rege ad regem Vng. & Boemiæ, ad Imper. & ad Pontif.

habentem, & ad Pontificem maximum Ioannem Brezium Luteci filium iureconsultum, qui factum suum defenderent, & Crucigerorum querelas refellerent: ipse Breste Lituanicum ad conuentum Lituanorum excurrit, & cum his constituit, vt Liuoniensium auxilia transitu in Prussiam prohiberent: inde mox Lenciciam ad comitia ad Calendas Maias indicta contendit. Ad quæ pauci de minoribus Polonis & Russis aduenêre. Decretum autem ibi est, vt rex Toruniam se conferret pacandæ Prussiæ caussa: Cuiauios atque Dobrinios, si opus esset, ad aulicum comitatū suum in auxilium Prussorum, qui tunc Crucigeros Marieburgi & Stumæ, & in Brodniciensi oppido ipsi per se simul & mercenario milite è Polonis & Boemis collecto obsidebant, adiungeret. Masouij verò duces frustra iterum à rege & Lituanis sua ibidem repetiuerūt, quāuis omnes copias suas regi ad Prussicum bellum pollicerentur. In Prussiā deinde itum est, magna & splēdida procerum caterua regem comitante. Ibi Toruniæ, Elbingæ & Gdani iteratum publicè à proceribus, nobilitate, & ciuitatibus ritu solēni iusiurandum in verba Cazimiri & successorum eius regum Polonorum, tribus palatinis in sua quoque satrapia præeuntibus. Episcopi quoque tres, nempè Arnoldus Culmensis, Gaspar Pomesaniēsis, & Nicolaus Sambiensis, cum suo quisque sacerdotum collegio in verba regis iurarunt, abiectoque regis permissu, cultu Crucigerico, veterem habitum Diui Augustini regulam profitentium resumpserunt. Quartus Franciscus Varmiensis apud Crucigeros Marieburgi erat: sed collegium tamen eius vnà cum cæteris iusiurandum dedit. Ladislai deinde regis legati Boemi Ioannes Bernstenius siue Rosembergius, & Sdencus Costca (nam Chranstouius nihil certi retulerat) auditi, expostularunt cum rege, quod suo rege inconsulto Prussorum deditionē secus quàm Cracouiæ in nuptijs pollicitus erat, accepisset: postularuntque vt Pragam legatos mitteret cum luculentis mandatis ad constituendum de rebus Prussicis: quarum cura magnopere ad regem Boemorum pertineret, quod & patronus Crucigerorum esset, & Prussiam omnem nuper interueniente Alberto Friderici marchionis Brādeburgensis fratre germano à Crucigeris in deditionem accepisset. Interim autem, vt Cazimirus obsidiones instituas

Comitia Lēcicie.

Crucig. obsessi à Pruß.

Masouiorum preces irritæ.

Episcopi Prußici iurant in verba regis Polonorum, et cultum Crucig. abijciūt.

Varmiense colleg. iurat in verba regis.

Ladisl. Boemi regis legatio ad Cazimirum.

Crucig. dedidere Prußiā Ladisl. regi.

tutas solueret, belloque Crucigeris inferendo supersederet. Ridiculè superba & arrogans nostris visa est ea legatio, neque à miti ac ciuili Ladislai ingenio profecta: id quod paulo post secreto ipsorum legatorum indicio compertum est. *Georg. Podiebradium.* Nam ij Georgium Podiebradium, penes quem tunc summa rerum apud Boemos erat, eius legationis authorem prodiderunt. Itaque ad eam nihil aliud responsum est, quàm Cazimirum nunquam recepisse Ladislao, quod ipso inscio Prussos in deditionem accepturus non esset. Ad cætera eum per suos legatos respōsurum esse. Ita dimissi Boemi, nec permissi Marieburgum ad Crucigeros ire. Ladislaus verò cùm è legatis suis reuertentibus legationis suæ summam, responsumque Cazimiri cognouisset, *Alia Lad. legatio.* Ioannem Rabstenium ad eum properè misit, priorem legationem corrigens, & pollicens, non obstaturum se esse, quo minus ille omni Prussia potiretur. Grata hæc fuit legatio regi, cunctisq;. *Legatio Cazim. ad Lad.* Itaq; missi in Boemiam Ioannes Tencinius palatinus Cracouiensis, & Petrus Samotulius castellanus Posnaniensis, vt volūtatem illam Ladislai confirmarent. At *Comitia Prussorum Grudenti.* Cazimirus comitia Prussorū apud Grudentum habuit: ibi tributū siue exactio *Tributum decretum.* certa in capita constituta est, vnde emerita stipēdia Boemis mercenarijs, quos primo motu Prussi acciuerant, & qui Marieburgum etiam tum ignaui obsidebant, soluta sunt: dimissique ij sunt, siue quod ambiguę fidei esse viderētur, siue quod nimio conducti essent. *Stipendium equestre ingens.* Nam sex & viginti floreni in tres menses equiti numerabantur. Id adeo necessitas Prussis expresserat, ne militari præsidio nudi à Crucigeris opprimerentur, & vt ij secum potius contra Crucigeros, quàm cum illis contra se essent. Pro Boemis verò aulicum suum comitatum rex ad continuandam obsidionem Marieburgi misit, præfecto ei Ioanne Sciecocinio præfecto Lublinensi. *Ioan. Scecocinius præfectus Lublinensis.* Decretum est etiam, vt sedecim ex nobilitate & ciuitatibus allecti à consilijs regi essent, qui cum eo de republica Prussica consultarent, summoque iudicio præsiderent: *Consiliarij Prußici.* itemque vt arces & munitiones episcoporum atque ecclesiarum, quoad bellum duraret, in potestate nobilitatis essent. *Munitiones ecclesiasticæ nobilitati cōmissæ.* Hæc adiuncta ad illas prærogatiuas, quæ initio deditionis Cracouiæ ipsis à rege datæ erant: qui *Prussor. vnio cum Polon.* bus Prussi cum Polonis quasi in vnum corpus redacti sunt, nimirum vt eorum consiliarij cum Polonis pariter in comitijs de republica consultarent, *Prærogatiuæ & priuilegia Pruss.* ad honores & magistratus regni admitterentur, ius creandi regis pariter haberent: cæterum suo quisque iure, seu Culmensi mallent, seu Saxonico, seu Prussico, seu denique Polonico, viuerent: quę bona quisque antiquitus siue priuatim, siue publicè obtinuisset, deinceps quoque retineret: telonia cuncta & portoria, nominatimque id quod librale, seu funtzol Teuthonicè dicebatur, quo *Funtzol sublatum.* duo oboli à quibus suis mercibus in marcam Prussicam exigebantur, & pensio ea, quæ à Polonis principibus in Pomerania olim instituta, Narzas siue porcus vulgò vocabatur, remissa & sublata: *Narzas.* merces naufragio eiectæ, ijs quorum fuissent, aut legitimis eorum hæredibus remissæ (Nam eas antea Crucigerorum præsides iniustè vsurpabant) *Naufragæ merces.* honores & magistratus publici, & præfecturæ arcium ne cuiquam externo secundum vsum & consuetudinem cæterarum regionum Poloniæ mandarentur: *Externi ab honoribus exclusi.* ius monetæ Toruniæ, Elbingæ, Kynixbergæ & Gdani cudendæ cum imagine & inscriptione regia, quoad bellum duraret, in commune eis concessum. *Moneta.* Finito verò bello vt Toruniæ modò & Gdani regio nomine sumptuque ea cuderetur: Mercatoribus verò potestas facta est quoquouersus in Poloniā cum mercibus proficiscendi, easque deponendi, & vænum exponendi vbicunque vellent. *Mercatura.* Ad extremum Ioannes Basenus, vicari⁹ regis & gubernator, cùm rex abfuturus esset, constitutus: *Ioan. Basenus gubernator Prußiæ.* Gdanēsi verò ciuitati, cùm ea splendidè & honorificè in primis regem cum omni comitatu ipsius accepisset, peculiariter census septingentarum mercarum remissus: moletrinæ omnes vrbanæ, & insula minor adiacens, addicta & attributa: *Insula minor.* tredecim modò pagos, ac duo prædia rex sibi excepit, & pro his omnibus annuam pensionem duûm millium aureorum ciuitati, vnde Crucigeris sexaginta aureorum millia quotannis prouenisse scribit Vapouius, imposuit: itēque vt ea quotannis quatuor dierum sumptus sibi vnà cum omni comitatu suo aulico præberet: *Gdanenses quid regi debeant. Gdanensium reditus publici.* pro arce verò diruta vt magnificum palatium sibi in vrbe, horreumque siue granarium, & stabulum cocto latere exædificaret.

MAR-

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER SECVNDVS ET VICESIMVS.

Legationes Pontificis & Imperatoris ad Cazimirum.

ONVENTV Grudētino ſoluto Toruniā rex rediijt, cùm quinque legatos è comitijs Ratiſponenſibus, Pōtificis maximi, Imperatoris, principum Electorum, Philippi Burgundionum, Ludouici Bauarorū ducum, ac totius Germaniæ nomine ad ſe venire cognouiſſet. Atque ij cùm in ſenatū introducti eſſent, petebāt à rege, vt Crucigeris data venia, ſi quid deliquiſſent, Pruſſiam omnem redderet: atq; ad bellum Turcis inferendum, recuperandāque Conſtantinopolim arma ſecum & cum cæteris Chriſtianis principibus cō iungeret. Imperatori & Germanis curæ eſſe res Pruſſicas, & earum cauſa maximè eos alia comitia Francofordiam ad Mœnum ad tertium Calēdas Octobris indixiſſe. Rex, quo diutius Germanos bellum contra ſe molientes ſuſpenſos teneret, nihil aliud reſponſi legatis dedit, quàm ſuos ſe legatos ad illa ipſa Francofordienſia comitia de rebus ijs miſſurum eſſe. Petebant deinde legati, vt ſibi ad magiſtrum Crucigerorum adire liceret: atque vt rex Marieburgi, Stumæ & Brodniciæ obſidionem ſolueret. Sed neutrum impetrarunt. Sabellinis autem veſtibus honorificè munerati dimiſſi ſunt. Non multo pòſt ij, qui Stumæ in præſidio erant, fame inualeſcente, ita vt quinquaginta de eis perirēt, arcem regi cum apparatu bellico dederunt, vitam modò & res ſuas ſaluas pacti. Et quinquaginta quidem ex ijs Marieburgum ad ſuos ſe receperunt macie tabeque luridi, centum reliqui, in quibus erant quatuor Crucigeri, in caſtris regijs manſerunt. Apud Marieburgum verò cùm obſeſſi in noſtros erupiſſent, cruenta pugna coorta, hoſtes magna ſtrage in arcem compulſi ſunt. Ac longè maior ea fuiſſet, ni hoſtes fugientes puluis texiſſet. Gdanenſes verò nauem pice, reſina, ſulfure, & eiuſmodi ignis alimentis plenam, ſupernè, in pontem Marieburgenſem ſecundo Nogato impulerunt: ſed magno tamen conatu hoſtium pons incendio correptus, ſeruatus eſt. Iam verò & ipſi inter ſe præſidiarij milites iurgio propter ſcortum concitato, intra arcem conflixerunt, ducem que ſuū interfecerunt. Nō ceſſabat interim theſaurari⁹ Crucigerorū in Germania: ne Magiſter quidē Germanic⁹: atq; is bona & reditus ſuos diſtraxit, vt ſocijs in Pruſſia laborantibus celeriter opē ferret. Itaq; ab his duobus octo millia mercenariorū militum, peditum pariter & equitū è Germanis, Boemis & Sileſijs cō ſcripta, ac Baltaſſare & Rodolfo Zeganenſiū ducib⁹, & Bernardo Sumbergio Boemo ductoribus per nouam Marchiam in Pruſſiam miſſa ſunt. Et iā Plauenius Boemus, Crucigerorū & ipſe ſtipēdia merens, cum mille equitibus à Choinicienſibus in vrbem receptus erat: magnaq; Polonis dāna agros vaſtando intuliſſet, niſi Nicolaus Sarleius palatinus Vuladiſlauienſis præfectus Slochouienſis ac Tucholienſis cum mille ducentis equitibus, & ſeptingentis peditibus ferociam eius repreſſiſſet. Hæc vbi cùm amicorū admonitu è Germania, tum exploratorum relatione à noſtris cognita ſunt, rex maiores Polonos ſolos arma ſumere, & ad Choinicia præſtò eſſe iuſſit. Adfuère ferociores quàm armatiores, ac diſciplinæ militaris expertes, per ſuorum agros nō ſecus quàm per hoſtiles rapinis, incendijs, ſtupris & ſacrilegijs debacchantes. Venientibus ad Cerequiciā altero à Choinicia milliario rex occurrit: tumultuantesque, ac de prærogatiuis & iuribus ſuis intempeſtiuè flagitantes vix ſedauit, & in ſeptē turmas diſtribuit: inſtructoſque ad Choiniciā, quò hoſtes contendere nunciabantur, duxit. Suadebant nonnulli proceres regi, ne cum imperita illa & minimè obſequenti multitudine hoſti pugnandi copiam faceret: ſed pateretur eū Choiniciā ingredi. Ibi eum facilè quaſi retibus & caſſibus concludi, & cōmeatus inopia fameque ſine ſanguine citò expugnari poſſe. Breui enim omnem eius arcis cōmeatum à tanta multitudine exhauſtū iri. Aut ſi tandem committere prælio rem vellet, quod maiores Poloni poſcebant, aulicum comitatum à Marieburgi obſidione, aut verò Ioannem Ciarncouiū caſtellanū Gneſnenſem, & Ioānē Vedeliū cum quinque millibus, quæ ad præſi-

Reſpōſum regis.

Stuma regi dedita.

Res geſtæ apud Marieburgum.

Plauenius. Res geſtæ apud Choiniciam.

Maiores Poloni ad arcendos hoſtes educti tumultuantur, ſuaq; infeſtant.

Cerequiciā.

præſi-

præsidium, ni fallor, maioris Poloniæ reliquerat, acciret. Dissuadebat Ioannes Conespolius cancellarius de aulico comitatu, ne obsidione remissa hostes releuarentur. Asseuerabant maiores Poloni in se satis virium esse, vsque adeò, vt vel aurigarum suorum flagellis hostes in fugam actum iri iactarent. Quocirca non grauatè eis rex cessit, præsertim cùm de paucitate hostium intellexisset: neque enim procul ij aberãt. Fortè autem speculatores vtriusque partis in se inuicem inciderunt: commissoq́, prælio, nostri non incruẽta victoria potiti sunt. Ad quartum decimum Calendas Octobris, cùm hostes aduentare dicerentur, rex acies instruxit, easq́ue regendas atque ducendas Lucæ Gorcano Posnaniensi, Stanislao Ostrorogo Calissiensi, Nicolao Sarleio Inouuladislauiẽsi palatinis, atq; Derslao Rithuianio castellano Rosperiẽsi, nobilibus quidẽ illis hominib⁹ & potentibus, verùm in arte militari non magnũ vsum habentibus, cõmisit, cũ id vltro sibi depoposcissent, & suũ id esse officiũ contenderent. Sub vesperũ tandẽ hostiles acies apparuêre. Abcessit nostris prior illa alacritas & ferocitas cõspecto hoste, cœperũtq; trepidare ij, qui nunquã armatas acies aspexerãt. Duces Poloni ad iniquũ locũ & limosum, vbi equi cõmodè circũagi non poterãt, instructũ exercitum deduxêre, & in confertos hostiũ ordines impetũ fecêre. Et fauit quidẽ initiò nostris fortuna. Turbati primi hostiũ ordines: Zeganensium dux alter interfectus, Bernardus Sumbergius viuus captus. Sed mox acrius connixi hostes sparsos & sine ordine pugnantes nostros repressêrunt. Ibi trepidari & concursari temerè à nostris cœptum est. Submittebant tamen duces laborãtibus subsidiarias cohortes, exæquataq; erat pugna, cùm subitò extremum agmen, in quo rex erat, nulla euidenti causa expauefactum, in fugam se coniecit, nequicquã retinente & reuocante rege. Quo cõspecto, ij quoque qui in prima acie pugnabant, fugientes suos secuti sunt. Perseuerabat rex cum paucis instaurãdo pugnam. Quod nisi vi ab ijs, quibus eius custodia mandata erat, abstractus esset, viuus in hostium potestatem venisset. Hostes victores castris quoque opulentis, in quibus ad quatuor millia curruũ fuêre potiti sunt, nec tam grauis, quàm ignominiosa ea clades nostris fuit. Vix sexaginta desiderati: in quibus insignes fuêre Petrus Sciecocimus procancellarius, Nicolaus Morscius vexillifer Sendomiriensis, Ioannes Zauissij Nigri filius præfectus Colensis, & Ioannes Rizinius: capti trecenti triginta, inter quos nobilissimi Lucas Gorcanus, Nicolaus Sarleius, Ioannes Felix Tarnouius, Ioannes & Nicolaus Rithuianij, Aegidius Suchodolius, Ioannes Melstinius, Sendiuoius Lezenscius, Petrus Stricouius, & Bartholomæus Ogrodeneci⁹ fuêre. Sed in his complures erant, qui fugæ turpitudine secum reputata, cũ euadere possẽt, siue adeo iã euasissent, reuersi hostib⁹ sese dedidêre. Captiui Marieburgum deducti, ac duri⁹ habiti, maxima pars interiêre. Mortuos ne sepultura quidem crudi & immanes hostes dignati sunt: sed equis tractos, in profluẽtem abiecêre. Eius verò cladis culpã opinione hominum ducum imperitia, qui neq; idoneum prelio locum cepissent, neq; leuiorẽ equitatum ad turbãdos & perrumpendos hostiũ ordines præmisissent, neque quicquam omnino prouidissent, sustinuit. Sed fortasse fletibus & eiulatibus sacerdotum, monachorum, viduarũ, pupillorũ & agrestiũ, quorũ facultatib⁹ maiores Poloni ad id bellũ proficiscẽtes crudeles & sacrilegas man⁹ adiecerãt, id suppliciũ expensum est. Sunt qui regijs facinoribus eam cladẽ acceptã referant: atq; id postea Sendiuoio cuidam theologo canonico Gnesnensi, homini pio & religioso, diuinitùs reuelatũ esse, eumq́ue ad regem venisse, & assurgere, stareque iusso dum Dei mandata audit, semotis arbitris magna Dei beneficia, & ipsius ingratitudinẽ peccataq; exprobrasse: & ni mutaret mentẽ, grauiora cõminatum esse. Inuidia quidem fortunæ regiæ, quæ suspecta erat multis, clade hac non maxima expiata est. Cruciferi obsessi, vbi de suorũ successu certiores facti sunt, nimia lætitia, quasi debellatum iam esset, exultauêre: solus marsalcus vir prudens tristior, vereri se dixit, ne plus illa victoria victoribus, quàm victis mali afferret. At Prussicæ insigniores ciuitates missis ad regem Nessouiam, quò se receperat, legationibus, hortatæ sunt eum, ne vno illo aduerso casu frangeretur: reciperet animum, & peccatum illud corrigeret. Se fidem semel datam nunquam mutaturos, & facultatibus atque corporibus suis ipsi ad extremum vsque non defuturos. Rex collaudatis eis respondit, irritatum se magis esse clade illa, quàm fractum. Curaturum autem ne lætitia illa hostibus diuturna esset. Soluit deinde obsidionem Marieburgi, easq́ue copias accitas ad se, in præsidia arciũ ac cæterarũ munitio-

Duces copiarum.

Prœliũ apud Chomiciam.

Zeganensis dux occisus.

Sumbergius captus.

Polon. fuga & clades.

Cazim. regis fortitudo.

Cæsi & capti nobiliores.

Crucifer. immanitas.

Cladis acceptæ causæ.

Cazim. rex à Sendiuoio canon. Gnesnensi correptus.

Marsalci Crucig. prudentia.

Prußicarum ciuitatũ studium erga regem.

Arces Prussicæ Polonis commissæ.

nitionum distribuit, præfectis ex aulico comitatu suo impositis, propterea quod Prussi minus diligenter eas seruabant: & nuper adeò

Stuma & Preismarca ad Cruciferos defecere.

Stumenses & Preismarcenses oppidani contempta paucitate præsidiariorum, qui Ioannis & Gabrielis Basenorum familiares erant, ad hostes defecerant. Ad hæc Dersauia &

Gneni Dersauiæque deditio.

Gneuum, quam Meuam Germani vocant, oppida in ripa Vistulæ sita adueni enti à Choinicia exercitui Cruciferorũ vltrò portas aperuêre. Id igitur malum » ne latius serperet, vt sunt fere mentes » hominũ secundum flatum & reflatum » fortunæ mutabiles, & arces rex oppida que præsidijs muniuit, & mercenarium militẽ è Silesia, Morauia & Boemia acciuit: & verò Poloniam reliquam, Russis & Podolijs ad subitas Tattarorũ excursiones reprimendas relictis, ad bel-

Polon. expeditio in Prussiam.

lum exciuit. Instabat quidem hyems, veruntamen impigrè paritum est. Tantus erat in animis omnium ardor ignominiæ, quæ apud Choiniciam erat accepta, delendæ, ac retinendæ Prussiæ. At Cruciferi gloriosi vniuersam Germaniam fama victoriæ suæ in immensum extollenda impleuerunt: Prussos verò dimissis quoquouersus nũcijs, venia & impunitate proposita, vt ad se rursus à rege deficerent, sollicitabant. Sed surdis hæc auribus canebant: nec præ-

Sambiensis episcopus ad Cruciferos defecit.

ter Sambiensem episcopum quisquam inuentus est, qui fidem illis haberet. Atque is porrò perbenignè scilicet ab eis acceptus est. Marieburgum enim venientem cunctis facultatibus priuatis pariter & ecclesiasticis, quas secum appor-

Ecclesiastica supellex conflata à Cruciferis.

tarat, Magister exuit. Inde verò, & ex imaginib⁹, aliaque supellectili sacra aurea & argentea vndique comportata & conflata exiguam quandam partem emeriti stipendij militibus cum iurgio ac tumultu efflagitãtibus soluit: de reliquo autem, quæ quadringenta millia

Cruciferorũ pactum cum mercenarijs militibus.

florenorum erant, cum eis pactus est, nisi ad Liberales dies, quod Carnispriuium vulgò vocant, exolueret, Marieburgum ac cæteras munitiones suas captiuosque in potestatem eorum traditurum se esse. Tametsi non multum ij operæprecij fecêre, nescientes vti victoria. Receptis enim oppidis illis, quæ superius cõmemorauimus, Marieburgi desides multum temporis contriuerũt. Ne nostri quidem multo plus egerunt. Nam cùm omnes copiæ conuenissent, transmisso apud Toruniam nauali pon-

Lassinũ opp.

te Vistula, ad Lassinum ductæ sunt, atq; ibi in sylua vno milliario ab eo oppido totũ ferè mensem inertes statiua habuêre. Duo tantùm oppida, Prabuta & Ne-

Prabuta & Nekisalca opp. capta à Polonis.

kisalca, capta sunt. Interea qui ad Boemorum regem legati missi erant, reuerterunt, optata omnia referentes. Hos paucis diebus Boemica legatio secuta

Ladislai regis legatio ad Cazimirum.

est, petens vt Cazimirus ad diem Nonarum Decembrium Vuratislauiã veniret, & arctius cum Ladislao rege fœdus iceret: deinde controuersiam quãdam permagnam de finibus inter ipsum & marchiones Misnẽses ex compromisso dirimeret: postremò vt ipse quoq; omisso bello cum Cruciferis, compromissũ faceret, omnemq; causam Ladislao arbitrandam permitteret. Excusauit Cazimirus, se ab incœpto bello abesse non posse: missurum tamen primores de senatu. Missi archiepiscopus Gnesnensis, castellanus Lublinensis, & Ioannes Brezius archidiaconus Gnesnensis: tamen controuersiam illam cum marchionibus non diremerunt, dictitantibus ijs, se regi Polonorum, ac non alij cuiquã arbitrium controuersiæ suæ compromisisse. Dimisit deinde rex nobilitatem hyberni belli pertœsam medio Ianuario sequẽtis anni, cùm ea duo denos grossos de singulis iugeribus in

Iugerale tributum.

stipendium mercenariorum militum promisisset, hoste non faciente pugnan di copiam. Rex quoque ipse, præfectis, Culmensi quidem Andrea Tencinio, Pomeraniæ verò Petro Samotulio castellano Posnaniẽsi, inferiori verò Prussiæ Ioanne Colda Boemo, & omni mercenario milite ijs parêre iusso, in Poloniam discessit: atque inde in Lituaniam profectus, nouos quosdam motus à Ga-

Gastoudus turbat in Lituania.

stoudo excitatos sedauit: & vt Lituani socia cum Polonis arma aduersus Crucigeros cõiungerent, quod detrectarãt, perfecit: ibique veris omne tempus exegit, & cùm aliorum principum legationes audiuit, tũ Tattarorũ ducis Ecige-

Ecigeres Tattarus amicus Caziro,

ris fœderati: qui ipsi auxilia cõtra Crucigeros pollicebatur, & vt Podoliã atq; Volyniam se viuente rex arcibus & oppidis contra impotentiã liberorum gẽtisque suæ muniret, suadebat. Se enim senuisse, illos autem quietis & ocij impatientes esse. Per hoc tempus Sbigneus cardinalis & episcopus Cracouiensis cũ Sendomiriæ quadragesimam ferè omnem arctiore abstinentia peregisset, ac die Palmarum nomine apud Christianos celebri publicè sacris operat⁹ esset, sequenti verò die Conespolij cancellarij exequias peregisset, ex lassitudine morbũ contraxit: cruoremq; exputans præfocato anhelitu postridie, quæ prima dies Aprilis erat, vitam cum morte

Spignei Cardinalis & episcopi mors & laudes. commutauit, cùm triginta duos annos episcopus fuisset, vixisset sex & sexaginta: vir magnus, pupillorum & viduarū patronus, in egenos liberalis, ecclesiæ vindex atque defensor acerrimus, reipublicæ studiosus & constans aduocatus, minarum periculorumque contemptor. Hic Sandeciæ nouæ collegium canonicorum sacerdotum cum prælatis instituit: *Sandecia noua collegium sacrū institutum.* facultates suas omnes egenis & studiosis adolescētibus, & Acad. ecclesijs itē & monasterijs, ꝓpinquis preteritis, testamēto legauit. Inde domus perāpla, quæ Ierusalem vocatur, studiosorū contubernio Ioannis Dlugossi cura studioque exædificata Cracouiæ, cæteraq; omnia voluntate eius suprema conuenienter impleta. Successorē accepit Thomam Strempinium theologum, *Thomas Strempinius episcopus Cracouien. electus.* procancellarium, nō tam regis fauore, quàm vniuersi sacri collegij studio designatum. Quo quidem die Cracouiæ *Cracouia arsit.* plus quàm centum domus in Arcensi & canonicorum plateis fortuito incendio deflagrarunt. Arx non sine labore defensa est. Gnesnæ quoque aliquoties de cœlo tacta basilica, globusque de fastigio deiectus. Quo tempore etiam Nicolao quinto pontifice maximo mortuo Calixtus tertius in pontificatu successit. *Calixtus tertius papa.* Sbigneum septem ferè mensibus præcessit Boleslaus dux Masouiorum, *Boleslai ducis Masouiorum obitus & liberi.* prudēs, modest⁹, & religiosus princeps. Qui quatuor filios, Conradum, Cazimirum, Boleslaum & Ioannem, duasque filias, Annam & Sophiam, superstites reliquit. Nihil interim in Prussia memorabile gestum est, nisi quòd leuibus aliquot prælijs certatum est: in quibus omnibus ferè nostri superiores fuêre. Zialdouia oppidum Slaueci Humbouij Masouij, cuius fidei rex id commendarat, proditione in potestatem hostiū venit. *Zialdouia Crucigeris dedita & recuperata.* Sed non multo pòst Ioannes Colda id recuperauit, direptumque incendit, intromissus ab oppidanis, cùm habitum commendatoris Elbingensis assimulasset, multosq; Crucigerorum milites ibi peremit. Duo verò oppida Kynixbergæ, vetus & noua vrbs in inferiore Prussia Crucigeris portas aperuêre: tertium, cui Cnipouiæ nomen est, in fide Polonorū permansit: atque id hostes circumsedêre. *Kynixberga vetus & noua ad Crucigeros defecit. Cnipouia diu obsessa, ac tandem per deditionē accepta à Crucigeris. Torunia propè prodita.* Parum autem absuit, quin vetus quoque Torunia, quò nouę ciues dubię fidei Tencinius compulerat (duo enim sunt oppida muris fossisq; distincta) per proditionem duorū primariorum ciuiū & parœci, atque sodaliū dominicanorū in potestatem hostium veniret. Iamq; eò Magister Bernardū Sumbergium & quosdam alios milites, quasi aliud acturos præmiserat, & ipse cum tribus millibus hominum armatorum veniebat, cū ab apparitore ciuitatis conspiratio detecta est, sumptumq; supplicium de proditoribus. Ita Magister irrito cœpto reuertens, complures pagos circumcirca incendit. Hęc tunc in Prussia rege absente acta. At rex rebus Lituanicis compositis Petricouiam ad comitia mense Maio venit. *Comitia Petricouiæ.* Vbi cùm Prussorum in fide regia perstantium legatis instantibus de Prussico bello consultaretur, non visum est expeditionem publicam edicere, quòd pergrauis ea futura erat multis, magno incommodo hyberna superiore afflictis, & quod satis virium erat in mercenario milite aduersus eas copias, quas tunc habebant hostes. Sed pecunia deerat, vnde militi p̄terita simul & futura stipēdia soluerētur. Quā obrem pigrius is belli munera obibat, ac munitionib⁹ sese tueri satis habebat, neq; obsessæ ab hostibus Cnipouiæ subueniebat. De pecunia igitur parāda cū ageretur, placuit, agrestib⁹ 12. grossorū in iugera pensionē rurs⁹ imponere. Verùm id alteris demum comitijs ad 24. diem Iulij indictis ægrè perfectum est: *Comitia iterum.* simulque decretum, vt, si opus esset, ad vnicos restes, hoc est, ad vnicum regis mandatum, (cùm alioqui tribus intra menstrua spacia sese consequentibus *Restes ternæ.* ex instituto & lege opus sit,) nobilitas omnis certo loco præstò esset ad bellū in Prussia prosequendum. Nihilo tamē minus segniter bellum à rege administrabatur, maximè quòd ei mercenarij milites hostium spem iniecerant, si emerita apud Crucigeros stipēdia sibi solueret, dedendarum arcium & munitionū reliquarū: quas iā concedentibus ex pacto Crucigeris in potestatem suam redegerāt. Atque ea de re conficienda Ioannem episcopum Vuladislauiensem, *Legati missi in Prussiam.* & Ioannē Rithuianium præfectū Sendomiriensem ad eos allegerat. Verùm tergiuersabantur, & extrahebant rem ij milites, qui erant Teuthonici generis. Continuabatur autem Cnipouiæ obsidio: prouiderantque diligenter hostes, & oppidani reliquorum duorum oppidorum, quæ ad eos defecerant, ne quid omnino ad obsessos importaretur: & *Pregola fl.* alueum Prægolæ fluminis, quod oppidum alluit, tignis & roboribus impediuerant. Rex vbi obsessos in extremo discrimine esse accepit, missa aliquāta pecunia militibus, iussit vt illicò laborantibus subuenirent. Verùm dum id fit obsessi non ferentes longiorem mo-

moram, desperato omni auxilio sese dedidêre: sed Zeganesium duci superstiti, non Magistro. Quo successu elati Teuthones milites, minus iam secum de deditione munitionum agi patiebantur. Rex verò amissione Cnipouiæ perturbatus, veritusque ne cęteræ ciuitates illius exemplo à se deficerent (& sanè de Gdano atque Torunia rumor sparsus erat) expeditionem toti Poloniæ sub autumnum edixit, & ad confirmandos Prussorum animos legationem misit. Nec illi mutabant fidem: nonnullosq; primores ciues in oppidis, quos Crucigerorum partibus fauere persenserant, capitis supplicio affecêre. Aliquot modò ignobilia oppida in inferiore Prussia, Cnipouiæ exemplum secuta sunt. Rati autem hostes occasioni se deesse non oportere, ad Fridelandiam exercitum admouerunt. Præerat ei oppido Scubela quispiam Boemus cum præsidio. Is vbi aduentare hostes accepit, simulata negligentia, ad ipsa vsque mœnia oppidi pertingere eos passus est: deinde subitò bombardis, quas opportuno loco collocarat, in confertos displosis, nõnulla clade, maiore verò perturbatione eos affecit. Confestimq; in trepidantes cum suis erumpens, longè eos propulit, & quingentos ex eis cæcidit, centum viuos cepit. Cæterum expeditio illa intempestiua neque cupidè suscepta est à nostris, & lentior multo fuit, quàm par erat. Adfuerunt quidem nõnulli maturius: sed dum cæteros expectant, magnam frumenti vim ex agris Cuiauiensibus raptam in castra, quasi ibi hybernaturi essent, conuexerunt: quam postea motis castris incêderunt. In itinere etiam quoquóuersus ecclesiasticis & regijs bonis parsum non est. Rex Breste præcesserat: quo cùm proceres Poloni ad eũ conuenissent, flagitantibus stipendiũ militib⁹, inita ratio est parãdæ pecuniæ, neq; honesta, neq; vtilis, sacra ecclesiarũ vasa ac donaria conflandi, archiepiscopo, & Vuladislauiensi Posnaniensique episcopis assentiẽtibus. Quod cùm in tribus diœcesibus, quarum episcopi consenserant, factum esset, sola sex millia florenorũ redacta sunt. Nam è Cracouiensi nihil ablatum est, non permittente episcopo. Cùm autem cunctæ copiæ conuenissent, apud Toruniã nauali ponte Vistulã traductę sunt. Interea Frideric⁹ marchio Brandeburgẽsis ad Magistrũ Crucigerorũ cum quingentis cataphractis equitibus profect⁹, & cõplures dies ibi cõmoratus, relicto apud hostes equitatu, ad regem in castra venit, petens vt se arbitro rex cũ Crucigeris pacem faceret. Id verò non ex animo faciebat, sed vt aptum bello gerendo tempus eximeret. Vbi non abnuere regem sensit, reuersus ad Crucigeros, regi renunciari iussit, optimas, & vltrò ipsi expetendas, meritisq; eius maiores conditiones se allaturum esse. Itaque condicta ad Coscelecium pagum die, missi à rege Ioannes episcopus Vuladislauiensis & Cancellarius Ioannes Tencinius Cracouiensis, Petrus Opporouius Lenciciensis palatini, & Hincia Rogouius castellanus Siradiensis, vana fuisse Friderici promissa compererunt. Postulabant enim Crucigeri, vt rex omni Prussia (quo nomine Pomeraniam quoque, & Culmensem & Michalouiensem complectimur) sibi decederet: tum demùm, quocunque vellet iudice secum disceptaret. Increpitus à nostris Fridericus, quòd non bona fide cum rege ageret, ne tamen nihil egisse videretur, pollicebatur, Crucigeros Culmensem & Michalouiensem regionem nostris concessuros, ac impensas belli soluturos esse. Quas conditiones cùm non acciperent nostri, re infecta discessum est, ferocioribus factis Crucigeris quingentorum cataphractorum equitũ accessione, quos Fridericus discedens in castris ipsorum relinquebat. Itaque intermissum spe pacis belli studiũ resumptum est. Eodemque itinere, quo superiori anno, ad Lassinum non optimo consilio castra mota sunt. Prætergress⁹ autem oppidum exercitus, non longo interuallo ad obsidendum id reuertit. Spectabant ad deditionem oppidanorum animi: sed quadringenti Crucigerorum equites præter castra nostrorũ, in quib⁹ nulla erat militaris disciplina, in oppidum ingressi, eos confirmarunt, strenuèque oppidum defenderunt. Itaque obsidione in Nouembrem mensem extracta, cùm maiore pene obsidẽtes, quàm obsessi inopia premerentur, neque commoda esset frumentatio & pabulatio tanto exercitui dilapsis agrestibus, in quos nostri nulla iniuria se abstinebant, & frumento maturè ante aduentum nostrorum in munitiones conuecto, serò consilium suum rex damnauit. Et niues autem pluuijs mixtæ, ventique acriores iumenta & homines desuetudine militiæ molliores affligebãt. Igitur soluta obsidione rex dimisit exercitum domuitionem flagitantẽ quarta fermè parte equorum amissa. Cuius discessu ipsi quoque regiarum partium Prussi lætati sunt. Neq; enim minori-

Cnipouiæ deditio.

Polon. expeditio in Prussiam.

Crucigerorũ clades apud Fridelandiam.

Polon. licentia.

Ecclesiastica vasa cõflata à Polon.

Strempinij episcopi factum animosum.

Frider. marchio fauet Crucigeris.

Cõuentus de pace apud Cosceleciũ.

Lassinũ frustra obsessum à Polon.

Disciplina militarũ neglecta apud Polonos.

ribus, nec scio an maioribus etiam damnis & incommodis ab eo, quàm ab hoste, agri eorum affecti erant, ita vt ne tectis quidem parceretur. Dum hæc ita geruntur in Prussia, latrunculi è Silesia

Ioannes & Cauuca Sueborouij & Georgius Stossius latrocinantur in Polonia.

Ioãne & Cauuca Sueborouijs fratribus Polonis, & Georgio Stosso Morauo ducibus in agrum Ilcussensem & Slauucouiensem impetum fecerunt, raptaque cùm alia præda, tum equis octoginta, quorum opera in plumbi metallis aqua

Slauucouia incensa.

exhauriebatur, & Slauucouia propter iniuriam, quam Sueborouius à præfecto eius oppidi acceperat, incensa, Velunensem quoque agrum vexarunt, & Kempnum arcem natura loci munitam, agre-

Kempnum arx capta & recepta.

stium censum domino afferentium habitu ingressi, ceperunt, & Virsbentam loci dominum in Morauiam abduxerunt. Sed arx postea obsessa diu à Velunensi nobilitate, & cohorte archiepis. & episcopi Posnaniẽsis, latrunculis pacto excedentibus recuperata est. Causa latrocinandi eis fuerũt emerita pridem in Prussia sub rege stipendia: quę cùm non soluerentur ob inopiam ærarij: illi ex ꝓfesso quouis modo ea se à Polonis repetituros esse denunciarant, & magnus ad eos egentium & perditorum hominum numerus ex omni vicinia confluebat. At in Masouia Vuladislaus dux

Vuladislai ducis Plocensis mors & liberi. Masouijs ducibus hectica peculiaris.

Plocensis hectica febre, quam illi familię hæreditariã fuisse Dlugossus memorat, exinanitus, per eos dies vita excessit, Ziemouito, & Vuladislao filijs pueris relictis. Ne Boleslai quidem alterius fratris, cuius paulo antè mentionem fecimus, filij adulti, & gerendis rebus maturi erant. Itaque Paulo Gizicio Plocen-

Paulus Gizicius episcopus Plocensis, gubernator Masouiæ.

si episcopo totius Masouiæ administratio mandata publicè, quoad pueri adolescerent. Atque is bene & cum laude se gessit non sine sumptu suo: & mores quosdam legesque barbaras exercendorum iudiciorum, pœnarumque exigendarum sustulit. Rex dimisso exercitu, apud Grudentum cùm senatu de gerendo deinceps bello consultauit. Et quoniam mercenario milite id geri placebat, nec suppetebat pecunia in stipendium, censebant plerique de iunioribus, pensionem duodenûm grossorum agricolis imponendam esse, suis quidem atque nobilitatis simplam, regijs verò & ecclesiasticis duplam: ad hæc vt ecclesiasticus ordo dimidios reditus suos con-

Decretũ iniquum de tributo ecclesiasticis imposito retractatum.

ferret. Atq; in eam sententiã decretum factũ, Cracouiæ & in alijs oppidis promulgatũ est non sine profanæ tyrannidis infamia, & ecclesiastici ordinis iniuria, cui inuito immunitas diuinis humanisque legibus concessa eripiebatur. Tametsi retractatum id decretum est in

Comitia Petricouiæ.

comitijs Petricouiensibus insequentis anni principio, contendentibus episco- 1456. ann.

pis: decretumque, vt æstate sequẽti publica in Prussiam expeditio maturè post Pentecosten fieret. Nec tamen ea facta est, propter angustiam rei frumentariæ & pabuli, ex largioribus imbribus & inundatione aquarum. Quin & superioris anni expeditio magna ex parte eam calamitatem inuexerat. Ad hæc autem nihil ea expeditione opꝰ esse visum est, propterea quòd debellatum iam esse videbatur, cùm nostri, quibus id negocium mandatum erat, cum hostium militibus de dedendis munitionibus & reddendis captiuis decidissent, equitibus

Transactio Polonorum cum Crucigerorum militibus.

septenos & septuagenos florenos, peditibus verò dimidium eius emeritorum apud Crucigeros stipendiorum nomine solutum iri pacti, vrgentibus maxi-

Prussorum studium erga Polonos.

mè Prussis, ac dimidium eius pecuniæ pollicentibus. Qua de causa rex ipse etiam in Prussiam excurrerat. Itaq; alteris comitijs ad 6. Idus Septemb. Petricouiã

Comitia iterum.

indictis, de pecunia parãda à nostris cõsultatum est: nam in ærario regio prorsus nulla erat. Placuit autem vniuerso

Tributum ingens.

conuentui, vt rex pariter, & ecclesiasticus, equesterque ordo vniuersus dimidium annuorum censuum conferrent, ne honorum quidem & magistratuum fructibꝰ exceptis: oppidani verò soli, iuxtà ac mobilium bonorum æstimatione facta, vt binos grossos à marca penderent: agrestes verò singulos grossos in capita mariũ & fœminarum: cæterùm equestres homines, qui nullos haberẽt agricolas & adscripticios neque census, vicenos quaternos grossos. Nec tamen Petricouiæ res ea confecta est: sed maiores quidem Poloni in Colensi, minores

Conuentus Coli et Corcini.

verò in Corcinensi demum conuentu denuò instituto, decretum id approbarunt, lectis quæstoribus, qui eam pecuniam ex republica dispensarent. Cæterùm ecclesiastici ad synodum eam rem reiecerunt, ac pontificiæ modò siue vsitatæ æstimationis dimidium contribuerunt. Quanquam Cracouiensis episco-

Episcoporũ munificentia in bellum Prussicum.

pus vltro tres quartas, cæteri verò episcopi iustas censuũ pariter ac decimarũ pecuniariarum dimidias contulerunt. Cùm autem ne hæc quidem suffectura essent, aurum insuper & argentum sa-

Cracouiensis basilicæ argentum regi negatum.

crum è Cracouiensi basilica à rege importunè flagitatum, sed ab episcopo cõstanter negatum est: placatusque rex quinque millibus florenorum episcopi & sacri collegij fide à mercatoribus mu tuò

tuo acceptis, vt rex ea postea solueret. Missi sunt etiam legati è comitijs Petricouiensibus in Podoliam, qui arces armis, cômeatibus, & propugnaculis munirent, & iusiurandum à præfectis earū exigerent: propterea quòd eam Lituani missa ad regem legatione repetebāt, admonentes eum iusiurandi, quod sibi profecturus ad suscipiendum regnum dedisset. Ni faceret, non toleraturos se esse diutius eam iniuriā. Addebant autem eis animum Crucigeri fœderati. In Moldauia verò per id tempus Alexandro palatino veneno sublato à suis, Petrus, cuius mentionē superius fecimus, populi fauore successit: missisq; ad regem oratoribus aliquoties, tandem à distento tot simul curis & negotijs assensum impetrauit. Ita quidē Dlugossus de Petro hoc memorat: sed nos è diplomate Moldauico, Russicis siue Bulgaricis literis & verbis cōscripto, quod extat in archiuo regio Cracouiensi, cōperimus, anno secundum Russicā supputationem 6963. ab orbe condito (qui est post Christum natū millesimus quadringentesimus quinquagesimusquintus) Petrum Palatinū Valachorum in verba regis iurasse, Andrea Odrouanzo palatino Russiæ cum alijs quibusdā procerib⁹ Polonis id iusiurandū exigēte & recipiente: & auxilia regi regnoq; more maiorum suorum cōtra quosuis hostes promisisse: matri verò suæ Mariæ regis amitæ possessionem territorij Seretskitargensis, siue fori Seretij confirmasse, vsque ad aliam transactionem cum rege. Vnde apparet, alium hūc esse Petrum Eliæ filium, Alexandri verò tunc extincti fratrem. Indidem autem comperimus, hoc anno hunc ipsum palatinum vnà cum consiliarijs suis misisse oratorem ad principē Turcarum Mahometem, vt pacem ab eo duûm millium aureorum tributo redimeret. Nam is post subactum Constantinopolitanum imperium vehementer vexabat Valachiam: & distinebantur tunc Poloni bello Prussico, ne socijs & clientibus opem ferre possent. Nihil enim non agebant Crucigeri Teuthones, vt eam prouinciā nuper amissam recuperarēt: ac per illud ipsum tēpus Brathianum arcem munitam in Culmensi tractu, cùm Ioānes Tresca præfectus abesset, præsidiarijs militibus corruptis receperāt. Brodniciam verò clàm noctu intercipere conati, non latuerunt, & non sine strage repulsi sunt. Porrò Torunensis plebs intemperantia, vt credibile est, nostrorum militum irritata, in Crucigerorum partes propensior, claues portarum vrbis magistratibus suis sibi aduersantibus, seditiōe coorta, ademit. Verùm Gdanensis ciuitatis decuriones accitis properè regijs militibus de proximis præsidijs cum tumultū sedarunt, ducentis de primoribus plebis comprehensis, & septuaginta ex ijs, qui capita seditionis fuerant, cæsis. Multis autem in locis commissis inter Polonicos & Crucigericos milites leuibus certaminibus, Crucigerici vbiq; inferiores fuêre. Per idem tempus magistratus vrbis Cracouiensis Nicolaum Turscium presbyterum & Nicolaum Gnoinium & ipsum sacris initiatum, furti reos siue insimulatos captos, & quæstionibus examinatos noctu clàm capitali supplicio affecit. Quamobrem toti ciuitati sacris interdictū est, donec episcop⁹ à rege exoratus, 300. florenis mulctæ nomine à magistratu vrbano acceptis id interdictum sustulit. Inuaserant aūt illi duo, alter quidē in scholastriam, alter verò in canonicatum Cracouiensis basilicæ: quorū sacerdotiorū superstites erāt possessores. Neq; rex necis eorum imperatæ suspicione caruit. Comitijs Petricouiēsibus, quemadmodū diximus, peractis rex auctus filio Vuladislao nequicquam retinētibus Polonis proceribus, & vt Prussicas res prius cōficeret flagitantibus, in Lituaniā ad sedādos motus ibi concitatos profectus est. Etenim Lituani pleriq; absētia regis offensi, & Podoliæ sibi adiungēdæ cupiditate incēsi, alium sibi principē creare constituerāt, Simonē Kiouiensium ducem, Olelconis filium. Eorū principes erant Gastoudus Simōis Socer, Georgius dux Ostrogiensium Russus, & Alexander quispiā humili loco natus, sed singulari regis gratia in sublime euectus. Nā Moniuidus cum suis propinquis & gentilibus, & nōnullis alijs regias partes tuebatur. Hos igitur motus rex indulgētia & largitionibus suppressit magis in præsens, quā sedauit. Culpa omnis in Gastoudo hæsit, qui legationē illam ad regē cætero conuentu inscio conflârat: & tamen impunè ei fuit. Gdani quoq; per id tempus promiscua multitudo tumultuata est autore Martino Coga, obscuro quidem, sed ingenioso & factioso homine, & Crucigerorū rebus fauēte. Causa seditionis fuit, ꝙ regij milites suburbana eius oppidi incenderāt, & quòd rex in Lituaniā secesserat: vnde colligebatur, & iactabatur vulgò, ei res Prussicas curæ nō esse. Antiquis ergo magistratib⁹ quasi aduersarijs amotis, nouos creant:

Dum

Podolia munitur contra Lituanos.

Lituanorum legatio ad regem asperior.

Crucigeri fœderati cū Lituanis.

Petrus pal. Moldauiæ iurat in verba regis.

Valachi tributarij Turcis facti.

Valachia infestata à Turcis.

Brathianum proditione captum.

Torunensis plebis motus à Gdanensibus compressus.

Turscius & Gnoinius sacris initiati, necati à senatu Cracouiensi.

Interdictum Cracouiæ. Senatus Cracouiēsis multatus ab episcopo propter animaduersionē in sacerdotes.

Lituani res nouas moliuntur.

Moniuidus.

Gastoudus.

Gdanensium seditio ab Vdalrico Cieruonca sedata.

Mart. Coga turbator.

Magistratus à plebe mutati.

Dum autem gliſcit ſeditiò, Vdalric⁹ Cieruonca Boemus præfectus præſidij Marieburgenſis data opera adueniens, longa & prudenti oratione in gratiam partes diſſidentes reduxit, & in fide regia continuit, oſtendens, quanto magis expediret ei ciuitati à Polonis ſtare, à quibus magnis beneficijs & libertate donata eſſet, & ſine quibus ægrè ſeſe ſuſtentare poſſet, quàm ſuperbis & crudelibus Crucigeris ſeruire. Miſit deinde ad maioris Poloniæ proceres, & ad regē, oſtendens in quanto diſcrimine eſſent res Pruſſicæ: & vt magis eas curæ haberent admonens. Atque ex eo tempore regiarum partium ſtudioſus eſſe cœpit, magnaque beneuolentia, cùm noſtri ad redimēdas à militibus Crucigerorum arces nondum ſatis parati eſſent, diem numerandæ pecuniæ prorogauit: Misêre deinde maiores Poloni palatinum Breſtēſem ad regem in Lituaniam: misêre & Gdanenſes, orantes, vt is quàm primùm ad componendas res Pruſſicas adueniret. Nec tamen quieſcebat Coga, donec Ioannes Ciarncouius caſtellan⁹ Gneſnenſis, qui Vuladiſlauienſi epiſcopo pro gubernatore in Pruſſiam à maioribus Polonis miſſo vnà cum Caliſſiēſi caſtellano adiunctus erat, Gedanum venit. Cuius aduentu legitimus magiſtratus authoribus Reinaldo Niderhouio & Ioanne Lindauio ſumpta fiducia, capitale ſupplicium de Coga ſumpſit. Sic motus omnes cum eo conquieuerunt.

Pol. & Gedanenſiũ legationes ad regem.

Vuladislauienſis epiſcopus gubernator Pruſſiæ.

Cometes.

Turcarum clades apud Bielogradũ.

Annus hic menſtrua pernoctis cometę apparitione inſignis eſt: quam Turcica clades apud Nandor Albam à Ioanne Huniade, & Ioanne Capiſtrano ducib⁹, quemadmodũ ſuperius attigimus, irrogata, & Mahometis imperatoris turpis fuga conſecuta eſt. Vbi non ignobilis fuit ſexcentorum Polonorum Capiſtranum ſecutorum opera. Nec ita multo poſt Huniades & Capiſtranus vitam cũ morte commutarunt. Inſequenti anno Huniadis filius Ladiſla⁹ perduellionis inſimulatus, cùm Vlricum Ciliæ comitem inſidiatorē ſuũm interfeciſſet, capite pœnas luit: Mathias frater eius minor natu captus, & Viennam à rege Ladiſlao ductus: Ioannes item Varadinenſis epiſcopus, & complures alij de proceribus Vngaris in vincula cōiecti. Magnanima mulier Ladiſlai & Mathiæ magnanima mulier non fletibus & lamētis indulſit: ſed arma contra regem pro filijs ſumpſit: maiuſque facinus ira ſuadente auſura, ac Turcas in auxilium accitura erat, ni res interuentu aliorum procerum compoſita fuiſſet. Sed prius quàm Mathias

Polon. virt⁹ bello Turcico.

Huniadis & Capiſtrani mors.

1457. ann.

Ladislaus Huniadis filius ob interfectũ comitē Ciliæ, capite plexus.

Mathias captus.

Mulieris magnus animus

ex pacto dimitteretur, Ladiſlaus rex in ipſo nuptiarum apparatu Pragæ obijt, ſiue ex repentino morbo, ſeu veneno clam à Georgij Podiebradij vxore miniſtrato. Dira quidē tormina ſenſit moriens: & medici Germani, poſteaquam Boemia exceſſerunt, vulgarunt non obſcura veneni hauſti ſigna in eo apparuiſſe. Mortis cauſam ei fuiſſe exiſtimánt, Podiebradij partim ambitionem, partim offenſionem vel metũ. Etenim non obſcurè Ladiſlaus iniquior & infenſior erat hæreticis, eorumque cœtus & ſacerdotes, & in primis Rochezanã pſeudarchiepiſcopum amicum Podiebradij aſpernabatur. Et ſanè adeptus eſt regnũ poſt Ladiſlaum Georgius Rochezanæ & factionis eius opera, poſthabitis Friderico imperatore, Sigiſmundo & Alberto Auſtriorum archiducibus è fœdere, Cazimiro autem rege Polonorũ, & Vilelmo duce Saxonum iure hæreditario nominibus vxorum & liberorum ſuorum regnum id petentibus. Vilelm⁹ enim maiorem natu ſororem Ladiſlai defuncti in matrimonio habebat. Nam Caroli regis Gallorum legatio, qui ingentibus pollicitationibus idem ambiebat, non niſi poſt comitia publicè audita eſt: idque aſtu Georgij factum. Vngari Mathiam Huniadem annos decemſeptem natum authore Michaële Saladino, ſiue Zilagio (ſic eum vocat Bonfinius) auunculo eius, qui cum quinque, ſiue, vt vult Bonfinius, viginti millibus armatorum ad regia comitia venerat, regem crearunt: & numeratis Podiebradio quinquaginta millibus aureorum redemerunt. Extincto enim Ladiſlao prius quàm mors eius diuulgata eſſet, Georgius ſignatis annulo regio literis celerrimè eum Vienna Pragam deduci curarat, magnum inde ſperans compēdium. Qua ſpe fruſtratus non eſt. Quin & filiam ſuam ei deſpondit, fœduſque & ſocietatem cum eo inijt. Et Vngari autem, quemadmodũ ſcribit Dlugoſ ſus noſter, Friderici, Cazimiri & Caroli Galli poſtulata, non ſibi, ſed Vuladiſlao natu maiori Cazimiri filio regnum illud adſtruentium, repudiarunt: cui Carolus filiam ſuam, eam, ni fallor, quam Ladiſlao dudum deſponderat, vxorem cum ſumma dote pollicebatur. Vexauit autem tunc peſtis Vngariam, eiuſq; contagio etiam in finitimam Poloniã proſerpſit. Hæc autem pleraq; hoc quidem anno, quem nunc perſequimur, inchoata, ſequenti verò peracta ſunt. Sed ad noſtra redeamus.

Ladis lai regis mors.

Ladislaus infenſus hæreticis.

Rochezana.

Georg. Podiebradius Boemorũ rex.

Vilelm. dux Saxoniæ.

Mathias rex Vng. creatus & redemptus.

Mathiæ cum Georgio fœdus & affinitas.

Peſtis.

MAR-

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER QVARTVS ET VICESIMVS.



1457. ann. VERE nouo prioris illius anni, nempe 1457. rex Cazimirus flagitātibus Prussis atque Polonis è Lituania in Poloniam ad Petricouiensia comitia venit: atque inde ad Colensem maiorum Polonorum conuentum profectus, impetrauit à nobilitate eius oræ, vt, quoniam pecunia deerat in stipēdium mercenarijs militibus, ipsa Slochouiam, Suece ac Tucholiam arces Pomeraniæ tuēdas susciperet: deinde in Prussiam, Gdanumq; diuertit. Vbi à Carolo Danorum rege exule, pedestri extra vrbē progresso, salutatus, & à Gdanensib⁹ comiter & splendidè acceptus est: exolutaque militibus hostium conuenta pecunia, nempè quater centum septuaginta sex millibus florenorum, Marieburgum, Gilauiam atque Dersauiam ab eis recepit. Migrantes inde milites cum magistro Crucigerorū & commēdatoribus rex tutò vsque ad fines Poloniæ deduci iussit. Nam qui cæteras munitiones obtinebant, parte pecuniæ accepta, cùm reliqua ad constitutum tempus sibi soluta non esset, in fide Crucigerorum authore Bernardo Sumbergio manserunt. Maximè verò rex à Gdanēsibus ad exoluendam eam pecuniam triginta millibus denuò extra ordinem collatis, adiutus est. Nec studium Vdalrici Cieruoncæ præfecti præsidij Marieburgēsis erga regem obscurum fuit: cuius authoritate milites fidem non mutarunt, quamuis ad præstitutam diem reliqua pecunia sibi non numeraretur. Itaque quinquaginta sex millibus florenorū in Suece, Golubo, Preismarca, Coualouia, & Gneuo obligatis & oppigneratis rex eum muneratus est: & mox in duarū ex his primarum præfecturarum possessionē eum misit: Marieburgo quoque eum præfecit: ipse Bydgostiā se recepit. Obsidebatur nihilominus Gneuum à mercenarijs militibus, & maioribus Polonis. Iamque tātùm fames apud obsessos inualuerat, vt vix paucos dies obsidionem toleraturi esse viderentur: sed nostri sine vlla disciplina militantes, nequicquam vetante ac deprecāte magistro militiæ Prendota Lubessouio, domos dilapsi sunt, authore Ioanne Crōno Cotificio corrupto ab hostibus. Atque ob eam rem is postea capite damnatus est à rege. Per eosdem dies malè à Dobrinensibus quadringentis ferè domi pugnatū est contra octingentos hostes, qui ex Zialdouia excursionem fecerant. Atque ij vastata ora Dobrinensi non contemnendam prædam abegēre. Apud Sipelbeinum quoque oppidum in inferiore Prussia, quòd à Crucigeris obsessum erat, infeliciter nostri ab obsidione hostem depellere tentarunt. His igitur successibus erecti Crucigeri, ad recuperationem Marieburgi adspirare cœperunt: & fauebant eis clàm complures oppidani, atque etiam equites, qui in arcis præsidio cum Cieruonca erant. Itaque constituta cum eis proditione Bernardus Sumbergius cum expedita manu adueniens noctu in oppidum receptus est, præsidiariosq; regios sine vllis excubijs per domos dispersos, & somno oppressos concidit: nonnulli tamē in tumultu nocturno in arcē euaserūt. Cieruonca tumultu oppidano excit⁹ hostē ad arcē cōcurrentē lapidibus & omni telorū genere supernè repulit. Cùm autē dies illuxisset, crebræ fiebant ex arce in oppidum globorum è bōbardis proiectiones, ita vt nemo in propatulū impunè prodire posset. Sed in domibus ferè latitabant hostes, perfractisque parietibus inter se commeabāt. Veriti autem, ne qua ex arce eruptio in se fieret, fossa & aggere ab arce oppidum intersepserūt. Quod cùm perfecissent, traiecto Nogato in Zolauam siue insulam maiorem impetū fecerunt, vt eam depopularentur, aut in potestatē suam redigerent. Fortè eodem Lubessouius cum reliquijs dissipati exercitus, & auxilijs Gdanēsium, Marieburgo succursurus, sub idem tempus aduenit, nauibus Gdano aduectus: eius milites vbi nec opinantes in hostem longè validiorem, quippe qui octingentorum, numerum excederet, incidēre, metu perculsi, ad naues respectabant. Sed Lubessouius stricto gladio pro hōste sibi futurum minitatus, quisquis ad fugam spectaret, fugam eorū inhibuit, & castra secūdum aggerem insulæ metatus

Marginal notes: *Comitia Petricouiæ.* — *Maiorum Polonorum expeditio in Prussiam.* — *Carolus Danorum rex exul.* — *Marieburgum, &c. regi deduntur.* — *Gdanensium munificentia in regem.* — *Vdalricus Cieruonca honoratus à rege.* — *Prendota Lubessouius dux exercitus.* — *Poloni dilapsi ab obsidione.* — *Cotificius proditionis damnatus.* — *Dobrinenses fusi à Crucigeris.* — *Marieburgi proditio instructa.* — *Lubessouij virtus.*

tatus est, ita vt à tergo aggere, à fronte verò curruum obiectu tutus esset. Sumbergius despecta eorũ paucitate castra adoritur: defendũt illi acriter: cùm ecce in ipso feruore pugnæ quadringenti armati Stargrata in auxilium nostris aduenêre. Instauratur prœliũ maiore vi, bisque pedem referre coacti hostes, tertiùm redintegrato prælio victi, perpeti fuga Neitichum, atque inde Marieburgum se receperunt, octoginta de suis amissis, & Sumbergio duce vulnerato.

Polonorum victoria de Sumbergio.

Neitichum opp.

Nihil tamen is de officio remisit: quin per illos ipsos dies Culma siue Chelmno oppido potitus est, proditione Boemi cuiusdam: qui cùm prius stipendia fecisset in castris regijs, vxorem opulentam in eo oppido duxerat. Gilauia quoque regio præsidio, quod pabulatũ exierat, excluso, in potestatem Crucigerorum venit.

Culma prodita Crucigeris, siue Sumbergio.

Gilauia dedita Crucigeris.

De hac tam varia, & maiore ex parte aduersa fortuna nostrorũ cùm regi renunciatum esset, perfecit apud maiores Polonos, vt in centenas marcas annui cēsus singulos hastatos equites mitterent. Ciuitatibus pedites imperati. Sex millia peditum pariter & equitum fuêre: eáq; Marieburgum ductore Sciborio Chelmski præfecto maioris Poloniæ missa sunt. Atque is exercitus vnà cum auxilijs Gdanensium & Elbingensium satis habuit hostes importando in oppidum commeatu prohibere: nec elici ad pugnã ab hostibus potuit, ne suburbanis quidē Torunensibus incensis.

Maiorum Polonorum expeditio in Prussiam.

Sciborius Chelmski præfectus maioris Poloniæ.

Dum hæc ita gerũtur in Prussia, ne Cracouiensis quidē ora quieta fuit. Cauuca & Ioannes Sueborouij fratres cum ea quã coēgerãt latronum manu montem, cui Zebrace nomen est, prope Osuencimum castello communierant: atque inde viciniam omnem latrocinijs vexabant. Pluribus autem indies tanquam in sentinã quãdam confluentibus, in quibus & Ioãnes erat, qui dux Osuencimensiũ fuerat, alium quoque montem, qui Vapēna dicitur, prope Dopsice, itemque Mislouice castellum communierũt: parumque abfuit, quin Osuēcimum quoque in suam potestatem redigerēt, octo de suis, qui capti in arce asseruabantur, summa turri potitis. Qui vt decederent, non vi, sed precio ducētorum aureorũ perfectum est à præfecto arcis Ioanne Synouecio.

Sueborouiorum latrocinium.

Zebrace mons.

Vapenna mons.

Dopsice & Mislouice oppida.

Osuēcimum propè captum.

Vix autem sub initium autumni minores Poloni edictis regijs exciti sunt, vt contra latrũculos illos arma sumerent. His verò sumptis, amicos quidem affixerũt, in ecclesiastici ordinis bona fructusque quà proficiscebãtur impetum facientes: hostibus verò nõ nocuerunt, sed cùm Mislouice aliquãdiu obsedissent, facto frustra aduersus castellũ impetu, irrito cœpto & proteruè discesserunt, quadraginta nobilibus præter cæteram multitudinem amissis, centum sauciatis. Sexaginta millia bellatorum in ijs castris cēsa esse Vapouius memorat. Penes authorem fides esto. Rei malè gestæ culpa in proceres nonnullos, quasi cũ hostibus sensissent, vulgò coniecta est. At ij vicissim contumaciam equitum, ac disciplinæ cõtemptum incusarunt.

Minorum Polonorum expeditio contra latrones.

Ecclesiastica bona vexata.

Nec mora, nostris ad sua dilapsis, Ioannes dux Osuencimensis Clobuscum oppidum diripuit & incendit. Quocirca aliam nostri defendendi sua rationem inire coacti sunt, partitis inter proceres muneribus: nempe vt Ioãnes quidem Cijzouius castellanus Cracouiensis Scauinæ, Ioannes Tencinius palatinus Ilcussi, Prædiborius verò Conespolius castellanus Sendomiriensis Lelouiæ cum præsidijs essent: militibus stipendium de salinis constitutum rege inconsulto duodeni grossi in hebdomadam.

Clobuscum direptum et incensum.

Stipendium è salinis numeratum iniussu regio.

Ac ne Podolia quidem per idē tempus tumultus & incommodi exors fuit. Nam Tattari populabundi improuiso in eam oram incursionem fecēre. In eos Bartholomæus Buciacius præfectus Podoliæ, cum Ioanne Lasscio succamerario & inermi comitatu iter faciens, imprudens penè incidit. Sed prior tamen eos ipse animaduertit. Duo erãt eorum agmina: in maiore vulgus erat promiscuum, in minore eximij bellatores. Verũ nostri in maiore robur omne eius militiæ esse opinati, facto in id noctu impetu quo terribiliora omnia hosti facerent, facilè id fuderunt & conciderũt. Tumultu exaudito alterum agmen loco cessit. Postridie illud quoque adoriri nostris placuit nocturna victoria ferocibus, ratisque minus cum illo negocij sibi fore. Et sanè non malè ausus illi eis successissent, si incunctanter, quemadmodum censebat Lasscius, in perturbatos impetum fecissent. Sed dũ cunctantur, barbari paucitate eorũ cognita, animos resumpserunt, & in orbem nostros trepidãtes & conglobatos abundante multitudine circumuecti, in medio concluserũt, & ad internecionem profligarunt, non inultos tamen. Nec mora victores populatione omissa ad sua se receperunt, veriti necubi defatigatos, & ad paucos redactos nouus & recēs hostis inuaderet. At rex Casimirus constitutis, quemadmodum diximus, rebus Prussicis, Petricouiam

Tattari Podoliam populati.

Lascz.

Russorum anceps cum Tattaris pugna.

ad

ad comitia ad vicesimamquartam diē Nouembris indicta profectus est. Sed cùm ibi nihil de republica ob infrequentiam senatus ad reprimendam latronum vim intenti, constitutum esset, alij conuētus Coli & Corcini acti sunt: & in his decretum, vt agrarium tributum duodenûm grossorum è laneo agrestibus imponeretur, vnde satis fieret ijs, quibus emerita in Prussia stipendia soluta non erant. Præfectura Cracouiensis, amoto ob ingrauescentem ætatem Ioanne Cijzouio, Nicolao Pienansco Vitouicio mandata est auctis reditibus, quo numerosiorem familiam pacandarum, & à latrocinijs purgandarum viarum caussa posset alere. Satisfactum deinde ijs, qui latrocinio & bello emerita stipendia repetebant: castellaque ab eis dedita, diruta sunt regis volūtate, ne deinceps etiā latrocinantium essent receptacula. Nobilitati verò Osuencimensi latrunculorū vexationib⁹ afflictæ à rege clementer subuētum est. Conuentu soluto rex vnà cum regina, vti solebat, in Lituaniam secessit: indeque ad Calēdas Maias insequentis anni Petricouiā ad alia cōitia redijt. Vbi cū de expeditione in Prussiā cōsultaretur, ac decerneretur, venit Ioannes Iscra ex Vngaria, hortans regem, vt regno Vngarorū hæreditario vxoris suæ iure animum adijceret, neq; occupari id à Mathia homine nouo pateretur, studium & operā ad id suā ei pollicens. Et retinebat is adhuc munitiones quasdā in Vngaria. Cū autem intelligeret, Prussicum bellū ei rei impedimēto esse, cōponēdi aut intercipiēdi ei⁹ partes sibi sumpsit, rege pacē nō abnuēte. Ne Crucigeri quidē abhorrere à pace videbātur: & sperabat Iscra facili⁹ etiā fore negociū, ꝗ Boemorū mercenariorū armis, quorū ductores ferè necessarij & familiares sui essent, tunc res Crucigerorū maximè nitebatur. Sed eum spes fefellit. Elati enim hybernis successib⁹ paulo secūdiorib⁹ Crucigeri, iniqua postulabāt. Quocirca præcisa spe pacis, vniuersæ regni copię regis edicto ad Gneuncouiam cōuenēre: inde Vistula nauali ponte transmisso, ad Papouiam castrametatæ sunt. Interceperāt fraude eam arcem hostes, atque inde Torunēsem agrum vehemēter infestabant. Sed ea permunita erat, nec sine multorum periculo à nostris expugnari posse videbatur. Ceterùm lixæ & calones atque promiscuū vulgus temerè & nemine iubente ad mœnia procurrens, mox omnem exercitum incredibili expugnandæ arcis ardore & spe inflammauit. Itaque facto impetu, portaque effracta, cùm iam caperetur arx, hostes magnis clamoribus victorū misericordiam implorarunt: exauditi que à Petro Samotulio castellano Posnaniensi, penes quem summa in exercitu secundum regē potestas erat, minore porta à castris auersa emittebantur. Sed parum abfuit, quin ipse quoque Samotulius ab irata multitudine violaretur, ob Sbigneū lauorium Dobricium, atque Dauidem Boemum castrorum metatorem in oppugnatione arcis interfectos furente. Fremit⁹ quidē aduersus regem & proceres ingens fuit, cùm propter emissos hostes, tum quòd proceres nonnulli missis ministris cellas arcis commeatu & facultatibus refertas occuparant. Quare subiecto igni à multitudine arx tota cū omni copia & com pluribus satellitibus procerum, qui pertinacius cellas defēdebāt, cōflagrauit: muri deinde arcis, ne ab hoste instaurarentur, rege iubente diruti. Ac triduo ibi statiua habita sunt. Inde ad Culmam siue Chelmnū mota castra. Nec tamē tētata est eius oppidi oppugnatio, quod amplum quidē & spaciosum est, & neque arte, neq; natura munitum: sed eò vndiq; hostium copiæ confluxerāt. Ad Marieburgū verò itum est. Quod cùm Bernard⁹ Sūbergius Culmæ intellexisset, nocturno itinere anteuertere eò nostros cū expedita manu instituit: pfecissetq; id adeò ni tota nocte errasset. Orto die, vbi se in nostros incidisse animaduertit, fuga sibi quemq; consulere iussit: dissipatos persecuti nostri, non leui strage affecerūt, cæsis captisque multis. Sūbergius ipse euasit quindecim milliarium itinere eo die confecto: facultatū tamen iacturam fecit. Ad Marieburgum deinde nostri castra posuēre: ac de fides ibi tempus triuēre, ludificantibus eos spe pacis hostibus: ad quam conficiendam Iscra sequestrum se interponebat. Per quos dies Nouum oppidū Pomeraniæ dimisso Polonorū præsidio, quasi suis viribus se tuiturum esset, hostile accepit. E diuturna verò eodem in loco apud Marieburgum mora (nā in duos menses extracta est obsidio) fœtore, & pabuli victusq; inopia regi⁹ exercitus afflict⁹ est: ita vt 800. homines, equorum autē 7. millia fame & peste interirēt. Eam ob rē fremere multitudo, & facto agmine ad regis tētorium orare, vt vi se oppidum nō munitissimū capere pateretur, aut verò obsidionē solueret: cùm vtrumq; suasu procerū quorundā negaretur, negligētius omnes munera

Tributum in gerale. *Cijzouius amotus à præfectura Cracouiensi.* *Castella latronum diruta.* *1458. ann. Petricouiæ comitia.* *Iscra pacis sequester inter Polonos & Crucigeros.* *Polonorum expeditio in Prussiam.* *Papouia intercepta à Crucigeris.* *Petrus Samotulius dux exercitus.* *Papouia capta, incensa, ac diruta.* *Marieburgum oppidū obsessum.* *Nouenses ad Crucigeros defecerunt.* *Strages hominum & equorum apud Marieburgum.*

belli obibant, solutaque disciplina, neque custodias & excubias seruabāt. Creuit hostibus audacia, ita vt ij erumpentes leuibus incommodis nostros afficerent. Inde coorta maior indignatio: quā auxit clamor hostium, auro se redemisse, ne oppugnarentur, è mœnibus vociferantium. Et sanè deprehensi sunt non nulli noctu ad oppidum cum mandatis quorundam procerum commeantes. In primis autem Ioannes Brezius procancellarius eam infamiam vulgò sustinuit: & nisi fuga se subduxisset, violatus esset à concitata multitudine. Tandem induciæ cum hostibus viginti mēsium confectæ sunt ea conditione, vt intra id tempus octoni vtrinque arbitri pacis apud Culmam cōuenirent: inter quos si non conueniret, vt Alberti ducis Austriæ summum esset arbitrium. Interim autem Marieburgense oppidum Iscra sequester obtineret, ac vtri parti id adiudicaretur, traderet: aut si infecta pace discederetur, Crucigeris redderet. Dum autem hæc fiunt, vniuersa nobilitas moræ longioris impatiens iniussu regio domos discessit, orto à Ioanne Ostrouicio, cognomento Nassiano, discedendi principio. Quocirca rex quoque suffecto in præfecturam Mariebur gēsem pro Cieruōca Sciborio Chelmio, discedentem exercitum sequi coactus est, nequicquā retinentibus Prussis, & in primis Gdanēsibus, qui ei in quatuor millia militum stipendium, si apud Marieburgum manere vellet, pollicebantur, prospera fortuna vsi eo anno in mercatura maritima, & magnopere ditati. Sed vxoris desideriū regi fuit antiquius, vt ait Dlugossus: quæ quidē per eos dies ad quintum Nonas Octobris Cazimirum filium Cracouiæ peperit. Quamobrem eò contendit: ibique legatos Georgij Podiebradij noui regis Boemorū audiuit, fœdus petentes, & ingentia auxilia contra Crucigeros, regniq; successionem Cazimiro, quæ secūdum Ladislaum regem hæreditario iure ad vxorem liberosque ipsius proximos Ladislai cognatos pertineret, pollicentes. Georgium procerum precibus victum regnū suscepisse, ne quis alius præriperet: eo defuncto ad iustos hæredes rediturum. His responsum est, Regem fœdus & amicitiam cum Boemis semp coluisse. Cupere verò, vt mutuū ab eis fieret. Non commeruisse eum, vt cum vxore & liberis suis hereditario regno excluderetur. Atq; eam iniuriam eum ad eam vsque diē patiēter tulisse. Quod si deinceps Boemi officijs & beneuolentia certare cum eo vellēt, non ingratum experturos. Georgium non malè fecisse, facturumque esse, si aliquam Cazimiri liberorūque eius rationem in suscipiendo regno duxisset, sique legitimis hæredibus id relinqueret. Causa verò tam modestæ & submissæ legationis Georgio fuit illa, quòd animaduertebat, nonnullos de Boemis proceribus, itemque Silesios & Lusacios alienis à se animis esse, ꝓpterea quòd cum Rochezana ab ecclesia & religione catholica non obscurè dissentire videbatur: & cū Morauiā obiret paulo post acceptum ab Vngaris episcopis, quos Mathias rex miserat, diadema, Iglauia ciuitas portas ipsi clauserat. Eam cùm ille cum ijs, quas ad manum habebat, copijs obsidisset, Austriorū Archiduces Iglauiēsibus præstò fuêre, & Morauiam infestauêre. Ibi Georgius maioribus copijs accitis è Boemia, cùm Iglauiæ obsidionem continuauit, tum Fridericum imperatorē in arce Viennensi ab Alberto fratre & ciuibus Viennēsibus obsessum liberauit. Quanquam hoc alij posterius factū esse autumant. His igitur difficultatibus implicatus, ne maiore belli mole pregrauaretur, Cazimirum regem, qui persequi se velle ius vxoris & liberorum suorum non obscurè præ se ferebat, tali legatione placandum atque ductandum sibi esse existimauit. Comitia deinde ad medium Ianuarij sequenti anno Petricouię habita. Vbi de pace ac de bello cū Crucigeris consultatum est. Increbuerat enim, Crucigeros his cōditionibus pacem facere velle, vt centum millia florenorum impensæ bellicæ nomine regi numerarēt, viginti millium tributum quotannis penderent, duo vexilla auxiliaria ad quoduis bellum mitterēt, & vt singuli Magistri in regis verba iurarent: Prussiam verò cunctam sibi haberent ijsdē finibus, quibus ante id bellum habuissent. Probabat magna pars senatus has conditiones: sed Prussorū legatio commodùm adueniens orabat regem atque senatum, ne se in fidē susceptos, immanibus Crucigeris ad exquisitos cruciatus & in teterrimam seruitutem proderet: Elbingæ se conuentum egisse, nouoque fœdere sese obstrinxisse: extrema omnia pati malle prius, quàm in Crucigerorum impotentium dominorum potestatem redirent. Erant & in senatu regio, qui sentirent, non ex fide atque dignitate regis & Polonicæ nationis fore, socios deserere, suaque olim amissa, nuperque recuperata, rursus prodere aut vēdere.

Ioannes Brezius de proditione suspectus.

Induciæ viginti mensium.

Sciborius Chelmius præfectus Marieburgensis.

Gdanensium studium in Polonos & regem.

Georgij Boemorum regis legatio ad Cazimirum.

Georgius rex Boem. hæresi infectus, inuisus Morauis, Silesijs, & Lusatijs.

Iglauia obsessa à Georgio.

Fridericus Imper. obsidione liberatus à Georgio.

1459. ann. Comitia Petricouiæ. Consultatio de pace cum Crucigeris.

Prussorum legatio.

Non

Non diuturnam pacem eo precio redimi:sed perpetuorum hostium vires refici,& opes augeri. Efficax fuit hæc oratio:decretumque, Non esse deserendos prodendosúe Prussos. Verùm de ratione prosequēdi belli ad particulares conuentus reiectum est. Nobilitas enim Polona præterita expeditione vehemēter offensa, & pecuniarium subsidium negabat,& militiam in posterum detrectabat. Quam ne rex quidem probabat, propter nimiam atque perniciosam equitum licentiam. Interea rex in Lituaniam cum regina excurrit: indeque reuertens,ad Colensem maiorum Polonorum conuentum post initium æstatis adfuit: & vt expeditio in Prussiam pro modo facultatum decerneretur,ab ipsis impetrauit: nempe, vt de centum marcarum censu annuo vnus eques ha status mitteretur: oppidani verò regij vt peditem suppeditarent. Difficiliores fuêre minores Poloni,& emendari pri⁹ quædam in rege & magistratibus flagitabant. Itaque pro hostibus ducti sunt à rege nonnulli, quorum instinctu hæc fieri videbantur. Sed tamen eorum pertinaciæ datum est, vt ad Calendas Septembris Petricouiā rursus comitia vniuersæ Poloniæ indicerentur. Missi verò octo de proceribus, quemadmodum cum Crucigeris conuenerat, in Prussiā ad agendum de pace, re infecta redierunt, cùm neque illi Nessouiam venirent, neque nostris Culmam veniendi luculentam securitatem præstarent. Itaque fecerunt maiores Poloni satis promissis suis, vt expeditionem in Prussiam facerent. Verùm nullum ij operæpretium fecerunt:agros modò sociorū vtcunque tutati sunt per æstatem: sub autumnum autem domum non expectata missione remearūt. Per quod tem p⁹ mercenarij milites in inferiore Prussia insignem de Crucigeris victoriam retulerunt: nec multum abfuit, quin Ludouicus Magister viuus in potestatem eorum veniret. Præda non contemnenda parta, ita vt viceni aurei in milites diuiderentur. Igitur de pace rursus agi cœptum à Crucigeris. Per quod tempus renouatis inducijs, Lubauia Crucigerorum præsidium accepit, cùm ad eam diem in partibus regis fuisset. Ad Gneuum verò complures naues frumētum & ligna atque asseres è Polonia Gdanum portantes ab hostibus interceptæ sunt. Quæ cùm à rege repeterentur, respondit Magister, iniussu suo à militibus id factum esse, neque eos imperium suum exaudire: atque adeo pa-

Nobilitas Polona detrectat bellū.

Maiores Poloni expeditionē in Prussiam decreuerunt.

Minores negarunt.

Crucigeri victi.

Induciæ.

Lubauia defecit ad Crucigeros.

Induciæ violatæ.

Magistri excusatio.

cis quoque arbitriū penes eos esse. Clementer rex ageret, & ordinem Crucigerorum ne penitus iret perditum. Sub finem Augusti mensis venit ad regem Lenciciam Vuratislauiensium & Namyslouiensium legatio, deditionē oppidorum suorum offerens, quod sub imperio Georgij regis Boemorum hæretici cum cætera Silesia esse nollent. Cōmendata est eorum pietas & religio:sed aliter sibi prospicere iussi sunt: Cazimirum eos tueri non posse Prussico bello implicatum: si pacem cum Crucigeris fecerit,tunc demum recipi eos posse. Et sustinuerunt ij quidem vnà cum episcopo suo & sacro sacerdotum collegio aliquandiu bellum à Georgio illatum non infeliciter:sed post à legatis pontificis max. Pij secundi, Aeneæ Syluij pri⁹ dicti, qui per id tempus Calixto successerat,in eam credulitatē adducti, quod Georgius ab Ecclesia catholica & pontifice maximo alienus futurus deinceps non esset, trium annorum inducias cū eo fecerunt, vt interim sui iuris: deinde verò,si is in religione catholica perstaret, pontificisque maximi maiestatem conseruaret, solenni ceremonia in verba eius iurarent: sed vt præfectum tamen ab eo ac cæteris deinde regibus inuiti neminem acciperent. Comitia deinde Petricouiæ habita sunt. Ad quæ Cracouiensis tractus legati siue nuncij venire detrectarunt, nisi fides publica à rege sibi daretur. Acceperant enim, regem aulicum suum & procerū quorundam, quibus fidebat, comitatum in armis esse iussisse. Nam erat is,admonitus,consilia contra se ab illis inita esse. Erat res noua & inaudita:sed tamen,ne qua maior turba & seditio exuscitaretur,datum hoc illis est. Principes eius legationis erant Ioannes Rithuianius præfectus Sendomiriensis,Ioannes Tarnouius,& Ioannes Melstinius. Impetrata verò dicendi potestate in frequenti consessu Ioannes Rithuianius homo magno animo,& lingua promptus,pro cæteris collegis & omni nobilitate in hanc sentētiam ad regem verba fecisse fertur: Ingentem animis dolorē haurimus,Rex inclyte, quod nos immerentes ac tibi addictissimos pro hostibus ducis, & armatum præsidium contra nos cōparasti. Nemo est nostrûm, atq; adeò ex omni numero Polonæ nobilitatis,quē odisse aut metuere debeas:omnes te summo studio & obsequio prosequimur, semperq; prosecuti sum⁹. Verùm dura necessitas,& impēdens exitiū nos impulit,comitia hæc abs te efflagitare,

Vuratislauiensiū & Namyslouiens. deditio repudiata à Cazimiro.

Aeneas Syluius papa.

Vuratisl. & Namysl. pietas & fortitudo.

Comitia Petricouiæ.

Cracouiens. nuncij nō nisi sub fide regis ad comitia venere.

Rithuianij oratio ad regem in comitijs.

tare,non quo aliquid contra te moliremur,sed vt saluti & incolumitati nostræ, liberorum nostrorum, & longæ posteritati,simulque dignitati reipub. nostræ calamitosæ tandem aliquando prospiceremus. Quod si roges, quid id mali,aut vnde est? Vndénam censes? nisi vnde minimè sperabamus, & vnde minimè decuit: Abs te, inquam, tuisq; magistratibus, quorũ etiam culpa omnis in te redũdat. Tui præfecti non modò ius non reddunt petentibus viduis atque pupillis, verùm etiã per summã iniuriam & potentiam nos fratresque nostros opprimunt: bonis indicta causa spoliant: vinculis,vulneribus,& omni contumelia afficiunt: Quemadmodũ nuper post edicta hæc iam comitia Sigismundo Laticinio & Virzbentæ Sẽnicio ab Ioãne Curopathuua præfecto Chelmensi vsuuenit. Atque hæc tamẽ, quod priuata sunt,& ad singulos pertinent, leuiora ducimus: illa multo grauiora & acerbiora,quæ te conniuente, imo verò indulgẽte Lituani in nos designant. Nempe quod Luscum & omnem illam fertilem oram Russię nobis interceperunt: pagos nonnullos à Parsouiensi territorio abstraxerunt: Podoliæ quasdam munitiones occuparunt, reliquis etiam imminent: Masouiorũ ducibus socijs nostris & clientibus tuis duo territoria Gonianzum & Vengrouiam eripuêre. Hæc te authore facere eos necesse est: non facerent sanè, aut certè non impunè facerent, si aliũ regẽ haberemus. Tu eorum temeritatem & audaciam indulgendo alis,adeoq; prouexisti, vt non modò contra Crucigeros socia nobiscum arma ex fœdere nõ coniungant, neque gratiam nobis pro vindicata sibi Samagitia referant, sed superbè tuum quoque Imperium iam detrectent. Nec tamen hæc te mouent, quo minus bonis & facultatibus huius regni tam ingratam Lituaniã ornes & augeas. Quòd si merita vtriusq; populi recta ratione perpẽdas, reperies iniustè & indignissimè hæc abs te fieri. Illi neq; tibi,neq; patri tuo vnquam satis fideles fuêre:& cũ iure vestro eis imperaretis, cõtra vtrunq; non semel perniciosa cõsilia iniêre: ferro & veneno vitam vtriusq; appetiuêre. Nos verò illum quidẽ obscurũ & ignotum, & angustè dominantẽ,ad amplissimum coniugiũ & florentissimũ regnum vltro acciuimꝰ, & in vniuersum terrarum orbẽ celebrem reddidimꝰ: Samagitiã & magnam partẽ Lituaniæ à Crucigeris ereptã armis nostris atq; sanguine restituimꝰ: fratrẽ tuum Vuladislaũ non tantùm ad Polonicũ, verùm etiã ad Vngaricũ regnum fauore & impẽdijs atq; opibꝰ nostris eueximus. In te verò quales fuerimus, tu ipse testis es locupletissimꝰ. Atq; vt alia præterea, Prussicum quidẽ bellum per tot annos in hanc vsq; diem & armis & facultatibꝰ nostris nostrorumq; pro te impigrè sustinuimꝰ. Pro his meritis ista nobis abs te refertur gratia, vt Lituanos exuuijs nostris vestitũ & ornatum eas? Iam ne illa quidem leuia sunt incõmoda,quod & ipse leuẽ monetã cudis, & adulterinã importari aliunde permittis:& furũ latronumq; examina impunè in nos & nostros grassari pateris? Quæ facilè tu,quemadmodũ debes, nobis quiescentibꝰ reprimeres, nisi regia bona & reditus perperã dissipasses. Ad hæc procurationibꝰ quoq; siue stationibꝰ nimiũ onerosis nos & homines nostros vehemẽter exhauris: afflictos à potentioribꝰ non modò non vindicas, sed ne audis quidẽ quiritãtes. Hæc & alia acerba immeritò abs te accidũt Rex clemẽtissime fratribus nostris, quos obsequẽtissimos & studiosissimos tui sẽper expertꝰ es. Ea vt tandẽ corrigas mutesq; summopere per nos abs te petũt. Refer hanc gratiã benemerentibꝰ: redde nobis,quæ Lituani te indulgente ademerũt: moneta leui cudẽda absiste: adulterinã summoue: immoderatas stationes circũscribe: magistratuũ impotentiã & petulantiã refrena,& vigilantiã excita, vt vias publicas,regnũq; omne pro debito suo,furtis & latrocinijs purgẽt: Poloniæ cõmoda & ornamenta ne minoris facias,quàm Lituaniæ. Quod si impetramus, nullꝰ nobis labor, nulli sumptꝰ pro tuis cõmodis, & ad nutũ tuum graues erunt: ac ne sanguini quidem & vitæ nostræ pepercerimꝰ. Sin repulsã ferimus,nihil est quod extra ordinem à nobis expectes. Atque ita tibi persuadeas, nos neque in Prussia tibi sine legitimo stipendio militaturos esse, neque pecuniæ quicquã collaturos, conferriue passuros. Ita fermè Rithuianius. Modestè ad hæc à rege, culpam à se remouente, responsũ est: sed tamẽ re infecta comitia soluta sunt, maioribus quidẽ Polonis senûm grossorũ de iugero pensionẽ non abnuentibꝰ, minorum verò legatis negãtibus factã sibi esse potestatem à nobilitate alicuius oneris suscipiendi. Itaque alia rursus comitia ad sextam diem Decembris eodẽ edicta. Vbi cũ regis senatusq; placito viginti de primoribꝰ, qui de rebus cõsultarẽt statuerẽtq; delecti essent, & rex correcturum se es-

Præfectorũ regiorum iniuria.

Lituanorum in Polonos peccata.

Lituan. dubia fides erga dominos suos.

Polon. merita in familiam Iagellonicam.

Polonicæ opes in Lituaniam exportatæ.

Moneta.

Latrocinia.

Stationes.

Viginti viri delecti reip constituendæ causa.

se esse deinceps peccata à nobilitate sibi obiecta, & omnia in quibus homines vulgò offenderēt, recepisset, agraria duodenum grossorū exactio agricolis, & telonium omnium mercium omnibus quicunque lucrum sectarentur, in annum imposita: ab ecclesiastico verò & equestri ordine octaua pars censuū promissa regi in stipendia militantium in Prussia. Ibi etiam præfectura Marieburgensis amoto nescio quamobrem Sciborio Chelmio, duobus pariter Ioanni Coscelecio palatino Inouuladislauiensi, & Prendotæ Lubessouio à rege mandata est: fortassis vt alter territorio reditibusque regijs, alter præsidio militari præesset. Inde etiam Iacobus Sennenius Gnesnensis & Cracouiensis præpositus orator ad nouum pōtificem Pium secūdum à rege missus, vt ei de more gratularetur, & obsequiū regium profiteretur. Impetrauit autem is, vt remitteret pontifex Prussis diras atque excommunicationes, quibus eos ad parendum Crucigeris adigebat. Petebat idem de transferendis ex Prussia in Tenedon insulam Crucigeris. In quo eū omniū ferè Christianorū principum oratores diligenter adiuuabāt, propterea quòd Mahometes Turcarū Imperator Corinthum vrbem Græciæ nobilissimam, & Lemnum atque Mitylenem insulas paulo antè ceperat, & Peloponnesō Eubœæque Imperatorum fratrum dissidio fretus imminebat. Verùm id impetratum non est, impensius indulgente Crucigeris & Germanis pōtifice iā inde ex quo in aula & ministerio Friderici Imperatoris fuerat. Quorum fortassis opera & odio in Polonos perfectum est, vt is nunquam de Polonis bene sentiret: quod è scriptis ei⁹ cuique deprehendere licet. Ac ne de diris quidem & interdicto cōtra Prussos promulgato impetratum tunc esse à Pontifice ex ijs apparet, quę legatus eius Hieronymus Cretensis archiepiscopus postea gessit in Polonia & Vuratislauiæ, quæ suo loco exponemus: verùm in legati potius potestate positum fuisse, vt cùm in rem pręsentem venisset, faceret quod maximè ex re fore existimaret. Septembri verò mense Crucigeri non contemnendam cladem acceperunt apud Passenheimum oppidum inferioris Prussiæ. Nam cùm contra id, quod in inducijs conuenerat, oppidanos eius oppidi regias partes secutos ad defectionem sollicitarent, illi re cum præfecto præsidij regij Michaele cognomento Sromothni cōmunicata, mitti sibi præsidium à Crucigeris postularunt. Missi quingenti equites cū valido peditatu. Ac cæteri quidē foris manere iussi, trecenti modò equites intromissi, ab armatis nostris, quos Michael ex alijs præsidijs ad eam rem deduxerat, facilè conci si sunt. Dolo animaduerso, reliquū agmen, cùm suis in oppido clausis opitulari non posset, fuga sibi consuluit. Vernum huius anni tempus ventorum vehementia, & aquarum è solutis niuib⁹ & imbribus bimestri inundatione corruptis segetibus, non parum incommodi ac detrimenti Polonis attulit. Sub finem anni Elizabetha regina Ioannem Albertū filium peperit. Insequentis verò anni initio conuentum Poloni cum Boemis egerunt Bythomiæ, Præmislo Cessinensium duce controuersiam de regno Boemico inter reges cōponere, & offensiones inter Polonos & Silesios tollere studente. Sed tamen re infecta inde discessum est, nisi quòd alius conuentus ad octauū Calēdas Iulias in idē oppidum condictus est: ad quem Boemi non adfuerunt, offensi multis oppidorum & villarum suarum incendijs, à Cazimiro rege & vxore eius, quemadmodum opinabantur, subornatis. Id vbi accepit Cazimirus, non putauit sibi committendum esse, quin se vxoremq; suam Georgio expurgaret: non tam quòd inimicitias eius metueret, quæ tamen & ipsæ Prussico bello durante intempestiuæ accidebant, quàm quòd se vxoremque suam pro incendiarijs vulgò traduci permolestè ferret. Ac ea de causa Iacobum Dembenium castellanum Malogostensem, & Albertū Garsciū legatos ad eū misit, qui se & verbis & prouocatione ad singulare certamen, militari more purgarent. Qui cū iussa fecissent, nec inueniretur quisquā, qui asseuerare sparsum illū de rege & regina rumorem audiret, Georgi⁹ quoque nunquam id se de tantis principib⁹ credidisse affirmauit. Sic ei satisfactum cùm esset, peractus est intermissus conuentus, & pax, fœdus atque amicitia inter reges cōstituta ea cōditione, vt neuter alterius hostes vlla ope adiuuaret. Solus Pont. max. religionis causa à Cazimiro exceptus est. De Masouia quoq;, & pro ducibus eius oræ, ne quid negocij Georgius ipsi facesseret. Adiectum, vt vno anno exacto, reges ipsi confirmādæ amicitiæ gratia apud Glogouiā con grederentur, & ibi de dote Elizabethæ reginæ non exoluta inter se trāsigeret. Fuêre autem ad eam rem missi à Cazimiro Stanislaus Ostrorogus Calissien-

Teloniū annuū institutum.

Octaua censuum ab ecclesiasticis & equitib⁹.

Marieburgo præfecti Ioannes Coscelecius, & Prendota Lubessouius.

Iacobus Sennenius orator ad Pontificem.

Prussi absoluti à pont. max.

De Crucigeris transferendis tentatum.

Pius pontifex æquior Germanis quàm Polonis.

Crucigerorum clades apud Passenheimum.

Annonæ difficultas.

Ioannes Albertus filius Cazimiro natus.

1460. ann.

Conuentus Polonorum cum Boemis Bythomiæ.

Cazimiri legatio ad Georgium Boemiæ regem.

Pax inter Cazimirum & Georgium.

Masouia.

sis palatin⁹, Ioan. Brezius Luteci filius, ꝓ cãcellarius, & Ioan. Dlugossus canonic⁹ Cracouien. & custos Visliciẽsis. Creditũ est autẽ opera Crucigerorũ & Bernardi Sũbergij submissos fuisse incendiarios illos Boemię: sparsumq́; vulgò rumorẽ, quasi à rege & regina Polonorũ ob interuersũ hæreditariũ regnũ iratis id factũ esset. Idq́; eò fecisse Crucigeros, quò facilius ipsi bellũ cũ Polonis haberẽt, si eos Boemicoquoq; bello implicassent. Nihil enim intentatũ ij relinquebãt, qđ ad perniciẽ Polonorũ pertinere existimarẽt. Nec abhorret à vero, Albertũ archiducẽ, vt vulgato hoc verbo nobis vti liceat, Austriorũ, itemq́; Ludouicũ Bauarorũ ducẽ, & legatos pont. max. Hieronymũ Cretensẽ Archiep. & Franciscũ Toletanũ Astigiẽsem Archidiac. Vuratislauiẽsib⁹ Georgio regi recõciliandis operã dantes, ab ijsdẽ Crucigeris subornatos, missis eiusdẽ anni initio ad Cazimirũ legationibus arbitriũ omnis inter ipsum & Crucigeros cõtrouersiæ dirimẽdæ sibi poposcisse, quo facilius eum spe pacis securũ & incautũ fallerent. Cazimirus autẽ Alberto, qui prim⁹ ea de re miserat, nõ grauatè ꝓmisit, vt amicè, si posset, inter partes cõponeret. Cæterũm de re vniuersa cõpromissum facere abnuit, ne illũ pro amico inimicũ caperet, cõmemorans qua fide se Sigismũdus Cęsar quondã in eiusdẽ modi re gessisset: Ludouico & legatis pontificijs respõsum, Regẽ postulata eorum facturũ fuisse, nisi Albert⁹ id arbitriũ occupasset. Erant autẽ suspecti regi legati põtificij de studio in parte aduersariã, quòd hic quidẽ Crucigerorũ causam Romæ pri⁹ egisset, ille verò à mercatorio quæstu ad sacerdotiũ nuper translat⁹ esset. Fœdus tamẽ ictum cum Bauaro, itemq́; cũ Conrado Albo Olesnicẽsium duce: cũ quo dissidij nonnihil, propter iniurias quasdã vltro citroq́; illatas, Polonis intercesserat. His dimissis in Russiã Cazimirus nondũ exacta hyeme iter instituit. Id autẽ apparanti nunciatur, Valciam arcẽ proditione Ioann. Vedelij præfecti à Gaspare Nostiuicio & Crucigeris interceptã esse. Boriuoiũ autẽ Scrinnium gente Labencium cum non contemnenda manu è Ziuecia & Vrimõte, Turzagoram nostri vocant, Dobsice oppido impendente, subiectam oram latrocinio infestare. Et latrociniũ quidẽ Boriuoij rex per Nicolaum Pienianscũ succamerarium & præfectum Cracouiensem, & Petrum Comorouium cum aulico suo comitatu & Scirisiensi nobilitate missos, expugnato vtroq; eius præsidio, celeriter sustulit, aut poti⁹ repressit. Valciam verò maiores Poloni recuperare iussi, obsiderunt quidem arcem, sed non multo pòst ab obsidione re infecta recesserunt. Rex in Russiam profectus, Ezigerẽ Tattarorum Imperatorẽ, & Stephanum Moldauorum palatinũ per legatos auxilia contra hostes poposcit. Promissa vtrobique alacriter. Peragrata verò Russia Breste supra Bugum amnem cum Lituanis conuentũ egit: animos eorum ad occupandam armis, cùm Poloni Prussico & Boemico, vt rebantur, bello distinerentur, Podoliam, procliues sanauit. In Poloniam verò reuertens Maio mense, Sendomiriæ cum minoribus Polonis, & mox Lenciciæ cũ maioribus conuentus egit. Consultatũ de ratione belli gerendi cum Crucigeris, missusque exercitus ad recuperandam Valciam. Porrò cũ monachis Lubinẽsibus constitutum, vt ne abbatem nisi à rege approbatum, haberent. Inde adeò hic mos inoleuit posterius in cæteris quoque monasterijs totius Poloniæ, vt noui abbates assensum regis requirant. Per eosdem dies Marieburgenses oppidani, quatuor ferè menses à nostris obsessi, oppidum, quòd propè iam aberat vt cuniculis actis caperetur, Ioanni Coscelecio præfecto arcis dediderunt. Recepto oppido, de tribus modò oppidanis, qui defectionis authores fuisse dicebantur, capitale suppliciũ sumptum: milites præsidiarij in vincula cõiecti: cæteræ multitudini parsum est. Dũ Valcia à nostris obsidetur, Bernardus Sumbergius tria millia equitum peditumque Germanorum & Boemorum per marchiam Brandeburgẽsem Crucigeris in Prussiam adducere, & propè iã adesse, velleq́; Valciam primùm obsidione liberare, nunciatur. Ibi Iacobus Dẽbeni⁹ dux regiarum copiarum veritus ne se hostes vtrinque, aduersum pariter & auersum adorirentur, soluta obsidione in æquiorem locum hosti aduentanti obuiam processit. Sed priusquam is appropinquaret, milites Germani & Boemi, cùm Francofordiã ad Odram si tã peruenissent, ac de deditione oppidi Marieburgensis accepissent, domos dilapsi, ducem cum quingentis modò militibus deseruêre. Cum his autem ille iter institutum prosequens, & nostrorũ occursum obliquo tramite declinans, cõfectis vni⁹ diei noctisq́; itinere 12. milliarijs, & 100. equis, qui laborẽ tanti itineris nõ ferebãt, amissis, ad Choiniciã peruenit. Quo intellecto ij q in præsidio Valciæ fuerut, nocte arce incẽsa eum se cuti

Crucigerorum artes.

Legationes pontificis & Principum ad Cazimirum.

Alberto archiduci Austriæ permissa pacificatio cum Crucigeris.

Legati pontificij suspecti Polonis.

Valcia intercepta à Crucigeris.

Boriuoius Scrinius latrocinatur.

Ziuecia, Turzagora.

Valcia à maioribus Polonis obsessa.

Lituanorum comitia.

Abbatiæ sine assensu regio non accipiuntur.

Marieburgũ oppidum per deditionem receptum à Polonis.

Iacobus Dẽbenius dux exercitus

Crucigerorũ copiæ dilapsæ.

Valcia incensa.

cuti sunt. Atq; is Gdanū contendēs, munitionē Gdanensium vno ab vrbe milliario oppugnare adort⁹ est, collocatis opportuno loco insidijs: ratus, id q̄ accidit, Gdanēses suis, q in præsidio erãt, opē laturos. Itaq; illi incōposito agmine ruētes, in insidias præcipitati, & non contēnenda clade repulsi sunt, 60. amissis, 200. captis, inter quos duo cōsulares fuêre. Nonnullam rebus Crucigerorum accessionem aduentus Sumbergij, secundumque illud prælium fecit. Mox enim Golubum oppidū proditione in hostium potestatem redactum est: in quo non pauci Dobrinenses equites vnà cū facultatibus suis capti sunt: arcem Cieruōca defendit. Puscū item quod rex Suetiæ exul tunc hypothecæ nomine, certam pecuniam Cazimiro mutuatus, obtinebat, ab eisdem interceptum: Bielaui oppidum toto anno obsessum: Bartensteinenses oppidum suum dedidêre: Suece arx superior permunita in ripa Vistulæ fraude ab hostibus intercepta est: quos ad centum vsq; captiuus quidam, qui ibi asseruabatur negligentius, cassibus in altum sustulerat: Dobrinensis ora ne vastaretur, vectigalis hosti facta. Porrò Ericus dux Sceccinensium Pomeranorū propinquus & fœderatus atque socius regis, quē haud ita pridem rex, Calissiam ad se cùm venisset, non exiguis donis affecerat, nulla læsus iniuria, nulla vi adactus, violata fide & iureiurando Lemburgum oppidum & Bythouiam arcem fidei suæ commissa à rege, hostibus dedidit, nequicquam deprecantibus Lemburgensibus viris iuxta ac mulieribus, pueris atque puellis, & precium pro redimendis tredecim quibusdam captiuis(quã causam deditionis Ericus præ se ferebat) collata publicè pecunia pollicentibus. Neque nostris tamen penitus fortuna tergum obuertit: Quizinū & Fraumburgum oppida ab ijs noctu intercepta ac direpta: vnde tanta præda miles ditatus est, vt ducenti floreni in capita cederent: duobus iustis prælijs victi fusique hostes apud Paradisense monasterium, & cōpluribus amissis in fugam acti. Ita varia nostrorum atq; hostium fortuna eo anno bellatum est in Prussia. Septembri mense excessit è viuis Thomas Strempinius Cracouiensis episcopus, vir singulari memoria, & pietate magna præditus. Moriens vtensilia quædã non parui precij basilicæ Cracouiensi, Louiciēsi verò templo mille florenos pro instituēdo collegio sacerdotū, quos Mansionarios vulgò vocãt, reliquit. Porrò librariã supellectilē in Gnesnēsem, Posnaniensē, Vneouiensē & Louiciensem ecclesias, & in Academiã Cracouiensem partitus est. Eo mortuo tres de episcopa magno & reip. incōmodo, & authoritatis ecclesiasticæ atque pontificiæ detrimento, & pernicioso ambitionis exemplo aliquandiu contenderunt. Nam vbi dies electioni dicta aduenit, misit rex ad collegiū sacerdotum, ad quod electio Episcopi iure, & more antiquo pertinebat, vt Ioannem Grusciniū Vuladislauiensem episcopū & Cancellarium regni, sibi optarent episcopum. Sed tamen is in tanto numero tria modò præsentium, ac totidē absentium tulit suffragia: reliqua duorū & viginti, quibus antiquior fuit regis iussione libertas & religio, in Ioãnem Breziū procancellarium regni cō currerūt. Verùm hic regijs minis deterritus, electionē suam repudiauit, Vuladislauiensis episcopæ adipiscēdæ spe accepta. Certa iam spe erat de Cracouiēsi episcopa Ioan. Gruscinius, cū Iacobus Sennenius Dobeslai palatini Sendomiriēsis, & Sbignei cardinalis fratris filius, Gnesnēsis & Cracouiensis præpositus, à Pontifice maximo, apud quem ante annū legatione regis nomine functus erat, episcopus Cracouiensis renunciatus est, cedētibus nomine Thomæ Strēpinij quibusdam, quos ille paucis ante mortem diebus ad peragendum id Romæ inscio rege procuratores nuncuparat. Id vbi rex accepit, fremere in Sennenium, qui sine sua authoritate in regno suo Episcopus esse vellet: petentēq; per amicos & propinquos, magnos & nobiles viros, nō modò reijcere, verùm etiã proscribere vnà cū fautoribus & receptatorib⁹ eius adortus est, episcopo Vuladislauiensi, & Ioanne Brezio: itēque Ioanne Pilecio Cracouiēsi, Luca Gorcano Posnaniēsi, Stanislao Ostrorogo Calissiensi palatinis, & Ioanne Rithuianio marsalco regni incitantibus. Nec deerat sibi Sennenius. Nam & initiatus est sacris episcopalibus à Gnesnēsi, Cracouiēsi, & Vuratislauiensi suffraganeis, quos vocant, episcopis in arce paterna Pinciouiensi, & à Pontifice acerrimum & pœnale, vt vocãt, mandatū, quo diris deuouebãtur ij, qui eū p̄ episcopo Cracouiēsi non reciperēt, impetrauit. Verū ab eo mãdato vniuersū ferè collegium Cracouiēs. basilicę regio iussu & minis inductū, ad Pontif. ipsū, siue ad futurū vniuersale conciliū p̄uocauit: sacris tamē pleriq; omnes canonici abstinuêre. Pauci quidã ex eo collegio, & omnino

Gdanēses in cōmodo affecti à Sūbergio.

Golubū proditū Crucig.

Puscū interceptum.

Bielaui opp. obsessum.

Bartēsteinā deditum.

Suece arx intercepta.

Dobrinēses vectigales Crucig. exercitui.

Ericus Sceccinensiū dux Lemburgū & Bythouiam Crucig. dedidit.

Lemburgenses redimere sese volu erunt, ne dederētur Crucigeris.

Quizinū & Fraumburgum capta à Polonis.

Cruciger. bis fusi à Polon.

Strempinij episc. Crac. mors & testamentum.

De Cracou. episcopa contentio.

Ioan. Grusciniм.

Ioan. Brezi.

Iacob. Sennenius.

Pinciouia arx.

ex ordine eccleſiaſtico pōtificiam, quā regiam autoritatem antiquiorem ducentes, cū Iacobo ſenſerunt: inter quos primarij fuêre, Demetrius Sennenius Iacobi frater, Scarbimirienſis præpoſitus, Dlugoſſi duo fratres, Derslaus Crizanonius, & Nicolaus, canonici Cracouienſes.

Sacerdotum bona inuaduntur iuſſu regio, & ipſi Cracouia pelluntur.

Quibus ſacerdotiorū reditus à Nicolao Pienianſco ſuccamerario & p̄fecto Cracouienſi regis mādato ademptiſunt: itemque Pauli Glouinij decani, qui negocia Sennenij Romæ gerebat. Hi, & item Georgius de Franciſcano ſodalitio ſuffraganeus Cracouienſis, qui Sennenium conſecrârat, Cracouia abeſſe iuſſi: Crizanouius verò domo ab apparitorib⁹ præfecti extractus, & per mediam vrbē foras eductus eſt eo veſtitu, quo canonici in templo vtūtur: nempe veſte linea latiore, & palliolo cum cucullo ex pellibus murium Ponticorū indutus, quod Almucium vulgò vocāt.

Cracouienſium Canonicorū cultus.

Qua re magnam in ſe populi ſpectantis commiſerationem, gemitusque de acerbitate regis commouit. Idem tribus alijs inferioris ordinis ſacerdotibus accidit, cultui diuino vacantibus.

Iuſiurādum exactū à collegio ſacerdotum.

Epiſcopalia bona occupata à profanis.

Reliquum collegium iureiurādo à rege ipſo adactum, ne quem iniuſſu ſuo ad poſſeſſionē bonorum epiſcopalium admitteret: quorum tamen bona pars cùm à Pienianſco præfecto Cracouienſi, & alijs quibuſdam, tum à neceſſarijs Vuladislauiēſis epiſcopi, regio vel iuſſu, vel permiſſu, occupata tenebatur.

Dlugoſſi domus direpta.

Dlugoſſi domus Cracouiæ à Staniſlao & Dobeslao Curoſuancijs, epiſcopi Vuladislauiēſis propinquis rege inſpectante & approbante direpta. Nec modò fieri talia rex tunc permittebat, ſed iubebat.

Staniſlai Vantropcæ religio.

Qua in parte ſingularis Staniſlai Vantropcę, gente Oxij pietas & magnitudo animi ſilētio prætereunda non eſt: qui iuſſus à rege in bona ſacerdotum cupiditati ipſius aduerſantium inuadere, regem quàm Deum offendere maluit.

Sennenius latuit.

Ioannes Melſtinius contēpſit regis mādata.

Sēnenius ipſe obſideri in arce Pinciouienſi à rege iuſſus, Melſtini ſe cum Ioan. Dlugoſſo ſeniore totum annum continuit, à domino arcis Ioanne Melſtinio receptus, nequicquā vetante rege, ne perduellē ſuum & hoſtem publicum ſeruaret. Sed ad Pruſſicum bellum reuertamur. Cùm igitur Crucigeri aduentu Sūbergij, & aliquot oppidorum, quemadmodū ſuprà memorauimus, acceſſione, non tam viribus, quàm animis aucti, crebris excurſionibus regi ſubiectum agrum popularentur, rex menſe Decembri Lenciciam, atq; inde initio noui anni, qui fuit 1461. poſt Chriſtū natum, Breſte in Cuiauiam cum omni comitatu ſuo aulico ſe contulit: 1461.ann.

Comitia Breſte Cuiauiæ.

ibique Februario menſe comitia habuit, veritus, ne ſi ea Petricouiæ, queādmodum indixerat, haberet, maiores Poloni, qui in caſtris ad arcendos à ſuis hoſtium impetus erant, dilaberentur. Sed cùm infrequens admodum ſenatus eò conueniſſet, præſertim ex minore Polonia, nulla re memorabili acta, per Radomiam in Lituaniam profectus, ad ferias Paſchæ Vilnæ Lituanorum comitia habuit.

Lituanorum comitia & poſtulata.

Inde repudiatis, ſeu verius in aliud tempus dilatis eius gentis poſtulatis, quibus flagitabatur, vt aut ipſe ſecū maneret, aut Simonem Olelcouicium Kiouienſium principē in magni ducis loco ſibi præficeret, in Poloniam reuertens, Sendomiriam ſenatum conuocauit.

Conuētus Sēdomiriæ.

Pauciſſimi affuêre. Itaq; neque ibi quicquā fere actum. Cracouiam deinde cùm excurriſſet, menſe Iunio Inouuladislauiam ad Pruſſicum bellum proſequendum profect⁹ eſt, nobilitate omni totius Poloniæ eodem conuenire iuſſa. Verùm ea medio demum Auguſto mēſe ægrè conuenit.

Oppida à Crucigeris obſeſſa.

Interim Crucigeri Sipelbeinum & Raſtemburgū & Bielauos oppida, & Morungum arcē obſidêre. Neque rex obſeſſis opem tulit: ſed peiore vſus conſilio quorundam procerum, qui à Crucigeris corrupti eſſe dicebantur, in Pomeraniam ſigna conuertit, vt Fridlandiam & Choiniciam reciperet, & Ericum Sceceinenſium ducem vlciſceretur. Iactarunt certè Crucigeri: Se auro, non ferro effeciſſe, ne noſtri obſeſſis ſubuenirent.

Crucigerorū clades apud Sipelbeinū.

Cæterùm præſidiarij milites, qui Sipelbeini erāt, eruptione in obſidētes hoſtes facta, magna ſtragē eos repulerunt, caſtriſque eorum potiti ſunt. Porrò apud Raſtemburgum ciuiū Magiſter ſimulata ꝓditione parum abfuit quin Magiſtrū Crucigerorū in p̄paratas inſidias induceret. Fraude à quodam de comitib⁹ Magiſtri animaduerſa, & Magiſtro ciuiū ante oppidum confoſſo, non modò eius oppidi, ſed & Morungi obſidio ſoluta eſt. Ne noſtri quidem, qui in aliarum arcium & oppidorum præſidijs erant, ceſſarunt.

Elbingenſes cum Polonis Sambiam populati.

Sed cum Elbingēſibus ciuibus Ioanne Scalio Boemo duce coadunati, & nauibus eorum per Habum lacum tranſportati in Sambiam, regionē eam ferro & igni longè lateque populati ſunt, & ingentē prædam inde aſportarunt: quippe qui inexpectati in oram ab ardore belli remotiorem irrupiſſent. Per quos dies Elizabetha regina Cracouiæ quartum filium

Alexander filius Cazimiro natus. Andreæ Tecinij cædes.

lium Alexādrum peperit. Paucis verò diebus antè, Andreas Tēcinius vir vetustate & claritate familiæ nobilis, Cracouiæ concursu ac tumultu vrbanæ multitudinis in æde diui Francisci memoriç dicata oppugnatus, effractisque foribus in adyto seu sacrario inuentus, immaniter trucidatus est. Interfecti cadauer per mediam plateam, quæ fratrum dicitur, in forum contumeliosè tractum, luto oblitum, & pugionibus confossum, ambustaque barba & capillis ludibrio habitum, & biduo in curia ciuitatis asseruatum, tertia demum die amicis ad sepulturam redditum est. Amici & ministri eius nocte dieque insequēti cùm se in turri templo adiuncta strenuè defendissent, ad extremum vitam pacti, in ciuium potestatem venerunt, deductique in curiam tertia die, reconciliati multitudini vrbanæ incolumes dimissi sunt. Filius Andreæ cùm in furno apud viduam quandam delituisset, noctu ex vrbe saluus euasit. Causam verò huic malo Andreas ipse præbuit, cùm fabrum armorum, quòd arma sibi ad bellum proficiscenti tempori non perfecerat, bis pulsasset. Potuit quidem euadere initio statim coorientis tumultus, reginæ nuncio, vt se in arcem subduceret, admonitus, nisi turpe duxisset, cedere furori concitatæ multitudinis. Et sanxerat quidem regina Elizabetha octoginta milliū marcarum pœna in sequentem diem vt quiesceretur, donec ipsa causam cognosceret: sed vicit pœnç metum ira dolorq; non tam priuatæ iniuriæ, quàm publicæ, vt opinabantur, contumeliæ. Hæc res in castra renūciata, cùm leuius quàm pro atrocitate sui ferri à rege videretur, vehementi indignatione animos nobilitatis accendit, minus alacriter alioqui expeditionem illā obeuntis. Nam & infreques erat exercitus, & non nisi Derslaus Rithuianius palatinus Sendomiriensis, & Eustachi⁹ Sprouius Ioan. archiepiscopi Gnesnensis frater, gentilicia vexilla erexerāt. Et verò displicebat ferè cunctis illa belli gerendi ratio, quod ab hostibus auersum in suos conuertebatur. Excitatus ab omni exercitu Ioannes Amor Tarnouius castellanus Sandecensis graui oratione apud regē atrocitatem cædis Tēcinianæ exaggerauit, excussitq; regi & senatui regio lachrymas. Rex peracerbū sibi esse illum Tencinij casum testatus, causatusq; bellum, quo minus tam atrox facinus tunc vindicare posset, non inultū fore cùm promisisset, non difficulter multitudinem

Ioannes Amor Tarnouius.

mitigauit: & præfectis exercitui Petro Samotulio castellano Posnaniēsi, maiorisq; Poloniæ præfecto: & Ioann. Zaremba castellano Siradiēsi, & præfecto Velunensi, Naclēse territorium suæ ditionis, propterea quòd tributum hostibus penderet, acerbè vastauit. Deinde admotis ad Fridlādiam castris, oppidū septē dies obsessum, octauo cùm oppugnare adortus esset, in deditionē accepit, facta abeundi cū rebus suis potestate hostium præsidio. Inde versus Choinicia progressus, ad mille passus ab oppido 15. dies in statiuis nullo operæprecio consumpsit, nisi quòd per eos dies pars quedā exercitus adhibitis Tattaris Lituanicis, qui circiter 600. erant, in ditionem Erici Scecinēsium ducis populabunda excurrit, & vastatis igni, quæ obuia & immunita fuēre, luculentam prædā auexit. Reuertētes nostros consecuti hostes, & maiore vi adorti, magna strāge ab ijs profligati sunt. Captiui regi traditi, cætera præda militibus cessit. Quo facto Sophia Erici vxor, mulier præstāti forma, & liberali ingenio, suauiq; eloquio pdita, cuius hæreditarius erat principatus Scecinensis, in castra regis supplicis habitu veniens, regē marito suo placatū reddidit. Feruntq; Cazimirum, formā & prudētiam eius admiratū, pœnituisse aliquatenus, quòd eam olim nō contemnēdum principatum, & magnā vim auri ab auo Erico seniore rege Daniæ pro dote afferētem vxorē non duxisset. Rege apud Choinicia tam diu statiua habente, fremere cūcta nobilitas, cùm & autumnalis cæli intēperies, mixtæq; niuib⁹ pluuiç vulgo pmolestæ essent: tum quod se frustra tempus terente in Pomerania, Crucigeri in diuersa parte nauiter rē gererēt, Morāgumque, Sipelbeinū, & Rastēburgum maioribus viribus denuò obsiderent. Exaudiebātur que vulgò voces puerorum, malū consiliū regi acclamātium. Quare inito consilio, cū deinceps milite mercenario bellum illud geri placuisset, nobilitasq; omnis in stipēdium duûm milliū militū, quæ mox in Prussiam contra hostes mitterentur, vicesimam redituū suorū annuorum partē (proceribus onus id recusantibus) cōtulisset, & in sequētem annū tributū duodenûm grossorū in iugera sciuisset, sub finem Septemb. dimisit rex exercitum: Idq; eo incunctantius fecit, quòd ad seditionē & ciuile bellum res vergere videbatur, maioribus Polonis in Petrum Samotulium præfectum asperè & auarè gerentem magistratum fremētibus, illoque

P. Samotulius et Ioan. Zaremba duces exercitus.

Naclense territorium tributarium Crucigeris, vastatum à Polonis.

Fridlandia recepta.

Tattari Lituanici.

Pomerani Scecinenses vexati & profligati à Polonis.

Sophia Scecinensium dux regem exorauit.

Nobilitatis fremitus in regem.

Rex puerorum clamoribus exagitatus.

Tributum decretum.

P. Samotulius inuisus maioribus Polonis.

illoque contrà necessarios & clientelas armante. Rex reuertens, Bydgostiæ dies aliquot, dum mercenarium militem, dato ei duce Petro Dunino Prauucouio succamerario Sēdomiriēsi, in Prussiam transmittit, commoratus, acerbū de morte Sophiæ reginę matris suæ nūcium accepit.

Petr. Duninus dux mercenariorum militum.

Febrim ea ex melopeponibus contraxerat, & mox paralysi accedente extincta est, vno & quadraginta annis, postea quam Vuladislao regi nupserat, exactis: mulier religiosa, magnanima, sed iracunda: & cùm ad amplificandum cultum diuinum munifica, tum in luxum profusa: quo factum est, vt nō modicum æs alienū relinqueret: quod moriens, vt filiꝰ dissolueret, mandauit. Extant ampla eius donaria, vestesque sacræ magni precij in basilica Cracouiensi, & in delubro, quod magnificè à fūdamentis excitatum, & omni apparatu sacrorum, collegioque octo sacerdotū instructū, ac sanctissimæ Trinitati dicatum basilicæ adiunxit: in quo etiam sepulta est.

Sophiæ reginæ senioris mors & mores.

Sophiæ munificentia in cultum diuinum.

Duninus accepto à rege exercitu, Suece arcem superiorem in Pomerania aliquandiu à Bydgostiensi & Cuiauiensi nobilitate, & ab altera parte à Gdanēsibus nauali apparatu obsessam, adueniens in deditionem recepit.

Suece arx à Polonis & Gdanēsibus recuperata.

At hostes discessione nostrorum aucti animis, Morangum, Sibelbeinum & Rastēburgum, itemque Bielauos toto anno obsessos in Prussia præfectis dedentibus in potestatem suam redegerunt, Dunino ob suorum paucitatem subuenire obsessis non auso.

Crucigerorum secundæ res.

Braunsbergenses eiecto regio præsidio cum Ioann. Scalio Boemo præfecto, Paulum episcopum Varmiensem cum Crucigeris sentientem receperunt: & cùm id Scalius intēpesta nocte recuperare conatus esset, parum abfuit quin in hostium potestatē veniret.

Braunsbergenses Polonos eiecerūt.

Fridlandenses idem conati, cū aliquoties à nostris, qui in præsidio relicti erant, non sine cædibus repressi essent, ad extremum hostibus clàm accitis primo diluculo portas vrbis aperuêre, eorumque ope præsidiarios incautos contrucidarunt.

Fridlandenses præsidiū regium trucidarunt.

Stargarta siue Starigradum in Pomerania à tribus è magistratu vrbano proditum. Ne Gdanum quidem ac Torunia extra periculum fuêre, studijs multitudinis propter prosperiores successus ad Crucigeros inclinantibus, & illis multos ad proditionē solicitantibus cùm per alios, tum per duos quosdā Carthusios monachos de Paradisensi monasterio: fuissetq; perfecta proditio, si ad constitutumcum proditoribus tempus Crucigeri adfuissent.

Stargarta prodita Crucigeris.

Carthusij monachi Crucigerorum rebus studētes.

Deprehensi proditores pœnas dedêre. Brodnicia quoque oppidum in Culmē si tractu negligentius custoditum à Nicolao Cosceleciо palatino Inouuladislauiensi, interceptum: arx verò propugnaculis circumquaque extructis arctius obsessa est. In quam tamen modicū præsidium cum non copioso item commeatu à Dunino submissum, vi per medias hostium stationes aliquot militibus desideratis perrupit. Quare diutius ea sustinuit obsidionem.

Brodnicia arx obsessa à Crucigeris.

At Cazimirus Bydgostia profectus in maiorem Poloniam, autumni tempus ibi consumpsit. Inde Corcinum ad comitia, ad sextam diem Decemb. edicta, se contulit. Ibi auditæ legationes Ezigeris Tattarorum principis, Georgij Boemorum regis, & Friderici marchionis Brandeburgensis.

Comitia Corcini.

Tattari oblatis muneribus, pacem, amicitiam, societatem & auxilia contra quosuis hostes regi pollicebantur, quamuis à Lituanis se ad inuadendam Podoliam solicitari dicerent.

Tattarorum legatio.

Boemi cōgressum cum suo rege Glogouiæ ad Cal. Maias, & arbitrium vniuersæ cōtrouersiæ, quæ Cazimiro esset cum Crucigeris, regi suo postulabant: quod Crucigeros quoque non abnuere dicebāt.

Boemorum legatio.

Brandeburgenses principem suum suspectum, quòd sentiret cum Crucigeris, purgabant, operamque & ipsi suam ad componendas cum illis res pollicebantur. Tattaris actæ gratiæ, missaque splendida dona. Boemi absq; certo responso dimissi, Cazimirū per suos legatos respōsurum se esse. Nec ita multo pòst Stanislaus Ostrorogus Calissiensis palatinus, & Ioannes Tarnouius castellanus Sandecensis ad Georgium missi cū his mandatis, vt ad diem Iduum Maij Glogouiæ maiori cum Cazimiro congrederetur: de pace cum Crucigeris faceret arbitratu suo, modò ne Pomeraniam, Culmensem & Michalouiensem ditiones Polonis abiudicaret.

Cazimiri legatio ad Georgium Boemum.

Brandeburgensi verò exprobatæ iniuriæ, commemorataq; in ingratum Marchionem regia beneuolentia, quòd rex neque cum Ludouico Bauaro, neque cum Boemis coniungere se aduersus eum in animum induxisset: de pace cum Crucigeris si se interponeret Marchio, non inuito rege facturum esse.

Marchionis Brandeburgensis legatio.

Legatis dimissis iudiciū contra Cracouienses consules de cæde Andreæ Tencinij institutum est. Atque ij citati, cùm non sisterent sese, eo quòd beneficio Cazimiri secundi regis cautū sibi esse dicerent, vt non nisi Cracouiæ coram rege causam vnquam dicerent, absentes ad capitalem pœnam, & octo-

Iudicium regium de cæde Andreæ Tencinij.

ginta

ginta millia marcarum damnati sunt. Peractis comitijs, ad finem anni rex Cracouiam profectus est. Ibi insequentis anni initio instauratum in arce in ciues Cracouienses iudicium iure Polonico, illis nequicquam ad Saxonicum, quo ciuitates Polonicæ ferè vtuntur, prouocantibus. Sera enim ea prouocatio siue exceptio tunc esse dicebatur, omissa priore iudicio Corcinensi. Pronunciata sententia contra ciues. Sed nihil tunc actum ijs, qui fide regia sese stiterant. Cæterùm paucis diebus missi in vrbem Nicolaus Scora Gaiouius Calissiensis castellanus, & Nicolaus Pienianscus præfectus Cracouiensis quatuor è senatu vrbano, totidem de plebe, & magistrum lictorum ad pœnam depoposcerunt. Dediti & iureiurãdo Ioannis Rabstinij siue Tencinij, interfecti Andreæ filij, secundum leges patrias rei peracti, sex tunc in arce (ne qui nouus motus existeret, si in vrbe id fieret) capitib⁹ plexi sunt: tres reliqui vita donati à Ioanne Rabstinio, in carcere plus quàm toto anno in arce Rabstinensi asseruati sunt, donec res cum Tencinijs transacta est. Iaroslao Sarleio vni de dãnatis regina Elizabetha, quamuis domum ea de re ad Ioannem Rabstinium adiuisset, veniam impetrare non potuit. Sic ira Tencinię familię restincta est sanguine, quã quam non eorum, penes quos culpa cædis fuit. Nam & Clemens armorum faber, qui multitudinem concitauit, & Ioannes Doisuon, qui Tencinium latitantem prodidit, fuga saluti suæ cõsuluêre. Sed nonnullorum tamen pœna sanciri placuit, ne plebs temerè se à turbulentis hominibus concitari pateretur: magistratusque ne id fieret, summa cura vt prouiderent. Sex item millia florenorũ senatus Cracouiensis Ioanni castellano Cracouiensi fratri, & Ioanni filio defuncti Tencinij exoluit. Et ægrè quidẽ Derslai Rithuianij palatini Sendomiriensis & Iacobi Dembenij thesaurarij regni, à rege ad componendam rem delegatorum, opera, & Iacobi Sennenij precibus eò res perducta est, Tencinijs dimidium multę siue vadij à regina editi, hoc est quadraginta millia, poscentibus. Acriter interim obsidebatur Brodnicia à Crucigeris. Itaque missi ad regẽ ab equestri Prussorum ordine, & ciuitatibus oratores, Gabriel Basenus palatinus Culmẽsis, Otto Machuicius, & duo senatores Gdanenses Philippus Bissouius & Ioannes Marpurgius, petiuerũt ab eo, vt Prussicarum rerum maiorem curam susciperet, arcemque munitissimam & nobilissimã Brodniciam, quæ ægrè iam aliquot mensium obsidionẽ toleraret, ne in potestatem hostium venire pateretur: permultum in vna illa arce momenti esse ad retinendam Prussiam, & confirmandos Prussorum animos. Consultissimè autem eum facturum esse, si quàm primùm in Prussiam ipse cũ exercitu veniret, ac Marieburgi degeret. Si pecunia careret, Prussos cisã siue accisam (tributum ceruisiarium sic appellant) ac redituum suorum dimidium collaturos esse, atque adeò facultates ipsorum, & fortunas omnes in potestate regis fore. Si esset remissior, videret ne ditiones amplissimas atque opulentas magno labore & sudore, multo sanguine, & maximis impendijs de manibus cupidi & improbi hostis recuperatas, nõ sine summo dedecore rursus amitteret, seq; in fidem receptos, tetris & immanibus tyrannis proderet. Hac legatione motus Cazimirus, magnam partem aulici comitatus sui, & quantũ mercenariorum militũ statim cogere potuit in Prussiam ad liberandam obsidione Brodniciam ad Duninum pręmisit. Duninus quamuis auctus copijs, tamen obsessis non succurrebat, hostium vires reformidans: qui ad famã nostrorum aduenietium, omnes copias Brodniciam contraxerant, & oppidi munitione sese tuebantur. Itaque obsessi, cùm diutius inopiam & famem ferre non possent, mense Februario vitam resque suas vt sibi auferre liceret pacti, arcem Crucigeris dediderunt. Per id tempus Ziemouitus Masouiorum Plocẽsium, & Vuladislaus Rauensium atq; Belsensium duces Vuladislai filij continuatis penè funeribus elati sunt, à Gothardo Ribenio castellano Sochaciouiẽsi gẽte Raduanio siue Virbouio, cui Ribnam pagum eripere voluerant, veneno, vt vulgò creditum est, de medio sublati. Et quoniam nullos ij liberos relinquebant, de successione inter cognatos eorum, & regem certatum est. Cognati legitimæ hæreditatis nomine pro se quisque defunctorum ditiones ad se trahebant. Erant autẽ fœminæ proximę Catharina & Agathia siue Osca amitæ defunctorum: quarũ Catharina Michaëli Lituano duci, qui blãdius Michaluscо dictus est, matrimonio iuncta, vidua tunc erat: Agathia cum Cessinẽsi duce nupta, Venceslaũ & Præmislum filios moriens reliquerat, qui maternam hæreditatem petebant. Petebat & Margarita soror patruelis defunctorum Ziemouiti filia, Conradi nigri Olesnicensium

Marginal notes: ann. 1462. — Ius Polonicũ de cæde. — Cracouiens. ciues capitali pœna damnati & mulctati. — Pruss. legatio ad regẽ. — Cisa. — Pruss studiũ erga regẽ & liberalitas. — Brodniciã arce potiti Crucigeri. — Ziemouitus & Vuladislaus Masouiorum duces veneno sublati. — De successione in Masouia & Belsensi controuersia.

ſium ſiue Cozlenſium ducis vxor. Iam & Cōradus, Cazimirus, Boleſlaus, & Ioannes Boleſlai Varſauienſium ducis filij, quanquam remotiores, nimirum quarto gradu defunctos attingentes: tamen quia mares, ad ſe iure bona eorū pertinere aſſeuerabant. Rex verò quod mortui duces nullos ſuos hæredes maſculos reliquiſſent, iure feudi caduci ditiones illas ſibi & regno ſuo vēdicabat. Ac Belſenſes quidē donatione Iagellonis haud ita pridē à regno auulſi, nō difficulter Andrea Odrouanzo palatino Ruſſiæ & præfecto Leopolienſi, & Ioanne Curopatuua ſuccamerario Lublinenſi & præfecto Chelmenſi authoribus in verba regis iurarunt. Plocēſis verò cōuentus priuato propriorum principum dominatu delectatus, authore Paulo epiſcopo Plocenſi regis imperiū, præſertim cùm Cazimirum non probaret, detrectabat. Et primùm quidem Catharinam, quam ſuperius commemorauimus: deinde quod ea mulier & ſterilis eſſet, Conradum de Varſauiēſibus ducibus natu maximum, ducē ſibi aſciuit, attributis Catharinæ nonnullis poſſeſſionibus. Rauenſis tamen & Goſtinēſis conuentus Grotho Nouomeſcio authore Catharinam cum non contemnenda manu ad ſe venientem repulerunt. His auditis Rex Louiciam contēdit, indeque Ioannē Vuladiſlauiēſem, & Andream Poſnanienſem epiſcopos, Lucam Poſnanienſem, & Petrum Lencicienſem palatinos, & Ioannem Tarnouium caſtellanum Sandecenſem, viros primarios ad Plocenſem nobilitatē allegauit: à qua cùm nihil aliud impetratum eſſet, Lenciciam ex conſtituto conuentum ad ſextū Nonas Maias edixit. Eò cùm pauci quidam de Plocenſi conuentu, nec ij primores cū Barbara Boleſlai quondam Varſauienſium ducis vxore tunc vidua conueniſſent, re infecta diſceſſum eſt. Itaque alia rex comitia Petricouiam ad tertium Idus Nouembris edixit, ad eaq; Paulum epiſcopum, ac cæteros Plocenſes proceres, ni vim ſuam experiri vellent, nominatim adeſſe iuſſit. Interim autem, quoniā Rauam & Goſtinū Catharina vi ſubigere aggreſſa erat, ab armis vt diſcederetur. His actis rex Glogouiam ad conſtitutū cum Georgio Boemorū rege congreſſum profectus eſt. Quibus diebus Lencicia poſt diſceſſum regium cōflagrauit. Nec ita multo ante, Cracouia horrēdo incēdio in cœnobio Dominicanorum ſodalium è fornace alchymiſtica, quēadmodum vulgò iactatum eſt, orto arſerat, ita vt dimidia ferè pars vrbis ad meridiem & occidentē ſolem vergens abſumeretur. Eius autē incendij culpa partim in acerbitatem regis aduerſus Iacobum Sennenium, & cum eo ſentientes ſacerdotes (quorum decimas quoque rex diripi iuſſerat) partim in cædē Andreæ Tencinij in æde ſacra irreligiosè patratam vulgò relata eſt. Glogouiam aduenienti Cazimiro Georgius Boemus, qui prior eò aduenerat, cum Vuratiſlauienſi & Olomucenſi epiſcopis, & quatuor ducibus Sileſiorum ſplēdido & ambitioſo apparatu ad vnum milliarium occurrit. Vicēre tamen noſtri magnificētia & multitudine, in ſex turmas deſcripti. Salutatione mutua ex equis facta, Cazimirus in arcem deductus eſt: Georgius in curia vrbana diuertit. Nouem deinde dies dati colloquijs: quibus fœdus, ante annum Bythomiæ ictum inter reges, confirmatum eſt: adiectum, vt id ad mortem vtriuſq; eſſet ſtabile. De Oſuencimo, Volco, Zatoria, Ziuecia, Seuero & Berualto munitionibus ac territorijs Boemus Polono ne faceſſeret negocium: Polonus verò à Boemo dotē Elizabethę vxoris ſuę nomine vt ne repeteret. De iniurijs mutuis & cōtrouerſijs delecti vtrinque proceres, alternis vicibus in Polonia & Sileſia certis locis cōuenientes diſceptarent. Proximus conuentus regum, ſi quis deinceps futurus eſſet, vt in Polonia ageretur. Ad extremum ſocietas contra Turcas inita, promiſſaque auxilia mutua, vtri bellum à barbaris illatum eſſet. De rebus Pruſſicis nihil actum, tergiuerſantibus Crucigeris, ſucceſſu belli & receptæ Brodniciæ elatis. Venit eò ad Cazimirum Ludouici ducis Bauari legatio, in Fridericum marchionem eum incitans, & contra Crucigeros auxilia viciſſim pollicens. Cui quid reſponſi datum ſit, non liquet. Reges ita conſtitutis rebus, & miſſis vltro citroque hoſpitalibus muneribꝰ, diſceſſerunt, Georgio Polonorum opes & ſplendorem admirante, nec auſo vnquam Cazimirū ad conuiuium inuitare, eò quòd prior ipſe ab eo inuitatus, acceptusque magnificentiſſimo apparatu, prodere paupertatem ſuam nolebat.

Belſenſes in verba regis iurarunt.

Plocenſes alieni à rege Poloniæ.

Rauēſes & Goſtinenſes regis fidem ſecuti.

Legatio regis ad Plocēſem conuentum.

Comitia Lēciciæ.

Lenciciæ & Cracouiæ incendium.

Cazimiri & Georgij regum conuentus Glogouiæ.

Pacta regū Polon. & Boem.

Bauari ducis legatio ad Cazimirum.

Polonorum ſplendor.

MAR-

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER VICESIMVSQVINTVS.



CAZIMIRVS Glogouia discedēs Posnaniam diuertit: vbi cùm tribus septimanis subsisteret, Crucigerorū præsidiarij Choinicięses in Palucos populabūdi excurrerunt. Nostri quoq; in nouam Marchiam excurrerant: sed ab hostibus profligati, pauci fuga euaserunt. Nec mora Inouuladislauiam rex contendit. Inde missis agrestibus cum præsidio aulici comitatus sui, segetes hostium in Culmēsi tractu succidi iussit. Prodigia per id tempus in Polonia minore apparuisse memoratur. Quadam die sole occidente plus quàm duabus horis imaginem crucifixi cum gladio ab occidente ad meridiem in aëre tendere visam esse: caput verò siue caluam diui Stanislai aliquoties dum in solenni supplicatione circumfertur, sudasse. Cōsecuta sunt domi quidem latrocinia. Boriuoius enim Scrinnius & Vulodicus ex Letaua mille hominum manu facta & rupe quadam inter Volcum & Zaros, quam Sola fluuius alluit, munita, Osuencimensem oram omnem infestarunt. Quos Pienanscus præfectus Cracouiensis, excita rursus Sciriciensi nobilitate, conductisq; paucis militibus mercenarijs, cùm se cum Petro Comorouio & Predislao Dmoscio, hoc è Scepusio, illo ex Vngaria aduenientibus coniunxisset, non modò à latrocinijs cohibuit, sed in munitione illa, quam Bucouecíam dixére, obsessos aliquādiu (cùm Boriuoius ex Ostrauia ipsis non succurreret) fame ad deditionem compulit, vitā modò & vestimenta pactos. In Prussia verò cùm Crucigeri nauiter rem gererent, rex vt eorum audaciam reprimeret, Toruniam se contulit, indeque aulicos suos equites cū Petro Dunino, & mercenario milite Varmiensi basilicæ siue Fraūbergę obsesse ab hoste pręsidio summisit. Cuius aduētu Magister Crucigerorum conterritus, & aleam pugnæ periclitari non ausus, desertis castris fugiens soluit obsidionem. Nostri castra hostilia diripuêre. Nonnihil fortasse momenti hostibus ad fugam attulit, quòd agrum suum Sambiensem à Gdanensibus Habo circumuectis acerbè vastari acceperant. Et ferè agrestibus eius oræ hostilis constabat exercitus. Itaque retineri ij nequiuerunt, quin ad sua defendenda dilaberentur. Rex interea Toruniæ commoratus, & à Torunēsibus liberaliter habitus, nonnunquam reginam in arce Nessouiensi degentem visebat. Erat apud Culmam Bernardus Sumbergius cum aliquanta manu hostium. Is cùm è vicinis agris subinde prædas ageret, quadam die suos nauibus traiecto flumine Vistula, noctu ad Nessouiam iussit excurrere. Non ita multò ante rex id oppidum in gratiam Torunensium in superiorem ripā transtulerat: cæterū domus, quæ in veteris oppidi loco relictæ erant, vici speciem præ se ferebant. Eum igitur vicū cùm hostes noctu incendissent, trepidatum est à nostris, qui ibi diuerterant, nihil tale suspicātibus. Mox abiecto metu Tattari cū perpaucis aulicis ad persequendum hostem emissi, & naues repetentem amolientemque assecuti, magnam stragem gladijs sagittisque ediderunt, & nauibus cunctis potiti sunt: sex modò viui cum duabus nauibus de omni illo numero euaserunt. Porrò Duninus hostibus à Fraumberga depulsis, Gdanensemque agrū populatione infestātibus, ipse quoque copias suas eò traduxit. Neq; satis habuit hostem liberioribus excursioni bus prohibere, sociosque defendere: sed in hosticum progressus, Stargartensium, Bythouiensium, Lemburgensium & Puscensium, quæ territoria non ita pridem in hostium potestatem venerant, fines ferro & igni vastare adortus est. Est autem Puscense territorium in speciem isthmi, longius in mare, vexilli militaris figuræ procurrens. Hostes vbi nostros prædæ cupiditate lōgi⁹ ad iniqua loca inter stagna & lacus prouectos animaduertêre, validā & ipsi manū, deducto è proximis suis munitionib⁹ præsidiario milite, agresti busq; arma sumere iussis, coegerūt, opportunitate locorū cōtra nostros vsuri. Idq; eo maiore fecêre fiducia ꝙ cōmodū Frici⁹ Raunechi⁹ Austrius, & Caspar Nostiuici⁹ Silesi⁹ nouos milites è Germania & Silesia ipsis adducētes aduenerāt. His

Paluci regio.
Polonorum strages.
Prodigia.
Latrocinia.
Letaua arx.
Sola flu.
Bucouecia castellum latronum.
Fraumberga ab obsidione Crucigerorum liberata.
Gdanenses Sambiam vastarunt.
Nessouia translata.
Crucigerorū clades.
Pomerania vexatur vtrinque.

His igitur copijs coadunatis, occurrere nostris parabant: tramitesque omnes, ne quà nostri ex angustijs effugere possent, succisis quoquo versus arboribus, intersepiebant. Qua de re Duninus per exploratores factus certior, ad regem mittit curriculo, qui eũ, vt periclitantibus actutum subueniat, orẽt. Nec mora rex Albertum Gorscium cum reliquo comitatu suo ac Tattaris Lituanicis ad succurrendum suis mittit. Id vbi duces hostium cõpererunt, minore parte in castris aduersus Duninum relicta, ipsi cum maiore ac delecta ripam Vistulæ, qua Gorscium traiecturum esse existimabant, insederũt, vt eum, prius quàm se cum Dunino coniũgeret, opprimerent. Sed Gorscius deflexo itinere, alibi liberè fluuiũ traiecit. Vbi id intellexerunt hostes, omisso Gorscio, propius ad Duninum castra mouerunt, vt eum priusquam Gorscius cum eo se coniungeret, ad pugnam elicerent: aut certè in angustijs conclusum, excluso Gorscio obsessum tenerent. Nõ ignorabat Duninus de aduentu suorum: exploratũ etiam habebat, longè maiores esse hostium vires, quàm suas. Itaque non minus de auxiliaris illius, quàm de sui exercitus periculo sollicitus, noctu hostes in se intentos fallere, ac per deuias syluas euadere ad Gorscium decreuerat. Id ne facere posset, hostes diligẽter cauerãt, transitu omni, quemadmodũ diximus, impedito. Mutato igitur cõsilio, ferro per medios hostes viã sibi ad suos aperire statuit: instructaq; equestri acie, qua peditẽ contegebat, in hostes contendit: Alacres & illi pugnã capessunt, magna spe victoriæ. Et ita se authore Nostiuicio inuicem adiurarãt ac deuouerant, vt qui de suis pedem retulisset, sine omni tergiuersatione pro seruo regi sese dederet. Vbi ad cõgressum ventũ est, Paulus Iasenius gẽte Gosdouius aulicus regius armatus ab latere inter duas acies magno impetu procurrens, hastas hostiũ in nostros intẽtas auertit. Eodẽq; momento nostri inopinata re perturbatos summa vi adoriũtur: & mox vel confractis, vel abiectis hastis, gladijs vtrinq; res geritur. Pugnatur acriter: audacia nostri, hostes multitudine superabãt. Cũq; totas tres horas dubio Marte pugnatũ esset, vtrinq; quasi ex cõposito discessum est. Mox recreatis paululũ viribus vtrique non ad pugnam, sed ad persequendum alteros contendunt, vtrique alteros victos discessisse rati. Occursu muuo instauratur prælium, rursusq; vna hora dimicatũ est, donec sauciato Fricio dũctore exercitus, & peditibus nostris assiduo balistarũ ictu dextra hostium latera ferientibus, retrocedere sensim ij cœperũt. Sed mox reuocante & sistẽte Fricio, redintegrabatur pugna, si quod nostri trepidantibus recolligendi sese spaciũ dedissent. Interim dũ ciet pugnam, animatque suos Fricius, interfectus corruit. Ibi tũ effusa fit fuga hostium cum altero duce Nostiuicio, iurisiurãdi paulo antè dati, & ab omnibus exacti, immemores. Pedites desperata lõgiore fuga, pars in castra sese recepêre: pars ea prętergressi, stagna lacusq; propinquos petiuêre. Nostri pernicitate equorũ freti, fugientes persecuti, magnam cædem edebãt. Vbi ad castra hostilia peruentũ est, ibi nonnihil difficultatis nostris obiectũ erat. Etenim hostes ea, qua parte stagno non tegebãtur, fossa & sudibus acutis foras obuersis munierãt. Sed cupidis victoribus nõ facilè quicquã obstat. Nostri enim præuertendos sibi esse hostes perterritos, priusq̃ ad castrorũ defensionem accurrerẽt, rati, admotis calcaribus cæcorũ in morem in sudes obiectas ruebant: confossisq; equis nõnullis, tãdem contextum sudiũ perfregerũt, & vno impetu castra ceperũt, atque diripuerunt, quindecim bõbardis maioribus, ducẽtis curribus armis, impedimẽtis, & cõmeatu referta. Interim equites hostiũ castra sua pteruecti, plurimi euasêre. Ala vna in locũ deiectu arborũ à se septũ delata, nec inueniens exitũ, à nostris cõcisa est. Cęsa eo die hostiũ duo millia, capti sexcenti, & maior propemodũ q̃ pro numero nostrorum strages edita. De nostris centũ gregarij milites ceciderunt. De nobilioribus tãtũ Hector Chodorasius desideratus est: sed pauci reperti, qui saucij non essent. Duninus in fœmore & in manu vulnera accepit. Ad Puscũ hoc præliũ cõmissum est quinto decimo Cal. Octobris. Triduũ post in ijsdẽ statiuis humando cæsos, & saucios curãdo cõsumptũ est. Per quos dies Ericus Stolpensiũ, Pomeranorũ dux fortunã, vt credebat, sequutus, mutata fide quam Cazimiro regi, impetrata per vxorẽ venia dudum dederat, cum sexcentis equitibus grauis armaturæ ad castra Crucigerorum contendens, cùm profligatum eorum exercitũ accepisset, raptim sese ex itinere domum recepit: non paucos tamen extremi agminis à nostris insequẽtibus partim captos, partim trucidatos amisit. Honoratus est à rege victor exercitus: Petrus Duninus, Paulus Iasenius, Vẽceslaus Ne-

Stulta adiuratio. *Pauli Iasenij audacia.* *Prælium & victoria Polonorum de hostibus apud Puscum.* *Fricius cæsus.* *Nostiuicij fuga.* *Castra hostium capta.* *Cæsorum et captorum numerus.* *Erici Pomerani perfidia.*

Neborius, Nicolaus. Vilcanouius, Thomas Odrouanzus, Ioannes Dlugossus tertius canonicorum frater, & triginta alij virtutis ergò militaribus donis insignibus ornati. Eodem illo tempore tribus alijs in locis prosperè item dimicatum est à nostris: apud Iasenecium pagum, & apud Pissiam flumen in Masouia, vnde propinquarum hostiliũ munitionum præsidiarij milites prædas agebãt. Et apud Suece. Apud Elbingam quoque non multo pòst nauali prælio hostes à nostris profligati sunt. Prorogatum autem est à rege militibus stipendium, cùm ecclesiasticus ordo decreto Calissiensis synodi subsidium ei in maiore quidem Polonia vicenûm grossorũ, in minore verò senûm de prouẽtu vniuscuiusque marcę argẽti cõtulisset. Sub finẽ Octobris Vdalricus Cieruonca Boemus, cùm à Georgio rege eius gẽtis carcere, in quẽ biẽnio in gratiã Crucigerorum compactus erat, Cazimiro postulante emissus esset, Golubũ oppidum noctu ingressus, in potestatem suam redegit, hostili pręsidio satis valido partim capto, partim interfecto: turres duas, quæ acriter defendebantur, igni subiecto in deditionem accepit: de authoribus defectionis capitale supplicium sumpsit. His successibus magna rursus animorum inclinatio in regias partes facta est. Ad comitia deinde Rex Petricouiam ad vndecimam diem Nouẽbris edicta ꝑfect⁹ est. Pauci eò de minoribus Polonis incertum quam ob causam conuenêre. Venêre autem Conradus Masouiorum Varsauiensium dux cùm matre Barbara, & Catharina amita, Michaluſconis Lituani ducis quondam vxore, & Paulo Plocẽsi episcopo, comitatu octingentorum equitum: itẽque Conradus Niger Olessnicensium dux, Plocensem & Belsensem principatum cognationis iure sibi vendicantes. Dati à rege recuperatores siue iudices: Stanisla⁹ Ostrorogus palatinus Calissiẽsis ꝓ summo iudice, Grothus verò Cazimirius pro succedaneo, quem subiudicem nostri vocant, iudicio præsidere iussi: his adiuncti palatini & castellani aliquot pro assessorib⁹. Instaurato iudicio, regij procuratores Ioannes Rithuianius marsalcus, & duo iuriscõsulti negabant legitimæ cognatorum successioni locum esse in dediticijs seu feudalibus, vt vocant bonis, cuiusmodi esset cuncta Masouia, Polonorum regibus antiquo iure obnoxia: sed regẽ optimo iure defunctis ducibus dediticijs, qui nullos mares liberos relinquerent, succedere. Refellebant id Conradi Varsauiensis causidici, quòd dicerent, à Cazimiro eius nominis secundo rege Masouiorum duces è deditícijs penit⁹ exemptos esse. Cõtra regij negabant, Cazimirum aut quenquam omnino regem sine assensu amplissimi consilij tantum de cõmodis & iure regi detrahere potuisse. Iurasse autẽ post in verba regis Ziemouitum, Cazimirum, Ioãnem, & Vuladislaum duces. Atque ita disceptata causa iudices secundum regem pronũciarunt, Masouijs iudicium illud frustra iã detrectantibus, & ad Pontificem maximum, & quemuis alium qui sciret, posset, & vellet iuri suo opitulari, prouocantibus. Cum Alberto Austriorum archiduce fœdus ictum ea conditione adiecta, ne Cazimirus dotem Elizabethæ vxoris suę ab eo repeteret. Nihil præterea memoratu dignum in ijs comitijs gestum est, propter senatus infrequentiam: nisi quòd Hieronymus Cretensis archiepiscopus, legatus pontificius, cuius superius mentionem fecimus, annum ferè totum expectatus, sub finem comitiorum adueniens, ad pacẽ cum Crucigeris faciendam, & ad bellum Turcicum regem hortatus est publicè: priuatim autem solo archiepiscopo interprete reconciliare Iacobo Sennenio regẽ conatus est. Implorarat enim is proculdubio opem Pontificis, cùm rege obstante adipisci episcopam non posset. Miserat etiam rex rogatu & sumptu Grusciniji ad pontificem oratores Ioannem Rithuianium marsalcũ regni, & præfectum Sendomiriensem, & Mathiam Racianzum iurisconsultum & canonicum Vuladislauiensem, qui Sennenij conatus impedirẽt. Et grauibus ij quidem criminibus eum accusabant, & ambitiosum, regi, populo, & ecclesiastico ordini inuisum, seditiosumque reum agebant: quòd vi Thomam episcopum ad concedendam sibi episcopam adegisset, in eamque per vim inuasisset: in qua inuasione propinquus eius Andreas Tencinius magnus vir, & facilè princeps senatus Polonici populi Cracouiensis concursu interfectus esset, literasque Sennenij Mantua, cùm legatione regio nomine fungeretur, ad regem scriptas, quibus incusabat is Pontificem, quasi plus ęquo faueret Crucigeris, producebant: & ampla Pontifici munera regio nomine, ac Friderici Imperatoris & Georgij Boemorum regis commendaticias literas attulerant. Nihil tamen aliud à Pontifice impetrarũt, quàm vt is huic ipsi legato suo

Polonorum victoriæ de Crucigeris.

Contributio.

Vdalricus Cieruonca in carcerem coniectus.

Golubum receptum.

Comitia Petricouiæ.

Iudicium de Plocensi & Belsensi ditione.

Fœdus cum Alberto duce Austriæ.

Legatus pontificius.

suo causam illam cognoscēdam delegaret, atque interim Sēnenio episcopo administratione interdiceret. Itaque egit diligenter Cretensis cū rege pro Sennenio, asseuerans episcopam semel à se de Apostolica ipsi collatam, inuito adimi iure non posse. Sed rege asseuerante, malle se regno excidere, quàm illum pati esse episcopum: legatoq; vicissim vociferante, præstare vt tria regna pereant, quàm ius & authoritas ecclesiæ perturbetur, re infecta, & iritatis vtrinque animis discessum est. Conuenit tandem inter eos postero die, vt rex alia comitia eódem ad decimam septimā diē Ianuarij ediceret: interim vterq; scriptis ad Pontificem literis contenderet, vt si aliter fieri non posset, ad Vuladislauiensem episcopam Iacobus Sēneni⁹ trāsferretur. Et mox legatus explorata regis voluntate de pace, ad Crucigeros in Prussiam contendit: nec tamen vltra Breste Cuiauiense progressus, per literas & internuncios cū Magistro Crucigerorum de pace egit. Rex verò discedens & ipse Petricouia, Rauæ & Gostini possessionem adijt: & hanc quidē præfecturam Nicolao Gutenio, illam verò Grotho Nouomescio pocillatori eius tractus (Ciesnicum vocant) quoad viuerent confirmauit: possessiones etiam quasdam vtriq; hæreditario iure donauit, propterea quòd horum duorum opera potissimum ditiones illæ ipsi adiunctę essent. Archiepiscopo verò Gnesnēsi marcā auri Louicię nomine Masouijs ducib⁹ Sochaciouię quotānis pendi solitam, in omne deinceps tēpus remisit. Quibus peractis, Radomiam ad reginam vxorem se cōtulit. Per id demum tempus Viēnenses ciues tumultu ciuili ob sex senatores in carcerem coniectos concitato, Fridericum Imperatorem in arce duobus ferè mēsibus obsederūt: & Georgium Boemorum regem cū exercitu liberandi eius causa venientem, insidijs exceptum in suburbanis Alberto Friderici fratre du ce profligarunt. Pax deinde facta ea cōditione, vt Fridericus Maximiliano filio principatum illum cōcederet, eiusque tutelam Albertus patruus gereret. Fridericꝰ vt gratiam referret Georgio, filios eius duces Munsterbergēsium in Silesia creauit. Hoc etiam anno reperio Stephanum palatinum Moldauorum in verba Cazimiri regis absentis iurasse, & promisisse, præsenti quoque idem iusiurandum solenni ritu se daturum esse intra duos vel tres mēses, cùm euocatus fuerit. Aliùs ne autem sit hic Stephanus ab illo, quem superius iurasse narrauimus, aut si idem, cur iusiurandum repetiuerit, nihil compertum habemus: nisi fortè ex eo, quòd is tunc retractauit omnes alias obligationes suas huic cōtrarias, colligi rectè potest, eum intermedio tēpore mutasse fidē, & ad Vngarum desciuisse. In quo suffragari nobis videtur illud, quòd proceres & cōsiliarij ipsius pro ipso, quasi cui ipsi fides nō haberetur, spopōderunt, quòd eū deinceps in fide regis Poloni & officio retēturi essent. Post initiū insequentis anni Cazimirus Petricouiā ad præstitutā comitijs diē redijt. Adfuit frequēs senatus, & Hieronymus legatus Pōtificius, itemq; Iacobus Sēnenius cū triginta modò comitibꝰ accepta fide regia. Aduenêre & Cōradi cæterorumq; fratrū Masouiorum ducū Nicolaus Boglevius Varsauiēsis palatinus, Vincentius Gizicīꝰ marsalcus ducū, Nicolaus Mirzenecius, & Nicolaus Malcus iurisconsulti: Lituanorū verò procerū Totiuil & Cuzek. Ac Sēnenius quidē, quamuis ad genua regis clementiam eius implorans accidisset, & omnia tentasset, nihil tunc impetrauit, asseuerante rege, regnum se prius amissurum, quàm illum aut quenquam omnino non electū in regno suo se inuito episcopū esse passurum. Itaque cessit Sēnenius pertinaciæ eius, & episcopam Grusciniо concessit, acceptis ab eo quatuor millibus florenorum, quos liti expēsos ferebat, & nōnulla parte bonorū episcopaliū, duobꝰ annis ac dimidio, ex quo lis exorta erat, præterlapsis. Quo facto, ijs quoque sacerdotibus, qui cum eo senserāt, sacerdotiorum suorū fructus restituti sunt. Ioannes Grusciniꝰ Cracouiēsis episcopus designatus, in Vuladislauiensi successorem accepit Ioānem Lutecū Brezium procancellarium regni: quorum triū ambitio & pōtificiā authoritatē in Polonia debilitauit, & electioni liberæ vim attulit: ita vt ex eo tēpore ea sublata sit, ac vmbra modò eius quędā penes sacra collegia remaneat, nō sine grādi non modò ecclesiasticæ authoritatis, verùm etiā religionis & reip. iactura. Etenim donec liberæ sacrorū collegiorū siue capitulorū, vt vulgo loquūtur, electioni in creādo episcopo locꝰ fuit, fuit tamē aliqđ bonorū & malorū, dignorū indignorūq; discrimē, cū sacerdotes sumptis reuerēter tremēdis Christi mysterijs, iurati de futuro episcopo ferrēt suffragia. Virtute, doctrina & pietate tūc ambiebatur, plusq̃ fautoribꝰ, aut necessariorum precibus, aut mulierū blandi-

Regū cum legato altercatio.

Tributum Louiciæ nomine remissum archiepiscopo.

Fridericus Imperator obsessus à Viennensibus.

Georgius Boemus profligatus.

Maximilianus dux Austriæ.

Georgij filij duces facti.

Step. Moldauiæ pal. iurat in verba regis Polon.

Stephani dubia fides.

Comitia Petricouiæ. 1463. ann.

Iacobus Senenius cessit episcopa.

Ioannes Gruscinius episcopus Cracouiensis.

Episcoporum electiones liberæ.

blanditijs atque lachrymis, aut splendore comitatus, aut apparatu conuiuiorum, & compotationibus aut cõmendatione generis & familiæ, aut assentatione, & sacerdoti indecoris ministerijs, aut etiã largitione. Vigebat igitur disciplina ecclesiastica: minus sibi permittebãt ij, qui episcopi fieri cupiebãt: seruiebant famæ & existimationi: & nõ modò reprehensionem collegarũ, sed etiam sinistram cuiusuis suspicionẽ cauebãt. Episcopi verò facti, nihilominus pro fratribus ducebant collegas dudũ suos: in consiliũ eos de rebus maiorib⁹ adhibebant, plurimumq; reuerebãtur: & officiũ suũ nauiter faciebãt, memores quid solenni & seriò dato iureiurãdo recepissent. Ad aulas principũ quoties veniebant (veniebãt autem rarius, nec tam sua suorumùe quàm publicæ vtilitatis gratia) de via ipsis decedebatur, assurgebatur, omnisque honos habebatur, & quasi numinibus quibusdã tantùm non ad genua procumbebatur ab ipsis etiã principibus. Porrò in cõsilijs de rep. in iudicijs, in defendendis ac vindicãdis bonis & hominibus ecclesiasticis, pupillisq; & viduis, deniq; in admonẽdis & corrigendis nõ modò infimis & mediocribus, verùm etiã primoribus, atq; adeò regibus ipsis liberæ erãt eorũ voces & sententiæ, singularis dignitas, summa autoritas. Non inhibebat vocem accepti beneficij memoria, non spes futuri. Nec eleuabat authoritatem dicentis aut arguentis ambitio, & conscientia audientiũ: nec metus aut inscitia dignitatem deprimebat. Non erat necesse episcopo & sacerdoti pro foribus cubiculi regij inter scurras & vilia vetris mancipia assidere: nec sannas & scommata leuissimorum quorumque ferre: non turpiter & indecorè adulari & adblandiri non modò elegãtioribus istis cubiculi & mensæ regiæ administris, vt aliquam tamen ij vel ioco mentionem absentis apud regem facerent: verùm etiam satellitibus, ianitoribus, ne dicam etiam horum amicis & concubinis, matellionibus, morionibus, ac cæteræ fæci aulicæ, atq; ipsis deniq; castellis principũ. Itaq; florebat tunc resp. florebat religio, florebat ordo ecclesiasticus, florebãt scholæ & Academiæ sacerdotũ & episcoporũ seminaria: splendescebant templa: aulæ verò principũ, horum præceptis & exemplis institutę, vrbanitatis, virtutis, fortitudinis, prudẽtiæ, modestiæ, & pudoris erãt officinæ, nõ fastus, ignauiæ, ebrietatis, libidinũ, temeritatis, impudẽtiæ, & omnis nequitię & impietatis ganeę ac barathra. Nũc sublata electione, hæc & multo plura alia mala bonis illis successerunt, & in domos ac familias, atq; adeò in ipsa intima cubicula episcoporum, nedum in profanorum principum aulas inuaserũt: simulq; dignitas sacerdotum indecorè emerendo & emendo fauore etiã abiectissimorum hominum viluit: labefactata est authoritas: nutat, ne dicam, ruit, Respublica: religio prostrata penè concidit. Quæ omnia principes non tã episcopis debent imputare & sacerdotibus, quàm sibijpsis, qui nuncupandorũ episcoporum ius sacris collegijs ereptũ vsurparunt. Nam vt nihil perperam ij faciant, nihil affectioni cuiquam indulgeant, sed eadem illa omnia, quę iurati sacerdotes in electionibus episcoporũ habere solent, ob oculos habeant: certè longè facilius vnus aliquis, & is quidẽ alienis fere oculis & auribus sentiens & iudicans, errat & fallitur, quàm multi graues, acuti, & multarũ rerum periti: & aliud is plerunq; spectat, quàm quod potissimum spectandum est in deligendo episcopo: & verò expeditius est, vnũ quàm multos corrumpere. Tametsi, magna, ne dicam præcipua huius rei culpa est penes Pontifices maximos, mea quidem sententia: qui nisi electiones collegiorum primi labefactare aggressi essent, nunquam eò audaciæ reges prouecti essent. Sed nos inutili deploratione omissa, ad rem redeamus.

Quales olim episcopi. — *Episcoporũ dignitas & authoritas.* — *Scholæ sacerdotum seminaria.* — *Principũ aulæ quales olim, & quales nunc.* — *Principes alienis oculis & auribus sentiunt.* — *Electionum sublatarum culpa penes Pontif. max.*

Sic igitur de episcopa Cracouiẽsi tunc actum est. Masouij nihil & ipsi impetrarunt. Petebãt autem, ne ducibus suis rex molestus esse pergeret de Plocensi ditione, aut certè externis & à suspicione alienis hominibus causam cognoscendam & iudicandam permitteret. Ferebantq; regi iudicem Fridericum marchionem Brandeburgensium, vel Albertum archiducem Austriorum, vel Ludouicũ ducem Bauarorũ. Lituanis Podoliam, Belsensem, Olescensem, & Rathnensem tractus non sine comminatione belli repetentibus nihil aliud responsum est à senatu, quàm missum iri ea de re legatos ad conuẽtum eorũ. Et mox legati designati Stanisla⁹ Ostrorogus palatinus Calissiensis, & Ioannes Rithuianius marsalcus regni. Porrò in Prussiam bellũ siue expeditio decreta est. His peractis Cazimir⁹ Radomiã ad vxorẽ, & inde cũ ea in Lituaniã ꝓfectus est. Quę cõsecuti legati senat⁹ Polonici, postulata Lituanorũ in cõuentu Vilnę disertè refutarũt. Sed cũ Lituani nõ acquiescerẽt, rex causã ad conuentum cõ-

Masouiorũ postulata. — *Lituanorum postulata.*

munem Parsouiam indicendum reiecit. Legatus verò Pontificius Petricouia discedens, in Prussiam à præsidio militari regis iussu ad magistrum Kynixbergam deductus. Secundæ tunc res nostris erant in Prussia. Nam præter ea quæ superius cõmemorata sunt, apud Vormitham, quam Ornetam nostri vocant, Pauli episcopi Varmiensis (qui violata iurisiurandi religione ad Crucigeros desciuerat) milites vnà cum aulicis magistri præsidiarijs cùm per proditionem noctu capere id oppidum constituissent, proditi ab illo ipso, qui oppidi proditionem ipsis promiserat, & à Ioanne Scalio præfecto presidij regij præparatis insidijs intromissi, ad vnum omnes aut capti, aut trucidati sunt, quotquot ingressi erant. Nam qui in extremo agmine fuêre, ne multitudo hostium nostros pauciores prægrauaret, exclusi & inopinato periculo perterrefacti in propinquos lacus glacie concretos diffugerunt: ruptaque fragili etiam glacie demersi periêre. Apud Scampe item oppidum agri Dobrinensis trecenti equites hostiles è præsidio arcis Brodniciensis prædatum profecti, ab Vlrico Cieruonca, qui Golubi erat, profligati sunt, ita vt perpauci fuga euaderent: capti ex his octoginta. Arx verò Slochouia ne proditiõe in hostium potestatem veniret, presidiariorũ Pomeranorum opera seruata est. Vuladislaus castellanus & præfectus Naclensis illius etiam arcis præfectus erat, eamque absens Georgij cuiusdam sculteti nobilis gente Topori, fidei commendarat. Is igitur Georgius, cùm prodende arcis cõsilium cepisset, præsidiarios milites, quos conatibus suis aduersaturos esse suspicabatur, per speciem commeatus ex hostico importandi emissos, arce excluserat, & (veréne an falsò, nõ liquet) præfecti iussu id se fecisse dictitabat: nec nisi duodecim, & eos quidem Pomeranos, quos minus suspectos habebat, secum reliquerat. Hi vbi eum pactiones cum hostibus de prodenda arce inire animaduertêre, siue inuidia & auaricia incensi, siue officij & fidei suæ memores (non enim constat) comprehensum eum in fundum turris concluserunt, & fide accepta prefecto aduenienti portas arcis aperuerunt. Sed is violata fide omnes eos capitali affecit supplicio. Quod factum variè suspicandi occasionem hominibus præbuit. His igitur successibus nostrorum moti Crucigeri, pacem afferentem legatum Pontificium cupidè acceperũt. Promiscua verò multitudo cùm virorum, tũ matronarum & puellarum belli & penuriæ cæterorumque incommodorũ bellum consequẽtium pertæsa, lachryma re gaudio, ac desiderio pacis legatum magistratusque suos supplex obtestari, vt exoptatam eã sibi quibusuis, modò tolerabilibus conditionibus conficerent, ni se prorsus perditum ire vellẽt. Ibi legatus per interpretẽ, quemadmodum proditum est, laudare & cõfirmare constantiã populi: hortari, deinceps quoq; vt in fide Crucigerorum permaneret: regem Polonosque carpere: & cũ iniquitatem causæ eorum exaggerare, tum mores fidei, religionis & humanitatis expertes reprehẽdere: studium suum erga Crucigeros omnibus modis testatũ facere: deniq; certam perpetuamque pacem, aut duodecim duntaxat annorum inducias ipsis, quasi regẽ quò vellet adducturus esset, certò polliceri. Ita cõfirmatis eius oratione animis omnium, mittuntur cum eo Breste tres legati ad tractandum de pace cum Polonis, quos eò rex eius rogatu miserat. Fuerunt autem ij Ioannes Vuladislauiensis, Andreas Posnaniensis episcopi, Stanislaus Ostrorogus Calissiensis, Petrus Opporouius Lencicieñsis, Nicolaus Cõscelecius Brestensis palatini, Sẽdiuoius Ciechel prepositus conuentus Clodauiensis, Ioannes Dambrouuca, Iacobus Schadecus, & Mathias Racianzus doctores, partim theologi, partim iurisconsulti. Ad constitutam diẽ, hoc est, ad Calendas Maias conuentũ, indeque infectis rebus discessum est, orta inter Polonos & legatum acerba contentione & iurgio ex huiusmodi causa. Veniebant legati à ciuitatibus Torunensi, Elbingensi, & Gdanensi. Eos legatus pontificius ingressu oppidi & cõuentu prohiberi oportere contẽdebat, quod eas ciuitates, simulque cæteros Prussos, qui cum Polonis sentiebant, ipse siue adeò Põtifex diris deuouisset. Contra Poloni, iniquissimũ id esse præiudicium affirmabant, & ab instituta re alienissimum. Admissi igitur sunt legati frustra reclamante legato apostolico. Mox ille toti oppido sacris interdixit. Verùm id interdictum Poloni contempserunt orto initio à militibus, qui per speciẽ supplicationis ob rem bene gestam à suis apud Heilgebeilam, oppidumque id à Scalio captum ac direptum, facto concursu ad templa, nolarũ siue campanarum pulsu, festoque cantu oppidum impleuerunt. Ibi verò furere legatus: vociferari non modò se, ve-

Crucigerorum clades apud Vormitham.

Scampe.

Slochouiæ periculum.

Pacis desiderium apud Prussos.

Legati iniquitas.

Conuentus Polonorum cum Crucigeris de pace.

Prussi ꝓpter interdictum submoti à legato, à Polonis admissi sunt ad conuentum.

Legati iniquitas.

verùm etiam pontificis & sedis apostolicæ authoritatem contemni. Nec cessêre furori eius Poloni, grauiter in eum inuecti per Ostrorogum, quòd cùm pacificatoris personam sustineret, nihil minus quàm paci studeret, sed classicũ etiã caneret. Cuius rei clariora etiã documenta proferebãtur eius literæ ad Crucigeros à nostris interceptæ. Ita tũc iritatis animis discessum est. Et legatus quidem Cracouiam, vbi controuersæ episcopæ sequester & administrator à Põtifice constitutus erat, proficisci cupiens, cùm prohiberetur à Polonis, Vuratislauiam se contulit: indeque missis ad regem in Lituaniam literis, questus est de Brestensi cõtumelia, in Vuladislauiensem episcopum potiss. culpam conferens. Quòd si rex agi de pace nihilominus à se vellet, extra fines Poloniæ locum constitueret, quò tutiùs aduersarij venire possent. Et hæc quidem ostentans, Prussos & Pomeranos Vuratislauiam Iubilæi gratia uenientes, in partes Crucigerorum pertrahere omni ratione conatus est, minis etiam intentatis. Quin mulierib. maritorum cõsuetudine & cõtubernio interdixit ijs, quæ maritos à fide regi data auellere nequirent. De qua iniquitate eius aliquanto antè quàm is venisset in Poloniam, Iacobum Sennenium prædixisse Dlugossus memorat. Misit tamen postea Cazimirus ad eum legatos, Ioannem Rithuianium marsalcum regni, & Iacobum Schadecum iureconsultum & canonicum Sendomiriensem postulatum, vt interdictum siue diras, quibus Prussis regias partes secuti indictã causa deuoti erant, relaxaret, & æquiorem se in componenda pace præstaret. Verùm illo non nisi ad tempus, quoad de pace tractaretur, diras relaxare volente, acceptum id à rege non est, nec ipse in Poloniam deinceps venit. Tametsi Bernardus Vapouius venisse eum, omnia prolixè pollicentem, infectaque pace recessisse, memorat. Verùm id non conuenit cum ijs, quæ Dlugossus, cuius tempore hæc acta sunt, scribit: nempe misisse eũ postea ad regẽ, denuò deposcentem sibi pacificandi ipsius cũ Magistro prouinciam: missosque vicissim ad eum à rege Iacobum Schadecum iureconsultum, & Ioannem Sepinium, qui dicerent: Regem non abnuere, modò vt is Prussos interdicto absoluat, Posnaniamque veniat. De damnis & impendijs penes eum fore arbitrium, ac de cæteris, modò vt Pomeraniam, Culmensem & Michalouiensem tractum

Legatus non admissus Cracouiam.

Legatio regis ad legatum pontificis.

Poloni retinerent. Cumque ille non remitteret de interdicto, Romã eum reuertisse Vuratislauia. Hac æstate quingenti nostrates Russi milites, Cafensium stipendio conducti, permissu regis, cùm ad defendendam eam vrbem aduersus Turcas proficiscerentur, apud Bogum amnem à Lituanis & Volynijs deleti sunt ex huiusmodi causa. Bratislauiam Lituanicæ ditionis oppidum cùm ij peruenissent, excitata temerè cũ oppidanis rixa, vnum ex ijs fortè fortuna interemerunt: cumque gliscere in se magis ac magis tumultum concitatæ multitudinis animaduerterent, oppidum incenderunt, quo minore negocio inde sese euoluerent, oppidanis incendio restinguendo occupatis. Præfectus erat arci Michael dux Ciartoriensis. Is dolore simul & ira incensus, cum tumultuaria manu nostros abeuntes persecutus, quater in eos impetum fecit: quaterque non sine clade suorum repulsus, affluente ex toto territorio oppidanorum & agrestium, qui propter Tattarorum vicinitatem bellicosi & in armis probè exercitati sunt, multitudine, vada suprà memorati fluuij præoccupauit, & truncis stipitibusque impediuit: indeque rursus subdũcẽs sese, impeditos in traijciendo flumine à tergo & lateribus adortus, cunctos atrocissimè trucidauit, ne supplicibus quidem parcens. Quinque soli ex omni eo numero fuga elapsi sunt. Prȩda omnis, qua hostis potitus est, triginta millibus florenorum ȩstimata. Sic vrbs illa nobilis Genuensium colonia, Theodosia, quemadmodum volunt, olim dicta, frustrata nostrorum ope & præsidio, non multo pòst à Turcis subiugata est. Mouerat autem Cafenses ad comparandum præsidium Turcarum vicinitas, & infinita imperij proferendi cupido: quippe qui in ipso huius anni initio Lesbon insulam, & mox Bosnam regnum flores opibus & munitionibus in suam potestatem redegissent, regemq; Stephanum cũ primaria arce Iaice in deditionem acceptum, cõtra fidem datam ad palum alligauissent, & sagittis confixissent, exprobrãte ipsi Mahomete imperatore ignauiam, quòd cum argento & auro, cuius immẽsa vis in thesauris eius reperta erat, perire, quàm ad defendendum sese & suos, eo vti maluerit. Ex eo verò tempore Ianizeri, quæ phalãx est Turcica, Slauica lingua vulgò vti cœpere, triginta millibus ex captiua iuuentute Bosnensi in eum ordinem allectis. Longè prosperiores successus

Russi auxiliares Cafensium deleti à Lituanis & Volynijs.

Cafra à Turcis capta.

Lesbos insula & Bosna à Turcis subacta.

Stephani Bosnensium regis auari interitus.

Ianizeri.

cessus tunc habuerūt ij Poloni, qui Mathiæ regis ære cōducti Felice Paniouio gente Goziembio, & Ioanne Srescouio Doliuio cognomento Albo ducibus in Vngaria militabant. Fuerunt autem ij quingenti equites, qui ad reprimendā Turcarum excursionem è Bosna factā missi à rege illo cum septingentis alijs equitibus Vngaris, miserti Christianorum, qui ad septem decem millia vtriusque sexus in fœdam seruitutem à barbaris abigebantur (cùm Vngari multitudine hostiū expauefacti diffugissent) obfirmatis ad vincendum aut moriendū animis prima noctis vigilia, ne paucitas sua conspecta hostibus animum adderet, in barbaros impetum fecerāt: resistentibusque acriter Turcis quinquies pugnam redintegrarunt. Sic tota nocte pugnatū est. Die verò illucescēte cùm barbari paucitatem eorum conspexissent, cohortati sese inuicem, & in duas acies diuisi, à fronte pariter & à tergo adoriri eos satagebant. Verùm hoc parātibus Poloni captiuorum clamore animati, acrius instabant. Aberat haud longè Rascianorum turma expectans euentum prælij, vt cùm victoribus sese coniūgeret. Ea igitur cum meliore loco rem Christianorum esse animaduertisset, inuecta est & ipsa in Turcas. At illi desperatis rebus, Sauum amnem propinquum effusa fuga petiuêre. Et commodùm naues ad transportandos eos adnauigarant. Itaque abiectis equis & armis tumultuariè ad naues profugiebant: è quibus tamen paucæ incolumes in vlteriorem ripam eiectę sunt, cæteræ pondere insilientium depressæ ac demersæ periêre. Fuêre autem quatuor millia Turcarum selectorum in eo exercitu. Sic tunc Mathias Polonorum opera, præclara, sed insperata prorsus victoria de barbaris potitus est. Nā Vngari in fugam effusi, ad vnum eos omnes perijsse diuulgarant: Quos rex insigni ignominia notauit. Polonis verò & Socoli Petro duci Vngarici illius equitatus, qui solus cū sexdecim familiaribus suis cum Polonis perseuerarat, perampla dona largitus est. Et mercenarijs militibus externis è Polonis, Silesijs, Morauis, Boemis, atque Germanis cōscriptis postea multum vsus est. Nec multo post in Transyluania iterū eosdem hostes itidem per legatos profligauit. Cumque Nicolaum Fristacium, & alios quosdam æmulos suos, qui Fridericum imperatorem ad regnum Vngarorum inuadendum excitarant, commoditate sua & magnis promissis sibi

Polonor. de Turcis victoria ad Sauū fluuium.

Rascianorū dubia fides.

Vngari equites ignominia notati.

Mathias rex quibus militibus vsus.

Turcæ victi in Transyluania.

Mathias æmulos sibi conciliauit.

reconciliasset, & cū Friderico post duo prælia diuerso euentu depugnata pacē fecisset, ac diadema sacrum, quod Elizabetha regina olim sustulerat, sexaginta millibus numûm aureorum ab eo redemisset, comparato in sequentem annum maiore exercitu ad depellenda arma Turcica, recuperandamque Bosnā animum adiecit. Per eos dies, siue adeò sub ipsum tempus comitiorum Petricouiensium Paulus Gizicius episcopus Plocensis, cùm tres & viginti annos illi ecclesiæ præfuisset, è viuis excessit: & in Poltouiensi templo, quod ipse exædificarat, & lauto canonicorum sacerdotū collegio instituto ornarat, sepultus est. In locum autem eius Sciborius Gozacicius canonicus à collegio eius basilicæ (tribus, de quibus ipse vnus erat, facta per compromissum potestate legendi episcopi) suffectus est, repudiatis mandatis & nuncijs regijs, qui Iacobo Sennenio studebat. Cazimirus verò rex facturus expeditionem in Prussiam, è Lituania profectus, mense Iunio venit Lēciciam. In eum enim locum copijs omnibus, vt conuenirent, edixerat. Ibi cū de consiliarijs nonnullis, qui primi ei occurrerant, cognouisset, fremere ob eam expeditionem equestrem ordinē, comitia Corcinum edixit ad quintam diem mensis Iulij: eoq; ipse profectus, post octo dierum consultationem decreto omnium consensu senūm grossorum è laneo, itemque è caupona & molitrina certo tributo, & alijs comitijs ad medium Octobrem Petricouiā indictis, expeditionem remisit: mercenariorum verò militum aliquantam manum in Prussiam ad capiendum Gneuum misit, motus querelis Prussorum, qui minus libera nauigatione in Vistula vtebantur, quod à præsidiarijs eius arcis & oppidanis infestarētur. Ipse verò in maiorem Poloniā sese contulit. Cū autem Gneuum egregiè defenderetur ab hostibus, ita vt ij crebrò decurrentes non parum damni nostris obsidētibus inferrent, cepêre nostri cōnsilium longiore & secura obsidione hostes ad deditionem compellendi. Itaque nequicquam prohibentibus Crucigeris circūuallarunt arcem vallo siue sepibus limo oblitis, turresque & propugnacula opportunis locis excitarūt. Nam fluuio ne quid obsessis importaretur, Gdanenses classiarij obseruabāt, quibus arx illa potissimum incommodabat. Sed ij dum aliena oppugnant, sua vrbe penè exciderunt proditione paucorum ciuium, quorum capita erant Mathias Schim-

In Turcas bellum comparauit.

Poltouiense collegium institutum.

Sciborius Gozacicius electus Plocensis episcopus.

Comitia Corcini.

Expeditio tributo redempta.

Gneuum obsessum.

Gdanū propè proditum.

Schimnan iureconsultus, & Georgius Cocus: qui sub specie remigum & baiulorum è nauibus onera ferentium non paucos iam hostiles milites in vrbē receperant. Nec procul ab vrbe Magister Crucigerorum cum mille quingentis equitibus aberat, vt constituta cū proditoribus die ad tertium Idus Iulij ex improuiso irrumperet. Sed detecto ab vno ex cōiuratis scelere, euocati in curiam proditores per speciem consultādi de reb⁹, captique & conuicti, capitali supplicio affecti sunt. Schimnani tamē professioni honor habitus est. Nā is in custodiam episcopalis iudicis, quē Officialē vocant, traditus, & episcopi Vuladislauiensis iussu postea dimissus, ad Magistrū profugit. Milites item hostiles in vrbe deprehēsi, partim capitis pœnas luerūt, partim in profluentē demersi sunt, partim diuturni carceris molestias pertulêre. Magister verò spe frustratus, ad opitulandum suis Gneui obsessis animum conuertit: nauesque viginti militibus bene instructas Kynixberga emisit, Habo lacu & aduerso flumine Vistula nauigaturas. Sed re cognita nostri cum Gdanēsibus classiarijs, duodecim tantum nauibus armatis, vt ait Vapouius, vno ab Elbinga milliario hostibus occurrerunt, commissaque nauali pugna, victoria potiti sūt. Mille hostes desiderati, capti sexcenti, & cum captiuis nauibus, armis, & fortunis Gdanum deducti. Id ad quintumdecimum Calendas Septembris actum. Cuius cladis nuncio accepto Hēricus Plauenius commendator Elbingensis, & Bernardus Sūbergius, qui cū terrestrib⁹ copijs in maiore insula aduenientē suorū classem expectabant, in diuersa dilapsi sunt. Nec multo pòst Holandiam oppidū Plauenius in potestatem suā redegit, accit⁹ & receptus ab oppidanis, cùm ij præsidiarios nostros populatum egressos exclusissent. Arcem tamen nostri & duas turres cum porta oppidi ad arcē vergente retinuêre. Nec mora Petrum Duninū à Gneui obsidione in auxiliū accersiuêre. Qui cùm noctu cū equitatu aduolasset, Plauenius cum suis incenso pluribus in locis oppido raptim sese euoluit. At nostri restincto celeriter incendio, oppidum recuperarūt, & in nōnullos ciues capitali supplicio animaduerterūt. Nonis verò Octobribus Liuoniēsium classis eodem consilio, quo Regiomontana domo profecta, à regijs, qui in præsidio Nideburgi, Passenheimi, & Vormithæ erant, & cum Elbingēsibus sese cōiunxerant, itidem prope Elbingam profligata est: cęsisq; cōpluribus hostibus, duę naues maiores cū ducētis militibus, & cētū equis hostilib⁹ captæ sunt. Hæc eo anno gesta in Prussia. Porrò Cazimirus Petricouiæ comitia habuit. Ibi de Plocensi ditione rursus actū cum oratoribus Conradi, ac cæterorum ducū Masouiorum. Qui cùm bonorum virorū arbitrio controuersiā componi, aut externos ac minimè suspectos iudices sibi ferri, ac deniq; Italicæ cuipiam Academiæ causam decidendā permitti à rege postularent, nihil horum impetrarūt. Reiecta est tamen res ad alia comitia, quòd Masouij duces aduersam valetudinē causificabātur. Venerat eò & Cōradus Niger iterum. Sed cùm ei rex iudices de more ferret, re infecta recessit. In Prussiā vniuersalis expeditio decreta est. Quoniā verò Turcarū terror capta superiore anno Cafa animos cunctorum peruaserat, missi in Podoliam, Ioannes Tencinius castellanus Cracouiensis, Derslaus Rithuianius Sendomiriēsis, & Andreas Odrouāzus Russię palatini, vt Cameneciā arcē, quę Theodorico Buciacio oppignerata cū toto territorio, ab hæredibus eius obtinebatur, pro rege redimerent, & munirent, Podolijs equitibus in summa fisci inopia bouem in laneum vltro pollicitis. Comitijs peractis rex peragrata maiore Polonia sub finem anni per Radomi am in Lituaniā se recepit. Quieuerat ea gens per omne tēpus belli Prussici, nec à Polonis in societatē eius belli pellici potuerat: sed quorsum id euasurum esset, ociosè spectauerat. Tunc verò longioris moræ impatiens, non inconsultum ducebat, Podoliā armis repetere, Polonis adhuc Prussico bello distentis. Eos igitur motus animorum rex aduētu suo repressit. Cęterùm comitia quæ communia Lituanis cū Polonis Parsouiam ad diem Purificatiōis sanctæ Mariæ, qui est postridie Cal. Febr. edixerat, ad sextum Idus Septemb. quæ dies eiusdē Virginis matris natalis est, reiecit, veritus nequa in conuentu maior animorū iritatio fieret: cui excitādæ inter dissidentes, quamuis leuis occasio sufficit. His ita cōpositis vere nouo inde reuertēs post mediū Aprilē Cracouiā venit. Senatū vrbis tribus millibus florenorū multauit ꝓpter Iudæos paulo antè iniuria affectos à militib⁹ piam in Turcas militiā professis. Etenim Pius eius nominis II. pontif. max. subactarū à Turcis ea tēpestate gentiū Christianarū calamitatē miserat⁹, & à cęteris, q̄bus idē ho stis

Marginalia (left): *De doctore non iudicarunt Gdanēses.* — *Crucigeri fusi in Habo.* — *Holandia Crucigeris dedita & recepta.* — *Liuoniensium classis profligata.*

Marginalia (right): *Comitia Petricouiæ.* — *Masouiorū ducum postulata.* — *Polonorum pauor ob captam Cafam.* — *Camenecia redempta & munita.* — *Podoliorū studia.* — *Lituanorum conatus.* — 1464. ann. — *Cracouiēses ciues multati propter Iudæos.*

stis imminebat, periculum propulsare cupiens, edicto Mantuam conuentum cūctos Christianos principes atque populos ad pium bellū crucis vexillo proposito cohortabatur & inuitabat, ipse eius belli dux futurus. Ac de principib⁹ quidem Mathias rex Vngarorum, Philippus Burgūdionū, & Christophorus Maurus Venetorum duces eam militiam publicè professi erant: Cazimirus Polon⁹ ne idem faceret, Prussico bello impediebatur. Permulti tamen è Polonis priuati nomina dedêre, ita vt ij propè duodecim millia hominum conficerent. Eorum igitur cruce signatorū militum nonnulla pars dum coit & instruit sese Cracouiæ, ad tertium Nonas Aprilis, qui tunc erat dies tertius Paschæ, re inter se communicata in Iudæos impetum fecit: effractisque domorū foribus facultates eorū diripuit, ac ne cæde quidem abstinuit. Cæsi ex vtroq; sexu Iudæi triginta fermè: cæteri in vicinam Ioannis Tēcinij castellani Cracouiensis domum confugerunt. Eam quoque crescēte tumultu postridie expugnassent, nisi Ioannes Grusciniuss episcopus, & Iacobus Dembenius præfectus vrbis, idemque Thesaurarius regni cum cohortibus suis aulicis, & senatu ac multitudine vrbana licentiam atque furorem eorum repressissent, Iudęosque in arcem deduxissent. Multatus tamen senatus est. Mox ante finē eiusdē mensis rex Corcini minorum Polonorum conuentum habuit: Quibus, cùm duodenûm grossorū tributū sciuissent, vnde mercenarius miles in Prussiam cōduceretur, remissa est expeditio. His ita cūstitutis, & latrociniorum, quæ ex Vngaria & Morauia intentabantur, terrore represso, in maiorem Poloniam contendit. Aegrè ferebant maiores Poloni, expeditionem à minoribus in tributum commutatam esse, non communicato secum consilio. Sed tamen ipsi quoque conuentu à rege ad octauū Calendas Iulij Colum coacto, idem fecerunt: quod neque militare sine minoribus Polonis volebant, & secundæ nostrorum res in Prussia minimè id requirere videbantur. Nam post clades illas hostium, quas supra memorauimus, cōtinuata à nostris in alterum annū Gneui obsidione, obsessi ad extremam rerum omnium inopiam ac desperationem salutis suæ redacti, cùm inutilem bello multitudinem oppido eiecissent, & à nostris ea rursus in oppidum compulsa esset, postridie Natalis Christi, q̄ dies D. Stephani memoriæ sacra est, arcem simul & oppidum dedidêre, vitā, & quicquid suarum rerum quatuordecim currib⁹ possent euehere, pacti. Quadringenti milites cum magno commēdatore Vdalrico Eisenhoueno, & Nicolao Veisembachio Bauaro ducibus in præsidio fuerunt. Hi omnes Kynixbergam à nostris deducti sunt. Ex oppidanis magister modò ciuium, & alius quidam consul, qui Crucigeris impensius fauerāt, siue eiecti, siue vltrò excessêre, vnius mensis spacio ad distrahenda bona sua à nostris impetrato. Per eosdem dies Ioānes Scalius Boem⁹ Hoesteinum, quod à Polonis Holstincum siue paruum Olstinum, oppidum Crucigericæ ditionis, ex improuiso intercepit. Porrò qui Fridlādiæ fuerunt in pręsidio milites Crucigerorum, cùm sibi stipendia non soluerentur, hostiliter direpto & incenso oppido discesserunt. Bernardus verò Sumbergius eadem de causa, & quòd valde accisas esse vires Crucigerorum animaduertebat, cum rege pact⁹ est, vt quæ tunc præsidijs suis tenebat, deinceps quoque, quoad bellū illud maneret, quietus retineret: cum regijs libera commercia haberet: cum ijs verò, qui Crucigericarum essent partium, nihil sibi commune esse duceret: bello verò finito, iusta mercede à rege accepta præsidia deduceret: munitiones quas obtinebat, regi traderet. Obtinebat autem Culmam vrbem, Starogrodum arcem, Brodniciam item arcem cum oppido. Non mediocriter & illa clades Crucigeros afflixit, quam apud Colbergam oppidum Pomeraniæ acceperūt. Erat oppidum id in ditione episcopi Camenensis. Verùm detrectabant oppidani eius imperium. Herminguς igitur episcopus facta clàm aliquāta manu, acceptisque à Crucigeris septingentorum equitum auxilijs, noctu oppidum aggreditur, vt nec opinantes oppidanos opprimeret. Verùm ij commodum à Gdanensibus fœderatis facti certiores de consilio episcopi, receptisque in vrbem auxiliaribus eorum copijs maritimo itinere transmissis, hostem scandere muros incipiētem adorti fuderunt, & ad internecionem cæciderunt. Sic igitur attritis Crucigerorū viribus, placuit Polonis mercenario milite rem eo anno gerere in Prussia, pręsertim quòd expeditiones publicas nullo ordine nullaque disciplina militari, sed summa licentia constantes, socijs & amicis magis quàm hostibus damnosas esse animaduerterent: quòd neque principis imperiū satis exaudiebatur, & nihilo

Mantuæ concilium.

Crucis militia contra Turcas.

Iudæi direpti Cracouiæ.

Tributum à minoribus Polonis decretum maiores ægrè tulere.

Gneuum per deditionem receptum à Polonis.

Hoesteinum magnum interceptum à Boemo.

Fridlandia incensa à præsidiarijs.

Sumbergij pactum cum rege.

Crucigerorū clades apud Colbergam.

Expeditionum publicarum incōmoda.

nihilo magis in sociorum, quàm in hostiũ agris à vi & iniuria temperabatur. Huc accedebat, quòd episcopus & senatus Lubecensis Polonis iuxta ac Crucigeris consentientibus componendę inter bellãtes pacis arbitrium sibi desumpserant, & iam tunc aduentabant Gdano, quò nauibus aduecti erant, Toruniam, adiunctis sibi de Rostocensium, Vismariensium, & Luneburgensium senatu singulis: Rigensium verò ac Darbatensium binis. Cõuentu Colensi peracto rex Breste diuertit: Toruniam verò ad disceptandam atq; transigendam causam suam Prussicam misit Ioãnem Lutecum Vuladislauiẽsem episcopum, & procancellarium regni, Lucam Gorcanum Posnaniensem, Stanislaum Ostrorogum Calissiensem, Sendiuoium Lenzenicium Siradiẽsem, Petrum Opporouium Lenciciẽsem, Nicolaum Cosceleciũ Inouuladislauiensem, Sciborium Basenum Culmensem palatinos: castellanos, Hinciam Rogouium Sendomiriensem, & Nicolaum Ciarnicouium Gnesnensem: Secretarios, Ioannem Dlugossum seniorem, Ioannem Dambrouucam, & Iacobum Schadecum: quorum posteriores duo iuris canonici consulti fuêre. De nobilitate Prussica quatuor, Ottonem Maquitiũ, Mathiam Tolcam, Nicolaum Pilauiũ, & Nicolaum Zialouium. De ciuitatum verò decurionibus siue consulibus, Torunensis quidem quatuor, Elbingensis autem duos, Gdanensis verò quatuor, & quintum parœcum eius vrbis, candidatum iuris pontificij. Porrò à magistro & ordine Crucigerorum adfuêre Iodocus episcopus Ossiliẽsis, Henricus Plauenius, qui fuerat Elbingensis Commẽdator, Gerardus Melengradus Marsalcus Liuoniensis, Georgius comes Hennebergensis, Andreas Peper decanus Darbatensis, Ioannes Vmbelerus, & Nicolaus decanus Pomesaniẽsis, tres hi iureconsulti, Vilelmus Eppingenius Osterodensis, & Vilelmus Schundelus Asseradensis in Liuonia Commendatores. De nobilitate, Vlricus Gilauiensis, & Ludouicus Lubauiensis præfecti: duo consules Regiomontani, itemque duo Reualienses è Liuonia. Inter hos igitur ad quintum Nonas Iulij tractari cœptum, & vno ac dimidio mense tractatum, ad extremum infecta pace discessum est. Cõuenerat iam, vt Polonus Pomeraniam, Culmensem, Michalouiensem, & Elbingensem tractum totũ haberet: reliquam inferiorem Prussiam Crucigeris relinqueret. De Marieburgo intra triginta annos proximos, vt iudicio, arbitrio, pactoúe transigeretur: interim autem in potestate regis arx ea maneret. De illis verò conditionibus conuenire non potuit, vt magister ac totus ordo Crucigerorum in verba regis Poloni iurarent, semperque deinceps in fide & clientela eius essent. Rex verò vt militibus Crucigerorum emerita vndecim annorum stipendia exolueret ijs duntaxat, qui fuerunt in præsidio munitionum earum, quæ ipsi tradebantur. Nam neq; hoc Poloni, neque illud Crucigeri acceptabant. Creditum est autem siue maleuolẽtia Brandeburgensium & Misnensium marchionum, & aliorum quorundam Teuthonum principum perfectum fuisse, difficiliores vt essent Crucigeri, metu offendendi cunctos ordines Germaniæ, & amittendi ea quæ in Germania possidebant. Et venerant ij in spem potiundi Torunia per proditionem nonnullorum ciuium, quam Henricus Plauenius, dum ibi de pace agitur, instruxerat. Soluto igitur conuentu illo Turonensi, bellum instauratur à rege Breste commorante. Tenebatur Nouum oppidum Pomeraniæ cum arce Crucigerorum præsidio. Id quoniam in ripa Vistulæ situm est, eam habebat opportunitatem, vt fluminis traiectum liberum hostibus præstaret, nostris verò nauigationem impediret. Ad hæc ager syluestris abundabat materia, vallis & machinis faciendis, & alijs belli vsibus apta. Id igitur primùm adoriri, & in potestatem redigere placuit. Missus eò cum peditatu Thomas siue Thomiez quispiam vir maioris animi, quàm consilij. Qui non expectato Dunino & equitatu, cum quo se iussus erat coniungere, ad Nouum castrametatus est. Hostes nostrorum paucitate animaduersa, coadunati celeriter è proximis præsidijs impetum in eos fecêre. Quanquam autem non improuisum id nostris acciderat, tamẽ vim hostium non sustinuêre. Fugientibus naues regiæ non procul in Vistula stantes saluti fuêre. Centum aut paulo plures ex omni numero desiderati. Eodem autem die Adam Vilcanouius contractis tumultuariè Nideburgo, cui præerat, & Sarnouia militibus, præsidiarios Crucigerorum, qui erant Zialdouiæ, prædam agentes è Masouia profligauit, prędamque excussit. Zialdouiam deinde Conradus dux Masouiorum Varsauiensiũ obsidione cinxit, & per deditionem accepit. Rex verò ignominia apud Nouũ accepta commotus, Ioannem Synouecium,

Lubecenses arbitri pacis inter Polonos & Crucigeros.

Pax infecta.

Conditiones pacis reiectæ.

Germani pacem infecerunt.

Thomiez.

Polonorum clades apud Nouum.

Crucigeri fusi.

Zialdouia capta à Masouijs.

cium, & Paulum Iasenium cum aulico suo comitatu eò misit: Duninum quoque cum Prussis & equitatu, & item peditatu recollecto eódem iussit contendere, vt munitione potirentur. Nec tamen per vim ea capi potuit, valido præsidio & natura loci defendente. Cæterùm obsidio in sequentem annum extracta est.

Nouum obsessum à Polonis.

Porrò Puscum Gdanenses cũ totos sex menses terra mariq; obsedissent, per deditionem in potestatem suã redegerunt.

Puscum à Gdanensibus obsessum, & per deditionem receptum.

Rursus igitur Crucigeri pacis mentionem iniecêre, siue quo liberius Toruniæ proditionem conficerẽt, siue reuera pacis cupidi, quòd non admodum lætis successibus tunc vterentur, & oppidani agrestesq;, atq; adeò equites quoq; cum iurgio defectionisq; denunciatione pacem flagitarent. Missus eam ob rem à rege Ioannes Dlugossus in Prussiam, cum gubernatore & primoribus trium ciuitatum apud Marieburgum & Stumam colloquia habuit. Et videbantur Crucigeri accepturi esse conditiones illas, quæ ipsis Toruniæ latæ erant, quemadmodum ipse Dlugossus scribit. Postulabant autem, vt rex primores consilij sui cum summa potestate Marieburgum ad conficiendam pacem mitteret. Verùm id propter pestẽ in ijs locis grassantem factum non est.

Pestis.

Quin cùm Breste quoq; id malum infecisset, rex inde Clodauiam, ac deinde Lenciciam sese recepit. Vbi aliquot septimanas cum regina, quæ filiam Sophiam Cracouiæ mense Maio enixa erat, commoratus, indeq; Petricouiam profectus, ad medium Octobrem comitia quindecim dierum habuit.

Comitia Petricouiæ.

Venerãt eò ex condicto Conradus Masouiorum Varsauiensium, & Conradus Olessnicensium siue Cozlensium duces, de successione disceptaturi. Sed cùm res subinde tentata per amicam transactionẽ non procederet, reiecta est causa Olessnicensis quidem ducis ad Pentecostem sequentis anni, Masouij verò ad proxima regni comitia, cùm quòd pestis contagio Petricouiam quoq; & omnem ferè maiorem Poloniam iam peruaserat, tum quòd inconsultum regi videbatur offendere duces illos aduerso iudicio, bello Prussico nõdum confecto. Petricouia Parsouiam itum est ad alia comitia, quæ rex ad natalem Mariæ matris Christi prius dilata, rursus ad diem S. Martini memoriæ sacrum distulerat, communia futura Polonis & Lituanis. Et frequentes quidem vtriq; proceres aduenêre: sed cùm Lituani Parsouiam ad Polonos, hi contrà Breste ad illos venire detrectarent, Lomazis tandem cõuentum est. Neq; ibi tamen quicquam actum, propter vici incommoditatem ac cœli inclementiam.

Conuentus Lituanorum cum Polonis irritus.

Sed res in annũ dilata est. Rex dimisso conuentu in Lituaniam cum regina secessit. Et quoniã Vilnã quoq; pestilentia infecerat, Grodni mansit aliquandiu. Deinde Cauunam profectus, magnam partem hyemis ibi exegit. Sub illud autem tempus, quo Parsouiæ habita sunt comitia, Henricus Plauenius instructa, vt supra dictũ est, Toruniæ proditione, cum mille armatis noctu ad vrbem accessit secundũ flumen, qua parte auersa ab hostibus securiores erant oppidani atque vigiles.

Torunia propè capta.

Iamq; præteritis piscatorum suburbanis domicilijs, & antemuralibus superatis, taciti scalas mœnibus admouebãt hostes, cùm à vigilibus illucescere iam aurora animaduersi, & strepitu clamoreq; tumultuantium & cõcursantium deterriti, relictis scalis cœpto irrito raptim sese recepêre, veriti ne loci iniquitate & eruptione ciuium opprimerentur. Tametsi ita consternata erat inopinati periculi obiectu ciuitas, vt magis ad fugam, quàm ad arma cuncti spectarent: potueritq; vrbs capi primo impetu, ni fortuna ipsius, seu potius propitiũ numẽ hostibus pauorem iniecisset. Sed non multo pòst ijdem meliore fortuna vsi sunt apud Carnissinum Masouiorũ arcẽ: tametsi non diuturna ea fuit. Mox enim Masouij interceptam arcem circumuallarunt, priusquam hostes commeatum importarent. Itaq; statim eam per deditionem recuperarũt.

Carnissinum arx capta, & recepta.

Per idem tempus Vngari Scepusiensem tractum, qui in ditione regis Poloni est, populabundi peruagati sunt, authore Emerico Diaco gubernatore, siue fratre eius Stephano: donec afflictæ ciuitates septẽ millibus florenorum contributis publicè pacem redemerunt.

Vngari Scepusium vexarunt.

Id autem fecerunt Vngari nulla iniuria prouocati: nisi fortè cruce signatorum militum licentiam & iniurias vlcisci voluêre. Cũ enim Pius Pontifex max. in ipso procinctu belli Turcici in portu Anconitano extinctus esset, intermissa pia illa expeditione à principibus, Poloni qui ei militiæ nomina dederant, Felice duce in Vngaria vagantes, scelere & rapinis nõ abstinebant, & Vngaros agrestes & oppidanos vectigales sibi fecerant.

Pij Pontifici max. mors.

Cruce signati vexãt Vngariam.

Exarsisset autem proculdubio graue bellum inter Polonos & Vngaros in sequẽtem annum, Prædislao Dmosicio præfecto Scepusiensi Vngaros vlcisci satagente, nisi consiliarij quidam regij, & in primis

mis Iacobus Dembenius thesaurarius & præfectus Cracouiensis dissuasissent, censentes rege inconsulto nihil eiusmodi attentari oportere, præsertim cùm alioqui Vngari bello Turcico, & Bosna recuperanda distinerentur. Commodũ autem & Mathias rex Vngarorum missis in Poloniam literis pollicebatur satisfactionem, si quid à suis peccatum esset. Recepit autem tunc is in deditionẽ Iaice arcem, & vigintiseptem oppida Bosnæ & Rasciæ à Turcis occupata.

Bosna à Mathia rege recepta.

Hoc anno Ioanni Sprouio archiepiscopo Gnesnensi ad medium Aprilis mortuo, Ioannes Gruscinius: huic autem in episcopa Cracouiensi Ioannes Lutecus: ei verò in Vladislauiensi Iacobus Sennenius à Paulo secundo Pontifice maximo, qui Pio successit, rege postulante suffectus est. Nec ita multo antè idem Pontifex Paulum Grabouium rege itidem commendante Chelmensem episcopum creauerat.

Ioannes Gruscinius archiepiscopus, Ioannes Lutecus episcopus Cracouiensis.

Paulus secundus Pont. max.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VICESIMVSSEXTVS.

1465. ann.

SEQVENTI anno, qui fuit millesimus quadringentesimus sexagesimusquintus, nostri varia fortuna vsi sũt in Prussia. A quibus cùm Nouũ arcta obsidione premeretur, Caspar Nostiuicius laturus obsessis opem, sexcentos equites & quadringentos pedites mercenarios è finitimis Poloniæ & Pomeraniæ locis adducebat exiguo ære subarratos, Choiniciæ verò luculẽtum stipendium se ipsis numeraturum esse pollicitus. Eorum non paucos hyemis asperitas partim confecit in itinere, partim debilitatos subsistere coëgit. Reliqui verò cùm peruenissent Choiniciam, nec ipsis numeraretur promissum stipendium, fremẽtes dilapsi sunt, nostris, qui ad arcendos eos è compluribus prẽsidijs conuolarant, non insectantibus discedentes. Qua re cognita obsessi Calendis Februarij, magistro nequicquam deprecante, & auxilium pollicente, oppidũ dedidêre: & liberè abire permissi quò vellent, quinquaginta tribus curribus res suas asportarunt. Non quieuit & Magister. Quam enim circa se habebat manum, in territorium Gdanense, siue insulam minorem immittens, acerbè eam ferro & igni diuexauit, prædamque ingentem Stargartam importauit, quo rectius ibi sui nostrorum obsidionem, quam expectabant, sustinerent. Cùm autem non soluerentur nostris emerita stipendia, Nouo recepto, dilapsi Poloniam latrocinijs infestare cœperunt. Et pars quidem eorum nonnulla Dobrinensem montem Vistulæ imminentem duce Mikesso quodam occupauit. Inde in Masouiorum & Cuiauiensium agros excurrens, & in præternauigantes impetum faciens, prẽdas agebat. Alij verò cum Thomiezo, Storzo, & Bucouio bonis ecclesiasticis, templorumq; & monasteriorum Gnesnensis diœceseos supellectili è Labissino imminebant. Qui facilè mille equitum numerum explebant, exceptis peditibus. Verùm vtrique authoritate & placidis sermonibus atq; muneribus, hi quidem ab Andrea Posnaniensi, illi verò à Iacobo Vladislauiensi episcopis deliniti, cùm hi centum quinquaginta, illi mille florenos accepissent, quieuêre. Mons verò Dobrinensis, propterea quòd permagnam habebat opportunitatem incommodandi nostris si ab hoste occuparetur, Nicolai Zialinij præsidio firmatus est, collata publicè in stipendium pecunia. Quæ res tardius animaduersa, tam malè habuit hostes, qui erãt in præsidio Neimarci, vt rixarentur inter se, alius in alium culpam neglectæ commoditatis reijciẽtes. In qua rixa duodecim ex ipsis desiderati esse dicuntur. Hęc per hyemem gesta in Prussia. Vere sequenti rex festis Paschæ diebus apud Grodnũ exactis, reginam cum maiore parte comitatus aulici Corcinum præmisit. Ipse cum paucis Leopolim excurrit, quòd Russi opem eius contra vim & iniurias Andreæ Odrouanzi palatini & prẽfecti Leopoliensis implorassent. Sed cùm is paulo antè obijsset, ac Ioannes frater ei hæres esset, illud modò actum est, vt Ioannes præfecturis omnibꝰ amoueretur accepta à rege pecunia, cuius nomine fratres ipsi præfecturas illas addictas tenebant. Cùm autem pecunia rex careret, placuit Russis Leopoliensibus, Podolijs, Haliciẽsibus, & Belsensibus duodenos grossos in laneum, & singulos bo-

Crucigerorũ copiæ dilapsæ.

Nouum Polonis deditũ.

Gdanense territorium vexatum à Crucigeris.

Latrocinia in Polonia ob nõ soluta stipendia militibus.

Nicolaus Zialinius.

Andreæ Odrouanzi impotentia.

Russicæ præfecturæ redemptæ stipe ab ipsis Russis collata.

ues in focum siue familiam ob eam rē conferre. Ex vtraq; pensione viginti millia florenorum redacta, Ioanni Odrouanzo numerata sunt. Ita Leopoliensis & Zidaciouiensis præfecturæ cum Glinianis redemptę: Samboria relicta, cùm ad eam quoq; redimendam pecunia nō sufficeret. Russicis rebus ita vtcunq; aliquot dierum spacio compositis, Corcinum rex dispositis equis contendit ad comitia ad duodecimam diem Maij edicta. Quò ex minore quidem Polonia & Russia frequentes consiliarij conuenerunt: è maiore verò Polonia Lucas Gorcanus Posnaniēsis, Stanislaus Ostrorogus Calissiensis, Petrus Opporouius Lenciciensis palatini, & Sciborius Chelmius succamerarius Posnaniensis legati cum libera potestate missi. Quindecim diebus in cōsultando consumptis, placuit vt maioris Poloniæ nobilitas in Prussiam expeditionē statim faceret, Choiniciam circūuallaret, donec mercenarij milites, quibus deinceps eo anno res gereretur, conuenirent: eamque ob causam illi ipsi maiores Poloni senos tantum grossos, cæteri verò alterū tantum in emerita iuxtà ac deinceps merenda stipendia ante medium mensem Iulium conferrent. His constitutis Cracouiam se rex recepit. Cuius non exigua pars cum æde diui Francisci memoriæ sacra non multo antè ad quintum Cal. Maias: Stradomia verò tota, excepto templo ac cœnobio sodalitij Bernardiniani ad septimum Idus Aprilis conflagrarat. Aduenerunt eò Prussorum legati, Gabriel Basenus palatinus Culmensis, ac trium ciuitatum singuli consules, narrantes nobilitatem & primores ciuitatū Crucigeris subiectarum apud Neringam peninsulam, quæ Habum lacum à mari disterminat, conuentum secum habuisse: pacem impensè cupere, & quasuis tolerabiles conditiones nō abnuere. Exhaustos enim penitus, ad extremam miseriam redactos esse tam diuturno bello. Postulabāt igitur, vt rex gubernatori cum consilio potestatem pacis conficiendæ faceret. Id rex cum consilio suo collocutus, negauit. Spem modò pacis illis facere, tempusque & locum de ea tractandi constituere eos iussit. Tractationem verò & arbitrium pacis consiliarijs regni, quos ad eam rem in tempore missurus esset, reseruauit. Cum his mandatis Prussi dimissi, liberaliter à rege donati sunt. Dimissi itē Silesij principes vicini, Præmislus Cessinensium, Ioannes Ratibориensium, Præmislus Toscensiū, Venceslaus Zatoriensium, Ioannes Gliuicensiū, & Ioannes Ribnicēsium, qui in baptismo regiæ filiæ Heduigis tūc natæ (q̄ quidem intra annum vertentem obijt) suscepto res adfuēre. His peractis, rex discedens Cracouia, Calissiā profectus est ad conuentū cum Conrado Olessnicensiū duce ad 7. Cal. Augusti constitutum. Nihil tamen etiā tunc de successione transactum. Sed res integra ad finē Septemb. reiecta, vt ibi tunc duorum consiliariorum regis Boemi arbitrio trāsigeretur. Inde rex Cazimirus Breste in Cuiauiam se contulit, paci Prussicæ componendæ è propinquo affuturus, vel bello operā daturus. Ibi comperit, Vuladislaum Damoborium castellanum, & præfectum Naclensem, quingētis equitibus, quibus Nicolaus Piotrouius, Iacobus Cresa, & Ioannes Bucouius p̄erant, coadunatis, pronunciato in singulos dimidij floreni stipēdio, hostilia in regem regnumq; machinari, ob nō exoluta stipendia, in Prussia emerita. Angebat ea res regem, vt quæ maximè: dolebat respirationem dari, animosq; reddi Crucigeris, quos iam ferè desponderant. Itaque actum cum Damoborio, vt cœpto desisteret, acceptis ternis florenis in capita militum. Vbi hac via nihil profectū est, bello statim p̄sequi perduelles placuit. Collocantur Znenæ & alijs quibusdam in locis p̄sidia. Rex cum cæteris copijs, quas ad manū habebat, Naclum & Damoborzum, q̄ loca ab illis tenebantur, obsidere parabat. Id vbi animaduerterunt illi, mutata sententia miserunt ad regē, imperata se facturos pollicentes. Iussi venire Inouuladislauiam ad regē primores, accepta fide venerūt: culpāq; publicè deprecati, & ad pedes regis prostrati, nō modò veniam cūctis impetrarunt, sed etiā pecuniam emeritorum stipendiorum nomine acceperunt, ac denuò regi nomina dederunt, & ad Stargartā oppugnandā sub signis Pauli Iasenij missi sunt. Damobori⁹ verò loco ac dignitati suæ restitutus. Interea res Crucigerorū in Prussia paulò meliore loco esse cœperant. Nam & in Masouiēsem agrū duce Mēzico Boemo Zialdouiēsi p̄fecto excurrentes, nobilitatē eius oræ fiducia multitudinis incautius in se irruentem in insidias induxerant, & non contēnenda strage apud Cechanouiam profligarant: & naues Torunensiū atq; Gdanensiū multis mercibus onustas apud Quizinū siue Mariæuerderū exceperāt: & ad Dersauiā nobilitatem Prussicā, q̄ in præsidio eius oppidi erat, (cùm ad pugnam direptione suburbanorūe-

licuis-

Comitia Corcini.

Maiores Poloni militāt. & tributum sciscunt.

Cracouiæ incendium.

Prussorum legatio ad regem.

Neringa peninsula.

Silesiorum duces.

Vuladislaus Damoborius perduellis cum alijs veniam impetrauit.

Masouiorū clades apud Cechanouiā.

Naues Torunensium & Gdanensium capta.

Crucigerorũ res prosperæ in Pomerania.

licuissent) contectis equitatu peditibus re inopinata perturbatã, sex hominibus cæsis, octoginta captis in vrbẽ repulerãt: & apud Gneuũ quinq; & quinquaginta præsidiarios milites cõportandi ex agris cõmeatus causa egressos, & ab aratoribus dãno affectis proditos, Stargarta effusi, interclusõ ad oppidũ & arcem redi tu, viuos exceperãt: & postridie eius diei arcem, cũ ex interceptis literis vacuam esse præsidio didicissent, oppugnarant: cepissentq; adeò, ni Martinus Brzenius nobilis Prussus cũ paucis strenuè eã defendisset, subeuntẽq; hostẽ supernè con iectis lapidibus remoratus esset, donec periculo cognito sexaginta equites Ma rieburgo, & septuaginta pedites Gdano missi aduenêre. Ibi tũc hostes recessêre suburbanis direptis. Sed nihilominus oẽm eam oram vsq; ad Gdanensiũ suburbana subitarijs excursionibus subinde infestabant. Excurrerant & in ditionem Henrici Stolpensiũ Pomeranorũ ducis trecenti equites, quòd is tunc vnà cũ episcopo Camenẽsi, cũctisq; suis denuò socius & fœderat⁹ regis factus erat. Sed ibi minus prospera fortuna vsi, profligati à duce ac deleti sunt, perpaucis viuis seruatis, & in carcerẽ compactis. Cùm igitur è Starigrado siue Stargarta potiss. ij q regiarum erãt partiũ in Pomerania infestarentur, eò duxit Iasenius exercitum iussu regio, duabusq; turribus excitatis ad oppidum id assedit ita, vt patẽret nihilominus obsessis liber exitus & reditus. Quo factũ est, vt Iasenius eorũ insidijs exciperetur. Sexaginta enim eqtes clàm vrbe egressi, cũ sub vesperã nostrorum specie & habitu assimulato ad mœnia accederent, contraq; ij, q in oppido erant, ex cõposito erũpentes, quasi in hostes impetũ facerẽt, Iasenius fortè tunc obequitans rem cõspicatus, mittit ad eos, q nostrorum speciem præ se ferebant, vnũ de suis comitibus sciscitatum quinam essent. Respondent illi, se Dersauienses esse, & ex hostico reuerti. Id verũ esse credens Iasenius, gratulabundus ad eos procurrit: cõprehensusq; cũ duobus comitibus, in oppidũ ductus, & in custodia asseruatus est. Tãtaq; hostes eo capto lætitiæ signa dedêre tympanorũ nolarumq; crepitu ac sonitu, vt debellasse sibi viderẽtur. Sed vana fuit ea exultatio. Extemplò enim Gothardus Radlini⁹ in locũ eius suffectus à nostris, obsidionẽ cõtinuauit. Intereà verò conuentũ rursus à nostris in Neringa cum Crucigeris pridiè Cal. Septem. ac de pace tractatũ per quinq; dies arbitro Paulo Varmiensi episcopo electo, q neutra-

Martinus Brzenius Gneuum defendit.

Stolpensium dux cum Polonis sentit: & Crucigeros milites profligat.

Starigradũ Pomeraniæ obsessum à Polonis.

Paulus Iasenius captus à Crucigeris.

Gothardus Radlinius, dux à militibus creatus.

Paulus episcopus Varm.

rum erat partiũ. Sed re infecta discessũ est. Illud modò cõuenit Magistro postulante, vt post alterũ mensem denuò eodẽ in loco, vel inter Marieburgũ & Stumam conueniretur, ea quidem lege, ne quàm Marieburgi mentionẽ Crucigeri facerent. Tametsi recipiebant ij, si Marieburgum sibi redderetur, se cum tota Prussia & Liuonia in fide & clientela regis Poloni fore, & non contemnendam pecuniã cõtinuatis aliquot annis ei annumeraturos esse. Verùm non accipiebant nostri hanc conditionẽ, siue quòd per magno sibi arx ea constitisset, empta à militibus: siue quòd inde perfacilè Crucigeri, quamuis leui occasione arrepta, bellũ renouaturi esse viderentur, quòd & permunita & popportuno loco ea sita esset. Sic igitur è Neringa discessum tunc est. Conuẽtum deinde Kynixbergæ seu Regiomonte Magister habuit. Vbi cùm nobilitas & Regiomontani ciues grauis ac diuturni belli pertæsi, non solùm ei sumptus in bellũ deinceps negarent, verùm etiam, nisi pacẽ cum Polonis faceret, ab eo se defecturos significarent: sex & viginti ex eis, quos maximè aduersari voluntati suæ cognouerat, in arcẽ euocatos cõprehendi, & sex primarios interfici iussit: cæteros verò p præsidia distribuit asseruandos, donec prægrandi ære se redimerent. Nec postea quenq ad constitutũ cum nostris conuentum misit. Nec tamen interea de belli studio curaq; vtrinq; remissum quicq fuerat. Cuius tota ferè moles ad Starigradum sese collegerat, nostris, vt suprà memoratũ est, oppidum id obsidentibus: hostibus verò nauiter & impigrè defendentibus, ita vt angustiore propè annona obsidentes, q obsessi vterentur, propterea quòd è vicinis agris neq; frumentari, neq; pabulari nostri poterant, omni frumento & pabulo cũ re pecuaria tempestiuè in oppida è remotiorib⁹ quoq; locis cõportato & coacto. Et excipiebantur aũt ab hostibus, q circumiacentia oppida, nimirũ Choiniciã, Fridlãdiam, Hamersteinum, Bythouiã, Lemburgum, Osiecum, Keissouũ præsidijs tenebant. Quo factũ est, vt Gothardus dux exercitus cũ non exiguo expeditorũ militum numero cõparandi cõmeatus causa Dersauiã proficisci necesse haberet. Id vbi obsessi è transfuga quodam Gdanensi cognouêre, eruptione facta castra semiuacua oppugnarunt. Sed ea nostri egregiè defenderunt, ita vt eos longè superantes multitudine quater vallo ac turribus ligneis magno cũ impetu succedẽtes, vix tandẽ permultis amissis, longè pluribus

mensis pacis arbiter.

Pacis conditiones à Polonis repudiatæ.

Prussi à magistro Crucigerorum puniti ob desiderium pacis.

Res gestæ apud Stargartam.

Crucigeri castra Polonorum oppugnãtes repelluntur.

 sau-

ſauciatis, in oppidum recipere ſeſe cogerent. Nihilo tamen minus infeſtabāt ij deinceps quoq; vias,& ne quid rerum venalium in caſtra Polonica importarentur, prohibebant:ſæpeq; inter occurſantes ſibi mutuò particularia certamina cōmittebantur. Quin cū bruma quoq; ac intemperie cœli hyberni Polonis cōfligendū fuit. Sed vicit oēm eā difficultatem ipſorū conſtantia, ne ab obſidione diſcederent. Quæ quidem in ſequentem æſtatē vſq; ꝑdurauit. Dum hæc ita geruntur in Pruſſia, Cazimirus rex Inouuladiſlauia Caliſſiam ſe recepit ſub finem Septembris, ibiq; cum Conrado Oleſſnicenſium duce & Margarita vxore eius per Iodocū Vuratiſlauienſem epiſcopum, & Vilelmū Roſembergium iuniorē arbitros à rege Boemorū miſſos,tranſegit ea conditione,'vt ille quatuor annorū ſpacio viginti millia aureorum numûm à ſe acciperet: ſucceſſione omni in Maſouia & Belſenſi vnà cū vxore ſua ſeſe abdicaret: dotemq; poſt mortem Annæ vxoris Vuladiſlai Maſouiorū ducis defuncti ne repeteret. His ita conſtitutis, Poſnaniam rex Conrado & vxore eius comitantibus profectus eſt: dimiſſiſq; ijs, Pruſſorū legationē audiuit. Petebat ea, vt arx Marieburgenſis gubernatoris & nobilitatis fidei cōmitteretur. Reſponſum eſt: Regem id ſine comitiorū regni decreto, & conſilio ciuitatum Pruſſicarum, q̄ plurimum ad emendam eam arcem cōtuliſſent, rectè facere non poſſe. His dimiſſis Poſnania diſcedens ad medium Nouembris Coli quinq; dierum comitia cum maioribus Polonis habuit: deinde ꝑ Lenciciam & Radomiam in Lituaniam ꝓfectus eſt. Conuenit eū ibi Ludouicus patriarcha Antiochenꝰ ab Ezigere Tattarorū principe, apud quem pont. max. & Imperatoris Romani legationem obierat, reuertens. Sūma aūt legationis illius hęc fuit, vt Ezigeres Mahometen Turcarū Imperatorem à bello Chriſtianis inferendo reuocaret: ſi id nō poſſet, bellum ipſi inferret, Pontifice & Imperatore Rom. ſtipēdia pollicentibus, ac tunc quoq; ꝑam pla dona mittentibus. Quoniā aūt eiuſmodi reſponſum à barbaro acceperat, vt is in bello Turcis inferendo è conſilio & voluntate Cazimiri fœderati & amici ſui pendêre ſe oſtenderet, literaſq; ad Cazimirū ea de re daret, quibus ei facicbat poteſtatem, quicquid ipſi videretur de bello Turcico conſtituendi ſuo nomine cum illis Principibus, contendebat à Cazimiro Ludouicꝰ, vt rex Chriſtianus Chriſtianos adiutos vellet, quādo id in poteſtate eius eſſet. Debere hoc eum cōmuni religioni atq; pietati erga Deum. Rex dilata re ad regni comitia, q̄ ad mediū menſem Martiū Petricouiā edicebat, hominē ſine certo reſpōſo dimiſit: ac de more venationibus vacauit.

Tranſactio Cazimiri cū duce Oleſſnicenſium.

Pruſſicæ nobilitatis legatio ad regē.

Conuentus maiorū Polonorum Coli.

Ludouicus Patriarcha Antiochenus legatus ad Tattaros.

Ezigeris Tartari amicitia cum Cazimiro.

1466. ann. Anno inſequenti poſt medium Ianuariū archiepiſcopus Gneſnenſis ſynodū apud Lenciciam habuit. Ibi Sendiuoio Lenzenicio palatino Siradienſi, & Michaële Laſocio præfecto Lencicienſi oratoribus regijs petentibus, decretū eſt ſubſidium regi ad bellū Pruſſicum è tributo ſacerdotū, in Cracouięſi quidem diœceſi ſenûm groſſorum, in cæteris verò duodenûm in marcā argenti ſecundum vſitatā æſtimationē ſiue papalē vt vocant taxā. Varietatis aūt cauſa fuit, in dulgentior in alijs diœceſibus, q̄ in hac æſtimatio redituum ſacerdotaliū. Menſe Feb. Liuones ſeptingenti equites pariter & pedites Crucigeris ſuis in Pruſſiā ſuppetias euntes, cùm Samagitiā attigiſſent, nec progredi ꝑ ſyluas poſſent impedita à Samagitis deiectione arborum locis opportunis via, verſus mare iter inſtituêre. Quod Samagitæ euenturum cùm prouidiſſent, foueas paltas iam antè in ea parte foderant, ſarmentiſq; contexerant. In eas igitur Liuones inedia, frigore & pauore vrgentibus, imprudētes præcipitati, contrucidati ſunt. Pauci cùm ex inſidijs ad lacum euaſiſſent, rupta fragili glacie nihilominus periêre. Duo tantùm ex omni numero viui ſeruati: è quibus cognitum eſt, quadraginta naues refertas militibus è Germania in Pruſſiam nauigantes, non ita multo antè naufragio perijſſe. Iiſdē diebus Paulus epiſcopus Varmienſis cùm animaduerteret res Crucigerorum inclinatas eſſe, & à pace tamen eos abhorrere, partium regiarum ſe deinceps fore profeſſus, arcium & oppidorum ſuorum adeundorum poteſtatē fecit regijs militibus, q Paſſenheimi, Nideburgi, & Vormithæ in ꝑſidijs erāt, vt non ſolùm ea tuerentur, ſed etiā communē iam hoſtē inde infeſtarent. Quæ res Magiſtro peracerba accidit, magiſq; ſeriò deinceps is de pace cogitare cœpit. Ad mediū menſis Martij rex Petricouiæ comitia habuit. Ibi rurſus actum eſt cum Conrado Varſauienſium duce, & matre eius Anna, ac matertera Catharina. Sed cùm pactionibus tranſigi res non poſſet, Conrado Belſenſem modò tractum remittente, rege verò nihil præter Viſnēſem concedēte, iudicium verò Pruſſico bello durante intempeſtiuum fore videretur, reiecta res eſt ad alia comitia. Actū eſt

Sacerdotaliū re lituum inæqualis æſtimatio.

Liuonū clades in Samagitia.

Paulus Varmienſis epiſcopus in partes regias cōceſſit.

Comitia Petricouiæ.

est & de Ioanne Pieniansco archidiacono Gnesnensi Nicolai succamerarij & præfecti Cracouiẽsis filio. Qui cum Dorothea Ioannis Rogalæ, qui palatinus Varsauiensis fuerat filia, Iacobi Bogleuij vxore, stupri consuetudinem habuisse, eaq; conscia & adiutrice maritum eius dormientem crudeliter necasse arguebatur: literæq; eius ad mulierẽ, quibus patrandi sceleris ratio descripta erat, à Ioanne Bogleuio palatino Varsauiensi fratre interfecti proferebantur. Causa verò cur ad comitia referretur ea de re, fuit facinoris atrocitas, & impunitas. Nam mulierem quidẽ apprehensam occisi frater palatinus dimiserat Franciscanorum obseruantiũ precibus victus: de Pieniansco verò cùm archiepiscopus Gnesnensis ex synodi, vbi etiã hæc res acta fuit, sentẽtia supplicium sumere causa cognita debuisset, vel remissior fuerat, vel prehendere eum nõ potuerat. Placuit igitur toti conuentui, vt negocium daretur pfectis regijs prehendendi, & Archiepiscopo sistendi Pieniansçum. In mulierẽ verò vt moribus & legibus animaduerteretur. Sed & mulier in Prussiam ad Menzicum Boemũ profugit, & Pienianscus apud necessarios delituit. Sacerdotijs quidem à pont. max. priuatus est. Nec multo pòst, facta aliquanta manu nobilium quidem genere, sed moribus & luxu perditorum iuuenum cùm latrocinari cœpisset, ab ipso patre, maius aliquod dedecus labemq; generis metuente, captus: & quoniam presbyter erat, episcopo Cracouiensi in custodiã traditus, in arce Ilzensi aliquandiu in carcere asseruatus est. Ita tũc infamia & calamitate filij pater expẽdit supplicium sacerdotibus, in quos immerẽtes manus iniecerat. Quin ipse quoq; præfectura Cracouiensi amotus est. Ad extremum duodenũm grossorũ in iugera tributum in comitijs scitũ est. Affuêre autẽ legati Prussorum petẽtes, vt rex Marieburgum cum aliquãtis copijs quamprimum veniret, hac ratione facilimè bellum confecturus, ꝙ pleræq; ciuitates subiectę Crucigeris ad eum defecturæ esse dicerentur: & eius rei causa binorum grossorum pensionem & accisam, vt vocant, in vnum annum ei deferentes. Itaq; peracto quindecim diebus conuentu, Breste rex, Archiepiscopo, Vuladislauiensi episcopo, Posnaniensi, & Siradiensi palatinis, & Petro Gaio Calissiensi Castellano occurrẽtibus ac deducentibus cõtendit. Per id tempus Ioannes Scalius facta aliquanta manu præsidiariorum equitum & peditum, Melsacum capituli Varmiensis oppidũ, sed tunc Crucigericarum partium intercepit: milítesq; sexaginta, qui erant in præsidio, viuos in potestatẽ suam redegit. Perturbauit ea res Magistrum, vt q̃ maximè, ita vt de Regiomonte is iam periclitari videretur. Certior enim factus erat, Gdanẽses transportatis classe copijs Sambiam adoriri & infestare statuisse: eoq; copias & ipse suas Regiomontem cõtraxerat, quas hostib⁹ opponeret. Ex his itaq; tria millia peditum pariter & equitum Henrico Plauenio duce celeriter ad recuperandum Melsacum misit, ratus Polonos paruo præsidio relicto inde discessisse: & verò non ignorans eos, rebus præsertim secundis, securos esse solere, ita vt qua id arte, quaq; facilitate cepissent, eadẽ rursus amittere posse viderẽtur. Plauenius igitur silenti agmine profectus, nocte intempesta oppidum diuersis quatuor locis aggreditur: iamq; vna porta refracta, signa inferebat. Sed cùm Poloni partim aduersi naniter obsisterẽt irrumpentibus, partim supernè in subeuntes saxa deijcerẽt, ducentis amissis, in tutum se recepit. Postero die vt acceptam ignominiam corrigeret, fremens frendensq; ad Holandiã duxit. Verùm ibi quoq; nihilo meliore fortuna vsus, plures etiam milites amisit. Nec magis prosperæ tunc erant res Crucigerorum in Pomerania. Osiecum castellum obsidebant Poloni, ligneo castello è regione excitato. Hostes succurrere suis laborantibus volentes, nõ contemnendam manum Choinicia & Starigrado eò misêre. Cui aduenienti obuiam progressi Poloni, pugnæ copiã fecêre. Nec mora in fugam acti hostes, perpauci tamen euasêre, pluribus in fuga q̃ in prælio trucidatis. Cæsorum spolijs nostri potiti sunt. Id vbi viderunt obsessi, incenso castello natando profugerunt. Nostri verò accurrentes incendium restinxerunt, castellumq; in potestatem suam redegerunt. Fortè etiam ij, qui Vartemburgi, quod oppidum episcopi Varmiensis est, in præsidio fuerunt hostes cum nostris, qui Reslam tenebant, congressi, non leui strage profligati sunt. At Ludouicus magister, quoniam magnam earum cladium partem Pauli Varmiensis episcopi transitioni ad regias partes acceptã ferebat, vt eum vlcisceretur, cum sexcentis equitibus, ac totidẽ peditibus, agros oppidorum eius Brunsbergæ, Vormithæ, Heilsbergæ, Reslæ, Gutestadię, & Melsaci percursat, & segetes conculcat, non sine acerbo dolore oppidanorum, & fremitu in epi-

Ioannes Pienianscus archidiacon. Gnesnensis adulterij & homicidij reus.

Pienianscus sacerdotijs priuatus.

Pienianscus latrocinatus captus à patre, & episcopo in carcerem traditus.

Pieniansci pater supplicium expendit sacerdotibus.

Prussorum legatio ad regem.

Melsacum captum à Polonis.

Poloni rebus secundis securi.

Plauenius à Melsaco & Holandia repulsus.

Polonorum victoria apud Osiecũ.

Osiecum incensum & seruatum.

Crucigerorũ strages apud Reslam.

Crucigeri vastant Varm.

episcopum, q cùm pacati in medio belli strepitu ad eam diem fuissent, transitione eius ad regem iritatis Crucigeris hostilia pati cogerentur. Erat quidem in præsidijs eorum oppidorum & aliarum vicinarum munitionum non exiguus regiorum militum numerus cum Adamo Vilcanouio, Ioanne Scalio, & Ioanne Zaco: sed exacerbatis præsenti & insueta calamitate oppidanorum animis, mœnibus ij sese continebant, veriti ne prodeuntes excluderētur. Increpiti verò regijs literis atq; nuncijs, prodière tandem constituto ad conueniendum loco. Quo cognito Magister Barteinum se cum copijs suis recepit. Ibi nostri vicissim liberius hostiles agros peruagati, segetes & ipsi conculcarunt, & in villas igne deseuierunt. His diebus Cazimirus rex cùm accepisset literas à Rudolpho episcopo Lauantinensi, qui scribebat, se venire legatum à Pōtifice maximo ad componendam pacē inter ipsum & Crucigeros: misit ad eū Vuratislauiam, vbi substiterat, Ioannē Dlugossum indicans, pacem se non abnuere, modò ille bona fide pacificatorem sese interponeret: neq; imitaretur Hieronymum Cretensem archiepiscopum, qui regi, ac si filius eius esset, operam suam pollicitus, cùm ad Crucigeros profectus esset, redemptus ab ijs calice aureo, Cretensis, vt est in prouerbio, Cretizauisset, bellumque non modò non restinxisset, verùm etiam vltrò iam ferè conquiescens resuscitasset cùm alijs factis, & improbis ac versutis consilijs suis, tum quòd Prussis regiarum partium interdictum non relaxasset. Si nihil eorum hic haberet in animo, veniret bono omine, fauere se ei, vt præclarā cōpositæ pacis gloriā referret. Prolixè ille omnia pollicit⁹ est: Se dissimilē Cretensis illius fore. Inter Fridericum quoq; imperatorem & Mathiam regem Vngarorum non ita pridem pacem se fecisse, in eaq; conficiēda incorruptum se præstitisse, ita vt incusaretur ab Imperatore, quasi homo Germanus in Vngaros, quàm in suos propensior fuisset. Venerunt ijsdem diebus ad Regem Sciborius gubernator Prussiæ, & Gabriel palatinus Culmensis Baseni fratres cum legatis nobilitatis Prussicæ & trium ciuitatum, orantes, vt Rex Marieburgum tandem accederet, ac tam diuturno bello, quo ipsi penitus iam exhausti essent, finem imponeret. Fore enim, cùm eò accesserit, ipsiq; hostium metropoli Regiomonti propius bellū ostentarit, vt ad eum ciuitates quædam deficiant, & Crucigeri ad quasuis pacis conditiones perducantur. Repetebant & priora postulata de Marieburgo, & alijs arcibus fidei suę cōmittendis. Non debere minus certam & probatam esse regi fidem suam, q̃ externorum: & minore autem impendio eas arces seruari à se posse, quàm ab externis, quorum insatiabili auariciæ explendę neq; ærariū, neq; facultates suæ sufficiāt, & verò negligi propter eos culturam agrorum. Hæc voce & gestu asperiori exaggerantes, addebant minas: Nisi ratio precum suarū duceretur, fore vt aliter sibi prospicere cogerentur. Offendit ea legatio Regem, & quotquot ipsi aderant in cōsilio, quòd quorum vindicandorum causa tātum cùm pecuniæ, tum sanguinis profunderetur, ij liberatoribus suis etiam leges ferrent. Sed dissimulata tamen temporis causa offensione, comiter eis responsum est: Regem maturè affuturum esse Marieburgi, ibiq; de illis & omnibus rebus cum Prussis constituturum: Ante messem autem cum exercitu eò proficisci commodè non potuisse, propter annonæ & pabuli penuriam. Ita dimissis Prussis rex Inouuladislauiam profectus est, quo magis accelerarent iter milites, cùm Regem in itinere esse audirent. Ibi eum conueniunt legati Stolpensium ducis Erici. Gratulabantur ij Regi saluum aduentum in eas oras: auxilia permagna ad bellum pollicebantur: ipsumq; adeò ducē præsentem affuturum, si Rex ipse foret in exercitu. Deinde percōtabantur, Choiniciámne & alias Pomeranicas munitiones is oppugnaturus esset, an Marieburgū profecturus. Postremò postulabāt apertè quidē, vt redimere duci Lēburgum & Bythouiā munitiones à Crucigeris sibi adēptas liceret: cupere hoc eius subditos, & pecuniā in eam rem cōtulisse: ipsum verò cum hostibus decidisse iam octo millibus florenorum, & captiuis eorū reddēdis. Tectius verò & obiter agebant, Si fortè dux de Choinicia, Stargarta, siue alia quapiam munitione Pomeranica decidere cum hostib⁹ regijs aliqua cōditione posset, vt ipsi cū bona Regis gratia habere eas munitiones liceret, in fide & cliētela Polonorū futuro. Ad tā vafrā legationē, quippe q non obscurè indicaret Ericum toti Pomeraniæ inhiare, nihil aliud responsi datum est, quàm vt dux ipse post quintamdecimam diem Bydgostiam ad Regem veniret, de illis, quæ postulabat, corām acturus. Ne quam tamen pecuniam interim hostibus numeraret, néue ca-

Rudolphus episcopus Lauantinensis legatus apostolicus.

Hieronymi Cretensis archiepiscopi ingenium et fides.

Fridericus imperator cū Mathia rege Vngar. recōciliatus.

Prussorum legatio ad regem.

Stolpensium ducis legatio ad Regem.

captiuos redderet: ferret potius aliquãtisper adhuc detrimentum amissarum munitionum. Id autem prouidebatur, ne vires hostium receptis captiuis, conductisq; illa pecunia nouis militibus, reficerentur. Bydgostiam deinde rex peruenit. Vbi de Slochouiæ arcis interceptione nũcium accepit. Præfectus eius arcis Georgius Dambrouius Martinum Sissouicium nobilem & copiosum Pomeranum è ditione Henrici ducis, domi ipsius captũ, in arce asseruabat, quoad se magno ære redimeret. Et insinuarat is iam se in familiaritatẽ præfecti, ita vt liberius in arce diuersaretur. Erãt ibi in præsidio Pomerani Polonis intermixti. Cum his igitur Sissouicius clàm de proditione pactus, cùm cognitam haberet angustiam rei frumentariæ in arce, vltrò pollicitus est domo aliquantã vim farinæ. Dimissus eam ob rem à credulo præfecto, quatuor currus farina onustos adduxit. His verò quaternos expeditos pedites quasi custodiæ & præsidij causa adiunxerat. Cum quibus in arcem intromissus, præfectũ arcis, & quos de militibus fidos ipsi esse arbitrabatur, adiuuãtibus ex cõdicto Pomeranis præsidiarijs comprehendit, & in imam turrim detrusit, arcemq; in potestatem suam redegit. Vehemens erat suspicio, si non iubente, certè non insciente Erico duce facinus illud ab ipsius hominibus patratum esse: eoq; spectasse videbatur pars illa legationis eius, qua petebat, vt sibi habere liceret per regem munitiones, si quas pacto aliquo in potestatem suã redegisset. Itaq; increpiti legati eius, qui nondum dimissi erant: missusq; ad ipsum à rege, qui de fraude & perfidia cum eo expostularet: minasq; adijceret, ni Slochouia redderetur. Ad ipsum quoque Martinum Sissouicium missus alius de restituenda arce, nil nisi bona verba retulit. Quo tempore Choinicia quoque duces hostium aderant, pecuniam Martino grandem pollicentes, si sibi arcem traderet. Atq; ij reuerti alio tẽpore iussi sunt. Venerat & Dinis primarius Friderici marchionis Brandeburgensis consiliarius cum quadraginta equitibus, quasi socium se Martino ad defendendam arcem offerens, vt intromissus arce potiretur. Verùm intromissus non est. At rex cùm conuocasset consilium, omisso Marieburgo & Regiomõte, Choiniciam adoriri, necquicq̃ reclamantibus Prussis, statuit, quo militibus hostium, qui è Germania & Boemia deducebantur, transitum intercluderet, Poloniamq; maiorẽ ne hostilib⁹ excursionibus exponeret. Ad hęc aũt Slochouiã quoq; facilius se recuperaturũ esse sperabat, si propius exercitum admoueret. Hostes qui Starigradi in præsidio erant, vbi cognouerunt regem in ea orã tunc bellum gerere decreuisse, diutina obsidione defatigati, & fame iam laborantes, relictis rebus omnibus quà patebat exitus noctu silenti agmine excessêre: & equites quidẽ sparsim Choiniciam contendêre: parumq; abfuit, quin in mercenarios regis milites, qui cum Felice Panienio seu Pniouio, quẽadmodũ habet Vapouius, ad Choiniciã præmissi erant, inciderent. Pedites verò in Zantiram vicum se recepêre, templumq; Vistulæ imminens, vnde nauigantes infestarent, muniuêre. Posterò die oppidani dilapsis defectionis authoribus compotes sui facti, Gothardo Radlinio sese dedidêre. Quo nũcio exhilaratus rex, alacrior ad obsidendã Choiniciam comitatũ suum aulicum, Dunino & Synouecio ducibus misit. Quibus & proceres, qui aderant Bydgostiæ, suos comitatus adiunxerũt: ipsi Bydgostiæ cũ rege manserunt. Ludibrio primùm fuit hostibus ea obsidio, abundante oppido defensorum multitudine, & quod nostri vno in loco cæteris partibus oppidi liberis, castra metabantur. Vbi verò fossis atq; sepibus cingi oppidum cœptũ est, erumpere frequentes, & inuadere operi intentũ militem, globosq; bombardis & omne telorum genus è mœnibus eiaculari. Ad extremũ imbutis veneno sagittis vti, ac temerè vagãtes, vt solẽt, Polonos insidijs excipere. Nec paruis incommodis nostros afficiebant, donec submissis à rege Lituanis ac Tattaris equitibus liberiores eorũ excursiones inhibitæ sunt. Interea Slochouiam rex fortuna adiuuãte sexto, postea quàm amiserat, die recuperauit. Excurrerãt eò quadraginta pedites Ioãnis Coscelecij palatini Inouuladislauiensis, siue vt fortunam tentarent, siue vt aliquid è subiectis agris raperent. Eos Martinus Sissouicius ex arce cõspicatus, omnibus militibus, quos in præsidio habebat, deductis prosequi instituit. Sacerdotes tantũ duo cũ ludimagistro & aliquot scholasticis adolescẽtibus in arce remanserant: qui quamuis Pomerani, tamen benignioribus vsi Polonis, pmolestè ferebant, eos per dolũ arce excidisse. Hi ergo solitudinẽ nacti, occasionẽ referẽdi gratiã bene meritis nõ negligendam sibi esse rati, portas arcis superioris occlusêre, ostioq; turris refracto, Georgium Dambrouium cum sexdecim socijs cassibus venatorijs submissis

Slochouia fraude intercepta.

Zantira.

Starigradũ deditum.

Choinicia à Polonis obsessa.

Slochouia recuperata a Polonis.

Sacerdotum & scholasticorum gratitudo erga Polonos.

ſis extraxêre, & cum his pariter clamorem ſuſtulêre. Quo conſternati Pomerani, cùm in arcem ſe recipere vellent, ſubeunteſq; ſaxis ſupernè deiectis arcerentur, foris verò à quadraginta illis pe ditibus ſignificatione eorum, qui in arce erant, animatis peterentur, correptis & conſcenſis celerrimè equis Dambrouij, q in inferiori arce ſtabulabantur, in Stolpēſem ditionē profugerunt. Remunerati ſunt à rege ſacerdotes & ſcholaſtici. His cognitis Fridlādēſes & Hamerſteinēſes eiectis hoſtium pſidijs regi ſeſe & oppida ſua dedidere: qui ꝓpter ſæuitiā & aſperitatē præfecti ſui Vuladiſlai Damoborij caſtellani Naclēſis defecerant. Deiecerunt hæc magnopere magiſtri & Crucigerorum animos, qui in ſpem potiundæ Slochouiæ, quæ amplitudine & munitione Marieburgo non multum cedit, venerant: & Germanis principibus, à quibus ad eam diem vanis auxiliorum promiſſis lactati erant, inter ſe diſſidentibus, nihil ſpei ſibi reliquū eſſe in poſterū videbant: metuebantq; ne id quicquid habebāt reliq in Pruſſia, per vim aut p voluntariam deditionem Pruſſorum amitterent. Itaque conuentu Regiomonte habito, cū non ſatis tutum eſſet aliorum cuiq̃ pacis mentionem facere, nonnullis ob id, quemadmodū ſuperius dictum eſt, ſupplicio affectis, primus ipſe magiſter Ludouicus ſententiā dixit: in quam ab omnibus itum eſt, nimirum vt pax cum Polono conficeretur, ſi minus æquis, at tolerabilibus dūtaxat conditionibus. Miſſuſq; è veſtigio ad regem Bernardus Sūbergius, tempus locumq; colloquio de pace habendo petiuit. Nihilo ferociorē ſecundæ res regem fecerāt: & iā antè oſtenderat is legato Apoſtolico, non abhorrere ſe à pace. Sed nō placebat ei tamē, inconſultis ſuis cū hoſte quicq̃ conſtituere. Ad quintamdecimā ergò diem iuſſus eſt redire Sumbergius reſpōſum accepturus. Eo ſic dimiſſo, cœpit mox regē finiendi belli cupidum pœnitere, quòd rē integrā ad Pruſſorum arbitrium retuliſſet. Poſſe enim eā infici. Itaq; mutata ſentētia, miſſi ad Sumbergium, q aſſentiri regem eius petitioni indicarent, locumq; ac tempus certum colloquij cum eo conſtituerēt: Indeq; rectà Marieburgū ad conuētum Pruſſorum ire pergerent: cauſas mutati conſilij regij de eo ꝙ is Marieburgum, vt promiſerat, non veniret, redderent: de tēpore & loco cōſtituti colloquij certiores eos facerēt, & ad id colloquiū inuitarēt. Conuenit, vt ad diē natalē Dei matris Mariæ rex Toruniæ, magiſter cū ſuis Culmæ eſſent: ij verò, q de conditionibus colloquuturi ac tractaturi erāt, Culmeſeæ medio ferè vtrinq; ſpacio cōuenirent. Nihilo tamē ſegnius cōtinuabatur à noſtris obſidio Choiniciæ: & quo celerius ea operibus circūuallaretur, ſpeſq; omnis auxiliorum, & facultas euagandi obſeſſis pcideretur, euocatæ à rege è maiore Polonia & Cuiauia operæ ac ruſticani homines cum ligonibus, ſecuribus, & alijs eiuſdē generis inſtrumētis nō parcebāt diurno ac nocturno operi. Non leuiter autē extimulabat Polonos obſeſſorum, q ferè Sileſij erāt, ferocia, eo ꝓtinacior, quo minus eis aduerſus ꝓgenitores ſuos Polonos, q̃ Crucigeris & Germanis cōueniebat. Neq; verò leue momētum addidit Erici Stolpenſium ducis pfidia. Qui cum Bydgoſtiā ad regē illis diebus veniſſet, & cùm omnia ſocij & fœderati officia, tum operā ſuam efficacē ad cōficiendā deditionē Choiniciæ regi ſanctè pollicendo detuliſſet, honorificè habitus, donatus, dimiſſus, & Choiniciā ꝓfectus, lōgè diuerſum egerat. Indeq; diſcedēs, miſſo denuò ad Choinicieſes pfectos nuncio ſacerdote quodā, non regi, ſed ſibi Choiniciā tradi aliqua mercede poſtulabat. Verùm is ſacerdos excuſſus à noſtris, ad oppidum admiſſus nō eſt. His igitur de cauſis feſtinabant & ſatagebant noſtri. Et faciebat eis potiundi ſpē, quod nullo flumine importari in oppidū cōmeatus poterat. Dum hæc geruntur in Pruſſia, Georgius Boemorū rex miſit aliquantā manum equitū pariter atq; peditum cōtra Vuratiſlauieſes, qui ipſi dicto audientes non erāt, duce Sciborio Touacionio Morauo: qui ſiue iuſſu regis ſui, qui ſucceſſibus Polonorum angebatur, ſuāq; intereſſe putabat, vt ij q̃ plurimùm haberent negocij, ſiue propria temeritate excurſione facta in Poloniam, Cienſtochouiam oppidum & monaſterium, circumiacēteſq; pagos diripuit, falſo ptextu, quaſi rex Polonus Boemis quibuſdā, q tunc in illo exercitu militabant, emerita in Pruſſia ſtipendia non exoluiſſet. Præmonitus ea de re fuerat à nonnullis Morauis & Sileſijs æmulis Touacionij Iacobus Dembenius pfectus Cracouienſis, cui rex abſente ſe curā minoris Poloniæ cōmiſerat: ſed malo cōſilio vſus ipſe q dē cum parte copiarū, quas raptim coegerat, Oſuencimi ſe continuit: Prædiſlaum verò Dmoſicium præfectum Scepuſienſem cum expeditis ad reprimendum Touacionium miſit. Qui tardius molitus, occaſionem opprimendi hoſtem

incautum

Fridlandenſes & Hamerſteinē ſes regi ſeſe dedidere.

Damoborij ſæuitia.

Crucigeri pacem petūt.

Sileſij malè animati in Polonos.

Erici Stolpenſis perfidia.

Boemorum excurſio in Poloniam.

Cienſtochouia direpta.

incautum, & securè apud Dornouicium pagum ex labore diurno, & nocturna compotatione indormientem amisit. Ita Touacioüius incolumis sese cum suis recepit, & Namyslouiensem agrũ diuexauit. Nec ausus adoriri Vratislauiam, in Morauiam reuertit. Expostulauit ea de re cum Georgio Cazimirus per internuncium castellanum Malogostensem: Sed ille negauit quicquam eius suo iussu factum esse. Conuentus deinde inter reges per internuncios constitutus, vbi de iniurijs & controuersijs transigeretur, Bythomiæ ad diem S. Andreę memorię sacrum. Hoc igitur tumultu Silesico, motus Rudolfus legatus cùm ad pacificationẽ Prussicã acciretur à rege, rescripserat se venire ad diem statutã non posse. Verùm discessione Boemorum repentè pręter opinionem solutus metu, ad vicesimãsextam diem Augusti Toruniam paucis post regem horis venit: ac die natali Marię rege cũ proceribus suis pręsente apud sodales Franciscanos ritu solenni sacra fecit. Postridie verò mandata Pontificis exposuit, regemq; ad pacem cohortatus est. Respõsum est: Regem, quamuis iustum bellum satis prospero successu gereret, victoriamque penè in manibus haberet, facilem tamen fore ad faciendam pacem, & in æquis conditionibus acquieturum esse. Crucigeri aliquandiu expectati sunt, quod legatũ in Silesia impeditum, non venire acceperãt. Vbi verò ij venêre, placuit, apud Nessouiam potius, q̃ apud Culmeseam conuentũ agere sub papilionibus. Nam Toruniã Crucigeros intromittere nostris visum nõ est, superioris temporis periculo admonitis. Per eos dies hostile pręsidiũ, quod Zantirę erat, à Tomezo & Petro Rabelinio Burgrabio Marieburgensi expugnatũ est. Ad medium verò Septembrẽ apud Choiniciam cùm ex oppido erupissent hostes, commisso cũ nostris ꝑlio in oppidũ reiecti sunt. Nec multo pòst prandentibus nostris rursus erumpentes, cùm aliquot horis strenuè dimicasset, multis amissis terga verterũt. Instare nostri fugientibus. Hostes veriti ne cũ suis nostri simul irrumperent, clausis celeriter portis oppidi, permultos de suis excluserunt: qui partim cæsi, partim capti, partim cũ in fossam aquæ plenã armati sese præcipitassent, submersi sunt. Nec multo pòst nostri sagittis ignẽ iaculati noctu oppidũ incenderũt, ita vt quarta pars eius cũ frumento conflagraret. Quo victa tandẽ est hostium ꝑtinacia, missisq; in castra

Legatus pontificius.

Zantiræ præsidium expugnatum.

Crucigerorũ res aduersæ apud Choiniciam.

Vdalrico Eisenoueno magno cõmendatore, & Ioãne Zalio, vitã fortunasq; pacti, neq; vnq̃ contra Polonos arma se sumpturos esse sanctè iurati, redditis receptisq; vicissim captiuis, inter quos erat Paulus Iasenius, oppidũ cum bombardis & omni apparatu ac instrumẽto bellico ad quartũ Cal. Octobris dediderunt: & lachrymantes Lẽburgum ꝓfecti, post octauũ diem illud quoque oppidum atq; Bythouiã Erico Stolpẽsi, acceptis ab ipso octo millibus florenorũ, captiuisq; receptis reddiderunt. Victor exercitus Toruniã ad regẽ veniens, facta mutua gratulatiõe benignè & liberaliter habitus est, Choinicienses autẽ oppidanos rex impunitate donauit, q̃uis cuncti oppidum solo ęquandũ esse suaderent. Iisdem diebus mons Nesco supra Vucram amnem, quẽ hostes pręsidio firmarãt, ꝓfligatis quadraginta militibꝰ, qui inde in Masouiã populabũdi excurrerant, à comitatu aulico Conradi ducis expugnatus est. Hæc nunciata Crucigeris, incredibilia videri primò, terrendiq; sui causa à nostris conficta. Sed vbi vera esse cõperêre, pronioribꝰ animis ad pacẽ inclinari cœpêre, veriti ne Prussia cũcta à se deficeret. Post multorũ igitur dierũ colloquia tractatusq; cum nostris habitos, legato Pontificio summa fide, cura, studioq; adnitente, & rege nihil de sua facilitate remittẽte, & peste, quæ Toruniæ inualescebat, celerẽ discessionem suadente, tandem decimanona die mensis Octobris optata diu pax confecta: in scriptum redacta: legati ac triũ tabellionũ manibus suscripta: à rege, Magistroq; Toruniam accito, & vtriusque consiliarijs obsignata est, & in domo publica, q̃ Geldam vocant, rege & Magistro cum suis congregatis, à legato q̃dẽ Germanica, à Vincẽtio verò Kelbassa secretario regio Polonica lingua publicata, & vtriusq; partis assensu & solenni iureiurando approbata est. His aũt conditionibus ea cõuenit, vt Polonus Culmensem & Michalouiensem ditionem, & Pomeraniã omnẽ, ad hæc Marieburgũ, Stumam, Christiburgũ, Elbingam ac Tolchemitã arces & oppida cum suis territorijs, & iure syluatico, quod Vualdampt Teuthonicè vocatur, & sex pagis, qui ad arcem Holandiam ꝑtinuerunt, iure sempiterno obtineret: Neringam itẽ peninsulã, exceptis duobus pagis cũ prædio: qui Crucigeris propter cõmodiorem in Habo lacu piscationem relicti sunt. Reliquũ quicq̃d est in Prussia vt Magister cũ Crucigeris sibi haberet, ea q̃dẽ lege, vt semper

Choinicia Polonis dedita.

Lemburgũ & Bythouia Stolpensium duci dedita.

Choinicienses impunitate donati.

Nesco mons expugnatus à Masouijs. Vucrast.

Pax inter Polonos & Crucigeros Toruniæ facta.

Gelda.

Vualdampt.

per

Crucigeri in fide & clientela regũ Poloni.

per sint in fide & clientela regum Polonorum, idque solenni iureiurando quicunq; Magister ordinis deinceps vnq̃ creatus esset intra sextũ mensem per se ipse ad regem veniens profiteretur: seruaturus omnia quæ tunc cõuenissent, neque vlla tergiuersatione aut relaxatione cuiusquam siue absolutiõe à iureiurando, ne vltrò quidem oblata vsurus: essetque is princeps & consiliarius regni, & ad læuam regis primum locum in consilijs & consessibus publicis haberet. Primi quoque Commendatores, quos Magister ederet, vt & ipsi consiliarij regis essent: atque ita Magister, & ordo, cum tota Prussia, & quicquid ij postea bello, vel quouis alio modo de barbaris quærerent, cum Polonis arctissimo vinculo coniungerentur, & & in vnum corpus coalescerent, neque cuiusquam omnino in terris, præterquam regis Poloni maiestatem, authoritatem, ac iurisdictionem (salua Pont. max. ecclesiastica sua iurisdictione) agnoscerent. Ei verò contra quẽuis hostẽ adessent, nec eũ in aduersis iuxtà ac in prosperis desererẽt. Ad professionẽ ordinis vt pateret aditus Polonis, & alijs regiæ ditionis hominib⁹ dũmodo ij dimidia parte Teuthonas ne excederent, eorũq; etiã in magistratib⁹ & curationibus mandandis ratio haberetur: Magister verò ne rege inscio quauis de causa amoueretur. Quòd si quę munitiões intra fines vtriusuis ab altero adhuc tenerẽtur, vt ante octauũ Cal. Iulij bona fide redderentur: sin à quoquã alio, tamen alterius ope recuperarentur. Donationes, vẽditiones, & aliȩ quæuis alienationes bonorũ ab occupatore, incõmodo ac damno alterius bello durante factæ, ne ratæ essent. Profugis & exulibus equestris ordinis possessiones ademptæ, vt restituerentur. Plebeis verò eæ modò, quæ ante initium conuentus illius venditæ non essent. Cæterùm pro venditis liceret pretium renumerare. Omnibus autem vt perduellionis ac defectionis noxa remitteretur, Culmensis ecclesia amotis religiosis Crucigeris vt ad ius matricis suæ Gnesnensis metropoleos rediret, eiusq; episcopam Vincentius Kelbassa, simulque Pomesaniensem haberet. Eo verò mortuo, Pomesaniensis ecclesia in Crucigerorum ditionem recideret. Arces, oppida, pagi, & quæuis bona ecclesiastica vtrinque suis ecclesijs redderentur. Captiui item vtrinque dimitterentur. Viæ publicæ vt essent liberæ more veteri. Telonia siue portoria noua ne qua vtrinque

Magister Crucig princeps & consiliarius Polon. cum prioribus cõmendatoribus.

Prussiæ cum Polonia coniunctio.

Poloni recipiendi inter Crucigeros.

Culmensis episcopa Gnesnensi metropoli subiecta.

Pomesaniensis relicta Crucig.

alteris imperarentur. Hæc ita rata firmaq; esse vt omnes episcopi, duces, palatini, castellani, Commendatores, equites, ciuitates iureiurando interposito iuberent. Et quamuis authoritate legati pontificij confecta, constituta & stabilita essent, mitterẽt tamen nihilominus rex & Magister oratores ad Pontificẽ, & ab ipso approbari & confirmari pacta illa cum omnibus conditionibus peterent, adiectis in violatores pœnis. Hunc igitur tunc exitum bellum Prussicum tredecim annis varia fortuna gestum habuit. Omnibus ritè peractis ad ædem Virginis matris nomine nuncupatam itum est, Deoque actę gratiæ. Reliquum diei festis epulis & conuiuijs datum. Rudolfus legatus tã pulchrę pacis confectę meritam apud omnes laudem tulit: qua contentus, amplissima dona à rege missa refutauit. Consiliarij modò regij titulum honoremq; cũ pensione siue salario ducẽtorum florenorũ in singulos annos, quoad viueret, in salinis Bochnensibus attributam accepit, & Vuratislauiam se recepit. Magistro item Ludouico, & ijs, qui cum eo erãt primarijs viris, Hẽrico Plauenio, Gerardo Melengrado, Vilelmo Epingio, Vlrico Regiomontano, Bernardo Sũbergio, Georgio Sliuenio, ac duobus Crucigeris cubicularijs Magistri perampla pro cuiusque conditione à rege data munera. Cumq; is egere admodum Magistrum cõpeˈrisset, præter priora dona, quindecim millia florenorũ ei vltrò dono promisit in emerita stipendia militũ, quo facilius Prussia excedentibus illis rercearetur. Remisit etiam ipsi in viginti annos necessitatẽ mittendorũ ex pacto auxiliorũ, excepto tamen bello Turcico, si id Polonis inferretur. Vicissim autẽ Magister Polonis in ditione sua fundos & possessiones habentibus tributa, operas, & quæuis alia onera in vigintiquinq; annos remisit. Missi deinde oratores Romã, à rege quidem Vincentius Kelbassã designatus episcopus Culmensis & Pomesaniensis, & Ioannes Ostrorogus iurecõsultus & castellanus Mediricẽsis: à Magistro verò Ioannes Vinclerus iureconsultus: quibus mandatũ, vt Pontifici maximo gratias agerent, Rudolfi industriã, fidem, integritatem, studium atque diligentiam commendarent, & apicẽ honoris Cardinalitij pro meritis ei peterent. Sic igitur ille vberrimũ est virtutis & laborũ suorum fructũ consecutus: quos eo alacrius exhausit, quod Vuratislauia in Prussiã proficiscẽs viso reli-

Rudolfi integritas.

Rudolfus cõsiliarius regis.

Cazimiri munificẽtia in Magistrũ & Crucigeros.

Legatio ad Pontificem max.

Rodolfi episcopi laus.

religiosæ cuiusdam virginis Veronicæ Cracouiēsis apud basilicā Vuratislauiensem per multos annos cōmorantis animatus erat. Quē illa videre sibi visa est corā throno Dei gladium vtraque parte acutū cōfringentem: quo significabatur, eū bello Prussico finem impositurū esse: id quod euentus rei comprobauit. Non omnibus tamē ea pax grata & iucunda fuit. Nam & Prussi molestè ferebant, tantū relinqui Crucigeris in Prussia, vt facilè ij resumptis viribꝰ bellū instaurare possent: & Poloni proceres, qui ei paci conficiendæ non erant adhibiti, multa cauillabantur: & milites spem stipendiorum faciendorum sibi præcisam esse molestè ferebant, & Lituani dolebant, se occasionē recuperādæ, quemadmodū existimari volebāt, Podoliæ, dū Poloni Prussico bello distinentur, amisisse. Iā verò Georgius rex Boemus, qui magnā retinendi, & ad posteros suos transmittendi regni Boemici spem in eo bello collocarat, eo finito impensius sibi liberisq; suis metuere à Cazimiro rege incipiebat, quod eius regni hæreditatē ad ipsum filiosq; ipsiꝰ per Elizabethā vxorem regis Vngarorū atque Boemorum filiam & sororē pertinere intelligebat: seq; exosum esse apud suos, eos pręsertim, qui in recta religione permanebant, non obscurè animaduertebat: neq; ignarꝰ erat, Cazimirum ad bellū sibi inferendū cùm ab alijs Christianis principibꝰ, tum à Pont. max. incitari. A quo etiam per id tēpus ipse iudicio Romæ instaurato, hæreseos & perfidiæ dānatus, omni regio, ducali & marchionali honore non in præsens modò, sed etiā in futurum tempus vnà cū liberis suis priuabatur: & subditis eiꝰ indulgebatur, vt ei parêre necesse non haberent. Et egerat quidē cum Cazimiro de suscipiendo règno Boemico Rudolfus legatus quàm diligentissimè, Torunia discessurus: pollicebaturq; ipsi non solùm subsidium Pontificis, verùmetiam Silesiæ & Luzaciæ ditionem, quàm primùm arma contra Boemos sumpsisset, aut aliquem de filijs suis cum exercitu misisset: verùm Cazimirus eam consultationem ad comitia regni reiecit. Ridiculè hic de Cazimiro atque omni dissidio regū de regno Boemico fabulatur Antonius Sabellicus, scriptor alioqui diligens, solā, vt arbitror, famam popularē & rumores Riui alti secutꝰ. Quę res ipsa satis refellit. Nobis id obiter admonuisse sufficiat. Dimisso legato & Magistro, Cazimirus ad quintū Calen. Nouēbris Torunia profectus, quoniam pestis totam ferè Poloniam peruaserat, apud Cozinicios saltus aliquandiu venationi vacauit. Interea Ioannes Srancus collectis duobus millibus mercenariorū militum, ne nihil ageret finitis stipendijs, Pelciniciam oppidū in tractu Stolpensi occupauit: nec multo pòst Drahimū arx regia ab eo, qui Pelciniciæ pręfuerat, intercepta, Regis autem iussu ex pacto restitutio vtrinque facta est.

Pax quibus ingrata accidit.

Georgius rex à Cazimiro liberis suis metuit.

Georgius rex damnatus hæreseos & regno priuatur.

Cazimirus ad bellum Bomicum incitatur.

Antonij Sabellici error multiplex.

Pelcinicia à Polonis occupata.

Drahomiūm à Pomeranis.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER VICESIMVSSEPTIMVS.

1467.

INsequentis anni initio, ipsis adeò Cal. Ian. natꝰ est regi apud Cozinice Sigismūdus filius pacata Prussia, bono quodā omine conficiendarum reliquiarū belli Prussici, qđ Crucigeri successu tēporis renouarunt. Sub finē verò eiusdem mensis rex in Lituaniā profectus est: duobusq; penè mensibus ibi exactis, in Poloniā reuertens, ad tertiam diē Maij Petricouiæ comitia habuit. Ibi postulantibus legatis Crucigerorum, quorum magister Ludouicus paucis illis diebus obierat, pax reliquorum procerum, qui Toruniæ non adfuerant, solenni iureiurando confirmata est, constitutæ etiam res reliquę Prussiæ, quæ in Regia ditione erat: & mutata nonnihil magistratuum atque honorum ratio, nobilitatis atque ciuitatū legatis flagitantibus. Nam gubernatione extincta, & palatinatu Elbingensi in Marieburgensem commutato, Sciborius Basenus eo honore cohonestatus est: castellanus verò eiusdem loci siue Elbingēsis Fabianꝰ Maulus factus: palatinus Gdanēsis, siue, vt nūc vsus obtinuit, Pomeraniæ Otto Maquiciꝰ: castellanus aūt Gdanensis Nicolaꝰ Pilauius: deniq; castellanus Culmēsis Ludouicꝰ Mortāgius creati: Palatinus enim eiusdē loci, qui secundū episcopos primus est in senatu Prussico, Gabriel Basenus viuebat adhuc. Audita est etiam Nur-

Sigismundus filius Cazimiro natus.

Comitia Petricouiæ.

Gubernator Prussiæ sublatus.

Culmensis palatini in Prussia eminentia.

duuuladi

Tattarorum legatio & fœdus cũ rege.

duuuladi noui Tauricanorum Tattarorum principis, qui Ezigeri patri ante septem menses extincto successerat, legatio, fœdus & amicitiam paternam cum Cazimiro, eiusq; ditionis hominibus cõfirmans, & auxilia cõtra quosuis hostes pollicens.

Transactio cum militibus de emeritis stipendijs.

Consultatum deinde de exoluendis stipendijs militum toto Prussico bello meritis, quorum permagnus numerus cum coniugibus & liberis aduenerat. Decisum cum equitibus quidem octonis florenis in singulos annos, cum peditibus verò quaternis. Quę summa ad bis centum & septuaginta millia florenorum perueniebat: eaque intra duos annos & semis exolui promissa est. Tunc quidem bini modò aurei numerati in militem: quaterni intra mensem promissi. Neque quicquam operæprecij tunc factum est per totos septemdecim dies, propterea quòd nobilitas pleraque omnis in Corcinensi & Sredensi conuentibus renuerat tributum agrarium in eam rem petitum. Itaque placuit nouos conuẽtus Coli quidẽ ad diem Sancti Iacobi, Corcini verò ad diem sancti Laurẽtij, quò ex Colensi maiores Poloni aduenirẽt, institui.

Vuladislai Damoborij improbitas & cædes.

Aegrè autem milites in eo acquiescebãt, Vuladislao Damoborio castellano Naclensi homine turbulento & seditioso in primis animos eorũ sollicitante: qui dudũ Slochouiam intercipere adortus, & spe sua frustrat⁹ ex agro arci illi subiecto prædas egerat: milites arcis præsidiarios fide data euocatos, perfidè trucidarat: Naclensi territorio pecuniã imperarat: Gnesnẽsis ecclesiæ bona populat⁹ erat: & adulterinũ numũ cudere instituerat: nec in futurum tempus quieturus esse videbatur. Is igitur quamuis clara Topororum familia, patre Inouuladislauiensi palatino ortus, & senator regius esset, tamen sponsores dare iussus de quiescendo, cũ non daret, captus & Petro Samotulio castellano Posnaniensi & præfecto maioris Poloniæ traditus, Calissiamq; ductus, eius iussu capitali pœna affectus est.

Ioannes Ressouius præfectus Gorcinẽsis capitur.

Ita vnius supplicio repressa tamen sunt vtcũq; latrocinia, quæ iam increbescere cœperant, ita vt Ioannes Ressouius canonicus Cracouiẽsis & præfectus Corcinensis Petricouia domum reuertẽs in itinere direpta, quam secum vehebat, supellectili sua & regia, caperetur.

Georgij regis legatio ad Cazimirum

Adfuit & Georgij Boemi legatio, cuius princeps erat Ioannes Hicinius Morauus, fœderis apud Glogouiam icti Cazimirum admonens, ne proceribus Boemis & Vuratislauiensibus perduellib⁹ Georgij faueret.

Boemorum procerum cõsilia contra regem Georgium.

Conuenerant enim vnum in locum proceres Boemi nobilissimi quique, & cum his Budeouicensis, Pelsnensis, & omniũ ferè Morauiæ Silesiæque ciuitatum legati: Georgiumque tergiuersantem de religione, nec præstãtem quod iureiurãdo interposito receperat, pro rege deinceps habituros se non esse constituerant, & in aliquem de filijs Cazimiri, vtpote de stirpe regum suorum natis, animis inclinati esse videbantur. Itaque anteuertẽs eos Georgius (quod fit plerumque, diligentius vt curentur ea quæ ab vno, quàm quæ à multis curantur) pactorũ conuentorũ Cazimirum admonebat. Huic responsum est: A Cazimiro quidem fœdus seruari, & seruatum esse: à Boemo verò id violatum videri. Satisfieri ab eo de damnis datis & iniurijs oportere, si deinceps quoque fœdus integrum esse vellet. Ita spes tamẽ aliqua ostensa trepidanti.

Boemorum legatio ad Cazimirum.

Nec multo pòst solutis iam comitijs adfuêre & aduersariorum, hoc est orthodoxorum Boemorum legati, quorum Sdenco Conopiscius siue Sternbergius Burgrabius Pragensis princeps erat, petentes, vt Cazimirus regni Boemici, quod ipsi liberisque ipsius certa quadã successione deberetur, curam susciperet: neque id à scelerato, perfido, & hæretico inuasore occupari pateretur. His responsum: Nihil iam tunc de re tanta statui rectè posse conuentu dimisso. Cauebat nimirum Rex, ne nouo bello implicaretur, pertæsus Prussici vt qui maximè. Nec tamen successionis iure se & liberos suos abdicare volebat: verùm spectabat quò fortuna dissidentium Boemorum inclinatura esset.

Boemici motus.

Erat enim in armis Georgius, & rebellium munitiones in Boemia oppugnabat: & illi Budeouice insigne secundum Pragam oppidum, quinque consulibus, qui cum Georgio sentiebant, de medio sublatis, sibi adiunxerant: & verò Vuratislauiẽses, quo Georgium distinerent, facta è mercenario milite & vrbana multitudine manu, oppida & munitiones sibi vicinas, in fide illius manentes infestabant, Frãchesteinumque cæperant. Sed vicissim obsessi à Boemis & Saxonibus auxiliaribus, superuenientibus, dum intus inter se temerè tumultuatur, oppido per scalas capto exciderunt. Ac equites quidẽ fuga euaserunt: pedites verò ad quatuor millia partim cæsi, partim capti.

Vuratislauiensium clades apud Franchesteinum.

Miserant autem Georgio Vilelmus Misnensium ac Turingorum dux, & Albertus Marchio Brandeburgensiũ non contrẽ-

contēnenda equitum auxilia. Hæc igitur tunc circumſpiciebat Cazimirus. Peractis autem comitijs Petricouia profectus Nepolimiciam diuertit. Ibi oratores ſuos reſponſum Pont. max. referentes audiuit. Nihil ij certi retulerūt, præter quòd Culmenſis eccleſia amotis Crucigeris in priſtinum ſtatum reſtituta, & Gneſnenſi archiepiſcopo denuò addicta eſt. Cōfirmatio verò pacis Pruſſicæ, & relaxatio interdicti in Pruſſos regiarum partium promulgati Rudolfo Lauantinenſi epiſcopo miſſa, præſcriptumque, qua lege ea regi traderet. Tametſi Culmenſis quoq; eccleſię reſtitutio eidem Rudolfo mādata fuiſſe videtur. Qui ad quintum Calendas Augusti Vuratiſlauia Cracouiam adueniens cum Gabriele Veronenſi Franciſcano hæreſeon inquiſitore, & Petro Ercleo decano Aquenſi cubiculario Pontificio recens Roma miſſis regē ad ſuſcipiendum, & à nefario & hæretico occupatore vindicandum regnum Boemicum exhortabatur: & Pontificis, Imperatoris, Germanorum, & aliorū Chriſtianorum principum opem & ſubſidia promittebat: diplomataque Pontificia proferebat, quibus ea demum conditione poſtulatis regijs ſatisfacere iubebatur, ſi is bellum Boemicum ſuſciperet. Et cōmodum proceres Boemi, qui Georgio aduerſabantur, miſerant & ipſi ad Cazimirum, è conuentu Iglauienſi Eliam adminiſtratorem Lutomyſlienſis epiſcopæ, orantes vt aut ipſe regnum id ſine longiore comperendinatione ſuſciperet, aut aliquem de filijs vel cum mille equitibus regem ſibi mitteret. Suis viribus regnum ſe ei vindicatūros eſſe pollicentes. Ad extremū tergiuerſante Cazimiro, poſtulabat Rudolfus, ne tamen is pro fœderato, nec pro rege haberet Georgium, priuatū regio honore à Pontifice: ſed pateretur piam crucis militiam cōtra eum in ditionibus ſuis promulgari. Offendit ea legatio regem & proceres Polonos, qui tūc ipſi aderāt in conſilio, propterea quòd pax cum Crucigeris in dubium reuocari, prætextusq; renouandi belli ipſis præberi videbatur, propter adiectam conditionem. Itaque res integra ad conſultationem conuentus Corcinenſis, qui tunc inſtabat, reiecta: conuentusq; ipſe propter incommoditatem loci, & peſtē circumquaque ſæuientem Cracouiam translatus eſt: & ad eū maioris Poloniæ pceres propter nouam illā cauſam euocati vix ad mediū Auguſti tandē, nō omnes tamē, conuenēre. Quindecim ferè diebus conſultatum eſt. Ad extremum placuit agi gratias Pontifici & Boemis proceribus de oblato regno, quod Cazimiro liberisq; eius iure optimo deberetur. Sed acceptare id eum tunc propter infrequentiā ſenatus, cuius conſilijs & auxilijs vſurus eſſet, rectè non poſſe: differri rem ad alia comitia oportere: Curæ autem regi fore, vt bellum ciuile inter Boemos gliſcens dirimatur: Georgius in viam redeat, & in poteſtate ſit Pōtificis max. Quo minore verò negocio ea cōfici poſſint, operæ precium eſſe, vt aliquātiſper à publicādo Pontificio decreto, quo Georgius regno priuabatur, & militia crucis abſtineatur. Cum hoc reſponſo dimiſſus Rudolfus Vuratiſlauiā reuertit. Petro verò Ercleo Romā reuertenti adiūctus Ioannes Sempinius eques Polonus, qui de cōfirmatione pacis Pruſſicæ ſine conditione rurſus ageret. Cui mandatū & illud eſt, vt peteret quo Vincentius Culmēſis epiſcopus Paulo Varmiēſi per eos dies peſte ſeu veneno, vt creditū eſt, extincto ſucceſſor daretur: quamuis Nicolaus Tungenus canonicus eius eccleſiæ Vormitæ, ſiue in pago eius territorij Tungen, à quo cognomen accepit, ortus, qui Romę tūc erat inter ſcriptores Apoſtolicarum literarum, ritè à collegio baſilicæ illius electus eſſet. Sed ne Sēpinius quidem quicquam impetrauit. In Boemiam verò miſſi legati Stanislaus Oſtrorogus palatinus Caliſſiēſis, Iacobus Dēbenius theſaurarius, & præfectus Cracouienſis, & Ioannes Dlugoſſus canonicus Cracouiēſis. In Pruſſiam autem ad conſtituēdas res Iacobus Sēnenius Vuladiſlauienſis, Vincentius Kelbaſſa Culmēſis epiſcopi, & Ioannes Coſcelecius palatinus Inouuladiſlauienſis: qui ſubortas cum Crucigeris nonnullas controuerſias diremerunt: & quamuis ægrè, pfecerūt tamē, vt de promiſſis Magiſtro à Rege quindecim millibus florenorum duodecim millia ciuitates exoluerent. Rex tribus mēſibus exactis Cracouiæ, in Lituaniam ſeceſſit. Iam enim totam ferè Poloniam, Ruſſiam & Maſouiam peſtis popularis peruaſerat. Ibi Nicolao Vilnenſi epiſcopo ſub finem Septēbris defuncto Ioannem Loſſouicium Vilnenſis ciuis filiū, qui tūc erat Lucenſis epiſcopus, huic verò Martinum Creſſouiciū gente Gryphiū ſucceſſorē deſtinauit: Nicolao verò Camenecenſi, q & ipſe ad mediū Octobris peſte extinctus erat, Nicolaū Golambicum gente Gryphiū: ſed cùm is paulo pòſt in itinere à latronibus interfectus eſſet, Nicola-

Culmenſis epiſcopa in priſtinum ſtatum reſtituta.

Legatio pontificis max. ad Cazimirum regem.

Boemorum procerum legatio.

Comitia Cracouiæ.

Cazimiri reſponſum.

Legatio Cazimiri ad Pōtificem.

De Varmienſi epiſcopa controuerſia.

Legatio Polonorum ad Boemos.

Legati in Pruſſiam.

Peſtis in Polonia.

um Prochnicium gente Cuflium suffecit. Legati regij in Boemiã profecti, multa agendo & suadendo eò rem perduxêre, vt Georgius negaret se quicquam aduersus Pontificem & pacta cum antecessore eius & cũ concilio Basileensi conuenta admisisse: correcturũ autem, si quid fortè eiusmodi esset: componendarum verò Boemicarum rerum arbitrũ Cazimirũ non recusaret.

Georgij regis respõsum oratoribus Polonis.

Cæterùm alterius factionis proceres conuentu apud Vuratislauiam habito, negarunt, se illum arbitrum accipere posse incon sulto Pontifice maximo, cuius iussu bellum suscepissent. Neque verò habendã esse fidem Georgij verbis atq; promissis: quin susciperet Cazimirus oblatum & iure sibi debitum regnum: aut verò aliquem de filijs, quos tam multos haberet in spem plurium regnorũ susceptos, regem sibi mitteret.

Boemica tholici recusarunt arbitrum Cazimirum.

Factæ sunt autem inter eos & Georgium quinq; mensiũ induciæ. Sequentis anni initio nihil memorabile actũ in Polonia, præter quòd pestem latè grassantem annonæ caritas excepit, ex hyberni cœli intẽperie, & in tempestiuo calore ac siccitate, coorta ingenti multitudine murium, qui horrea depasti, cùm se in agros effudissent, segetes quoque hybernas virescentes radicitùs arroserunt.

Induciæ.
ann. 1468.
Annonæ caritas.

Nihilo tamẽ minus primo vere Cazimirus rex cum vxore Cracouiam è Lituania reuertit. Ibi cõuenit cum Protasius Olomucensis episcopus, & ad vindicandam Boemiam & socia cum imperatore Friderico, & Mathia rege Vngarorum arma contra Georgiũ coniungenda exhortatus est.

Protasius Olomucensis episcopus ad Cazimirum venit.

Secretò verò quinque modò cõsiliarijs adhibitis suasit, vt rex fœdus cum vtroque principe noua affinitate stabiliret, collatis in matrimoniũ Mathiæ & Maximiliano Friderici filio duabus filiabus natu maximis. Cõsultius fore, vt per filias certam Vngarici & Boemici regni hæreditatẽ nomine vxoris suæ adiret, quam ad filios peruenturã expectaret, aut verò armis eam vindicaret. Non recusaturos esse principes illos cum consiliarijs suis, quin si ipsi liberos nullos relinquerent, ad Cazimiri liberos ex pacto secundum se successio pertineret. Attingebat quidem Georgium propinquitate Protasius, & magna fiducia & libertate subinde eũ officij sui admonuerat: sed cũ plus apud eum valeret authoritate, siue adeò terrore minisq; Rochezana, Protasius cum rectè sentientibus Boemis sese cõiunxit.

Rochezana Georgio formidabilis.

Et cũ Cazimirus oblatũ ab eis regnũ non acciperet, Mathias verò Vngarorum rex, quamuis gener & fœderatus Georgij, tamen Pontificis maximi hortatu & authoritate adductus, missa ad eos legatione vltrò id expetiuisset, nõ grauatè susceptus est ab eis.

Math. rex à Boemis orthodoxis susceptus.

Et fortè is tũc nihil habebat negocij cum Turcis: qui reiecti à Iaice arce, q̃ recuperare nixi erant, in Asiam ad subiugandum Trapezuntiũ imperium, & cõtra Syros & Aegyptios arma cõuerterãt.

Turcæ à Iaice reiecti in Asia belligerantur.

Quo magis autem Mathias res suas cõtra Georgium stabiliret, fœdus cum imperatore Friderico percussit, quo eum sibi successorem assentientibus Vngaris designauit.

Mathiæ fœdus cum Friderico imperatore.

Cumq; prouidendũ sibi esse existimaret, ne Cazimirus impedimẽto sibi esset, Protasium, non inscio, vt credibile est, Friderico submisit, ꝓ quẽ vel affinitate Cazimirum sibi adiũgeret. Aliquanto enim antè viduus factus erat. Id igitur tunc egit Protasius. Relata re ad consiliũ regium, responsum est Protasio, Cazimirum ius suũ ad regnũ Boemicũ tam hæreditarium, q̃ delatum ab ipsis Boemis nõ repudiasse: verùm reiecisse eam cõsultationẽ ad comitia, quæ instarent. Quod si quis interim id regnũ vsurpare vellet, curę id ipsi fore, ne id impunè ferret. Cum Mathia rege eũ fœdus icere, & affinitatẽ statuere non posse, nisi ille iniurias & dãna data Polonis exolueret. Bis ab eius hominibus infestatam esse Scepusiensem orã: Moldauiam item anno superiori ab eo vexatam esse. Cum hoc respõso Protasius, quamuis splendidè donatus à Cazimiro, non admodum lætus in Vngariam, vnde venerat, redijt.

Responsum Protasio à Cazimiro datum.

Quod autem de vexatione Moldauiæ memorauimus, ita se res habuit. Tres de principatu siue palatinatu Moldauiæ aliquandiu certarant, Stephanus, Petrus, & Berendeius: ad extremũ à Stephano reliqui duo eiecti, ad Cazimirum confugerant. Sed cũ is nihil opis ipsis afferret, atque adeò Stephanum principem esse iuberet, Berendeius in Vngariã profectus, Mathiæ regis opem implorauit.

De Moldauiæ dominatu cõtentio.

Qui subigendæ eius prouinciæ occasionẽ non amittendã sibi esse ratus, cõparato exercitu quadraginta millium hominum, per montes atque syluas Vngariam ac Transyluaniam claudentes cùm in Moldauiã penetrasset, crudeliter eam ferro & igni vastarat.

Mathiæ regis expeditio in Moldauiam.

Stephanus verò quamuis ipse quoque exercitum collegisset, auxiliaque à Polonis accepisset, tamen aperto marte hostẽ adoriri non ausus, quòd se imparẽ esse viribus eius cerneret, neque magnopere suis fideret, insidijs eum appetebat, donec Mathias in oppido Bania castrametatus, rei bene gerendæ oc

casionem

casionem ei præbuit. Summissis enim hominibus prima noctis vigilia, nihil tale expectantibus Vngaris, oppidum pluribus locis incendit: ipseque statim cum expedito peditatu affuit, & re inopinata perturbatis, nocturna caligine omnia maiora & formidabiliora faciente, colligendi sese spacium nō dedit. Itaq; Vngari ancipiti periculo ferri & incendij constricti, omissa defendendi sui cura, quà quisq; poterat, ex oppido sese eijciebant. Nec vllus planè ab his quidem fugæ, ab illis verò cædis modus fiebat, quoad in Trāsyluaniam peruentum est. Desiderata tunc esse dicuntur Vngarorum ad decem millia. Rex tribus vulneribus acceptis, relictis impedimentis cum reliquijs dissipati exercitus, per ignotos montium tramites Valacho quodam duce euasit. Vias enim Stephanus succisis arboribus impediebat, & obsederat. Hic tūc belli illius exitus fuit. Miserat autem Moldauus Cazimiro regi Vilnam dona de hostium spolijs victoriç suæ argumenta: & in posterum consilium & auxilium ab eo petebat. Neq; enim quiescebat post tam insignem illam cladem Mathias. Verùm quærer centenis millibus aureorum è mulctā Trāsyluaniensium coactis, nouum exercitum contra Boemos comparari Protasius, neq; id falso, asseuerabat. Per eos autem dies, quibus is fuit Cracouiæ, regina Elizabetha sextum filium nono partu edidit. Cui Friderici nomen Protasij rogatu inditum est. Posteaquam autem discessit Protasius, postridie aduenit Albertus Costca Postupicius orator à Georgio Boemo, gratias agens Cazimiro de fide & constantia in seruando fœdere, ac de studio ac opera nauata in reconciliandis Boemorum animis. Pergeret porrò inchoatum opus perficere, quoad durarent induciæ. Georgium eius arbitrio cuncta permittere. Orabat etiam de reconciliando ipsi Pontifice maximo, à quo non modò Boemi, & Mathias rex Vngarorū, sed & alij Christiani principes aduersus eum concitabantur. Purgaturum eum esse ea, de quibus insimularetur, & Cazimiri arbitratu satisfacturum: cuius etiam filium aliquem de sententia Boemorum procerum successorē sibi præteritis filijs suis destinaret, non hæreditario iure, quod nullum esset regni apud liberam gentē, sed singulari quadam omnium Boemorum, in Cazimirum propensione, & linguę cum Polonis communione. Eaq; de re constituenda & conficienda mit-

Stephani Valachi victoria de Mathia rege Vngarorum.

Mathias rex vulneratus fugit.

Transyluanienses mulctati à Mathia.

Fridericus filius Cazimiro natus.

Georgij regis legatio ad Cazimirum.

teret Cazimirus legatos ad proxima Boemorum comitia. Atq; hæc nō sincerè, neq; ex animo fiebant & mandabantur à Georgio: sed summa necessitate exprimebantur, quo Cazimirum à suscipiendo ab aduersarijs suis oblato regno, & à societate Mathiæ regis retardaret. Iam enim duxerat Mathias exercitū in Morauiam, & ciuitatibus eius oræ plerisq; omnibus vltrò sese ipsi dedentibus in Boemiam infesta signa inferebat. Nec minus comiter Georgij legationi respōsum est postridie. Cazimirum libenter omnia Georgij causa facere, deincepsque facturū esse, modò ille verè & bona fide ageret. Rectè autē & ex officio suo facturos, & suis rebus consulturos esse Georgium & Boemos, si nō nisi de filijs Cazimiri regem sibi sumant. Cùm hoc responso dimissus est legatus Georgij. Nec mora, legati ijdē qui superiori anno fuerant, ad componendas res Boemicas iterum proficisci iussi sunt, Dlugosso excepto, cui quòd rex liberorum suorum curā & institutionem mandarat, Nicolaus Scopus Osuencimensis castellanus suffectus est. Verum ij feruente maximè contra Georgium bello, quod ipsi à Mathia Vngaro maximis viribus inferebatur, tentata, sed refutata à legatis pontificijs (Nam ad Rudolfum paulo antè Vuratislauiensium episcopum factum Laurentius Ferrariensis episcopus accesserat) pacificatiōe, casso labore fatigati reuerterūt. Ad Stephanum verò in Valachiam missi Dobeslaus Bissouius castellanus Belsensis, & Stanislaus Tencinius Ioannis castellani Cracouiensis filius, vt eum pollicitatione auxilij regij confirmarent, & locum tempusq; cum eo constituerent, vbi is præsens solenne fidelitatis iusiurādum regi daret. Conuenit: Renouatum est fœdus cum promissione mutuorū auxiliorum, adiectis his conditionibus: Ne Moldauus insciēte & inuito Rege cui quā bellum faceret: Rex verò ne receptaret hostes eius, qui ad Palatinatū adspirarent. Ipse Rex dimissis legatis sub finem Iunij Cracouia profectus, Prussis vt ad se accederet, orantibus Visliciam diuertit: conuentum minorum Polonorum egit: subsidium ad exoluendā Prussica stipendia postulauit. Quod nō abnuebat quidē nobilitas, verùm sine maioribus Polonis sciscendum sibi esse non putauit. Quare placuit binos è satrapijs siue palatinatibus legatos ad comitia Petricouiensia mitti, qui decernendi in commune cum cæteris Regi moderati tributi potestatem haberent.

Morauia in potestatem Mathiæ regis venit.

Legati Polonorum ad Boemos.

Ioānes Dlugossus regiorum liberorum præceptor.

Rudolfus Vuratislauiensis episcopus.

Legatio ad Stephanum palatinum Valachiæ.

Fœdus Polonorum cum Stephano Moldauo.

Legati siue nuncij terrestres ad comitia mitti cœpti.

berent. Atque hoc tunc primùm fieri cœptum sic inoleuit posterioribus temporibus, vt sine ijs legatis seu nuncijs terrarum (sic enim vocantur) nulla comitia legitima haberentur, neque tributum decerni, ac ne lex quidem vlla ferri posse videatur: auctusq; est, & subinde etiamnum augetur eorum numerus. Potestas verò eorum instar Tribunitiæ apud Romanos, vel Ephororum apud Lacedæmonios esse cœpit. Nam tantum ij nostra tẽpestate arrogare sibi cœperunt, vt nullam rem maiorem iniussu suo decerni à Rege & senatu, aut fieri vellent, & in senatum, atque adeò in Regem ipsum censuram grandi supercilio sibi sumerent. Ad extremum crescente indies ambitione de religionis quoque Christianæ dogmatibus, ritibus ac ceremonijs disceptare, & non accipere, sed ferre leges sacrorũ aggressi sunt. Aluerũt autem hanc eorum licentiam, eoque magnitudinis sensim prouexerunt partim reges superiores multa ipsis indulgendo, siue inopiæ fisci sui releuandæ gratia, siue quieti & ocio suo consulentes: partim potentiores & factiosi nonnulli proceres, certatim eos prehensare, & epulis largitioneq; sibi adiungere, & quócunq; libuisset incitare, & quasi tibias (quod quosdam ex ipsis iocari solitos esse constat) inflare adorti: idq; siue vt gratificarentur, siue vt ægrè facerẽt regibus, siue vt potentiam suam stabilirent, æmulosq; suos deprimerent, aut vlciscerẽtur seu denique vt per eos subornatos, quiduis perficerent, quod apertè per se ipsi vel aggredi non auderent, vel efficere non
» possent. Est quidem salutare admodum
» in republica, esse custodes libertatis cõ-
» munis: cæterùm prouidendum est etiã
» atque etiam, ne quod ad salutem com-
» paratum est, abusu vertatur in pernici-
» em: metuendumq; est, ne infinita illa
» potestas, & in licentiam erumpens li-
» bertas, non tam publicam fortassis vtili-
» tatem spectans, quàm priuatæ alicuius
» vnius, vel paucorum libidini & cupidi-
» tatibus, vel denique auræ populari ser-
» uiens, & regere magis, quàm regi sata-
» gens, prostrata & euersa regia maiesta-
» te, & authoritate senatoria, summam
» reipublicæ confusionem & barbaram
» quandam exitialemq; ἀναρχίαν, vt Græci
» vocant, Polonis aliquando pariat, aut
» certè graui & acerba tyrãnide finiatur.
Quorum vtrumuis eo quidem propius impendêre videtur, quo iuniores & imperitiores rerum, eoque audaciores ad id munus obeundum legi, siue adeò ipsi sese vltrò ingerere cœperũt, cedentibus impudentiæ & importunitati eorum natu maioribus, vt quisque grauitate, vsu rerum, & sapientia maximè pollet. Quod vtinam non in consultando quoque vsu veniret, vt non id plerumque obtineat, quod grauissimis aut plurimis duntaxat, sed quod loquacissimis, clamosissimis, & minacissimis placuit. Quod quidem magnos & sapientes in hac republica viros non sine magno animi dolore queri nonnunquam audiuimus. Sic Romanam rempublicam amplissimam quondam & florentissimam Tribunitijs furoribus exagitatam, primùm in licentiam multitudinis intolerabilem effusam: deinde seditionibus, ciuilibusque bellis quassatam, cùm in paucorum dominatum, ac mox sub vnius tyrannidem recidisset, nobilitate excisa, senatus authoritate sublata, oppressa omnium libertate, omni calamitate foris domique afflictam ad extremum barbarorum inundatione à fundamentis euersam corruisse. Sed nos à diuerticulo ad institutũ cursum reuertamur. Conuentu Vislicienſi dimisso Rex Colum profectus, maiorum quoque Polonorum conuentum egit. Verùm nihilo magis ibi profecit. Reiecta res ad alium conuentum eodem loco ad xx. diem Septembris instituendum. Itaque Rex cœptum iter per Pomeraniam peragens, ad 3. Idus Augusti Gdanum ingressus, magno populi obuiam sese effundentis studio & lætitia exceptus est, & lautè atque honorificè habitus, quoad ibi mãsit, per totos ferè xxx. dies. Et purgarant iam ei Gdanẽses literis atque nuncijs crimẽ, cuius apud eum ab Henrico Plauenio Vilnam profecto insimulati erant, quasi ad Burgundionum ducem deficere statuissent. Instituto autem ea in vrbe, ac deinde Marieburgi conuentu Prussorum, ciuitatibus egestatem causificantibus vix eò rẽ pduxit, vt in octo annos tributũ, quod Cisam vocant, scisceretur. Ac de eo quidem, quod in primarijs tribus ciuitatibus colligeretur, primis quatuor annis quarta pars illis ipsis ciuitatibus in publicos vsus, reliquæ vero tres Regi in stipendia militum cederent: deinceps verò ciuitates illæ tres, quicquid apud quamque redactum esset, sibi haberent: aliunde verò quicquid proueniret, regi annumeraretur. Sed Gdanẽses præterea quinq; millia florenorum de regio prouẽtu detrahere permissi sunt, quæ tunc regi mutua dederant. Triginta quoq; millia eis remissa sunt, quæ anniuersa-

Nunciorum potestas.

Romana Respublica tribunitijs furoribus euersa.

Gdanensium studium & liberalitas erga regem.

Gdanenses insimulati cogitata defectionis.

Prussi tributum in octo annos sciuerunt.

Regis & Gdanensium mutuæ donationes.

niuersarijs pensionibus per quindecim illos annos non soluerant. Ipsi contrà, Gdanense, Dersauiense, & Puscense, territoria, quæ oppignerata tenebant, regi condonato debito reddidêre. Misit aūt inde Rex legatos ad intercipiendū bellum inter Fridericum marchionē Brandeburgensem & Pomeranorum ducē Ericum paulo antè exortum. Ericus enim cùm ei Fridericus auxilijs Misnensis, Mechelburgensis, & Brunsuicensis ducū, & archiepiscopi Magdeburgensis adiutus grauis esset, oratores primùm, deinde vxorem ad regem miserat, opē eius implorans, & subiectionem suam cum suis omnibus ipsi deferens, si fœdus cum non moueret. Fortè dimiserat exercitum Marchio, cùm ad eum legati regis venêre. Itaq; facilè inducias inter dissidentes confecerunt, illiq; Cazimiro regi arbitrium controuersiæ suæ detulerunt. Marieburgū deinde se Rex contulit. Henricum Plauenium Magistri vices gerentē cum Marsalco & aliquot commendatoribus Crucigerorū ad se venientes benignè accepit: q̄ postulabant pleraq; omnia concessit. Nideburgum oppidū, quod ad eā diem retinuerat, ex pacto reddidit: anniuersarios conuentus cum Crucigeris Elbingæ agendos, quibus duodeni vtrinq; delecti viri controuersias vltrò citroq; suborientes disceptarent, ac deciderent, constituit, de non acceptando regno Boemorum si absq; bello id adipisci nō posset, consilium ab eis accepit: deniq; ad maturandum noui Magistri electionē eos hortatus, quinq; millibus florenorū donatos dimisit. Deinde Prussis magistratus in comitijs regni dudum creatos stabiliuit aliosq; insuper adiecit tres regundorum finium præsides, quos Succamerarios vocant, qui & ipsi locum & sententiæ dictionem in senatu habent. Iudicia quoq; nobilitatis cōstituit, creatis iudicibus in singulis territorijs. Itaq; constitutis rebus Prussicis Marieburgo discedens, per Culmēsem oram ac Toruniam Petricouiam contendit, quò ad ix. diem Octobris comitia edixerat. Per eos autem dies, quibus Gdani & Marieburgi commoratus est, cometes inter orientem Solem & Septentrionem quindecim diebus apparuit. Quo extincto, statim alter illustrior etiam totidē diebus ad Occasum visus est, insignium malorum mortalibus impendentium prodigia. Et sanè permultum sanguinis humani hoc anno ꝓfusum est in inferiore Germania, cùm Carolus dux Burgundionum Leodienses, qui dominum suum episcopum sororis ipsius filium cæperant, & in vinculа coniecerant, expugnasset, amissisq; in oppugnatiōe quadraginta millibus hominum, vrbem eam penitus excidisset, & solo æquasset. Plurimis autem in locis maximæ inundationes aquarū permagnam annonæ caritatem effecerunt. Comitijs institutis Petricouiæ, primùm omniū de Vuladislao Damoborio ab vxore & propinquis eius, qui complures erāt in senatu regio, actum. Querebantur eum per iniuriam indicta causa cęsum esse, eiusque facti inuidia omnis, rege asseuerante, iniussu suo cæsum, in Petrum Samotulium absentem conferebatur. Data enim opera ob eam ipsam causam is non venerat. Itaq; citari ad futura comitia iussus est. Ita tunc turba conquieuit. Introductus deinde in senatum Baltasar canonicus Vuratislauiensis à Rudolfo episcopo & legato pontificio missus oratum, vt rex interdictum ecclesiasticum contra Georgium Boemum, & crucis militiā promulgari in ditionibus suis pateretur. Hunc subsecutus est Georgij legatus, iustam sui regis contra rebelles causam defensans, & q̄ summisse is Pontifici maximo sese exhiberet, quamque libenter desiderio consilioq; Cazimiri in pacifcendis inducijs obsecundasset, commemorans, ex eóq; lōgè deteriore loco res illius esse cœpisse. Orare ne Cazimirus amicum, eiusdemque cum suis Polonis linguę regnum, diripi & euerti fineret: sed magis ferret opem, Pontificemque Georgio placatum redderet. Vtrique responsum: Regem oratores ad Pontificem de rebus illis missurum esse, eisque mandaturum vt ad Rudolfum Vuratislauiam, ac deinde in Boemiam ad Georgium diuerterēt, & vtrique sententiam eius renunciarent. Instauratum est etiam ibi iudicium inter regem & Conradum ducem Masouiorum natu maximum, & amitam eius Catharinam, quæ cum Michaluscone nupta fuerat, apud recuperatores, siue iudices à Rege editos, Prussici belli intuitu eousque dilatum: adiudicataque sunt Regi Sochacouiense, Vyskitcense, Viznense, Plonense, Plocense, & Zauucrense territoria. Tractatum item de subsidio publicè ad exoluenda Prussica stipendia conferendo. Sed nuncijs nobilitatis negantibus mandata ea de re se habere, nouos rursus conuentus Coli & Corcini mense Decembri institui placuit. Ibi demùm ægrè perfectum est, vt agrarium tribu-

Legatio Cazimiri ad Marchionem Brandeburgensem.

Cruciger primarij ad regem veniunt.

Nideburgū Crucigeris redditum.

Succamerarij in Prussia pars senatus. iudices nobilitatis in Prussia.

Cometes duo.

Leodium euersum.

Caritas annonæ.

Comitia Petricouiæ.

Legatio Rudolfi legati pontificij ad regem.

Georgij regis legatio ad Cazimirum.

Masouiæ regi adiudicata.

Tributum agrarium partim agreſtibus, partim dominis impoſitum.
Annonæ caritas.

tributum duodenûm groſſorum ſciſceretur: cuius dimidium agricola, tantũdem dominus eius ſolueret ne agreſtes nimis prægrauarentur. Laborabatur enim paſſim magna inopia & caritate annonæ propter anni intemperiem. Perpauci tamen fuêre de nobilitate, qui oneris illius partem cũ ſuis hominibus ſuſtinerent. Inſequenti anno Cazimirus rex ſub finẽ Ianuarij Cracouia diſcedens in Ruſſiam contendit, menſemq; vnum & ſemis Leopoli exegit, Stephanum Moldauiæ palatinum expectans, vt ab eo fidelitatis iuramentum ex conſtituto acciperet. Verùm ille cùm alia multa, tum Turcicæ & Vngaricæ incurſionis metum cauſificatus, re vera aut falsò nonnullorum regiorum conſiliariorum indicio, ne à rege caperetur, deterritus, tunc non venit: iuſiurandum tamen Ioanni Muziloni palatino Podoliæ, & Spitconi Iaroſlauio ſuccamerario Præmiſlienſi legatis regijs ad ſe miſſis dedit: recepitq; poſtea ſe Cameneciam, vel Colomeiam, vel Sniatinum ad regem venturum eſſe, modò vt duobus menſibus antè dies certa ſibi præſtitueretur. Adfuit autem Mengligeris noui Tattarorum principis, qui Nurdulabo ſeu Nurduuulado maiori natu fratri à ſuis eiecto ſucceſſerat, legatio, fœdus & amicitiam & auxilia cõtra quoſuis hoſtes regi deferens. His de more cum donis & gratulatione dimiſſis, conſtitutiſque pro tempore rebus Ruſſicis, Rex ad finem Aprilis Cracouiam redijt: ſtipendiorum Pruſſicorum partem ex pacto diſſoluit: legationem procerum Boemorum, Morauorum ac Sileſiorum cũ Eccleſia catholica contrà Georgium ſentientium (cuius princeps erat Ioannes Zaiecius) audiuit. Erat iam grauis Georgio Mathias rex Vngarorum, in Morauia habens exercitum. Cui Bauarorum dux Otto valida cruce ſignatorum militum auxilia adduxerat è Germania. Itaq; poſtulante Georgio, de pace inter eos agi cœperat ſine arbitris apud villam Orſiciam prope Olomutium congreſſos: & fortaſſis ea conueniſſet, nec quicquam intercedentibus oratoribus Polonis, quos Romam & in Boemiã miſſos eſſe ſuprà memorauimus, niſi legati pontificij & proceres Vngari atque Boemi pio zelo incitati, Mathiam auertiſſent. Induciȩ modò ad finem anni ilius inter reges factæ. Nec mora, Mathias Boemorum regẽm ſe renunciari Olomutij paſſus eſt: profectuſque in Sileſiam ac Luzaciam, fidelitatis iuſiurandum à ducibus & ciuitatibus par-

1469

Stephan. palatinus Moldauiæ iurat in verba regis Poloni.

Tattarorũ principis legatio.

Boemorũ orthodoxorum legatio ad Cazimirum regem.

Cruce ſignati contra Boemos.

Mathiæ & Georgij regum congreſſus.

Induciæ.

Mathias Boemiæ rex renunciatus.

tim vltrò oblatum, partim terrore expreſſum accepit. Hoc igitur factum ſuum Boemi proceres Cazimiro tunc excuſabant, cunctatione eius & neceſſitate adactos id ſe feciſſe: ſimulque rogabant, vt rex rectè de religione ſentiens ſibi potius faueret idem ſentientibus, quàm Georgio hæretico. Vtiliorem ipſi Poloniſque amicum fore Mathiam, quàm illum perfidum. Ad hanc legationem nihil tunc aliud reſponſum eſt, quàm Cazimirum relata re per primam occaſionem ad ampliſſimum conſilium, cuius copiam tunc non haberet, Boemis reſponſurum eſſe. Neque enim placebat regi in vtramuis partem tunc ſententiam ſuam aperire. Non diſſimulauit is tamen lætitiam, cùm ei renunciatum eſſet filium ſuum natu maximum ingenti fauore & acclamatione Boemorum, qui cum Georgio ſentiebant, ſucceſſorem Georgio deſtinatum eſſe, oratoribus ſuis Stanislao Brezio, & Gregorio Lubrantio, quos ad eum de conditionibus induciarum cum Mathia factarum ſciſcitatum miſerat, ipſoque Georgio cum tribus filijs præſentibus, nec reclamantibus. Quod ne Zaiecio quidem principi legationis Boemicæ auditu iniucundum accidit. Fauebat enim Cazimiri liberis, ſuadebatque ei, vt ſi ipſi Praga & Carloſteinum mox à Georgio traderetur, acceptaret oblatam conditionẽ. Fieri enim poſſe, vt cũ Mathia æquis conditionibus tranſigeret. Dimiſſa legatione Boemica Rex in Lituaniam cum vxore iter habuit, Radomiæque de ratione depellendi belli, ſi quod fortè ſibi à rege Vngarorum inferretur, cum conſiliarijs, qui frequentes eò conuenerant, conſultauit. Ibi eum conſecuta eſt legatio Georgij & Boemorum, qui in partibus eius erant. Recenſebat autem ea, quicquid per illud tempus cum Mathia rege actum eſſet, & ad Cazimiri legationes reſponſa referebat. Deinde Vuladiſlao regio filio natu maximo regnum ſecundum Georgium deferebat, his conditionibus: vt id Georgius quoad viueret retineret: Cazimirus eum in gratiam Pontificis maximi reponeret, & contra quoſuis hoſtes tueretur: vxori eius bona dotalia, filijs principatus, proceribus magiſtratus & honores attributi, vt ſalui eſſent: Ludimilam Georgij filiam Vuladiſlaus vxorem duceret. Quibus de rebus cùm ad conſilium relatum eſſet, variabant ſententiæ Senatorum. Plures tamen erãt, qui regnum armis & ſangui-

Vuladis. Cazimiri filius rex Boemorũ deſignatus.

Ioan. Zaiecius fauet Cazimiri liberis.

Legatio Georgij & Boemorum ad Cazimirum.

Conditiones cum regno oblatæ à Boemis Vuladiſlao.

ne parandum, societatemq; & affinitatem hominis hæretici non probarent. Cuius sententiæ principes erant episcopi: quibus etiam sacrorum interdicto vti placuit propter legatos hæreticos præsentes. Verùm de hac sententia con tentione aliorum consiliariorum facilè se deduci passi sunt. In quo constantius fuit collegium basilicæ Cracouiensis, cùm ijdem oratores redeuntes Cracouiam diuertissent. Tota enim vrbe à sacris cessatum est, quoad Boemi discesserunt. Visum est deinde senatui cum rege, denuò legatos mittere in Boemiam de conditionibus suscipiendi regni. Ioannes Tarnouius Voiniciensis, & Stanislaus Vantropca Sandecensis castellani ire iussi. Ad controuersias verò cum Vngaris disceptandas & componendas designati, Ioannes episcopus Cracouiensis, Ioannes Tencinius castellanus Cracouiensis, Derslaus Rithuianius Sendomiriensis, Stanislaus Ostrorogus Calissiensis palatini, & Ioannes Dlugossus canonicus Cracouiensis, bis casso labore defatigati sunt, non venientibus Vngaris. In Prussiam verò Iacobus Senenius Vuladislauiensis, & Vincentius Kelbassa Culmensis episcopi, & Petrus Duninus Succamerarius Sendomiriensis delegati ad res constituendas, & componendas controuersias, ne qua Crucigeris noui belli ansa relinqueretur. Dicebantur enim à Friderico Imperatore & Mathia rege clàm ad res nouandas incitari. Contendit sanè Fridericus siue in gratiam Mathiæ, siue aliqua alia de causa cùm per literas atque oratores, tum per se ipse Romam profectus, ne Pontifex maximus pacem inter Polonos & Crucigeros Toruniæ compositam approbaret. Mathias verò satagebat Cazimirum quauis ratione à Boemicis rebus auertere, cùm ipse minus secundo rerum successu contra Georgium tunc vteretur, post captum per proditionem Victorinum eius filium. Erat enim ab Henrico capti fratre insigni clade in Morauia profligatus: & plerorumque Boemorum animos à se abalienarat: nonnulli etiam ex ijs, qui cum eo sentiebant, extincti erant. Et verò Stephani Moldauorum palatini geminata excursione in Transyluaniam non modò ignominiam & calamitatem, sed cladem quoq; duplicem acceperat. Cazimirus ita constitutis rebus Polonicis Radomiæ, per Volyniam & Luscum in Lituaniam cœptū iter peregit, & apud Grodnum cum Lituanis conuentum egit. Per quos dies Tattari Zauolgenses, hoc est, qui vltra Volgam siue Rha fluuiū habitant, Maniaco duce cùm Borysthenem trāsmisissent, tribus agminibus factis in Lituaniam, Podoliam, & Moldauiam sese infuderunt. Ac in Lituania quidem siue Podolia Lituanicæ ditionis, & Volynia omnem oram circū Cremeneciam, Zithomiriam, Cusminios, Zudouiam, & Vuladimiriam impunè depopulati, ad decem millia hominum abegerunt, Lituanis propter paucitatem resistere non ausis. Præmonuerat quidem regem de aduentu eorum Mengligeres dux Tauricanus amicus & fœderatus: verùm pauci tamē Lituani quamuis iubente rege accurrerant. In Podolia Polonicæ ditionis nihil ferè incommodi acceptum, retrocedentibus Tattaris, cùm ad Trebouuliam iustus Polonorum & Russorum exercitus Raphaële Iaroslauio Leopoliensi, & Paulo Iasenio Belsensi & Chelmensi præfectis ducibus præsto esset. In Valachia verò ter, opportunitate locorum vtentibus Valachis cum Stephano palatino, profligati Tattari retrocesserunt, filio ducis amisso. Quem captum, cùm à patre minaci legatione repeteretur, Stephanus præsentibus centum legatis dissecari, & mox ipsos quoque legatos palis suffigi iussit, vno excepto, quem truncato naso & auribus nuncium rei gestæ ad Maniacum remisit. Ad comitia deinde Petricouiensia ad initium mensis Octobris edicta rex profectus, iuri dicundo & legationibus exterorum principum audiendis ac dimittendis vacauit. Auditi primùm Iacobus Dembenius & Paulus Glouinius, commodum à Pontifice maximo reuersi, expectationi hominum literis ex itinere scriptis, quasi omnia rectè confecissent, de se concitatæ non responderunt. Nam neque pacem Prussicam Pontifex confirmauit, neque Vincentium Kelbassam Varmiensem episcopum esse iussit. Quin etiam questus est de Cazimiro, quòd hæreticis fauere videretur, eò quòd neque interdictum, neque crucis militiam contra eos in ditionibus suis promulgari pateretur. De regno verò Boemico cùm Mathiæ regis legati sese opposuissent, legatum Pontifex missurum se esse dixit, qui causam vtriusque diligenter cognosceret. Introducti deinde Boemi oratores Georgianę factionis, superius expositas conditiones iterum occinentes. Quibus respon

Interdictum sacris ob hæreticos.

Legati in Boemiam.

Legati ad cōuentum cum Vngaris.

Friderici Imperatoris & Mathiæ regis consilia contra Cazimirum & Polonos.

Mathia regis aduersa res.

Steph. Moldaui excursiones prosperæ in Trāsyluaniam.

Tattari Zauolgenses Lituaniā, Podoliam, & Moldauiam populantur.

Tattari ter à Stephano in Valachia profligati.

Stephani crudelitas in legatos.

Comitia Petricouia.

Pontifex pacem Prussicam propitius Cazimiro.

Legatio Boemorum.

sum est: Regem nihil nisi de sententia Pontificis maximi de regni Boemico statuere velle, cuius legatum indies operiretur. Post hos auditi quinque legati Friderici marchionis Brandeburgensis, quorũ princeps erat Fridericus episcopus Lubussensis: & Erici Stolpensiũ Pomeranorũ ducis vnus, verũ catus & vafer. Contẽdebant illi, Stolpensiũ duces marchionibus Brandeburgensibus esse obnoxios, & vt vulgò loquuntur, vasallos seu feudatarios: proferebantq; imperatoria diplomata, quibus id confirmabatur. Ex aduerso negabat hic, cui quam esse aut fuisse obnoxios, exceptis Polonorum regibus, Poloniæ namque fuisse partem vniuersam Pomeraniam. Eius autem controuersiæ principes illi Cazimirum regem arbitrum sumpserant. Verùm is audita causa, in aliud tempus arbitrium distulit, difficultatem & perplexitatem causatus. Doctoribus verò academiæ Cracouiẽsis man dauit, vt eam diligenter examinarent, iudiciumq; suum explicarent. Videtur autem magis offensionem vtriusq; vitasse: eoq; Sciborium Chelmium iudicem tractus Posnaniensis ad eos allegauit, qui vel amicè dissidium illud componeret, vel inducijs bellum inter eos gliscens interciperet. Voluit etiam tũc marchio Cazimiri filiam filio suo ex altera vxore nato per eosdem oratores vxorem accipere. Nec is abnuit, sed negocium id in aliud tempus reiecit. Sub finem verò comitiorum, quæ in quadragesimum diem extracta erant, aduenit Hẽricus Plauenius Magister Crucigerorum Prussicorum recens creatus cum duobus Commendatoribus, & iusiurandum fidelitatis regi solenni ceremonia dedit, proximusque regi ad læuam assedit: honoratusque à rege, peramplis muneribus, cùm in Prussiam redijsset, paucis dieb⁹ apoplexia extinctus est. Postremò designati in senatu legati ad externos principes. Ad Fridericum quidem Imperatorem Stanislaus Vislicius: in Boemiam Stanislaus Vantropca Sandecẽsis, & Nicolaus Scopus Osuencimẽsis castellani: in Vngariam ad proceres Ioannes Vantropca canonicus Cracouiẽsis: in Moldauiam Ioannes Rithuianius marsalcus regni: ad Tattarorum verò principem Zboro uius. Peractis comitijs initio Decẽbris, rex cum regina in Lituaniam profectus est. Per id tempus cõcretis glacie fluminibus & paludibus, Turcæ Vngarorum & Slauorum fines vsq; ad Ciliam atrociter depopulati sunt, neq; Vngaro rege, neq; Imperatore sua defendentibus. Primis aũt diebus anni sequentis, nempe 1470. Cazimirus eadem illa hyemis commoditate vsus, Poloscum, Vitepscum & Smolenscum, quæ loca totos sexdecim annos non viserat, plerisq; Lituanis proceribus comitantibus adijt: cõstitutisq; rebus Lituanicis, primo vere in Poloniam reuertit: & Corcini Alexandrum Foroliuiensem episcopum legatum Pontificium ad se venientem audiuit. Excusabat autem is Pontificẽ, quòd Boemiam Cazimiro attribuere non posset, propter Mathiam Vngarorum, cuius insignia extarent merita in sedem Apostolicam, & rempublicam Christianam arcendis Turcis, & oppugnandis hæreticis. Ei ius quæsitum auferri non oportere: sed iungeret cum eo Cazimirus affinitatem filiæ matrimonio, pariterque contra Georgium hæreticum & hostem ecclesiæ arma sumeret. Addebat etiam: Habere se in mandatis, vt ad Mathiam quoque adiret, si quid commodare Cazimiri rationibus posse videretur. Venit eodem legatus Imperatoris Friderici Raphael Lescinius eques Polonus, verùm complures annos in ministerio Imperatoris versatus, eique inter paucos charus: homo nauus & magni animi, qui parui fecerat difficultatem itineris, pericula, & insidias à Mathia rege comparatas, quarum ergò Teuthoni legationem illam defugerant. Is igitur commemorata Friderici in Mathiam singulari, & penè paterna beneuolentia, com pluribusque officijs & beneficijs, inter quę & illud erat, quòd eius opera & cõmendatione cum nonnulla Cazimiri suggillatione coniuncta Pontifex Mathiæ regnum Boemorum detulisset, de ingratitudine & superbia eius questus est, quòd is, dum Fridericus abest Italiam obiens, Baumkircherum, & quosdam alios Austrios ad rebellionem & infestandam Austriam concitasset, eosque in fidem ac defensionem suam suscepisset. Proinde nihil commune deinceps Imperatorẽ cum eo habere velle. Monere autem Cazimirum, vt & ipse ab eo sibi caueret, vtpote vafro homine, fraudulẽto, & cupido. Porrò qua de re Cazimirus Stanislaum Vislicium oratorem ad Fridericum misisset, hoc est, de fœdere & amicitia, ipsum quoque Fridericum idem cupere: quin etiã ad affinitatem cum eo iungendam propendere. Mitteret igitur Cazimirus his de rebus ad ipsum oratores cũ luculento mandato. Iucunda fuit ea legatio regi.

Marchionis Brandeb. cũ duce Pomeraniæ controuersia.

Pomeraniæ duces Polonis obnoxij.

Cazimir arbiter controuersiæ.

Comitia 40. dierum.

Crucigerorum Magister H. Plauenius iurat in verba regis Poloniæ.

Legationes Polon. ad externos principes.

Turcæ Vngariam & Slauoniã populantur.

1470. ann.

Legatio Pontificis ad Cazimirum regem.

Friderici Imperatoris legatio ad Cazimirum.

Raphael Lescinius.

Friderici Imperatoris cum Mathia dissidium.

Mathiæ regis ingenium.

Legatio Cazimiri ad Fridericum Imperatorē. gi. Nec mora Derslaus Rithuianius Sendomiriensis, & Stanislaus Ostrorogus Calissiensis palatini ad Fridericum proficisci iussi, vt accipienda Vuladislao regis filio vxore Kunegundi filia Friderici, dandaque vicissim ipsi, aut certè filio ipsius Maximiliano vna de regijs filiabus, affinitatem vltrò citroque, & fœdus contra Mathiam iungerent: quo fœdere disertè cautum esset, vt Fridericus adiuuaret Cazimiri liberos in consequendis Vngarorum & Boemorum regnis. Verùm ij fœdus modò reportarunt. *Fœdus Friderici Imperatoris cū Cazimiro Polonorum rege.* Quod tamen rex cum senatu non probauit, propterea quòd in eo Fridericus se regem Vngariæ scripserat: quæ res regiorum liberorum iuri derogatura esse videbatur. Conuenerat autem, ne vterque ad alterius regna ac dominatus aspiraret. Reportarunt etiam promissionem Imperatoris, de exoluenda tertia parte dotis, quæ Elizabethæ Cazimiri vxori ex Austria debebatur. *Legatio Cazimiri ad Georgiū & Boemos.* Ad Georgium item missi Iacobus Dembenius cancellarius regni, & Stanislaus Sidlouecius castellanus Zarnouiensis, postulaturi, vt is Vuladislao Cazimiri filio viuens regnum traderet. Iussi etiam ijdem cum proceribus Boemis Mathiæ partes sequentibus agere de reconciliatione, cùm Georgij partes meliore loco iam tunc essent. *Georgij res meliores.* Habebat enim is non contemnendum exercitum, & *Gradiscum.* Gradiscum diuturna obsidione liberauerat: *Tirnauia.* in Tirnauiensem agrum Vngariæ vicissim excurrerat: Mathiam cum equitatu Boemiam circum Kuthnensia metalla vexantem, raptim sese non sine ignominia & incommodo recipere compulerat: & verò Silesiam præsidijs vacuam, quippe quæ diuturno bello iam exhausta esset, longè lateque infestabat, ita vt Silesiorum duces atque ciuitates vastationem agrorum suorū magno redimere cogerentur, & Mathiæ denunciarent, se rebus suis aliter prospicere oportere, ni ille sibi maturè opem ferret. Vndecim autem septimanis Corcini commoratus Cazimirus, relicto ibi legato Pontificio in Russiam cum iusto propè exercitu trium millium hominum contendit, vt à Stephano Moldauo promissum iusiurandum exigeret. Verùm is bellum cum Radulone Transalpinæ Valachiæ palatino causificatus, non venit: *Valachorum Moldaui atque Transalpini bellum.* sed missis oratoribus atque literis suo & procerum suorum signis signatis, ad Calendas Maias anni sequentis venturum se esse promittebat. Interim autem vt rex bellum suum cum Radulone interciperet, orabat. Quæ quidem res fuit curæ Cazimiro, verenti ne Radulo implorato Turcarum auxilio, mali aliquid Moldauiæ conciliaret. De aduentu quoque Stephani constitutum, vt sine omni excusatione adesset intra sextum mensem, ex quo à rege acciretur. His ita actis Corcinum rex redijt, & minorum Polonorum conuentum egit. Inde Petricouiam ad comitia ad vicesimamoctauam diem Octobris edicta iterum perrexit. *Comitia Petricouiæ.* Ibi cùm subsidium ad exoluenda stipenda poposcisset, quod erat caput comitiorum, obiecta est maiorum Polonorum infrequentia, & Russorum petitio, vt sibi contra Tattarorum incursionem prospiceretur: denique quòd ad eam diem rex iura regni & prærogatiuas ordinum à maioribus suis datas, diplomate suo non confirmasset. Recusabat enim id rex, seu verius tergiuersabatur in gratiam Lituanorum, ne recuperare ab ijs, quæ detracta de Polonorum regno possidebant, cogeretur. Eò namque spectabat illa diplomatis exactio, & hoc erat eius caput potissimùm. Verùm vbi ille diploma quod poscebatur, consignatum exhibuit, siue adeò promisit, colonis quidem duodenûm grossorum in laneum, oppidanis autem in domos pro portione tributum impositum est. *Priuilegia Polonis à Cazimiro confirmata.* Nouus deinde Magister Prussicorum Crucigerorum Henricus Richtembergius Henrico Plauenio repentina morte extincto apud Montem regium suffectus, Petricouiam cùm venisset, in senatum introductus, in verba regis iurauit. *Crucigerorū magister Henricus Richtbergius iurat in verba regis Poloniæ.* Cum Varsauiensibus etiam ducibus tractatum de Plocensi, Rauensi & Gostinensi dominatu. Ac Plocensis quidem eis concedebatur, si à rege cum iure clientelæ, siue Feudi, vt vocant, acciperent, & viginti millia florenorum, quæ Conrado Olesnicensium duci rex numerarat, renumerarent. Sed cùm ij conditiones hasce non acciperent, ad alia comitia res dilata est. *Cum Masouijs tractatus.* Datum etiam est responsum legato Pontificio, petitumq; ne Pontifex priorem de regno Boemico sententiam, qua id Cazimiri liberis iure successionis legitimæ detulerat, mutaret: neu quid deniq; præcipitanter ageret, donec regij legati cum nouis mandatis ad eum venirent. *Legatio Cazimiri ad Pontificem.* Iussiq; eo proficisci Michaël abbas Lyssecensis, siue Caluimontis, & Iacobus Dembenius cancellarius regni & præfectus Cracouiensis. His mandatū, vt confirmationem pacis Prussicæ, & regnum Boemicum Vuladislao regis filio iterū

atque iterum peterent: Ad Georgium

Ad Georgiũ regem.

ex itinere diuerterent, cumque cum suis hortarentur, vt resipisceret ab hæresi, & in potestate Pontificis esse vellet, ac de regni sui successore staret promissis. Videbatur enim is mutata sententia Mathiæ id destinare. In Prussiam verò missi Iacobus Vuladislauiensis episcopus, Stanislaus Ostrorogus Calissiensis, & Ioannes Coscelecius Inouuladislauiensis palatini, exortas controuersias disceptarunt. Solutis comitijs rex cum regina Posnaniam voti à regina nũcupati apud ædem corporis Christi exoluendi causa iter fecit. Inde Colum profectus ad conuentum maiorum Polonorum, vt tributum agrarium & ipsi sciscerent perfecit. Inde porrò Radomiam se contulit, & ad finem

1471. ann. anni ibi substitit. Initio verò noui anni in Lituaniam cum regina de more secessit. Vbi solito diutius immoratus est, rebus componendis vacans. Nam

Liuones Lituaniam infestant.

Kiouiensiũ motus.

& Liuones Magistro suo vita functo sexdecim Lituanorum pagos diripuerant, & apud Kiouienses post mortem Simonis Oleicouitij ducis nõ satis quietæ res erant. Etsi enim reliquerat Simon filium & filiam, eosque paruulos moriens regi per nuncios commendarat, cùm ei equum & arcum, quibus contra Tattaros bella pro ipso gerens vsus erat, dono misisset: Rex tamen Lituanorum suasu in formam prouinciæ

Kiouiensis principatus in formam prouinciæ redactus.

Kiouiam redegit, & Martinum Gastoudum Lituanum Kiouiensibus præfectum, siue palatinum dedit. At illi indignum ducentes, parére homini neque illustri, neque consentienti secum de religione, & Lituano, quæ gens tributaria maioribus suis fuisset, Gastoudum aduenientem bis non recipiebãt: à rege autem petebant, vt Michaëlem Simonis fratrem, qui Nouogrodensibus tunc regis nomine præerat, aut aliquem duntaxat Græcæ sectæ, denique vel de filijs suis aliquem sibi præficeret. Ad extremum tamen cùm regem à proposito non dimouerent, Gastoudum acceperunt.

Liuones pacem petunt à Cazimiro.

Liuones verò creato nouo Magistro, Lituanis missa ad regem legatione, satisfecerunt, pacemque instaurarunt. His ita peractis Cazimirus reditum in Poloniam maturauit, vt liberorum suorum rebus in Boemia consuleret.

Boemicarũ rerum status varius.

Varij nanque sensus animorum & motus in Boemis tunc erant. Nam Silesij duces Polonis finitimi bello ciuili inter se decertabant. Cæteri verò cùm ob reprobam monetam & sæuitiam, tum quòd à Georgij exercitu impunè vexabantur, Mathiam odisse cœperant. Boemi verò alterius factionis grandibus promissis & muneribus à Mathia inescati, diuturnique belli pertæsi, in eum propendebant, celeriorem finem belli, faciliorémque indulgentiam Pontificis maximi per eum sperantes, quàm si regis Poloni filium regem accepissent.

Georgij regis inconstantia.

Quin & Georgius ipse Mathiam successorem iam nõ abnuere videbatur, quòd ei quoad vixeret, Mathias regnum concedebat, Victorinum filium liberum dimittebat, & Silesiæ vel Morauiæ marchionem facere destinabat. Ad hæc, quoniam Mathias nullos habebat liberos, spes ostentabatur, eius morte ad Georgij liberos regnum Boemorum rediturum esse. Ad has autem conditiones, necessitate magis, quàm voluntate pertrahebatur, propterea quòd & Vngarorum suorum animos Strigoniensi archiepiscopo & Quinqueecclesiensi episcopo authoribus à se alienatos esse intelligebat:

Vngarorum procerũ animi alienati à Mathia rege.

Turcæ Eubœam subigunt, Vngariam infestant.

& Turcæ subacta superiore anno Eubœa insula (quam Necropontum siue Nigropontum nunc vocant, ab vrbe primaria, quæ Chalcis olim fuit) feroces, Transalpinam Valachiam, Croaciam & Dalmatiam vsque ad Zagrabiam ter excurrentes, immaniter depopulati erant. Idemque identidem, ni reprimerentur, facturi esse videbantur, ita vt vereri Mathias cogeretur, ne dum alienum regnum appetit, suum amitteret. Quocirca permittente Georgio Boemi vtriusq; factionis Polnam conuenerant: confecissentq; rem, inclinatis ad pacem vtrinq; animis, nisi Iacobus Dembenius & Michaël abbas oratores Cazimiri Romam proficiscẽtes forte fortuna interuenissent:

Poloni oratores Mathiæ res infestãt.

admonitoque Georgio cum suis fidei & constantiæ, vt res integra in reditum suum differretur persuasissent. Quibus vix Boemiam egressis, Georgius tumore pedum in reliquum corpus peruadente, vitam cum morte commutauit.

Georgij regis mors.

Eius morte cognita Mathias cum nouem ferè millibus armatorum Posonio Bernam accurrit: Stenconem Conopisciũ cum duobus millibus in Boemiam præmisit, vt Boemos suadendo ac territando in partes suas pertraheret. Verùm inter eos, comitijs Pragæ creandi noui regis causa institutis, neutiquã conueniebat.

Boemorum dissensio in creãdo rege.

Nam alij Polonum, alij Vngarũ, alij Cæsarem cupiebant, nonnulli Henricum Georgij defuncti filiũ malebant: ij potissimùm, qui ab externo rege hæresis suæ metuebant. Pollicebantur autẽ ij

sibi Alberti Marchionis Brandeburgensis auxilia: qui cum soror Henrici nupta erat. Erant, qui ad regem Francorum spectarent, quòd redimi ab eo regia & ecclesiastica bona posse existimabant. Ludouici quoque Bauari mentionem nonnulli faciebant. Iam verò Albertus Misnensis marchio sibi non deerat. Aduenerat enim cum quinque millibus militum, quasi opem laturus Boemis, si quis vim facere eis vellet. Re vera autem suum negocium gerebat. His omnibus de rebus Cazimirus partim adhuc in Lituania, partim in Poloniam reuertens certior factus, Paulum Balicium, mox Martinum Vurocimouicium, deinde Dobeslaum Curozuancium equites ad Boemos allegauit, iuris sui promissiq; ipsorum admonens. Aderant & Mathiæ oratores episcopus Agriensis, & palatinus Transyluaniensis. Re diu Pragæ agitata, & ad extremum ad Cuthnense oppidum comitijs, quo liberiora essent, translatis, vicesimaquinta die Maij Vuladislaus Cazimiri Polonorum regis filius rex à Boemis renunciatur, quamuis reclamantibus Ioanne Rosembergio, Stencone Conopiscio, & Henrico Gradecio proceribus, qui Mathiæ studebant. Mox delecti complures legati de primoribus, nobilitate, & Pragensi ciuitate vtraque præstantes viri, qui Vuladislaum primo quoque tempore accirent è Polonia. Frustratus enim spe sua Mathias, nullo crudelitatis genere à Boemis & Morauis abstinebat. Quin & Albertus marchio Misnensis exercitus sui fiducia grauis esse Boemis cœperat. Nec desperabat adhuc de regno, propterea quòd Vuladislaus id suscepturus esse negabatur. Verùm is coorto in se Boemorum tumultu, in quo nonnullos milites amisit, incenso oppido cum metallis raptim sese cum suis recepit. His ergo de causis Vuladislaus maturare profectionem suam in Boemiam rogatus, acceptis à patre septem millibus equitum, ac duobus peditum, ductoreque exercitus Paulo Iasenio, vicesimaquinta die mensis Iulij Cracouiam egressus est, deductus à patre bidui itinere. Fuêre autem in comitatu eius insignes, Nicolaus episcopus Camenecẽsis, Vincentius Ennensis, & Paulus Laodicensis, à quibus Pragæ diadema ritu solenni suscepit: Stanislaus Ostrorogus Calissiensis, & Nicolaus Cutenius Lenciciensis palatini, & Ioannes Dlugossus præceptor. Proficiscenti sex duces Silesiorum sese adiunxêre. Apud

Legationes Cazimiri ad Boemos.

Vuladisl. Cazimiri filius rex Boemorum creatus.

Boemia vexatur.

Misnensis Marchio fugatus à Boemis.

Vuladisl. in Boemiã proficiscitur.

Paulus Iasenius dux exercitus.

Closcum autem obuiam venientibus Boemis proceribus, & omnium ordinum permagna multitudine, in leges Boemorum iurauit, & omne æs alienum, quod Georgius cõtraxerat (quod quidem ad trecenta millia florenorum ascendebat) imprudentius in se suscepit, pacatamque regni possessionem adijt, Mathia domesticis incommodis, & motibus Vngarorum procerum reuocato. Nam ij, posteaquam Vuladislaum regis Poloni filium, Mathia præterito, regem creatum esse acceperunt, quod secretis consilijs aliquandiu agitauerat in apertum proferentes, miserunt & ipsi legatos ad Cazimirum, alterum eius filium Cazimirum regem sibi dari petentes, quod ferre diutius Mathiæ tyrannidem non possent. Quod ni faciat Cazimirus, vel à Turcis auxilium se petituros esse. Sumptus autem belli se præbituros esse pollicebantur. Nec spreuit eorum postulata Cazimirus, Cazimirumque filium cum non contemnendo exercitu Petro Dunino duce in Vngariam misit: Derslaum Rithuianium palatinum & præfectum Sendomiriensem, Ioannem Tarnouium Voiniciensem, Stanislaum Vantropcam Sandecensem, Stanislaum Sidlouecium Zarnouiensem castellanos, & alios quosdam præstantes viros comites ipsi adiunxit: & Paulo Iasenio è Boemia reuertenti mandauit, vt è Morauia rectà in Vngariam contenderet, & cum Cazimiro copias suas coniungeret. Ipse eum pater Sandeciam vsque deduxit. Maturè de his procerum suorum consilijs factus erat certior Mathias apud Bernam statiua habens. Itaque nihil sibi reliqui fecit ad festinationem: & quascunque habuit in Morauia Silesiaque copias, in Vngariam contraxit: primores nonnullos à se alienatos, partim terrore exercitus, partim ingentibus promissis ad se reuocauit. Eos secuti cæteri, dum tardius molitur & venit Cazimirus, vacillare & ipsi, vt est mos gentis, fidemque mutare. Itaque adueniens Cazimirus præterita Cassouia siue Cossicia, quæ à Palatino Transyluaniensi & Emerico Diaco Scepusiensi Comite occupata iam erat, ad Otfanum oppidum diuertit. Inde profectus, apud Nitriam: quæ in ditione Strigoniensis archiepiscopi erat, statiua habuit. Neq; quisquam Vngarorum procerum per omne id tempus ad eum venit, præter Quinqueecclesiensem episcopũ, qui & ipse statim Strigoniũ, vnde venerat, se recepit. Mathias vero cum sex-

Vngarorum procerum defectio à Mathia rege.

Vngari Cazimiri filiũ accersunt.

Cazim. profectio in Vngariam.

ſexdecim millia hominum in exercitu haberet apud Budam, occurrens aduentanti Cazimiro, trium milliarium ſpacio ab eo caſtrametatus eſt. Nec tamen pugnæ copiam Polonis faciebat, propterea quòd Vngarorum iuxta ac Polonorum, quorum non paruus erat numerus in caſtris eius, fidem ſuſpectam haberet: in agreſtibus verò, quæ maxima pars erat exercitus, exiguam fiduciam collocaret. Dum ſic vtrinque tempus teritur, venit ad Cazimirum Polonorum regem Tilemannus Slechthus canonicus Colonienſis, cubicularius & nuncius Sixti, eius nominis quarti Pontificis maximi, qui per illud tẽpus Paulo ſecundo vita defuncto ſuccеſſerat. Hortabatur autem regem ad pacẽ cum Vngaro faciendam. Id adeò, ſiue quòd Mathiæ Pontifex conſultum ire cupiebat, ne regno excideret, ſiue quòd eum à Turcico bello auerti moleſtè ferebat: ad quod ſuſcipiendum Paulus, ſecundus eum incitarat: permotus amiſſione Eubœæ, Tranſyluaniæq́; & Vngariæ Tranſiſtranæ, Croaciæ, ſiue Liburniæ, Carniolæ, Ciliæ, Illyrici, & Iſtriæ vſq; ad portas Labaci & Goritiæ dira & miſera bili populatione, incendijs, & innumerabilium hominum in barbaricam ſeruitutem abactione, cui nullum neque modum, neque finem faciebat Iſaacus Turca Boſnæ præfectus, quem ipſi Sendiacum Slauico, ni fallor, verbo vocãt. Non difficilè autem in eo ſe Cazimirus rex Pontifici præbuit, & vtriuſque partis proceribus pacis arbitrium permittebat, non ignarus, non reſpondere ſpei ſuæ & pollicitationibus Vngarorum procerũ filij ſui res in Vngaria. Et cum hoc reſponſo dimiſit Tilemannum, in Vngariamque proficiſcenti Ioannem Vantropcam canonicum Cracouienſem cum iiſdem mandatis ad filium & Vngaros proceres comitem adiunxit. Interim autem dum hæc fiunt, mercenarij milites, qui externi ferè erant, è caſtris Cazimiri iunioris apud Nitriam poſitis dilabi cœpere, ob non ſoluta ſtipendia. Quorum diſceſſione moti primores exercitus, perſuaſerunt Cazimiro, vt relicto ad præſidium Nitriæ Iaſenio cum quatuor millibus, ipſe cum reliquis copijs in tutum ſe reciperet, prius quàm ab hoſte, qui auctis copijs adeſſe nũciabatur, obſideretur. Qui quidẽ receptus effuſæ fugæ fuit ſimilimus. Non enim cõſtitère noſtri, donec Gilauiam peruenère. In itinere ad ſexaginta quadrigas, quæ ſequebantur fugientes amiſère, ab agreſtibus interceptas. Eius autem ignominiæ culpa penes Derſlaum Rithuianium potiſſimum fuiſſe dicitur. Sed meritò tunc ea Polonis diuinitùs accidiſſe credita eſt, propterea quòd ij proficiſcentes in Vngariam, ſoluta prorſus diſciplina militari, non modò à vi & rapinis ſacrorum iuxtà ac profanorum, ſed etiam à ſtupris puellarum & matronarum, & omnis generis iniurijs & contumelijs ſibi non temperauerant. Atq; hæc extremis anni diebus acta ſunt. Extincti autem ſunt eo anno duo epiſcopi, Sciborius Plocenſis, & Ioannes Cracouienſis: Mathias Mednicenſis, ſiue Samagitiæ vno anno hos præceſſerat. Ac Ioanni quidem Ioannes Reſſouius, à collegio baſilicæ Cracouienſis per compromiſſum electus, ſucceſſit: Sciborius verò, propter collegij Plocenſis diſſenſionem, tardius ſucceſſorem accepit. Quatuor & viginti erant, qui ferebant ſuffragia. Ex his duodecim Sciborium Belſcium archidiaconum, ſex Cazimirum Boleſlai Varſauienſium ducis filium canonicum, totidem Andream Opporouium iureconſultum, ipſum quoq; canonicum, & Gneſnenſem archidiaconum, quem Rex per Nicolaum Chranſtouium vexilliferum Cracouienſem commendabat, epiſcopum edebant. Sed Sciborius precibus & minis victus, in gratiam Cazimiri competitoris iure ſuo, quod erat potiſſimum ceſſit. Opporouius vt idem faceret, impetrari à Rege non potuit. Quare controuerſia inter duos diſceptanda Romam delata eſt. Ibi verò Rege pro Opporouio, Friderico autem Imperatore pro Cazimiro contendentibus, ſecundum Cazimirum decem & octo annos natum pronunciatur: Oporouio verò in gratiam Regis Varmienſis epiſcopa: ſummoto & in Camenenſem tranſlato Nicolao Tungeno, attribuitur. Sed poſt quatuor demũ annos Cazimirus ſacris epiſcopalibus initiatus eſt: homo nihili, & miniſtri cu iuſdam obſcuræ conditionis arbitrio cuncta gerens. Inſequens annus à cometæ ſiue pogoniæ apparitione ſumpſit exordium: qui paruus quidem in ſe, verùm longam & illuſtrem poſt ſe caudam trahens vago & incerto curſu nũc ad Septentrionem, nunc ad Meridiem, nunc ad occidentem Solem, caudam quoque nunc huc, nunc illuc obuertens, totos duos menſes perdurauit, magnorum malorum, quæ cunctam ferè Europam proximis tribus annis peruaſerunt, & maximè peſtilentiæ per populos & gentes graſſaturæ prodigium. Cazimi-

Legatio Pontificis ad Cazimirum regem Polonorum. *Sixtus papa.* *Turcarum excurſiones.* *Sendiacus.* *Cazimiri receptus ex Vngaria.* *Polonorum licentia.* *Ioannes Reſſouius epiſcopus Cracouienſis.* *Plocenſis collegij diſſenſio in eligendo epiſcopo.* *Cazimirus dux epiſcopus Plocẽſis.* *Andr. Opporouius Varmienſis deſignatus.* 1472. ann. *Cometes.*

zimirus iunior dies aliquot Gilauiæ cõmoratus, Rosembergæ item aliquot apud Petrum Comorouium, non eam tantùm arcem, sed & Licauam, & Orauam & Gradecum, quas obtinebat in extremis Vngariæ finibus, ipsi concedentem, nusquam securè pedem figens in Poloniam se recepit: iussusq; à patre Dobsiciæ tertio à Cracouia milliario subsistere, aliquantisper ibi quasi in secessu mansit, pudore acceptæ ignominiæ lucem & conspectum hominum fugitans: & ne patris dolorem, quem ille peracerbum hauserat, aspectu suo exacerbaret. Iasenius verò nec ipse multũ Nitriæ commoratus, per tempus induciarũ, quas quindecim dierum cũ Mathia pepigerat, trecẽtis modò militibus in arcis præsidio relictis inde excessit. Quem Mathias violata fide insecutus, adoriri tamen ausus non est cautè incedentem, & ad prælij dimicationem paratum obfirmato ad honestè moriendum animo prius, quàm turpiter fugeret, aut sese dederet. Cùm autẽ is Vngaria excessisset, Mathias quatuor loca quæ Polonorum præsidijs tenebantur, per deditionẽ facilè recuperauit. Stropcouia sola propter vicinitatem à Polonis retenta. Hæc omnia peracerba Cazimiro regi accidebant. Huc & illa cura accedebat, quòd non habebat vnde militibus ex Vngaria reuersis, & merita stipendia flagitantibus, dissolueret, nõ modò ærario in Prussicum bellum, & sumptuosas illas duorum filiorum in Boemiam & Vngariam expeditiones exhausto, verùm etiam plerisq; prædiorũ, præfecturarum, metallorum, & vectigaliũ fructibus ac reditibus oppigneratis & alienatis, ita vt ne in quotidianum quidẽ victum sumptus ei suppeterent. Eò factum est, vt milites, quibus non numerabantur stipendia, vias publicas latrocinijs infestarent, & in bona sacerdotum inuaderent, nõ solùm obuia quæq; agentes & ferentes, verùmetiam abstrusa perscrutãtes. His incommodis Rex vt obuiam iret, ad medium mensis Martij comitia Petricouiæ habuit. Sed de subsidio in stipendia nihil impetrauit. Reiecta res ad Colensem & Corcinensem cõuentus. Ibi demũ duodenûm grossorum in laneũ tributũ ei scitũ est. Sacerdotalis verò ordo Gnesnensis, Cracouiensis, Vuladislauiensis, & Posnaniensis diœceseon haud contẽnendo subsidio ipsum iuuit, omnibus dimidios reditus secundum veterem æstimationem conferentibus, præter Cracouiensem diœcesim, in qua propter exquisitiorem æstimationẽ octoni deni grossi in marcas collati sunt. Missus deinde à consiliarijs regijs Castellanus Sandecensis ad Vngaros proceres de pace siue inducijs inter reges conficiendis. Quanquam autem insolescebat prosperis rerum successibus Mathias, eosq; ipse apud exteros quoquouersus missis literis in immẽsum gloriosus attollebat, & archiepiscopo Strigoniensi & Quinqueeclesiensi episcopo contra datam fidẽ mortem accelerauerat, annuas tamen inducias, per quas de pace ageretur, concessit Turcici belli metu. Quod tamen impendens Husancassanus Persarum rex, illato Turcis graui bello, auertit. Nam Trapezuntem & Sinapolim vrbem cæpit, & Asiam minorem penè omnẽ ferro & igni vastauit. Oblatas autem ab Vngaro inducias rex Polonus, refutatis iniquioribus quibusdam conditionibus, breuiori spacio tẽporis terminauit, non nisi ad diem D. Ioannis Baptistæ natalem duraturas, vt interim de pace inter reges, non excluso etiam Boemo Olomuciæ per legatos ageretur. Quod tamen ob temporis breuitatem fortassis factum non est. Interim aduenit in Poloniam legatus Põtificius Marcus Venetus presbyter Cardinalis, adhortans regem ad pacem cũ Vngaro faciendam, & suscipiendũ bellum contra Turcas: ad quod & ipse Husancassanus eum per oratores suos incitabat. Nec abnuebat longiores inducias & pacẽ Cazimirus: verùm Mathias cognita eius inopia, nactusq; ipse per vim atq; tyrannidem (captis nonnullis proceribus, nonnullis verò sublatis) permagnas diuitias, & solutus in eum annum Turcici belli metu difficiliorem se præbebat. Quin & pax cum Friderico Imperatore ipsi constituta ferociorem eũ fecerat. Itaq; legatus Pontificius cũ aliquãdiu Cracouię, deinde Corcini, quo rex Cracouia pestem fugiens secesserat, ac Sandeciæ hæsisset, in Vngariamq; internuncios suos missitasset, re infecta, siue adeò dilata, Vuratislauiam discessit. Rex verò conuentu minorum Polonorum Corcini acto, Petricouiam profectus comitia regni totius ad Calen. Nouemb. habuit: magistratus & honores nonnullos distribuit: subsidium senûm grossorum in laneum impetrauit, nouem de primoribus consiliarijs legatos ad conuentum Nyssæ cum Vngaris & Boemis de pace ad initium Februarij instituendum (sic enim inter reges denuò conuenerat) designauit: oratoribus Vuladislai Boemorum regis audi-

Petro Comorouij liberalitas erga Cazimirum.

Cazimiri verecundia.

Iasenij receptus ex Vngaria.

Cazimiri regis Polon. egestas.

Milites latrocinantur.

Ecclesiastici ordinis benignitas erga regem.

Polonorũ legatio ad Vngaros.

Episcopi à Mathia contra fidem datam morte multati

Induciæ inter Vngarũ & Polonũ.

Turcæ bello vexati à Persarum rege.

Legatus põtificius Cardinalis ad regem Pol.

Husancassani legatio ad Polon.

Pax inter Fridericum & Mathiã.

ditis, quingentorum militum auxilia ad Cuthnorum metallorum præsidium ei misit. Inuasurus enim ea Mathias Vngarus ferebatur, Colino oppido per deditionem Victorini Georgij filij potitus: vbi mille equites & octingentos pedites habebat, Victorinumq; cæteras munitiones, quascunque is obtineret, ex pacto propter donatam libertatem reposcebat. His peractis Posnaniam rex cum regina voti soluẽdi gratia profectus est. Inde in Prussiam ad res nouas spectantem contendit. Etenim Nicolaus Tungenus, quem amotum Varmiensi episcopa, & ad Camenensem translatum esse à Pontifice maximo superius diximus, & partim sua ipsius cupiditate, atque dolore præreptæ episcopæ incitante, partim alijs Prussis, qui Polonis honores in Prussia mandari permoleste ferebant, quemadmodum creditum est, subornantibus, animum verò ei addentibus aduersis Cazimiri rebus in Vngaria, facta quingentorum peditum mercede conductorum manu, & magno agrestium numero ad eos confluente, episcopam Varmiensem inuaserat, partim expugnatis non sine cæde hominum, partim per deditionem acceptis munitionibus. In Heilsbergę quidẽ oppugnatione hæsit, & propè quingentos homines de suis, quos ebrietas audaciores fecerat, amisit. Hinc factum est, vt faciliùs bellum illud (quod sacerdotale etiam nunc appellatur) à legatis regijs Iacobo Vuladislauiensi episcopo, & Nicolao palatino Lenciciensi intercíperetur ea lege, vt de controuersa episcopa staretur sententiæ Pontificis maximi. Nec tamen præterea quicquã operæprecij tunc fecit rex in Prussia. Contendebant sanè Prussi, vt non nisi sibi arcium præfecturæ mandarentur. Nec id abnuebat rex, sed pecuniam eos poscebat, qua ijs qui eas obtinebant, debita stipendia dissolueret. Quod cùm Prussi recusarent, ad Pentecosten res dilata est. Venerunt autem Toruniam ad regem oratores Christierni Danorum regis, postulantes vt Cazimirus filiam marchionis Mantuani è sorore vxoris ipsius Christierni, & Alberti marchionis Brãdeburgẽsis susceptam, filio suo Vuladislao regi Boemorũ despõderet. Res ad ipsum Vuladislaum reiecta. Vexata est hoc autumno tribus Turcarum excursionibus omnis ora Illyrici, circa Sauum flumen, itemq; marchia Slauonica, Histria, & Forum Iulij vsque ad castellum sancti Danielis, nemine resistente.

Multiæ exercitus in Boemia. *Victorinus dux à Mathia dimissus.* *Prussici motus.* *Nicolaus Tungenus episcopam Varmiensem inuadit.* *Danica legatio ad regem Polonorum.* *Turcarum excursiones.*

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER VICESIMVSOCTAVVS.



1473. ann. POST initium verò noui anni Cazimirus rex cũ Elizabetha regina Torunia discedẽs, per Gostinum & Varsauiam in Lituaniam iter fecit: ad mediam Quadragesimam Vilnæ Lituanorum conuentum egit: vbi senûm grossorum Pragensium tributum in aratra ipsi decretum est. Per id tẽpus Poloni, Boemi, & Vngari proceres cum Marco cardinali apud Nyssam conuentum egerunt. Tametsi Mathias rex vir inquieto ingenio, & indignè ferens, quòd Stropcouia regis Poloni præsidio teneretur, indeque vicinus circumquaque ager Vngariæ vexaretur, magis ad bellum quàm ad pacem spectare videbatur. Apud Bernã enim Morauiæ cum quatuor millibus militum statiua agens, Boemorum animos è propinquo sollicitabat, Silesiosq; duces inter se committebat: & perfecerat, vt Ribnicensi à cæteris bellum inferretur, Ribnichi oppidum expugnatum adimeretur, Zarchi verò oppugnaretur: captique fuissent, nisi Iacobus Dembenius, regis iussu cùm tumultuaria manu in ditiones obsidentium impetum fecisset. Quo factum est, vt pacto res inter duces componeretur, ea lege, vt obsessum quidem oppidum in Dembenij, captum verò in Cropacij iunioris (qui homo equestris in ditione ducis Ribnicensis erat) potestate esset quoad inter reges dissidium componeretur. Sed tamen magna legati Pontificij cura ac diligentia vix eò res perducta est post sex septimanarum disceptationem, vt ad medium Augusti mensis alius conuentus Opauiæ inter proceres, Vngaros qui-

Conuentus Polonorum, Vngarorũ & Boemorum procerum Nyssæ. *Mathiæ regis conatus.* *Ribnicensis dux à cæteris Silesijs bello petitus.* *Pacta inter reges Nyssæ conuenta.*

quidem & Polonos octonos, Boemos verò senos ex vtraque parte instituerentur, Polonus rex Stropcouia præsidium deduceret, Vngarus & Boemus suarum vterque partium Boemis iusiurandum relaxaret: ipsi reges in propinquo essent: Polonus quidem apud Osuencimum, Boemus apud Closcũ, Vngarus verò Olomuciæ, quo facilius de omnibus è cõuẽtu ad eos referri posset: Quòd si qua de re inter delegatos & inter ipsos reges non conuenisset, Carolus Burgundionum dux, aut si is nollet, vel non posset, Francorum rex arbitrio suo controuersiam dirimeret. Ita tunc discessum. Quò liberius autem vacaretur ei conuentui, Marcus cardinalis inducias inter reges authoritate Pontificia pœnis in violatorẽ adiectis prorogauit.

Induciæ prorogatæ.

Quæ vbi Cazimirus è Lituania reuertens cognouit, comitia Petricouiam ad primam diem Maij edixit. Verùm de minoribus Polonis nemo ferè procerũ affuit: Offensi enim erant distributione honorum superioribus comitijs iniquius, quemadmodum ipsis videbatur, facta: in qua Ioannes Tarnouius castellanus Voiniciẽsis, Dobeslaus Cmitha Lublinensis, & Stanislaus Vantropca Sandecẽsis viri clari immeritò præteriti esse existimabantur. Itaq; Radomiæ ad Pentecostẽ alia comitia instituta sunt: vbi delinitis offensorum procerum animis, de actis conuentus Olomucensis disputatum est. Nec magnopere ea cuiquam probabantur. Sed cùm è Vuladislai legato Alberto Socolouio cognitũ esset, approbasse ea Boemos, & ægestas autem Cazimiri, ac maior etiam Vuladislai (cui tunc pater decem millibus aureorum in vsus quotidianos subuenire necesse habuit) perpenderetur, ne Poloni quidem sibi repudiandas esse eas conditiones duxerunt.

Comitia Petricouiæ.

Vuladisl. regis egestas.

Itaque designati ad Opauiensem conuentum legati, Ioannes Cracouiensis, & Iacobus Vuladislauiensis (qui eo ipso anno Ioanni Gruscinio Archiepiscopo Gnesnensi vita defuncto successit) episcopi, Lucas Gorcanus Posnaniensis, Stanislaus Ostrorogus Calissiẽsis palatini, Dobeslaus Cmitha castellanꝰ Lublinẽsis, Ioã. Rithuianius regni marsalcus, Sbigneꝰ Olesnicius procancellarius, & Ioannes Dlugossus canonicus Cracouiensis.

Legati Poloni ad Opauiensem conuentum.

Stropcouia deducto præsidio Nicolao Pereneo reddita.

Stropcouia Vngarus reddita.

Ad Prussos missus quispiam, qui regem excusaret, quòd ad constitutum tempus in Prussiam non veniret. Ad Fridericum verò Imperatorem allegatus Adam decanus Posnaniensis, vt ab eo regni Boemorum, quod iure Feudi, vt vocant, Imperatori Romano est obnoxium, confirmationem Vuladislao filio regis peteret, eaque lege societatem cum Friderico contra Mathiam vtriusque nomine sanciret: adderetque, Moldauum quoque ei bello pro sua parte non esse defuturum, dummodo ipse Imperator Mathiam summa vi adoriretur.

Legatio Cazimiri ad Imperatorem Fridericum.

Boemia imperio Rom. obnoxia.

Quanquam enim icerat non ita multo antè Imperator fœdus cum Mathia, sed id necessitate quadam adductus, nec satis æquis conditionibus fecisse videbatur: propterea quòd ad Mathiæ nutum acephalus exercitus, qui se Fratres vocabant (erant autem ij cruce signatorum militum reliquiæ) Austriam grauiter infestabat: & rebelles Austrij, quorum princeps erat Baumkircheri à Friderico necati filius, ab eodem adiuuabantur.

Fratres, siue acephalus exercitus.

Austria infestata Mathiæ regis opera.

Itaque occasionem vlciscendi Mathiæ captare Fridericus existimabatur. Et grata quidem ei fuit legatio. Sed dilata res est ad Imperialia comitia Augustam Vindelicorum ad Calendas Septembris edicta. Ad quæ missi oratores, à Polono quidem Paulus Iasenius, & Stanislaus Curosuancius canonicus Cracouiẽsis: à Boemo verò Burianus supremus cubicularius, & alij duo. Cùm autem ij neque Imperatorem, neque principes electores Augustæ reperissent, sex prope menses apud Albertum marchionem Brandeburgensem, benignè ab eo habiti, expectarunt, donec Imperator ex inferiore Germania rediret. Ibi enim is cum Carolo Burgundionum duce fœdus & affinitatem sanciebat, vnica filia eius Maria filio suo Maximiliano cum successionis pacto desponsa. Tametsi in irritum tunc omnia illa pacta reciderũt, propterea quòd Carolus Mathiam Vngarum fœdere illo comprehendere contenderat.

Friderici Imp. conuentus cum Carolo duce Burgundiæ.

Aliquanto tamen pòst, Carolo ab Heluetijs in pugna interfecto, Maximilianus Flandrensium, ad quos Maria se contulerat, fauore & studio, nequicquam inficiente rem Gallorum rege Ludouico, optatis potitus est nuptijs: & Burgundiam, accisam tamen à Gallo, Flandriam, Brabantiam, Limburgum, Geldriam, Lucemburgum, Hannoniam, Hollandiam, Selãdiam, & Artesiam in dotem accepit.

Carolus Burgundiæ dux occisus.

Maria Maximiliani vxor.

Burgundia Flãdria etc. quando ad Austriacã familiam peruenerint.

Hac igitur de causa Friderico diutius commorante in inferiore Germania, & comitia differente, oratores Poloni vix ad Pascha insequentis anni reuerterunt, optatum responsum referentes. Cæterùm Cazi-

mirus appropinquante die conuentui Opauiensi præstituta, Osuencimum cum sex millium ferè hominum comitatu sese contulit. Conuenerant enim ad eum complures voluntarij de Polonis & Lituanis proceribus, & mille Tattari Lituanici. Vuladislaus quoque Boemorum rex apud Closcum non contemnendum comitatum habebat. Plurimorum enim studia & voluntates integritate & benignitate sua iam ad se allexerat, præsertim cùm non grauatè eos iureiurando soluisset, ostendens pluris se publicam pacem atque tranquillitatem, quàm priuata sua cõmoda facere. Quòd quidem eo plausibilius erat, quòd Mathias cùm idem, quemadmodum conuenerat, suis fecisset, mox pœnitentia ductus grauius iusiurandum ab eis exigebat: & recusantibus extrema quæque minabatur, palamque testabatur, se eorum fidei negocium suum non esse crediturum. Quare cùm Poloni, & Boemi partium Vuladislai maturè Opauiam conuenissent, à Mathia præter Albertum episcopum Vesprimiensem Vngarum, & Albertum Costcam Boemum nemo affuit. Vngaros autem alia quoque res remorata est. Ad paucos redacti fratres acephali in Austria: & partim Eicingeri armis fracti, partim calce sali & farinæ immixta extincti, reliqui in Vngariam sese receperant, & siue quòd emeritis apud Mathiam stipendijs fraudabantur, siue vt egestatem suam releuarent, eam oram Vngariæ, quæ ad Poloniam vergit (Poloni enim ferè erant) armis longè lateque infestabant, munitis & præsidio firmatis Modragora & Bucouecia castellis. Iam verò & Nicolaus Perenæus Stropcouiam eis concesserat. Sic igitur rebus domi turbatis tardabant Vngari proceres. Post vicesimam demum diem expectati aduenêre. Aduenit & Rudolfus Vuratislauiensis episcopus cum tribus consulibus eiusdem ciuitatis. Nec tamen quicquam operæprecij in eo quoque conuentu factum est, cùm duriores conditiones ab Vngaris proponerentur. Optatum tamen Polonis & Boemis accidit, quòd res ad Caroli Burgundionis arbitrium, cui se staturos esse inconsultò promiserant, peruentura non esset, & quòd reliquorum Boemorum animi à Mathia deinceps alieniores fore viderentur. Ita tunc Opauia pace infecta discessum est. Nec cessabant fratres, de quibus superius diximus, Vngariam vexare. Ad quos reprimendos Mathias cum parua manu profectus, Modragoram non difficulter siue per vim, siue per proditionem in potestatem suam redegit, milites præsidiarios in vincula coniecit: Ioannes quidem Suchodolius, qui fuerat præsidij præfectus, euasit in Poloniam, fugáne elapsus, an dimissus, non constat. Non multò pòst is Crosnę interfectus est, & interfector eius Cazimiri regis decreto siue iussu à supplicio & reatu absolutus. Bucoueciam deinde adortus Mathias, ea quoque per deditionem Barziorum trium fratrum, qui præerant præsidio, potitus est: milites pręsidiarios arma ad se in castra deportare, & fustibus ignominiæ causa armari iussos (ita proditores armari debere memorans) cum singulis modò vestibus emisit, sponsione ab nobilioribus accepta, ne vnquam contra se, ne pro rege quidem suo & patria militarent. Quocirca comprehensi hi sunt postea Cazimiri iussu, & in carcerem compacti ob tam indignam sponsionem. Neque hoc solum incommodum eo anno Polonia pertulit: sed æstu quoque & ardore vexata est vsque adeò, vt aluei fluminum plerorumq; arescerent. Vistula etiam apud Toruniam esset vadabilis: syluæ saltusque radicitus arderent: segetes, vernæ præsertim, squalerent: pecudes & iumenta oblitis limo cum herba vorato intestinis interirent: Incendia quoque vrbium, oppidorum & villarum crebra extitêre. Stradomia quidem ad vicesimamsextam diem Iulij penitus conflagrauit: postridiè verò coorto in cœnobio virginum apud sancti Andreæ incendio, tota ea platea, quæ Arcensis dicitur, & proxima canonicorum arsit: arx ægrè defensa. Conflagrarunt etiam Velisca, Coninum, Belsum, Chelma, Lubomlia: præterea basilica Lenciciensis cum vicinis domibus archiepiscopi & sacerdotum, itemque Mogilense monasterium: obijt verò Ioannes Gruscinius archiepiscopus Gnesnensis, cùm Cracouiam à rege euocatus venisset, repentina correptus amentia, ita vt neque sacramentorum in extremo vitæ articulo more Christiano particeps fieret, consentaneum exactæ vitæ exitum consecutus. Fuit enim in omne libidinum & audaciæ genus proiectus: cuius ambitione Cracouiensis diœcesis grauiter, vt suprà memoratum est, diuexata erat: Auaritiæ verò & immoderati in euehendis & locupletandis fratribus studij, seu verius cupiditatis fructum qualem oportuit, viuens

Cazimiri regis comitatus.

Vuladislai regis Boemiæ indoles.

Mathias rex pacta conuenta non seruat.

Conuentus Opauiensis.

Fratres Austria eiecti.

Fratres acephali Vngariam infestant.

Mathias rex fratres acephalos bello persequitur. Modragora & Bucouecia potitur.

Barzij fratres, quomodo habiti à Mathia.

Sponsio turpis.

Aestus & siccitas.

Oppidorum in Polonia conflagratio.

Ioannes Gruscinij archiepiscopi mors & vitia.

viuens non decerpsit. Nam eo demum defuncto de Cosmino, quod grandi pecunia mercat⁹ erat, inter Bartholomeum castellanũ Sendomiriensem, & Nicolaum cognomento Cosmidrum fratres eus germanos certatũ est. Exequias quidem nõ admodum honorificas habuit, dedignãtibus eum hoc honore sacerdotibus tam Cracouiensis, q̃ Gnesnensis basilicæ, in qua sepultus est. Successor autem ei rege postulante à Ponti fice designatus est, priusquam dies electioni præstitutus aduenisset, non sine infamia cupiditatis, Iacobus Senenius. Huic verò in Vladislauiensi episcopa suffectus gentilis & necessarius eius Sbigneus Olesnicius procancellarius regni. Clemens quoq; Kiouiensis episcopus homo plebei⁹, sed probus, eo anno defunctus, Albertum Narbuthũ equestri apud Lituanos familia ortum successorem accepit. Tattari verò Mescenecese territorium Kiouię vicinum depopulati, ad septingentos homines captiuos abegerũt. Per idem tẽpus Turcę è Bosna excurrentes, omnem ferè Styriã & Carinthiam depopulati sunt. Cæterùm in Asia minore siue Armenia bis collatis cũ Husancassano signis insigni strage victi ad quinquagintasex mil lia militum, & cẽtum quinquaginta tri bunos militares, qui Subbassæ vocãtur, amisêre. Nox prælium diremit: cuius ca ligine tectus Mahometes imperator fuga euasit. Mox saniori vsus cõsilio, munitis inter montium angustias castris, obiectu bombardarũ hostium ferociã non sine magna eorum strage repressit. Vbi & Husancassani filius desideratus est. Insequẽs annus Polonis quietus nõ fuit. Mathias enim rex, cùm contra acephalos siue fratres prosperè rem gessisset, quemadmodum paulo antè memorauimus, ꝙ eos à Cazimiro subornatos contra se fuisse suspicabatur, siue adeò compertũ habebat, nihil moratus hybernũ anni tempus exercitum sex millium hominum duce Thoma Tarcio in submontanã Poloniæ oram immisit, collocato in syluis Poloniam ab Vngaria disiungẽtibus præsidio, vt sese tutò inde recipere possent. Premoniti quidẽ nostri fuerant tempestiuè de hostium consilio, sed nihilo magis sibi prospexerunt. Itaq; Vngari turmatim excurrentes, omnia ferro & igni vastabant. Smigrodum oppidum noctu scalis admotis cæperũt: arcem verò ictibus bombardarum quassatam per deditionem acceperũt, & nouis propugnaculis fossisque munierunt. Direpti sunt ea excursione & incensi vici siue oppida, Iaslum, Brostecum, Colacice, Fristatum, Dembouecia, Duclia, & Pilsna (quæ tũc opulenta erat) & propè ducenti pagi: indeq; captiuorum ingens numerus in Vngariã abactus. In senes verò & pueros ferro sæuitum est. Crosna oppidum, quamuis parum abfuerit quin proderetur, nauiter tamen defensum: itemq; arx Golessia Tinecensis abbatis. Mussina verò episcopi Cracouiensis propter paucitatem defensorum ex pacto dedita. Inspectabat ferè hanc regni sui vastationem Cazimirus rex, Visliciæ conuentum agens, ac de bello Vngarico, quod sibi suisq; ingruere didicerat, depellendo con sultans. Vbi senûm grossorum tributũ in laneum impetrauit: militiã siue expe ditionem bellicam, quæ libera & arbitraria nobilitati tũc erat, ꝓ modo facultatum siue redituum cuiusque fieri debere decreuit: homicidij pœnam increbescentibus iam tunc cædibus mutuis inter equites auxit, vt qui eques volens ac data opera equitem interfecisset, tetrum carcerem in ima turre toto anno perferret, ac centum & viginti marcas pecuniæ proximis agnatis interfecti lueret. Dum autem submontana quidem Polonia ab Vngaris ita vexatur, Visliciæ verò à rege & senatu de republica consultatur, aduenerunt à Stephano palatino Moldauiæ nuncij de re bene gesta contra Radulonem Transalpinæ palatinum: quẽ Stephanus illis diebus profligarat, & cùm alias quasdã munitiones, tum Dambrouiciam arcem primariam de eo cæperat, thesaurumq; & vxorem cũ duabus filiabus ipsius inde asportarat. Attulerunt autem ij nuncij regi viginti octo militaria signa de hoste capta. Hos verò triduo cõsecutus est alius, qui celerem regis opem implorabat: quod diceret Radulonem à Turcis adiutum, munitiones amissas recuperasse: Moldauiamq; ingressum, obuia quæque ferro & igni vastare. Itaq, celeriter missi sunt oratores Dobeslaus Bisiouius castellanus Belsensis, & Aegidius Suchodolius, qui inter eos bellum pace vel inducijs dirimerent. Michaëli verò Buciacio præfecto Sniatinensi mandatum, vt sine mora cum Podolica nobilitate Stephano iret suppetias: Polonica verò omnis nobilitas ad arcendum bel lum Vngaricum apud Opatouecium præstò esse iussa. Verùm segnius ea conueniebat, mandata lenis, ne dicam lenti regis paruipendens, solutaq; disciplina militari, partim tardius domo sese expediebat, partim in vicinis sacer-

Marginal notes: *Grusciniorũ dissidium.* — *Iacobus Senenius archiepiscopus Gnesnensis.* — *Tattari Russiam vexarunt.* — *Styria & Carinthia à Turcis vastatæ.* — *Turcæ à Persis bis victi.* — *Mahometis fuga.* — 1474. ann. — *Vngari submontana Poloniæ populantur.* — *Smigrodum captum* — *Oppida submontana incensa.* — *Crosna.* — *Comitia Visliciæ* — *Bellicæ expeditionis ratio.* — *Homicidij pœna aucta.* — *Stephani Moldaui victoria de Transalpinis parta.* — *Auxilia Moldauis à rege Polono missa.* — *Polonæ nobilitatis licentia.*

dotum possessionibus immorabatur, non modò consumens reposita, verùm etiam domos suas asportans, ita vt non minus incommodi à suis, quàm ab hostibus acciperetur. Expectabat rex Opatouecij, cunctantesque crebris nuncijs emissis frustra conuocabat. Interim Poloni & Vngari proceres internuncijs vltrò citroque missis conuentum inter se de componenda pace instituerunt. Disceptatum aliquandiu de loco, eo quòd neutri sese alteris credebant: & Mathiæ fides non modò nostris, sed ipsis etiam Vngaris suspecta erat: quippe qui aliquot ductores ordinum in suo exercitu, & Osualdum Zagrabiensem episcopum vnum de pacificatoribus per eos dies Liuociæ siue Liblij, quasi impẽsius fauentes Polonis cępisset. Ad extremum, cùm Vngari ex antiqua villa, Poloni è Sramouice conuenissent, vicesimaprima die Februarij pacem fecêre his conditionibus, vt munitiones interceptæ & captiui vtrinque redderentur, damnorum datorum neutrobi mentio fieret: Vngaro cum Polono & Boemo vt triennes induciæ essent: quas si quis regũ violare vellet, subditi eius ne ei dicto audientes essent: aliorũ verò quisquis eiusmodi quicquam tentaret, ab omnibus pro hoste & perduelli haberetur, nihilo tamen minus firmæ essent induciæ. Hoc verò facilior fuit Mathias ad æquas conditiones, quòd Transyluanienses à se alienatos Cazimiro sese dedere velle acceperat. Et misêre ij quidem ad eum legationem, se suaque dedentes, & pecuniam, equos ac milites contra tyrannum pollicentes: sed tunc demum ea aduenit cùm regi de pace confecta renunciatũ est. Quocirca infectis rebus mœrens ea discessit. Adhæc Mahometes Turcarum imperator cum valido exercitu Bosnam inuaserat, & Iaicę arcem acerrimè oppugnabat. Sed repulsus cũ ignominia, demersis in profluente bombardis abscessit, de aduentu Mathiæ factus certior. His tunc de causis Mathias cum Polonis & Boemis pacem siue inducias accelerauit. Quæ tamen firmæ ac diuturnæ nõ fuerunt. Nihilo minus enim is hostilem aduersus vtrumq; regem animum retinuit. Et in Cazimirum quidem Tungenum episcopum atque Prussos ac Silesios incitauit, in Vuladislaum verò quosdam subornasse creditus est, qui eum veneno extinguerent. Deprehensum est venenum, confessi sontes cùm qęstionibus subiecti essent, & capitali pœna affecti. Et Morauos autem, quorum pars magna cum Vuladislao sentiebat, infestare & subigere non intermisit. Sed hæc paulo pòst animaduersa: tunc autem pace facta, Polona quidem nobilitas dilapsa est: Vngarus verò rex nihilo magis quiescebat cum ijs copijs, quas habebat: sed Petrum Comorouium locupletem in primis hominem, qui Cazimirum regis Poloni filium receptauerat, vlcisci instituit: nulloque negocio septem arces eius, in Vngaria quidem sitas, verùm Poloniæ & Silesiæ finitimas ex inopinato adortus, in potestatẽ suam redegit, dedentes eas defensoribus vacuas ipso Comorouio, & in Poloniam excedente cum omni familia, acceptis ab eo octo millibus florenorum: In Silesiam verò duo millia militum cum Ioãne Bielico Silesio misit in auxilium Venceslao duci Ribnicensium, qui ab Henrico Georgij Podiebradij filio duce Cozlencium bello vexabatur. Ac recessit quidem Henricus ab obsidione Plesnæ, quæ Pelcinæ, Vngarico exercitu aduentante: Cæterùm Venceslaus quoque cùm non fideret Vngaro, portas oppidi copijs eius clausit: & Oluencimum ad Iacobum Dembenium palatinum Sendomiriensem & præfectum Cracouiensem, qui ibi erat cum præsidio, perfugit. Bielicus irritatus facto Vẽceslai, Pelcinam oppugnare adortus, per deditionem eam accepit ea lege, vt liceret Venceslao ad Mathiam adire, & admissi veniam petere. Excurrerant autem ex eo exercitu trecenti milites in territorium Osuencimẽse populabundi, qui à Polonis profligati sunt. Per id tempus venêre ad Cazimirum duo legati Veneti, alter ad Persas, alter ad Moschos transitum petentes. Non grauatè concessus est. Ab Husancassano verò Persarum rege Catharinus Zenus, & ipse Venetus, triennio apud eum legatione functus affuit, incitans regem ad bellum contra Mahometem Turcam suscipiendum. Atque id quidem publicè. Secretò verò filiam Husancassani natu maiorem è Catharina filia Imperatoris Trapezuntij susceptam vni alicui de Cazimiri filijs vxorem deferebat, dotalemque Græciam cum Constantinopoli promittebat, ipsius Husancassani armis vindicandam, & cum filia simul tradendam. Cõtra Vngarum quoque copias & impendia belli pollicebatur. Sed vana & leuis ea legatio visa est: neque aliud quicquã ei responsum est, quàm, Regẽ per suos legatos Husancassano respõsurum esse.

Mathiæ regis tyrannis, & suspecta fides.

Induciæ inter Vngaros & Polonos ac Boemos.

Transyluanienses ad Cazimirum deficientes non suscepti.

Turcæ obsidione Iaici repulsi.

Mathiæ regis doli.

Petrus Comorouius septem arcibus à Mathia rege spoliatus.

Silesij duces commissi.

Pelcina in Mathiæ potestatem redacta.

Latrunculi Vngarici à Polonis profligati

Legatio Venetorum ad Persas & Moschos.

Persica legatio ad regem Polonorum.

Husancassani promissa.

Zeganensiũ dux Ioannes bellũ infert Polonis.

Exarsit mox aliud bellum in maiore Polonia, subornante, vt creditum est, Mathia excitatum. Ioannes enim Zeganensium dux natura amens, & post interfectum fratrem Henricum furijs exagitatus, Zeganensem quidem dominatum Misnensibus marchionibus vendidit: alieni verò appetens collectis quatuor millibus militum è promiscua opificum & agrestium colluuie, transmisso Odra fluuio, ad Vuschouam, quā Freistadiam Germani vocant, duxit, bonæ spei plenus, propterea quòd & bombardas Vuratislauiensibus iussu Mathiæ regis commodatas habebat, & proditionem in oppido instruxerat. Ac incensum quidem est sub eius aduentum duodecim locis oppidum: sed oppidanorum virtute ac diligentia strenuè defensum, restinctaque incendia.

Vuschoua incensa ac defensa.

Quo facto Zeganensis dux omisso oppido, in quo capiendo euentus spei eius non responderat, totum territorium frequentibus & bene ædificatis villis atque pagis cultum percursans, ferro & igni vastauit. Deinde castris à Glogouia non longè positis, prædas agebat è vicinis oris Poloniæ. Neq; quisquam Polonorum inhibere hostiles illas excursiones satagebat, ne priuata quidem sua calamitate irritatus, aut periculo excitus. Ita torpor & veternus quidam omnes occuparat.

Petrus Gunicius vir fortis.

Vnus omnium Petrus Gunicius gente Prussus, maiore animo quàm consilio, cum triginta modò familiaribus in trecentos pabulatores impetum fecit: fusosque & fugatos cùm improuidè ad castra vsq; persecutus esset, coortis vndiq; hostibus conclusus in medio, & oppressus, vti forti & generoso viro dignum erat, non inultus cum omnibus suis socijs cecidit. Coadunauerant quidem Lucas Gorcanus Posnaniensis, & Stanislaus Ostrorogus Calissiensis palatini, & Mathias Mossinius præfectus maioris Poloniæ duodecim milia hominum de maioribus Polonis: sed apud Costenum & Vuschouam desidebant, fumantes quoquouersus pagos inspectantes, & ploratus vlulatusq; captiuorum tantùm non exaudientes.

Costenum oppidum.

Nec modò nō ibat obuiam hostibus tanta illa multitudo, verùm etiam hostilia & atrociora propemodum quàm hostes ipsi in suos patrabat. Nam direptionibus sacrorum iuxta ac profanorum, pulsationibus agrestium, incendijs, virginum & nuptarum stupris, deniq; nullo nō scelere grassabatur. Quo factum est, vt sexcenti pagi in Polonia tunc exurerentur. Supra memoratorū tamen procerum possessionibus hostes pepercerunt: indeq; orta suspicio, aliquid eos commune cum illis clàm habuisse. Nullus autem fuisset hostilium illarum excursionū modus neq; finis, nisi dux Zeganēsis in oppugnatione Copaniciæ, dū temerè sese incendio munitionis miscet, ambustus & semianimis sublatus esset: vnde postea neq; valetudinē, neq; vigorē animi recuperare potuit. Eo demùm casu ducis sui exercitus ille cōsternatus, dilapsus est.

Zeganensis dux ambustus.

Copanicia arx.

Erat eo tēpore Cazimirus rex Toruniæ cōponendis rebus Prussicis intentus. Nicolaus enim Tungenus fauentibus & incitantibus, & clàm adiuuātibus Prussis cùm alijs, tum consulibus Gdanēsibus, quibus permolestū erat, Polonū Prussis præfici episcopū, cùm plerasq; alias episcopales munitiones obtineret, reliquas quoq; nēpe Heilsbergā & Seburgū per dolū in potestatē suā redegerat, nihil moratus promissa sua de expectādo iudicio Pōt. max. cuius etiā diras appellationib⁹ & alijs artibus homo vafer eludebat: nec se sistebat à rege euocatus, neq; dimittebat exercitū. Sed prius q̄ operæprecium vllū faceret rex, è Prussia in Poloniā sese recipere coactus est, cùm propter pestem Toruniæ & in omni ea ora inualescentē, tum vt Silesiorum vim reprimeret.

Tungeni episcopi conatus.

Quamobrem ad medium mensis Iunij Petricouiæ comitia habuit. Affuerūt ibi oratores Vuladislai Boemorum regis, Polonorū opem cōtra Vngarū Morauiam & Silesiā infestare non cessantē implorantes. Itaq; missa sunt filio à rege viginti quatuor millia aureorū in subsidiū belli. Cōtra Silesios verò, qui & Poloniam subinde vexabant, & plerique à Vuladislao alieni, Mathiæ partes sequebantur, eique post creatum à Boemis regem Vuladislaum, Vuratislauiensibus authoribus nouo sacramento sese obstrinxerant, placuit rem geri totius regni expeditione: iussæq; omnes copiæ ad medium Augusti mēsis apud Mestouiam conuenire.

Comitia Petricouiæ.

Boemica legatio.

Silesij in Vuladislaum propensi.

Bellum Silesiacum.

Mestouia opp.

Instituta etiam tunc est noua satrapia siue palatinatus in tractu Lublinensi, qui ad eam diem nullus fuerat, detracta parte de Sendomiriensi, cuius iurisdictio amplior esse visa est, quam vt eius moles commodè ab vno palatino sustineri posset.

Lublinensis palatinatus instituitur.

Rex conuentu soluto Corcinū diuertit, ad bellū sese apparaturus. Interim ei nūciatur, Podoliam atq; Russiā à Tattaris duce Aidoro Ezigeris filio populabundis peti. Nihil tamen rerum vtilium prouidit, ac ne premonuit quidem Podolios, vt sibi prospicerēt. Itaq; factum est, vt à

Tattari Podoliã & Russiã depopulantur.

septem ferè millibus Tattarorum, & eorum quidem malè armatorum, omnis circum Cameneciam, Haliciam, Glinianos, Dunaiouiam, Gologoros, & Sbarassum tractus, centum ferè milliarium longitudine, latitudine verò triginta, cædibus & incendijs miserabiliter, nemine resistente, vastaretur: plurimi mortales segetibus demetendis vacantes opprimerentur, & in barbaricam seruitutem pecudum in morem abigerentur, Lituinouia munitio exureretur, Sbarasſũ arx expugnaretur: in qua dux Iuanus, siue Ioannes incendio perijt: vxor verò eius capta, & in seruitutem abducta est, & vnus de tribus filijs natu minimus. Dunaiouiam oppidum suum Gregorius archiepiscop⁹ Leopoliensis strenuè tutatus est. Pomorzanos verò Suinca vir generosi animi cũsex modò socijs defendit. Discedentes barbaros cum ingenti præda ferè centum millium hominum insecuti quidem sunt nostri facta tumultuaria manu, sed nihil aliud perfecerunt, quàm vt Tattari trucidatis plurimis captiuis, qui per ætatem aut valetudinem sequi festinantes non poterant, miserabilius spectaculum insequentibus exhiberent. Habebant quidem dux Ciartoriscius, & Martinus Gastoudus præfectus siue palatinus Kiouiensis non contemnendas Lituanorum copias, verùm eæ Polonis non expectatis dilapsæ sunt: iactatumque vulgò est, Tattaros à Lituanis proceribus, misso ad eos cum muneribus Glinscio duce, excitos fuisse: idque etiam ipsum Tattarorum principem asseuerasse, affirmantem iniussu suo id factum esse. Et comiter autem ipsos acceptos esse à Lituanis, cùm se per eorum fines præda onusti domum reciperent. Rex ad Silesicum bellum intentus, ad constitutum tempus apud Mestouiam affuit: sed copias tardius conuenientes, totas sex septimanas expectauit, ita vt commodum belli gerendi tempus præterlaberetur, fruges oræ illius direptæ absumerentur, ac ne incendijs quidem domesticis parceretur. Ita tunc soluta atque adeò profligata erat omnis disciplina militaris. Fuit autem & illa moræ causa, quòd nobilitas Cracouiensis oræ Stanislao, Nicolao, & Ioanne Tencinijs fratribus, Ioanne Rabstinio, & Spitcone Melstinio ducibus, negabat se ad externam militiam esse profecturam, nisi sibi præscriptum legibus stipendium numeraretur. Quorum pertinacia ægrè victa, sexta demùm & vicesima die Septembris rex castra mouit, aucto etiam exercitu Tattaris & Lituanis, ita vt ad sexaginta millia armatorum in eo esse crederentur. Ingressus Oppoliensem tractum, Cruciborgum & Bycinam oppida cæpit, præsidijsque firmauit, agros populationibus quoquouersus permissis diuexauit: transmissoque apud Chrapcouice Odra, vadabili tunc propter siccitatem, omissa Oppoliæ oppugnatione, Vuratislauiam contendit, vbi à Mathia expectari se acceperat: Bregum & Olauiam obiter in potestatem suam redegit. Occurrerunt autem ei oratores Vngari atque Boemi, inducias postulantes: verùm in congressum Vuladislai filij res dilata est. Hernesti quoque marchionis Misnensium legati de pace inter reges tractantes, pertentato prius Vngari animo, affuêre. Nec abhorrebat à pace Cazimirus. Sed Mathias ad omnem rei bene gerendæ occasionem attentus, pacis consilia turbauit. Apud Olauiam Polonus castra habebat, quarto à Vuratislauia milliario: nec ignorabat Mathias eum cùm aliàs minus cautum esse, tum spe pacis componendæ securius ac remissius agere. Sub noctem igitur equitatum & peditatum omnem emittit Vuratislauia, vt Polonos pabulationi intentos adoriretur. Et arridere quidem ei prima facie fortuna visa est. Cùm enim tota nocte exercitus ille ambulasset, oriente Sole apud Zuanouice pagum pabulatores Polonos nullo ordine discursantes par titis copijs excepit, & facilè in fugam vertit. Accurrunt Tattari è propinquo. Quibus visis, redit & fugientibus virtus in præcordia: instauratur prælium. Rex Polonus re cognita (haud longè enim à castris hæc gerebantur) summittit suis auxilio comitatum suum aulicum cum Paulo Iasenio thesaurario: ipse cum reliquo exercitu subsequi festinat. Hostes vbi aspexêre vires Polonorum augeri, retrocedere ad suos in insidijs latitantes incipiunt: sed illi quoq; fuga suorum consternati, fugæ & ipsi mandarunt præsidium: nec prius constitêre, quàm Vuratislauiam peruenêre. Debellatum tunc fuisset pro culdubio, nisi Ioannes Rituianius castellanus Sendomiriensis & Marsalcus regni, ductorq; vniuersi exercitus Polonici nostros in hostium tergis hærentes præproperè siue insidiarum metu, siue inscitia & imperitia rei militaris reuocasset. Quin & ab hoste corruptum eum fuisse iactatum est, veréne an falso, non

Lituinouiã exusta. *Sbarassum captum.* *Dunaiouia.* *Pomorzani.* *Suinca.* *Tattari à Lituanis contra Polonos exciti.* *Nobilitatis Polonicæ contentio.* *Mathiæ regis legatio ad Cazimirum.* *Misnensium Marchionis legatio.* *Mathiæ regis exercitus fusus fugatusque.* *Ioannes Rituianius dux copiarũ Polonicarum.*

non liquet: nisi quòd in re vtrinq; tam inopinata non videtur locus fuisse corruptioni. Ceciderunt autem in eo conflictu de hostium exercitu mille: capti præter gregarios milites sexaginta nobiliores, in quibus fuêre Vilelmus Bernsteinius Boemus, Petrus Huguicius Silesius, & Paulus Caruatus siue Croata Vngarus. Post hoc prælium ad duodecimum diem Octobr. commissum, oratores Misnenses non diu commorati in castris Polonicis, quòd intempestiuum esse putarent de pace tunc agere, rebus infectis discesserunt. Illud solum à Cazimiro impetrarunt, ne is Zeganense territorium infestari à suis pateretur. Quarta demùm & vicesima die Octobris Vuladislaus rex Boemorum aduenit, viginti millia pugnatorum habens in exercitu, maxima ex parte peditum.

Boemorum exercitus.

Salutatione & gratulatione mutua inter reges & consanguineos exercitus peracta, ad Vuratislauiam itum est: & in conspectu vrbis ambo exercitus fixis tentorijs coniunctisque castris assedêre. Communierat autem & Mathias castra sua ad vrbem apud monasterium sancti Vincentij, vt è re nata posset consilium capere. Inde tacitus speculabatur, quid reges incœptarent, cum suspirijs & vulsione capillorum dictitans, facilè se totum orbem terrarum imperio suo subiugaturum esse, si tantas talesque haberet copias, quantas & quales contra se hostes sui adduxissent.

Mathiæ generosus animus.

Cæterùm ij desides & inertes tempus terere, & nihil in medium consulere.

Regum inertia.

Suadebant quidem nonnulli, vt reges alueum fluminis, aqua paucorum dierum labore aliò deriuata, siccarent, traductaque parte copiarum vndique vrbem obsidione cingerent. Sed & hoc, & omnia salubria consilia in irritum cadebant opera vnius cuiuspiam consiliarij, à Mathia, vt creditum est, corrupti, in cuius consilijs maximè reges acquiescebant, cùm ipsi consilio non multum valerent. Atque is quínam fuerit, Dlugossus non memorat. Agri modò & pagi vastabãtur, discursantibus quoquouersus Polonis Boemisque sine certo duce ac ordine. Cumque in eodem loco diutius castra essent, & villæ ac moletrinæ circumquaque improbè exurerentur, duplex malum exercitum inuasit, pestis, & frumenti penuria. Subuehebantur quidem è Boemia panis & cereuisia, sed permagno venibant. Nec tamen veniebat in mentem Polonis, Velunia frumentum petere, cuius ibi permagnam vim paratam habebant: aut si veniebat, nemo erat, qui eam curam susciperet, cùm omnes viæ callesque à Polonis, qui in Vngari exercitu stipendia contra regem & populares suos faciebant, insiderentur: à quibus permulti de Polonico & Boemico exercitu pabulatum aut frumentatum temerè procurrentes excipiebantur, ita vt plenæ essent captiuorum turres & ergastula Vuratislauiensia. Creuerat autem illa Polonorum licentia, & cõtemptus imperij regij atque magistratuum, ex quo se cum Boemis coniunxerunt. Antè enim aliquid tamen disciplinæ supererat, cũ tres homines equestris ordinis ob raptam è templo cum vase argenteo sacrosanctam eucharistiam, iussu regio, inspectante vniuerso exercitu cremati essent.

Sacrilegi puniti.

Sed id quoq; iam deprauantibus nostros Boemis pro piaculo haberi desierat. Quanquam autem cessabant humana iudicia, diuinitùs tamẽ haud impunita mansêre tam barbarica & abominanda sacrilegia. Exortum enim fortuitu incendium non exiguam castrorum partem absumpsit, nequicquam satagente & opem ferente tanto exercitu.

Castrorũ Polo. et Boem. incendium.

Quo quidem incendio plurimi mortales, & equi, & quingenti currus hausti sunt: repertaque sunt in semiustulatis curribus fercula siue vascula sanctissimorum religionis Christianæ mysteriorum. Mathias vbi animaduertit tãtum illum Polonorum & Boemorum cum suis regibus torporem & inscitiam, despicere eos, quos initio plurimum reformidarat, cœpit: missisq; in Poloniam expeditioribus copijs, cũ quibus Oppoliensis quoq; & Cozuchouiẽsis duces suas coniunxerant, Siradiensem oram omnem, & maiorem Poloniam infestauit, & vehementer afflixit, nemine repugnante.

Polonia deuexata Mathiæ copijs.

Agrestes quidem apud Boleslaueciam opponere sese venienti hosti ausi, paruo negocio fusi ac dissipati sunt. Apud Clobuscum tamẽ, qui eò excurrerãt ex Oppoliensi ditione, ab agrestibus & oppidanis profligati sunt.

Oppolienses fusi apud Clobuscum.

Arx Medirecia excursione illa in hostiũ potestatem venit, dedente eam Sendiuoio Zidouio Burgrabio. Ob quod facinus is post finitũ bellum patrimonio multatus est à rege.

Medirecia arx in Mathiæ potestatem redacta.

Sendiuoius Zidouius bonis multatus.

Hęc cùm ita fierent, & fames pestisq; in castris Polonorum & Boemorum ingrauesceret, & ineptum bello gerendo tempus hybernum vrgeret, de pace inter reges agi cœptũ est. Congressi bis in patenti campo tres reges, vicesimaprima demùm die Nouẽbris nihil aliud inter se cõstituẽre, q̃ vt delecti ab vnoquoque consilia-

rij

rij quaterni Vuratislauiæ conuenirent.

Conuentus regum.

Quod cùm factum esset, re inter delectos agitata, pax quidem perpetua non conuenit: quæ satis æquis conditionibus conuenire potuisset, nisi Elizabethæ reginæ Poloniæ fastus, & pertinax odium obstitisset.

Elizabetha regina filiã suã Mathiæ nuptui dare noluit.

Nam ea Mathiam affinitate bellum finire cupientem, quòd neq; regio, neq; ducali genere ortus esset, generum aspernabatur: & quòd patrui sui fratrisq; inimicus fuisset auersabatur, ita vt nullis persuasionibus de sententia dimoueri posset: indulgebat autem ei plusculum Cazimirus.

Cazimiri erga vxorẽ indulgentia. Induciæ.

Cæterùm induciæ triginta mensium constitutæ inter reges: captiui & munitiones interceptæ, vtrinq; redditæ. Nicolaum quoq; Tungenum Mathias in eo fœdere cum sua causa coniunxit. Finito bello Cazimirus Vuladislaum filium dimisit: ipse per Posnaniam iter faciens Lenciciam profectus, Ludouici Bauarorũ ducis oratores, quorum princeps erat Henricus Ratisponensis episcopus, Velunia acciuit.

Bauarorum ducis Ludouici legatio ad Cazimirum.

Ibi enim aliquãdiu, quoad ipse ex Silesia rediret, expectare eos iusserat. Petebant ij Georgio ducis sui filio Heduigim filiam Cazimiri in matrimonium. Nec abnuit generum Cazimirus: sed Radomiæ demùm, quò is ad natalem Christi diem festinabat, res confecta est.

Mathiæ regis vanitas.

Mathias verò dimissis ad Christianos principes & Pontificem max. literis solita vanitate de Polonis & Boemis triumphauit: ac delere se penitus maximos exercitus potuisse iactauit, nisi Christianus Christianorum misertus esset.

Mathiæ acerbitas.

In Vuratislauienses verò & nonnullos Silesiorum duces maiore licentia mox debacchatus est. Indulsit enim militibus, vt non modò ex agris sociorum liberè prædas agerent, verùm etiam in Vuratislauiensiũ facultates grassarentur, vxoresq; & liberos eorum secum abducerent.

Gliuicensis et Ribnicensis duces capti & multati à Mathia.

Gliuicensium verò ducem captum in custodia habuit, ac ditionis parte multauit: itemq; Venceslaum Ribnicensem. Inuasit & Olesnicensem dominatum: idemq; Cessinensi fecisset, nisi Premislus dux consilio eius maturè explorato, Polonorum præsidio sese premunisset.

Mathias inducias violat. Firstensteinum.

Neq; verò induciarum tenax fuit. Statim enim Firstensteinum munitionem in Silesia oppugnare adortus: verùm inde ab aulico Vuladislai comitatu fœdè repulsus est. In Morauia verò tres munitiones, redemptis auro defensoribus earum, in potestatem suam redegit. Sub finem eius anni Nicolaus Blazeouius Silesius episcopus Præmisliensis, cùm illi ecclesiæ tribus & viginti annis præfuisset, sacris eo die operatus, quòd se languere sentiret, in lectum se composuit, & obdormiuit in Christo. Cui cùm collegium sacerdotum eius ecclesiæ legitimè institutis comitijs successorem dare vellet, à rege per Spitconem Iaroslauium palatinum Leopoliensem siue Russiæ vetitum est: fuitque sine episcopo ciuitas illa fermè tres annos, donec Andreæ Opporouio Varmiensi episcopo, rege petente, commẽdata est à Pontifice, vt inde se tamen ille sustentaret, qui Varmiensi episcopa potiri per Nicolaum Tungenum non potuit.

Præmisliensis episcopa vacatio.

Per idem tempus Mahometes Turcarum imperator cùm Radulonẽ palatinum Transalpinæ Valachiæ, quẽ contra Stephanum Moldauum adiuuerat, pulsumq; restituerat, in fidem suam accepisset, tributariumq; fecisset, missis in Moldauiam ingentibus copijs, Stephanum quoq; subigere adortus est, nihil moratus hyemis asperitatem.

Transalpina in potestatẽ Turcarum venit.

Moldauia vastata à Turcis.

Verùm is exercitus anni sequentis initio ad sedecimum Calendas Febr. à Stephano palatino, qui vix quadraginta, vel vt alij volunt, triginta millia habebat ex omni suorum hominum, agrestium ferè, Transyluaniensium item atq; Cæculorum, quos paulo antè vi & armis ab Vngarorum regno auulserat, multitudine coacta, insigni & omni æuo memorabili clade apud Barladum amnẽ & Racoueciam paludem profligatus est.

1475. ann.

Stephani palatini Valachiæ victoria de Turcis.

Centũ viginti millia in Turcico exercitu fuisse dicũtur. Nec prius fugã sistère Turcæ, quàm Danubium transmiserunt, persequentibus fugientes Valachis, & vsque ad lassitudinem trucidantibus, vel in paludem ac Danubium impellentibus. Itaq; ex tanto numero pauci euasêre. Quin & ij, qui viui in potestatem hostium venerant, Stephano iubente omnes, præter paucos insigniores, interfecti sunt.

Cæculià Stephano subacti.

Bassæ quatuor in eo prælio desiderati: signa militaria capta centum & amplius. Nec tamen Moldauo incruenta cessit victoria: quin eius acies multitudine hostium prægrauata inclinare iã cœperat, nisi ipse inter primos animosè pugnans pugnam restituisset. Permagnum autem cùm ad victoriam, tum ad maiorem hostium stragẽ momentum ipsi attulit, quòd oẽm circumcirca regionem longè lateq; in primo Turcarum ingressu ipse exusserat. Hinc enim factum est, vt in magna cõmeatus & pabuli penuria Turcæ iuxtà ac equi ipsorũ debilitarẽtur. Moderatè aũt Stephanus illa sua fortuna vsus est, soli Deo victoriã acceptã referẽs, ac toto

Stephani moderatio animi.

to quatriduo deinceps omni, præter panem & aquam, cibo abstinens. Ad Cazimirum deinde in Lituaniam, quò is post initium anni sese receperat, nuncios cum quatuor primorib⁹ captiuis, sex & triginta militaribus signis, & parte manubiarum misit: & quoniam facilè intelligebat, non esse quieturum Mahometē, petiuit vt rex cū exercitu in Russiam propius accederet, vel solo nominis sui terrore Turcam repressurus, & iusiurandum fidelitatis eousq; dilatum à se accepturus. Plurimos autem agrestium Stephanus fortitudinis ergò in equestrem ordinem transtulit. Ad Mahometem quoq; ipsum legationem cū donis misit questum, ditiones suas à latrunculis ex Turcia profectis infestatas esse, eamq; manum à se profligatam meritas pœnas sibi dedisse: petebatq; vt reliquos ex eo numero, qui euasissent, ad supplicium sibi Mahometes dederet: quandoquidem credibile esset, iniussu eius factum esse, quicquid factum esset. Pontifici quoque maximo, & Vngarorum regi dona misit de manubijs, opem eorum contra tam potentem & communem Christiani nominis hostem implorans. Adnixus est tamen Mathias gloriam illius victoriæ in se transferre, dimissis quoquouersus literis, quibus iactabat à præfecto suo Stephano palatino Turcas ꝓfligatos esse. Nec multo antè tamen ipse non contēnendam cladem ab illo ipso præfecto, quemadmodum videri volebat, suo acceperat, cùm sex millia Vngarorū Maierbalasso duce ad vastandam Moldauiam misisset. Nec ita multo pòst aduenit ad Cazimirum Isaacus Trapezuntius Husancassani legatus ad suscipiendum contra Mahometem bellum, regem cohortans: inde verò cum benigno responso dimissus, ad cæteros principes Christianos eadem de re acturus profectus est. Non intermisit Stephanus nuncijs alijs post alios ad regem missis auxilia petere contra Mahometem, quem Adrianopoli ingentem belli apparatum facere, ab exploratoribus didicerat. Et suadebant quidem Lituani, vt rex tam insigne Poloniæ & Lituaniæ contra Turcas propugnaculū, Moldauiam summa ope defenderet potius, quàm ea amissa, seu verius prodita, de reliquo suo dominatu dimicaret. Nihil tamen id regem mouebat: nihil ne Polonici quidem senatus preces atq; monita idem suadentis, cùm ad quintam diem Iulii Lublinum ad eum non infrequens conuenisset, & quindecim diebus ea de re consultasset. Vbi Derslaus Rithuianius palatinus Cracouiensis, & Ioannes Rithuianius castellanus Sēdomiriensis, & Marsalcus regni approbantibus cæteris, grauiter in regem inuecti sunt, quòd per ipsius, patrisq;, & fratris eius negligentiam & conniuentiam Polonorum regnum, quod ipsi florentissimum accepissent, non modò ab hostibus, verùm etiam ab ingratis socijs, & malè fœderatis Lituanis, quos ipse in potestate haberet, miserabiliter afflictum & accisum esset. Nihil tamen aliud ijs clamoribus & hortationibus tūc effectum est, quàm vt mitteretur ad Mahometē orator Martinus Vurocimouicius dapifer Cracouiensis, postulatum & monitum pro vetere amicitia, quæ inter Polonorum ac Turcarum reges constaret, ne ille Moldauiæ, quæ in ditione regis Poloni esset, bellum facere pergeret. Aliter coactum iri Cazimirū bellum suis illatum summa vi propulsare, qui nunq̃ quorumuis principum precibus & cohortationibus adduci se passus esset, vt Turcas bello lacesseret. Si quid Stephanus in Mahometem peccasse videretur, cōmunium consiliariorum arbitrio causam cognosci oportere. Nec defuturum esse Cazimirū, quin subditum dominus ad satisfaciendū læso adigeret. Cum his mandatis & munere, veste videlicet sabellina, cuius orā margaritę exornabat, missus Vurocimouicius, & varijs impedimentis vsus in itinere, vix intra vertentē annum ad Mahometem peruenit. Interea verò Mahometes septuaginta nauiū classe in Tauricam Chersonesum missa, Tattaris verò cum equestribus copijs prestò esse iussis, Capham siue Caphatam vrbem maritimam munitissimam Genuensium ditionis, celebri emporio nobilem, terra mariq; obsedit: & quamuis reiecti essent ab oppidanis Tattari, tamen intra sextum diem in potestatem suam redegit, proditione primorum ciuium Italorum totis quinque annis instructa. Capta vrbe, nobilitas cum vxoribus & liberis, ipsisque proditoribus, & Mengligere Tauricanorū Tattarorum principe, ac duobus fratribus eius, qui siue fortuito eò tunc venerant, siue seruandi sui causa ex agro in vrbem se receperant, Constantinopolim translata: plebs dimidia parte facultatum multata, in suis sedibus aliquandiu relicta est: postea tamen & ipsa aliò traducta. Moldaui mercatores, legati, & exploratores centum sexaginta omnes trucidati. Vna tamen nauis, quæ

Stephani Vlachi legatio ad Mahometem Turcam.

Mathiæ vanitas & iactantia.

Vngari à Stephano profligati.

Persica legatio ad regem Polon.

Consiliū Lituanorū & Polonorum.

Rithuianij in regem inuecti.

Cazimiri legatio ad Mahometē Turcarū Imper.

Capha à Turcis capta.

Tattarorum Tauricanorū princeps captus cum fratribus.

quæ centum quinquaginta ephebos Caphensium formosissimos contumeliæ & libidini barbari tyranni destinatos, & luculentam supellectilem ex præda coactam ferebat, præfecti, qui Græcus erat, opera à cæteris segregata, ac Turcis vigintiquatuor, qui præsidij causa in ea fuêre, partim per speciem aquandi emissis, partim interfectis, Kiliam appulsa, in Stephani potestatem dedentibus remigibus venit. Capha, & arcibus castellisque circumiacentibus potitus Turcicus exercitus, ad Moncastrum siue Bialogrodum nauigauit, eamque vrbem ad ostia Tyræ siue Nestri fluuij in pontum Euxinum sese exonerantis sitam, adiuuantibus à terra Tattaris expugnauit, vt vult Bernardus Vapouius: Quam non multò pòst Turcis ac Tattaris discedentibus Stephanus recuperauit. Tametsi Dlugossus, cuius ætate hæc acta sunt, imminere tantùm ei vrbi tunc Turcas cœpisse memoriæ prodidit. Stephanus quidem palatinus per omne id tempus, quamuis haberet exercitum, tamen imparem se esse hostiũ viribus sentiens, in montium & syluarum latebris sese continuit: munitiones verò, quo distineret hostem, præsidijs firmauit. Hæc cùm celeri nuncio scribæ cuiusdam regij, qui ad Mengligerem Tattarum allegatus erat, in Poloniam perlata essent, pauor ingens & trepidatio mentes hominum inuasit, non secus ac si ipsa iam Podolia & Russia vastaretur. Consultatumq́; est aliquandiu de bello Turcico in comitijs Corcini ad initium Iulij mensis institutis. Verùm omnia prius experiri, quàm arma sumere, ac tam potentem hostem lacessere, reditumq́; Vurocimouicij expectare placuit. Spes tamen auxiliorum Stephano per Stanislaum Vantropcam palatinum Belsensem, & Andream Borissouium præpositum Lencieiensem & canonicum Cracouiensem legatos regios facta est, exactumq́; ab eo nouũ fidelitatis atq; subiectionis iuramentũ. Id verò ea de causa potissimum, quòd Vngarus vltrò auxilia pollicens, pellicere eum ad se satagebat. Per eos dies cùm ingens vis imbrium decidisset, tantum inundauit Vistula, vt Cazimiriam & Stradomiam aqua operiret, & ad altaria templorum pertingeret: pontes abrumperet: hortis, agris, & pomarijs magnam calamitatẽ inueheret. Quod quidem eo portentosius fuit, quòd toto superiori triennio tanta fuerat siccitas, vt non modò apud Ploscum, sed etiam apud Toruniam vadabilis esset perditi Vistula. Pridie verò Calendas Aprilis eiusdem anni centum domus Cracouiæ inter nouam & S. Nicolai portas nocturno incendio conflagrarant. Porrò Siradiensem & Lenciciensem oram atque Masouiam per idem tempus locustarum vis ingens ex Vngaria, Morauia & Silesia adueniens peruagata, non modò segetes atq; prata, verùm etiam arborum frondes depasta est, continuatis ad sesquimilliarium in latitudinẽ, & alterum tãtum in longitudinem examinibus, concurrentibus inter se nõnunquam, & solis aspectum densitate sua terræ adimentibus. Vilis tamen eo anno fuit annona in Polonia. Cazimirus sex septimanis apud Corcinum de repub. consultando exactis, quinq; consiliarios de primoribus vtriusq; ordinis, & quatuor secretarios canonicos Cracouienses misit in Scepusium ad regundos fines cum Vngaris, & controuersias disceptãdas ac dirimendas, quo fœdus antiquum inter Vngaros & Polonos per tempus induciarum redintegraretur, atque adeò induciæ quoq; ipsæ stabilirentur. Neque enim satisfaciebat conditionibus earum, & pactis conuentis superioris anni Mathias. Verùm Vngari Turcici belli excusatione vsi, ad eum conuentum non venêre. Et fecit quidem Mathias rex tunc expeditionẽ cum decem millibus mercenariorum militum contra eum hostem, extremã oram Vngariæ ingressum: sed tamen persequi eum longius ausus non est, ne à fronte pariter & à tergo impeteretur. Firmauerant enim Turcæ munitionẽ in citeriore ripa Saui excitatam, quinque millium militum præsidio, vnde liberius in Sirmiensem agrum possent excurrere. Eam igitur modò munitionem Vngarus non sine magna strage suorum expugnauit, & mox in interiorem partem regni sui cum exercitu se recepit. Nec multo pòst reuersi Turcæ, vsq; ad Varadinũ populabũdi excurrerunt, oppidum id incenderunt: & omni illa latè patenti ora cis Tybiscum ferro igniq; peruastata, ingentem cùm aliarum rerum, tum hominum prædam asportarunt & abegerunt. Sed ad nostra reuertamur. Dimisso igitur conuẽtu Corcinensi, legatisq́; ad Scepusiensem iterum designatis, Cazimirus ad decimumoctauum Calend. Octob. Cracouiam egressus vnà cum regina, Heduigim filiam natu maximam, quam Georgio Bauarorum duci Ludouici filio desponderat, Posnaniam deduxit: & adiunctis ei comitibus Calissiensi atque

Bialogrodũ siue Moncastrum expugnatum vel tentatum.

Polonorũ pauor ob subactam à Turcis Bessarabiam.

Comitia Corcini.

Legatio regia ad Valachum.

Stephanus Valachus iurat in verba regis Polon.

Inundatio.

Cracouiæ incendium.

Locustæ.

Vngarorum expeditio in Turcas.

Turcæ Vngariam populantur.

Heduigis Cazimiri filia Georgio Bauarorum duci nupta.

que Lencicienſi palatinis,& compluribus alijs claris & ſplendidis viris atque matronis,ad ſponſum miſit. Dos ei triginta duûm millium aureorum fuit, ſed tunc promiſſa duntaxat,non etiam exoluta. Aduenienti non modò ſponſus cum amicis, verùm etiam Fridericus imperator cum nonnullis principibus electoribus,& mille equitum comitatu obuiā profectus eſt. Siradiæ deinde Cazimirus rex cōſiliariorum conuentum habuit ad diem diuo Martino ſacrum ea potiſſimum de cauſa, vt ſibi publicè ſubſidium in dotem filiarum (nam & Sophiam Alberto Friderici Marchionis Brandeburgenſis filio deſponderat) & in apparatum nuptialem conferretur. Ac non eſt quidem negatum: ſed reiectum ad arbitrium minorū Polonorum, qui non conuenerant. Ne denuò quidem ij ad diem diuo Nicolao ſacrum euocati, venêre, non ignari quamobrem accerſerentur. Ita nihil tunc perfectum eſt de ſubſidio. Rex quod reliquum erat anni partim Pyſdris partim Coli commoratus, cùm de Sochaciouienſi arce & territorio cum Anna, quæ Vuladiſlai Maſouiorum ducis defuncti vxor fuerat, trāſegiſſet, ſub initium Februarij inſequētis anni cum non contemnendo procerum & mercenariorū militum comitatu eò contendit, arcemq; tradente Anna in poteſtatem ſuam redegit. Anteuerterant quidem eum Ioannes & Boleſlaus duces Varſauienſes, fauente pleraq; omni nobilitate eius oræ arcem occupaturi: ſed eos archiepiſcopi familia, quæ prior in arcē peruenerat, aditu prohibuit. Cùm igitur cogitatum facinus eis non ſucceſſiſſet, orare regem inſtituerunt, ne ſe hereditate ſua defraudaret: ſed nihil impetrarunt. Atq; ex eo tempore Sochaciouia in ditione regis permanet. Vngari verò & Poloni proceres cū apud antiquam villam cōgreſſi eſſent, inducias inter reges ſuos redintegrarunt, cùm inter eos conueniſſet, vt Mathias Cazimiro Smigrodum, epiſcopo autem Cracouienſi Muſſinam redderet: epiſcopus verò ne prædones ibi reciperet. Cum Moldauorum palatino vterq; rex duorum annorum inducias vt ſeruaret: Ad vtrum autē Moldauia pertineat, vt alio conuentu inter proceres diſceptaretur. Ad res deinde Pruſſicas rex animum intendit, permoleſtè ferens Nicolaum Tungenum inuito ſe in Varmienſem epiſcopam inuaſiſſe, & cū Vngaro ex profeſſo ſentire. Videbaturq; res ad rebellionem totius Pruſſiæ ſpectare, quòd & proceres nonnulli Pruſſi, & Gdanenſes ciues in primis Tūgeno nō obſcurè fauebāt: & verò magiſter Crucigerorū cū eo fœdus icerat, & cum legatis Vngari ſecreta colloquia habuiſſe ferebatur. Ita Cazimirus maturè Sochaciouia ꝓfectus cum duobus millibus mercenariorum militum, Breſte tamē, Neſſouiæ, Toruniæq; nullo operæprecio tempus triuit, minoris Poloniæ proceres diutius expectans. Interea venit ad eum Toruniam Vlricus magiſtri marſalcus & legatus, ſuſpicione magiſtrum purgans. Ipſe deinde magiſter Henricus Richtenbergius ad mediū menſis Maij Marieburgum, quò rex iam ad finem Aprilis venerat, acceſſit: acceptusq; perhonorificè prodeuntibus obuiā ac deducentibus duobus epiſcopis, aliquot palatinis, & omni aulico comitatu regio: factaq; audientia, denuò ſe regi purgare inſtituit, & nouum iuſiurandum, ſi poſceretur, obtulit: cōtra Tungenum conſilio & auxilio ſe regi non defuturum eſſe promiſit. Sed tamen benignè dimiſſus à rege, quod promiſit non præſtitit, varias moras & excuſationes nectens. Penultima die menſis Iulij Cracouiæ tectum ædis ſacræ, quæ à diuo Franciſco nomen habet, dum ſacrificium in ſumma ara peragitur, fulmine ictum conflagrauit, eodemq; ictu imago Chriſti Dei noſtri crucifixi ſculpta, in medio Chori edito loco ſita, cōminuta eſt, lapides ſiniſtri parietis templi abraſit, aliquot homines afflati: è quibus tamen vnus tantùm de ſodalitate Franciſcana mortuus eſt. Res prodigij loco habita. Vt autem eam commemoraremus, admonuit nos illud, ꝙ centeſimo anno poſt, dum nos quartæ editioni opus hoc præparamus & recognoſcimus, nō multū diſſimile quiddam in eodem templo accidit. Nā Anno 1576. die 25. Menſis Maij, pomeridiano tempore, fulmen horribilem ſonitum edens, intactis tegulis & fornice, itidem imaginem crucifixi in medio tēpli defixam contriuit, & in nihilum redegit, titulo, qui cruci de more affixus erat illæſo. Aliam quoq; crucem in vertice vexilli ad aram maximam ſiti cōminuit. Conſecuta ſunt hoc quidem recens, rebellio Gdanenſium & bellum ei vrbi à rege Stephano, non ſine honoris præfatione nominando, illatum, & aliquot menſibus clementi exitu finitum: illud verò Pruſſici motus, quos dudum memorauimus, & mox memorabimus. Ea quidem ipſa Gdanenſis ciuitas ſeditione turbata eſt. plebe con-

Conuentus conſiliariorū Siradiæ.

Sochaciouia in poteſtatē regis Poloni venit. 1476. ann.

Maſouij duces à Sochaciouia repulſi.

Induciæ inter Vngaros & Polonos.

Pruſſici motus.

Henrici magiſtri Crucigerorum ſuſpecta fides.

Templum S. Franciſci fulmine ictum conflagrauit.

Quarta editio

Fulmen imaginem Crucifixi in medio templi contriuit.

Gdanenſium rebellio.

Gdani ſeditio.

tra magiſtratum furente. Sed eam ſeditionem rex Cazimirus miſſis illuc Iacobo archiepiſcopo, & Ioãne Rithuianio marſalco ſedauit. Elbingæ deinde conuentum Pruſſorum contra Nicolaum Tungenum inſtituit. Sed infecêre conſilia eius Gdanenſes: & res Valachicæ & Podolicæ eũ in Poloniam reuocabant. Redierat enim à Mahomete Turcarũ imperatore Martin⁹ Vurocimouicius, renunciabatque, in Bulgaria apud Varnam ſe eum cum ingentibus copijs in Valachiam cõtendentem reperiſſe: expoſitiſq; mandatis regijs, reſponſum ab eo accepiſſe, illum poſtulata regis factu rum fuiſſe, ſi ea apud Adrianopolim in procinctu, ac non iam in expeditione & itinere accepiſſet: Tranſalpinenſium Tattarorumq; ſibi vectigalium querelis & precibus excitum, bellum illud ſuſcepiſſe: eis deeſſe nõ poſſe: daturum tamen etiamtum pacem Moldauo, ſi is tributum ipſi penderet, captiuos remitteret, Kiliam vrbem ad oſtia Danubij ſitam (quæ neſcio an Achillea ſit integro vocabulo) Beſſerabibus reſtitueret. Quas conditiones cùm Stephanus palatinus Moldauiæ non acciperet, Mahometem nauibus tranſmiſſo, & ob dubiam fortunam belli quinque pontibus iuncto Danubio, Moldauiæ infeſta ſigna intuliſſe. Ab alia verò parte Tattaros quoque eam infeſtare: quibus dum obuiam it cum ſuis copijs Stephanus ſpacium tranſmittendi per ocium Danubij Turcis datum eſſe. Hæc fere Vurocimouicius referebat. Conſequebantur autem eum ipſius Stephani nuncij alij poſt alios nunciantes regi, Tattaros quidem ingenti clade ab eo profligatos, fugatoſq; vſque ad Boryſthenem, pręda omni, impedimentis, & veſtibus atque armis etiam abiectis, perpaucos tranato flumine euaſiſſe. Contra Turcas verò non ſatis virium eum habere, nec audere eis aperto Marte reſiſtere. Ipſum ditionem ſuam longè lateq; vrere, ne progredi longius hoſtis poſſit propter pabuli & commeatuum inopiam: pabulatores & frumentatores neceſſario longius à caſtris progredientes ex inſidijs carpere, & excipere: verùm à fronte pariter & à tergo ab hoſtibus circundatum, diffugientibus ſuis, ipſum quoque melioribus rebus ſeruare ſe coactum eſſe. Et quamuis propè triginta millia hoſtium trucidata ſint, tamen leuiculum videri id detrimentum in tanto exercitu. Moldauos verò non pluribus quàm ducentis eo cõflictu amiſſis,

Mahometis reſponſum legato Cazimiri datum.

Turcæ ac Tattari Valachiam infeſtarunt.

Stephani legatio ad regem Polon. Tattari profligati à Stephano palatino.

Turcarum ſtrages in Valachia.

tamen ſiue diffiſos viribus ſuis, ſiue aduerſa fortuna alienatos à Stephano, ſibi quemq; priuatim proſpicere: nihil in commune conſulere. Sed facilè eorum animos & ſanari & recreari poſſe vel mediocribus Polonorum auxilijs. Quòd ſi fortè Moldauia regi minus eſſet curæ, at de Podolia & Ruſſia eſſet ſollicitus. Periculum enim eſſe, ne Turcæ peruaſtata Moldauia in eas oras continuata populatione excurrerēt. Quod quidē ita accidit. Percurſata enim omni Moldauia, Sociauia & Chocimo, alijſq; munitionibus fruſtra tentatis, Podoliæ quoque fines ij attigerunt, & aliquot vicos ignobiles atque pagos exuſſerunt. His igitur cognitis, Cazimirus Ruſſiam omnem, Podoliam, & Belſenſem tractum arma ſumere, & cum Paulo Iaſenio theſaurario, & Belſenſi Chelmenſique præfecto ad Moldauiæ fines ſine mora præſto eſſe iubet: ipſe omiſſa in præſens rerum Pruſſicarum cura, ſororeq; Elizabetha vidua, quæ cum Henrico Stolpenſium Pomeranorum duce nupta fuerat, & illis ipſis diebus cum filio Boguſalo ſiue Boguſlao viſendi ipſius gratia Marieburgum aduenerat, honorificè dimiſſa, reditum in Poloniam maturauit: & ad medium Auguſti menſis Petricouiam, quò edixerat comitia acceſſit. Ibi conſumptis nequicquam in conſultatione de republica ac defendenda ſeu vindicanda Moldauia tribus hebdomadibus, nihil vtile conſtitutum eſt. Neque enim accommodatum eſſe videbatur expeditioni bellicæ anni tempus autumnale: & Ruſſi cum Iaſenio cùm diutius apud Cameneciam & alijs in locis Podoliæ ſtatiua habuiſſent, neque tranſgredi ſine rege fines regni ad opem ferendam Valachis implorantibus vellent, neque domos iniuſſu regio diſcedere honeſtum putarent, non minoribus damnis omnem eam oram affecerunt, quàm ſi hoſtilis exercitus eam peruaſiſſet. Noui deinde conuentus minorum quidem Polonorum Corcini, maiorum verò Coli ad medium Septembrem inſtituti. Et Corcini quidem rege ipſo per ſe poſtulante quaternorum groſſorum tributum agrarium ſcitum eſt: maiores verò Poloni labefactationem iuris publici cauſſificati ſunt, quòd Mathias Moſinius præfecturam maioris Poloniæ, & palatinatũ Caliſſienſem pariter obtineret. Cazimirus Corcino Lublinum profectus, ſalutata regina, quæ Radomia illuc venerat, in Ruſſiam ad Belſum vſque progreſſus eſt, vt fama aduentus ſui ſuos re-

Turcæ ora Podoliæ vexarunt.

Ruſſoram expeditio in Turcas.

Cazimiri ſoror.

Boguſalus Pomeraniæ dux.

Comitia Petricouia.

Podolia à Ruſſis diuexata.

Præfectura maioris Poloniæ cum palatinatu.

recrearet, Turcasque reprimeret. Nec mora excesserunt ij Moldauia, siue metu regis Poloni aduentantis, siue peste pariter & fame afflicti, siue quòd hyems appropinquabat. Non parum verò momenti illud quoque Mahometi ad maturandum reditum attulit, quòd classem, quæ supplementum militum & machinas ad expugnandas munitiones ipsi subuehebat, tempestate disiectam amisit. Aliquanto autem plus per omne illud bellum Transalpini, quàm Turcæ ipsi Moldauis incommodarunt: quippe qui & locorum periti essent, & lingua eadem vterentur. Iidemq; Turcarum inopiam commeatu de suis agris supportando subleuarunt. At Mathias rex Vngarorum, vbi cognouit Mahometem se cum exercitu è Moldauia recepisse, hinc quoque vanam gloriam compendiumque apud Italos aucupatus est, abusus hominum credulitate. A se enim pulsum Turcam turpiter fugam cæpisse, literis diuulgauit: excidiumque eius pollicebatur. Quam vanitatem eius alebant apud exteras gentes viri literati, munificentia eius deliniti, res gestas eius scriptis suis in immensum attollentes. Qua quidem re illud sanè perfecit, vt Pontifex maximus cum omnibus principibus & communitatibus Italiæ, præter ducem Mediolanensium, qui imponi sibi passus non est, bis centum millia aureorum ipsi in subsidium conferret. In quo Ferdinandi Neapolitani regis opera & studium Vngaro maximè adiumento fuit. Filiam enim eius regis notham Beatricem illis ipsis diebus Mathias alteram vxorem duxerat. Sed non multo pòst Vngari vanitas redarguta est. Ad medium enim Octobrem Turcæ facta è Bosna excursione Carniolam, Carinthiam & Styriæ partem vehementer vastarunt, prædamque ingentem & plurimos mortales captiuos abegerunt: & mox munitiones ligneas ab ipso Mathia supra Danubium paulo infra Smiderouiã extructas, & quinque millium militum præsidio firmatas, quatuor quidem expugnarũt, quintam verò per deditionem acceperunt, ipso Mahomete cum maioribus copijs haud longè successum rei expectante. Porrò Fridericus Romanorum Imperator suspicatus Turcas à Mathia in ditiones suas immissos esse, simulque ratus oblatam sibi occasionem perduelles suos, illius fœderatos, vlciscendi, delectu suorum habito, & quatuor millium Boemorum auxilijs à Vladislao rege acceptis, nihil retardatus hyemis asperitate munitiones ipsorum perduellium partim per vim, partim per deditionem recepit. In æstatem verò maius bellum contra Vngarum apparabat: missoque oratore ad Cazimirum Raphaele Lescinio Polono, ad societatem belli eum contra communem hostem inuitabat. Huic Boemorum rex suam & ipse legationem eadem de re adiunxit. Quæ Vilnam prosecutæ Cazimirũ, quò se, non plus quin decim diebus apud Belsum commoratus, receperat, mandata exposuêre. Habebat autem is exploratum de hostili Mathiæ contra se animo, & subdolis machinationibus: nimirum quòd ille Moldauo abalienandi eius à Polonis causa auxilia contra Transalpinenses misisset: Nicolaum Comorouium fratrem Petri patruelem cum Alexandro filio ad se accitos de Berualdi, Ziuciæ, & Seslarorum munitionum Polonicarum deditione sollicitasset, promittens eas, quas ipsi in Vngaria ademerat, se redditurum esse, cum Crucigeris Prussiensibus fœdus clandestinum pridem inchoatum, in nuptijs suis confecisset, promissisque auxilijs, ad violandam pacem & bellum faciendum eos concitaret, atque in eam rem mercenarium militem in Silesia conscriberet. Hæc igitur cùm explorata haberet Cazimirus, ad mediũ Aprilem anni insequentis comitia Petricouiam Polonis edixit, ipseque subsequentibus Imperatoris & Boemorum regis oratoribus in tempore affuit. Re ad senatum relata, placebat quidem auxilia mitti Imperatori: sed quònam id modo fieret, non expediebatur, propterea quòd inane erat ærarium: nobilitas verò neque militare gratis vltra fines regni volebat, neque tributum sciscebat. Itaque responsum est oratoribus, regem domestici aduersus Turcas ac Tattaros, Crucigerosque, atque ipsos etiam Vngaros belli expectatione distentum, nulla in præsens auxilia Imperatori posse mittere. Et quo æquioribus animis id principes illi acciperent, ad Imperatorem quidem Andreas Opporouius Varmiensis episcopus, ad Boemum verò Ioannes Dreuicius, scriba siue secretarius regius oratores missi sunt. Ac Boemo quidem pater tria millia aureorum dono misit in subsidium, comparandorum ac Cæsari mittendorum auxiliorum gratia. In Prussiam verò ac Marieburgum præsidij causa misit idem Petrum Duninum castellanum Siradiensem & præfectum

Margin notes: *Classis Turcicæ naufragium.* — *Mathiæ regis vanitas.* — *Mathias literatos coluit.* — *Subsidiũ ab Italis Mathiæ regi missum.* — *Beatrix altera Mathiæ regis vxor.* — *Turcæ Carniolam, Carinthiam & Styriam populantur.* — *Frider. Imperator bello perduelles suos persequitur.* — *Friderici legatio ad Cazimirum.* — *Mathiæ hostilis animus in Cazim. rum & Polonos.* — *Comorouius ad defectionem solicitatus à Mathia.* — *Mathiæ fœdus cum Crucigeris.* — *1477 ann. Comitia Petricouiæ.* — *Legationes Polonicæ.* — *Legati cum exercitu in Prussiam missi.*

Lēciciēſem, & Ioannē Bialum, quo verbo album Poloni vocant, cum ſexcētis equitibus, & quadringentis peditibus mercenarijs, vt Pruſſos in officio continerent, ſuſtinerentq́; Crucigerorum impetum, ſi quem facerent in regiā ditionem, tantiſper donec rex ipſe cum maioribus copijs ſubſequeretur. Nō modò enim incertis rumorib⁹ iactabatur, Crucigeros ad rebellionem ſpectare, cum Vngaro per crebros internuncios fœdus & ſocietatē inire, Marieburgenſem & Culmenſem palatinos, Philippū Biſſouium conſulem Gdanenſem, & nonnullos alios regiæ ditionis in eorū partes inclinare, ſed certis etiam indicijs & literis interceptis conſilia eorum deprehenſa erant. Sollicitabantur etiam ab eis ad defectionem duces Maſouij: nec admodum ij abhorrere à tam nefario facinore videbantur propter offenſam, niſi conſiliarij quidā grauiores à cōcepto ſcelere eos reuocaſſent. Nec ſanè nihil actum eſt illa præſidij miſſione in Pruſſiam. Multorū enim animi ſanati ſunt, multi immatura adhuc conſpiratione à nouis rebus deterriti. Nobilitas quidē Pruſſica cum ciuitatibus conuentu Marieburgi ad exitū menſis Iunij acto, ſacramento ſe obligarunt, à Polonis nunquā defecturos. Si quod aūt bellum exoriretur, ſe pro illis arma ſumpturos: agreſtes quintum quenq; expedituros. Ciuitates verò ſingulæ militum certum numerum promiſerunt. Iā verò & ij, qui in ditione Crucigerorum erant, conuentu inſtituto ſtatuerunt inter ſe, non ſequi eorum temeritatem, ſi quod bellum Polonis ij facere vellent. Itaque non commouerunt ſeſe tunc Crucigeri, præſertim quòd neque Vngarus quicquā eorum, quæ conuenerant præſtabat. Coëgerat is quidem in Sileſia quinq; millia mercenariorū militum: atq; is exercitus priuſquam educeretur quópiam, permagna licentia in ſocios circumquaq; non modò prædis agendis, verùm etiam incendijs, ſtupris, cædibus, & omni genere crudelitatis debacchabatur. Sed ei Boemus, ſiue vt ſua tueretur, ſiue vt quoſuis Mathiæ conatus impediret, non multo minores copias è Boemia miſſas opponebat. Quarū aduentum cū non ſuſtineret ille Sileſienſis exercitus, in Vngariam ſeſe raptim euoluit, ſiue vt ſibi cōſuleret, ſiue (quod credibilius eſt) quòd à Mathia accerſeretur. Perduelleſne autē Imperatoris, fœderatos ſuos dudum ab Imperatore eiectos, vindicare is cupiuerit, an ſibi & Vngariæ finitimæ ab illo metuerit, incertum eſt. Duxit quidē & Vuladiſlaus ipſe exercitum illum ſuum è Sileſia reuocatū in Auſtriam, ab Imperatore accitus: verùm non diu ibi moratus eſt, ſiue quòd ſatis habebat Cæſar Auſtriam pacaſſe, ſiue quòd deerat pecunia in ſtipendiū tanto exercitui. Octo enim millia Boemorum habebat. Accepto igitur Viennæ ab Imperatore ſolenni ceremonia vexillo, quo ſe clientē Imperatoris Romani profitebatur, in Boemiam ſe cū omnibus copijs ſuis recepit. His igitur cognitis Crucigeri quieſcebāt. Nec parum & illud inquieta eorum conſilia turbauit, quòd Magiſtrum per id tēpus amisēre. Ac ſuffecerunt ij quidē defuncto Martinum Truchſeſſium, quem interdum Treſlerum Dlugoſſus vocat, cōmendatorem Oſterrodenſem, pridie Nonas Auguſti habitis Regiomonte comitijs: nec abhorrebat is à bello: ſed eū Fridericus Imp. minacibus literis deterruit. Sic igitur quietæ fuerunt hoc anno res in Pruſſia. Non itē in Polonia. Nouo enim conuentu poſt comitia Petricouiēſia Corcini inſtituto, fremere nobilitas & proceres in regē, nec velle tributum ab eo petitū ſciſcere, aut omnino ad conſilium de republica accedere, ꝓpterea quòd rex Derſlao Rithuianio palatino Cracouienſi poſt obitum Ioānis Pilecij ad caſtellaniam eiuſdem vrbis prouecto, Ioannem Rithuianium, qui fuerat caſtellanus Sendomirienſis, ſucceſſorem in palatinatu Cracouienſi dederat cōtra leges, quibus cauetur, ne vni plures magiſtratus honorésve mandētur, cùm idem Marſalcus regni eſſet. Iā verò de Nicolai Comorouij defectione ad Vngaros cōſtans fama increbeſcebat. Et res minimè contemnenda eſſe videbatur, propterea quòd arces & poſſeſſiones eius in faucibus Sarmaticorum montium, qui Poloniam ab Vngaria dirimunt, ſitæ, ſi ab Vngaro occuparentur, faciliorem ipſi aditum in Poloniam patefacturæ, & propter ſalſarum aquarum abundantiam reditus regios è ſalinis imminuturæ eſſent. Inde enim ſalem Vngaris ſuppeditari poſſe, quem ad eum diem è Polonia petere neceſſe habebant. Subornati igitur ſunt à rege, qui ægrum Comorouij animum ſanarent. Ad extremum Spitco Iaroslauius Leopolienſis ſiue Ruſſiæ, & Staniſlaus Vantropca Belſenſis palatini, ad eum profecti, perſuadere ei conati ſunt, vt arces illas cum poſſeſſionibus regi Polono traderet, pecunia, qua eas addictas ipſe tenebat, accepta: damnorum, quæ ſe Polonæ

Pruſſi ad res nouas ſpectant.

Maſouij ad rebellionem ſollicitati.

Nobilitatis & ciuitatū Pruſſicarum ſtudium erga Polonos.

Mathiæ regis exercitus fugatus è Sileſia.

Vuladis. rex Boem. à Friderico Imp. inueſtitus.

Mart. Truchſeſſius magiſter Crucigerorum.

Crucigeros Imperator à bello Polonico deterruit.

Fremitus minorum Polonorum in regem.

Nicolaus Comorouius ad defectionem ſpectat.

Salinæ in faucibus Carpathi.

Polonæ reipublicæ causa accepisse prætexeret, æstimationem, bonorum virorum arbitrio permitteret. Quibus rebus cum nihil apud eum proficeretur, missus Iacobus Dembenius palatinus Sendomiriensis, & præfectus Cracouiensis cum tumultuaria manu, arces eas intra quinquagesimum diem expugnauit. Ac Berualdum quidem diruit, Ziueciam incendit, Seslaros verò Marco Ratoldo addictos restituit. Tunc demum Comorouius Cracouiam ad regem accurrit, facinusque suum purgare, & priorum meritorum commemoratione diluere conatus est. Et eò quidem vsque inflexerat regis clementiam, vt ipsi alia bona in territorio Chelmensi pro ademptis illis dare vellet: verùm ille superbè eam conditionem aspernatus, & in Vngariam profectus, Mathiæ regis opem implorauit. Ea verò destitutus, in Poloniam rediit, & Crasnostauiense territorium à Cazimiro ægrè impetrauit. Mathias enim tunc iritatus à Friderico, cùm eum exercitum dimisisse cognouisset, nequicquā dissuadentibus ac deprecantibus Vngaris, & cōtra Turcas potius, qui Vngariā tunc populabantur, ire cohortantibus, in Austriam fecit expeditionem, eamque totam quanta quanta est, ad fines vsque Bauariæ peruastauit: oppida pleraque omnia & munitiones, ipsis Austrijs ferè dedentibus, in potestatem suam redegit: Viennam obsedit & oppugnauit: sed ab ea crebris Haugi comitis, qui intus erat cum non contemnendo militum presidio, eruptionibus non sine magna strage repulsus est, Friderico Imperatore apud Styriam vrbem se continente, & Boemorū Polonorumq; opē frustra implorāte. Iam enim hyems appetebat. Misit quidē ei Cazimirus in subsidium decem millia aureorum per Andream Borissouium cognomento Rosam, præpositum Lenciciensem: sed ea Cæsar non accepit, siue quod pauxillum id esset, siue ob spem pacis, cui componendæ non modò Pontificij & Venetorum oratores, verùm etiam Vngarorum proceres nauabant operam: idque hoc enixius, quod triginta millia Turcarum per id tempus excursione facta in forum Iulij, omnem eam oram vsq; ad Cuniglianum Venetiæ oppidū miserandum in modum vastarunt, deleto Venetorum præsidio, quod ipsis ad

Beruald[um] et Ziuecia arces destructæ.

Comorouius bonis exutus Crasnostauiā à rege accepit.

Mathias rex Austriam fere subegit.

Vienna obsessa.

Cazim. subsidium Friderico Imperatori misit con tra Mathiā.

Turcæ forū Iulij infesta runt, & Venetorum copias profligarunt.

Sontium siue Lisontium amnem duce Hieronymo Nouello opposuerāt. Tardius tamen ea pax, nec nisi Vngaro tempestatibus hybernis & niuibus reiecto ex Austria, conuenit: & quidem non satis honestis Friderico conditionibus: nempe, vt is se omni iure ac titulo regni Vngarici abdicaret: Boemici verò fasces, & quod vocant feudum, Mathiæ conferret: eidemq; pro munitionibus interceptis in Austria centum octoginta millia florenorum numeraret. Quarum conditionum postremæ non fecit satis. Quo factum est, vt Mathias diutius munitiones Austriacas, non inuitis Austrijs, qui Fridericum oderant, retineret. Sic igitur cùm alio bello occupatus fuisset Mathias, quietiorem, quàm expectarant, eum annum Poloni habuerunt. Stephanus autem Moldauiæ palatinus vltrò sumptis armis Transalpinam infestauit, Radulonem siue Draculam palatinum eius oræ à Coronensibus siue Brassouiensibus ciuibus proditum cæpit: eiectisq; Turcarum præsidijs Cipulissam vnum de suis purpuratis genti præfecit. Quin & Totrussiense territorium, quod in ditione Turcarū erat, ferro & igni vexauit, salinasq; fructuosissimas incendit. Sub huius anni principium Gregorius archiepiscopus Leopoliensis, vir in studijs humanitatis & bonarum literarum non mediocriter versatus, verùm libidinosus, cùm sanus apud Rohatinum degeret, in cubiculo pronus distensis manibus mortuus repertus est: cuius vitam Philippus Callimachus Florentinus descripsisse dicitur. Post quem plus quàm duobus annis vrbs illa caruit archiepiscopo. Boleslaus autem Masouiorum dux Annam vxorem, Pauli Hunouij palatini quondam Belsensis filiam, exagitatus à fratribus & proceribus, quòd imparem duxisset, eadem leuitate, qua duxerat, repudiauit. Quod quidem coniugium longè tamen minus indignitatis habuerat, quàm fratris eius Conradi, qui prius Cracouia abductam à viro plebeio vxorem nefario matrimonio sibi coniunxerat: ea verò defuncta, ac ducali pompa sepulta, alteram non minus obscuram puellam, Alexij cuiusdam filiam vxorem sibi adsciuit.

Pax inter Fridericū et Mathiam.

Stepha. Moldauiæ res gestæ contra Transalpinēses ac Turcas.

Gregorij archiep. Leopoliēsis mors.

Archiepiscopæ Leopoliēsis vacatio.

Masouiorum ducum dispar coniugiu.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER VICESIMVSNONVS.



AZIMIRVS rex amplius quatuor mensibus Cracouiæ præter morem commoratus, ad exitum Nouẽbris inde discedens, & lignum crucis Christi in monasterio Calui mõtis de more veneratus, Radomiæ reliquũ anni tempus, & sequentis principium exegit. Ibi verò regina cum duobus filijs natu maximis, ac totidem filiabus relicta, Petricouiam, quò ad duodecimam diẽ Ianuarij comitia edixerat, se contulit. Nec tamen vllum operęprecium ibi fecit, cùm propter tardiorem aduentum & infrequentiam consiliariorũ, tum quòd ne nouus quidem magister Crucigerorum, quamuis euocatus promisisset, veniebat, vt secundum pacta in verba regis iuraret. Quin ad rebellionem planè spectare is referebatur. Cumq; ad depellendum bellum, quod ab Vngaro iuxtà atque Crucigeris impendebat, & ad continendos in officio Prussos sumptu opus esset, & in eum vsum tributum agrarium sciscendum esse plerisq; omnibus videretur, aliquot temerarij iuuenes de nobilitate maioris Poloniæ rem infecerunt. Priuilegium autem ibi tunc rex edidit, ne cui Sendomiriensem præfecturam oppigneratam, aut quouis modo obligatam habere liceret. Qui contra faceret, pro hoste publico, & læsæ maiestatis reo haberetur. Id autem Ioannes Rithuianius palatinus Cracouiensis perfecit, cùm ex testamẽto Derslai fratris castellani Cracouiensis paulo antè mortui præfecturam illam à Vuladislao tertio rege illi oppigneratam, gratis regi reddidisset. Conuentu dimisso rex in Prussiam contendit: Lenciciæ Vngarorum procerũ legationem secretam, defectionem à Mathia pollicentem, sola regina arbitra & interprete audiuit. Nec tamen ei quicquam certi respondit, iam antea fidem gentis dubiam & fluxam expertus. Breste deinde in Cuiauia Prussorũ conuentum egit, eoque magistrum rursus frustra euocauit: Cæterùm Prussorum suorum animos confirmauit: Sbigneum Vuladislauiensem episcopum gubernatorem eis dedit: Marieburgẽsem præfecturam à Ioanne Coscelecio in Petrum Duninũ Siradiensem castellanũ transtulit. Inde verò profectus, Lituanicum Breste adijt: ibiq; conuentu Lituanorum ad medium mensem Martiũ instituto, principatus illius rebus prospexit. Vicarium verò pro se de duobus filijs præsentibus vtrumuis petentibus illis relinquere noluit, quamuis Albert⁹ tacitis lachrymis cupere id se non dissimularet. Venit ad eum illuc Mahometis Turcarũ imperatoris orator cum nõ cõtemnendis muneribus, Tattarorum quoq; principis Nurduuuladi legationem secũ ducens, amicitiam & societatem petitum amborum nomine: adijciens: Tattarum Mahometis authoritate eò adductum esse. Quibus responsum est: Regem libenter accipere, quæ sibi deferrentur, suosq; oratores ad vtrunq; confirmandi fœderis causa missurum. Quid autem Mahometem ad petendum fœdus tunc adduxerit, non reperio: nisi fortè res aduersæ, cladesque superiori bello Moldauico terra marique acceptæ: & quòd non solùm eius, quem Stephani clientis sui iniuriam vltum ire credebat, sed plerorumque omnium Christianorum principum socia arma, coniunctasque vires metuebat. Audiebat enim eos dudum dissidentes, in gratiam redijsse studio belli communi consilio & iunctis viribus sibi faciendi. Turcarum ac Tattarorum legatis dimissis Petricouiam rex redijt ad comitia denuò ad Pentecosten edicta. Interim episcopus Vuladislauiensis conuentu Prussorum Grudenti post Pascha instituto, nouo eos iureiurando, vltrò ab eis oblato, regi & regno obligauit. Id bísne, hoc videlicet atque superiore anno factum sit, an Dlugossus lapsu memoriæ repetierit, nescio. Ad Magistrum verò quinq; legati missi, qui eũ fœderis admonerent. Verùm ille nihil moratus salubria monita, non modò non venit Petricouiam ad comitia, sed etiam bellum cõtra regem adornabat, non tam suis viribus fretus, quàm Vngari & nonnullorum Germanorum principum vanis pollicitationibus, ac spe defectionis quarundam regiarum ciuitatum erectus. Et quo maiorem haberet belli faciendi opportunitatem, Brod-

ann. 1478.

Comitia Petricouiæ.

Sendomiriensis præfecturæ priuilegium.

Vngari proceres defectionẽ à suo rege meditantur.

Vuladislauiensis episcopus gubernator Prussiæ.

Petrus Duninus præfectus Marieburgensis.

Turcica & Tattarica legatio ad Casimirum de pace.

Prussi denuò iurãt in verba Polon.

Cruciger bellũ in Polonos renouant.

Brodnicia Culma & Starigrodum à Crucigeris redempta. Brodniciam & Culmam oppida, & Starigrodum arcem terræ Culmensis de Ioanne Sumbergio Bernardi defuncti fratre redemit, persolutis stipēdijs, quæ Bernardus bello superiore meruerat, & rex iam prior soluere cœperat. Eas igitur munitiones militum præsidijs firmauit, ipse cum exercitu ex agresti ferè multitudine coacta apud Osterrodam aliquādiu castra habuit, ab Vngaro pro missa expectans auxilia. Hæc Petricouiam renunciata, fecerunt vt sine difficultate & controuersia duodenûm grossorum tributum decerneretur in stipendia mercenariorum militum, per quos tunc in Prussia rem geri placuit. Nec aliud ferè quicquam memorabile actū in illis comitijs, nisi quòd importatio Salinæ Pincenses in Polonia. salis exotici in Poloniam vetita est, propterea quòd apud Pincum in maiore Legatio Cazimiri ad Mathiam regem. Polonia nouæ salinæ extitissent. Ad Mathiam verò missus est Stanislaus Vantropca palatinus Belsensis postulatum, ne ille rebellium contra regem suum Tungeni & Crucigerorum defensionē susciperet, fœderi, quòd antiquitùs inter Vngaros & Polonos constitutum, Ad Pontificem max. nec ita pridem renouatum intercederet, repugnantem. Porrò ad Pontificem maximum Ioannes Goslubius iureconsultus & canonicus Posnaniensis allegatus est, questum de Balthasare de Piscia nuncio ipsius, qui apud Vuratislauiam degens, Vuladislao quidē Boemo Cazimiro & Vuladislao regibus interdictum sacris. vt heretico, Cazimiro autem vt fautori hæreticorum in gratiam Mathiæ sacris interdixerat. Etsi enim ineūte vere pax inter Mathiam & Vuladislaum per vtriusque cōsiliarios apud Bernam siue Pax Bernensis inter Vngaros & Boemos irrita. Brunnam Morauiæ conuentu acto facta erat, Mathias tamen re apud Pelsnā, quam cum Budeouice retinebat, per præfectos præsidij sui contra Burianum Vuladislai copiarum ducem prosperè Res Boemicæ. gesta elatus, simulque tumultu Pragensis ciuitatis contra legatos suos Varadinensem episcopum, & palatinum Trāsyluaniensem temerè concitato iritatus, bellum instaurabat, pacem illam irritam esse dictitans, quippe quæ nec suo iussu, nec authore Pontifice, aut legato eius cōfecta esset: cui & legatus ipse Gabriel monachus, episcopus Agriensis, Legatus Pōtificius belli incensor. recēs cardinalis creatus frigidam suffundebat, & insanientem sua sponte, magis etiam concitabat: frustra retinentibus Vngaris & Silesijs proceribus, quibus pax exoptata affulserat. Reuertens autem ex Vngaria palatinus Belsensis Budensi præposito comitatus, illud responsum à Mathia retulit: Eum fœderatis suis deesse rectè non posse. Sed si Cazimirus bello contra Crucigeros abstineret, habere Mathiam vias, quibus Crucigeri ad officium reuocentur, & ipse fœderis iureiurādo cum eis sanciti religione soluatur. Hac igitur de causa Mathiæ responsum legato Cazimiri. missi ad eum denuò legati Ioannes Dlugossus, & Stanisla9 Marsalcouicius, qui Legatio Cazimiri ad Mathiam. exquirerent, quænam illa essent, quæ Mathias tectius significasset. Ac nihil ij quidem eiusmodi compererunt: pernegabat enim Mathias, se tale quicquam Cazimiro renunciari mandasse. Cùm autem animaduerterēt, magnas copias ab eo cōparari quibus partim Poloniā infestaret, partim Crucigeros adiuuaret, constituerunt cū eo, vt ad initium mensis Febr. regum vterq; consiliarios suos Olomuciam omniū controuersiarum cōponendarū pacisq; instaurandæ causa mitteret, interea verò vtrinq; ab armis discederetur: retineret tamen Polonus munitiones, quas de Tungeno in Varmiense ditione cæpisset. Verùm displicuêre vehementer hæc pacta Polonis, iniussu suo conuenta. Iam enim Cazimirus exercitum in Prussiam miserat: atque is Crucigeros quiescentes Bellū Prussicum. adhuc lacessere vetitus, Varmiensem oram infestabat. Præstò tamen fuit Tūgeno Magister cum aliquantis agrestium magis quàm militum copijs. Sed nostris nullam dimicandi moram facientibus, mox in tutum se recepit. Quo facto, liberius vastata est Varmia: ac ne Sambiensi quidem agro pepercit miles: munitionesque aliquot de Tongeno receptæ sunt. Ad hæc auxiliares Vngari copiæ septem millium militum, quę ductu Zeloni Boemi sub specie ferendæ opis Ioanni duci Zeganensium contra Albertum marchionem Brandeburgensem, per Pomeraniam Mathiæ regis copiæ bis à Marchione Brandeburgensi fusæ, & aditu in Prussiam prohibitæ. ad Crucigeros penetrare nitebātur, bis à marchione magna strage profligatæ erant. Quibus rebus perculsi Tungenus ac Magister, de pace cum Sbigneo Vuladislauiensi episcopo, Paulo Iasenio thesaurario regni, & Petro Dunino præfecto Marieburgensi regijs magistratibus tractare cœperant. Sed statim cœpto destiterunt, vbi de ictis inter reges inducijs, quibus ipsi quoque nominatim comprehendebantur, audierunt. Non tamen destitit regius exercitus à populatione Varmiæ munitionumque oppugnatione. Per id tempus Tattari Tattarorum excursio in Podoliam. domestica egestate penuriaque adacti, in Podoliam incursionem facere tentarunt. Sed cùm exceptorum per insidias hominum indicio comperissent, ad-

adesse Spitconem Iaroslauium Leopoliensem,& Ioannem Odrouanzum Podoliæ palatinos cum non contemnendo equitatu,discessione simulata in syluis aliquandiu delituêre, & mox securis nostris ad Bratislauiam excurrerũt: oppidum incenderunt:parumque abfuit,quin & arce potirentur : sed reiecti tamen, cum magna præda sese receperunt.

Turcarum excursio in Carinthiam.

Eodemque tempore Turcę in Carinthiam inuecti,eam oram,quæ est inter Malburgettum, Villacum & Salisburgum,acerbè depopulati sunt:longiusque progressi fuissent, nisi eius oræ homines ad pontem Draui fluminis cõcursu facto eis obstitissent, pontemque interrupissent: vbi mille trecenti ferè Christiani cęsi sunt.

Drauus fl.

Per omne autem id tempus post solutum conuentum Petricouiensem Cazimrus cum vxore partim Radomię,partim Sendomirię,partim Corcini & Cracouiæ commoratus est.

1479. ann.

Comitia Petricouiæ.

Insequentis demum anni die duodecima Petricouiam rursus ad comitia profectus est.

Mathiæ legatio ad Cazimirum.

Illuc venit ad eum legatus Mathiæ regis Iaroslaus Ciarnohorius, postulans, vt conuentum de pace redintegranda ad initium Februarij Olomuciam condictum, ad Maium differret, ad eumque ipse veniret. Fore id ex re ipsius pariter & Vuladislai filij, minoreque negocio res Prussicas componi posse. Quod si tempus illud locusque ipsi non placeret, mutaret arbitratu suo. Sed bellum tamẽ Prussicum interim intermitteret.Quod quidem idẽtidem repetitis legationibus Mathias vrgebat.Iam enim receptis cæteris munitionibus,Heilsbergam primariã episcopi arcem permunitam Poloni obsidebant:

Tungeni aduersæ res in Prussia.

Tungenus verò rebus suis diffisus, ad Magistrum in Sambiam profugerat.Grata hæc fuit legatio Cazimiro. Itaque licet Tungenum propediem debellatum iri speraret, nec sibi expedire videret aliquid ei laxamenti cõcedere, iussit tamen exercitum suum ab Heilsbergæ obsidione discedere,& omni bello abstinere.

Cazimiri legatio ad Mathiam.

Ad Mathiam verò tres legatos, Raphaelem Iaroslauium marsalcum, Paulum Iasenium thesaurarium regni,& Andream Rosam præpositum Lenciciensem, cum summa potestate misit, vt de conuentu cum illo constituerent, & spem ipsi facerent, facilè & Magistrum veniam,& Tungenum aliam episcopam, duasve pro vna impetraturum esse, si pax coiret.

Episcoporum mortes.

Decesserat enim paulo antè de statione vitæ Vincẽtius Kelbassa Culmensis episcopus, & perpetuus administrator Pomesaniensis,nobilis Polonus gente Nalẽcia: quẽ Andreas Brinius Posnaniensis,& Paulus Grabouius Chelmensis propè continuatis funeribus secuti sunt: hic quidẽ plus quàm quatuordecim,ille verò duobus & quadraginta annis & sex mensibus in episcopa exactis.Ac de Posnaniẽsi quidẽ fuêre competitores Vriel Gorcanus Lucæ palatini Posnaniensis filius, Gnesnensis & Posnaniẽsis præpositus,& cancellarius regni,cui collegium Posnaniẽse administrationẽ episcopæ vacãtis cõmiserat, & Stanislaus Curosuancius procancellarius. Sed Iacobo archiepiscopo interueniente collegium Posnaniense regiam authoritatem in eligendo Vriele secutum est : qui etiam promissum regis aliquanto antè habuisse dicitur.

Vriel Posnaniensis episcopus.

Reliquæ aliquãdiu sine antistitibus fuêre.Obtulerat igitur sese occasio trãsigẽdi de Varmiensi episcopa. Cum his mandatis profecti oratores regij, multis cum Mathia & consiliarijs eius colloquijs habitis, tandem constituerunt, vt ad Pentecosten Mathias duos episcopos,ac totidem alios proceres Siradiam ad conuentum cum Polonis instituendum mitteret: Magister verò Crucigerorum, & Nicolaus Tungenus ipsi adessent,& cõmuni Vngarorum & Polonorum placito Cazimiro reconciliarentur .Exoptabant enim & Vngari pacẽ, quo facilius assiduas Turcarum excursiones reprimere possent:nec deerat suadendo & orando Gabriel cardinalis legatus pontificius, Italicarum rerũ & Pontificiarum partium iuuãdarum studio.Ardebat enim tũc intestino bello Italia scissa in duas factiones:quarũ in altera erant, Sixtus Pontifex maximus,Ferdinandus rex Siciliæ & Neapolis, & respublica Senẽsium:in altera verò Veneti, Florentini, & Mediolanensium dux: quæ Gallorum quoq; regem in suas partes pellexerat,& quinquaginta ferè castella Pontifici ademerat: tantoq; odio inflammata in id bellum incumbebat, vt Veneti, ne Turcico bello impedirentur, pacem à Turcis redimerent, Scutara siue Scodra vrbe Epiri siue Albaniæ, in qua defendenda permultum pecuniæ sanguinisq; profuderant, eis tradita.

Italici motus.

Veneti Turcis pacem redimunt.

Quo verò debilior erat altera factio, hoc ardentius Mathiæ opem expetebat. Eius igitur belli intuitu Mathias ad pacem cum Cazimiro faciendam propensior tunc esse videbatur.Interea Cazimirus peractis comitijs Sophiam filiam, quam Friderico Alberti marchionis Brandeburgensis filio natu minori desponderat, Francofordiam

Sophia Cazimiri regis filia Friderico marchioni Brandeburgensi nupta.

am, quæ ad Odram est, ad spõsum cum splendido sexcentorum equitum comi tatu & apparatu transmisit: ipse nouis conuentibus maiorum & minorum Polonorum separatim institutis, duodenûm grossorum tributum impetrauit: Radomiamque ad reginam profectus, vsque ad Pentecosten ibi mansit. Inde Petricouiam redijt, Siradiamque nonnullos consiliarios misit: vbi Magister quoque Crucigerorum, & Nicolaus Tungenus, & regiæ Prussię cõsiliarij affuêre. Sed cùm ad vicesimam diem frustra Vngaros expectassent, Petricouiam ad regem venerunt. Ac Tungenus quidem ad pedes regis prostratus veniam impetrauit, permissusque habere Varmiensem episcopam, cum rege ipse pariter, & quæ præsens aderat legatio collegij sacri eiusdem ecclesię pacto sempiterno constituit, vt omnes deinceps episcopi, primores siue prælati, vt vocant, & Canonici illius basilicæ intra certum tempus posteaquam electi, aut in collegium id cooptati fuerint, conceptis verbis fidem suam regi Polono obstringant, & præstò sint ipsi, quoties opus fuerit contra Crucigeros: aduocatus quoque episcopalis vt & ipse in verba regis iuret: nec præficiatur quisquã ei muneri, nisi regis Poloni, aut ecclesiæ eiusdem subditus. Cæteri verò homines, qui sunt in ditione episcopi & collegij, decimo quoque anno idem faciant: prouocationem ad regem vt habeant: collegium sacrum vt non nisi gratum regi episcopum sibi deligat. Sed hæc eligendi episcopi ratio postea mutata est. Hæc ita tunc conuenêre. Nec multo pòst ipse Tungenus cum toto collegio in arce Marieburgensi, quemadmodum conuenerat, promissum impleuit. Magister verò vanis Mathiæ promissis, clandestinisq; literis & nuncijs lactatus, difficiliorem se præbebat, affirmans, Cutem sibi detrahi se passurum esse prius, quàm in verba regis Poloni iuraturum. Confirmabat autem eum Mathiæ legatio, quæ ad Cazimirum venerat, de differendo in aliud tempus conuentu Siradiensi, & inducijs cum Magistro ac Tungeno prorogandis postulans. Pendebat enim tunc Mathias ex euentu eius conuentus, quem cum Vuladislao Boemorum rege apud Olomuciam de pace instituebat: eoque conuentu se distentum præ se ferens prorogationem conuentus Siradiensis, & induciarum à Cazimiro petebat. Nec sanè difficilẽ hic se in eo, quod postulabat ille, præbuit: misisque ad eum Paulo Iasenio Sendomiriensi, & Ioanne Baseno Marieburgensi, quem nunc Elbingensem vocant, castellanis oratoribus, ad diem diuo Bartholomæo sacram conuentum distulit, & inducias prorogauit: ipse interim Radomiam, vbi regina erat cum liberis, secessit, Magistro relicto Petricouiæ. Ibi enim dilatum conuentum expectare ipsi visum est, non auso ad suos in Prussiam pace infecta reuerti. Interea pax inter Vngarum & Boemum præsentes Olomucij coiuit, iniquioribus Boemo conditionibus. Versabatur enim is in magnis angustijs propter motus & seditiones domesticas & insidias, partim Mathia subornante, partim Georgij Podiebradij filijs, & turbulentis Calixtinorum concionatoribus incitantibus, in caput suum intentas. Conuenit autem, vterque vt rex Boemiæ appellaretur: sed Vuladislaus sola Boemia contentus esset, Mathias Morauiam, Silesiam & Lusaciam obtineret quoad viueret. Post mortem autem eius, si Boemus prouincias illas à se abalienatas recuperare vellet, quadringenta millia florenorum Vngaricalium regi & regnõ Vngarico, & si quid præterea in redimenda bona oppignerata impensum esset, persolueret. Si tamen Boemi eundem sibi cum Vngaris regem crearent, nihil vtroque nomine solueretur. Paulò aliter hæc narrat Ioannes Dubrauius. Non vidit is fortasse diploma pactorum tunc conuentorum: cuius exemplum nos vidimus. Pace autem facta, cùm nihilo magis appareret in Polonia Mathiæ legatio, Magister cum suis Cazimirum Corcinum, quo se contulerat, secutus est. Eò tandem sub initium Octobris Stephanus comes Scepusiensis, & Vencesłaus Becicouius Boemus legati à Mathia venerunt, regemq; suum excusarunt, quòd bello Turcico implicatus Siradiam cõsiliarios suos ad constitutam diem non misisset. Satagebant autem ij magnoperè Magistrum cum rege Polono in gratiam reducere, renitentem admodum, quòd se in verba regis Poloni nunquã iuraturum esse, Deo & homini fidem dedisse diceret: Proferebat autem non pauca, quibus à Cazimiro læsum se esse præ'se ferebat. Quæ cùm omnia clarissimè refutata essent, oratores Vngari eũ à pertinacia reuocabant, denunciabant que apertè: Nõ oportere eum deinceps vllam rerum suarum spem in Mathia collocare: Barbarico bello illum distineri,

Nic. Tungenus in gratiam à rege recipitur.

Varmiensis ecclesiæ pacta cum rege Poloniæ.

Mathiæ & Vuladisl. regum conuentus Olomuciæ.

Conuẽtus et induciæ prorogatæ.

Pax inter Vngarum et Boemum.

Dubr. Boemicæ hist. lib. 31.

Mathiæ legatio ad Cazimirum.

neri, neque commissurum esse, vt iniustam causam tueretur. Iam verò sui quoque eum obtestabantur, ne sese & ipsos iret perditum, ac ne minis quidem abstinebant. His igitur nō tam flexus, quàm fractus, decessit tandem

Crucigerorū magister Martinus cū suis iurat in verba regis Polon.

de pertinacia: & nona die Octobris pacem & fœdus cum Polonis redintegrauit, & in arce Corcinensi fidelitatis & subiectionis iusiurandum regi solenni ceremonia dedit, præeunte verba Ioanne Cracouiensi episcopo. Idem fecêre, qui cū eo venerant, primores Crucigerorū, & cum his sex alij de nobilitate, ac tres consules Regiomontani. De cæteris verò omnium ordinum, qui tunc aberant, promissum, quòd & ipsi ad eundem modum iuraturi essent legatis regijs præsentibus. Iurarunt & regij consiliarij, qui recens in senatum allecti erant, se fœdus initum seruaturos esse.

Transactio regis cū Magistro.

De Brodnicia verò, & Culma, & Starigrodo à Magistro interuersis conuenit, vt is eas munitiones ad diem diuo Martino sacrum Regi redderet, octo millibus florenorum ab eo acceptis: de damnis eo bello, quod cum Nicolao Tungeno gestum est, Magistro & ordini datis, quaterni à rege Magistroque, & nonus ab ambobus communiter, delecti arbitrarentur. Soluitque eo nomine postea rex Magistro mille quingentos aureos Vngaricos. Porrò de literis fœderis inter Vngarum & Magistrum icti placuit, vt vtrinque ad diem postridie Calendas Februarij ad Rudolfum Vratislauiensem episcopum transmitterentur, & ab eo præsente Ioanne Lasocio Scholastico Gnesnensi, scriba & nuncio regio, nemini lectæ concerperentur.

Pax inter Vngar. & Polon.

Nam cum Mathia quoque & Vngaris pax conuenerat. His ita peractis magna omnium lætitia Vngari oratores & Magister cum suis honorificè à rege accepti ac donati, diuersi discessêre. Nec ita multo pòst rex in Lituaniam cum regina & liberis festinauit, Ioanni episcopo, Iacobo Dembenio castellano & præfecto Cracouiensi, & Paulo Iasenio castellano Sendomiriensi commissa cura transigendi cum mercenarijs militibus,

Militū grassatio ob non exoluta debita stipendia.

qui ob non exoluta Prussica stipendia passim, & maximè in ecclesiastica bona hostiliter grassabantur, à nullo scelere & flagitio sibi temperantes. Is enim tunc erat Lituanicarum rerum status, vt regis præsentiam vehementer requireret.

Moschorum dux Nouogrodum & magnā partē Albæ Russiæ subigit.

Nam Ioannes Moschorum dux subacto Nouogrodo magno, & compluribus arcibus atque castellis finitimæ Russiæ, quæ Alba dicitur, magnoque Lituanorum duci parebat, in potestatem suam redactis, reliquæ Russiæ & Lituaniæ vehementer imminebat. Amplum quidem is principatum à maioribus suis acceperat:

Moschi Tattarorum tributarij & seruitij.

verùm Tattaris, qui trans Rha siue Volgam fluuium incolunt, obnoxium ac tributarium vsqueadeò, vt legatis Tattaricis, atque etiam veredarijs tributum petentibus, vel alia quauis de causa venientibus, cum equis veherentur, dux ipse pedester obuiam prodiret, &

Equini lactis vsus apud Tattaros.

lactis equini (qui potus est Tattaris gratissimus) poculum venerabundus porrigeret: si qua gutta inde in iubam equi destillasset, eam lamberet: Interpreti legenti literas Imperatoris selectam vestem Sabellinam substerneret: ipse cum proceribus eas legi auditurus genua flecteret: nec vllum tyranni imperium detrectaret, etiamsi bellum cōtra Christianos, fœderatos, aut necessarios suscipere iussus esset.

Ioannis Moschorum ducis res gestæ.

Hanc tam duram seruitutem Ioannes vir magni animi & acer cùm ferre non potuisset, vxore Græca magis etiam hominem incitante sumptis armis excusserat:

Russi finitimi subacti à Moschis.

finitimos etiam Russorum principes cōsanguineos suos astu magis quàm armis subiugarat: & longius ad occidentem Solem prouectus, Nouogrodum magnum, ciuitatem amplissimam & opulentissimam, ac totius Septentrionis emporio celeberrimam,

Nouogrodū magnum Lituanorū magno duci tributarium.

quæ Alexandri Vitoudi armis adacta, centum millia aureorum nummûm, quemadmodum vult Vapouius, siue ciclorum, vt scribit Dlugossus, quos Rublos vulgò vocant, magno Lituanorum duci pendere erat solita, Lituanorum ope destitutam oppugnarat,

Nouogrodū captū à Moschis.

& in deditionem acceperat: trecentos ciuium primores interfecerat, eorumque facultates omnes abstulerat: reliquis verò ciuibus tertia modò parte facultatum relicta, quicquid erat reliquum ademerat: denique archiepiscopi ærarium auro, argento, gemmis, margaritis, & omni genere opum per multos annos congestarum refertissimum ac ditissimum spoliarat, solumque aurum, argentum

Nouogrodensis prædæ magnitudo.

& gemmas, atq; vniones trecentis curribus asportarat. Nam qui cæteram supellectilem portabant currus, fuerūt innumerabiles. Inde igitur auctus opibus & animis Moschus, totas prouincias Lituanis, dum Cazimirus Polonicis rebus diuersa parte orbis terrarum distinetur, ademerat, omnemque adeò Russiam & Lituaniam animo complexus erat.

erat. His ergo rebus prouiſurus Cazimirus, in Lituania tunc ſolito diutius commoratus eſt. Et quamuis Lituani proceres bello repetere amiſſa optimum factu eſſe cenſerent, maluit ille tamen quietis cõſilijs cum feroci Moſcho rem componere, quòd eum tanta acceſſione diuitiarum atque prouinciarum, numeroſis, & bellandi aſſiduitate exercitatis, & memoria partarum victoriarũ præſidentibus copijs abundare, ſuos verò longa deſuetudine armorum imbelles & effœminatos eſſe diceret: mercenario milite contra tam potentem hoſtem bellum geri oportere: cuius è Polonia & vicinis gentibus tam celeriter educendi ſibi copia non eſſet. Itaque aliquot annorum inducias cum eo pactus eſt. Hæc tunc in Lituania. Per id tempus autumni Turcarum centum millia, deductis ſecum Tranſalpinis auxiliaribus Tranſyluaniam ingreſſa, ad Sobinouiam ſiue Cibinium vrbem caſtra poſuêre. Præſenſerant eorum aduentum Vngari, & ad defendenda ſua tripartito cum totidem ducibus accurrerant: Fortè in vnum agmen, cui Stephanus Bathorus præerat, Turcæ incidêre. Stephanus vbi ſe in arcto poſitum pugnam detrectare, & cum reliquis duobus ſuorum agminibus coniungere non poſſe animaduertit, facit tamẽ eos certiores de neceſſitate dimicandi ſibi obiecta: & militibus ſuis voluntario iureiurando ſeſe obſtringentibus, quòd morituri prius quàm fugituri eſſent, arma expedit. Committitur acre prelium tribus fermè horis. Iamq; Vngari prægrauante Turcarum multitudine referre pedem cœperant, & ægrè eos ſiſtebat Bathorus, obteſtans pariter & obiurgãs, & recentis iuriſiurandi admonens, cùm ecce duo reliqua agmina, in quibus erant aulici regij & Raſcij, citato curſu inuecta in latus hoſtium impetum fecerunt. At illi re improuiſa conſternati, aliquandiu tamen conuerſis equis reſtiterunt: ad extremum verò conturbati & impulſi fugam fecerunt. Ibi tunc magna fugientium ſtrages edita eſt. Neminem enim, præter quinquaginta inſigniores captiuos, Vngari viuum ſeruabant. Nec tamen incruenta ceſſit eis victoria. Cecidêre multi fortes viri, in quibus nobiles in primis Paulus Knes, quo nomine Slaui ducem & ſacerdotem appellant, & Iaxitius Raſcius ductores agminum: quorum opera maximè victoriam illam tam preclaram & omni æuo memorabilem Bathorus, quanquam & ipſe ſaucius, Mathiæ retulit. Ille enim

Cazimirus à Moſchico bello abhorruit.

Lituani imbelles facti.

Induciæ Lituanorum cũ Moſchis.

Turcæ Tranſyluaniam infeſtant.

Baſa.

Prælium Vngarorum cũ Turcis.

Turcæ victi ab Vngaris.

Knes.

graui pedum dolore impeditus, in Vngaria decumbebat, vſque adeò afflictus, vt paſſim diuulgaretur, eum extremũ clauſiſſe diem, veneno ſublatum. Sed probauit is anno ſequenti ſe viuere, Auſtriam per Thomam Tarcium populatus, & Racheſburgo oppido per vim potitus, cùm à Turcis, ad alia bella, quemadmodum ſtatim exponemus, auerſis, ocium & quietem nactus eſſet, cum Polonis autem & Boemis pacem feciſſet. Eum verò annum & conſequentes aliquot Cazimirus rex iam grandæuus, cum vxore & liberis in Lituania venationibus vacans conſumpſit: neq; memoratu dignum quicquam tunc in Polonia, pace per circuitum parta, accidit, præter quòd Ioannes Dlugoſſus canonicus Cracouienſis non multo antè deſignatus archiepiſcopus Leopolienſis, viuere pariter & annales Polonicos ſcribere deſijt, vir nobilis gente Vienia uius, virtute & conſtantia ſumma, eruditione & facũdia, vt illis temporibus, non vulgari, & induſtria ac dexteritate in rebus gerendis ſingulari præditus. Quas ob res, quamuis Cazimirum regem Sbignei, ac deinde rurſus Iacobi Sehneniorum ornamentis impenſius ſtudendo grauiter offendiſſet, ita vt ſacerdotiorum fructibus ſpoliaretur, Cracouia à præfecti apparitoribus cõtumelioſè eijceretur, proſcriptusq; de vita periclitaretur, poſtea tamen idem rex plurimum eius opera in obeundis legationibus maximi momenti atq; dignitatis, & in erudiendis liberis ſuis vſus eſt. Vnde ditatus inſignia reliquit beneficentiæ ſuæ pietatisq; monumenta. Sed quoniam extat vita eius, ſiue à Philippo Callimacho, ſiue à quopiam alio diſertè ac diligenter conſcripta, ſatis ſit obiter hæc paucula de eo perſtrinxiſſe. Anno dehinc tertio ad medium menſis Iunij peſtis atrox ex Vngaria proſerpens, Cracouiam, omnemque minorem Poloniam inuaſit. Sequenti verò anno maiorem quoque Poloniam, Maſouiam, Pruſſiam, ac Boemiam peruaſit, & plurimos mortales abſumpſit. Inter quos inſignis fuit Simon Lipnicienſis, eccleſiaſtes diſertus, Bernardiniani ſodalitij ad meridianam portam Cracouiæ degentis, homo plebeius quidem, & obſcuro loco natus, ſed probitate & ſanctimonia vitæ clarus. Ad cuius ſepulchrum poſtea complures ægroti priſtinæ ſanitati reſtituti eſſe memorantur. Quod quidem de Cazimiro quoque Cazimiri regis filio, non modò conſtanti fama, ſed etiam certis grauibusq; teſtimo-

Mathias podagricus.

Auſtria vexata à Mathia & Vngaris.

ann. 1480.

Ioannes Dlugoſſus hiſtoricus, & Archiepiſcopus Leopolienſis deſignatus obijt.

Vita Dlugoſſi.

ann. 1482.

Peſtis dira.

Simon Lipnicienſis.

Cazimiri ſancti principis mors & ſanctitas.

nijs affirmatur : qui Simonem hunc in-
tra vertentem annum conſecutus eſt, a-
pud Vilnam tabe conſumptus, & in ba-
ſilica eius vrbis à patre ſolenni pompa
ſepultus: & ipſe ſanctitatis opinione cla
„ rus. Fertur autem is tam caſtè & conti-
„ nenter vixiſſe, vt medicis concubitum
„ ſuadentibus ſi ſanus eſſe vellet, mortem
„ oppetere, quàm legem pietatis Chriſtia
„ næ tranſgredi maluerit: longè aliter ſen
„ tiens, quàm multi mortales corruptiſſi-
„ mo hoc noſtro ſæculo, qui neq; pœni-
„ tendum, neq; pudendum ſibi eſſe ducũt
„ in cœno libidinum volutari. Creuerat
interim in Polonia licentia hominum
& audacia, cœperantq́; nonnulli nobi-
liores etiã rapto viuere. In quibus Chri-
ſtophorus Saffranecius, nobili genere
ortus, & non contemnendis opibus præ
ditus, facta manu perditorum hominũ
è Peſcouaſcala arce vias publicas infe-
ſtabat, mercatoresq́; Cracouienſes com
plures copioſos & honeſtos Lublinum
ad nundinas proficiſcentes diripuerat
& trucidarat. Hac igitur de cauſa pro-

Christophorus Saffranecius ob latrocinium capite plexus.

ſcriptus, & cùm proſcriptionem contẽ-
neret, circumuentus & captus, Craco-
uiæ iuſſu regio capitali pœna affectus
eſt. Ita pacatiores tamen factæ ſunt viæ.

Boemia & Praga ab improbis concionatoribus turbatur.

Nec Boemia interim, & Praga præſer-
tim à domeſticis motibus quieta fuit,
ſchiſmaticis & profligatis ſacerdotibus
atq; cõcionatoribus in abſentes epiſco-
pos, Cardinales, & Pontificem maxi-
mum, mox in præſentes monachos, &
magiſtratus vrbanos, ac in regem deni-
que populũ concitãtibus, ita vt is in au-
la vrbana oppugnaretur & obſidere-
tur, & inde ſub noctem clam traiecto
flumine in arcem, quam S. Venceſlai vo
cant, ſubducere ſeſe cogeretur. Quam
ex eo tempore munire cœpit. Sed nos
noſtra proſequamur. In Ruſſiam dein-
de Cazimirus rex iter fecit, vt à Stepha-
no Moldauorum palatino pridem pro-
miſſum, ac diu dilatum fidelitatis iuſiu-
randum ritu ſolenni acciperet, ipſomet
palatino, qui ad eam diem varijs cauſi-
ficationibus id extraxerat, inuitante, ex

Turcarũ varia huius tẽporis bella.
Turcæ à Rhodo reiecti.

huiuſmodi cauſa. Imminebant tunc to
ti orbi Chriſtiano Turcarum arma. Af-
flixerat Rhodum graui bello Mahome
tes, & metropolim eius inſulæ vehemẽ-
tiſſimè oppugnarat: ſed non expugna-
rat tamen, magna cum ignominia &

Appulia vastata.

ſtrage reiectus. In Appulia verò Beſtiã,
& alia quædam ignobilia oppida vi cœ

Hydruntum captum.

perat ac delerat: Hydruntum autem prę
ſidio firmauerat: indeq́; eam oram om-
nem longè lateque ferro & igni vaſta-
bat. Vtrumque hoc bellum per legatos
geſſerat, ipſe eodem tempore cum ter-
tio exercitu in Syriam profectus erat.

Mahometis mors.

Sed in itinere propè Nicomediam ex-
tinctus, laxamentum ijs, quibus terrori
fuerat, attuliſſe morte ſua videbatur,

Turcarũ ciuile bellum.

propterea quòd Turcæ ſciſſi in duas fa-
ctiones, partim Baiazeti natu maiori,
partim Zizimo minori filio eius faue-
bant, belloq́; ciuili impediti erant: ita vt

Hydruntum receptum.

ij, qui Hydrunti erant in præſidio, cùm
ab Italis ad reſtinguendum illud quaſi
commune incendium à duce Alfonſo
Ferdinandi regis Neapolitani filio prin
cipe Calabriæ accurrentibus premeren
tur, omni ope ſuorum deſtituti, deditio
nem facerent. Vbi præclaram Chriſtia-

Vngarorum virtus.

nis operam Vngari, quos Mathias rex
affini ſuo in auxilium miſerat, nauarũt,
vtpote exercitati bellis Turcicis. Vide-
batur itaq; reſpiratura eſſe aliquanti-
ſper reſpublica Chriſtiana, ipſis inter ſe

Zizimi Turcæ fuga, captiuitas & mors.

Turcis belligerantibus, cùm Zizimus,
quem alij Selimum vocant, à Baiazete
prælio ſuperatus ad Sultanum Aegypti
ſe recepit, cumq́; opibus & auxilijs eius
fretus, bellum atq; prælium inſtauraſ-
ſet, iterum victus Rhodum profugit. A

Innocentius octauus Papa.

Rhodienſium verò militum magiſtro
ad Innocentium octauum pontificem
maximum, qui Sixto ſucceſſerat, Romã
trãſmiſſus, & à Carolo octauo rege Gal-
lorum Neapolim cum exercitu conten
dẽte abductus, in itinere vitam finiuit,

Alexander sextus Papa.

veneno, vt creditum eſt, extinctus Ale-
xandri ſexti pontificis opera, qui tunc
Innocentio defuncto ſucceſſerat. Baia-

Baiazetes imper. Turcarum.
ann. 1484.

zetes igitur pacem domi nactus, vt igno
miniam & clades paternas à Stephano
acceptas vlciſceretur, anno poſt Chri-
ſtum natum milleſimo quadringenteſi
mo octuageſimoquarto, in Beſſarabiã
& Moldauiam terra mariq́; expeditio-

Kylia & Biälogrodũ vrbes captæ à Turcis.

nem fecit: Kyliam, quam Lithoſtomon
Græcis veteribus dictam eſſe quidam
autumant, & Moncaſtrum ſiue Bialo-
grodum vrbes munitiſſimas, illam ad
Danubij, hanc verò non ad Boryſthe-

Pauli Iouij error.

nis, vt vult Paulus Iouius, ſed ad Tyræ,
ſiue Neſtri oſtia ſitam, non ſine magna
ſtrage ſuorum in poteſtatem redegit,

Moldauia peruastata à Turcis.

Moldauiamq́; omnem eo ipſo & ſequẽ-
ti anno peruaſtauit: ſubegiſſe Iouius me
morat, ſed falſo : quod ſtatim planum
fiet. Ceſſit quidem tunc Stephanus po-
tentiæ Turcicæ, cùm ei longè imparem
ſe eſſe animaduerteret: tutioribusq́; &

Valachiæ situs.

impeditioribus locis, vt eſt montoſa &
ſyluoſa ea regio, ſeſe continuit, Cazimi-
ri autem regis opem implorauit, pro-
mittens in verba eius iuraturum ſe tan-
dem eſſe. Non putauit Cazimirus ne-
gli-

Cazimiri cõs filium, de rebus Valachicis.

gligendam sibi esse illam occasionem deuinciendi & subiungendi sibi eius principis, qui Tattaros, Turcas, Vngaros vicisset, magnisq; incommodis affecisset, suum verò imperium ad illud tẽpus detrectasset. Licet autem facilè con ijceret, stabile firmumque non fore id, quòd non verè & ex animo ageretur, sed temporis modò causa simularetur, consultius tamen & cum minori periculo suo suorumque coniunctum esse ducebat, cum illo & per illum deuotos vniuersi Christiani nominis hostes à finibus suis arcere, quàm proditis quodammodo Moldauis, omnem grauissimi belli molem in seipsum deriuare. Quamuis enim nullam ipse Turcis inferendi sibi belli occasionem daret, nõ temperaturos tamen eos sibi esse existimabat ab inuadenda & infestanda Russia, Podolia & Lituania, si Moldauiam subegissent, & illum quasi intermediũ parietem diruissent: ac vel ipsos Valachos infestissimos sibi fore, quòd ope sua destituti, in barbari tyranni potestatem redigerentur. Denique vel sola fama aduentus sui Moldauis quidem animos ad defendendum sese suaq; redditum, Turcis verò terrorem incussum iri, ne longius progrederentur, aut diutius in munitionibus Moldauiæ subigendis immorarentur. Formidabile enim tunc erat Turcis nomen Polonorum. Igitur sub initium autumni anno

1485. ann. Christi 1485. Leopolim rex contendit, eoque Russica & Podolica nobilitas omnis euocata ipsi præstò fuit. Permulti etiam de Polonis & Lituanis voluntarij partim officij, partim spectaculi gratia illuc ad eum confluxère, equis armisq; bene instructi, ita vt viginti millium equitum bello aptorum numerũ comitatus ille expleret. Cum eo porrò Nestro seu Tyra amne apud Haliciam transmisso, Colomeiam ad constitutã cum Stephano diem sese contulit, & in latè patenti campo castrametatus est. Nec multo pòst Stephanus quoq; cum insigni procerum equitumque caterua affuit. Peruicerat autem is, ne in propatulo ea ceremonia fieret. Proinde in tentorio regio sublime solium præparatum erat: in eo rex ornatu regio sedebat, adstantibus consiliarijs. Stephanus vbi appropinquauit equo præstanti vectus, solus exclusis omnibus receptus est in medium ab equitatu regio cingente tentorium: desiliensq; à primoribus regij consilij obuiam prodeuntibus ad regem introductus est, vexillum signo terræ Moldauiæ exornatum manu tenens: & adorato, vt mos est gentis, rege, vexilloq; ad pedes sedentis abiecto in genua procidit. Interea solutis ex composito funiculis, qui tentorium sustinebant, detectoq; tabernaculo: quę fiebant intus cũctis longè lateq; patuêre. Ibi tunc Stephanus nihil ea re motus, solenni ceremonia conceptis verbis iusiurandum dedit, se cum vniuersa Moldauia in fide & clientela Cazimiri & successorum eius regum Poloniæ semper fo re, nec alium quẽquam, præter ipsum, dominum agniturum esse: contra quosuis hostes ipsi summis viribus præstò futurum: nullum cum quoquam fœdus contra ipsum initurum, neq; hostile quicquam contra eũ & Polonos moliturum: præmoniturũ etiam, si quem moliri quippiam eiusmodi præsenserit: pacem deniq; bellumq; cum nemine iniussu regis facturum esse: Quibus quidẽ verbis extremis Mathias rex Vngarorũ, qui & ipse Moldauiæ dominatum siue patrocinium sibi vendicabat, tacitè designabatur. Extat ea de re in Archiuo regis diploma Stephani, ab ipso & quatuordecim consiliarijs eius consignatum. Ita tunc ferox ille & acer bellator, & superbus multorum populorum regumque victor necessitate adactus regi Polono collum subdidit. Subleuatus deinde à rege, & ad osculum admotus, mensæq; adhibitus cum tredecim suæ gentis primoribus, & perhumanè acceptus est: deniq; hospitalibus donis ornatus, in Moldauiam se recepit, tribus millibus equitum auxiliariorum ex omni numero delectorum à rege acceptis: quibus Ioannes Carncouius cognomento Polacus præfuit. Quod cognomen is peregre, cùm in castris Sigismundi Cæsaris militaret, de patriæ nomine adeptus est: vir fortitudine, animi magnitudine, bellicis artibus, & solertia præstans: Stanislai Carncouij nostri dudũ Episcopi Vuladislauien. nũc iam Gnesnen. Archiepiscopi & Primatis Poloniæ, doctrina, prudentia, & pietate ornatissimi, magnus patruus: Ioãnis verò itidem Vuladislauiẽ. olim Episcopi (qui ei mortuo Cracouiæ monumentũ posuit) patruus. Posteriori quidem tempore Polacus ab Ioanne Alberto Rege Cazimiri huius filio, pro meritis suis ad Glogouiensem in Silesia & Medirecen. præfecturas euectus, & in ampliss. Senatum regni allectus, Landensis, ac deinde Gnesnen. Castellanus fuit. Cuius nomen à quodam Silesiorum annalium ante aliquot annos editorum compila-

Stephanus pal. Moldauiæ cum suis iurat in verba regis Cazimiri.

Ioan. Carnkovvki cognomento Polacus.

Stanislaus Carnkovvkj Archiepiscopus Gnesnẽ.

Silesiorum Annalium cõpilator.

Oo tore,

tore, immeritò proſcinditur. Non placuit homini Polonicæ nationis obtrectatori, vel neceſſarijs eius, Polonus pręfectus, ſeuerus præſertim, officij militariſq; diſciplinæ & pacis publicæ cuſtos vigilans, acerq; vindex. Quo magis ex iſtimationi mortui cōſultum hìc à nobis oportuit. Sed ad curriculum noſtrū reuertamur. Ex eo tempore Stephanus Polonicorum auxiliorum ope fretus, ad diſcrimen quidem vniuerſæ dimicationis cum Turcis non venit, ſed particularibus certaminibus eos vehementer exercuit, & ſæpe non ſine ſtrage fudit, fugauitque, Moldauis, qui & ipſi æquè ac Turcæ leuiore armatura vtebantur, animosè in eos procurrentibus, & cùm premerentur, ad Polonornm ſigna agmenq; extremum ſeſe recipientibus, & cum ijs pariter hoſtem ferocius in ſe inuehentem reprimentibus. Ita retinuit tamē principatum ſuū Stephanus, quamuis mutilum. Exceſsêre enim Turcæ Moldauia, Kyliam tamen & Biálogrodum præſidijs firmarunt: tractum que illum maritimum quem Beſſarabiam vocant, in poteſtatem ſuā tunc redactum, in hanc vſq; diem obtinent. Cazimirus conſtitutis rebus Valachicis, in Poloniam redijt: & Cracouiæ aliquandiu quietus, & quaſi vacatione ætatis vtens manſit: Fridericum filium natu minimum ſtudio & authoritate ſua ad epiſcopam Cracouienſem ſecundum Ioannem Reſſouium tunc mortuum euexit: quod quidem anno Chriſti 1488. factum eſt. Tattaricum autem bellum per Iohannem Albertum filium geſſit. Infeſtabat ea gens crebris incurſionibus, magniſq; incommodis afficiebat Podoliam atq; Ruſſiam ſiue vltrò, egeſtatiſq; ſiuę ſubleuādę gratia, ſiue à Turcis in Moldauia irritatis incitata. Fumabant longè lateq; non modò villarum & pagorū, ſed etiam vicorum & oppidorum incendia: abducebantur in fœdam ac barbaricā ſeruitutem agreſtes iuxtà ac nobiles viri, matronę & puellę: ſenes verò ac pueri longioris atq; celeris itineris labori ferendo impares immaniter trucidabantur: & miſerabilis erat omnino rerum facies. Excitus tandem ſuorum querimonijs, clamoribus, conuicijs, & commiſeratione Cazimirus anno 1489. cùm celeri nuncio Tattaros tranſmiſſo apud Tauane Boryſthene, Podoliæ & Ruſſiæ imminere accepiſſet, Ioannem Albertum cum expeditis copijs aulici comitatus ſui contra eos miſit: ac Ruſſicę & Podolicæ nobilitati, vt cū eo ſeſe coniungeret, imperauit. Et fuit ea dicto audiens. Cùm autem cognouiſſet Ioannes Albertus, Tattaros ſolita celeritate vſos, rapta præda raptim recedere, curriculo ſecutus eorum veſtigia, per nota viarum ac tramitum cōpendia ducentibus Podolijs, ad Copeſtrinum vicum peruenit. Ibi certior fit ab exploratorib⁹ & captiuis, Tattaros bipartito agmine cum duobus ducibus, quos Cæſares ſiue Cearos illi vocant, reuertentes, partim haud longè ab eſſe, partim aliquanto interuallo ſubſequi. Relictis igitur cū exiguo præſidio ſarcinis, & ijs equitibus, qui debilitatis curſu equis ſequi non poterāt, in id agmen hoſtium quod anteceſſerat, maiori animo quàm conſilio à tergo impetū fecit. Tattari à longè, vt in patenti planicie, noſtros aduentantes conſpicati, duxêre agmē cōuerſis equis, vt eſt mos gentis: denſumq; ſagittarum imbrem ſurſum verſus eiaculati, equos pariter & equites ſupernè conſauciabant, donec præpeti curſu inuectis noſtris res cominus gladijs geri cœpit: ibi verò impares noſtris armatioribus, in fugā conuerſi ſunt: quam tamen obiecta cœnoſa palus impediebat. Itaq; multi in prælio, longè plures in fuga cecidêre: capti multi: pauci ex eo agmine, quod quindecim millibus equitum conſtitiſſe memoriæ proditum eſt à Vapouio, cum duce abiectis equis in palude hæſitātibus, pedeſtres euasêre. Præda omnis à noſtris recuperata, & captiuis exuuijſq; hoſtium cumulata eſt. Nec mora, ad cæteros, qui ſequebantur, noſtri retrò contendêre: fortè fortuna ij improuiſo aduenientes impedimentis noſtrorum apud Copeſtrinum relictis potiti erāt: & cùm ibi aquæ mulſę, qua ferè in potu vtuntur Ruſſi & Podolij, aliquantum reperiſſent, ex itinere ſitientes largius ſeſe ingurgitabant, diffugiſſe noſtros rati. Id cùm noſtri cognouiſſent, in comeſſabūdos & ebrios facto derepentè impetu, quaſi in pecudum cæde ad laſſitudinē vſq; verſati ſunt. Dux quoque hoſtium alter correptis armis tentatoq; nequicquam cum paucis inordinatis Marte cecidit. Decem millia equitum in hoc agmine fuiſſe Vapouius prodidit, & ex eo numero paucos euaſiſſe. Sunt qui ad Sauoranū flumen, quod in Bogum influit, hæc geſta eſſe memorent. Non qui euêre tamē poſtea Tattari: ſed cùm rurſus in Podoliam populabundi hyberno tēpore excurriſſent, niuibus, quæ plurimæ tunc deciderant, impediti, rurſus inſigni ſtrage à noſtris tumultuariè coadunatis profligati ſunt. Nouē millia equitum

Polonorum auxilia Stephano Valachio data.

Turcæ à Stephano fati gati.

Beſſarabia.

Fridericus epiſcopus Cracouiēſis.

1488. ann.

Tattarorum excurſiones in Poloniam & Ruſſiam.

1489. ann.

Tauane.

Copeſtrinū.

Polonorum de Tattaris geminata victoria ductu Ioannis Alberti.

Aqua mulſa.

Sauoranus fluuius.

Tattari rurſus fuſi.

quitum fuisse feruntur. Verùm hæc victoria posterius, neq; Ioãnis Alberti ductu parta est. Tunc autem Ioannes Albertus re bene gesta, & lectis hostium spolijs victor ad patrem reuertit. Ex eo clarus charusq; cunctis haberi cœptus, militibus pariter & captiuis reducibus virtutem, dexteritatem & prudentiam eius prædicantibus. Quæ res magno ipsi adiumento fuit ad regnum Vngarorum adipiscendum, nisi fortuna nouerca in medio cursu eũ destituisset: quod mox persequemur, si paucis prius attigerimus, q̃ hoc ipsõ anno acta sunt: nempe quòd Cazimirus rex fœdus icit cum Baiazete Turcarum imperatore per oratorem suum Nicolaum Firleium gente Leopardiũ, qui postea castellanus Cracouiensis, & dux exercitus Polonici fuit, hac lege, ne quid alter alterius ditionibus & hominibus incommodaret. Cum Vuladislao quoque filio Boemorum rege denuo societatem contra Mathiam Vngarorum regem inijt. Erat enim Mathias quietis impatiens: & cũ multa de Vuladislao partim bellò, partim iniquo fœdere quæsiuisset, plura indies appetebat, ducesque Silesios Ioannem Zeganensem, & Henricum Munsterbergẽsem durissimis pactis ad dedẽdas sibi munitiones Zeganum, Sprotauiam, Cozuchouiã, Suebodinum, Grũbergam, Polcouiciam, Vartembergam & Franchesteinum, adegerat: cõtra Fridericum imperatorem, cui Vuladislaus cliens imperij rectè deesse non poterat, bellũ instaurabat: Austriam infestabat, & multas eius munitiones in potestatẽ suam redigebat: quin Boemiæ quoque imminere videbatur, & in Vuladislai caput Boemos quosdam sicarios comparasse dicebatur. Vuladisla⁹ igitur omnia domi forisque suspecta habens, & in paupere regno tamen alieno quoq; nomine valde obæratus, cũ se Mathiæ viribus imparem esse, Fridericum verò non modò nihil opis afferre sibi posse, verùm etiã ope sua indigere cerneret, ad patris arma recurrendum sibi esse putauit. Nec ille abnuit societatẽ, cùm filij, tum sua ipsius causa. Nouerat enim inquietum Mathiæ ingenium. Sed insequenti anno is omnes eos periculo & metu liberauit. Et intulit is quidem bellum Austrijs: exercitum Friderici imperatoris fudit: munitiones Austriæ plerasque, & in his caput gentis Viennam in potestatem suam redegit: Nouam ciuitatem obsedit. Verùm dum ea obsidetur, ipse Viennæ apoplexia extinct⁹ est. Funus eius raptim & minimè regali pompa Albam regiã, vbi regũ Vngarorũ sepultura fuit, ab Vngaris elatũ. Quo cognito Maximilianus Friderici imperatoris filius, quẽ paulò ante pater principibus electoribus assentiẽtibus Cæsarem siue regẽ Rom. appellarat, & Aquisgrani coronarat, cũ exercitu aduolans, Viennã & omnem Austriam in potestatẽ suam redegit, & patri reddidit: nigram legionem, reliquias Mathiani exercitus fudit ac dissipauit: mox Tirolensem comitatũ, q à Venetis infestabatur, donatione Sigismũdi patrui sibi adiũxit. Mors Mathiæ regis, noui, quanquam nõ diuturni, nec atrocis belli inter Vngaros & Polonos causa fuit. Quod quidẽ ex intestinò Vngarorum procerum inter ipsos dissidio coortũ est. Nam ij diuersis studijs partim ad Vuladislaum regem Boemorum, partim ad Ioãnem Albertum alterum Cazimiri filium, de quo dudum mentionem fecimus, regnum detulerunt. Nec deerant qui Maximilianum Cæsarem regnare vellent. Erant etiam, qui externos reges fastidiẽtes, Ioannem defuncti Mathiæ nothum filiũ, quem blandè Hanselicum vocabant, regem appellabant. Non repudiauit Ioannes Albertus oblatum regnum, inuitantibus & orantibus, qui ipsi studebant, Vngaris, patre verò suadente, & sumptus præbente. Sed Vuladislaus accitus à suis fautoribus celeriter cum tumultuarijs Boemorũ copijs adfuit: & Budã caput regni fauore Beatricis reginæ (quæ iam inde ex quo Vuladislaus Olomucij cum Mathia conuentum egit, aspectu eius capta erat, tunc autem nuptiarum eius spem conceperat) pulso Hanselico occupauit. Id cùm didicisset Ioannes Albertus, accepto à patre exercitu, in quo duodecim millia hominum mercede conductorum numerabãtur, sub signis in Vngariam ingressus est: & Sobinouiam, Eperiassum, & alia quædam oppida, quæ ipsi Budam contendenti in itinere occurrebant, in deditionem accepit. Cassouia verò vrbs & arte munita, & valido aduersariorũ præsidio munitior, & commeatu bene instructa venienti portas clausit. Non visum est eam Ioanni Alberto præterire, ne hostis à tergo relinqueretur, néue cæteræ munitiones eius exemplo, noui regis imperium detrectarent. Itaque obsideri ea, & bombardis è Polonia aduectis oppugnari cœpta est, sed nullo operæprecio. Ab extrema æstate in mediam hyemem extracta est obsidio. Interim tentata est pax inter fratres ab Ioanne Vardinensi, eodemque Olomu-

Ioannes Alberti Cazimiri filius clarescit. *Cazimiri fœdus cum Baiazete.* *Nicolaus Firleius.* *Poloniæ & Boemiæ regum societas contra Mathiam.* *Mathiæ regis inquietudo.* *Austria infestata ab Vngaro.* *Mathiæ res gestæ in Austria. Vienna capta.* *Mathiæ regis mors.* *Vienna & Austria recuperata à Maximiliano.* *Tirolensis comitatus.* *Vngarorum dissidium in creando rege.* *Bellum inter fratres.* *Beatrix regina Vuladislao fauet.* *Ioannis Alberti expeditio in Vngariam.* *Cassouia obsessa à Ioanne Alberto.*

censi episcopo, viro prudente & docto, qui ea de re in Poloniam ad Cazimirum, ex quo Ioannes Albertus dependebat, excurrit. Sed nihil impetrauit. Vuladislaus verò, cùm primores Vngaros plerosq; omnes opera & largitione Beatricis, quæ thesaurum regium in potestate sua habebat, ad se pellexisset, exercitum ad reprimendos fratris conatus misit. Cùm autem in propinquo essent duo exercitus, cœptum est ab Vngaris de pace agi, nolentibus regnum dubiæ Martis aleæ cōmittere. Constitutæ ad certum tempus induciæ, per quas illi Vuladislaum, Ioannes Albertus verò patrem consuleret, ac de conditionibus pacis inter dissidentes conueniret. Interea Ioannes Albertus soluta obsidione Eperiassum se recepit, & Vngari diuersi abière. Erat Cazimirus tūc in Lituania, ad repetenda bello sua, quę Moschi interuerterant, sese comparās. Etenim post Nouogrodum magnum subactum Russorum Seueriēsium principes vltrò ad Moschos defecerant, nō maxima re offensi: nempe quod cùm Vilnam venissent, ad regem quodam tempore intromissi non sunt: cumque vnus quispiam ex ijs importunius vrgeret, ac digitum foribus paululum adapertis inseruisset, ianitor eum attractis vehementius foribus pressit & confregit. Et luit quidem capite pœnam ianitor, non fuit tamen eo satiata ira principum: quin ij rectà ad Moschorum ducē profecti, eius imperio se suaque omnia subiecerunt. Siue autem hæc fuit causa defectionis, siue illa potius, quòd despicatui se esse Lituanis animaduerterent, ac de religione rituq; sacrorum ab illis quidem dissentirent, cum Moschis verò consentirent, illa tamen occasione permoti meditatum fortassis iam antè facinus maturarunt. Hæc igitur Cazimiro Moschici belli causa fuit. Et tamē maiore euehendi filij, quàm recuperandi amissa studio incensus, ira etiam in alterum filium, velut nimio plus cupidum & in se ingratum stimulante, pacē Ioāni Alberto dissuasit, ac prosequi cū cœptum bellum iussit, adfuturum se ipsi cum validis copijs, ac Tattarorum auxilijs, cùm primùm res Lituanicas composuisset, pollicens. Valde erant diminutæ Ioannis Alberti copiæ, plurimis militibus ad mentionem pacis, & quod per inducias angustiore annona & pabulo vtebantur, dilapsis: & tamen ei patris authoritatem secuto inchoatum bellum prosequi in hostico placuit. Finitis igitur inducijs, cùm primùm per

Seuerienſiū Russorum defectio ad Moschum.

Ladislaum

tempus anni sequentis potuit, proxima quæq; is populabundus vexabat, vastabatq;, donec Vuladisla⁹ querelis suorū, quorum agri vastabantur, motus, octodecim millia peditū pariter & equitū ex Vngaris atq; Boemis coadunauit. Maturandū autem is sibi esse duxit, quò patris aduentū prçuerteret, quem sibi infestum, graue bellū comparare audiebat. Vix quatuor millia bellatorum Ioānes Albertus habebat, dilapsis cæteris: nihil tamen territus hostilis exercitus aduentantis magnitudine, turpe esse ducebat & inutile, intra munitiones sese continentē obsidionis incommoda tolerare, & patris centum quadraginta ferè milliarijs Germanicis absentis & ęgrè molientis opem expectare. Itaq; cohortatus suos, vt pugnantes, & non inulti, sicuti viros fortes decet, mortem oppeterent potius, quàm ignauè fugientes, aut latitātes pecudum in morem trucidari se paterentur, in aciem eos eduxit. Dato vtrinq; signo pugnæ, ad manus ventum est: strenuè se gerebant Albertiani, primosq; hostium loco mouerant: sed prę grauante multitudine repressi, multis fortibus viris amissis cesſère tandē. Dux ipse cùm frustra aliquandiu instaurare prælium conatus esset, duobus equis in ardore pugnæ amissis, tertio quoq; grauiter sub ventrem sauciato, vix tandem Eperiassum euasit. Parum autē abfuit, quin à duobus Boemis insequētibus caperetur, cùm fracto gladio, quo se tueretur non haberet: ni Crupscius eques Polonus accurrens, suum ipsi gladium porrexisset: quo quidem ille vtrumque hostem transfixit. Vuladislaus de euentu pugnæ certior factus à suis, non obscurè præ se tulit, magis lætari se de salute fratris, quàm de victoria sua: missisque ad eum legatis, pacem cum eo fecit his conditionibus, vt Vngariam is deinceps missam faceret: Vngaris, qui in verba ipsius iurassent, iurisiurandum remitteret: acciperet autem in Silesia Glogouiam maiorem, Cozuchouiam, Sprotauiam, Zelonagoram, Suebodinum, Goram, Crosnam, Scenauiam, Opauiam, Carnouiam, Toscum, Bythomiam, Suirchleneciam, & Cozle, eaque omnia ditione teneret vnà cum liberis suis marib⁹, si quos habiturus esset tantisper, quoad rex factus non esset. Verùm vt ferrent tamen homines eorum locorum onera publica ex æquo cum Vngaris: dux autem ipse Ioannes Albertus liber & immunis prorsus ab ijs esset. Interea verò dū hęc prȩstantur, Eperiassum, is & Sobinouiam

1491. ann.

Prælium inter fratres exercitum.

Ioannis Alberti fortitudo & fuga.

Crupscius.

Vuladislai regis pietas.

Pacta inter fratres.

Glogouienſis, Opauienſis, & Carnouienſis dominatus in Silesia Ioanni Alberto concessi à fratre.

uiam retineret. Quòd ſi Vuladiſlaus nullis relictis liberis decederet, Ioannes Albertus poſt eum regnaret apud Vngaros. Nemini autem fraudi eſſet, cum eò cõtra Vuladiſlaum ſenſiſſe. Ad hæc, vt ijs, qui Mathiæ regis tempore exulaſſent, liber ad ſuos pateret reditus. Denique captiui vtrinque vt redderentur, itemq; munitiones captæ. Hæc ita tunc inter fratres conuenta, conſcripta, ac Vuladiſlai regis, & quindecim procerum Vngarorum ſignis conſignata, extant in archiuo regio Cracouienſi. Extant & aliæ literæ, quibus idem rex tributa ſiue exactiones, quæ ſibi publicorum onerum nomine ex ijs locis Sileſiæ quæ fratri conceſſera t, pendi debebant, eidem fratri condonauit. Quibus peractis Ioannes Albertus in Poloniam ſe recepit. Vuladiſlaus autem antequã dimitteret exercitum, Hanſelicum quoque cum non contemnendis Valachorum copijs Budam contendentem, & mox Maximilianum etiã Cæſarem, qui & ipſe ex pacto Friderici patris (quod ille tamen Mathiæ armis adactus repudiauerat) regnum Vngariæ ſibi vendicabat, & Albam regiam cæperat, profligauit. Sic ille tunc Vngariam pacauit. Nec tamen Beatricem vxorem duxit.

Hanſelicus, & Maximilianus Cæſar victi à Vuladislao.

Porrò Cazimirus Polonorum rex in Lituania certior factus de aduerſa Ioannis Alberti pugna, & quòd is ſaluus tamen euaſiſſet, bello Moſchico inducijs in aliud tempus dilato, maturabat reditum in Poloniam, vt acceptam in Vngaria ignominiam inſtaurato bello deleret: id adeò, ſiue quòd nihildum de tranſactione filiorum inter ipſos cognouiſſet, ſiue quòd eam tranſactionem non probaret. Tametſi abſque eo non deerant ei cauſæ redeundi in Poloniã, nempe vt Annæ filiæ, Boguſlao Scecinenſium Pomeranorum duci deſponſæ, nuptias faceret, eamq; honoris gratia deduceret, & Ruſſis opẽ ferret. Nam ruſticanus quidam homo, cognomento Mucha, collecto è Valachis & Ruſſis Pocucenſibus decem millium hominum exercitu, Ruſſiam infeſtabat, ſi non concitante, conniuente quidem certè Stephano palatino Moldauiæ. Tametſi Mucham tunc Nicolaus Chodecius, cognomento Zemelca, vir fortis, & rei militaris peritus, cum mercenario milite Polonorum ære conducto, cui præerat, fudit & repreſſit, multitudinemque illam promiſcuam diſſipauit. Cœperat tamen Mucha poſterius Ioanne Alberto iam regnante exercitum reparare. Sed cùm ad mulierem quandã Ruſſam, in quam deperibat, clanculum ſubinde commearet, obſeruatus & captus à Ruſſis nobilibus, Cracouiam ad regem miſſus eſt, ibique in carcere vitam finiuit.

Induciæ Cazimiri cum Moſcho.

Anna filia Cazimiri Boguſlao Pomerano duci nupſit.

Mucha Ruſſiã infeſtat.

Nicolaus Chodecius.

Mucha captus & extinctus.

Vilna igitur profectus rex Cazimirus, cm Trocos vnius diei itinere perueniſſet, languere cœpit: & inualeſcente morbo, vbi animaduertit ſupremum vitæ diem ſibi inſtare, teſtamentum condidit, quo Vuladiſlaum filium exhæredauit. Deinde ſacroſanctis Chriſtianæ religionis myſterijs ritè perceptis, menſe Iunio animam exhalauit, anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimoſecundo. Inde funus eius in Poloniam ſolenni pompa elatum, in baſilica Cracouienſi ſepultũ eſt. Nec multo pòſt pars vrbis ad Occidentem ſolem vergens cum ea domo academiæ, quam collegium maius vocant, fortuito incendio conflagrauit: diraq; lues & peſtis pecudum atque pecorum Poloniam peruaſit. Aliquanto autem ante mortem regis poſt medium Decembrem tres ſoles in meridie viſi ſunt: deinde cometes duûm ferè menſium ſpacio poſt Occidentem ſolem apparuit, prodigia, vt creditum eſt, mortis regiæ. Regnauit autem is annos quadragintaquinque, vixit ſexaginta quatuor. Per hoc tempus Turcæ cum Boſnam & Vngariæ fines infeſtarent, & Sabaciam arcem quam Rex Mathias de ipſis receperat, obſiderent, Vuladiſlai noui regis auſpicijs ab Vngaris & Boemis reiecti & fugati ſunt.

Cazimiri regis mors. 1492. ann.

Cracouiæ incendium.

Peſtis.

Prodigia.

Turcæ reiecti à Sabacia obſidione.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER TRECESIMVS.

IOANNES ALBERTVS REX.



CAZIMIRO ſepulto, ad medium Auguſtum Petricouiam noui regis creandi cauſa itum eſt. Ibi varia fuêre ſtudia procerum in regis defuncti filios abſentes partita. Ioanni Alberto fauebant plerique pro-

Polonorum Procerum diſsidium in creando rege.

Ioannis Alberti indoles. pter ætatis prærogatiuam, & specimen virtutis bello Tattarico editum. Nonnulli, elatiore animo & supercilio eius offensi, partæ de Tattaris victoriæ Vngaricum bellum aduerso euentu gestum opponebant: illam virtuti militum & fortunæ, hoc imperitiæ ducis acceptum ferentes. Hi verò partim Alexandro natu proximo, suauioribus moribus & liberalitate prædito, partim Sigismundo iuniori regnum destinabāt. Pro Alexandro erat fœdus, quo Poloni & Lituani Iagellonis regis opera coniuncti, sub vnius imperio semper se fore promiserant, & expedire id maximè regno videbatur. Iam autem Lituani patris morientis iussu, quemadmodum *Alexander magnus dux Lituanorum factus.* dictitabāt, Alexandrum ducem sibi creauerant. Refellebant hoc alij: Lituanos contra pacta conuenta venisse, qui in consulto senatu Polonico ducem sibi creassent: indignum esse, Polonos in rege creando eorum sequi sententiam, quibus ipsi præire deberent. Haberet sibi Alexander Lituaniā, Ioannes Albertus Silesiā à Vuladislao fratre assentientibus Vngaris & Boemis proceribus pacto promissam cum spe regni Vngarici: Sigismundum fato quodam aut prouidentia diuina Polonis regem relictum ac destinatum esse: & vegetioris autem *Sigismundi indoles.* animi eum esse, & generosioris indolis. Huius autem sententiæ authores erant Raphael Iaroslauius marsalcus regni, ac Tencinij, quos sequebatur cuncta Topororum familia. Idem sentire videbatur Sbigneus Olesnicius archiepiscopus Gnesnensis, qui Iacobo Sennenio successerat. Tametsi creditum est, eum hoc quidem præ se tulisse, re vera autem Ioanni Masouiorum duci studuisse: cum quo fixis in patenti campo tentorijs statiua habebat. Non ob- *Ioannes dux Masouiorum ad regnum Polon. aspirat.* scurè enim Ioannes, velut vetusto regum Polonorum sanguine oriundus, regnum ambire videbatur: & mille equitibus comitatus vnà cum fratre Cōrado ad comitia venerat. Res ad vim spectare videbatur, insolentius & ferocius sese gerentibus Masouijs. Quo com *Elizabethæ reginæ studium erga Ioannem Albertum.* perto, regina Elizabetha mille sexcentos equites ære suo Cracouię raptim conductos ad Fridericum filium episcopum Cracouiensem, & cæteros, qui Ioannis Alberti partes tuebantur, præsidij causa misit. Ex his complures erant, qui sub Ioanne Alberto in Vngaria stipendia meruerant. Ibi tunc superiores esse cœperunt Ioannis Alberti partes. Cumque frequens senatus in aulam regiam, vbi Fridericus diuertebat, conuenisset, & Fridericus archiepiscopo non veniente, comitijs præside ret, vicesimaseptima die mensis Augusti Ioannes Albertus rex renūciatus est, *Ioannes Albertus rex Polon. creatus.* non magis procerum suffragijs, quàm populi foris circum comitium stantis clamore adiutus. Cracouiam deindè reditum est: ibique de more nouus rex à Sbigneo archiepiscopo ritu solenni vnctus, diadema suscepit. Et quoniam nō satis securus erat ab ijs, qui ipsi in adipiscendo regno aduersati erant, siue adeò quòd vlcisci ipse eos cogitabat, & *Fœdus Ioānis Alberti & Vuladislai fratrum regum.* potentiam tamen eorum reformidabat, cum Vuladislao fratre Vngarorum & Boemorum rege secretò fœdus icit per oratores: quo disertè cautum est, vt mutuam sibi opem ferrent reges cōtra rebelles subditos. Nam & hic erat suis contemptui: Verùm non ita multo pòst, nempe post insequentis anni 1493. ann. principium Raphael Iaroslauius marsalcus, & Sbigneus Olesnicius archie- *Sbignei archiepiscopi Gnesnensis mors.* piscopus, principes eorum qui Ioanni Alberto aduersati erant, obiêre, angori animi, quemadmodum creditū est, confecti. Tametsi Sbigneus grandęuus aqua intercute, qua iam inde ante comitia laborare cœperat, extinctus est. Ei successor Fridericus episcopus Cra- *Fridericus Cardinalis archiepiscopus & episcopus Cracouiensis.* couiensis rege fratre postulante ab Alexandro sexto pontifice maximo datus est, ita vt idem episcopatū Cracouiensem retineret, Cardinalitio quoque honore cumulatus. Adeò verò mites fuêre soles anni illius initio vsque ad medium Februarium, vt arbores turgerent gemmis, aues nidificarent, nouosque fœtus excluderēt. Subsecutum est *Intemperies cœli.* autem frigus intensum diebus quindecim, quod omnia illa corrupit. Solenni inauguratione peracta rex paucos menses Cracouiæ commoratus, maiorem Poloniam mille sexcentorum equitum aulicorum comitatu toto ferè *Regius comitatus aulicus* anno obiuit. Quò venerunt ad eum le- *Venetorum legatio ad regem Polō.* gati Venetorum, & Baiazetis Turcarum principis, vtrique regnum ei gratulantes. Ac Veneti quidem prætereà, qui bus Baiazetes Albania per illud ipsum *Albania vastata à Turcis.* tempus peruastata, captoq; Dirrhachio vrbe maritima, è propinquo imminebat, ad bellum in Turcas suscipiendum regem cohortabantur. Turca verò per *Turcica legatio ad pacem petendā rege Polon.* amplis donis oblatis, pacem & amicitiam ei deferebat, siue quòd vires Polonorū eo bello, quod cū Moldauis gessit, exploratas reformidabat: siue quòd prouidebat, ne pluribus simul bellis distineretur. Facile enim cōijciebat, Ioannem Albertum, nisi fœdere & iurisiuran

iurandi religione adstringeretur, non defuturum esse Vuladislao fratri & Vngaris: quorum ditiones proximas ipse tunc infestandas ac subigendas sibi proposuerat. Nec multo pòst sanè eo ipso anno excurrerunt Turcæ populabundi duce Cadumo Bassa in Croatiam, & vsque ad Zagrabiam peruenerunt: & Vngaros cum Slauis & Croatis obuiam sibi progressos insigni strage profligarunt. Hæc igitur tunc Baiazeti pacis à rege Polono petendæ causa fuisse videtur. Diu fuit anceps Ioannes Albertus quid faceret, Venetisne, an Turcis gratificaretur. Huc eum pacis commoda inuitabant, illuc insitum gloriæ regnique propagandi studium, & vlciscendi patrui apud Varnam à Turcis interfecti cupiditas impellebant. Ad bellum autem procliuior cùm Turcicas vires secum perpenderet, animaduertebat apparatu maiori, & socijs auxilijsq; sibi opus esse. Occurrebant animo eius in primis Vngari, qui tunc à Turcis vexabãtur, & Vuladislaus frater. Cum his igitur primùm de bello Turcico communicare statuit. Nam Fridericus imperator senio morboq;, quem cãcrum vocant Medici, cõfectus, resecto crure, per idipsum tempus Viennæ obierat. His ita maturo consilio apud se constitutis, vix tandem intra vertentem annum legationem Turcicam rex dimisit, trium annorũ inducias cum Baiazete pactus iureiurando vtrinq; interposito. Deinde cũ Vuladislao fratre apud Liblium siue Leuociã conuentũ egit, Sigismundo & Friderico fratrib⁹ natu minorib⁹, & Friderico marchione Brandeburgensium sororis filio comitatus. Ibi publicè quidem redintegratum est fœdus inter Vngaros & Polonos. Secretò verò actũ esse dicitur inter solos fratres semotis arbitris de ratione belli gerendi contra Turcas, ac de eijciendo Stephano palatino è Moldauia, ac Sigismũdo fratre in locum eius surrogando. Sed rumor deinde siue verus, siue celandi consilij gratia confictus, vulgò sparsus est, infectis rebus discessum esse. Soluto fratrũ conuentu, Cracouiam se Ioãnes Albertus recepit: ibiq; legationẽ Turcicam alterã, q̃ tũc fortè oblatas inducias approbatura aduenerat, audiuit. Per quos quidẽ dies vltima die Iunij atrox intendiũ ad eam portam, quæ Noua appellatur, post occasum Solis grassatum maximã vrbis partem, q̃ ad Septentrionem & occidentem Solem vergit, cum tectis turrium & mœniũ atq; templis absumpsit: Post quod tempus Iudæorũ domiciliũ, qui eousq; sparsim in vrbe habitarant, grassanteq; incendio illo à militibus excussi ac direpti erant, Cazimiriam trãslatum est in ripam Vistulæ: quem locum Cazimirus magnus gymnasio destinarat, & exædificare cœperat. Vbi etiamnũ frequentes admodũ degunt. Sub finem Septemb. Tattari Tauricani siue Præcopenses in Podoliam & Volyniam populabundi excurrerunt. Qua de re maturè certior factus rex, aulicum suum comitatũ ad reprimendos eos misit: q quum se cum mercenario milite, qui tũc paucus publico stipendio ad p̃sidium regni cõductus erat, cõiunxisset, impigrè Tattaros cum grandi hominũ, iumentorũ, pecudũ, & omnis generis præda reuertẽtes persecutus est, & ad Visnoueciam castellũ Volyniæ assecutus, hostem non fefellit. Excepêre enim Tattari incurrẽtium in se nostrorũ impetũ, celeriterq; paucos pugnæ intentos circumuecti, ad manus quidem non temerè veniebant, verùm sagittis eminus equos pariter & homines configebant, & plena ad extremũ victoria potiti sunt, multis claris & fortib⁹ viris cæsis: in quibus p̃stantes fuẽre, Henricus Camenecius, ac Derslaus Glouini⁹. Per eos aũt ipsos dies duo portenta Cracouiæ extiterũt. Mulier enim quædam in platea, q̃ à sancto Spiritu nomen habet, infantem exanimem peperit, cuius dorso serpens viuus inhærebat, arrodens ac depascens cadauer. Altera verò in suburbana villa, cui Nigræ nomen est, ad decimum Cal. Nouemb. monstrum edidit cętera quidem humana figura, sed collo & aurib⁹ leporinis, & vno grandiore intestino totum ventrem occupante, diducto ritu spirans. Sequenti anno nihil memorabile accidit in Polonia, præter quòd Ioannes siue Ianussius Masouiorum Plocensium dux cœlebs in humanis esse desijt. Secundum quem Ioannes Albertus rex tractum Plocensem iure feudi, vt vocant, ad se deuolutum, regno adiunxit. De reliqua verò Masouia, Cirnensi, Varsauiensi, Vissegradensi, Zacrocimensi, Cechanouiensi, Lomzensi, & Nouiduuorẽsi territorijs distincta, cum Conrado fratre eius superstite sequenti anno ita transegit, vt is Cirnensem quidem dominatum socius & fœderatus regum Polonorũ vnà cum posteris suis masculis tantũ iure sempiterno obtineret: regi cõtra quosuis hostes præstò esset: ipso inscio cum nemine fœdus iceret, nec pecuniã vllam subditis suis imperaret: reliquas verò satrapias siue p̃fecturas ipse modò, quoad viueret, haberet;

Marginal notes:

Turcæ Croatiam depopulati, Vngaros profligarunt.

Ioannis Alberti ingeniũ.

Friderici Imperatoris mors.

Induciæ cum Turcis.

Congressus regum fratrũ apud Libliũ.

Fœdus & pacta regũ.

Cracouiæ incendium.

Iudæorũ domicilium Cazimiriam translatum.

Tattari Podoliam & Volyniã populantur, & Polonos superant apud Visnoueciã.

Henricus Camenecius, ac Derslaus Glouinius occisi.

Monstra seu portenta.

ann. 1495.

Ioannes Masouiorũ dux obijt.

Plocensis ducatio Poloniæ adiuncta.

De Masouiã transactio regis Polon.

Casimiria
Ma posuit muro cinctam ve et nomine Magnus
Cazimirus fecit nomen et inde meum.
Libertate frui iussit, sanctumque senatum
Constituit, populo fortia iura dedit.
Templa Deo struxit [illegible] splendida sumptu
Augustini ovant quod pia posteritas.

Inclyta Musarum domus, hic Academia coepit
Permissu Vrbani surgere Pontificis.
[illegible] [illegible] Iovis Cracovia carmine
Inclyta [illegible] vritur invidia.
Gymnasium vacuans vespis dat, livida cur me
Oppugnas? Hebetes accipe, redde scholas.

ret, pòst obitū eius ad regem regnumq́; rredituras. Idq́; ita ratum fore, ipse pariter cum proceribus & nobilitate, oppidorumq́; primoribus Lublinum veniens solenne iusiurandum regi daret. Verùm id vix tandem post alterum annum elapsum præstitit. Inundauit eodem anno supra modum Vistula fluuius æstate media, validis imbribus auctus. Ne sequens quidem annus habet quicquā magnopere memorabile, præter nuptias Barbaræ Cazimiri regis filiæ, quam Ioannes Albertus frater virginem Georgio Alberti Saxoniæ ducis filio in matrimonium collocauit: & transactionem regis cum Conrado Masouiorum duce in comitijs Petricouiensibus factam, quemadmodum dudum memorauimus. Obijt etiam eo anno Philippus Callimachus: cuius mors nō ingrata Polonis accidit. Fuit is natione Tuscus, orator & poëta non inelegans, & acri ingenio præditus, versatus aliquandiu in ministerio Pij secundi pontificis max. Deinde verò cùm successor Pij Paulus secundus Pomponium Lætum, Platinam, & quosdam alios viros eruditos amicos Callimachi, siue quòd de religione malè sentirent, siue quòd in se conspirasse dicerentur, prehendi iussisset, Callimachus Cazimiro adhuc regnante in Poloniam profugit, & pro pceptore regijs filijs fuit. Cùm aūt in familiaritatem Ioannis Alberti sese insinuasset, plurimum apud eum gratia & consilio valuit, vsq; adeò, vt cū Ioannes Albertus rex factus esset, Callimachi arbitrio magistratus & honores mandarentur, & res pleræq; omnes publicæ & priuatæ regis gererentur. Qua re ingentem sibi inuidiam apud Polonos Callimachus conflauit: quæ tamen metu potentiæ eius occulta aliquandiu, quodam tempore, cùm is legationem regis nomine apud Venetos & Pontificem maximum obiens, rediturus esse in Poloniam non putaretur, in apertum erupit. Sed rursus eo reuerso non tam resedit, quàm dissimulata est, quoad ille vixit. Ad tyrannidem incitare regem, & beneficia decretaque eius vendere siue creditus, siue insimulatus est. Et ita sanè „ hoc fit, vt ij qui principem, aut aliquem „ tamen gratiæ locum apud reges & mo„ narchas obtinent, difficulter inuidiam „ & obtrectationes hominum vitare pos„ sint: quibus nonnunquam perculsi è „ summo gradu in imum decidunt. Ne„ que enim facere possunt, quin multos „ offendant, dum quibusdam prodesse „ student. Et illos autem quos euexerunt, æmulos plerunque experiuntur, „ præsertim si vel externi sint, vel genere „ opibúsue inferiores, vel auari denique. „ Perijt autem Callimachus fluxu ventris exinanitus initio mensis Nouembris, quo tempore pestis ex Vngaria & Silesia proserpens, Cracouiam & minorem Poloniam inuasit: Quæ cùm hyeme, quæ fuit asperrima, conquieuisset, ęstate sequenti maiorem in modum recruduit, & ad hyemem vsq; longè lateque grassata, plurimos mortales absumpsit. Commodùm tamen rex nobilitatem, ac de plebe quicunque militiæ nomina dederunt, ei subduxit: nisi quòd ijs, qui pestem effugerant, gladius tamē hostilis non vsquequaque pepercit. Erat Ioannes Albertus, quemadmodum etiam superius indicauimus, gloriæ & imperij propagandi percupidus. In primis autem Turcas Christianis omnibus formidabiles, hostes sibi destinabat, idque siue pio reipublicæ Christianæ iuuandæ studio, siue vt Vuladislai patrui necem vlcisceretur. Tametsi iactatum est vulgò, & creditum, eum Moldauiam subigere meditantem, fallendi Stephani palatini gratia, Turcicum bellum præ se tulisse: & ne vltrò tam potentem hostem lacessere videretur, curasse per subornatos homines, vt sibi renunciaretur è Podolia, Turcas infesto exercitu Moldauiam & Podoliam petere: quod quidem credibile faciebat inquietum gentis ingenium, & quòd induciarum finis iam instabat. Cùm igitur apparatum belli permagnum fecisset, & à Conrado Masouiorum duce Lublini, quemadmodum conuenerat, solenne fidelitatis iusiurandum accepisset, ipsum quidem expeditione bellica tunc instante liberauit, auxiliares modò copias vt sibi mitteret, Alexandrum autem magnum ducem Lituanorum, & Ioannem Tifenum Magistrum Crucigerorum Prussiensium, qui Martino defuncto successerat, è formula fœderis euocauit: nobilitatem oēm regni Maio mense ad Leopolim sibi præstò esse iussit: ad Stephanum quoq; palatinum Moldauorum legatos misit, qui ipsum ad societatem pij belli contra barbaros cùm ex formula fœderis euocarent, tū Kyliæ & Bialogrodi recuperandi spe inuitarent. Ipse cū Sigismundo fratre & peditatu mercede conducto maturè profectus, Premislię substitit aliquandiu, dū copię conueniunt. Ibi eum Creslaus Curosuancius, cancellarius, & illo ipso tempore post obitū Petri Mossinij, sine Bninij

Marginalia: ann. 1496. — Barbara Cazimiri filia Georgio duci Saxoniæ nupta. — Philippus Callimachus. — Callimachus legatione functus regio nomine. — Pestis. — Hyems acerrima. — Valachicum bellum. — Cōradus Masouiorū dux iurat in verba regis Pol. — Ioannes Tifenus Magister Crucigerorum. — Legatio regis ad palatinum Valachiæ. — Creslaus Curosuācius episcopus Vladislauiensis.

nij episcopus Vuladislauiensis designatus, suo & Friderici cardinalis nomine conuenit, ab instituto reuocans. Quem rex durius increpitum abire, & sacerdotem sacrorum, non belli curam gerere iussit. Se vel subuculam suam crematurum esse, si eam consilij sui consciam esse sciret. Hinc sanè nati sunt, vel confirmati duntaxat sermones hominum, quibus iactatum est postea seu vero, seu falso rumore vsque ad nostra tempora, expeditionem illam suasu Callimachi à rege susceptam fuisse, quo feroces minus morigeræ sibi, diuinaque & humana iura contemnentis nobilitatis Polonæ spiritus, incommodis belli, aut etiam clade aliqua retunderet. Porrò ij, qui in Moldauiam missi erant, renunciarunt regi: Exoptatissimum id bellum Stephano contra barbarum cùm totius Christiani nominis communem, tum suum peculiarem hostem accidere: itaque non defuturum eum esse commeatu exercitui regio suppeditando: quin & vires eum suas cum rege coniuncturum esse, vbi is ad hostium fines & Danubium peruenerit. Nam vt prius id faciat minimè expedire, ne Turcas & socios eorum Transalpinenses intempestiuè in se prouocaret. Verène autem hoc ita existimarit, an cauere sibi hoc prætextu voluerit, ne à rege circumueniretur, incertum est. Iam quidem & ipse persenserat partim fama renunciante, partim Vngaris proceribus per literas & nuncios submonentibus, contra se exercitum illum à Polono rege duci, vt is se amoto Sigismundum fratrem Moldauiæ præficeret. Sic enim Liblij clàm inter fratres conuenisse. Quod quidem eo studiosius vulgabant Vngari, quo magis Stephanum aduersus regem Polonum iritarent: idque partim quòd molestè ferrent, secretiori consilio se à regibus exclusos fuisse, partim quòd Moldauiam bello illo à sua clientela prorsus abstractam iri videbant. Venerat enim vsu superiori tempore aliquoties, vt Moldaui posteaquam semel ab Vngaris ad Polonos defecerunt, in dissensione domestica de principatu, vel Turcici belli necessitate adducti, vel denique, vt est dubia gentis fides, Vngarici regis clientelæ denuò sese addicerent. His igitur monitoribus Stephanus cautius obseruabat, quid consilij Ioannes Albertus caperet. Quem vbi comperit recensitis copijs, motisque à Leopoli sub finem Iunij castris, non versus Cameneciam, quà compendiosior

Ioannis Alberti tyrannicum dictũ & consiliũ.

Stephani Palatini responsum.

Vngari Stephanum cur contra Polon. regem incitarunt.

Moldauorũ defectiones ad Vngaros.

via est ad Kyliam & Bialogrodum, Turcarumq; ditionem, iter instituere, sed ad Pocuce orani deflectere, ibi magis etiam cœpit sibi prospicere: misitq; tres legatos, viros gentis suæ primarios ad regem sciscitatum, amicus ne an hostis Moldauiam peteret. Si Turcis bellum facere decreuisset posse, eum longè maiori compendio & expeditiore via ad fines Turcarum peruenire: seq; exercitũ eius & commeatu adiuturum, & vbi hostium fines attigisset, copijs suis aucturum esse: sin sibi bellum inferret, daturum se esse operam, vt eum illati pœniteat. Hac tam superba & minaci legatione commotus rex, legatos contra ius gentium comprehendit, & Leopolim asseruandos misit: ipse non expectatis Lituanorum, Prussorum & Masouorũ auxilijs, cum infestis signis Moldauiam ingressus est: & omnibus rebus postpositis, interiora & caput gentis Sociauiam potissimum petiuit, sperans Moldauos non modò terrore tanti exercitus, verùm etiam acerbum Stephani dominatum pertæsos, & alioqui dominos crebrò mutare solitos, vltrò ad se defecturos esse. Eoq; captiuos omnes quicunq; à pabulatoribus excipiebantur, liberaliter dimittebat. Cæterùm cùm Sociauia Stephani præsidio firmata veniẽti portas clausisset, quaternis castris in conspectu arcis positis, & curruum obtentu munitis, oppugnare eam adortus est. Nec tamen proficiebat quicquam, quamuis abundante multitudine. Nam ad octoginta millia pugnatorum in exercitu habere ferebatur, exceptis lixis & aurigis, qui dimidium eius numeri expleuisse existimati sunt, cùm curruum essent ferè triginta millia. Ne bombardę quidem nostris defuêre. Sed quantumcunq; eæ muri interdiu deiecerant, noctu Valachi impigrè roboribus limo fimoq; oblitis reficiebant. Itaque cùm in longum duceretur obsidio, Stephanus collecto è suis non contemnendo exercitu, obuiam ire conatibus regijs instituit. Nec tamen in apertum prodibat vsquam è nemoribus, sed ex insidijs modò terrebat regium exercitum, & in pabulatores, nec impunè tamẽ ferè, impetum faciebat: maiores copias, atq; Transyluanorum, Cæculorũ, Transalpinensiũ, Bessarabum, Turcarũ ac Tattarorũ, quos partim pdæ, partim subiectionis suæ spe inuitabat, partim etiam mercede conducebat, auxilia expectans. Cauerat etiam insessis vijs, ne commeatus nostris è Russia & Podolia subueheretur. Spe defectionis Mol-

Stephani legati ad regẽ.

Legati violati.

Ioannis Alberti consilium.

Sociauia neq quicquã obsessa & oppugnata. Polonicus exercitus.

Stephani Palatini conatus.

Moldauorum frustrati nostri, cùm difficultatem belli circumspicerent, penuriáq; annonæ & pabuli, vt in tanta multitudine hominum & iumẽtorum, sentire inciperent, nec Moldaui ad prælij dimicationem venirent, minus alacres esse, & fremere in regem: reputare secũ signa & ostenta, quæ aduersum belli exitum portenderant: nempe quòd boues ducẽti, qui à Leopoli motis castris post exercitum agebãtur, subita tempestate disiecti erant, nec recolligi omnes potuêre: equus candidus regi charus, qui ad manum ducebatur, in transitu modici fluminis collapsus, mersusque perijt. His igitur de causis missionem flagitabant. Permouebat eos & illud, quòd neque Lituani, neque Masouij veniebant: Prussorum verò Magister Tifen Leopoli ægrotus decumbebat: vbi etiam extremum vitæ diem clausit. Accedebat eò quòd ipse quoque Stephanus pacem petebat, Vuladislao rege Vngarorum deprecatore & pacificatore vtens. Nec tamen constat, veréne id fecerit, an simularit, quo nostros tantisper, dum copiæ suæ conueniunt, duceret, & ab oppugnatione Sociauiæ auerteret, quam in extremo discrimine versari didicerat. Misit quidem Vngarus legationem ad Polonum regem, suadens & postulans, vt is pacem daret Moldauo, ne desperatione salutis & rerum suarum ad opem Turcarum confugere cogeretur, eorumque vires accessione copiarum suarum augeret. Tametsi suam in eo rem Vngari proceres agere videbantur, quo Stephanum omnia pollicentem cum tota gente sibi potius adiungerent. Facilè tamen Ioannes Albertus in illo statu rerum, cùm febri etiam tentari cœpisset, persuaderi sibi ab Vngaris legatis passus est. Et cùm de cõditionibus pacis non conueniret, induciæ constitutæ sunt, per quas liberius de pace ageretur. Publicatis inducijs confestim soluta est obsidio, quemadmodum conuenerat, pronunciatumque iter in certum diem. Cùm autem cognouisset Stephanus, alio itinere Polonos recedere velle, quàm venissent, siue quòd breuior ea via esset in Poloniam, siue quòd agri à populationibus intacti faciliorem commeatum exercitui præbituri esse viderentur, admonuit regem per internuncios, consultius eum factu rum, si eadem via, qua venerat, exercitum reduceret. Non tam planam esse illam alteram, quæ ad læuam vergeret, sed syluarum densitate, & montium asperitate, & angustioribus callibus impeditam. Vereri se, ne homines sui agrestes, feri & indomiti, quiq; difficulter in officio continerentur, in angustijs negocium facesserent discedentibus. His monitis fides habita non est, quòd homo vafer & insidus sibi suisq; hoc consilio prospicere putabatur, vt integra ea sibi loca ab incommodis belli manerent. Itaq; itum est quà placuerat, nullo ordine: nec abstinebant nostri manus rapinis & iniurijs obuiorum. Quartis castris ad Bucouinam peruẽtum est. Sylua est fagina dẽsa duûm miliarium spacio lata, Bucouinam ab arborum genere vocant, angustam habens & præruptam inter aspera saxa montesq; viam. Quam cùm vna die cunctæ copiæ transire non posse viderentur, ad introitum eius rex castra metatus substitit. Ac maiores quidem Poloni cũ impedimentis suis præire iussi, syluam sine vllo impedimento emensi sunt. Altera die rex præmissis bombardis & curribus, ipse cum aulica sua cohorte subsecutus est, carpento vectus propter aduersam valetudinem. Ponè sequebãtur minores Poloni cum Russis incompositi, inermes, & quasi in pacato securi. Extremum agmen tenebant milites mercenarij. Ad mediũ syluæ impedimenta regia peruenerant, cũ ecce agrestes Valachi pedites vndiq; ex insidijs coorti, impetum in ea faciunt, percellunt currus, ac diripiunt: & facilè impulsis, quas in hoc iam ante succiderãt, arboribus, viam impediunt, ne progredi extrema agmina, néue regredi prima ad ferẽdam suis opem possent. Nec mora ipse Stephanus cum validis equitũ peditumq; copijs improuisus adest, & ingenti cum clamore extremum nostrorum agmẽ à tergo & à lateribus adoritur. Tumultuantur nostri re inopinata perturbati: & expediũt quidem arma & vim hostiũ certatim pro se quisq; animosè sustinent: sed sine signis, sine ducibus, & sine ordine res gerebatur: nec exaudire quisquam alterum poterat præ clamore, strepitu, & fragore armorum, quem syluæ latè resonantes magis etiam sonorum atq; terribilem reddebant. Ad extremum vrgente hoste nostri in castra sua, à quibus non procul abscesserant, sese recepêre. Ibi quoque premente hoste constipati & conglobati nihilo magis sese expediebant: desperataq; salute, cœlitùs opem incondita & indice trepidationis vociferatione implorabãt. Hoc acrius instabãt hostes: donec rex cognito suorũ periculo, aulicũ equitatũ suum armis virisq; florentẽ suppetias ire laborantibus iussit. Qui

Polonicus exercitus detrectat bellum.

Ostenta cladis.

Tifen Magister Crucigerorum Leopoli mortuus.

Legatio Vngarica ad regem Polon.

Ioannis Alberti aduersa valetudo.

Induciæ cũ Stephano.

Moldaui feri & indomiti.

Bucouina sylua.

Polonorum clades apud Bucouinam syluam.

Qui cùm nihil sibi reliquum ad celeritatem diligentiamq; recurrendi fecisset, syluam egressus, tympanorum, tubarumq; clangore, & fulgore armorum hostem in se conuertit. Instauratur prælium. Interim ij, qui in castra compulsi in extremo periculo fuerunt, spacium nacti, qua quisq; poterat elapsi, relictis impedimentis trepidè per syluam ad primum agmen euasêre: quò rex quoque iam peruenerat. Nec diu sustinuêre Valachi impetum equitatus regij. Verùm repulsi disiectiq; terga dedêre. Nostri summotis fortiter, nec sine strage hostibus, absq; vllo impedimento cœptum iter per syluam peregerunt, victoresq; ad regia castra peruenerunt. Postero die rex cum toto exercitu in ijsdem statiuis mãsit, expectãs, si quis fortè de suis in sylua delituisset, vel aberrasset. Recognitis copijs, complures de nobilitate Polonica & Russica desiderati sunt, partim cæsi, partim capti. Et Stephanus quidẽ plusq̃ barbarica crudelitate vsus, quotquot in potestatẽ suam redegerat, oẽs in cõspectu suo trucidari iussit: quos nõ Turcæ aut Tartari cœperant, in seruitutem abegerunt. E quibus Ioannes Tencinius, Petrus Prochnicius, & nonnulli alij aliquanto post postliminio reuersi sunt. De Odrouanzo palatini Russiæ filio dubitatum est à plerisq;, etiam dum vixit. Post decimum octauum annum is demùm redijt, & à matre, ad nomen filij reducis temerè, vt creditum est, lætitia gestiente receptus, & ad possessionem paternorum bonorum admissus, ignauam ac degenerem vitam deinceps crapula & compotationibus assiduis egit, ne figura quidem & habitu corporis vero illi Odrouanzo, quemadmodum multi memoria recolebãt, similis. Composito deinde agmine nostri motis à Bucouina castris progressi sunt, pridiano periculo admoniti. Nec sanè quieuerunt hostes, quin opportunis locis carptim eos lacesserent, vexarentque, non modò pabulantes & adaquantes, verùm etiam in castris quiescentes. Nocte quadam obseruato venti vehementioris flatu herbas arentes cum frutetis haud procul à castris succenderunt. Coorta flãmma vento impellente magis ac magis castris propinquabat, affecissetque nostros grandi incommodo, ni correptis celeriter falcibus proximas castris herbas desecuissent & summouissent, atque ita ignem adrepentem stitissent. Semper tamen plus incommodi ipsi accipiebant Valachi, quàm inferebant, præterquam

Stephani crudelitas.

Ioannes Tencinius & Petrus Prochnicius capti.

Odrouanzus subditicius.

Moldaui infestant Polonicum exercitum.

quòd sexcentos equites Masouios ad internecionem penè delerunt. Tunc primùm ij veniebant à Conrado duce ex fœdere in auxilium regi missi. Quod vbi cognouit Stephanus, tria millia delectorum equitum ad opprimendos eos misit, priusquam cum rege sese coniungerent. Apud Sepnicium vicum in eos impetum fecerunt hostes. Nec Masouij, quamuis impares numero, detrectarunt pugnam. Pugnatum est acerrimè: sed præualente hostium multitudine circumuenti Masouij, & concisi sunt. Secundo hoc prælio Stephanus ferocior factus, ripam Pruti fluminis ad Zarnouecium cum omnibus copijs suis insedit, vt nostros transitu prohiberet. Quò cùm peruenissent nostri, commissa pugna dimicatum est vtrinque totis viribus. Sed virtute Polonorum repulsi, & non contemnenda strage affecti hostes, in auia nemora sese abdidêre. Nec deinceps tentarunt quicquam. Rex autem cùm minus commodè valeret, iactationemq; itineris grauiter ferret, apud Zarnouecium triduò statiua habuit: per quos dies nostri longè lateque quoquouersus prædas egerunt. Interea rumor castra peruasit, ingentes hostium copias aduentare, regemq; clàm deserto exercitu subducere sese velle. Quæ res temerè credita, ingenti formidine omnes impleuit. Maiores Poloni in primis tumultuabantur, & raptim sarcinas componebant, equorumque dorsis alligabant, turpem fugam relictis curribus & impedimentis cæteris parantes. Nox instabat, omnia formidabiliora perturbatis reddidtura, tecturaque ignauiam ad fugam spectantium. Itaque necesse habuit rex, quamuis æger & languens, & ipse hominum conspectui sese repræsentare, & Sigismundum fratrem circum primores mittere, falsum illum rumorem diluturus, & fluctuantium, & iam penè fugitantium animos confirmaturus. Quod quidem Sigismundus impigrè fecit, totam illam noctem accensis funalibus castra obequitans, & cùm obuios quosque benignè compellans, tum ad procerum tentoria adiens. Ita sedatus tamen est tumultus, repressaque fuga. Sequenti die cùm castra iam rex mouere vellet, superuenerunt aliquot millia equitatus Lituanici, ab Alexandro magno duce eius gentis missi: regemq; & exercitum omnem spe meliore & lætitia impleuerunt. Quid aũt causæ fuerit, cur ipse Alexander cũ fratre, sicuti cõuenerat, socia arma non cõiunxerit, aut

Masouij cæsi à Valachis.

Prutus fl.

Rumor tumultu complet castra regia.

Sigismundi diligentia.

Lituanorum aduentus.

equitatum illum auxiliarem duntaxat tempori non miserit, diuinare non est necesse. Ipse quidem cum exercitu valido apud Bratislauiam arcem ad Bogũ flumen per omne illud tẽpus belli Valachici hæsit, arcẽ instaurans & muniens. Petiuerunt autem à rege Lituani, vt se in Moldauiam populabundos excurrere pateretur: sed ille non permisit, aduersam valetudinem suam causatus, propter quam maturare reditum cogeretur. Cumq; Sniatinum copias reduxisset, transmisso Nestro amne dimisit exercitum: ipse Leopolim lento itinere vectus, tantisper ibi acquieuit, donec morbo liberatus est. Inde postea Cracouiam reuersus, quasi rem bene gessisset, conuiuijs & compotationibus, amoribusq; mulierum & choreis impensius indulsit. Ferturq; quodam tempore cũ noctu in vrbe vno aut altero fortassis ministro comitatus absq; lucerna obambularet, & in ebrios iuuenes incognitus fortè incidisset, exorto temerè iurgio vulnus accepisse: ex quo laborauerit aliquandiu, ita vt immemor conditionis ac dignitatis suæ, plaga illa non sine dolore & rubore officij sui diuinitùs admoneretur. Nihilo tamen magis vtilium rerum suis quicquam prouidit, negligens acceptę in Moldauia ignominiæ, cladisque: nec memor, quòd Stephanum animosum & ferocem hominem irritasset. Quæ res grauium incommodorum & magni luctus Polonis atq; Russis deinceps causa fuit. Etenim Stephanus acceptam ab ipso iniuriam, bellumq; sibi immeritò illatum vlcisci satagens, primo vere insequentis anni cum expeditis suorum Valachorum, Turcarumq;, ac Tattarorum copijs in Podoliam & Russiam inuasit: & prætergressus Leopolim arcem vrbemq; munitam, ad Canciugam oppidum, & Vislocum amnem longè lateq; populabundus excurrit, & ingentem toti Poloniæ terrorem incussit, nemine ad arcendum hostem neq; parato, neq; animato: sed cunctis ad fugam spectantibus, & non modò in munitiones, verùm etiam in auios montes atq; syluas sese abdentibus. Vnde tamen plurimi mortales vtriusq; sexus, & omnis ætatis atq; ordinis à perscrutantibus cuncta hostibus & fugientium vestigia persequentibus extracti, in miserabilem seruitutem abducti ac distracti sunt, ita vt Thracia, Macedonia, Scythia & Asia Russicis mancipijs implerentur. Supra centum millia hominum abacta esse tunc feruntur cum innumerabili gregum, armentorum, & omnis generis præda. Præmislia, Radimnum, Iaroslauia, Præuorscum, & complura alia ignobiliora oppida cum innumerabilibus pagis direptã & incensa. Vnum operæprecium tunc à nostris factum est, quòd Cracouia metu propinqui periculi à latere Septẽtrionali turribus, propugnaculis, pinnis, vallo, fossaq;, Rudaua flumine in eam inducto, munitior & magnificentior effecta est, submotis etiam lõgius plerisq; suburbanis ædificijs, quæ mœnibus vrbis è propinquo imminebant. Neq; verò hic tunc Russiæ & Podoliæ malorum finis fuit. Nam Tattari præda apud Tauricam deposita, mense Iulio iterum immani excursione easdem regiones diuexarunt. Quibus incommodis & conuicijs hominũ rex motus, nobilitate omni Polona arma sumere, & apud Sendomiriam celeriter sibi præstò esse iussa, ipse Cracouia relicta eôdem sese contulit. Sigismundus enim frater in Vngariam ad Vladislaum regem paulò antè profectus erat. Dum ægrè moliuntur & conueniunt nostri, hostes præda onusti ad sua se recepêre. Quo cognito nostri quoq; dilapsi sunt, cùm non multo minore quàm hostes damno & incommodo Sendomiriensem tractum affecissent, præter quòd abigendis tamen ac trucidãdis hominibus abstinuêre. Rex quoque Cracouiam redijt. Per quod tempus ad Cazimiriam apud Iudæos vitulus biceps natus esse memoratur, altero capite in loco caudæ, cauda verò in medio dorsi existente, ac duobus tantùm pedib⁹ à dextro latere ꝓminẽtibus. Mali portentum id esse creditũ est. Nec itamulto pòst sub finem Nouemb. septuaginta millia Turcarum per Valachiam in Russiam sese effuderunt, omnem eã oram, quæ ad Nestrum & circum Haliciam, Zidaciouiam, Drohobiciam & Samboriam est, ferro & igni vastantes, & prædas agentes. Neq; progrediendi ac debacchandi modum vllum sibi statuissent, nemine sese ipsis obijciente, nisi cœlitùs Deo, sicut creditum est, miserante populum suum repressi, atq; adeò oppressi essent. De repentè enim intensum frigus & gelu extitit, & nix tanta decidit, vt circumsepti vndiq; Turcæ neq; regredi possent. Et insolens id nouumq; hominibus illis pariter & iumẽtis, mitiore cœlo natis & educatis, accidebat. Ita iumentis plerisq; omnibus frigore & fame confectis, hominum quoque supra quadraginta millia alsisse & obriguisse memorantur. Multi reperti po-

Bratislauia instaurata. *Ioannes Alberti amoribus deditus.* *Ioannis Alberti periculum nocturnum.* *Valachi Russiã populati.* ann. 1498. *Canciuga opp. Vislocus fl.* *Captiuorum ingens numerus.* *Oppida incensa.* *Cracouia munitio.* *Russia à Tattaris vastata.* *Sigismundus in Vngariã profect⁹.* *Poloni sua populati.* *Portentum.* *Turcæ Russiam vastantes hyberna tempestate deleti.*

postea, qui interfectis equis in vteros eorum exenteratos calentes etiamtum sese illatebrauerant, sed nullo operæprecio. Statim enim calor artus vita & sanguine destitutos deserebat. Reliqui cùm sese vtcunque tamen explicassent, & in Moldauiam euasissent, à Stephano palatino & Valachis Polonorum in sequentium habitum mentitis, & locorum opportunitate vtentibus, diuexati & contrucidati sunt, ita vt vix decem millia Istro transmisso salua euaserint. In religionem hæc res cessit Turcis, ita vt sibi persuaderent, gentem Polonam atque Russam diuinitùs defendi & vindicari. Itaq; non temerè deinceps eam gentem bello sibi lacessendam & infestandam esse existimarunt. At reges Polonus & Vngarus, & Lituanorum dux Alexander domesticis periculis admoniti, quo munitiores essent in posterū contra vim tam potentis hostis, missis inter se vltro citroque legatis fœdus in ter se icerunt, quo cautum est de auxilijs mutuis & societate cōtra Turcas, & alios quosuis hostes, qui ipsorum alicui fœderati nō essent: de periculis imminentibus vt se inuicē præmonerent. Neque vnus quispiam cæteris inconsultis cum Turcis pacem faceret, bellumúe gereret. Qui contra fecisset, ei ne deberentur auxilia: Moldauus vt in clientela Vngarorum esset: Transalpinensi palatino contra Turcas fœderati ne deessent: de alijs conditionibus fœderis, ipsi inter se principes congressi constituerent: de priuatorum autem controuersijs dirimēdijs cōsiliarios suos quisque delegarent. Hæc ita tunc conuenêre

1499.ann. re anno post Christum natum 1499. Videtur autem & simultas, siue adeo dissidium gliscens inter eosdē fratres tunc fuisse compositum: cuius causam non comperio. Ac ne dissidium quidem Vapouius memorat. Siue autem de hereditate paterna id extitit, siue quòd in bello Moldauico Alexander quidem præter fœderis perpetui legem promissumq; suum Ioanni Alberto defuit, Vuladislaus verò fauisse etiam Moldauis visus est: extat sanè in archiuo Cracouiensi mandatum Vuladislai, quo is potestatem fecit legatis suis redintegrandę suo nomine cū Ioanne Alberto concordiæ. Vnde rectè colligitur, diruptā eam fuisse. Extat & renouatio pactorū inter Polonos & Lituanos, tam per ipsos Ioannem Albertum & Alexandrum dudum, quàm per Iagellonem & Vitoudum olim conuentorum, adiecta declaratione de electione regis ac

Pactorum inter Polonos & Lituanos renouatio ac declaratio.

magni ducis: nempe vt neutri alteris non vocatis principem sibi eligerent & crearent. Quod quorsum attinebat fieri tunc, nisi controuersia & offensio quædam inter principes ac populos interuenisset? Sigismūdo verò quarto fratri Vuladislaus Glogouiensem & Opauiensem ditiones in Silesia concessit ijsdem ferè conditionibus, quibus Ioanni Alberto prius concesserat, & inferiori superiorique Silesiæ eum præfecit. Vbi prçclaram is operam subiectis & vicinis populis in extirpandis eius gentis latrocinijs nauauit. Aliquanto autem pòst etiam inferioris Lusaciæ Marchionatum idem Vuladislaus ipsi adiecit, & portionem suam paternæ hæreditatis donauit.

Sigismundus dux Glogouiæ & Opauiæ, & vtriusque Silesiæ præfectus, & Marchio Lusaciæ.

Sigismundus Latrocinia sustulit è Silesia.

Cum Stephano quoq; palatino Moldauorum, & filio eius Bogdano pax tunc facta est: fœdusq; ictum, Ioannis Alberti regis, Alexandri & Sigismūdi ducum nomine: quo professus est Stephanus, omnem culpam & iniurias à rege sibi clementer condonatas, ac dominatum Moldauiæ relictum esse: & contra quosuis hostes totis viribus semper præstò se ipsi futurum esse promisit. Cautum est etiam eo fœdere, ne profugi & exules alterorum ab alteris reciperentur: Palatino autem ipsi si exulare contingeret, vt tutus pateret receptus in Polonia, & Lituania: & liber inde discessus, auxiliaq; darentur, recuperare suá cupienti: ipse autem Vngaro iuxtà ac Polono contra Turcas bellum gerenti præstò vt esset: aut si non posset per se ipse, filium cum copijs mitteret: Turcis verò contra ipsos ne opitularetur, nisi extrema vi adactus. Cæterùm ipse contra eos à fœderatis defenderetur: de hostibus & periculis pręmonerent se inuicem principes. De iniurijs mutuis subditorum, & controuersijs, Camenecensis, Cernechouiensis, & Chocimensis præfecti simul cognoscerent: de grauioribus verò controuersijs inter ipsos præfectos, iudices à principibus delegarentur: cōmercia vtrobiq; vt essent libera. Hæc ita, vt tunc conuenêre, literis mandata, extât in Archiuo arcis Cracouiensis.

Stephani palatini cū Polonis & Lituanis fœdus.

Quin & Ioannes Moschorū dux de pace, amicitia & societate tunc ad regē Polonum misisse & impetrasse, à Vapouio memoratur. Quid autem in eo spectarit, tanto spacio terrarum disiunctis Polonia & Moschouia, non intelligo. Nec multo pòst ipse etiā Turcarū imperator Baiazetes, cū de confœderatione tot ac tantorum principum cognouisset, insignem legationem ad Ioannem Albertum regem de pace vel inducijs

Moschorum dux Ioannes amicitiam & societatē iungit cum rege Polon.

Baiazetes Turcarum imperator de pace ad Ioannem Albertum misit.

prorogandis misit. Prouidebat enim prudens & cautus bellator, ne pluribus ac diuersis bellis eodem tempore impli caretur. Nam Venetos bello terra mariq; adortus erat: & classe quidem Aegæum & Ionium mare & Peloponnesum, quæ in ditione eorum erat, infestauit. Venetisq; nusquam pugnæ copiam facientibus Methonam, Iuncum & Coronam vrbes obsessas, & oppugnatas aliquandiu per vim ademit. Terrestri autem itinere ad octo millia equitum in ditionem eorum immisit. Qui cùm secundum mare per Istriam & Forum Iulij populabundi in Venetiam procurrissent, omnem eam oram, quæ est circum Goriciam, S. Danielem, ac Teruisium siue Taurisium, crudeliter vastarũt: & præter agrestes eius oræ plurimos Venetos nobiles messis & vindemiæ gratia rusticantes, multos itẽ Germanos, Vngaros, Polonos, Boemos, Prussosq; vtriusq; sexus religionis ergô Romam ad Iubileum à Pontifice max. in sequẽtem annum edictum illàc proficiscentes exceperunt, & in miserabilem seruitutem, nullo accepto incommodo, abduxerunt. Quibus malis adacti Veneti, pacem à Baiazete petiuerũt, & ad spacium centum annorum & vnius diei certis conditionibus impetrarunt. Sed id posterius actum est. Tunc autem dubio adhuc euentu belli, cùm non ignoraret Baiazetes Venetos rerũ suarum satagere, & cùm ab ijs, tum à cæteris Christianis principibus, atq; etiam à Pontif. max. regem Polonum & Maximilianum Cæsarem contra se concitari, consilio & comitate, missa ad Ioannem Albertum legatione, Polonicum bellum auertendum sibi esse duxit. Totum autem annum Turcica illa legatio responsum regis Poloni expectauit. Neque enim explicabat is, quid faceret: ꝓpterea quòd ad bellum Turcis inferendum cùm ipse vltrò prono animo ferebatur, tum ab alijs etiam incitabatur: cæterùm magnitudinem eius bell, iac domesticas quasdam difficultates, & præsertim inopiam ærarij, & res Prussicas, de quibus mox dicemus, secum expendebat. Nec ignorabat, consultasse quidem Germanos cum Cæsare in comitijs Vormaciensibus de bello contra eundem hostem suscipiendo: sed eorũ conatus domi conflato cum Heluetijs bello, & Italicis motibus præpediri. Ardebat enim tunc bellis intestinis iuxtà atque externis vniuersa Italia: Põtifex, Neapolitani, Veneti, Florentini, Mediolanenses, Genuenses variè inter se belligerabantur, & externa auxilia circumspiciebãt. Galli Hispanos regno Neapolitano, Ludouicum verò Sphortiam, quẽ Cæsar, filio fratris eius Ioanne Galeatio summoto, ducẽ appellarat, Mediolani dominatu eiecerant. Ab hoc autẽ & socijs eius Maximilianus Cæsar in auxilium euocabatur. Hæc tunc secum reputabat Ioãnes Albertus: & verò gemina Tauricanorũ Tattarorum incursione distractus, consultandi cum proceribus spacium non habuit. Tattari enim sub tẽpus messis hibernarum frugum magno impetu per Volyniam effusi in Russiam & Poloniam circum Belsum, Crasnistauiam, Turobinum, Crasnicũ & Lublinum vsq; ad Vistulam immaniter omnia vastabant, ꝑdas agentes, & in imbecillam senum puerorumq; ętatẽ ferro, in tecta autem igni sæuiẽtes. Quo commotus rex, aliquanta manu ex aulico comitatu suo & voluntarijs tumultuariè coadunata, ad hostem contẽdit. Sed cùm eum ꝑda onustum raptim abeuntẽ assequi non posse videretur, Cracouiam Augusto mense redijt. Quo tẽpore superuenit Caspar Calliensis episcopus legatus Alexandri sexti eius nominis pont. max. ad Turcicum bellum regem cohortans, & piæ militiæ, ꝗ Crucis seu Cruciatam vocant, facultatẽ ad id bellum ipsi pariter & Vngaro regi, simulq; Iubilæum, & potestatem decimæ de cunctis ecclesiasticis redditibus in suo vtriusq; regno in subsidium eiusdẽ belli exigendæ afferens. Tardius autem is venit, ꝙ prius in Vngariam cum ijsdem mandatis diuertisset. Ac decima quidem à nostratibus episcopis & collegijs sacris negata, sed vsitata contributio pro ea decreta est, quæ tunc ad tria millia florenorũ vix peruenit: Iubilæus verò ꝓmulgatus, triginta ferè millia florenorum regi reddidit. Nec ita multo pòst Tattari præda deposita, electi eius dulcedine mense Septẽbri reuersi sunt: effusiusq; etiam non modò easdem oras, sed Russiæ quoq; Australis & Lituaniæ partem depopulati sunt: ac circum Landishutam, Lezeiscum, Zauichostũ, Opatouiam, & Breste Lituanicum prædis actis, nulloq; accepto incommodo, ingentem hominum, pecudum, & iumentorũ vim abegerunt: quę eo maior & opulentior fuit, ꝙ intacta aliquãdiu ea loca ab ipsorum incursionibus fuissent. Erant in Russia nonnullæ mercenariorum militum copiæ cum Petro Myscouio præfecto Leopoliensi, publico stipendio quòd è tributo agrario ceruisiarioq;, & censu oppidorum collatum

Turcarum bellum cum Venetis. — *Iubilæum annus. 1500. ann.* — *Maximiliani bellum cũ Heluetijs.* — *Italici motus.* — *Galli regno Neapolitano, & Mediolani dominatu potiti.* — *Tattari Russiam & Poloniam vastant.* — *Legatio põtificia ad regem Polon.* — *Decima negata regi.* — *Contributionis ecclesiasticæ summa. Iubilæi pecuniæ summa.* — *Tattarorum altera excursio.* — *Petrus Myscouius.*

tum erat, merentes: quæ locis opportunis vel à tergo abeuntē hostem carpere ac differre, quoad rex cū maioribus copiis consequeretur, potuisse videbātur. Sed nusquam eæ hosti sese ostentarunt. Rex quidem cū paucis equitibus, quos raptim ad manū habere potuit, egressus Cracouia, milites Cruce signatos à Calliensi episcopo, qui nondum discesserat, subsequi se iussit. Verùm ij pòst discessum regiū correptis armis bacchantium in morē ducibus religiosis & monachis, quorum non exiguus erat in ea turba numerus, in Iudæorū domicilia Cazimiriæ impetum fecêre, & fortunas eorum diripuêre, & viginti plus minus Iudæos trucidauêre. Inde cū sub signis per pontē Cracouiam tenderent, clausis portis vrbis exclusi, regē secuti sunt. Ne tūc quidē operæpretium vllum aduersus Tattaros factum. Rex enim vbi excessisse cum præda hostes cognouit, ipse quoque è Russia inglorius Cracouiam se recepit. Insigni calamitate & vastitate tunc illæ barbarorum excursiones Russiam & Poloniam affecêre. Portenderat autem hæc mala cometa, decē & octo diebus ante primam Tattarorū incursionem conspectus. Quin & arcis Cracouiensis ea pars, quæ à pede galli Curzanoga nomē habet, paulo antè fortuito incēdio conflagrarat. Et fuit sanè æstas illa tam calida & arida, vt ad medium Iunij fruges in Polonia passim demeterentur. Ne Lituania quidem eo anno meliore fortuna vsa est. Etenim Ioannes magnus dux Moschorum, quis Helenam filiam Alexandro magno duci Lituanorū in matrimoniū collocasset, augēdi tamē imperij cupidior, quàm fœderum obseruantior, Russiæ totius dominatū Berezina flumine tenus auito & proauito quodam, vt videri volebat, iure à genero repetebat, elatus accessione earum ditionum, quas Cazimiro regnāte à Lituanis partim bello, partim defectione Russorum abalienarat. Coadunato igitur ingenti exercitu, cùm alia q̄dam territoria, per deditionem acceptis magis, quàm expugnatis eorum munitionibus, in potestatem suam redegit, tū Smolenscensem oram vastauit. Alexander cùm neq; virium, neq; animorū satis contra tam potentē hostem in suis esse animaduerteret, misso Posnaniam thesaurario cum pecunia, non contemnendas equitū & peditū copias è Polonis, Silesijs, Boemis & Morauis mercede conductis conscripsit, eisq; Ioannem Polacum præfecit. Quæ cùm sub finem autumni demùm, pluuijs increbescentibus & frigore geluq; iam inualescente ad Smolensciorum fines peruenissent, nec hostem ibi reperissent, nulla re memorabili gesta dimissæ, Lituania hostilem ferè in modū diuexata excesserunt. Sigismundus Herbersteinus, Slauus genere, vir plurimarum rerū & regionum in obeundis legationibus peritissimus, ac diligentissimus indagator, cùm paucis annis pòst, legatus à Maximiliano Cæsare ad Basilium principem Ioannis huius, de quo nunc scribimus, filium in Moschouiam penetrasset, paulò aliter hæc in Cōmentarijs rerum Moschouiticarum memoriæ prodidit, Moschorū, vt videtur, sermone cōperta. Memorat is, Moschum iniuria generi cōmotum, quòd is filiæ suæ Helenæ Russici ritus delubrum in arce Vilnensi, quemadmodū conuenerat in pactis sponsalibus, non extruxisset, tres exercitus tribus diuersis locis in ditionem eius immisisse. Lituanos verò, cùm vni ex his duce Constantino Ostrogio Russo occurrissent, commisso ad Vedrossum amnē prælio in insidias præcipitatos dissipatosq; esse, ac ducem exercitus & cōplures de primoribus Lituanis captos, & in tetro carcere aliquādiu asseruatos: Drohobusium, Toropezum, & Bielam arces à Russis hosti deditas: Branscū quoq;, palatino eius loci fortè fortuna à Tattaris Casanēsibus, qui Moscho militabant, excepto, in potestatem redactum: ad extremum duos duces Seueriensium Basilios patrueles, qui magno Lituanorū duci ad illud vsq; tempus paruissent, Moscho se & sua dedidisse. Alexandrum deinde captiuis tantùm ex pacto receptis, cum socero pacem fecisse. Hæc ille, non vno, vt videtur, anno acta, aliud agens, non habuit necesse tēporibus distinguere, ac diligentius omnia persequi. Non abhorret autē à vero, Alexandrū suas hostilesque vires metiētem, vel aduerso prelio duntaxat admonitū, mercenarium militem conduxisse: & hostibus ad sua reuersis, instante hyeme ad gerendū bellū inepta dimisisse. Vapouius quidē & Mathias Miechouiensis, illius tēporis scriptores, ita, quemadmodum nos memorauimus, de hoc mercenario milite scriptum reliquerunt. Sic tunc Lituania diuexata est. At Ioannes Albertus rex in Prussiam iter & expeditionem parabat, quo ordinem Teuthonicorum Crucigerorum cum suo Magistro ad officium reuocaret. Quamuis enim eius opera, regina matre postulante, Fridericus Saxonum ducis filius Ioanni Tiseno Leopoli mortuo in magistratu suffe-

Iudæorum bona direpta à cruce signatis militibus.

Cometa.

Cracouiēsis arcis incendium.

Messis præmatura.

Helena Moscha Alexādri ducis Lituani vxor.

Moschus Lituano bellū infert.

Smolenscensis ager vastatus.

Lituania à mercenarijs militibus vexata.

Sigismūdus Herbersteinus.

Lituani à Moschis victi.

Vedrossus fl.

Cōstantinus Ostrorogus dux captus.

Munitiones à Moschis in potestatem redactæ.

Seueriēsium deditio.

Pax cum Moscho.

Fridericus Magister Crucigerorũ detrectat iuiurandũ. ctus esset, detrectabat is tamen iurare in verba regis, quemadmodum debebat ex pacti & fœderis formula. His igitur omnibus rebus ac difficultatibus diligenter expensis rex cùm comitia Petri-

1501.ann. Comitia Petricouiæ. Induciæ quinquẽnes cum Turcis. couiam ad initium sequẽtis anni edixisset, de sententia amplissimi consilij inducias quinq; annorum Baiazeti cõcessit, legationemq́; eius magnificè donatam tandem dimisit. Venerant ad eadem comitia oratores Stephani palatini Moldauorum, & Sachmatis principis Tattarorum Zauolgensium. *Valachica legatio.* Acilli quidem Eliam Petri qui ante Stephanũ palatinus fuit, filium profugum ex fœdere deposcebãt: quòd is affectare domi natum diceretur: *Tattarica legatio.* Tattari verò nunciabant, principem suum legatione regis & Alexandri magni ducis Lituanorũ euocatum contra Mahometkereium Præcopensium siue Tauricanorũ principem adesse cum centum millibus equitum: traiectisq; Rha atq; Tanai maximis fluuijs non sine magno labore, apud Mæotim paludem primùm consedisse: deinde longius progressum ad Borysthenem fixis tentorijs expectare Polonos & Lituanos, vt inter se icto fœdere, & iunctis viribus cõmunem hostẽ adoriretur. His actæ gratiæ, fœdusq́; ictũ multa ceremonia, & iureiurando interposito: *Fœdus regis Polon cum Tattaris: Tattarorum iusiurãdum.* quod quidem Tattari more suo dederunt, aqua strictis frameis infusa & sorpta, mala imprecantes ei, qui fœdus violasset. Missa principi à rege munera, & inita belli societas. Sed dum nostri atque Lituani moras nectunt, Mahometkereius coactis magnis copijs cùm nõ multum Sachmati viribus cederet, exercitatiorem autem aliquanto militem haberet, vltrò hosti obuiam iuit. *Tattarorum inter ipsos bellum. Tauricani Tattari victi.* Commisso acri & cruento prælio victus Mahometkereius, & in Tauricam reiectus est. Nec nostri postea victorem socium iuuandum sibi esse duxerunt, siue quòd ipse per se id bellum confecturus esse videbatur, siue vt barbari ipsi sese mutuò ancipiti bello conficerent, vel debilitarent propterea quòd ne socijs quidẽ ipsis barbaris fides habenda esse videretur. De Stephani autem postulatis cùm aliquandiu consultatum esset, dedere quidem insontem & supplicem, dirum & immane videbatur: seruare autem æmulum infidi socij, quem is metuere & cauere necesse haberet, non inutile quidem Polonis erat, sed fœderi dudum icto repugnabat: ac bello eum Stephanus repetiturus esse putabatur, atque adeò legati id minabantur. Nolebat autem rex ad Prussiam spectans illum à tergo inimicum relinquere. His ita disputatis, deditus quidem non est Petrus, verùm capite plexus inspectantibus legatis. *Petrus pro fuga capite plexus.* Et ne iniustè id factum esse existimaretur, vulgatum est, crimen falsi in literis regijs eum commisisse. Dimissis legatis, & conuentu soluto, rex cùm nonnihil temporis apparatui belli Cracouiæ dedisset, post medium Aprilem in Prussiam contendit. Toruniam cùm peruenisset, ad Fridericum Magistrũ legatos misit hortatum, *Legatio regis ad Magistrum Crucigerorum.* vt is sua sponte officiũ faceret potius, quàm Polonorum vim & arma experiretur. Non apertè is quidem negabat, sed varijs excusationibus rẽ extrahebat, quo se interim Maximiliani Cæsaris, & aliorum Germanorum principum omnia prolixè pollicentium, & ad rebellionem cohortantium auxilijs confirmaret. Dum eunt redeuntq́ue legati, Ioannes Albertus rex apoplexia vitam finiuit. *Ioannis Alberti mors, mores, & ingenium.* Corpus eius reuectum Cracouiam, in basilica arcis honorificè sepultum est, matre funus prosequente, quæ quidem marmoreum monumentum filio ponendum curauit. Fuit Ioannes Albertus statura proceriore, colore subfusco, capillo nigro & raro, ingenio magno, literarũ & præsertim historiæ studiosus, liberalitate erga militares homines, & magnitudine animi non vulgari: aulicum comitatum nõ infra mille sexcentos equites alere solitus: in venerem procliuior, cœlebs tamen extinctus est, cùm ferè nouẽ annos regnasset.

ALEXANDER REX.

IVSTIS funebribus Ioanni Alberto persolutis, itum est Petricouiam ad comitia, creandi nouì regis gratia de more à Friderico archiepiscopo Gnesnensi, *Comitia Petricouiæ.* qui idem episcopus Cracouiensis, & presbyter Cardinalis erat, indicta. Consultatumq́ue aliquandiu variantibus procerum sententijs, & studijs in reliquos Cazimiri filios diuisis. Complures enim de minoribus Polonis ad Vuladislaum Vngarorum & Boemorum regem regnum deferebant, *De rege creando variæ sententiæ.* quòd eum opibus externorum regnorum paternum & auitum regnum aucturum & ornaturum, & maiore vi cõiunctis trium populorum viribus contra barbaros Turcas ac Tattaros, & quosuis alios hostes defensurum esse dicerent. Et præmiserant iam ij priuato consilio, Petro Cmitha marsalco regni authore, *Petrus Cmitha marsalcus regni.* Petrum Myscouium palatinum Lencicienscm, & Nicolaum

um Vuroblouium canonicum Cracouiensem ad ipsum, qui studia sua ipsi deferrent, & ad suscipiendum regnum eum inuitarent. Alij verò Sigismundo Glogouiensium & Opauiensium duci fauebant. Sed vicit eorum sententia, qui Alexandrum magnum ducem Lituanorum regem edebant. Nam & rationibus certis & exemplis ij refellebant eos, qui Vuladislao studebant: ostendebantque, neque Vuladislai prioris, neque Ludouici tempore expediuisse Polonis, eundem cum Vngaris regem habere. Negociosum esse in primis regnum Vngarorum, partim propter inquieta gentis ingenia, partim propter vicinos Turcas, ita vt rex diutius ab eo regno abesse rectè non possit: Polonis item præsenti rege opus esse, magnisque incommodis atque cladibus maiores suos affectos esse ob regis absentiam. Contrà, Lituaniam perpetuo fœderis nexu olim à Iagellone & Vitoudo cum Polonia consociatam, & quasi in vnum reipublicæ corpus redactam, ab ea disiungi, & quasi amputari prorsus inutile esse. Omnibus bellis priscis iuxtà ac recentioribus Lituanos multum momenti Polonorũ viribus attulisse. Et quemadmodum ij sine Polonis nihil præclari vnquam gessissent, gerantve, sic à Polonis quoque, sicubi Lituani abfuissent, non magnum operæprecium factum esse, ex quo ij sese cum ipsis coniunxissent: Vel nuper Valachico bello id satis animaduersum esse. Commodùm autem Lituani proceres, Albertus Tabor episcopus Vilnensis, Ioannes Zabrezinius princeps marsalcus, & Nicolaus Radiuilus pincerna ducalis, & alij quidam duo aduenerant cùm mandatis Alexandri ducis, ac totius senatus Lituanici ad eligendum cum Polonis secũdum præscriptum fœderis regem, & iurandum in verba eius, confirmandumque & renouandum antiqua fœdera. Qui & priuatim primores Polonici senatus prensarunt, rumoremque sparserunt, Alexandrum cum exercitu aduentare: & publicè renouationem fœderum, cùm à se, tum ab ipso Alexandro consentientibus proceribus Lituanis consignatam exhibuerunt. Extat vtrumque diploma, simul & mandata ipsius Alexandri, & vigintiquinque procerum Lituanorum in archiuo regio Cracouiensi. Adhibita est autem in fœdere moderatio quædam nonnullorum capitum: nempe quòd è Polonis & Lituanis vnus deinceps debet esse populus sub vno rege: rex

Non expedire eundem esse Vngar. & Polon. regem.

Lituanorũ coniunctio cum Polon. vtrisque vtilis.

Lituanica legatio ad comitia Polonorum.

Fœdus Lituanorum cũ Polonis reno uatum.

autem in Polonia creetur, Lituanis etiam proceribus suis locis in eo conuentu suffragia ferentibus: consilium vnum sit ambobus populis, & societas in secundis iuxtà ac aduersis rebus: moneta par atque similis: fœdera antiquitùs ab vtrisque icta, seruentur ab ambobus, quoad alteris non incommodabunt: Magistratus, senatores, præfecti, nobilitas, & alij quiuis Lituani iurent in verba regis non semel tantùm, sed quoties à consiliarijs Polonis admoniti fuerint: iura & prærogatiuæ vtriusque populi simul & eodem contextu literarum à nouis regibus confirmentur: cæterùm iudicia more antiquo vtrobique exerceantur: nulla verò vtrinque occasio dirimendæ coniunctionis captetur. His igitur actis & constitutis Alexander rex renunciatus est, missisque ad eum Breste oratores principes senatus, Andreas Rosa archiepiscopus Leopoliensis, Ioannes Lubrantius episcopus Posnaniensis, Andreas Samotulius Posnaniensis, & Ioannes Tarnouius, cognomento Sramus Lublinensis palatini, iusiurandum ab eo & proceribus Lituanis de seruandis pactis conuentis exegerunt, & regnum ei detulerunt. Nec longa mora interposita, maturauit is iter Cracouiam cum mille quadringentis equitibus, suscipiendi diadematis gratia. Verebatur enim, ne quid Vuladislaus frater fautorum suorum consilio moliretur. Ac dimiserat quidem Vuladislaus nuncios cum literis ad plerosq; principes Christianos de oblato sibi à Polonis regno, fretus pollicitatione illorum, quorum superius mentionem fecimus. Sed eos nuncios celeriter reuocauit, cùm accepisset, Alexandrum fratrem regem à Polonis creatum esse: factumque moderatè tulit. Collaudauit etiam Polonos, quòd Lituanos, gentem magnam & bellicosam denuò sibi adiunxissent. Dum autem præstitutum coronationi diem Cracouiæ nouus rex expectat, aduenit ad eum legatio Sachmatis Zauolgẽsium Tattarorum principis. Quæ introducta in senatum, adorato de more gentis rege, incusauit Polonos iuxtà ac Lituanos; quòd cùm ij Sachmatem cum ingentibus copijs tam longo ac difficili itinere in auxilium contra Tauricanos Tattaros euocassent, ipsi tam diu cunctarentur cum eo se coniungere, & communem hostem non tam viribus suis, quàm natura loci, & peninsulæ latibulis fidentem adoriri: paterenturque socios & amicos

Alexander rex creatus.

Polonorum legatio ad Alexandrũ.

Iuramentũ Alexandri regis electi.

Vuladislai modestia.

Tattarorum Zauolgensiũ legatio ad Poloniæ regem.

vaſtis & incultis locis hærentes hyberni cœli inclementia, pabuli & cōmeatus inopia, & fame vnà cum equis confici. „ Verendum eſſe, vt Tattari, gens alioqui „ ferox, nec ſatis morigera ſuis principi- „ bus, mala conſultrice fame ſtimulante, „ in officio contineri poſſint. Hæc ita breuiter prolocuti, reſponſum in hanc ſententiam accepêre: Regem celebritate coronationis peracta, maturaturum eſſe expeditionem, & cum Polonis & Lituanis ad Boriſthenem præſtò futurum, operamque daturum, ne Sachmatem cum ſuis tam longinquæ ac diuturnæ expeditionis pœniteat. Hac ſpe onerati legati, additis hoſpitalibus donis, q̄ domino ſuo ferrent, dimiſſi ſunt ſine mora. Interea verò Sachmatis vxor, inediæ & frigoris impatiens, cum maiore parte copiarum eius in Tauricam transfugit. Qua virium acceſſione fretus Tauricanus princeps Mengligeres, ſiue Mendlikereius, qui Mahometkereio fortè defuncto, vel ſuperiore pugna cæſo ſucceſſerat, duxit in hoſtem: commiſſoque in patentibus campis ſub Kiouia prælio, vi ctum ingenti ſtrage Sachmatem in fugam vertit. Sachmates diſſipatis ſuis, cum trecentis modò equitibus Bialogrodum ſiue Moncaſtrum profugit. Vbi cùm ſubſtitiſſet aliquandiu inops conſilij, & à Turcis in gratiam Mengligeris inſidias parari ſibi perſenſiſſet, per vaſtas Podoliæ ſolitudines Kiouiam ſeſe recepit. Sed ne ibi quidem tutus fuit. Circumuentus enim à palatino ſiue præfecto loci, Vilnam transmiſſus eſt: ibique regis aduentum operiri iuſſus, cùm aliquoties fugere conatus eſſet, retractus è fuga, diligentius aſſeruatus eſt. Hunc exitum Tattaricum illud bellum habuit. Alexander xij. die Decembris à Friderico fratre in baſilica Cracouienſi ritu ſolenni inunctus & coronatus eſt. Nec multò pòſt Sigiſmundus frater ipſi gratulaturus aduenit, itemque Ioannes Baduarius Venetorum legatus. Menſe autem Februario ſequentis anni Helena regis vxor è Lituania venit. Nec tamen diadema de more reginarum ipſi impoſitum eſt, propterea quod Græcorum ſchiſmati dedita ab inſtituto eccleſiæ Romanæ & catholicæ abhorreret. In Lituaniam deinde rex initio menſis Maij cum ea ſe recepit, Friderico cardinali fratre vicario, gubernatoreq; regni pro ſe conſtituto. Acceperat enim, Moſchos bellum contra Lituanos reparare. Nec ita multo pòſt, Demetrius Ioannis magni ducis filius, affinis Alexandri cū valido exercitu adfuit, & ad Smolenſcum caſtra metatus eſt: fruſtraque tentata arcis expugnatione, reduxit exercitum, cùm Alexandrum regem cum magnis copijs aduentare accepiſſet. Pax deinde, ſiue adeò ſex annorū induciæ inter ſocerum & generum conſtitutæ, ea lege, vt captiui modò redderentur. Conſtantinum tamen ducem Sigiſmundus Herberſteinus memorat ante pacem factam elapſum eſſe, dimiſſum è vinculis, cùm ſimulatè fidem ſuam Moſcho obſtrinxiſſet, agroſque & poſſeſſiones in Moſchouia ab eo accepiſſet. Per idem ferè tempus Tattari Tauricani cùm Podoliam, Ruſſiam & Sendomirienſem tractum populabundi peruagati, Reſſouiam, Iaroſlauiam, Radimnum, Belſum, Dauniciam (quæ fortè Donaiouia eſt) transmiſſoque Viſtula flumine Opatouiam, Lagouiam & Cunouiam oppida diripuiſſent & exuſſiſſent, ad Pacianouiā vſq; peruenêre. Inde cùm Ioānes Vapouius, q̄ erat in miniſterio Friderici cardinalis, aliquāta manu ſagittariorum in aditu eius vici ſiue oppidi ipſis ſeſe oppoſuiſſet, & nō contemnendi exercitus ſpeciem oſtendiſſet: re occuparunt gradum onuſti præda omnis generis: & ferro igníque in obuia quæque, quæ abigere vel aſportare commodè non poterant, crudeliter debacchati. Proceſſit quidem ipſis obuiam Fridericus gubernator cum quingentis equitibus, & peditum aliquanta manu tumultuaria, cætera nobilitate Corcinum ſe ſequi iuſſa: verùm dum ea tardius molitur, Tattari in tutum ſe cum præda recepêre. Triginta millia equitum fuiſſe perhibentur. Eo ipſo anno induciæ, viuente adhuc Ioanne Alberto cum Baiazete Turcarum imperatore dudū cōſtitutæ, per Nicolaum Firleiū Dambrouicium, qui tunc præfectus Lublini erat, confirmatæ ſunt. Infeſtauit autem tunc ea gēs Boſnam, & regiam gentis Iaice obſedit, & acriter oppugnauit. Contra quem exercitum cùm Vuladiſlaus rex Vngarorum expeditas copias miſiſſet, commiſſo prælio, cum æquo Marte aliquandiu dimicatum eſſet, ad extremum Turcæ fuſi & fugati ſunt. Nec tamē Vngaris incruenta ceſſit victoria. Nec ita multo poſt idem Vuladislaus nexu matrimonij, quo ſe cum Beatrice regina conſtrinxiſſe dicebatur, Pontificis maximi authoritate ſolutus, cum Anna puella de Candale Vaſconum, quæ illuſtris eſt in Gallijs familia, ſolenni pompa nuptias celebrauit. Mox Tur-

Tattarorū à ſuo principe defectio.

Zauolgenſes Tattari à Tauricanis profligati.

Sachmatis Tattari fuga & captiuitas.

Alexander rex coronatus.

Venetorum legatio.

1502. ann.

Helena regis vxor non coronata.

Frider. cardinalis gubernator Poloniæ.

Smolenſcum oppugnatum à Moſchis.

Induciæ.

Conſtantinī ducis reditus.

Tattarorum excurſio in Poloniam.

Ioannes Vapouius.

Induciæ cū Turcis firmatæ.

Turcæ victi ab Vngaris.

Vuladisl. regis Vngariæ & Boemiæ vxor.

Turcarũ ditio ab Vngaris vastatur.

Turcas vlturus, Petro Ioza palatino Transyluaniæ, & Ioanne siue Hanselico Mathiæ regis notho filio ducibus, exercitum in Rasciam siue Bosnã Turcicæ ditionis vicissim immisit, multisque vicis & oppidis ad Bodon vsque nobile emporium in ripa Danubij situm vastatis, & luculenta præda abacta, incolumem eum recepit.

Persarum ac Turcarum bellum.

Baiazetes quidem Persico tunc bello distinebatur: quod tamen per legatos siue Bassas non satis prospero successu gerebat, ipse propter pedum dolorem Adrianopoli & Constantinopoli mansitans. Quas ob causas inuisus factus militibus, facile

Baiazetes à Selimo filio pulsus regno et extinctus.

posterius a Selimo filio natu minimo regno eiectus est, venenoque, vt creditum est, extinctus. Sed nos nostra persequamur.

1503. ann.

Friderici cardinalis mors & mores.

Insequens annus Friderici cardinalis & regij fratris, Creslai Curosuancij Vuladislauiensis episcopi, & Conradi ducis Masouiæ continuatis propè funeribus memorabilis est. Fuit Fridericus procera statura, aspectu decoro, ac dignitatis pleno: cæterùm ingenio nullo, iners, ignauo ocio, crapulæ, & assiduis compotationibus in fumo & sordibus cum gregalibus suis quibusdam marcescens: & ad extremum morbo Gallico confectus est, teste Mathia Miechouiensi medico. Vnum illud nominis sui monimentum in basilica Cracouiensi reliquit, quòd thecam caluæ diui Stanislai martyris auream, & multis preciosis gemmis distinctam contulit. Ei suffecti sunt voluntate Alexandri regis, in metropolitana quidem

Andreas Rosa archiepiscopus Gnesnensis.

Bernar. Vilcicius Leopoliensis.

Ioannes Conarius episcopus Cracouiensis.

Gnesnensi sede Andreas Borissouius cognomento Rosa archiepiscopus Leopoliensis, Bernardino Vilcico in Leopoliensi successore accepto: in Cracouiensi verò Ioannes Conarius, qui procurator Friderici fuerat, in gratiam reginæ matris: quam homo nulla doctrina, neque ingenio præditus, probus tamen, vulgaribus officijs demeruisse dicitur.

Vincentius Prærembius episcop. Vuladislauiẽsis.

Porrò Creslaus in episcopa quidẽ Vincentium Prærembium episcopum Præmisliensem successorem accepit. Patruus is fuit Ioannis Prerembij viri ornatiss. & amicissimi nostri, qui cùm aliquot annis magna cum laude Procan-

Ioannes Prærembius Archiepiscopus Gnesnens.

cellarius, & mox Archiepiscopus Gnesnensis fuisset, post obitum me socio apud pium Imperatorem Ferdinandum legationem, immatura morte non sine nostro dolore decessit. In munere

Ioannes Lascus cãcellarius Poloniæ.

autem cancellariæ Creslao Ioannes Lascus præpositus Scarbimiriensis, & canonicus Cracouiensis: quem rex in Lituaniam proficiscens, cùm neque cancellarius, neque procancellarius sequeretur, secum duxerat, & à secretis habebat, propterea quòd scriba primùm, deinde cancellarius Creslai episcopi cùm fuisset, in cancellariæ negotijs bene exercitatus haberetur.

Math. Dreuicius episcopus Præmisliensis, et prõcãcellarius.

Prærembio verò in episcopa Præmisliensi Mathias Dreuicius: Qui etiam in procancellarij munere antè successerat.

Conradi Masouiorum ducis mors & liberi.

Conradus verò Masouiorum dux Ioannem & Stanislaum filios impuberes hæredes reliquit. Sed hi in Cirnensi tantùm ditione ius succedendi patri habebant. Cæteræ, quas Conradus à Ioanne Alberto rege precario obtinuerat, ad regem ex pacto deuoluebantur. Nec tamen reddebantur, Anna vxore defuncti cum proceribus eas retinente. Quod quidem rex facilè passus est, pactus cum Anna & proceribus, ne id sibi regnoque fraudi esset, donec controuersia decreto comitiorum decideretur.

Transactio regis cũ Masouijs ducib.

Verùm transacta res est amicè in comitijs Petricouiensibus, indultumq; pueris, vt quibus finibus pater eorum Masouiam tenuisset, ipsi quoq; retinerent, & posteris suis masculis tantùm relinquerent: orbi autem ipsi inter se succederent. Vbi masculi hæredes defecissent, tum demum rex Polonorum totam Masouiam reciperet, gentemque suis legibus viuere permitteret: puellis, si quæ superessent è ducum genere, pro dignitate dotem daret. Vbi ad pubertatem pueri peruenissent, tum demum vt pacta hæc diplomatis suis approbarent, & in verba regis iurarent: interim autem mater dominatum omnem administraret. Atque hæc sequenti demum anno conuenêre.

Tattari Russiã populati.

Illa autem æstate Tattari Tauricani Podoliam & Russiam rursus hostili incursione vexarunt, à Stephano palatino Moldauorum, vt creditum est, concitati. Ipse quidem immisso in Russiam finitimam exercitu, tractum omnem inter Nestrum amnem, & Sarmaticos montes, quem

Pocuce à Moldauis interceptum.

Pocuce vocamus, nemine repugnante, ac nec expectante quidem quicquam eiusmodi, subegit: siue, vt ipse dictitabat, de sua ditione iniustè prius detractum, recepit. His rebus, atq; adeò crebris Polonorum procerum literis & nuncijs excitus rex è Lituania, Lublinum extremis diebus mensis Octobris venit, ibique comitia procerum habuit.

Comitia Lublini.

Placuit, vt in æstatem proximam milite mercenario res contra Moldauos gereretur, & Pocuce repeteretur. Eiusdem autem exer-

exercitus terrore Tattarorum excursiones repressum iri videbantur. In stipẽdium verò decreto comitiorum imperata est pecunia oppidanis & agrestibus vsitato more. Rex deinde peracto conuentu Cracouiam se contulit, & ibi hybernauit. *1504. ann.* Vere proximo exercitum è mercenario milite conscriptum in Russiam misit: ipse verò posteaquam pluuiæ, & insolitæ fluminum inundationes remiserunt, in Prussiã profectus, iusiurandum fidelitatis à ciuitatibus exegit. *Prussi iurãt in verba regis Alexandri.* Fridericus verò Magister Prussiæ orientalis cognito aduentu regio ad consanguineos suos in Saxoniam & Germaniam se recepit, ne vel iurare in verba regis, vel improuisi belli molem imparatus sustinere necesse haberet. Sed ne Germania quidem tunc domestico & intestino bello vacabat. Etenim inter Maximilianum Cæsarem, & Rupertum Philippi palatini Rheni filium bellum conflatum est propter ereptam Alberto duci Cæsaris affini Bauariam. Quin aliud quoq; bellum Maximiliano cum Ludouico rege Gallorum, & Venetis de principatu Mediolani tunc exortum est, cùm Gallus Venetis non tam socium regem adiuuantibus, quàm suam rem agentibus, capto Ludouico Sphortia duce dominatum illum iterum in potestatem suam redegisset, siue adeò cum Venetis partitus esset. *Mediolanensis belli initium inter Germanos, Gallos & Venetos.* Recuperarat enim eum prius amissum Sphortia, Gallis eiectis. His igitur de causis Magister Crucigerorum apud Germanos suos nihil opis inuenit. Per id tempus Moldauia infestata & vexata est à nostris, ita vt Stephanus è munitionib⁹ Pocucensibus præsidia deducere coactus sit, præsertim cùm ipse grauissimo pedum dolore affligeretur: *Moldauia infestata à Polonis, & Pocuce receptũ.* quo ad extremum confectus, haud ita multo pòst extinctus est, vir magnitudine animi, astu, peritia rei militaris, & rebus cõtra Turcarum, Vngarorum & Polonorum reges, ac Tattaros feliciter gestis omni æuo memorabilis. *Stephani palatini mors, et res gestæ.* Cui Bogdanus filius luscus in dominatu successit. *Bogdan. palatinus Moldauiæ.* Nostri satis habuerunt Pocuce recuperasse. Tattari verò cùm non ignorarent in propinquo esse regium exercitum, quieuerunt eo anno. Maturè igitur exercitus ille exautoratus est, siue quòd eo nihil opus erat, Moldauis atque Tattaris quiescentibus, & vt videbatur, deinceps etiam quieturis, siue quòd deerat pecunia, ita vt ne emerita quidem stipendia militibus exoluerentur. Quo factum est, vt ij agminatim in Cracouiensem oram reuecti, cùm ne Cracouiæ quidem spes vlla pecuniæ è thesauro regio numerandæ ostenderetur, in bona & possessiones episcopi & abbatum hostilem penè in morem inuaderent, & inde rapto sese sustentarent, donec rex è Prussia redijt: *Cracouiensis ora infestatur à militib⁹.* quod quidem sub finem æstatis factum est. Quo tempore Cazimiria, quæ Cracouiæ ponte iungitur, à meridie ad noctem vsque rege ex arce inspectante arsit, & cum turribus & pinnis mœnium penitus conflagrauit. *Cazimiria cõflagrauit.* Peractis Petricouiæ Polonorum comitijs, constitutisque rebus Polonicis & Masouiticis, Alexander rex insequentis anni initio Breste, quò Lituanis conuentum edixerat, cõtendit, vt eius quoque gentis res turbatiores componeret. *1505. ann.* Principẽ gratiæ locũ ex ea gente apud eum obtinebat Michaël Glinscius dux Russus, vir elati animi, magnasque in Lituania opes & potentiam atq; clientelas, Russorum præsertim eiusdem linguæ & religionis hominum, sibi compararat. *Michaelis Glinscij dux cũ potentia & inuidia.* Ægrè id ferebant Lituani proceres, alioqui etiam Russis non satis equi: formidabantque, ne per occasionem is Alexandri orbitate contempta Lituaniæ dominatum inuaderet, & ad suos Russos transferret. *Lituanici motus.* Quin etiam iactabatur vulgò, veréne an falsò, incertũ est, Michaëlem principatum affectantem Alexandro insidias struere. Non latebant hæc Michaëlem: & homo gratia principis impotentior sui, non modò non dissimulabat quicquam, sed apertas cũ æmulis suis inimicitias gerebat, & in odiũ principis eos adducebat. Nec defuit ei occasio. Fortè Alexander præfecturam Lidensem, Lituano quodam amoto, Andreæ Drosdæ Michaëlis consanguineo contulerat, & ad primores Lituanorum absens mandata dederat, vt eum in possessionem eius præfecturæ mitterent. Id illi odio Michaëlis ad regium aduentum reiecerunt. Hinc igitur arrepta occasione Michaël cùm alios Lituanos proceres, tum in primis Albertum Taborum episcopum Vilnensem, Ioannem Zabrezinium palatinum Trocensem, Stanislaum Zarnouecium præfectum Samagitiæ, & Stanislaum Kiscam ducem exercitus, quasi cõtumaces rebellesque, subinde apud regem criminari, donec eò regem perpulit, vt is secretis consilijs de nece ipsorum agitaret. Cùm autem in media Lituania nihil eiusmodi propter magnas eorum clientelas, & cõmunem gentis Lituaniẹ dolorem tutò aggredi posse videretur, Breste, quod oppidũ in cõ-

finio

finio Poloniæ ſitum eſt, eos ad conuentum euocauit. Non ignorabant illi quidem, regem ſibi iratum eſſe: & erat res plena ſuſpicionis, quòd Lituanica comitia in eum locum præter morem edicta eſſent, aduenêre tamen, ſed ingreſſu arcis abſtinuêre. Tandem ſuaſu Ioannis Laſci cancellarij Polonici rex aliquantiſper mitigatus, Zabrezinium quidem palatinatu Trocenſi amouit, dato ei ſucceſſore Nicolao Radiuilo: Albertum verò epiſcopum Vilnenſem cum cæteris, qui idem ſentiebant, ſenatus ingreſſu excluſit. Adductus deinde Vilna Sachmates Zauolgenſium Tattarorum princeps: cui rex magna & ſplendida equitum caterua ſtipatus ad quinque millia paſſuum obuiam progreſſus eſt, & comiter ac lautè eum accepit, compoſitisq; rebus Lituanicis ad conuentum Polonorum Radomiam ſecum duxit. Vbi introductus in ſenatum, grauiter & magna libertate regem & conſiliarios eius Polonos iuxtà ac Lituanos incuſauit, quòd ab ijs contra Tauricanos Tattaros in auxilium penè ab Hircano vſque mari ingentibus pollicitationibus euocatus, deſtitutus deinde, ac planè proditus, amiſſis partim per defectionem, partim aduerſo prælio maximis, quas adduxerat copijs, nihilo tutiorem apud ſocios & fœderatos, quàm apud Turcas fugæ locum inuenerit: ſed contra iuriſiurandi religionem pro captiuo habitus, & ad illud vſque tempus in cuſtodia, & quaſi in carcere detentus ſit. Sed Deus (inquit, ſublatis in cœlum manibus) bonorum omnium & malorum remunerator, meam regisque cauſam aliquando iudicabit, & ærumnas meas, iusque iurandum violatum vlciſcetur. Ad extremum orabat, vt ſibi liberè diſcedere, & ad ſuos reuerti liceret. Reſponſum eſt regio nomine: Immeritò ipſum de rege & conſilio eius queri: ipſum ſibi ſua culpa, quicquid illud mali eſſet, conciliaſſe: quippe qui cùm validum & florentem exercitum haberet, hoſtemque viribus longè inferiorem ſecundo prælio fudiſſet fugaſſet que, in campis Kiouienſibus ignauus deſidere, & ſociorum agros, fœdere & iuriſiurandi religione neglecta, rapinis vexare, quàm vrgere victoriam, expulſoque hoſte, Tauricæ imperium ſibi adiungere maluerit: aut ſi id ei viſum non ſit, potuiſſe eum certè traiecto ſurſus Boryſthene è Moſchi ditione prædas agere, & exercitum inopem ſuſtentare tantiſper, dum Poloni & Lituani veniunt. Ne fœminam quidem vxorem ipſius mariti, nedum exercitum domini ignauiam illam ferre potuiſſe. Seipſum igitur potius, quàm quenquam alium incuſaret. Ad hæc plurimum eum Polonis & Lituanis incommodaſſe, quòd ſua culpa neglectis eorum conſilijs de infeſtanda Moſchouia, defectione ſuorum vires hoſtium auxerit. Sic refutatæ ſunt Sachmatis querelæ, & retorta in eum culpa. Obnoxius deinde is rogare, vt in Scythiam remitteretur: reparaturum ſe eſſe exercitum, & reliquias profligati collecturum: transfugas quoque, vbi ſe incolumem eſſe cognôuerint, ad ſe reuerſuros. Ita fore, vt plus regi commodare dimiſſus, quàm retentus poſſet. Non ſatis conſultum fore noſtris videbatur, dimittere ferocem hominem, detentione tam diuturna & retractione ex fuga iritatum, qui tunc etiam, cùm ſui iuris non eſſet, liberè tamen & acerbè de iniuria quereretur. Sed Tauricano tamen principi iratior eſſe, & infeſtior fore non immeritò credebatur: Ita acquieturos tamen eſſe noſtros, barbaris inter ſe commiſſis. Placuit igitur, ipſo aſſentiente, fratrem quidem eius Cozacum Soltanum in Scythiam mitti, nouas copias Sachmati adducturum, & Nogaienſes Tattarorum conſanguineos ſuos contra Tauricanos concitaturum: ipſum verò Sachmatem Trocos remitti, expectaturum donec frater cum copijs reuerteretur, & rex in Tauricam expeditionem faceret. His ita conſtitutis, Kozacus accepto à rege viatico, in Scythiam contendit: Sachmates verò à Lituanis proceribus Trocos reductus, liberiore viuendi ratione vti permiſſus eſt cùm, de diſſet fidem, ſe inde fugiturum nõ eſſe. Aduenerant autem Lituani proceres ad Radomienſia comitia, vt opera Polonorum regem ſibi reconciliarẽt. Sed non potuêre tamen ij quicq̃ aliud impetrare, q̃ vt rex data ipſis repulſa publicè, ſecretò Polonis polliceretur, ſe illos in gratiam recepturum eſſe, cùm ad Lituaniã acceſſerit. Dimiſſis Lituanis atq; Tattaris, reliquum tempus comitiorũ iudicijs & conſultationibus de defenſione regni contra ſubitarias hoſtium incurſiones datũ eſt. De equeſtribus quibuſdam, qui latrocinia exercuerãt, ſumptum ſupplicium. Ac Oſuchouius quidem & Miſouius gladio percuſſi: Ruſinouia verò fœmina cum ocreis, calcaribus, & cultu corporis virili, vt erat prehenſa, ſuſpẽdio necata eſt. Ad defenſionem

Sachmates Tattarus in Poloniam ductus.

Comitia Radomiæ.

Sachmatis libertas in dicendo.

Nogaienſes Tattari.

Lituani ſupplices regi reiecti.

Ruſinouia ob latrocinium ſuſpendio necata.

nem verò regni minores quidem Poloni tributum agrarium duodenûm grossorum in stipendium mercenariorum militum sciuêre: maiores autem id abnuêre. Per quod tempus decimanona die Maij tempestas horrenda circum Cracouiam coorta, tonitruis perpetuò terribiliter crepitantibus, & coruscantibus inter densas nubes fulguribus, grandinem instar oui gallinacei demisit, qua frondes arborum crassiores etiam decussæ, tectaque domorum perfracta sunt: turris vna arcis fulmine percussa, tecti & muri parte abrupta, prodigij loco fuit. Nec multo pòst rex Alexander vigore membrorum in vna parte soluto, quem morbum paralysin Græci vocant, Radomia Cracouiam post medium Iunium apportatus est. Quo subsecuta est eum legatio Bogdani Moldauorum palatini, quæ tunc Radomiam aduenerat. Postulabat autem Bogdanus coniugium Elizabethæ sororis regiæ: & quo facilius id impetraret, Thysmeniciam & Cessybiesos territoria regi reddebat. Ipse'ne autem ea post mortem patris Polonis ademerit, vt memorat Vapouius, an à patre adempta, quemadmodum vult Miechouiensis, retinuerit: an verò quæ non habuerit quidem in potestate, sed quasi sua repetere posse & velle videbatur, donanda sibi esse duxerit, non satis constat. Ea quidem certè donabat, quæ retinere ipse non poterat: vt benignitate illa, quæ nihilo ipsi constabat, regis & Polonorū studia promereretur. Abnuebant puella & mater barbaricum fœdi ac lusci hominis connubium: nec tamen repulsa iritare placebat hominem, & ex amico hostem facere. Itaque pro munere quidem gratiæ actæ Bogdano, de coniugio verò ambiguum responsum datum. Per idem tempus legati Nogaiensium ducum, (neque enim vnum ij principem habent) octoginta equitum comitatu in Lituaniam aduenêre, qui Sachmatem domum reducerent, magnas copias ad vlciscēdum hostem Tauricanum ipsi pollicentes. Nec multo pòst Mengligeris siue Menglikereij Tauricani principis legatio subsecuta est, suadens & postulans, ne Lituani proceres Sachmatem hostem principis sui dimitterent, sed asseruarent in custodia, quemadmodū patruum ipsius Mengligeris, quoad vixit, asseruassent. Percussurum se esse fœdus cum rege, necvnquam deinceps in ditiones eius inuasurum. Vtiliorem autem fore Lituanis & Polonis amicitiam suam, quàm Sachmatis, à quo & propter longinquitatem sera, & propter debilitatas atque adeò afflictas vires infirma auxilia essent expectanda. His vtrinque auditis Lituani proceres neutram in partem quicquam statuerunt, sed rem integram ad regis aduentum reiecerunt. Patebat interim liber aditus ad Sachmatem legatis Nogaiensibus. Qui cùm duci se pollicitationibus Lituanorum suspicaretur, consilium fugæ cum legatis & equitatu, quem circum se habebat, clàm inijt, effusoque cursu dies & noctes iter continuabat: sed occurrentibus per cōpendia viarum Lituanis, retractus ex fuga, ac diligentius deinde asseruatus est. Nihilo tamen magis Tauricani per eos dies Lituaniæ vexatione abstinuerunt. Nam è Minscensi territorio prædas extremis diebus Augusti mensis egerunt: quo factum est, vt Lituani anno sequenti Vilnam muro cingerent. Sub excursionem autem illam Tattaricam tertio Calendas Augusti Elizabetha regina Cracouiæ extremum vitæ diem clausit: fœmina lectissima, & insigni pietate ac munificentia in cultum diuinum. Cuius præclara & regalia donaria extant etiamnum cùm alibi, tum in basilica Cracouiensi, vbi sepulta est in delubro sanctæ Crucis: quod ea viuens à fundamentis exædificauit, omnique apparatu ad cultum diuinum accommodato magnificè ornauit, & censibus domoq; in octo presbyteros & nonum ministrum collatis dotauit. In diui quoque Michaëlis templo in eadem arce sito totidem presbyteris, qui cantando & sacris operando assiduo cultui diuino insisterent, census attribuit. Quamuis enim dotem nullam apportauisset, indulsit ei tamen rex filius, vt non modò tantum in cultum diuinum elargiretur, sed etiam filiæ Elizabethæ natu minimæ Lenciciensem, Radomiensem, & Predecensem præfecturas partem bonorum, quæ nihilo minus titulo donationis propter nuptias à marito rege vtenda fruenda acceperat, quadraginta millibus Vngaricorum aureorum obligaret & concederet, quo illa bonis ijs matre viuente vteretur frueretur quoad nuberet, vel cœlebs decederet: post mortem verò matris, ad ius regni libera ea reuerterentur. Iustis funebribus matri peractis Alexander, cùm ope medicorum à morbo releuatus esset, Calendis Octobribus Lublinum profectus est, & anni sequentis, qui fuit à Christo nato 1506. initio comitia Polonorum ann. 1506.

Tributum à minorib. Polonis scitum.

Tempestas ingens.

Alexander paralysi affectus.

Bogdani Moldaui legatio.

Nogaienses Tattari.

Tauricanorū Tattarorum legatio.

Sachmates è fuga retractus.

Tattarorum excursio.

Minscum.

Vilna muro cincta.

Elizabethæ reginæ mors & pietas.

Comitia Lublini.

rum habuit. Certatum ibi, ac disceptatum est inter proceres profani ordinis, & episcopos de ordine & ratione sedendi in senatu regio, ac de expeditionibus bellicis. Contendebant proceres, vt episcopi alterum latus regis sibi concederent, alterum vel dextrum sanè ipsi tenerent: deinde vt bona ecclesijs addicta, perinde ac ea, quæ nobilitatis essent, publica belli onera sustinerent. Tuebantur episcopi prærogatiuas suas, quòd vtrique regio lateri assidendi ius ipsi, & militiæ vacationem ecclesiastica bona antiquitùs haberent. Post longam altercationem rex tandem controuersiam ita diremit, vt episcopis & ecclesijs prærogatiuæ suæ saluæ manerent. Constitutum deinde, vt à rege noua moneta argentea cuderetur, & vsitatum tributum ab agrestibus & oppidanis in stipendia militum, qui ad fines Russiæ & Podoliæ defendendos, ac depellendum Pocucensi territorio Bogdanum mittebantur, conferretur. Etenim Bogdanus nuptiarum Elizabethæ regiæ sororis compos non factus, quòd regina puellæ mater ipsi aduersata esse diceretur, vbi cognouit reginam esse mortuam, iterum ea de re ad regem oratores miserat. Sed cùm puella negaret se ipsi nupturam, ira percitus, Pocuce cum infesto exercitu inuaserat: & cùm nullum ibi esset regium præsidium, nec validæ munitiones, paruo negocio in potestatem suam redegerat. Igitur quatuor millia mercenariorum militum decreto comitiorum in Russiam missa, Pocuce sub signis ingressa sunt: profligatisque ac depulsis sexcentis Valachis præsidiarijs, territorium omne non multo maiore negocio, quàm erat amissum, recuperarunt. Deinde Moldauiæ fines infestis incursionibus vexarunt. Vbi duo Strussi fratres adolescentes nobiles & bellicosi, decus Russicæ nobilitatis, cum ala quinquaginta equitum longius prouecti, cùm in longè plures Valachos fortè incidissent, audacius quàm par erat cum eis congressi, à multitudine hostium oppressi sunt. Ac Felix quidem in prælio fortiter dimicans cecidit: Georgius verò dum fratri laboranti per medios hostes animosè inuectus fert opem, suffosso equo ad terram defluxit, ibique captus, & ad palatinum deductus, cum octo alijs tyranno inspectante capite plexus est. Sed non inulta mors eorum Valachis mansit. Postridie enim eius diei nostri hostem victoria recenti exultantem consecuti & adorti, magna strage vlti sunt. Cæsus præfectus Chocimensis: Copacius verò dux exercitus Valachici fuga elapsus est. Nec tamen memorant Miechouiensis & Vapouius, quinam belli huius Valachici exitus fuerit. Sed nos icto fœdere finitum esse colligimus, argumento literarum Alexandri regis, quæ extant in Archiuo. Indè enim apparet, Bogdanum tres oratores ad regem denuò misisse, ipsisque cum eo conuenisse, vt Elizabetha Bogdano nuberet his legibus, vt is ad Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ ritus cum aulico suo comitatu accederet: in Moldauia item vt templa, sacerdotes, & vnus episcopus Romani ritus instituerentur: Romanus pontifex Bogdano postulante matrimonium id approbaret: Bogdanus regijs ditionibus fœderatus vt esset, & cum cæteris Christianis principibus contra barbaros bellum susciperet. Nec tamen hæc pacta rata fuêre. Adactusque postea bello Bogdanus, Sigismundo regi Alexandri literas illas reddidit. Sed hęc postea. Tunc autem Alexander comitijs Lublinensibus, quemadmodum dictum est, peractis in Lituaniam contendit: Expectabant enim eum ibi Nogaiensium atque Tauricanorum Tattarorum legati: & acceperat, Ioannem magnum ducem Moschorum è viuis excessisse, gentemque in motu esse, ita vt ipsi commoda occasio recuperandi ea, quæ Ioannes Lituanis ademerat, oblata esse videretur. Felicissimus fuit Ioannes: Tattarorum iugum excussit: complures & magnos principatus paruo vel nullo negocio imperio suo adiunxit: cum Stephano illo magno Moldauorum palatino affinitatem & amicitiam contraxit: Casanenses, Permios, Sibiros, Lapos, Iugros Vngarorum progenitores, Bulgaros Asiaticos partim subiugauit, partim tributarios sibi fecit: cum vicinis Suecionibus siue Suetijs, Liuonibus, atque Finnis prospero successu bella gessit: Lituanis supra septuaginta arces & castella ademit. His igitur de causis formidabilis Lituanis fuit quoad vixit. Quanquam pleraq; hæc omnia per legatos gessit. Instituto gentis maximus natu filius in principatu patri succedit. Sed cùm is viuente adhuc patre obijsset, susceptum ex eo nepotem Demetrium, quemadmodum Herbersteinus prodidit, Ioannes grauis annis successorem sibi designarat. Deinde verò suasu secundæ vxoris Grææ mutato con-

Contentio procerũ cum episcopis de prærogatiuis loci & immunitatis.

Ecclesiastici ordinis prærogatiuæ regio decreto confirmatæ.

Pocuce Bogdanus palatinus Val. in suam redigit potestatem.

Strussi fratres interfecti.

Valachi fusi à Polonis.

Pacta Alexandri regis cũ Bogdano.

Ioannis Moschorũ ducis mors, et res gestæ.

Moschi Tattarorum iugum excussere.

Casanenses. Permij. Sibiri. Lapi. Iugri. Bulgari. Suecones. Finni.

Moschicus principatus hæreditari[us]

consilio, Gabrielem filium ex ea susceptum, qui postea Basilius appellatus est, ei prætulerat, Demetrium verò in vincula coniecerat. Moriens autem rursus Demetrio è carcere producto prærogatiuam suam restituerat, culpam admissam deprecatus. Maiores motus hinc inter Moschos expectabantur. Sed eos rex in Lituaniam veniens celeriter cõpressos esse cognouit. Gabriel enim, siue Basilius Ioannis defuncti ducis filius compacto in carcerem Demetrio dominatum occupauit. Omissa igitur, siue in aliud tempus dilata rerum Moschicarum cura Alexander cùm Mengligeri gratificari statuisset, quo eum sibi amicum faceret, Sachmatem cum omni comitatu & legatis Nogaiensibus Vilnam adduci ad se iussit, instauratoque iudicio violati fœderis reum damnauit, & Caununam diligentius asseruandum misit nequicquam deprecantem, & contestantem, minimè placatum iri Lituanis & Polonis sua captiuitate & miseria Mengligerem. Cæteri Tattari per munitiones, & castella Lituaniæ distributi. Nec malè diuinauit Sachmates. Paulo pòst enim legatis Mengligeris domum reuersis, mense Maio quinq; millia expeditorum Tattarorum è Taurica eruperunt, & Podoliam, Russiam atq; Lituaniam longè latéque crudeliter vastarunt: & præter aliam prædam ingentem ad centum millia hominum in barbaricam seruitutem abegerunt: plurimos vicos atq; pagos exusserunt, & in imbecilliorem sexum ac puerorum multitudinem immaniter ferro sæuierunt. Languebat rex, ab empirico quodam medico, seu verius impostore, qui se, Polonus cùm esset, Græcum mentiebatur, balneis & sudoribus magis etiam debilitatus. Proceres verò Lituani mutuis odijs certantes, regiáq; indignatione prouocati, suum quisque negocium agebant, nec vllam habebant curam reipublicæ. Tattari tam felici successu illecti distracta præda, quam retulerant, paruoq; interuallo quieti dato, mox auctis viribus mense Augusto denuò in Lituaniam irruperunt: & cùm ad Clescum oppidum haud longè à fontibus Nemenis fluuij situm constipati peruenissent, relictis ibi duobus Soltanis (sic illi principis filios vocant) cum decem millibus equitum, ad quos ipsi receptum habituri essent, cæteri ad viginti millia turmatim quoquo versus populabundi ex currerunt. Vilnæ rex languens iacuerat. Inde verò discedens cum vxore & supellectili sua vniuersa, Lidam, quæ arx duodecim milliarijs à Vilna abest, peruenerat. Ac Miechouiensis quidem cum aduentu Tattarorum excitum, cùm negarentur Lituani, nisi rex ipse loco se mouisset, ad arma concursuri esse, nequicquam dissuadentibus medicis, eò se vehi iussisse memorat, ne vel in extremo halitu suis deesset: Vapouius verò eum in Poloniam iter habuisse scribit, quò iam Sigismundum fratrem è Silesia euocauisset, vt concessis ei habenis regni, ipse rebus gerendis propter ingrauescentem & insanabilem morbum minimè idoneus, in ocio reliquũ tempus vitæ transmitteret. Sed quocunque tandem consilio Vilnam reliquit, Lidæ cùm esset, ecce adest vnus quispiam nuncians Tattaros populabundos vix vnius diei itinere abesse: se sagitta ictum in faciem, equi pernicitate manus eorum ægrè effugisse. Parum fidei habitum est nuncio. Proinde Michaël Glinscius, qui regem comitabatur, Rascios equites aliquot, quos ad manum habebat strenuos, dimisit, certius omnia exploraturos. Nec longè hi abierant, cùm in turmam Tattarorum inciderunt: confertaq; intrepidè pugna, nouem ex ijs interfecerunt, cæteros in fugam verterunt, & præfixa hastis occisorum capita ad dominum suum retulerunt. Trepidatum est circa regem vehementer. Placuit deinde, vt is mole stia itineris & quassatione maiorem in modum afflictus, lectica Vilnam reportaretur: Glinscius verò cum Stanislao Kisca duce exercitus, & Lituana nobilitate, quæ aduentu Tattarorum audito ad regem confluebat, hosti obuiam iret. Missus etiam, qui Sigismundum regis fratrem celeriter acciret. Siue enim viueret rex, siue moreretur, & siue vincerent Lituani, siue vincerentur, præsente eo videbatur opus esse. Ac rex quidem continuato die nocteq; itinere, Alberto episcopo Vilnensi, Ioanne Zabrezinio, & Ioanne Lasco cancellario Polono cum regina deducentibus, vix trahens spiritum Vilnam reportatus est. Michaël verò Glinscius, cũ Kisca subito morbo correptꝰ esset, nõ ignarus moris Scythici, quãuis nõ plus septẽ millibus equitũ aggregasset, accelerandum sibi ratus est in hostem ad Clescũ desidentem, priusquam cuncta agmina, quæ diuersa & palantia prædas agebant, eò sese recollegissent. Erat propè statiua hostilia, quà Lituani veniebant, amnis non magnus, neque profundus, sed limosus, & ob id ægrè vadabilis. Eius

Basilius Moschorum dominatum inuasit.

Sachmates Tattarus carcere damnatus ab Alexandro rege.

Tattari Russiam, Podoliam & Lituaniam populati.

Alexandri aduersa valetudo.

Lituanorum intestina odia.

Tattari iterũ Lituaniã vastant.

Nemenis fl. fontes.

Soltanus.

Lida.

Sigismundus à fratre ad regnum accitus.

Eius ripam vlteriorem Tattari, cùm Lituanos contra se aduentare cognouissent, insederant, ac denso sagittarum imbre Lituanos transitu prohibebant. Habebant Lituani secum bombardas aliquot. Eas cùm exonerassent, hostem à ripa summouerunt: & comportatis è vicino frondibus ac virgultis, amneque constrato in vlteriorem ripam cùm euasissent, magno impetu in hostes irruerunt. Peropportunè autem in primo agminum congressu equites Poloni trecenti ex aulico regis comitatu duce Sendiuoio Ciarnicouio palatini Posnaniensis filio Vilna accurrentes, è propinquo colle Tattaris sese ostendêre. Cumque armis fulgentes frontem latius diduxissent, ac tympanis atque tubis vehementius insonuissent, & longè maioris, quàm pro numero exercitus speciem præ se tulissent, Lituanis quidem animum addidêre, hostibus verò terrorem incussêre. Itaque statim ij terga dedêre. Nec segnius instabant Lituani fugientibus, nec vllum recolligendi sese spacium dabant. Fortè palus erat cœnosa, qua barbari constipati adhuc fugiebant. In eam cùm vrgentibus à tergo Lituanis compulsi essent, plurimi cœni voragine hausti sunt: nec pauciores restitantes ab insequentibus contrucidati: Soltani duces exercitus equis in palude relictis, ægrè euasêre. Glinscius magnam non solùm egregij ducis, verùm etiam strenui militis laudem ex ea victoria reportauit, tribus equis sub eo confossis. Neque tamen hac ille victoria contentus fuit. Sed reductis ad hostium statiua copijs, tacitus ibi consedit, operiens donec cæteri, qui prædatum longè lateque excurrerant, casus suorum ignari ad statiua, quemadmodum inter eos conuenerat, reuerterentur. Nec eum fefellit coniectura & successus. Post quartum enim diem, eos turmatim reuerti incipientes, vt quique primi venerant, excepit, & magna strage concidit: ita vt viginti millia barbarorum tunc illis prælijs cæsa, totidem equi capti memorentur. Præda omnis excussa, & ingens captiuorum numerus liberatus. Iam Alexander rex desperata salute, & testamento condito, sumptisque ritu Christiano sacris mysterijs, animam agebat, cùm ei de victoria suorum nunciatum est. Sublatis igitur in cœlum manibus, & oculis lachrymas stillantibus tacitus amisso iam vsu linguæ gratias agere Deo visus est. Nec mora animam exhalauit, die decimanona mensis Augusti, quadragesimum sextum annum agens, cùm non totos quinque annos regnasset in Polonia. Cuius obitum cometes paucis antè diebus ad Septẽtriones conspectus portendit. Quin & globus igneus clarissimus quadam nocte super turrim curiæ senatoriæ Cracouiæ decidisse visus est. Fuit Alexander statura mediocri, facie oblonga, capillo subnigro, viribus corporis atque lacertis validis: Verùm ingenio hebetiore, atque ob id taciturnus. Liberalitate fratres omnes superauit, non sine voluptate sua fortibus viris & militaribus, atque aulicis benignè facere solitus: cantoribus etiam, citharœdis, atque tibicinibus impendiò delectatus est. Prodigum potius quàm liberalem fuisse multi existimauêre, ita vt in tempore eum decessisse dicerent, priusquam Poloniam & Lituaniam omnem prodigeret. Bonorum quidem regiorum magnam partem oppignerauit. Erasmum Ciolcum hominem plebeium, quemadmodum creditum est, iam inde ex quo Lituaniæ dux factus erat, valdè familiarem habuit: eumque ad episcopatum Plocensem euexit, & opera eius fideli & industria in obeundis apud Pontificem max. & Cæsarem legationibus semel atque iterum vsus est. Certatum est de funere Alexandri. Ioannes enim Lascus cancellarius Cracouiam id efferre satagebat, asseuerans ita ipsi quoq; regi placuisse. Contrà Lituani proceres Vilnæ iuxta Cazimirum fratrem sepelire regem volebãt. Nec iniustam eius consilij sui causam habere videbãtur. Cùm enim abesset Sigismundus regis defuncti frater, verebantur, ne dum ipsi funus honoris gratia Cracouiam deducentes eunt & redeunt, interea Michaël Glinscius homo factiosus, & recenti victoria magis etiam elatus, Lituaniæ dominatum adiuuantibus Russis suis, inuaderet. Dum hæc fiunt, & põpa funeris apparatur, Sigismũdus dux, cùm de morte fratris in itinere nuncium accepisset, accelerauit iter. Venienti primus omnium procerum Glinscius cum septingentis equitibus gratulabundus occurrit. Plenus iam ante erat Sigismundi animus suspicionum, non modò ex rumore vulgari, sed etiam delationibus procerum Lituanorum de Glinscio, quasi principatum affectaret. Auxerat ipse etiam tunc suspicionem occursu suo, & comitatu illo tam numeroso. Nec plures ducentis equitibus Sigismundus secum habebat: sed

Poloni aulici. *Sendiuoius Ciarnicouius.* *Tattari à Lituanis apud Clescũ profligati.* *Glinscij virtus.* *Cæsorum numerus.* *Alexander regis mors, figura, & mores.* *Cometes.* *Alexandri prodigalitas.* *Erasmus Ciolcus episcopus Plocẽsis.* *Sigismundi cũ Glinscio congressus.*


non poterat commodè & cum dignitate congressum eius declinare. Itaque aduenienti longius è cubiculo obuiam progressus, comiter & benignè eum accepit, & in cubiculum suum deduxit. Ibi Glinsçius non ignarus, suspectum se esse principi, luculenta oratione sese purgauit, & studium obsequiumq; suũ ipsi detulit. Ac deleuisse oẽm suspicionẽ ex animo eius sibi visus est: cùm ille ei vicissim, seu verè, seu temporis causa omnia de se polliceretur. Frequentes deinde affuêre cæteri proceres, magnis & splendidis equitum cateruis stipati, Vilnamq; principem deduxêre. Nec multo pòst funus regium superba pompa elatum est, & in basilicæ delubro iuxta Cazimiri corpus sepultum. Per quod tempus Vuladislao Boemorum & Vngarorum regi Ludouicus filius ex Anna vxore, quæ statim post id puerperium obijt, natus est anno vno post Elizabetham filiam: quam pater postea, propter desideriũ vxoris amissę, Annam vocari voluit.

Sed nos emensi id, quod nobis propo sueramus, curriculum, hic cursum inhibeamus: postea fortassis per ociũ id, quicquid superest spacij, si Deo placuerit, ad metam decursuri: aut, quod mali mus, alij lampada tradituri. Interea visum est nobis hic apponere funebrem orationem, Sigismundo regi, qui Alexandro fratri successit, à nobis post obitum eius conscriptam, qua vitam & regnum eius regis compendiosè complexi sumus, vt sit ea commentarij vice ijs, qui res gestas Polonorum posterioris temporis vtcunq; nosse, aut ipsi accuratiore stylo & ordine historico persequi volent.

Libri trigesimi & vltimi Finis.

SERE-

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO AVGVSTO, DEI GRATIA REGI POLONIAE, MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMAGITIAE, &c. Domino & hæredi, Domino suo clementissimo Martinus Cromerus.



N publico & acerbißimo omnium nostrûm luctu, quem tecũ pariter, Sigismunde Auguste Rex inclyte, morte sanctißimi regis nostri SIGISMVNDI, patris tui, nuper hausimus, nulla est (mea quidem sententia) maior & efficacior doloris leuatio, quàm honestißimè & laudabiliter in primis ab eo actæ, & religiosè exactæ atq; positæ vitæ, beneq; & feliciter, sapienter & cum approbatione omnium bonorum administrati Regni recordatio. Qua in parte cùm ego, pro meo de multis bene merendi studio, opis aliquid non tibi, neq; maioribus natu (qui multis annos in Rep. hac nostra, & in aula eius Regis versati, exactius omnia norunt, & memoria tenent) sed minoribus & imperitis afferre cuperem, prius quàm abs te orator ad Pont. max. Paulum eius nominis III. proficiscerer, scripsi ei primus omnium funebrem orationem, siue laudationem: qua vitam eius penè omnem, resq; gestas illustriores nudè & succinctè, quoad fieri potuit, exponendo, non verbis amplificando (quod perlongum, & non mearum sanè virium opus futurum erat) complexus sum: vt esset commentarij vice interim, donec siue à nobis ipsis in instituta historia gentis nostræ, siue, quod malim, à doctiori atq; disertiori quopiam diligentius omnia pertractentur. Nec sanè desunt in hoc tuo regno, quod multo florẽtius & belli & pacis artibus pater tuus reddidit, quàm acceperat, qui, si tua benignitas accesserit, & libenter id opus suscepturi sint, & cũ dignitate persecuturi. Equidem, si nihil aliud hoc labore meo assequar, certè doctiorum cessantium adhuc studia excitabo, & persequi hæc accuratè & ornatè volentibus materiam subministrabo. Tibi verò in primis inclyte Rex, orationem hanc dicare volui, cui meipsum non ita pridem addixi, & ad quem hæreditas paternæ gloriæ maximè pertinet: vt si quidem placebit, nonnulla si non cum voluptate, certè cum leuatione desiderij paterni domestica decora recognoscas, & nostri siue ocij, siue negocij fructum, & quasi primitias quasdam delibes: sin displicebit, melioribus des id negocium, vt ne cum eorum qui nunc viuunt, mortalium memoria sapientißimi & optimi patris tui laudes intermoriantur. Quanquam viuent eæ (nisi me vanum fallit augurium) æuo sempiterno, easq; posteri nostri longè etiam, quàm nos gratiore & iucundiore memoria prosequentur. Quod reliquum est, Deum precor, vt fausta tibi nobisq; omnibus Regni tui initia esse velit, & lætioribus indies successibus id cumulet, ac diutißimè incolume fortunatumq; præstet.

Historia Polonica ab authorẽ cõscripta.

Cracouiæ 15. Calend. Decembr.

M. D. XLVIII.

MARTINI CROMERI
ORATIO IN FVNERE OPTIMI ET MAXIMI PRINCIPIS SIGISMVNDI, EIVS NOMINIS PRIMI, POLONORVM, LITVANORVM, RVSSORVM, PRVSsorum & Masouiorum Regis, &c. 1548. Cal. Aprilis defuncti.



NTEMPERANtius fortasse, Sigismũde Auguste Rex inclyte, & vos Patres amplissimi ac cæteri viri vndequaq; ornatissimi, abuti facilitate & patientia vestra videor, qui locum hũc augustum apud vos hoc tempore verba facturus conscenderim, nihil neque conspectum consessumq; istum vestrũ amplissimum reueritus, neq; rei, de qua dicendum est, magnitudine deterritus. Neq; ego ita sum hebes, vt non intelligam, quid & quantum sit, quod nunc à vobis expectatur: neq; ita mihi ipse placeo, vt non perspiciam, quid à me præstari queat. Quòd si Alexander ille magnus rex Macedonum, qui res maximas mira celeritate, & rara fœlicitate gessit, neq; pingi se nisi ab Apelle, neq; fingi nisi à Lysippo, præstãtissimis suæ ætatis artificibus passus est, quanto acumine, quàm varia doctrina, quàm solido iudicio, qua memoria, quàm vbere denique & illustri eloquentia esse oportet eum, qui de optimi, fortissimi, sapientissimi, clementissimi & pientissimi regis SIGISMVNDI, cuius nunc exequias Polonia, Lituania, Russia, Prussia, Samagitia, & Masouia omnis mœsta & pullata celebrat, laudibus & vita omni, verè & pro meritis eius dicere velit? Et effigiem quidem cuiuspiam aptè seu pingere, seu fingere non maximi est ingenij, neq; laboris, ac ne operæprecij quidem. Patent omnium obtutibus corporis lineamenta: neque magnopere cuiusquam refert, quo colore, qua figura oris, quo corporis toto tius habitu, quaue statura quisque fuerit, qui inter homines esse desijt. Animorum habitudines vitamq; omnem non cuiusuis est neq; exactè perspicere, neq; dicendo aptè & ad viuum exprimere. Magnorum autem virorum, & excellenti virtute præditorum laudes celebrare, apprimè vtile est vitæ hominum, & necessarium, vt & illis, quoad fieri potest, pro meritis suis gratia referatur, & cęteri habeant, vnde virtutis & laudis exempla petant, & quo ad benemerendum de suis incitentur. Tantæ sunt aũt huius optimi regis virtutes, vt summis pariter ac imis abũdè exẽplorũ ad vitam rectè & honestè instituendam suppeditẽt: tanta in nos & in patriam hanc nostram communem merita & beneficia, vt ea sempiterna immortalitatis laude consecrari à nobis oporteat. Neq; tamẽ is ego sum, qui id me rectissimè & cùm excellentibus sanctissimi illius regis virtutibus, tum perpurgatis vestris auribus dignè facere posse confidam. Absit hęc à me arrogantia. Non adeò effrõs demensq; sum: intelligo nullam in me esse doctrinam, nullum dicẽdi vsum & exercitationem, nullum excellẽs ingenium, nullam deniq; memoriam. Quę nam verò tanta est cuiusquã eloquentia? in quo tantum flumen lectissimorum verborum? in quo tãta vis, & vt ita dicam, fulmen sententiarũ? in quo deniq; tanta memoria & pronunciandi dignitas, vt clarissimis optimi regis virtutibus atq; meritis par esse possit? Sed si lautis & delicatis epulis deficimur, an ne cibarium quidem panẽ hospitibus apponemus? Et, si auro, gẽmis, preciosaq; veste caremus, ne malo quidem cotoneo, vel scypho aquæ ex præterlabenti amne haustæ gratitudinem animorum nostrorum sanctissimæ huius regis animæ ostendemus? Vetus est prouerbium, eos qui thura non habẽt, mola salsa litare. Certè vel cum periculo priuatæ temeritatis & impudentiæ nõ est prodenda causa publica: neq; cõmittendum est, vt dum singuli pudori nostro cõsulimus, cuncti hoc extremo laudationis officio in funere talis ac tã bene meriti regis prętermisso, ingratitudinis (ne dicam impietatis) reprehensionem apud hos ornatissimos magnorũ principum oratores, & apud oẽs gentes, quæ humanitatem colũt, meritò incurramus. Audẽdum est igitur, & eo quidẽ maiore fiducia, quòd ijs de rebus dicendum est, quæ vobis plerisq; omnibus æquè ac mihi notæ, nonnullis etiam notiores sunt: nẽpe quas vidistis ipsi ferè, & meministis, & quarum (vt ait Poëta) pars magna fuistis. Ita enim futurũ est, vt me rudi & inculto, sed plano tamen ser-

Alexandri Magni delectus pictorũ et sculptorũ.

Propositio.

Animorum habitudines exprimere difficile.

Vtilitas ex laude bonorum.

Sigismundi regis virtutes.

Authoris excusatio.

Iusta laudandi causa.

Vergil.

sermone capita modò rerum attingente, cætera vos ipsi diligentius recognoscatis, & grata, vt par est, memoria recolatis. Ac de tribus bonorum generibus, quæ sola sunt laudabilia, primùm externa, deinde corporis, postremò animi eius bona succinctè persequar. Quod dum facio, vos mihi quæso, viri præstãtissimi, benignos vos & attentos præbeatis.

Partitio.

GEnus paternum Sigismundi à Cazimiro est, Vuladislai Iagellonis filio. Nemo est autem sic hospes in Polonia, ac in toto fermè Septentrione, cui non sit auditum de Iagellonia familia, quæ iam supra centum & quinquaginta annos apud nos regnat, à Lituanorum ducibus ducens originem. Cuius princeps Iagello, cui Vuladislao nomen bono veroque omine, quasi qui gloria potens futurus esset, maiores nostri indiderunt. Is cùm Lituaniæ & magnæ partis Russiæ dominatu potiretur, expetitus à Polonis, & ad regnum vnà cum coniugio religiosissimæ virginis Heduigis demortui Ludouici regis Vngarorum & Polonorum filiæ, repudiatis quibusdam alijs procis, accitus, religioni Christianæ sese, & cunctam simul Lituaniam addixit, ditionesque suas omnes Poloniæ fœdere sempiterno adiunxit: in curanda, & à prodigiosis dæmonum superstitionibus ad veri Dei cultum conuertenda gente sua agresti & barbara permultum laboris, operæ, sumptuumque impendit. Nec indecorum sibi duxit præpotens rex, doctoris & apostoli munere fungi apud rudem & vilem plebeculam, cùm nostri sacerdotes eius linguæ penitus essent imperiti. In Boemis quoque ad sanitatem priscamque religionem à multiplici errore, quo se, ab Ioanne Husso seducti implicarant, reuocandis, non parum operæ sumpsit: cumque pertinaciores eos esse animaduertisset, regnum ab eis delatum repudiauit. Silesios quosdam, & Russos duces domuit. Crucigeros Teuthonas non modò Lituaniæ inhiantes, verùm etiam Poloniam ipsam parentem & nutricem suam crudeliter & impiè laniantes, clarissimis aliquot victorijs repressit: victis fractisque pacem æquis conditionibus dedit. Erat enim singulari lenitate & mansuetudine, ad remittendas offensas perfacilis, & supra modum credulus: quippe qui fallere neminem ipse consueuisset. Quo magis obnoxius & opportunus fuit dolis & iniurijs cùm Sigismundi Imperatoris, tum Vitoudi & Suitrigellonis pro-

Iagellonia stirps. *Vuladislaus Iagello. Vuladislai etymon.* *Heduigis regina Ludouici filia.* *Lituanorum ad Christum conuersio.* *Iagellonis studiũ in propaganda religione.* *Boemi.* *Vuladislai regis gesta.* *Iagello credulus & candidus.* *Vitoudus. Suitrigello.*

ximorum suorum, de quibus erat bene meritus: Per quos factum est, vt in administrando regno plusculum haberet negocij. Huic decrepita valde ætate, cùm duodequinquaginta annos regnasset, vita defuncto, de duobus filijs impuberibus, quos è quarta vxore Sophia Russa Kiouiensium ducis filia susceperat, maior natu Vuladislaus in regno successit, is qui Vngarorum quoque regno suscepto, & profligatis summa cum gloria aliquot Turcarum exercitibus, cùm prius ad Macedoniæ, deinde ad Thraciæ fines, hosti pacem petenti formidabilis, cum animosiore quàm validiore exercitu penetrasset, apud Varnam inter confertissimos hostes dimicans certam propemodum victoriam cum vita pariter amisit: cùm vndecim fermè apud nos, apud Vngaros verò non totos quinque annos regnasset. Post hunc Cazimirus natu minor frater, tuus Sigismunde Auguste auus, regnum hoc suscepit: cui peruastata à Tattaris (tametsi profligatis semel atque iterum) Podolia & Russia, & amissus per defectionem ad Moschos dominatus Seueriensis, ac domestici motus, seu verius offensæ voluntates multorum, propterea quòd Lituanis plusculum indulgeret, malisque consultoribus vteretur, non parum de paterna fœlicitate detraxêre. Prussiam tamen & Pomeraniam per deditionem recepit. Crucigeris fœderum non tenacibus post tredecim annorum bellum supplicibus, & iureiurando in verba sua & posterorum suorum regum Poloniæ adactis, relicta parte Prussiæ pacem dedit. Moldauorum palatinum bellicosissimum Stephanum in clientelam accepit, & in consilio suo locum ei dedit, ac magno ei ad profligandos Turcas adiumento fuit: cum Vngaris & Boemis vario Marte bella gessit: filios sex, & septem filias ex Elizabetha Alberti Cæsaris filia, Ladislai Vngarorum & Boemorum regis sorore, fœmina honestissima, & religiosissima, suscepit. Ex his viuens Vuladislaum natu maximum Boemis, Cazimirum, ac deinde Ioannem Albertum Vngaris reges dedit. Sed vtroque hoc dissensione partium deserto, Vngariam quoque cum Boemia Vuladislaus obtinuit. De quo nati Ludouicus quidem filius, bimulus viuente patre coronatus, cùm ei exacta ætate mortuo in vtroque regno successisset, iuuenis admodum Turcico bello ante vnum & viginti annos apud Mohatium miserabiliter perijt. Anna

Iagellonis filij. *Vuladislaus rex Vngar. et Pol. apud Varnam à Turcis occisus.* *Cazimirus rex.* *Prussia per deditionem Polonis adiuncta.* *Crucigeri iurãt in verba regis Poloni.* *Moldauus cliens Polo.* *Vxor & filij eius sex, & filiæ septem.* *Vuladislaus Vngar. & Boem. rex.* *Ludouicus rex.*

Anna soror eius, et vxor Ferdinandi regis Rom. &c. *Ferd. Cæs. liberi.* verò filia cum Ferdinando rege Rom. qui post Ludouicum apud Vngaros & Boemos regnat, nupta, tribus filijs præclaræ indolis, & nouem filiabus superstitibus relictis, anno abhinc altero parturiens diem clausit extremum. Atque hæc paucula de Vuladislao, eiusq; progenie. De cæteris verò Cazimiri regis filijs, *Cazimirus filius Cazimiri sanctus.* Cazimirus quidem iuuenis castissimus atque religiosissimus, in Lituania immaturam mortem obijt, non sine celebri sanctimoniæ fama, quam complura miracula ad sepulchrum eius edita confirmant. *Ioannes Albertus rex Polon.* Ioannes Albertus post patrem octo & amplius: deinde hunc secutus Alexander quinque annos regnarunt: ille quidem maximi animi, sed ante susceptũ regnum, quàm regnans fœlicior: hic à Moschis apud Vedrusios victus, eosdem apud Oposcam, Tattaros verò Tauricos apud Clescum paucis ante mortem diebus insignibus prælijs profligauit. Vterque extincti properè, credo vt digniori cederent. Post hos Sigismundus hic noster natus est. *Fridericus cardinalis.* Hunc secutus Fridericus, sacris initiatus archiepiscopus Gnesnẽsis, simulq; episcopus Cracouiensis, & S. Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis fuit.

Filiarum Cazimiri desponsatio. Porrò filiarum Cazimiri duæ immaturè mortuæ: Heduigis Georgio duci Bauarorum, Sophia Friderico marchioni Brandeburgensi, Anna Boguslao Pomeranorum, Barbara Georgio Saxonũ, Elizabetha verò (patre mortuo) Friderico Legniciensium & Bregensium Ducibus matrimonio iunctæ fuêre, & omnem penè Germaniam affinitatibus & propinquitatibus illustrium virorum & mulierum, quas enumerare perlongum esset, nobis deuinxêre. Hoc igitur Sigismundi genus compluribus, quemadmodum videtis, præclaris principibus ac regibus fœcundum fuit. *Educatio Sigismundi.* Is autem ab ineunte primùm pueritia vnà cum alijs fratribus ab honestissima & religiosissima matre sanctè ac temperanter educatus, & à præceptoribus viris eruditis, probis, grauibus & pijs ad virtutem in primis & pietatem, cultumque diuinum institutus, in literis quoque non contemnendos progressus fecit: *Linguarum peritia.* ita vt latinè scribentes & loquentes sine interprete intelligeret, nec incommodè ipse ea lingua vteretur. Germanicam verò, cuius propter finitimos atque etiam incolas Germanos, non exiguus est vsus apud nos, exactius didicit. *Pius vsus sacrarũ literarum.* Porrò in diuinis scripturis ita fuit exercitatus, vt multa inde senior meminisset, ac sæpe eas in ore haberet, non ad scurrilem iocum, aut ad curiosam disceptationem, vt nunc improbus, ne dicam impius, mos inoleuit, sed seriò, & ad moderandas actiones, vitamque omnem: eoque timorem Dei, iusticiam & virtutem maximè semper præ oculis habuit. Permul- » tum enim refert, quibus rebus quis ab » ineunte ætate assuefactus fuerit. Nec » scio, an ad vitam sic vel sic degendam » longè plus faciat, quo modo quis à pue- » ro eductus & institutus, quàm quo mo- » do natus sit. *Educationis bonæ vtilitas.* Solent enim plerunque etiam bonæ & generosæ indoles praua, atque adeò negligentiore quoque educatione deprauari: vitiosam verò naturam sæpe bona educatio corrigit. Sic igitur educatus Sigismundus, *Adolescentia Sigismundi.* adolescens singulari indole, modestia, mansuetudine, grauitate & industria, quæ res maximè ætatem illam commendant, magnam sibi non modò nostrorum hominum, sed etiam extremorum, Vngarorum inquam, Boemorũ, Silesiorum & Germanorum, cum quibus tunc viuebat, beneuolentiam adiunxit. *Fauor Sigismundi apud Vngaros & Boemos.* Nam cùm regnante Ioanne Alberto fratre post patrem iuuenis in Vngariam ad Vuladislaum alterum fratrẽ se contulisset, ibi ea dignatione fuit, vt Vngari & Boemi magis eum propemodum, quàm regem suum reuererentur: per eum, quæ cuperent, publicè & priuatim à rege peterent: eius authoritati & iudicio libenter starent. Vsque ad- » eò maiorem vim habet ad tenendos in » officio etiam feroces homines, æquita- » tis, grauitatis, constantiæ & modestiæ » opinio, quàm regium sceptrum. » *Glogouiensis & Opauiensis dominatus, & supprema præfectura Silesiæ.* Itaque magno omnium fauore Glogouiensem & Opauiensem dominatum, & summam vtriusque Silesiæ præfecturam à Vuladislao fratre oblatum accepit, adeoq; charus ac venerandus fuit Silesijs, vt nunc etiam eius imperium grata & iucunda memoria prosequantur. Quid illud, nónne ingens est bonæ existimationis & beneuolentiæ hominum erga eum documentum? quòd cùm regnaret iam in Polonia, à Suecis post eiectum Christiernum regem, & item ab Vngaris atque Boemis *Regna ei oblata, sed non acceptata.* post miserabilem Ludouici fratris filij interitum, vt illa quoque regna susciperet, expetitus est? Neque deterrebat Suecos tanta terræ marisque intercapedo, quanta à nobis disiunguntur: ac ne Vngaros quidem & Boemos pacta con-

conuenta cum Maximiliani Imperatoris liberis, aut Caroli & Ferdinandi maximorum principum potentia, si Sigismundus delatum sibi regnum suscipere voluisset. Quin etiam maritimarum ciuitatum commune eum sibi patronum & præsidem expetiuit. Apud suos verò quàm gratiosus fuerit, vel illud permagno argumento est, quòd Ioanne Alberto rege mortuo prælatus fuisset proculdubio in regno maiori natu Fratri Alexandro cunctorum suffragijs, nisi plus publica quies atque tranquillitas, & vetusta cum Lituanis, quos iam Alexander ditione tenebat, fœdera valuissent. Iam verò quantum ei honorem summi quique Principes habuerint, redite quæso mecum paulisper in memoriam. Primùm enim Maximilianus Cæsar nō minoris animi quàm prudentiæ princeps, dudum hostis acerrimus, post celebrem illum congressum Viennensem eo ipsum honore prosequutus, ea charitate complexus est, vt in loco fratris deinceps eum haberet: eius gratia fœdus cum Basilio magno Moschorum duce ictum respueret, ac non modò non defenderet contra Sigismundū Crucigeros in Prussia, quos defendendos susceperat, verùm etiam auxilia ei contra illos, si quid noui molirentur suo, nepotumque suorum nomine promitteret. Qua de re extat apud nos diploma eius.

Gratiosus apud Polonos.

Amicitia & fœdus cum Maximiliano Imper. Viennensis cum Cæsare congressus.

Huius verò nepos Carolus, qui nunc latè & feliciter imperat, nónne hunc Sigismundo honorem habuit, vt inclytæ huic reginæ Bonæ vxori eius coniunctissimę Barensem principatum, quem post obitum matris eius in potestatem suam redegerat, redderet, ipsum societate sua, & aureo vellere vltrò dignaretur? sæpe honorificentissimam eius mentionem faceret? neq; vnquam Crucigeris militibus & alijs Germanis bellum contra eum flagitantibus indulgeret? Adest hic vir clarissimus Stanislaus Lascus palatinus Siradiensis, haud ita pridem apud illum potentiss. Imperatorem legatione functus. Adsunt item viri præstantes, Petrus Opalenius castellanus Gnesnensis, Stanislaus Borgius decanus Cracouiensis, Nicolaus Myscouius regiæ mensæ structor. Vellem adesset etiam vir eruditissimus Ioannes Dantiscus episcopus Varmiensis: qui omnes idem munus apud eundem Imperatorem cum laude superioribus temporibus obierunt. Ex his cuique licet discere, quantopere ille princeps maximus & grauissimus Sigismundum regem obseruarit. Quid frater eius Ferdinandus Cæsar & rex potentissimus? nónne plurimum eum & amauit, & coluit? nónne eius arbitrio controuersiam suam cum Ioanne rege de regno Vngarorum permisit? Non dico, quibus verbis & rebus præterea sæpenumero idem rex quanti Sigismundum faceret, declarauit. Possem autem non vano rumore accepta referre, sed quæ cùm de grauibus viris accepi, tum ipse explorata habeo, cùm nuper ad illum à te rex Sigismunde Auguste, & a parētibus tuis cum Nicolao Radiuilo viro illustri & acuto Lituaniæ summo marsalco allegatus essem. Ne illud quidem commemoro, quanto animi dolore idem nuper Sigismūdi nostri mortem prosecutus, quantoque studio pariter & apparatu exequias ei in maxima principum Germaniæ celebritate fecisse dicitur. Vt autem & Gallorum regem Franciscum, qui anno superiore decessit, Iulium secundum, Leonem decimum, Clementem septimum, & hunc qui nunc præsidet, sapientissimū Paulum tertium pontifices maximos prætercam, quorum illustria habiti huic Regi honoris documenta commemorare possem: vt magnorum item & grauium nonnullorum Germaniæ principum perhonorifica de ipso elogia, quæ ipse his auribus audiui nuper, omittam, Barbari quoque eum præ cæteris regibus & monarchis reueriti sunt. Quo enim rege cultior & populosior fuit Russia & Podolia? hoc est, quo rege quietiores fuêre Tattari, prædis & rapto alioqui viuere soliti? Quid ego dicam de Turcis, qui fœlicitate sua elati, omnes homines atque gentes præ se contemnunt? An non Solimannus bellicosissimus & felicissimus Imperator cum eo perpetuum fœdus percussit, & religiosè coluit? negare id alijs postulantibus, aut ad tempus modò concedere, nec admodum superstitiosè seruare solitus. Annon Valachis ac Tattaris vectigalibus suis, ne Sigismundi Regis ditiones infestarent, edixit? An non idem huic etiam eius filio Sigismundo Augusto per Petrum Opalenium, & Ioannem Ocessium castellanum Biecensem viros ornatos pacem & amicitiam in gratiam patris promisit? An non eiusdem intuitu filiam eius Isabellam reginam viduam, nepotemq; hactenus incolumes esse barbarus tyrānus passus est? qui ne ad Moldauiam quidē adspirasset, nisi eum intempestiuæ, ne quid aliud dicā, dissen-

Amicitia cū Carolo V. Imperatore.

Stanislaus Lascus.

Petrus Opalenius, Stan. Borck. Nicolaus Myscouius.

Amicitia cū Ferdinando rege & Cæsare.

Nicolaus Radiuilus & Martin. Crom. oratores ad Ferdinand.

Amicitia cū maximis regibus & pontificibus Rom.

Barbari Sigismundum reueriti.

Ioannes Ocessius orator ad Solimannum. Turc. Imp. Isabella regina Vngar.

ſiones noſtræ animaſſent. Iam Selimus Solimanni huius pater ferox, & in patrem etiam ſuum impius, Sigiſmundi amicitiam ſplendida legatione olim expetiuit. Nimirum admirabantur in eo cuncti virtutem, grauitatem & conſtantiam ſingularem: reuerebantur etiam nonnihil eius fœlicitatem. Quis enim tot annorum ſpacio in tanta orbis terrarum perturbatione fœlicius eo regnauit?

Regnum florens & pacatum.

Quis regnum ſuperiorum regum infœlicitate diuexatum ac deformatum, aut pacatius adminiſtrauit & retinuit, aut florentius & opulentius reliquit? Quis tot ac tam difficilia bella tam ſecunda fortuna, tantaque celeritate confecit? Commemorantur à veteribus ſcriptoribus Cyrus Perſarum, Alexander Macedonum, Mithridates Ponti, Carolus Magnus Germanorum, maximi & fortunatiſſimi reges.

Reges & duces inclyti.

Celebrantur Alcibiades, Conon, Themiſtocles, atque Timotheus Athenienſium: Ageſilaus, Pauſanias, Lyſander Lacedæmoniorum: Pelopidas, & Epaminundas Thebanorum: Hannibal & Aſdrubal Carthaginenſium: Romanorum verò (vt multos omittam) Fabij, Scipiones, L. Lucullus, Gn. Pompeius, & C. Cęſar, clariſſimi Duces & Imperatores. Ne noſtrorum quidẽ Boleſlaorum & Vuladiſlaorum obſcura eſt gloria. Verùm illi omnes partim cum imbellibus populis rem habuerunt: partim bello felices, cæteris rebus infortunati fuerunt: partim cladibus victorias propemodũ adæquarunt: partim etiam aliquouſq; à fortuna euecti, in medio curſu deſtituti, & ad extremum ſæuis eiuſdem procellis obruti ſunt.

Comparatio Sigiſmundi cum clariſſ. principibus.

Bella Sigiſmundi.

At Sigiſmundum noſtrum ab initio ad finem vſque ſecundo flatu fortuna proſecuta eſt. Cum quibus verò bella is geſſit? Nempe cum potentiſſimis Moſchis, ferociſſimis Tattaris, acerrimis Valachis, fortiſſimis Germanis, cum Turcis denique vel ipſa victoriarum perpetuitate formidabilibus. Quarum gentium validos exercitus, vel inſignibus prælijs vicit & profligauit, atque adeò deleuit etiam, vel caſtris exuit, vel denique regiones earum impunè vaſtauit. Quaſdam etiam domuit.

Victi ab eo Tattari diuerſis prælijs.

Atque vt à Tattaris perpetuis noſtris hoſtibus incipiam: horum quidem non contemnendos tres exercitus apud Sluſcum, tribus prælijs duce Conſtantino Oſtrogio principe omnium ſeculorum memoria digniſſimo ad internecionem penè cecidit.

Conſtantinus Oſtrogius dux.

Deinde apud Viſnoueciam vigintiquatuor millia, cùm ſe per Ruſſiam populabunda diffudiſſent, ſexies fuſa leuibus & particularibus prælijs, ad extremum tota acie in abeuntes facto impetu, Nicolao Camenecio palatino Cracouienſi, & eodem Conſtantino ducibus profligauit, cùm noſtri ſex millium equitum numerum non excederent, de quibus vix centum eo prælio deſiderati ſunt: hoſtium verò multo minor pars pernici fuga euaſit.

Nicolaus Camenecius.

In Moldauia quoque ante multos annos à Bogdano palatino huius regis auſpicijs & armis ijdem hoſtes graui prælio victi ſunt. Nec illæ ignobiles victoriæ ſunt, quæ apud Voronouiam Ioãne Camenecio, apud Buſcum Staniſlao Lanſcoronio, apud Zincouiam arcem Iacobo Secigneuio, atque iterum palatino Kiouienſi, in Volynia Conſtantino & Oſtaphæo ter, apud Ociacouiam hoſtilem arcem eodem Oſtaphæo & Prædiſlao Lanſcoronio ducibus quæſitæ, & quæ in Podolia Trebinij, quæque apud Cameneciam & Vereſtatincium pagum, & compluribus alijs in locis Nicolai Senauij viri fortis & magnanimi, qui nunc palatinus Belſenſis eſt, ductu, & fratrũ eius Alexãdri & Procopij, ac Bernardi Prætficij Sileſij opera partæ ſunt.

Ioannes Camenecius. Stan. Lanſcoronius. Iacobus Secignouius. Oſtaphæus Prædiſlaus Lanſcoronius. Nicolaus Senauius. Bernard. Prætficius.

Nam leuiora cum iiſdem Tattaris apud Trebouuliam, Podhaiciam, Medibozum, & multis alijs in locis proſperè item geſta certamina, ſciens volenſque prætereo, ne ſim longior. Tot enim fere ſunt, quot excurſiones ea gens rapaciſſima & famelica, & vel è flamma, quod dicitur, cibum petere ſolita, in ditiones huius regis ipſo regnante fecit. Perrarò enim impunè id abſtulit. Quid illa apud Canouiam in Lituania ante vnum & viginti annos, nónne omnibus ſeculis eſt memorabilis victoria, qua vigintiſex millia Tattarorum eodem illo Conſtantino duce parua manu profligata ſunt?

Bella cum Turcis geſta.

Cum Turcis nullum hic rex apertè bellum geſſit: ſed tamen aduerſus eos, cùm vel è Podolia prædas agerent, vel Valachis opem ferrent, vel denique noſtros circum Bialogrodum quod & Moncaſtrum vocant, populabundos inſequerentur, cùm ab alijs, tum à Prædiſlao Lanſcoronio regis huius auſpicijs proſperè, dimicatum eſt.

Præd. Lanſcor.

Bis contra eoſdem in Vngariam Ludouico regi miſſa auxilia: quovtroque tempore vtinam prius quidem viro illuſtri & incomparabili Ioanni comiti Tarnouio, earum copiarum ductori, poſterius verò Gnoinio obtemperatum eſſet.

Ioannes Tarnouius Comes. Gnoinius.

Vterque Turcica arma vireſque periclitatus erat in Podolia, cùm illi inde aliquoties

prædas

Tarnouij laus. prædas egissent. Sed magis Tarnouius, cuius præclara virtus enituit, quo tempore Turcæ ad tredecim millia Podoliam & Russiam ad Leopolim vsque & fines Vngariæ ferro igniq; vastantes, tria millia plus minus de suis, particulis aliquot prælijs fusi, amisêre. Quod si idem robur animi fuisset in eo, penes quem tunc erat militare imperium, potuerat exercitus ille cunctus deleri. Taceo duodecim millia Turcarum in Austria ante quindecim nisi fallor annos, nostratium trium millium opera & virtute in primis penè ad internecionem deleta. Nam ij tunc, quamuis Sigismundo regnante, tamen non publicè, neq; Sigismundi auspicijs, sed Caroli Cæsaris & Germanorum stipendijs militarunt. Moldauos porrò dolis atque artibus vsitatis fretos, & clade nostrorum Ioanne Alberto regnante apud Bucouinam syluam accepta, Turcarumque ac Tattarorum auxilijs feroces magna *Moldaui victi.* non modò felicitate, verùm etiam celeritate rex idem vicit, ac domuit: cæsisque eorum copijs, vastatis lõgè lateque *Bogdanus Valachus victus.* agris, senatu penè omni capto, Bogdanum regulum gentis, quem Voieuodam & Palatinum vocãt, restituentem prædam, quam paulo antè in Russia ceperat, in verba sua iurare coegit: & amissam maiorum suorum culpa Pocucce ab eo recepit. Nostra verò memoria, cùm Petrus palatinus rebellasset, Pocucceq; rursus inuasisset, primùm sex millia hostium apud Guosdeciam arcem, ac mox vigintiduo millia apud Obertinum pagum vix à quatuor millibus nostrorũ duce hoc Ioanne comite Tarnouio, viro clarissimo & primario bellatore, insigni & inopinata clade profligata sunt: erepta cum bombardis cætera impedimenta: Palatinus ipse saucius vix fuga euasit. Nec tamen ad officium redijt, donec postea in arce Chocimensi obsessus, & ad extrema redactus, solenne vnà cum proceribus & cuncta nobilitate sua regi iusiurandum dedit. *Bella cum Cruciger is Teuthonicis gesta in Prussia.* Porrò cum Germanis Prussiam sibi vẽdicantibus, quo tempore tu Sigismunde Auguste natus es, bellatum quidem variè, sed nunquam, nisi prosperè à no- *Nicolaus Firleius exercituum supremus capitaneus.* stris dimicatum est. Nempe à Nicolao Firleio Palatino Sendomiriensi, tum supremo copiarũ Capitaneo multis in locis: Apud Prusmarcum, Seburgum, Gutestadiam, siue Gutstatum, Brunsbergam, Reslam & Rastemburgum à *Iacobus Secignouius.* Iacobo Secignouio: apud Pissiam à Stanislao Masouiorum duce: in sinu Varmiensi siue Habo lacu nauali prælio à Gdanensibus: bis apud Bartensteinum: sępius à Prædislao Lãscoronio & Ioãne *Lanscoron. Ioannes Zaremba.* Zarẽba palatino Calissiensi: apud Heilsbergã ab Alexandro Ilouio: apud Gda- *Alexander Ilouius.* num item & Elbingam, cũ eas vrbes adorti essent, à ciuibus fusi & profligati: *Vide historiã Bernardi Vapouij.* ad extremũ tot cladibus & inedia, vigilijs & iugi nostrorum equitũ vexatione fracti, & ad paucos redacti, Prussia excessêre. Quid ego de Moschis loquar? Qui vel pcipuam gloriæ & victoriarũ materiã huic regi præbuêre. Apud Po- *Victoriæ de Moschis partæ.* loscum olim quidẽ septem millia hostium à Ioanne Boratinio viro acri & a- *Ioannes Boratinius.* nimoso interfecta: deinde verò tredecimo abhinc anno, cũ ij, Lituaniam nõ amplius decem & octo milliarijs à Vilna metropoli hyberna excursione depopulati reuerterentur, mille extremi agminis, quos solos Lituana nobilitas cum aulico regis comitatu tumultuariè accurrens assequi potuit, trucidati. Superiori etiã quodam tempore in interiore Lituania pdabundi magnum suorum numerũ, & prædam, quam abigebant, Lituanis insequentibus amisêre. Iã apud Starodubum quoq;, Radogostiam, & Smolenscũm, vicem eis reddẽtibus Lituanis, & fines eorum populantibus aliquoties, ductu Georgij Radiuili castellani Vilnensis non sine magnis *Georgius Radiuilus.* cladibus pfligati sunt. Apud Orsam verò cùm primùm Sigismundus regnare cœpit, ne expectare quidem nostros, dũ Borysthenem tranarent, sustinuêre, experti vim eorũ in vna & altera turma, quæ primo impetu incredibili audacia traiecerant: verùm dilapsi, cùm vastari sua vltra Vesmam etiam atq; Drohobusum cernerent, denuò coadunati ad cẽtum millia, ne adoriri quidem ter mille nostros mercenarios milites cũ paucis Lituanis longius à castris regijs ad Smolenscũ positis progressos ausi sunt. Magnis verò incommodis affecti, Mosiro, Turouia, & alijs quibusdam munitionibus, quas dudum Michaël Glinscius ad eos perfugiens interceperat, redditis, commutatisq; captiuis quinquaginta nobilioribus ac senatorij ordinis, quos de Lituanis Alexandro rege victo apud Vedrusios ceperant, pacem accepêre. Nec maiore ij fuêre fiducia longè pòst cùm Radogostiam, ac deinde Ioanne Tarnouio nostros ducente, Homiam & Starodubum arces à nostris partim vi captas, partim in deditionem acceptas amisêre. Et Starodubum quidẽ, cum quindecim millibus armatorum, qui fuerunt in eius arcis præsidio: virtute longè pauciorum militum

tum nostrorum, & sulfurati pulueris ignisque adiumento expugnatum & euersum est. Neque verò ij tanto temporis, hoc est, plus quàm viginti annorum interuallo, quantum inter Orsensem pugnam, & hoc extremum Starodubense bellum intercessit, abiectos semel spiritus recipere potuêre. Orsensem autem illam celeberrimã, & cum omnibus ferè omnium gentium atque seculorum victorijs comparandam victoriam quid hic pluribus commemorare attinet? Eadem opera soli lumen adderem. Quis enim est qui nesciat? illo prælio Constantino Ostrogio principe & Ioanne Suirzouio ducibus octo ginta millia Moschorum bellatorum, qui omnem nostrum exercitum non modò proterere posse videbantur, verùm etiam Borysthenem tranare passi, pecudum in modum flagris abigere in Moschouiam destinarant, ingenti strage interfecta esse (ita vt desideratorum numerus ad quadraginta ferè millia peruenisse, vel certè duo & triginta millia superasse dicũtur) Ductores eius exercitus viros illustres, omnemque senatum gentis, & supra quater mille captiuos viuos in potestatem venisse: direpta castra opulentissima: ducem ipsum Basilium bellatorem exercitatum, & contra Tattaros & alias gentes finitimos victoriosum, vsque ad regiam suam Mosquam profugisse: atque ibi amplius centum & viginti milliaribus bene longis à loco conflictus, tamen vix tutò se subsistere posse credidisse? Tantus verò tunc pauor Moschorum animos occuparat, vt Smolenscum, Seueriense Nouogrodum, & complures alias munitiones, quæ ferè fraude & perfidia Russorum partim hoc ipso rege regnante, partim superioribus temporibus in potestatem hostium venerant, desertas tunc ac vacuas defensoribus nullo negotio recuperare nostri potuerint, si prosequi statim victoriam per tempus anni quiuissent. Atque hæc qui dẽ sunt bellica huius regis decora præcipua. Nam leuiora multa prætereo, ne anxiè & minutatim cuncta exquirere & persequi videar. Quæ quidem hoc sunt admirabiliora, quo magis inopina ta: vtpote in summa ærarij inopia, & pleraque omnia longè imparibus viribus gesta: ita, vt bene cum nostris agi videretur, quoties non plus duplo hostium multitudo excederet. Has tot ac tantas victorias tanta imparitate copiarum quæsitas, nihil mirum est (vt est rerum humanarum conditio varia & instabilis) si quæ clades interpolarunt. Sed quotnam, & quantulæ sunt eæ? Vna apud Socalum à Tattaris temeritate Russicæ nobilitatis accepta, vbi quatuor fortasse millia nostrorum à quadraginta millibus Tattarorum loci opportunitate vsorum defatigata veriùs quàm superata, non incruentam hostibus victoriam concessêre. Nostri mille ducenti desiderati, barbarorum verò cæsa quatuor millia. Itaq; raptim ij cũ præda quamuis victores, retrocessere. Altera apud Serethum amnẽ, cùm ꝑpauci nostri in hostico palãtes à Valachis circũfusis oppressi sunt. Vbi tamen non plures ducentis nostri periêre. Nam cũm peruastata longè lateque circum Pscouiam, siue Plescouiam Moschouia ab oppugnatione Oposcæ valido hostium præsidio reiecti sumus, ignominia illa verius quàm clades fuit, ductorum inscitia & incuria accepta. Amissa verò magna pars Albæ Russiæ Michaelis Glinscij hominis ambitiosi, & Alexandri regis gratia inflati proditioni, & Russorum atq; præsidiariorum militum perfidiæ imputanda est. Porrò apud Ociacouiam, cùm vir in primis strenuus Nicolaus Senauius eò vsque cum mille, opinor, equitibus priuato consilio populabundus excurrisset, priuata illa, non publica clades fuit, credulitate eius & perfidia Tattarorum contracta. Hæ sunt vniuersæ clades, quas Sigismundo regnante accepimus: Quæ omnes vna aliqua ex his, quas superius percurrimus, victorijs abunde expiatæ & compensatæ sunt: nec scio, an quasi næuuli quidam formosum corpus, vel nubeculæ meridianum solem, tot illas clarissimas victorias illustriores reddidêre. Bellone autem tãtùm clarus, an etiam pace Sigismundus fuit? Imo verò pace, quàm semper expetiuit, clarissimus. Testantur id tãtæ opes & facultates hominum nostrorum, tam opulenta cum externis commercia, tantus splendor, ne dicam luxus, tanta elegantia cùm in ædificijs & victu, cultuque corporis, tum in sermone & moribus, quanta nũquam ante hũc regem in Polonia fuit: loquuntur leges diligentius aliquanto conscriptæ: clamant tot arces instauratæ, tot exornata templa Dei optimi maximi tam splendidè & magnificè exædificata, publicis iuxtà ac priuatis ædificijs Cracouia, Posnania, Leopolis, Varsauia, Lublinum, Gdanum, & aliæ quædam vrbes atque emporia: tam denique culta & habitata Russia, Prussia,

Orsensis de Moschis memorabilis victoria.

Ioannes Suirzouius.

Basilius Moschorum princeps.

Clades paucæ & paruæ in tot bellis.

Michael Glinscius.

Nicolaus Senauius.

Pacis studia.

Splendor & elegantia Polonorum.

Leges.

Arces instauratæ, et templa.

Vrbes opulentæ sub Sigism.

Regiones bene cultæ. sia, Lituania & Podolia: quæ regiones antea syluestres & incultæ, aut superiorum temporum conditione desertæ magna ex parte iacuerant. Quid ego priuatos Sigismundi thesauros, & ærarium sine vlla cuiusquam iniuria in extremos reip. vsus asseruatum? quid tot actantas possessiones à maioribus eius oppigneratas, ab ipso verò redemptas commemorem? Hæc eò sunt maiora, & magis honorifica, quo fœdius fuit ac deformius, quosdam ante eum reges quotidianis sumptibus interdum defectos esse. Iam verò non minima est & illa felicitatis accessio, quòd eo regnante Zatoriēsis ditio, & Masouia post quadringentesimum ferè annum ad corpus & compagem Poloniæ rediuerunt: Prussia recusatum diu, & aliquoties excussum iugum accepit: Pomerani Stolpenses ad intermissam aliquandiu huius regni societatem & clientelam iureiurando adacti reuenêre. Porrò in commemorandis coniugijs & liberis, quæ nō exigua felicitatis humanæ pars est, diutius me immorari necesse non est. Permulti sunt in hoc cœtu, qui priorem eius vxorem Barbaram Stephani comitis Scepusiensis, ac Transyluanien sium palatini, cuius ductu nōnunquam cum Turcis Vngari fortiter dimicarūt, filiam, Ioannis postea regis Vngarorum sororem fœminam sanctissimam & pientissimam, nouerunt. Quæ quidem maximam illam Orsensem de Moschis victoriam assiduis diurnis ac nocturnis precibus cum lachrymis, & pro fusa in egenos beneficentia, asperioreque cultu corporis & ieiunio coniunctis à Deo impetrasse existimata est. Quę quàm coniunctè cum viro vixerit, magno & longo mœrore, & vberi fletu, ac penè muliebri eiulatu post mortem eius indulgentissimus rex testatus est. Hac immaturè intra tertium annum amissa, alteram suasu Maximiliani Cæsaris duxit, Bonam Sphortiam, Ioannis Galeatij Sphortiæ Mediolanensium ducis & Isabellæ Aragoniæ filiam: cuius auus maternus Alfonsus eius nominis secundus Neapolitanorum rex, cùm stirpis antiquitate, tum Aragoniorum ac Siculorum regum stemmate (de qua Carolus quoque & Ferdinandus summi monarchæ maternum genus ducunt) sua virtute fuit clarissimus. Paternus verò proauus Franciscus Sphortia Sphortiæ, qui primus eam familiam rebus magnis gestis fundauit, filius, cùm plurima & grauissima bella cum maximis principibus, potentissimis populis, & præstātissimis bellatoribus per omnem Italiam prosperè gessisset, nominisque sui gloria ac terrore eam implesset, à Philippo Maria Mediolanensium duce Blancæ Mariæ filiæ coniugio, dotalique Mediolanensium principatu dignatus est. Hoc igitur tali genere prognatam Bonam, alteram vxorem Sigismundus rex accepit. De qua, quoniam præsens adest, graui dolore & mœrore amissi dulcissimi mariti, quemadmodum cernitis, prostrata, nihil dicā amplius, nisi quòd triginta fermè annos cum eo nupta, tāti ea fecit maritum regem, vt his extremis aliquot annis ægrotantem, & viribus planè destitutum, non coniugali charitate, sed ancillari penè ministerio sine omni fastidio curaret. Quo factum est, vt plurimum ei vicissim rex amantissimus indulgeret. Harum verò duarum vxorum è Barbara quidem Heduigim filiam susceptam fœminam lectissimam Ioachimo marchioni Brandeburgensi Electori Romani imperij matrimonio iunxit, & nepotibus ex ea auctus est. E Bona verò maximam natu filiam Isabellam, fœminam excelso & regio animo præditam, Ioanni regi Vngarorum affini iā prius suo nuptui tradidit: nepotemque ex ea, regia, quemadmodum fertur, indole puerum suscepit. Quæ matrona complures iam annos post mariti mortem in præcipua laceri & afflicti regni parte regnat. Reliquas tres, Sophiam, Annam & Catharinam virgines spectatissimas, magnorumque regum connubijs dignas, quas hic dolore immaturè amissi patris miserabiliter lamētantes, & humi abiectas videtis, elocare ipsi, ita vt optabat, datum non est. Filius verò vnicus hic Sigismundus Augustus puer etiamdum decimum agens annum paterno regno, ipsius opera studioque ante decem & octo annos inauguratus: pòst iuuenis factus vxorem accepit voluntate patris Elizabetham Ferdinandi Rom. Vngarorum ac Boemorum regis filiam natu maximam. In qua muliere genus cum forma, forma cū comitate & mansuetudine, hæc cū probitate, probitas deniq; cum pietate (q̄ ipsi paterna & materna virtus fuit) certabat: ita vt nescires, q̄d in ea potissimū admirareris. Quæ vtinā vixisset diutius, & editis socero optatis ac sui similibus nepotibus felicitatē eius perfecisset, tranquillitatemq; huius regni stabiliuisset. Sed nō merebantur hoc, opinor, nostra scelera. Nūc ad Sigismundum redeo.

Marginalia (left column): *Thesaurire gia.* — *Zatoria & Masouia recuperatæ.* — *Prußia & Pomerani in clientelam accepti.* — *Coniugia.* — *Barbara vxor religiosiß.* — *Altera vxor Bona Sphortia.* — *Alfonsus rex Aragonum.* — *Franciscus Sphortia dux Mediolani.*

Marginalia (right column): *Bonæ reginæ fides & obsequium.* — *Sigismūdus plurimum indulsit Bonæ.* — *Heduigis filia.* — *Quatuor filiæ Sigism. è Bona.* — *Isabella regina Vng.* — *Filius Sigism. Aug. puer coronatus.* — *Elizabeth prima Sigis. Aug. vxor.* — *Elizabethæ laus.*

redeo. Nonne igitur hoc singularis cuiusdã felicitatis fuit, rege patre, patruo, auoq;, matre verò Cæsaris filia, & magni regis sorore ortum esse? tres fratres, & vnius ex his filium reges vidisse? regem & ipsum supra vnum & quadraginta annos tranquillè feliciterq; regnasse? Summis principibus venerabilẽ, hostibus formidabilem, cæteris admirabilem, fuisse? regnum legibus, opibus, ædificijs, humanitate, elegantia & gloria longè florentius, quàm acceperat, reliquisse? Filiam reginam, alteram verò regina non inferiorem, & ex his nepotes & neptes habuisse? Filium deniq; regem secum & post se fecisse? moriente permagnum sui desiderium bonis omnibus reliquisse? Nonne hęc (inquã) ei præclarissima, & longæ posteritati memorabilia in hac vita contigerunt? Atq; hæc tamen pleraque omnia, externa sunt bona, in quibus fortuna plurimum sibi vendicat: sed ab eo tamen ratione & consilio moderata sunt. Quid ego nunc formam & staturam eius, robur cuiusuis honesti laboris patiens, dignitatem oris, dignamq;, vt ait Poeta summus, imperio faciẽ depingã? Quòd si facere maximè velim, non possim. Prius enim ferè hæc in eo ætate ingrauescente marcescere cœperunt, quàm ego in hanc lucem prodij: sed tamẽ permanserunt in eo etiam affecta iam ætate non obscura earum rerum vestigia. Roboris quidem & virium eius argumenta, fractæ inter manus non semel florentiore ætate ferreæ equorum soleæ, rupti funes canapei crassiores, intẽsæ manu balistæ, discerpti lusoriarum chartarum fasciculi, à maioribus natu, qui hæc fieri ab eo viderunt, prædicantur. Atq; hæc leuiora fortasse cuiquam videantur. Cæterùm illa non in postrema bonorum parte numeranda sunt, sanitas quæ ipsi perpetua ferè ante extremam senectutem fuit: integritas & solida compago membrorũ, quæ afflictas morbo vires facile recuperabat: vigor sensuum, qui ad extremum vsque eum non destituit: firma melioribus præsertim annis memoria: deniq; acumen ingenij, quo fratres maioresq; suos longo interuallo anteiuit. Sed & hęc omnia, vt sint magis propria hominis, quàm illa superiora, tamen ad corpus ferè, quę deterior pars hominis est, pertinent: nec magna laude & admiratione digna sunt, quippe cum quibus nascamur, quæq; in potestate nostra non sint, & ingenuo cum seruis, vrbano cũ rusticis, nobili cum plebeis, regi cum

Nobilitas Sigis. regis & felicitas.

Bona corporis forma.

Robur & vires.

Sanitas.

Ingenium.

mediastinis & baiulis, deniq; bono viro cum improbis sint communia. Ac ne mutæ quidem pecudes penitus horum bonorum expertes sunt. Quin pleraq; in illis, quàm in nobis, maiora & illustriora spectantur. Viribus quidem ab vrsis & leonibus, agilitate à ceruis & bisontibus, longæuitate ab ijsdem ceruis, specie fortassis ab equis & pauonibus, sanitate à piscibus, sensuum vigore " à lyncibus, aquilis, canibus, vulturibus: " industria & ingenio quodam modo ab " elephantis, vulpibus, & apibus: sic alijs " rebus ab alijs fortasse superamur. Cæterùm in animo vera hominis & propria laus est. Corpus enim partim instrumẽtum, partim domicilium, partim etiam carcerem & ergastulum animi sapientissimi homines esse voluerunt. Animum ferè hominis appellatione dignati sunt. Qui verò mollissimè sensere, partem quidem hominis, sed longè deteriorem corpus esse dixerunt: in animo omnem hominis excellentiam & principatum collocarunt. Quocirca his quæ externa, quæq; corporis bona dicuntur, ita obiter transcursis, ad ea, quæ sunt propriæ hominis, atq; adeò magni & excellentis Principis, laudes transeamus. Quas dum quanta maximè breuitate poterimus persequimur, quæso, vt benignè & attentè, quod fecistis, adhuc audiatis. Virtutem, summã animi, atque adeò hominis perfectionem, quicunq; rectè philosophati sunt, dixerunt: eiusque virtutis prudentiam, fortitudinem, temperantiam atq; iusticiã quatuor partes & quasi fontes quosdam, vnde officium, & omnis honesta & laude digna actio manaret, esse voluerunt. Quænam ergo ex his in hoc præstantissimo Rege desiderata est? Prudentiane? quæ ex præteritis & præsentibus ea quæ deinceps euentura sint, colligit: causas rerum videt: rectè de rebus iudicat: sibi suisque in longum prospicit: impendentia mala sapiẽter auertit. At ea summa & admirabilis in eo fuit. Argumento est, bene & cum approbatione cunctorum, quoad ei per ætatem atque morbum licuit, administrata, & inter tot vndiq; imminẽtes hostes per tot annos incolumis conseruata Respublica. Nam quis sapientius eo, siue ex legibus & moribus nostris, siue ex æquo & bono ius dixit? Nihil eum varietas legum atque morum, quibus alijs equestris ordo, alijs oppidani, alijs agrestes, deinde diuersis Poloni, Lituani, Masouij, Prussi, Silesijque vtuntur, nihil diuersa & pugnantia nonnunquam senato

Vigor sensuum in quibusdam pecudibus.

Bona animi. Laus propria hominis est in bonis animi.

Virtus & eius partes.

Laus Sig. à virtutibus. Prudentia.

Gentes & leges variæ.

natorum iudicia, quo minus ius suum cuique tribueret, perturbarũt. Accidit interdum, vt post dictas à senatoribus sentẽtias, vltima ipsius ab omnibus diuersa, & tamen omnium esset æquissima. Porrò in consilijs de repub. nihil temerè & inconsultò faciebat, cuncta ad publicam non partis, aut ordinis huius vel illius, sed omnium vtilitatem referens, fortunę quàm minimum sese suaque permittens, ac tuta consilia lubentius, quàm callida & periculosa semper secutus. Bella, in quibus fortuna plurimùm dominatur, nunquam appetiuit: nec nisi necessariò & graui iniuria prouocatus suscepit: & ita quidem, vt ab illa comici Poëtæ sententia non discederet: Omnia prius experiri, quàm armis sapientem decet. Itaq; à quietis consilijs nunquam, ne inter media quidẽ arma, & rebus ad nutũ fluentibus abhorruit.

Consilia quieta.

Regna à Suetis, Vngaris & Boemis (quẽadmodum superius dixi) delata recusauit, ne se patriamq; suam nouis & periculosis bellis implicaret. Moldauos subiugare ob rupta crebrò fœdera cũ posset, noluit: ne vel illi desperatione adducti Turcis sese dederent, vel redacta in prouinciæ formam Moldauia, & amoto quasi obice, ipse difficilimum cũ potentissimis Turcarum tyrannis bellum de finibus gerere cogeretur. Non quòd à pia contra barbaros ac deuotos Christiani nominis hostes expeditione abhorreret: sed quòd suas illorumque vires iusta lance metiretur. Sic enim iudicabat, neque suum esse, neque vnius planè cuiusquam principis, tam validum hostem, qui Asiæ, Africæ, Europæque magnam partem ditione teneret, florentissimũ Græciæ imperium euertisset, Caramanos, Cilicas, Syros, Aegyptios, & nescio quas pterea gentes vna æstate subiugasset, denique latissimè dominanti Persarum regi grauis esset, debellare. Coniungenda esse Christianis principibus arma, si hostem illum à ceruicibus suis vellent depellere. Cùm ergo animaduerteret, cæteros principes feralibus odijs inter se digladiari, ac totum penè orbem Christianum plus quàm ciuilibus bellis ardere, omni honesta ratione semper Turcicum bellum declinauit, & Ludouico, fratris filio, Vngarorum & Boemorum regi sedulò idem suasit. Qui iuuenis si patrui, quàm ferociorum quorundam consiliariorum suorum consilijs obtemperare maluisset, oblatamque à Turcis pacem accepisset, seu verius ipsis expetitam dedisset; viueret

Regna oblata repudiata. — *Moldaui cur non subacti.* — *Bellum contra Turcas cur deuitauit.* — *Dissuasor belli Turcici.* — *Consilium Sigismundi à Ludouico rege Vng. neglectum.*

fortassis adhuc, neque munitissimum Christianorum regnorum propugnaculum Vngariam secum vnà perdidisset. Hæc sanè fuit causa, cur apud pientissimum & Christianissimum regem Sigismundum nihil valuerunt Iulij secundi, Leonis decimi, Adriani sexti, & Clementis septimi Pontificum maximorum preces & exhortationes, ad suscipiendum contra Turcas bellum incitantium. Optabat quidem sapientissimus rex tempus illud cùm Christiani principes restinctis intestinis bellis, reconciliatisque inter se animis, ad inferendum Turcis bellum conspirarent: plurimumque in id operæ, laboris & sumptuum impendit, siue quãdo cum Maximiliano Cæsare congressus est, siue cùm missis non semel ad dissidentes principes, & ad Pontifices maximos, veluti præsides & moderatores Reipublicæ Christianæ legationibus, accuratè ac diligenter ea de re egit. Cumque regni eius initio nonnulla eius rei spes ei affulsisset, non nisi annuas inducias Baiazeti Solimani huius auo petenti dare voluit. Ea verò spe frustratus, sæpè diuinauit, nunquam id se viuente euenturum esse, vt Christiani principes aduersus communem illum hostem vires coniungerent. Intelligebat enim, quousque nonnullarum nationum mutua inter ipsas odia processissent: nec defore Turcis, quos à cæterorum consensu ad impediendos pios conatus auellerent. Quid illud? cùm principes Christiani complures, quos nominare necesse non est, sub Clemente pontifice in suum fœdus contra Carolum imperatorem partim inuidentia fœlicitatis eius, partim potentię metu initum, pertrahere eum non potuerunt? Aut cùm nuper primarij Germaniæ principes affines ferè ipsius, & præpotens illa tot opulentorum populorum contra eundem Imperatorem & fratrem eius cõspiratio pellicere eum in societatem suam nequiuit? ne eatenus quidem, vt vel pecuniæ nonnihil mutuò daret affinibus, & conatus illos tacitè approbaret, vel denique ne suos homines stipẽdijs eorum militare prohiberet? Cuius tamẽ rei non leuem ei excusationem dabant, libertas & instituta nostra. Non modò autem nihil eorum fecit, sed etiam dissuadere conatus illos, & pacificatorem sese interponere conatus est. Atque vtinam ei obsecundatum esset: non tam vasta quibusdam locis neque tam exhausta passim esset pecunijs

Pontificum exhortationes ad bellum Turcicum. — *Bellum Turcis communi regum consilio & ope inferendũ.* — *Baiazetes pacem petiuit à Sigismundo.* — *Bellum contra Carolum Imp. semper dissuasum. Smalcaldẽsi fœdus.* — *Clades Ligæ Smalcaldicæ.*

iuxtà ac viris Germania: & liberi adhuc principes quidam retinerent dominatus suos amplissimos. Sed fortasse sic Deo visum est, vt fastum & contumaciam prætextu libertatis Euangelicæ cōtra sanctissimas leges & instituta maiorucōtra antiquissimũ vniuersi Christiani orbis cōsensum, & contra legitimos magistratus suos impiè sese efferētem, retunderet. Cùm igitur hæc vel faceret vel recusaret optimus rex Sigismũdus, nonne magna fuit illa eius prudentia, cum fide amicitię & constantia coniuncta? Quid? cùm Ioāni regi bis affini suo, ne regnum Vngarorum Ferdinando Maximiliani nepoti iam prius destinatum, susciperet, dissuadere frustra studuit? aut cùm ei profugo exilij quidem locum apud se indulsit, vt aliquid necessitudini & calamitati eius tamen daret, auxilia verò contra eundem Ferdinandum negauit? aut cùm pacem inter eos cōponere magna cura instituit? Cernebat nimirum sapiētissimus princeps à longè, quantum mali intempestiua illa Ioannis ambitio Vngaris aduectura, quantisq; malis & calamitatibus non modò florētissimum illud regnum, verùm etiam finitimas ei regiones inuoluturum esset bellum illud, inter duos de regno conflatum. Iam in reuocandis ad officium Gdanensibus quodam furore multitudinis ad rebellionem concitatis, & in eijciēdis è Prussia Crucigeris Marianis tam cupidis, tamq; contumacibus, vt nunquam ab eis Polonia & Lituania quietæ esse possent annon magno & exquisito consilio vsus est? Ne illud quidem eius consilium sapientia caruit, quo, cùm hinc à Moschis graui bello distineretur, inde Crucigeri non leuius bellum ei ostentarent, Maximilianus verò Imperator infensus ipsi adhuc, & hos, & omnes quoscunque posset, in eum, & in perniciem Polonorũ concitaret, Tattaris donatiuum siue stipendium constituit, non modò vt ab assiduis eorum incursionibus ditiones suas alijs, queadmodum dixi, bellis impeditas liberaret, verùm etiam vt eorũ opera in vexandis ac distinendis Moschis, & alijs hostibus suis paruo redempta vteretur. Qua re tantum profecit, vt & Moschos ad petendam pacem adigeret, & tam culta & habitata sit, quàm nunquam sub fratribus, patre & patruo eius fuit, Podolia. Quàm solidum verò fuit eius iudicium in mandandis honoribus & magistratibus, & in allegendis in senatum viris idoneis, quoties id ei arbitrio suo facere per quosdã importuniores, quibus impensius indulgebat, licuit? Atq; hoc id admirabiliꝰ est, quod difficile est nō peccare in hac parte maximis quibusq; regibus & principibus, » propterea quòd alienis ferè & oculis, » cernũnt, & auribus audiunt, Iam peculiaris illa eius in omnibus dictis & factis cunctatio, ne ipsa quidem sua commẽdatione caret. Nimirum sapientis est, nihil temerè, nihil præcipitanter, sed omnia consultò ac deliberatè agere. Sic e- » nim cauemus, ne cuius nos dicti aut fa- » cti pœniteat. Itaq; celebratur etiamnũ » literarum monumentis non ignobilis populi Rom. Imp. Fabius Maximus, de quo vulgatus est ille Poëtæ cuiusdam versiculus:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem. *Ennius.*

Atq; hactenus de prudentia Sigismũdi regis nobis dictum sit modò. Cuius quidem ipsi causa fuit timor Dei cum lacte nutricis, vt ita dicam, imbibitus. Initium enim sapientiæ, quemadmodũ sapientissimi reges Dauid & Salomon inquiunt, est timor Domini. Fortitudine verò, & magnitudine animi, quanta hic rex pręditꝰ fuerit, quàm impiger ad propulsanda, & suscipienda pro salute & incolumitate suorum bella, quàm continens earum rerum, quæ maximè in hac vita expetendę esse videntur (qualia sunt regna & imperia) satis iam, opinor, intellexistis ex his, quæ superius dixi. Quin ex illo quoque magnitudinem animi eius intelligere licet, quòd Prussico bello, cùm terrore non modico aduentantium è Germania auxiliorum meliore rursus loco res Crucigerorum esse cœpissent, nihil de conditionibus pacis hosti prius à se oblatis mutare voluit: aut quòd; cùm ipsi Lituaniæ possessionem post mortem Alexandri fratris adeunti de nouis quorundam Lituanorum moribus renunciaretur, non est deterritus, quo minus institutum cum pauco comitatu aulico iter prosequeretur. Et cùm deinde Michaëlem Glinscium ducem Russum, qui ad dominatũ aspirare dicebatur, cum valido equitatu aduentare cognouisset, neutiquam turbatus est animo. Venientē cùm tranquillo vultu & comiter accepisset, cuncta ei scelerata consilia (quod Michaël ipse postea fassus esse fertur) è pectore excussit. Tantum eius animi magnitudo in graui & constanti aspectu relucens apud hominem factiosum & potentem Alexandri regis nimia gratia insolescentem, ac dominandi cupiditate incensum valuit. Sic feroces alioqui canes ad molossorum aspectum pro-

Germanorũ contumacia prætextu libertatis Euangelicæ.

Erga Ioannem regem Vngar. quomodo se gesserit.

Intēpestiua Ioannis ambitio ad regnum.

Gdanum pacatum. Crucigeri eiecti è Prussia.

Stipendium Tattaris sapienter datum.

Iudicium in distribuendis honoribus & magistratibus.

Cunctator Sigismũdus.

Timor Dei principium sapientiæ.

Fortitudo & magnitudo animi.

Constantia.

Michael Glinscius.

proijcere sese, & adulari cauda solent. Quid illud? quòd Vngaris & Boëmis cum suis regibus & Viennam ad Maximilianum Cæsarem proficisci, fideique eius, quem Posonij in constituto congressus loco diu frustra expectarant, credere sese ob non leues suspiciones dubitantibus ipse non sanè amicum ad eam diem expertus Cæsarem, permagna fiducia ire ad eum perrexit, ac cæteris idem faciendi, data fide pro Cæsare, author fuit? Porrò æquabilitate animi in vtraque fortuna tanta fuit, vt neque secundis rebus difflueret, neque aduersis frangeretur. A superbia & fastu semper alienus, aditu & affatu facilis fuit. Aestus, frigoris, inediæ, & laboris patientissimus: quippe qui ab ineunte ætate mollicei delicijsque minimè assuefactus esset, crassioribus cibis, & pannis, & caprinis pellibus, quod iactitare ipse solitus erat, enutritus. Morbos, & alia vitæ incommoda admodum æquo animo ferebat. Quodam tempore ad sectionem digiti pedis, sacro, vt medici dicunt, igne inflammati, nihil est planè commotus. Porrò cùm arx hæc conflagrasset, illa de re tantum angebatur animi, quòd dubitaret tantisper se deinceps victurum esse, donec eam instauraret. Publica suorum incommoda depellere, damnaque vindicare non libenter neglexit. Priuatas verò suas iniurias, obtrectationes, conuicia, & maledicta insolentiorum hominum ita contempsit, vt nunquam vindicaret, nec esset ob id deinceps ad beneficentiam in huiusmodi homines restrictior. Iam verò temperantia & moderatione non modò cum laudatissimis omnium gentium regibus & principibus, verùm etiam cum priscis philosophis, quorum seuerior & accuratiꝰ instituta fuit vita, certare potuit. Nihil ab eo leuius, nihil cupidius, nihil insolentius, nihil dissolutius & flagitiosius vnquam dictum aut factum. Fuit in eo vultus æquabilis, & ad seueritatem compositus, incessus lenis, sermo perpaucus & grauis, sale tamen & lepore non inurbano neque petulanti nonnunquam temperatus. A sordibus semper abhorruit, sed frugali tamen victu, & cultu corporis elegantiore, quàm splendidiore vsus est, præter quando externos homines & legatos ad se admissurus erat. Nam tunc augustiore habitu commendare Maiestatem suam studebat. Eademque de causa splendidius, quàm quisquam maiorum suorum, habitare instituit.

Fiducia. *Animus in lætis & aduersis constans.* *Tolerantia.* *Educatio minus delicata.* *Iniuriarum oblivio.* *Tēperantia.*

Cuius exemplo & imitatione eliminata magna ex parte è vita nostrorum hominum pristina barbarie, ciuilitatem, mūditiam, elegantiam & splendorem cum dignitate consectari passim cœpimus. Itaque longè alia nunc est facies rerum in Polonia, quàm ante hunc regem fuit. Sobrietatem verò rex idem magni fecit, & ab infantia quidem ad senectutem vsque patris auique instituto planè abstemius, & aquæ potor fuit: ingrauescēte verò ætate medicorum suasu vinum bibere didicit: sed ita tamen, vt nunquam cum quisquam ebrium viderit. Edacior quidem, & libidinosior natura fuit, verùm in vtroque tamen magnopere sibi imperabat: cùm prægrauatum se sentiret, ipse sibi cibum subducere solitus. Quod verò ad Venerem attinet, cœlebs quidem viridiore ætate laxius aliquanto vixit, & liberius: nec tamen alienos thoros contaminauit, nec vim cuiquam honestæ & pudicæ intulit: neque fœdius quicquam, quod honestæ aures abhorreant, admisit, & verò illos lubricæ ætatis lapsus multis clarissimis virtutibus compensauit atque contexit. Maritus verò coniugij fidem sanctè seruauit. Verecundia summa, & penè virginali, quoad vixit, fuit. Nudum se aut necessitati naturę satis facientem, non nisi à perpaucis interioris cubiculi ministris conspici passus est. Obiurgare & admonere officij eos, qui aliqua dignatione essent, non sine rubore solitus. A probris, maledictis, & acerbioribus verbis, quamuis iratus, omnino sibi temperauit. Quanta verò fuit huius optimi regis modestia? qui cùm acri & solido esset cùm in iudicando, tum in consultando iudicio, & neque gratia, neque odio facilè deduci se ab æquo & bono pateretur, tamen nihil ferè maius vnquam sine consilio senatus fecit, aut statuit: ac nonnunquam de recta sententia sua consensu senatus adductus decessit, ne pertinax esse videretur: quod ingens est & perniciosum plerunque in principe vetitum. „Fiunt enim multa interdum iniustè & inutiliter, „atque etiam temerè, & cum multorum „exitio ab ijs, qui sibi plus quàm cæteri „sapere videntur, dum iudicio suo freti aliena consilia aspernantur. Iam illud nonne magnæ fuit modestię simul & grauitatis, quòd aduersantem sæpe desiderijs suis vel vtilibus, vel certè non perniciosis Reipub. nobilitatem æquo & moderato animo pertulit: neque vi quicquam inuitis extorquere

Ciuilitas Polonorum. *Sobrietas.* *Abstemius Sigismundus.* *Edacitas.* *Libidines moderatæ.* *Pudicitia.* *Verecūdia.* *Modestia.* *Confidentiā caruit.* *Moderatio erga nobilitatem.*

torquere aggressus est, neq; intemperatiorem cuiusquam in se petulantiam acerbius vltus est: ne tum quidem, cùm apud Leopolim concitatæ multitudinis conatus prodigiosa tempestate diuinitùs disturbati ferociorem eum facere potuerunt. Ac ne eblandiri quidem prę ter dignitatem aliquid, quod extorquẽre nollet, voluit. Non pauca tamen aliquando extra ordinem & præter debitum huic eius modestiæ cõsensu & obsequio multitudinis atq; consiliariorũ

Leopoliẽses turbæ. *Studium nobilitatis erga eum.*

„ concessa sunt. Ita nimirum sæpe plus
„ impetrat modestia, quàm exprimit im-
„ perium & violentia, pręsertim ab homi
„ nibus ab humanitate & ingenua liber-
„ tate non alienissimis.

Ab eo verò, quẽ sibi in omni vita proposuerat, modo neque cupiditate vlla, aut metu, neq; ira aut odio, neq; aduersitate & ægretudine animi, neq; lætitia deniq; & volupta te (quæ res transuersos ferè rapiunt homines) facilè vnquã auocatus est, & abstractus. Porrò si quando animum grauibus & continentibus reip. occupationibus lapsum, & quasi fatiscentem recreare & relaxare voluit, equitationibus, ac ceruorũ, onagrorum, aprorum, vrsorũ & bisontiũ venationibus (quod studium ipsi gẽtilitium atq; hæreditarium fuit) non sine vtili & salubri corporis & virium, atq; etiam industriæ exercitatione id facere solitus est: interdum etiam equestrium certaminum atq; ludorum spectaculis. Scurrilibus quidem iocis, & leuioribus sordidisúe lusib[9], mimis itẽ, & histrionibus, & morionibus non libenter vacauit. Nec plura nunc de regis huius temperantia & modestia dicam. Reliqua est nobis vna maxima & præclarissima virtus eius, q̃ eiusmodi est, vt neq; vesperugo, neq; aurora sit magis admirabilis, quemadmodũ inquit Sapiens quidam: Iusticia, inquã, qua firmãtur solia, vt ait sapientissimus rex Solomon, stabiliunturq; regna: quę quidem vel maximè in hoc rege resplẽduit. Itaq; ergo iure optimo firmatum est solium eius, regnumque stabilitum. Nam siue æquabilitatem & æquitatem eius indicendo iure tam diuerso & vario, quàm est in hoc regno, spectes, siue grauitatem & constantiam inter diuersas senatorum, & nonnunquam pugnãtes inter se sententias, studiaq; ad gratiam vel odium (vt fuit) inclinantium, siue laborem & patientiam in exercendis iudicijs, quoad ei per valetudinẽ licuit, & audiẽdis etiam infimorũ hominum querimonijs, est quòd admireris, nedum laudes. Admiranda est & illa eius continentia, quòd nemini vnquam eo regnante, quamuis luculentas, quãuis amœnas possessiones regijs vicinas habere obfuit: quin illũ vicinum, quàm proceres quosdã, cũcti maluistis. Quid ego fidem eius cùm in promissis, tum in fœderibus & amicitijs, inimicis iuxtà ac amicis spectatam, prædicem? Commemoraui nonnulla superius, quæ ad hanc rem pertinent: nẽpe, quòd ad dissoluendam cum Cæsaribus Carolo & Ferdinando amicitiam adduci se nunquam passus est, ne à necessarijs quidem & affinibus. Promissi verò quàm tenax fuerit, possem hic, si necesse esset, locupletissimos eius rei testes citare nonnullos viros amplissimos, q partim hic adsunt, & hæc taciti audiunt, partim iam è viuis excesserunt: quibus quo minus p̃staret semel promissa, neq; gratia, neq; odio, neq; precibus, neq; conuicijs, neq; lachrymis cuiusquã flecti potuit. Nihil in eo fallax aut multiplex: aperti verò & simplices fuẽre mores pariter & oratio.

Constantia. *Quales animi recreationes.* *Arist. 5. Ethic.* *Iustitia.* *Prou. 16.* *Aequitas in iure dicẽdo.* *Labor.* *Continentia Sigism.* *Fides eius in promissis & fœderibus.* *Sinceritas.*

Et quoniã ea quæ Respub. continet, »
tuetur, & florentes facit, iustitia pœna »
& præmio, seueritate & clementia ma- »
ximè constat,

de his quoque pauca dicamus. Vtrunque ille quidem coluit: nec dum alterum sequitur, neglexit alterũ: sed cùm intelligeret, liberis & minimè malitiosis populis se imperare, & satis magnam pœnam sceleri & ignauiæ institutis maiorum nostrorum esse propositam, infamiam inquam, & odium bonorum virorum, ad sæueritatẽ quidem & expetendas de sontibus pœnas fuit remissior, nec nisi necessario, quẽadmodum ad secandum vrendumque medici, ad hoc descendebat. Vt cùm Cazimiriẽses aliquot decuriones ob cædẽ nobiliũ quorundam tumultu cõcitatæ multitudinis patratã supplicio capitali affecit, ne ꝙ maius malum inde existeret, & vt illi exemplo essent in posterũ magistratibus multitudinẽ temerè concitantibus, concitatamúe non refrenantibus: cùm Gdani de capitibus seditionis vrbanæ supplicium sumpsit. Denique, cùm dux adhuc Silesiæ regionem illam omnẽ latrocinijs, quibus infamis erat iam inde ex quo tempore bella ibi à Boemis & Vngaris, Mathia & Georgio, ac mox Vuladislao regnãtibus gesta sunt, penitus repurgauit. Quod factum eius cùm finitimi omnes laudant, tum Silesij quoque etiamnum grata memoria prosequuntur. Ad clementiã verò fuit propensior, ita vt cùm aliquando eam ob rem, nescio à quo viro senatorio reprehenderetur, vrbaniori responso re-

Seueritas & lenitas. *Cazimirienses puniti.* *Gdanenses seditiosi puniti.* *Purgata à latrocinijs Silesia.* *Clementia Sigism.*

pres-

preſſiſſe illam eius reprehenſionem feratur: Qui ſcis, inquiens, à quònam ſe-
" ueritatem iſtam exordirer? Illud opi-
" nor innuens, neq; illum culpæ exortem
" fuiſſe, & ad multa nonnunquam con-
" niuendum eſſe Rempub. adminiſtranti. Proinde multos capitis reos vita donauit, nonnullis inuſtam iure infamiã ſuſtulit: nullius propemodum bona cõfiſcauit: confiſcata etiam iis, quorum fuerant, reddidit. Exules & proſcriptos reuocauit: ſine accuſatore quidem & in dicta cauſa neminem damnauit. Gdanenſibus vilis plebeculæ impetu ab officio diſcedentibus, nihil ferè de priſtina libertate & immunitate, nihil de commodis, quæ perampla ſunt ciuitati illi publicè & priuatim, detraxit: authores modò ſeditionis paucos inuitus partim interfecit, partim exilio multauit. Hoſtibus ſupplicibus libentiſſimè veniam dedit, ita, vt vel de medio victoriarum curſu non grauatè retrahi ſe ad veniam reconciliationemq; pateretur. De Valachis quidem iam diximus. In Cruciferos verò debellatos iam ferè quàm clementer ſe geſſit? Quòd niſi fidẽ eorũ ſuſpectã habuiſſet, non modò ſiuiſſet eos retinere quæ habebant adhuc, ſed ablata quoq; iure belli, eis, ni fallor, reddidiſſet. Magiſtrũ q̃dẽ eorũ Albertũ marchionem Brandeburgẽſem ſororis ſuæ filium expectatione & aduentu auxiliorum è Germania variè tunc, vt quàm leuiſſimo verbo vtar, ſecum agentem (dabit mihi veniam princeps ampliſſimus, vulnus ſuũ neceſſariò refricanti, & beneficentiſſimi in ſe auunculi memoriæ hoc non inuitus, vti ſpero, donabit) retinere ea, quæ ante bellũ illud habuerat, & partim iure belli amiſerat, partim amiſſurus eſſe videbatur, omnia iuſſit, & honore auxit, Magiſtri appellatione in Ducis nomen, quo omnem deinceps rebellandi occaſionem tolleret, cõmutata. Deniq; hæreditarium ei fratribuſque eius Cazimiro & Georgio in mares duntaxat liberos principatum illũ conſtituit. Hęc an non maxima ſunt documenta clementię, hoſtem, quem minimè eſſe decuerat, & hoſtem pertinacem, penè deuictum & fortunis ſpoliatum, meliore quàm fuiſſet dudum, cõditione in ſocietatem & amicitiam recipere? Quid illud eodem bello, quòd Germanos milites contra ſe militãtes, velitationibus & leuibus noſtrorum prælijs exagitatos, & labore, inopia, inedia, vigilijs, vulneribuſq; confectos, delere cùm poſſet, noluit? Captiuos, quorum plenæ erant turres & ergaſtula in maiore Polonia & Cuiauia, ſine vllo precio liberos, atque adeò veſte & viatico donatos dimiſit? Cuius clementię benignitatiſque ſuæ maximum, niſi fallor, fructum cepit: nempè, quòd per tot annos deinceps eo regnante in Pruſſiam & contra Polonos, Germani, quamuis ſedulò ſollicitantibus Cruciferis, arma non ſumpſerunt: non tam viribus & fortuna regis, vt equidem credo, deterriti, quàm beneficentia victi. Sæpenumero enim, ij qui aliquandò
victi fractique ſunt, contra victores ſe- "
ſe recolligunt. At quos victos ſeruaris "
ac iuueris, eos beneficij pariter & fortu "
næ ſuæ recordatio priſtinos ſpiritus re- "
cipere non tam facilè ſinit. Neque il- "
lud minus eſt, nec ſcio an longè maius "
clementiæ Sigiſmundi argumentum, quòd cùm permagna libertate, cui reges atq; monarchę pleriq; omnes infenſi & infeſti ſunt, reſpublica noſtra conſtituta ſit, nunquam eam infringere conatus eſt, quamuis impellentibus ad id quibuſdam & immoderatiore hominum licentia aliquando prouocante. Verùm cedere furori paucorum, quàm detrahere aliquid propter eos de communi libertate rex optimus maluit. Quòd ſi qui reprehendunt, iidem ſanè reprehẽdant, quòd armari à ſuis, quàm timeri, & patrem ſe, quàm dominum haberi maluit. Huc & illud pertinet, quòd procerum ſimultates atque diſſenſiones ſemper ſedauit, quoad potuit: quas alere tyranni, & qui priuata cõmoda ſua, quàm Rempub. pluris faciunt, ſolent. Nec eæ tantum (proh dolor) his extremis eius temporibus inter quoſdam inualuiſſent, magno iuſtitiæ & iuris dicundi impedimento, ſcelerum impunitate, & periculo maloq; Reipub. dum ea quaſi plauſtrum diſparibus ac diuerſis iumentis, auriga ceſſante, aut nequicquam laborante, diſtrahitur ac diſcerpitur: non inualuiſſent, inquam, diſſenſiones tam peſtilentes, ſi ſenium & perpetuus ferè morbus conſuetudinem & authoritatem priſtinam retinere eum ſiuiſſet. Quo fit, vt ipſi meritò venia danda ſit, ſi non per omnia eum, quem debuit, quemque floretiore ipſius ætate tenuerat, cur ſum Reſpub. priſtino illo ſenſuum, animi & memoriæ vigore in eo deficiente, tenuit. Aetatis hæc, viri Poloni & Lituani, non illius culpa eſt. Ille quidem præclarius virtutibus ſuis, atque ſuperioris temporis adminiſtratione & felicitate hæc, ſi qua fuerunt, extremi tẽ poris incomoda penitus (ſi modò vos

Clementia erga Gdanenſes.

In Cruciferos clementia.

Albertus marchio Brandeburgenſis dux in Pruſſia factus.

Pruſſia in feudum conceſſa Marchionibus.

Clementia in victos Germaniæ milites.

Libertas in repub. Polona.

Simultatum ſedator.

Simultates procerum.

Senium Sigiſmundi.

æquiores & gratiores, quàm maligniores haberi maluultis)obſcurauit.Nemi-nem vnquam mortalem inuenietis, qui omnes numeros fœlicitatis abſoluat.In chariſſimis quoque parentibus, ſuauiſſimis vxoribus, dulciſſimis liberis, atque adeò in ſeruis quoque veſtris multa quotidie vos ferre neceſſe eſt, ni ſi humanitatem exuere prorſus velitis. Quæ enim iſta eſſet iniuſticia & immanitas, atque adeò impietas, ſi liberi parentem ſuum,à quo progeniti,liberaliter educati & inſtituti,ſemper indulgẽter habiti,& omni ratione adiuti & ornati,ſumma denique omnia conſecuti eſſent, ad extremum propter olentem animam, mucidasque nares, addo etiam, ſi libet,propter neglectam rem familiarem abominarentur, aut etiam grauius incuſarent, ſuperiorum omnium beneficiorum obliti? Non eſt hoc veſtri moris, neque ingenij, viri Poloni:qui non penitus malos reges(nedum bonos & bene meritos) grata memoria proſequi ſoletis. Verùm ad inſtitutum noſtrum reuertamur. Fuit igitur in Sigiſmundo,quemadmodum vidETIS, ſingularis clementia & priuatim & publicè. At fuit is reſtrictior in benemerentes de ſe ac repub. Fuerit ſanè. Sed quis hoc ei vitio vertat, ſi bene ſecum reputet, inane ante eum regem ærarium:oppigneratas à maioribus eius poſſeſſiones pleraſq; & bona regia: egẽtes quoſdam reges, ne in quotidianos quidem ſumptus pecunia ſuppetente: non ſolutas à patre, ab ipſo verò exactas omniũ, niſi fallor,ſororum dotes: dotatas duas filias,tres etiã reliquas dotandas,& pro dignitate ſua regnique elocandas:perſoluta militibus ſuis & externis ſupra ducenta millia florenorũ meritorum apud Ioannem Albertum & Alexandrum fratres ſtipendiorum nomine debita : denique complura bella non ſine magnis impendijs geſta, & alia præterea impendentia? Hæc quiſquis rectè ſecum perpendit, ſimulque cogitat, quò indignitatis illa ærarij inopia patrem, fratresque,atque etiam maiores eius nonnunquã impulerit,ęquior multo in hac parte Sigiſmundo erit. Et tamẽ nihil is præter miſit,quod ad ſplendorẽ regni & patriæ, dignitatemq; ſuam &magnificentiam pertinere exiſtimauit.Vt enim illa quæ modò attigi, non repetam : vt redemptos à barbaris captiuos, reſtitutas res,ne belli cauſa eſſent, potenti hoſti à noſtris prædabundis ablatas : ſenas nuptias magnificentiſſimo apparatu factas, conſtructas aliquot locis, & pro veteribus tugurijs regali magnificentia exornatas domos: vt hæc, inquam, prætercam, arces quidem, Camenecenſis in Podolia, Leopolienſis, Sendomirienſis, Corcinenſis, Vilnenſis, Cracouienſis(& hæc quidem bis) & aliç quędam inſtauratę & munitę:com paratæ & inſtructæ permultæ & magnæ bombardæ : frequentes legationes ad externos principes miſſæ, & ab eis viciſſim venientes ſplendidè ac liberaliter acceptæ atque dimiſſæ, permagno ei conſtiterunt. Sumptuoſus vero & ille fuit ſplendidiſſimusque cum Cæſare Maximiliano,&Vuladiſlao ac Ludouico regibus apud Viennam congreſſus: quo Polonorum & Lituanorum nomen, obſcurius antehac, & inopiæ, inertiæ, barbarieique opinione contemptibile apud exteras gentes,illuſtrius & admirabilius eſſe cœpit. Poſt hos tot tantoſque ſumptus, non in luxum, delicias, & voluptates priuatas profuſos,ſed ad vtilitatem,ſalutem,decus & ornamentum reipub.factos,non eſt ſanè reprehendendum, nec ſcio an valde laudandum, quòd ærarium non inane reliquit, filij hæredis neceſſitati, & futuris reipub.vſibus(vt filiarum dotes taceam) vtiliter ſeruiturum:belli-que,ſi quod alicunde nobis inferretur, neruum futurum. Et tamen cùm hoc ſibi propoſuiſſet,ne in priuatos quidem benignitatem & munificentiam ſuam clauſit: & fortes,doctos,ac ſapientes viros, aut quauis alia ratione vtiles reipub.cùm donis,tum honoribus & alijs beneficijs proſequutus eſt. Vt enim literatos homines noſtrates pariter & externos, quorũ vel opera honorificè in rebus magnis vti ſe poſſe exiſtimabat, vel ſcriptis & præconijs ſuum populorumque ſuorum nomen illuſtratum iri ſperabat, vt eos igitur omittam, ac de fortibus viris aliquot modò inſigniores commemorem, nonne Conſtantinum Oſtrogienſem ducem peramplis beneficijs auxit? nonne Oſtapheio plebeio,aut obſcuro dũtaxat homini,ſed in Tattaricis bellis exercitatiſſimo &vigilantiſſimo cùm aliâs,tũ poſt obſeſſam aliquandiu,& oppugnatam à Turcis atque Tattaris,ab eò verò ſtrenuè defenſam arcẽ Cercaſſiam permagnum honorem habuit,& multa largitus eſt?Quid Nicolaum Senauium,ſcientia & vſu rei militaris præſtantem virum, excellentis virtutis ergò collocupletatum,& ad eum,in quo nunc eſt honoris gradũ euectum? Quidúe virũ omni

Senio condonandum aliquid.

Cur minus largus fuit.

Sumptus.

Magnificentia Sigiſm.

Arces ab eo extructæ, aut inſtauratæ.

Bombardæ.

Legationes.

Regum conuentus Viennæ.

Aerarium non inane.

Beneficentia.

Conſtãtinus dux.

Oſtapheius.

Senauius.

Tarnouius. omni laude cumulatissimū, Ioannē comitē Tarnouiū, cùm alijs non obscuris beneficijs ornatum, tum ad summū dignitatis fastigium euectum, euidentibusque grati animi indicijs, & præclaris elogijs, cùm siue à Moschico bello & Starodubo euersa, siue à deuictis apud Obertinum Moldauis reuerteretur, ab ipso ornatum, & honorario munere, publico totius Poloniæ consensu cohonestatum, commemorem? Viuunt hi duo, & adsunt, & hæc mea dicta nutibus renidentes approbant. Tametsi longè maximum hi virtutis præmium, sempiternam rerum à se gestarum gloriam, quæ eos nunquam destituet, arbitrantur. Taceo Bielscium & Lacium Moschos transfugas perhonorificè ab eo acceptos, & luculentis possessionibus donatos, ingenij, fidei & scientiæ rei militaris ergò. Non fuit ergo, non fuit Sigismundus ne in hac quidem parte restrictior. Aut si quando tandem fuit, non sua voluntate, sed necessitate, idque ingrauescente maximè ætate fuit. Quoniam autem illa quoque vel potissima pars est iusticiæ, quæ cum cœlitibus hominum quasi societatem quandam tuetur, pietas inquam, & religio, de hac quoque iam tandem postremo loco mihi dicendum est. Consultò autem in hunc eam locum seruaui, vt quę reliquas omnes virtutes in se continet, & quasi germina quædam ex se emittit, hominisque felicitatem perficit, eadem nobis huius optimi regis perficiat laudationem. Absque hac enim cæteræ virtutes, imagines virtutum & vmbræ sunt verius, quàm virtutes: neque laudabiliter omnino & beatè sine pietate in Deum, quamuis rebus ad vota fluentibus viuitur. Qua autem pietate fuerit, quamque sanctè & religiosè Deum optimum maximum hic rex coluerit, si alia nulla essent, ea quæ hactenus persecuti sumus, satis magno essent argumento. Neque enim ita se ille tum in administrando regno, tum in omni vita gessisset, neque tantus euasisset, neque tot bonis & fœlicitatibus, quot percurrere obiter vix potuimus, aut ipse, aut ditiones eius cumulatæ fuissent, nisi Deum propitium habuisset. Verissimum enim illud est, quod est in Epistola diui Iacobi Apostoli: Omne munus bonum, & omne donum perfectum supernè descendere à patre luminum. Eum verò nemo propitium habere potest, nisi qui agnoscit, reueretur & colit, omnemque fiduciam suam in eo collocat. Sic enim canit Dauid rex & propheta: Inquirentes Dominum non deficientur vllo bono. Et alibi: Qui confidunt in Domino, erunt sicut mons Sion, qui non commouetur in æternum. Cùm igitur Sigismundo tot illa tantaque bona in omni vita suppetierint, quis negabit eum Deo curæ fuisse? Vt enim non fallitur, ita neque fallit Spiritus sanctus, qui per Dauidem olim locutus est: Quoniam rex sperat in Domino, & in misericordia altissimi, non commouebitur. Et quæ præcedunt: Desiderium cordis eius tribuisti ei: præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Et alibi: Propè est Dominus omnibus inuocantibus se, omnibus inuocantibus se in veritate: Voluntatem timentium se faciet, & preces eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se. Sed quoniam impijs quoque nonnunquam prosperè multa in hac vita cadunt, elucetque in eis etiam aliquando nonnulla imago virtutis atque probitatis, age videamus, num qua alia ratione pietatem huius regis ostendere possimus. Et ecce occurrunt nobis templa Dei opt. max. partim instaurata, partim à fundamentis excitata, & multis magnisque donarijs, & preciosis vtensilibus ad splendorem simul & vsum cultus diuini regali munificentia exornata. Atque vt Vilnensem basilicam, & Rupense siue Scalcense fanum, & quædam alia, quæ nunc in mentem non veniunt, præteream, hoc quidem certè delubrum pulcherrimum & sumptuosissimum basilicæ huic adiūctum, seu verius iniunctū, quod sepulchrum & monumentum suum ille esse voluit, cum instituto iugiter & concinnè Deum colentium sacerdotum collegio ferit oculos nostros, & quodam augusto splēdore perstringit. Huic verò basilicæ quàm multa, & q̃ ampla donaria contulit? Iam quis nescit, quàm sedulò is, dum per ætatem & morbum potuit, & quàm religiosè sacris cultuique diuino operam dederit, nulla neq; temporis, neque loci incommoditate, neque occupationibus retractus? Quid ego precum eius assiduitatem, quid festorum dierum ieiuniorūque intemeratam obseruantiam commemorem? in quibus omittēdis vix valetudinis gratia, atq; id extremis demū aliquot annis medicorū suasu, & episcoporum hortatu sibi indulsit. Quæ enim à teneris annis cum lacte quodammodo materno imbiberat, ad extremum

Marginal notes:
- *Honorarium publicè decretum Tarnouio.*
- *Bielscius & Lacius Moschi transfugæ.*
- *Pietas & religio Sigism.*
- *Regni felicitas ex cultu Dei.*
- *Psal. 33.*
- *Psal. 124.*
- *Psal. 20.*
- *Psal. 144.*
- *Impiorum prosperitas.*
- *Templa magnificè culta, extructa, & ornata.*
- *Sedulitas in templis.*
- *Obseruantia institutorum ecclesiasticorum.*

Externus cultus Dei. mum vsq; halitum constanter & mordicus retinebat. Externi hi sunt cultus ritusq;, fateor, neq; in his cardo religionis nostræ vertitur. Vera & interior pietas in mentibus & voluntatibus nostris penitus inclusa est. Ita sanè. Sed cùm ea soli Deo perspecta & explorata sit, tamen his externis sese nobis prodit & exerit: vt sic luceat, secundum authorem salutis nostræ CHRISTVM, lux nostra hominibus, vt ij videntes opera nostra bona, celebrent & glorificent patrem nostrum cœlestem. Bona *Tob.12.* est enim, ait angelus ad Tobiam, oratio cum ieiunio, & eleemosyna. Ipse quoq; *Matth.6.* CHRISTVS IESVS apud Matthæum magnopere hæc tria commendat, dum quomodo fieri debeant, præcipit. *Eleemosyna Sigism.* Quid verò prolixam Sigismundi in egenos, quorum victus vestitusq; parandi rationes vel morbus, vel ætas, vel calamitas aliqua, vel deniq; arctioris & addictioris Deo vitæ professio impediuisset, beneficentiam & liberalitatem persequar? Eadem opera lucem hanc diurnam accensa lucerna illustrare coner. Cernitis en ipsorum turmas, non modò templum hoc, verùm etiam vias & plateas complentium, & orbitatem suam tam benefico rege amisso miserabiliter deplorantium. *Constantia in fide & religione Catholica.* Illa verò eius in receptis antiquitùs Dei placandi ritibus & cæremonijs sacrosanctè retinendis ac defendendis, & in propugnandis Dei ministrorum commodis præclara voluntas & constantia, in ista præsertim nostri temporis licentia, & isto nouarum rerum, quo nunc leuissimi quique homines flagrant, studio, seu verius pruritu, nónne maximũ est singularis pietatis argumentũ? Vidit enim sapiẽtissimus rex, in religione nostra nihil melius, nihil exactius hoc tẽpore à quoquã inueniri posse, quàm ab ipsis Christi seruatoris nostri discipulis, eorumq; successoribus proximis, sanctissimisque patrum *Ecclesia & doctores antiqui.* Concilijs constitutum, & publico Christiani orbis consensu tot seculis retentum esset. Didicerat, non hic, *Matth.14.* aut illic, & in angulis omnino Christũ quærendum esse: neq; vniuscuiusquam esse, arbitratu suo verba & instituta Dei interpretari: sed ecclesiam, ecclesiam inquam, in qua certa esset ac perpetua, vt inquiunt vetustissimi, sanctissimi & grauissimi doctores, Irenæus, Cyprianus & Augustinus, tot seculis continuata episcoporum successio, columnam *1.Timot.3. 1.Corin.14.* esse & firmamentum veritatis. In ea sola dari spiritum veritatis, qui vt author, ita interpres quoq; sit sacræ scripturæ, non dissensionis, verùm pacis Deus. Quo quidem illis carere necesse esset, quibus inter ipsos non cõ ueniret, & qui ne ipsi quidem singuli sibi constarent, sed omni vento doctrinæ quasi nebulæ turbine exagitatæ circumferrentur. *Ephes.4.* Iam verò illa, quòd moribundus sacra Christi mysteria ritu Christiano expetiuit, & venerabundus accepit, *Ritus Christiani in moriente.* quòd se totum Deo religiosis verbis & suspirijs commendabat, quòd in eius clementia & misericordia fiduciam suam omnem collocabat, quæ & isti nouatores euidentissima, nisi fallor, veræ pietatis indicia iudicant, nónne certa sunt piè & religiosè exactæ vitæ testimonia? Cùm igitur tanta pietate, quanta genere illo inclyto, & educatione optima digna fuit, præditus fuerit Sigismundus, nihil mirum, si iustus quoque, clemens, magnificus & benignus: *Epilogus. Virtutes Sigism. in speculum Principibus posita.* si temperans, moderatus, pudicus, & modestus: si fortis, constans, patiens, & excelso animo: si præteritorum memor, præsentium sagax indagator, futurorum acutus coniector, & vtilium publicè priuatimq; diligens & sapiens prouisor fuit. Non mirum, si in hac breuitate vitæ humanæ, magnisque laboribus viuendo octogesimum secũdum annum attigit, *Aetas 82. annorum.* si viribus & valetudine plerunque firma fuit, si sensuum ingenijq; vigorem ad extremum penè retinuit. Non mirum, si gratia & authoritate apud suos pariter & externos, summos iuxtà ac infimos valuit: si amplissimum regnum, elatis post patrem duobus fratribus, maturè adeptus, bellis felix & victoriosus, pace multa beatus, vxoribus & liberis non infortunatus, ditionum aliquot accessionibus locupletior, tã bene, tã quietè, tam feliciter, tantoq; bonorũ omniũ fauore vno & quadraginta annis id administrauit, & florentius multo, quàm acceperat, non degeneri, vti confidimus, filio reliquit. Non mirum deniq;, si sempiternum optimi & fortunati principis, & patris patriæ nomen atq; gloriam, *Pater patriæ Sigism.* nisi me vanũ fallit augurium, apud lõgam posteritatem celebris inclytusque rex retinebit: quippe qui superiores oẽs principes & reges nostros non modico interuallo post se reliquerit. Nam quæ in singulis illis singula laudabilia fuerũt, ea hic vnus omnia cõplexus est: Boleslai Chrobri, vt ab hoc potissimum ordiar, solertiam & magnificentiã: *Polonor. regũ virtutes.* Cazimiri monachi pacis & instaurandæ patriæ superiorũ temporũ iniuria afflictæ studiũ: Vuladislai eius filij mãsuetudinem: Boleslai

Cri-

Criuousti victorias: Crispi prouidentiam: Miecislai senis grauitatem: Cazimiri horum duorũ fratris iustitiam: Lesci albi excelsum animum: Boleslai pudici religionem ac temperantiam: Lesci nigri moderationem animi: Vuladislai Loctici fortitudinem, & in tolerandis aduersis patiẽtiam: Cazimiri magni in ornãdo & muniendo regno studium atque diligentiam: Iagellonis aui, si non in propagando, certè in amplificando cultu diuino pietatem, laborem & munificentiam: Vuladislai patrui magnanimitatem & clementiam: Cazimiri patris facilitatem, & offensarum perbreuem memoriam: deniq; Ioannis Alberti fratris ad res magnas gerendas, quanquam meliore fortuna, alacritatẽ. Has, inquam, omnes omnium illorum virtutes solus Sigismũdus non modò æquauit, sed superauit etiam: ita, vt nulla cuiusquam eloquẽtia, nedum infantia nostra satis dignè & promeritis eũ laudare possit. Sed iam ipsum ex augusto illo mausoleo, in quo heri reconditus est, nos, quibus præfuit, alloquentẽ audiamus. Quàm iustè, quamq; moderatè vobis viri Poloni (liceat enim mihi vos omnes imperio coniunctos vno nomine appellare) imperauerim, & quãta felicitate regnum hoc auxerim, ornauerim & cumulauerim, vos ipsi probè nostis: aut si quid adhuc per ætatem intelligere & iudicare adhuc non potuistis, è maioribus natu bonis & grauibus viris discere potestis. Pro his meritis meis iure meo illud à vobis postulo, vt si quid vnquã imprudẽs offendi, id vel humanę imbecillitati, vel ætati meæ cõdonetis: quam verò mihi debetis gratiam, eam liberis meis dulcissimis referatis, morte mea puplilis. Filiũ hunc meum vnicum, quem ipsi vobis regẽ, mihi successorem me volente & postulante iampridem designastis, eodem quo me, aut maiore etiam, si potestis, studio prosequamini, consilijs adiuuetis, consentientibus animis atque viribus protegatis, ætati eius nonnihil etiam indulgeatis. Ne audiatis eos, qui dum suã rẽ agunt, vestram agere videri volunt: & tamen aliud alibi præ se ferunt, vtrinq; vt gratiam ineant, & opes potentiamq; suam augeant & stabiliãt. Cernitis qualia nunc sint tempora, quousque domi progressa sit multorum audacia, quanta huic regno & communi patriæ pericula à barbaris impendeant. Maturè vobis prouidendũ est, ne non modò imperiũ vestrum & resp. verùm etiã libertas & vita vestra vestrorumq; in extremum

Sigis. omnibus excellentior.

Oratio Sig. ad Polonos.

Pathetica filij commendatio.

discrimen veniat. Id verò ita demum rectè prouidebitis, si sublatis omnino factionibus, dissidijs & simultatibus mutuis, amore & officio erga vos inuicem, erga regem verò vestrum studio & beneuolentia certabitis. Sic enim fiet, mihi credite, vt qui nunc formidolosi nonnullis videmini, formidabiles vicinis vestris hostibusque sitis. Ad te verò, fili charissime, hæc mea est oratio. Illo autem habitu, illoque vigore hæc tu Sigismunde Auguste patrem tecum loqui existimato, quo fuit, cùm tibi huius regni habenas sceptrumque traderet. Nihil est quòd te vnà cum matre, & sororibus tuis, puellis lectissimis, propter mortem meam tantopere excrucies fili. Mihi quidem ego mèo tempore, annorum, vitæ, gloriæque satur, non dico mortuus sum, sed ad beatiorem vitam regnumque melius migraui. Vt autem vestro quoque & horum omnium tempore id factum esse videatur, secundum Deum in te, fili, maximè situm est. Tibi mi fili deinceps, & mater, & sorores & verò respublica maximè curæ esse debebunt. In te spes omnes omnium, quas frustrari te æquum non est, sitæ sunt. Nonnihil quidem nobis debet Polonia: sed nos illi multo plus. Quippe quæ nos sibi, maioresque nostros posthabitis quibusdam illustrioribus & elegantioribus, atq; etiam potentioribus fortasse reges assumpsit, & summa fide, studio, obsequioque coluit. Te, quemadmodum ipse nosti, puerulum etiam tum regio diademate insigniuit. Ad eius igitur salutem atque dignitatem vicissim te voluntatem tuam, studia & conatus omnes adiungere in primis æquum est. Id verò ita demum rectè facies, si omnibus te æquabilem, familiarem verò non nisi grauissimis & sapientissimis quibusq; præbebis: si nullius ius & innocentiam neque gratia, neque odio cuiusquam opprimi sines: & in iudicijs exercendis non quis, aut cuius cognatus, necessarius, vel cliens quisque sit, sed quàm iustam causam habeat, attendes: si tenuiores à vi & iniurijs potentiorum vindicabis: si honestatem voluptati, publica commoda tuis priuatis antepones: si nulla in re leuior, aut præceps eris, neq; de maioribus rebus absque consilio senatus quicquam statues; cum iuuenibus verò & iuuenili ardore præditis consilia non temerè communicabis: si assentatoribus aures non accommodabis (Blandum enim est malum, sed pestilens in primis regnis atque regibus assentatio) si dissensiones or-

Consilium regis.


Verba Sigis. ad filium.

Aurea pij patris monita.

ordinum,& simultates procerum inter ipsos authoritate tua penitus extirpabis: si deniq; pietatem atque religionem sanctissimam sedulò & ex animo coles, neq; ab institutis maiorum, & iam inde ab exoriente religione Christiana apud omnes gentes recepto, & ad nostra vsq; tempora transmisso retentoque cultu Dei Opt. Max. venerandisq; ceremonijs atq; dogmatibus te cuiusquam vel insidiosis blanditijs, assentationibus & illecebris auocari, vel importunitate auelli sustinebis. Harum rerum omnium exempla domestica habes satis, nisi fallor, illustria. Non ignoras fili, quo successu, qua fœlicitate, quantaque gloria nos tamdiu regnauimus. Id nos totum Deo Opt. Max. quem sedulò riteque colimus, acceptum referimus. Existimare autem debes, neq; regnum, neq; quicquam omnino sanctum & inuiolabile esse posse, vbi religio labefactatur. His tibi vijs, fili suauissime, ad laudem, ad beneuolentiam hominum, ad salutem tranquillitatemque ditionum tuarum, deniq; ad decus & immortalitatē grassandum est. Hac certus est, & exploratus pijs principibus ad cœlum aditus. Hæc tecum Sigismunde Auguste, pater: illa rex vester vobiscum, viri Poloni. Reliquum est, vtriq; vt sanctissimis & saluberrimis monitis eiusq; præclara erga vos merita assidua pietate & grata memoria semper prosequamini, omnesq; pariter eum, vti debemus, viuorum & mortuorum Deo, apud quem nemo satis iustus & insons est, assiduis precibus commendemus. Vicissim ille in cœlis, vti speramus, pro nobis orabit: & quorum saluti & incolumitati omni ratione, quoad vixit, consuluit, ijs ne nunc quidem, omni iam rerum terrenarum cura & molestia solutus, studium suum in placando Deo Opt. Max. deesse patietur.

FINIS.

SAN-



SANCTI POLONIAE &c.

Regis Sigismundi Primi Epitaphium.

Sigismundus in hoc iacet sepulchro,
Quod viuens sibi prouidè parauit.
Primus Sarmatiæ potens feracis
Hoc Rex nomine, quem Iagelliana
Ex magnis Ducibus vetus propago,
Gestis, iusticia, fideq́ clarum,
Produxit: quibus & diu Polonos
Rexit magnanimos, eosq́ multis
Auxit diuitijs, honoribusq́;
Et tot magnificis vbiq passim
Structuris, vt in hac patescit arce,
In templis & item Deo dicatis.
Armis atq toga probè per omnes
Insignis procul inde nationes,
Veri cultor erat, tenax honesti,
Et prudens, sapiens, pius, modestus.
In cunctis ratione semper vsus,
Non præceps, neq concitus notatus.
Tandem transijt hinc bis octo lustris
Ex hoc pondere corporis, peractis:
Sanctè sicut in hoc agebat, hoc sic
Est iam tempore mortuusq́ sanctè,
Christus quo tumulum die reliquit,
Coniunctus superûm beatitati.

Natus anno Domini 1467. prima Ianuarij. Electus 1506. octaua Decemb. Coronatus 1507. vigesimaquarta Ianuar. Mortuus 1548. prima April.

Ioannes Dantiscus Episcopus Varmiensis, Domino suo benemerenti non sine lachrymis posuit.

ALIVD EPITAPHIVM MARTINO Cromero authore.

SIGISMVNDVS REX ipse de se:

Ciuibus externisq́ mea est clementia nota,
Consilium, grauitas, relligio, atq fides.
Pax mihi chara fuit: tamen haud me impunè lacessit
Teutho, Liuo, Moschus, Turca, Scytha atq Getes.

MARTINI CROMERI DE SITV POLONIAE, ET GENTE POLONA

LIBER PRIOR.



IN ijs libris, quos triginta de origine & rebus gestis Polonorum conscripsimus, ostendimus, Polonos gentem esse Slauicam, & Sarmaticã: Quæ quodam tempore è Sarmatia progressa, transmisso Vistula flumine, in ijs Germaniæ locis, quæ prius Venedi & Vandali tenuerant, consederit, finesq; domicilij & imperij sui versus occasum & Septentrionem longè lateq; protulerit, ita, vt à Sarmaticis montibus in Septentrionem quidem secundum vtranq; ferè eius fluminis ripam, in occasum verò secundum dorsum Herciniæ siluæ, quo Boëmia clauditur, atque inde porrò secundum Albim fluuium, ad eius ipsius, atque adeò vsq; ad Visurgis seu Veseræ ostia, & sinũ Venedicum siue Baltheum, quicquid terrarũ est, eius gentis ditione teneretur. Ac vniuersè quidem eos populos Slauos, seu Slauinos sese dixisse: A finitimis verò cùm Venedos, seu Vinidas, tum Vandalos etiam, eorum, qui prius ea loca incoluerant, populorum nominibus appellatos esse: Peculiariter verò, eos, qui versus occasum Germanis erant viciniores, partim Sorabos, partim Obotritos, Lutitios, siue Lutzitios, Vinulos, Ranos, Vilzos, Rugios, Vetalabos, Retareos, Licicauicos, Heueldos, Vuloinos etiam: quod nomen cum Polonorũ nomine cognationẽ habet, dictos esse. Quos omnes Slauicæ nationis atq; linguæ fuisse, & partim domesticis satraparum ac ducum defectionibus & pactionibus, partim armis in finitimorũ Saxonum, & Germanorum ditionem nomenq; postea transisse memoriæ proditum est. Polonorum autem nomen vernaculum an commune fuerit horũ omnium, an peculiare vnius cuiusdam populi: & vetustúmne, an recentius, nõ liquet. Ante septingentos quidẽ annos, nusquam in annalibus vllis externis id inuenio. Nec vnum eius etymon memoratur, quemadmodum alibi ostendimus. Nonnulli enim à Lecho, seu Lacho duce Polachos, quasi posteritatem Lachi dictos esse: Alij verò à campestri planicie, quam incolunt, vel à venationibus, quibus impensius delectantur, Polacos & Polanos, mutataq; vna litera Polonos, & ab ijs regionem Poloniam appellari volunt. Eius autem non ijdem semper fines fuêre. Nam Russiæ permagnam partem, cum Podolia subactam, & Prussiæ nonnullam, & Polessensem tractum barbaris Iazigibus siue Iazuingis ademptum quodam tempore, Poloni suo adiecerunt imperio. Præter illa autem dudum memoratorum à me populorum occidentalium detrimenta, posteriori tempore Silesia ferè omnis Polonis sese subduxit, & Pomeraniæ Cassubiæque reliquæ magna pars detracta est. Decesserat & Russia Podoliæq; pars magna, & Volynia, & Polessensis tractus. Culmensis quoq; ac Dobrinum, & Masouia ferè. Sed hæ prouinciæ his duobus, non amplius, seculis recuperatæ sunt: Recuperata est etiam nonnulla pars Silesiæ & Cassubiæ, Pomeraniæq; ea, quæ nunc Prussiam continetur. Rursus tamen Lituani, securis fœdere & societate ipsorum Polonis, Polessensem tractum ferè omnem, & Volyniam, & magnam partem finitimę ei Russiæ, & Podoliæ auorum nostrorum memoria, regibus vel fauentibus, vel conniuentibus, ad se reuocarunt, quemadmodum suo loco exposuimus. Sed ij populi nuper adeò extremo regni Sigismundi Augusti tempore, cùm hoc opus nos ad finem perduxissemus, relictis Lituanis, vltro in ius & ditionẽ Polonorum ęquo fœdere prorsus venerunt. Quin & Lituani ipsi, exemplum secuti, sese cũ Polonis, renouato & ampliato antiquo fœdere, coniunxêre. Instituta tamen sua, & magistratus, & Iurisdictionem peculiarem retinuêre. Cæterùm nos, quemadmodum illa superius recensita Polonię detrimenta in hac descriptione præteriuimus, ita modò commemoratas accessiones cuiuspiam alius operi reseruamus, alijs iam distenti studijs, & occupationibus. Nec Liuoniam attingimus, cuius à vicinis principibus miserè discerptæ maxima pars ante pauculos annos in ditionem eiusdem regis venit. Ne Prussiam quidem ducalem exactiùs describemus. Licet enim

Polonorum origo. *Poloniæ prisci fines.* *Populorum nomina.* *Polonorum nomen.* *Poloniæ fines accisi & prolati.* *Lituani se cũ Polonis coniunxere.* *Quatenus describitur hic Polonia.* *Prussia ducalis.*

enim ea iustis armis repressa ac domita, ex fœdere maiestatem regis Poloni à centum amplius annis comiter agnoscat, neque linguam tamen, neque instituta & leges Polonorum accepit. Sed deletis penè priscis Prussis, à Germanici sanguinis hominibus habitatur & regitur: ea parte excepta, quæ finitima est Masouiæ: Quæ à Polonis colitur antiquitùs, & Polonici fere iuris olim fuit. Nec citerioris autem Pomeraniæ partem eam, in qua est oppidum Lemburgum, & arx Bythouia, complectemur, propterea, quòd ea beneficio regum superiorum in ius ducum ulterioris Pomeraniæ transijt. Quo nomine sunt tamen & ipsi beneficiarij regis Poloni, iurantque ritu solenni in verba eius, quemadmodum & dux in Prussia, & ante eum nostra memoria creatum, Magistri cum primoribus ordinis Crucigerorum, seu Teuthonicorum Sanctæ Mariæ militum, cùm eius prouinciæ dominarentur, iurabant.

Lemburgũ & Bythouia.

Pomeraniæ duces Vasalli regis Poloniæ.

Pruß. dux & magistri Vasalli Polonorum.

Valachiam quoque prætermittemus: quæ fuit & ipsa intra hos ducentos annos in clientela regum Polonorum, sed suis legibus, sua lingua, suisque ducibus vtens, qui Voieuodæ seu palatini dicuntur. Qui duo primùm fuêre, Transalpinensis, & Moldauicus quorum hic à nostratibus peculiariter Valachiæ Palatinus dicitur: ille verò Multanicus. Verùm extitit postea tertius Bessarabicus ad pontum Euxinum, diuiso inter fratres principatu Moldauico. Ac Bessarabia quidem iam pridem subacta est à Turcis: Reliquarum autem duarum Palatini & ipsi iam deditītij sunt eiusdem gentis, patrum, auorum, & proauorum nostrorum memoria in verba regum Polonorum, nonnunquam Vngaricorum quoque, & ipsi iurare soliti.

Valachia & partes eius.

Hist. lib. 15.

Bessarabia.

Hist. lib 3.

Valachia in clientela Polonorum.

Nunc igitur Polonia, quæ quidem vno regno & iure continetur, quatenus à nobis describitur, secundum longitudinẽ terræ habitabilis, è sententia geographorum, & in primis secundum delineationem amici mei Venceslai Grodecij, à tricesimo octauo gradu, ad quinquagesimum secundum, vel tertium (incerti sunt enim in illa solitudine Scythica fines eius) ab occasu æstiuo versus ortum hibernum obliqua protenditur, amplius quàm per ducenta milliaria Polonica: quorum vnum quodque quatuor Italica in se continet. Tametsi Russica & Podolica sunt aliquanto longiora. Quin certis literarum monumentis doceri potest, Ociacouiam arcem ad ostium Boristhenis 54. gradu longitudinis sitam aliquando in ditione Polonorum regũ fuisse.

Poloniæ situs geographicus.

52
38
14

Longitudo. Milliaria Polonica & Russica.

Latitudo autem Poloniæ, quà maximè Orientalis, & quà Occidentalis est, triginta plus minus milliariorum est. Et Occidentalis quidem habet imam poli eleuationem quinquaginta duorum, summam 54. grad. & 40. ferè minutorum. orientalis verò summam quidem 51. fermè, imam autem graduum Pocucensis tamen Russiæ tractus à quadragesimo octauo incipit. Cæterùm in medio, quà latissimè centum milliarijs patet Polonia, & cùm in meridiem paululum recuruatur, tum in septentrionem magis ad mare Baltheum seu Venedicum, & secundum extremam oram Masouiæ dorso prominet, imam quidem poli eleuationem habet in ora Scepusij quadragintanouẽ grad. summam verò in litore maris, & in Puscensi ora quinque fermè, & quinquaginta: ita vt figura eius intensi arcus speciem præ se ferat: cuius neruus paululum reductus, ad meridiem & occasum hibernum quadamtenus spectet, exterior verò curuatura in septentrionem, & ortum æstiuum obuersa sit.

Latitudo Poloniæ.

+ aliquid deest fortasse 49

Putzko vel Puck

Figura.

Quòd si quis nouas accessiones Polessiæ, & ei confinis Russiæ, Volyniæ, Podoliæ, & Liuoniæ, Prussiamque ducalem, & Lituaniam cum sua Samogitia, & Russia alba Moschis finitima (quæ omnia iam vno regno continentur) annumeret, multò longius & latiùs versus orientem solem, & septentrionem ea patebit. Ad Nieprum enim sitæ sunt arces & oppida, Kiouia, Caniouia, & Circassi, vltra 54. gradum longitudinis. Prussiæ verò ducalis & Samogitiæ latus Septentrionale quinquagesimum sextum, finitimæ autem Russiæ albæ 57. gradum latitudinis attingit. Porrò continens his Liuonia, quatenus cum duce nouo Curoniensi, siue Curlandico (qui partem eius nonnullam obtinet) regis Poloni Maiestatem agnoscit, 61. gradum excedit. Atque ita longitudo regni Polonici à finibus Marchiæ Brandeburgensis ad Nieprum ducta recta linea non minus 240. milliaria complectitur, si 15. milliaria vni gradui respondent: Latitudo verò ab ora Pocucensi ad Pernauiam Liuoniæ ducenta plus minus.

Poloniæ regni amplitudo.

Curonien. dux.

Gradus parallelorum variant magnitudinem et aliam atque aliam habent proportionem respectu graduum æquatoris

Cingitur autem Polonia, sicut eam nunc circumscribimus, ab occidente sole incipientibus, Marchia Brandeburgensi, & Pomerania vlteriore: A Septentrione mari Venedico & Sarmatico: Cuius aduersa litora tenẽt Suecones siue Sueti. Inde Prussia ducali, eiq;

Finitimi Poloniæ populi.

continente Lituania in ortum æstiuum ferè vergente. Hinc porrò campestribus Scytharum siue Tattarorum solitudinibus prorsus Orientalibus, & flexa in Euronothum Bialogrodensi Turcarum ora. Inde verò planè Australi Valachia siue Moldauia: Deinceps Vngaria, & in Africum & occasum hybernum obuersa Silesia Boëmicæ ditionis, ad Marchiam pertinente. Et à Silesia quidem, & Marchia, & Pomerania vlteriore, & Lituania palustres densæque siluæ eam ferè dirimunt: Mare à Suetia: Ab Vngaria verò syluestrium montium cacumina: itemque ab Occidentali parte Moldauiæ. Nam à reliqua Moldauia, quæ in ortum & ad Pontum vergit, Nester fluuius eam & finitimam ei Podoliam diuidit: Idemque, nisi fallor, limes est eius ipsius Podoliæ cum Bialogrodensi Turcarum ora, vt Nieper & Ponti Euxini sinus cum Tattaris Ociacouiensibus: Aut certè cum vtrisque incertus is est, vt diximus, propter vastitatem, & solitudinem. E qua solitudine pensitant tamen opiliones Turcici regi Polono vectigal pascuorum nomine. Prussia verò ducalis sic est implicata regiæ (hoc enim nomine à ducali seiungenda est) difficulter vt queant distingui. A Masouia siluæ eam dirimunt. Partes insigniores Poloniæ sunt, Maior & minor Polonia, Russia, & Prussia regia, Podolia, Masouia, & Cuiauia. Quæ & ipsæ deinde satrapijs, vel, vt vulgò loquuntur, palatinatibus, ac territorijs ferè distinctæ sunt. Maior Polonia duas satrapias, nimirum Posnaniensem, & Calissiensem complexa, Occidentalis est Silesiam, Marchiam, Pomeraniamque vlteriorem meridionali, occiduo, & Arctoo latere attingens. Magis autem ad Occidentem vergit Posnaniensis satrapia, Calissiensis contrà ad ortum & septentrionem: qua parte sunt Paluci, Craina, & Cassubia, tractus terræ non contemnendi. Minor Polonia orientalis est, Cracouiensi, Sendomiriensi, & quæ huius pars quondam fuit, Lublinensi satrapijs definita, hoc ipso ordine quo nunc sunt enumeratæ, versus Aquilonem & ortum æstiuum sitis. Quæ à septentrione Masouiæ & Polessensi tractui; qui dudum Lituanicæ ditionis erat, ab ortu Russiæ, à meridiè verò Vngariæ, & Silesiæ finitima est. Sunt autem Satrapiæ Cracouiensis partes, tractus Scíricius, & Submontanus, vterq; Scepusio & Vngariæ finitim⁹. Ac Scíricius quidem ad occidentem vergens, Cracouię vicinior est: Submõtanus verò Russiæ & Sendomiriensi satrapiæ iungitur. Lublinensis item satrapiæ pars est Polesse reliquum, quod à Lituanis detractum non fuit, vtrunque à siluis ita dictum verius, quàm Podlasse dialecto Russica, quasi Poloniæ finitimum. Nisi quis fortè Podlasse Polonis subiectũ interpretari malit. Silesiæ pars ea, quę adhuc est Polonicæ ditionis, sic implicata est Cracouiensi satrapiæ, vt ab ea magna ex parte ambiatur. Satrapiam ea nullam habet: Sed in Cracouiensi ferè censetur: Habet autem tria territoria, Osuencimense, Zatoriense, & Seueriense, quorum duo priora superiori tempore suos habuerunt duces: Nunc præfecturæ Regiæ sunt. Seueriense est in ditione Episcopi Cracouiensis. Meridionale & Occidentale latus eius ipsius Silesiæ: cætera tenet Silesia Boëmicæ ditionis, nempe Cessinensis, & huius pars quondam Pelcinensis, Ratiboriensis item & Opoliensis principatus, siue ducatus, vt vocant. Ab ortu verò hiberno Scepusiensem tractum vix & modicè ea attingit. Est autem Scepusium non exiguus terræ tractus, olim cùm Polonici iuris esset, ad Vngaricum traductus: de quo alibi suis locis attigimus. Deinde verò nonnulla pars eius, cum tredecim oppidis & arce Liblio, siue Lubouulia rursus Polono regi certo pacto ab Vngaricis Regibus addicta est, atque etiamnunc ab eius præfecto, & eius nomine administratur Cracouiensi satrapiæ, tractuique Scíricio versus meridiem adiacens. Inter minorem verò & maiorem Poloniam primarias totius Poloniæ partes intermediæ sunt Satrapiæ, Siradiensis, Lenciciensis, & Rauensis, nullum commune nomen habentes. Quarum prima ad meridiem & Silesiam, Lenciciensis & Rauensis ad septentrionem vergunt, Masouiamque attingunt. Harum autem occidentalior est Lenciciensis. Nonnunquam eæ tres vnà cum Cuiauia, imò & Masouia, maiori Poloniæ, sicut Russia & Polonia minori, accensentur. Cuiauia verò ab ortu Masouiæ & Rauensi satrapię, à meridie Lenciciensi & Calissiensi iungitur. Continet autem in se duas satrapias, Brestensem, quæ magis ad ortum, & meridiem vergit, atque Inuuladislauiensem, siue Iuniuuladislauiensem, quę magis est occidua & septentrionalis. Cuius non exigua pars est Dobrinum, vltra Vistulam, ab oppido sic dictũ, latere orientali confine Masouię: septẽtrionali verò Prussiæ. Masouia quo-

Limites Polon. *Poloniæ partes & satrapiæ.* *Maior Polonia.* *Posnanien & Calissien. satrapiæ.* *Paluci, Craina, Cassubia.* *Minor Polonia.* *Cracouien. Sendomiriẽ. & Lublinẽ. satrapiæ.* *Sciricius & Submontanus tractus.* *Polesse seu Podlase.* *Silesia Polonicæ ditionis.* *Scepusiens. tractus.* *Hist. lib. 5. & 17.* *Siradiens. Lencicien. & Rauen. satrap.* *Maiorũ & minoris Poloniæ appellatione quæ contineantur.* *Cuiauia Bresten & Inuuladisla uien. satrapia.* *Dobrinum.* *Masouia.*

quoq; eodem latere Prussiam, Orientali Lituaniam & Polessensem tractũ, & versus ortum hibernum Poloniam minorem, eiusq; satrapiam Sendomiriensem, Meridionali verò Rauensem attingit. Duabus satrapijs distincta, Plocensi nimirũ, quæ Occidentalis est, & ea, quæ peculiariter Masouiæ nomen retinet, propterea quòd diutius ducum suorũ (de Polonorum principum stirpe oriundorum) dominatu segregata, postrema omnium nostra memoria defecta ducibus, ex pactis, & iure feudi, vt vocant, Poloniæ redintegrata est. Quæ quidem Orientalis est. Rauensis quoq; satrapia quondam pars Masouiæ fuit, suosq; duces habuit, sicut & Plocensis, & pleræque omnes. Prussia Regia præter meridionale latus, quod iam est expositum, ab occasu vlteriorem Pomeraniã confinem habet. A septentrione sinu Baltheo seu Venedico, siue Codano: Ab ortu Prussia ducali cingitur. Tribus autem satrapijs distincta est, Culmensi, Marieburgensi, & Pomeranica. Quarũ hæc occidentalis est. Reliquæ duæ Vistula flumine ab illa diremptæ, orientales. Ex his autem Culmensis ad meridiem spectat, Marieburgensis verò ad septentrionẽ. Varmia, & ipsa pars est Prussiæ Regiæ, ad Aquilonem seu Euroaquilonem vergens, ducali ferè vndiq; cincta, & ab ea quodam tempore maiorem in modũ accisa: Marieburgensem quoque satrapiam contingit: Nec in vlla satrapia censetur, subiecta episcopo suo, & sacro Ecclesię eius collegio, Regis Poloni Maiestatem agnoscentibus. Michalouiẽse autem territorium, est in satrapia Culmẽsi Masouiæ ac Dobrino finitimum olim pars Masouiæ. Ducalis Prussiæ (vt eam quoq;, quo magis perspicua sit hæc Poloniæ descriptio, hic obiter attingamus) præter Regiam Prussiã, limes est à septentrione mare Sarmaticum cum Lacu Curoniensi, & ora Liuoniæ. Ab ortu Samogitia, cæteraque Lituania: A meridie verò Masouia. Satrapiam ea nullam habet: præfecturas permultas. Olim Prussia priusquã sub iugum Christi missa est, alios fines habuit, & aliter diuisa fuit. Fuit aũt ea decẽ regionibus siue tractibus descripta: videlicet Pomesaniensi, in quo est Marieburgum, Christiburgum, Qui Zinũ siue Marieuerderum: Pogesaniensi, in quo est Elbinga & Hollandia: Erminio siue Varmiensi, qui retinet etiamnunc in lingua Germanica vetus nomen, & Ermeland vocatur: Natangino, vbi est Balga, Brandemburgum, Cruciburgũ: Sambiensi, in quo sunt mons regius siue Kœnixberga & Lochstete: Nadrauensi, quo Tapelauuca, Insterburgum, & Vonsdorfia continentur: Salauensi, in quo est Ragneta & Labia: Sudino, qui & ipse nomen suum retinet, & ad aquilonem ortumque ęstiuum inter vtrumq; Habum & mare longè prominet: Bartheno, quo Rastenburgum, Barthesteinum, & Resla siue Reselia continentur: & Salindo, qui nescio an is sit, in quo Galindas populos ponit Ptolemęus. In his Sudinus tractus fuit primarius, opibus & viribus maximè pollens, ita vt ad sex millia equitum, peditũ etiam ingentem numerum conficeret. Cęterorũ quilibet minimum ter mille equites, peditum verò decem millia conficere potuit, si vera sunt ea, quæ nos in vetusto quodam libro Germanica lingua scripto legimus. Cæterum Culmensis tractus & Pomerania, Poloniæ non Prussiæ partes fuêre. Sed nos cætera prosequamur. Russia, quam rubram nonnulli vocant, latere occidentali minori Poloniæ iungitur. A septentrione Russiam albam, & Volyniam habet: Ab Austro Vngariam, eiusq; populum Ceculos, & nonnullam Moldauiæ partẽ attingit eo tractu terræ, qui Pocuce appellatur. Nam cætera Moldauia siue Valachia, qua Podoliæ quoq; iũgitur, magis est Orientalis Russiæ. Continet Russia duas satrapias, nẽpe Belsensem, quæ ad Volyniam & Lituaniam vergit, & eam, quæ peculiariter Russica & Leopoliensis dicitur, australem magis & orientalem: Nisi quod Chelmensis tractus eius non exiguus ad septentrionem, etiam vltra Belsensem prominet, & Polessię finitimus est. Reliquum aũt orientale latus eiusdem Russiæ, ac totius Polonici regni claudit Podolia, ab Aquilone & Euro albæ Russiæ, à cætero ortu vastis campis Tattaricis atque Turcicis, vt diximus, à meridie verò Moldauiæ continens: Totaque vna satrapia censetur, quam Podolicam vocant. Olim Podolia & Russia tam ea, quæ nunc Poloniæ pars est, quàm ea, quæ est in ditione Lituanorum & Moschorum, suos habuit duces, quemadmodum luculentius ostendimus in historia: Quorum stirps cùm latè propagata esset, partim ipsa sese intestinis dissidijs atq; ciuilibus bellis confecit, partim à Polovucijs, qui Goti fuisse videntur, ac Tattaris extirpata, partim Polonorum & Lituanorum adiuncta est imperio, partim in nomen & ius de se ortorum Moschorum transijt: Extant etiamnunc permulti, duca-

Plocensis & Masouiæ satrapiæ. *Prussia regia, & eius satrapiæ.* *Culmensis Marieburg. & Pomerã. satrap.* *Varmia.* *Michalouiẽ tractus.* *Prussia ducalis.* *Prussiæ vetus diuisio.* *Russia Regia, siue rubra.* *Podolia.* *Russi duces.* *Hist. Pol. lib. 5.* *Polovucij Goti.*

le nomen, sed plerique nudum propemodum & inane retinentes: Inter Polonos verò nulla ducum superest memoria. Hi nūc sunt Poloniæ, quatenus hic eam descripsimus fines: hæ partes. Est autē regio tota ferè plana & aprica, maximè quà ad occidentem solem & septentrionem vergit, & quæ penitus orientalis est Podolia, ac vel nomine ipso decliuitatem præ se fert, vicinorum Moldauiæ, Russiæ, & Vngariæ montanorū intuitu. Minor Polonia itidem atq; Russia, quo propiùs accedit ad fines Vngariæ, hoc magis mōtana est, & syluestris. Quo longius autem inde recedit, eò lenius decliuis est, magisq; culta & meliore gleba. Tametsi in meditullio quoq; Sendomiriensis satrapia aliqua ex parte leniter montosa seu verius cliuosa est. Prussia pleraq; omnis excepta Marieburgensi satrapia, qua ad Habum & mare vergit, collibus molliter & ad fertilitatem, amœnitatemque commodè distincta est. Itemq; pars nonnulla Cuiauię. Montes Sarmatici, qui Poloniam & Russiam ab Vngaria dirimunt, ardui & syluestres, non ignoti sunt etiam veteribus Geographis & Historicis: & in his celebris est in primis Carpathus, quem nos Crempacum, ni fallor, vocamus: Alij Biesciadi, Modra, Turza, Vapienna, vernacula lingua appellari, externis ignoti sunt. In meditullio verò minoris Poloniæ Lysecius est, quasi tu dicas caluum, siue caluastrū, in quo monasterium est S. Crucis nomine lignoq; celebre: & Vauelus, arce Cracouiensi, quàm suo ipsius nomine nobilior; & is, in quo situm est Cienstochouiense monasterium, quem clarum latinè Monachi, ni fallor, incolę appellauêre. Syluestris sanè fuit superioribus temporibus pleraq; omnis Polonia: Ex eóne autem tempore, ex quo habitari cœpit, an postea pestium, bellorumq; incommodis eò redacta, non liquet. Sed Sigismūdi senioris, filijq; eius Sigismundi Augusti optimorum & mitissimorum, sapientiumq; regum studio diuturnam pacem nacta, nunc vbique diligenter excolitur, frugum leguminumq; ferax, & pratis abundans. Nec tamen deest etiam nunc syluarum copia. Neq; enim eæ penitus exciduntur & extirpantur, partim propter pascua & mellificia, partim propter ædificiorum materiam, & & ligna mitigando frigori vtilia ac necessaria, partim etiam propter saxosi, vel arenosi soli sterilitatem. Sunt autē syluæ pleræque piceæ, quernæ, faginæ, & abiegnæ: Ac piceæ quidem ferè in planis & arenosis locis, abiegnæ & faginæ in montanis, quernę in vtrisque, sed vberiore gleba præditis. Multæ sunt etiam in planis iuxta ac montanis locis mixtim omni genere arborum refertę, & pascuis opimæ. Ex his abietes, tiliæ, piceæ, quercus, apum aluearijs grauidæ fiunt, materiamque ædificijs nauium ac domorum, malis, tabulis, & vasis aptam, vt & taxi & terebinthi, suppeditat. Quercus & fagi etiam pastum vberem porcis ferisque præbent: Omnes autem focorum, & fornacum, furnorumque ignibus alimenta subministrant. Tanta est enim vis frigoris in his regionibus interdum, vt radicitus arescant arbores, & aqua ex æditiori loco effusa, priusquàm terram contigerit, in glaciem concrescat. Lacus quidem & paludes & flumina duobus tribusue mensibus hibernis, nonnunquam autem vel in quintum ac sextum vsque glacie cōcreta, non modò peditibus, verùm etiam equitibus & curribus ac plaustris, quamuis oneratis, multis simul longo spacio peruia & secura præbent itinera. Equidem quodam tempore vltima die mensis Martij Vistulam in Masouia per firmam adhuc glaciem cum curru & quadrigis, & aliquot equitum comitatu transiui. 1555. Hac etiam præterita hyeme in Prussia glacialis piscatio in lacubus post initium Nouembris cœpta, durauit per totum Martium: gelu autem per totum Aprilem. In tanta autem cœli intemperie pomaria tamen sunt non infrequentia, & fructuosa, ad Vistulam præsertim, & in suburbanis Cracouiensibus, Sendomiriensibus, Varsauiensibus, Torunensibus, Gdanensibus: Elbingensibus item, Fraumburgensibus, Velíscensibus & Bochnensibus, licet remotioribus à Vistula, totoque tractu submontano atq; Sciriciensi. In quibus pirorum, malorū, prunorum, persicorum, cerasorum, & nucum bonitas & varietas certat cum Vngaricis & Italicis. Sunt & vites, quarum vuæ in minore Polonia esui quidem non insuaues sunt, pręsertim si æstas & autumnus temperiem suam seruent: sed vinum inde expressum acerbius, vbi defecatum est. Aliquanto suauius & copiosius exprimitur apud Crosnā Silesiæ in finibus maioris Poloniæ. Apud Toruniam quoque in Prussia vineæ coli cœpêre non infeliciter, vt audio. Neque negat solū Polonicum castaneas, mora, cotonea, ficus, amigdalas, pepones, melopepones, herbas & flores omnis generis, & alias hortenses Italiæ deli-

Solum Polonicum quale. Podolia vnde dicta. Montes Polon. S. Crucis monasterium. Cienstochouiense monasterium in Clara mōte. Poloniæ Vbertas. Syluarum copia. Frigoris & gelu vis. Pomaria. Vineæ.

delitias,& palatinariũq; lænocinia,si ad hibeatur culturę diligẽtior, & à gelu cu stodia. Nec metalla fossiliaq; desunt in montanis:plumbi quidem intermixto argento apud Ilcussum, Slauucouiam, Chranouiam, & Nouagoram oppida satrapiæ Cracouiensis,& in finibus Silesiæ:Argenti viui apud Tustanũ in Russia: Aeris & Lazurij, & plumbi item apud Chencinos: Ferri plurimis in locis syluestribus: Nitri apud Visliciam & alibi:Salis apud Bochnam & Veliscam in satrapia Cracouiẽsi,& apud Haliciam, Colomeiam,Solum(quod quidem à sale nomen habet)&alijs compluribus in locis Russię.Ac in Russia quidem id ex aqua ex profundis puteis hausta decoquitur,& partim in modum farinæ vel niuis minutum relinquitur, partim in frustula cõformatur:In tractu verò Cracouiensi, partim lapidea duritie solidũ instar ingentium saxorum & rupiũ in subterraneis specubus, altè lateq; excauatis, & villas, templa, oppidaq; superædificata sustinentibus, ferro excinditur,comminutumq; deinde,& mola tritum, ad vsus hominum accõmodatur, partim & ipsum ex aqua iniectis lapidei salis frustulis & quisquilijs, quæ secantibus id abradũtur,decoquitur.Color lapidei in massa liuidus est ferè, ac luto respersus. Candidum, & in modũ cristalli pellucidum rarius est. Tritum candet aliud alio magis. Coctum verò despumatis sordibus candidissimũ redditur, niui non dissimile. Fertur in salinis Bochnensibus reperiri quiddã pici concretæ simile, quod vocant carbunculũ:Quod tritum & epotum soluat alnum.Ibidem exaudiuntur nonnunquã canum,gallorũ,&aliorum animalium assimulatę voces in profundissimis specubus:idq;mali & incommodi alicuius imminẽtis portentum vulgò habetur. In maiore quoq;Polonia apud Pincum salinæ sunt,verùm tenuiores. Sunt etiã in confinio Osuẽcimẽsis territorij & Scepusij aquæ salsæ, vnde salem coctũ vidimus regi exhibitum.Salinæ tamen nullæ sunt. Porrò in desertis Podoliæ, & Boristheni vicinis locis lacus est, cuius aqua sereno & ardente sole in solidum salem concrescit, ita vt homines cum iumentis & curribus in eo,tanquã in glacie, versentur, sectumq; in frusta arbitratu suo auehant. Quamprimum autem pluit,soluitur illa glacies non sine periculo insistentium.Apud Biezzũ verò siue Beciam oppidum in submontana regione, vitreolum effodi,ac in viridem lapideamque duritiem decoqui nuper cœpit: Copper vuasser, hoc est, æris aquam Germani, & nostrates item appellant. Antiquitus autẽ id conficitur ad æris metalla in Scepusio.Marmor quoque & alabaster quibusdam locis effodiuntur. Est in maiore Polonia prope Sremum oppidum collis, vbi (res incredibilis,sed a multis confirmatur)ollæ,amphoræ,cacabi,aliarumque figurarum vasa fictilia sponte nascuntur,& sub terra effodiũtur mollia, in aërem autem prolata durescunt. Vidi vnum atque alterum,quod inde erutum esse dicebatur,rude, nec satis bene conformatum.Porrò in mari Sarmatico Prussiam alluente colligitur succinum(Ambram etiam externi vocant) Quod fluctibus appulsum ad litora,homines nudi obuiam euntes paruis retibus excipiunt & extrahunt, molle primùm,sed mox in aëre durescit, tornoque ac scalpro variè conformatur. In lacubus quoque nõnullis à mari remotioribus id reperitur:vt in Pissia Episcopæ Varmiensis,modicum tamen.Quin & in editioribus locis fossa altius humo fertur inueniri.Spumáne maris cõcreta id sit, an succus & gumma arboris, an quippiam aliud, non est huius loci disputare. Est sanè leue & pellucidum: Estque fuluum & candidum:Candido maius precium. Ferunt, si incendatur, odore eius venenata necari. Visuntur in nonnullis frustulis formicæ,muscæ, culices & alia insecta, non arte, sed vel opificio naturæ,vel fortuitis casibus inclusa.Aquis irrigua est pleraque omnis Polonia, sed fluuios nauigabiles non multos habet:Pręcipui sunt Vistula,Donaiecius,Sanus, Vieper quasi quis dicat Porcum,Varta, Notessius, Nester, Prutus,Bugus,Bohus siue Bogus,Pripetius, Narua,Dreuancia. Nam Odra, in confinio Morauiæ & Silesiæ existens,& per hanc secundum Poloniæ limitem, perque Marchiam ac Pomeraniam vlteriorem permeans,infra Scecinum in Venedicum sinum decurrit. Olim intra fines Poloniæ tum oriebatur, tum decurrebat.Nieper Russiam albam,eique confinem Podoliam alluens,longo tractu in pontum Euxinum apud Ociacouiam munitionem Tattaricam sese exonerat, ortus in Moschouia. Boristhenes is est veteribus Græcis & Latinis, omnium scriptorum consensu, præter Bernardum Vapouium.Qui similitudine nominis, vt credibile est, adductus, Boristhenẽ vult esse Berezinam: qui in Nieprum ab æstiuo occasu influit, minor eo & ignobilior.Vistula in Cessinẽ

Metalla.

Salinæ.

Lacus salis in Podolia.

Vitreolum.

Ollæ sponte nascentes.

Succinum.

Fluuij Polõ. nauigabiles.

Odra.

Nieper.

Berezina.

Vistula.

ſiora è Sarmaticis montibus exoriens,
verſus æſtiuum occaſum & ſeptentrio-
nem primùm, mox verſus orientem a-
liquantisper, deinde à Sendomiria ver-
ſus ſeptẽtrionem rurſus per minorem
Poloniam decurrit. A Varſauia verò
rurſus ad occaſum æquinoctialem, &
mox æſtiuum flexus, Maſouiam inter-
luit: Dobrinumq́; à reliqua Cuiauia di-
rimit. Vbi autem Pruſſiæ fines attigit, in
ſeptentrionem reflexus, deinceps me-
diam eã diuidit. Supra Marieburgum
autem in duos alueos præaltis aggeri-
bus obiectis ſectus, inſulam inſignem
Zulaua.
& fertilem, quam Zulauam maiorem
vocant noſtri, efficit, & nomen amit-
tit. Ac ſiniſter quidem alueus, qui ma-
ior eſt Leniuuca, dexter verò Nogatus
vocatur: Quorum hic in Habum lacũ
tribus oſtijs, ille verò duobus partim
in eundem Habum, partim in mare
infra Gdanum ſeſe exonerat, longitu-
dinis quidem gradu 41. latitudinis ve-
rò 54. Fontes autem Viſtulæ ſunt longi-
tudinis itidem 41. gradu, latitudinis 49.
minuto 20. Fluens autem amplius cen-
tum milliarium Polonicorum ſpacio
Flumina Viſtulam influentia.
Viſtula, Solam, Premſam, Scauam, Ra-
bam, Donaiecium Viſlocam Ropa au-
ctam, Nidam, Sanum, Vieprum, Pil-
ciam receptis Dreuicia & Volboria,
Bſuram, Naruam cum Bugo, Dreuan-
ciam, Berdam, Oſſam, & Motlauiam mi
nora flumina excipit: & Oſuencimum,
Vrbes oppida & arces ad Viſtulam ſita.
Zatoriam, Cracouiam, Cazimiriã, Sen-
domiriam, Varſauiã, VVyſſegrodum,
Ploſcum, Vladiſlauiam, Toruniã, Cul-
mam, Grudẽtum, Quizinum, Nouum,
Gneuum ſiue Meuam, Marieburgum,
Derſauiam, & Gdanum vrbes & oppi-
da non ignobilia præterfluit. Arces itẽ
Lipoueciam; Tineciam & Mogilã mo-
naſteria, Nepolomice, Corcinum, Za-
uichoſtũ, Soleciam; Secechouiã & Cer-
uenſcũ Monaſteria, Zacrocimum, Viſſe
gradum, Sochaciouiam, Dobrinũ, Bo-
brovunicos, Racianzum, Sluzouiam,
Dybouiam, Nieſſouiam, Starigradũ, ſi-
ue Althauſum, & Suece, & adhęrẽtes eis
Donaiecius.
vicos alluit. Donaiecius (quod nomen
paruum Danubiũ ſignificat) ex eiſdem
Sarmaticis iugis non longè à Viſtulæ fõ
tibus paulò orientalior exortus, per Sce
puſiũ & Submontanum tractum decur
rit, Sorſtenumq́; & Muſſinam, & Melſti
num arces & Sandeciam oppidum, vbi
Popruttu.
Popruto augetur, præterlapſus, nõ lon-
gè ab Opatouecio vico Viſtulæ miſce-
Sanus.
tur. Sanus è Bieſciadis iugis lõgitudinis
gradu 44. latitudinis 48. minuto 30. naſ-
cens, & verſus ſeptentrionem & occa-
ſum æſtiuum profluens, poſteaquã Li-
eſcum, Sobenum, Sanocum, Brozouiã,
Prẽmiſliam, Radimnum, Iaroſlauiam,
Lezeiſtum, Ruſſiæ arces & oppida præ-
tergreſſus eſt, Viſlocumq́; alium à Viſlo
ca, & viarum minores fluuios in ſe rece
pit, apud Sendomiriam oppidum lon-
gitud. grad. 44. ferè, latitud. 50. minuto
30. Viſtulam & ipſe ſubit. Varta apud *Varta.*
Cromolouiam ſatrapiæ Cracouien-
ſis oppidum ortus, longitudinis gra-
du 40. minut. 50. latitudinis gradu 50.
minuta 30. per Siradienſem ſatrapiam,
& maiorem Poloniam verſus occa-
ſum æſtiuum ferè decurrit, Olſtinum,
Cenſtochouiam, Meſtouiam, Siradi-
am, Vartam, Vneouiam, Colum, Co-
ninum, Pyſdros, Sremum, Curnicum,
Poſnaniam vrbem, Obornicos, Stob-
niciam, Vvroncos, Siracouiam, Mezi-
chodum oppida & vicos cum adiun-
ctis arcibus, & Landiſbergam veteris
Marchiæ prẹterfluens, Nyrumq́ue, Vv-
reſniam, Velinam, Proſniam, Obram,
& Noteſſium minores fluuios excipi-
ens. Et Apud Coſtrinum oppidum in
Odram è Sileſia occurrentem, influit
longitud. grad. 37. latitud. 52. minut. 50. *Noteſsius.*
Noteſſius verò apud Cruſuiciam Cu-
iauiæ oppidum è Goplo lacu exiſtens,
& ipſe per maiorem Poloniam verſus
occaſum hibernum means, Pacoſſum
ambit, Labiſſinum, Naclum, Pilam,
Vſce, Drenumq́ue arces & oppida præ-
terlabitur. Neſter, quem Tyram vete- *Neſter ſiue*
ribus vocari volunt, in Ruſſia è Sarma- *Tyras.*
ticis iugis non longè è Tybiſci & Sani
fontibus ortus, initio verſus Aquilo-
nem profluit, deinde ad ortum conuer-
ſus, Briſticiam, Lipam, Seretum Ruſſi-
cum, alium à Valachico, Sbrucium,
Smotricium, Vſciam, & Moraquam
ignobiliora flumina abſorbet, & Zida-
ciouiam, Haliciam, Ceſſibieſos, Cer-
uonum, Chocimum Valachiæ, & alia
quędam oppida præterlapſus, infra Po-
cuce Podoliam à Valachia longo ſpa-
cio diuidit: Ad extremum deflexo non
nihil in meridiẽ alueo, ſuper Bialogro-
dum vrbem Scythicam, ſiue Turcicam,
quæ & Moncaſtrum dicitur, in Pontũ
Euxinum, ſiue continentem ei Obido-
uum lacum influit longitud. gra. quin-
quageſimo tertio, latitud. quadrageſi-
mo ſeptimo, minut. 30. Bugus in Ruſſia *Bugus.*
& ipſe non longè ab Oleſco oppido, lõ-
gitud. grad. 46. latitud. 49. exoriens, &
primùm in occaſum, mox in Septentri-
onem ſecundum occidentale latus Vo-
lyniæ tendens, poſtremò ad occaſum
reflexus, vbi Poleſſenſem tractum (re-
ceptis

ceptis Rata, & Muchauecio fluuijs) emensus est,&Busců,Grodecum, Grodlum,Lubomliam Russica, Bresteq;,Ianouiam,Melnicum, Drohicinum, Polessensia,& Cameneciam Masouiticam oppida prætergressus est, apud Serocium vicum longitud.grad.43.latitud.52. minut. 40. Naruæ à septentrione & ortu æstiuo è Lituania profluenti ægrè miscetur,nigrorem suum retinens aliquãdiu: Nec multo inferius victor Narua apud Nouidvvorum oppidum Vistulam subit. Est autem peculiaris Naruæ natura, sicut & Dlugossus annotauit, quod non fert venenosa animalia, vsque adeò, vt serpentes, qui nauibus Bugo delatis adhæserint, edito sibilo refugiant,cùm primùm aquam eius fluminis attigerint. Pripetius in Chelmensi tractu è palude nõ lõgè à Lubomlia existẽs long. gradu 47. latitud. 50. præter occiduum & septentrionale latus Volymiæ diuersus à Bugo per Russiam albam longo spacio versus Orientem solem progreditur, & cùm nonnullis alijs,tum Styro,Turo, Slucio, Suislocio grandibus fluuijs auctus, Nieprum siue Boristhenem supra Kiouiam subit,longitud.grad.51.latitud.53.ferè. Bohus autem, siue Bogus è palude ortus in finibus Podoliæ longitud.grad.49.latitud. 49.minu.30. itidem per Russiam albam meridionalior longo terrarum tractu ad ortũ tendit:ad extremum deflexo in meridiem cursu,& ipse in Boristhenem non longè ab ostijs eius longit. grad. 55. lat.48.sese exonerat.Prutus è iugo montium Sarmaticorum long. grad.46.minut.50.latitud.47.minut.30.versus aquilonem in Pocuce delapsus,& Colomeiam Sniatinumq; præterlapsus, inde per Valachiam siue Moldauiam primùm orientalis, deinde australis versus Bulgariam in Danubium decurrit, longit. grad.52.lat.45. In Prussia verò Alla siue Alna,& Passaria,non longis inter se spatijs orti,versus septentrionem fluunt:Et Passaria quidem infra Olstinecium, siue Hochsteinum (vt vocant Germani) ducale oppidum existens, Morango, Libstadia, Brunsberga, & Helgebeila, oppidis præteritis,Habum lacum subit, long.gradu 42.min.30. latitud.54. Alla verò supra Allesteinum S.Collegij Varmiensis arcem & oppidum, cui etiam nomen dedit,oriens,præteritis Vartemberga, Gutestadia, Heilsberga,siue Allesberga Varmiensibus, & Barthesteino,Sipelbeino,Fridelandia, Allemburgo ducalibus oppidis,apud Velam Pregolæ, ab ortu hyberno per ducalem Prussiam decurrenti, miscetur, & cum eo infra Kœnixbergam, hoc est, Regium montem,vrbem longitud. grad.43. latitud.54.Habo lacu recipitur.Dreuantia verò non ita longo ab ijs interuallo oriens, diuersoque meatu versus Austrum fluens supra Toruniam à Vistula excipitur. Atque hæc de fluminibus nunc sufficiant. Lacubus piscosis in primis abundat Prussia. In his nominatissimus est Habus, cuius modò mẽtionem fecimus: quem etiam recens mare vulgò vocant. Ad quindecim milliaria in longitudinem inter Gdanum & Regium montem vrbes secundum mare patens,& ab eo angusta insula, quæ Neringa appellatur, disiunctus: In latitudinem verò duo milliaria plus minus.Ac Elbingam quidem vrbem non longo spacio adspicit, eique portum efficit, eiusdem nominis flumine nauigabili influente. Tolkemitam verò, Fraumbergam, (cui basilica Varmiensis in modum arcis munita impendet) Balgam, Brandeburgum, & Fisshausum oppida & arces alluit,receptisque,vt dixi, Vistula & Prægola, & alijs minoribus fluminibus, apud Lochstete arcem mari miscetur. Hoc aliquanto amplior lacus alter est eodem nomine, cognomento Curoniensis, in Prussia ducali, in quo sunt ostia Nemenis fluuij (Memelam vocant Germani) per Lituaniam defluentis. Inter hos duos Habos & mare peninsula est, quæ & ipsa Neringa, sed Curoniensis appellatur,arces & oppida continens.Secundum hos est Drusnus siue Drausenus lacus in Marieburgensi satrapia, vnde Elbinga flumen profluit: Partecinus Lubnus, Reusina, & Viecininus in Culmensi: In Pomeranica verò Stuorzonagaci, quasi quis stratum vel factum aggerem dicat, inter Choiniciam,Slochouiam, ac Tucholiam oppida,septem milliarium spacio longus,quinque latus: Vnde Berda fluuius profluens, per Crempscum,Lubonum, & Charsicouum minores lacus in Vistulam influit infra Bydgostiam. Nec ignobiliores his sunt Vsdice,Lubscus,& Ossiecinus in eodem tractu: Alij minores. Sunt & in Varmiensi ditione non pauci.Præcipui verò Dadaius, Zainus, Vadangus, Pissia,Blanke, quasi albus,Sinser,Lingenaus, Lemanglus, Ellingus, Plaucicus, Vulpingus, Clebergus, Cosnicus, Obelus, Marangus, & alij complures. Sunt & in ducali Prussia multi & grandes, quos omittimus. Habet & maior Polonia & Cuiauia nonnullos,piscososque. In qui-

Narua venenosis carens. *Pripetius.* *Bogus.* *Prutus.* *Fluuij Prussiæ.* *Passaria.* *Alla.* *Allesteinũ.* *Pregola.* *Dreuantia.* *Lacus Habus.* *Neringa insula.* *Habus Curoniensis.* *Drausenlacus.* *Elbinga flumen.* *Berda fl.* *Varmiensis lacus.*

Goplus. quibus Goplus princeps est, quinq; milliaria patens in longum, semis in latũ: Secundum hunc sunt Blendnus, Pouizus, Slesinus, Sanus, Piednicia, Niezamyslus, Voniesca, Lomunice, Pcieuus, Lubstouus, Drauuscus, Noblun, Tulangus, Ielen, & Lednicia, in cuius insula Gnesnensis basilica initio cõdita fuisse, indeq; propter difficilẽ aditũ, in eum, in quo nunc est, locum translata esse putatur, quemadmodum Dlugossus memorat. In Cuiauia verò Tur, Lanscus, Bielscus, Lubotinus, Orlie, Berdouus, Borimouus, Creuianta: Et in Dobrinẽsi tractu Gorznus, Mocouus, & Scampscus, minores aliquanto superioribus. Pro *Piscinæ.* lacubus minor Polonia, Silesia, Russia, ac Podolia piscinas habent arte manuq; factas permultas & grandes. Non carent tamẽ & lacubus, Lublinẽsis maximè & *Biale lacus.* Chelmensis tractus. E quibus Biale, hoc est, Albus, per antiphrasim sic dictus, ꝓtereundus non est: Cuius aqua Aprili & Maio mensibus fuscos reddit lauantes: Pisces aũt pinguissimos profert, q̃ brasmi, à nostratibus aũt Clescij vocantur. *Crinice lacus.* Est & in Belsensi lacus Crinice, non amplus, verùm profund⁹. De quo illud memorabile annotauit itẽ Dlugossus, q͂d certis tẽporibus altero vel tertio quoq; anno cũ mugitu fluctus attollens exhauritur propè ad fundum vsq;, aquis vicini montis cauernas subeuntibus: Atq; ibi tunc facilè prehẽduntur pisces in aqua vadabili. Post dies aliquot ea refluit. In cæteris lacubus, atq; etiam in maio*Piscationes hybernæ.* ribus piscinis & fluminibus hiberno tẽpore cõmodiores ferè sunt piscationes, q̃ æstate, pertusa certis interuallis glacie, retiq; per maius foramen in aquam immisso: quod longis funibus ad perticas alligatis hominũ equorumúe opera longo spacio in diuersum tractum, coëuntibus rursus piscatoribus alio foramine piscibus refertum extrahitur. Sũt aũt eadẽ genera piscium in lacubus & *Piscium genera.* piscinis. Vtrobiq; enim sunt lupi, siue lucei, prasmi, percæ, rhombi (si modò sic appellandi sunt ij, quos nos Carassios dicimus) sumi, sendacij, cirtæ, siue certæ, à delitijs, ni fallor, apud Germanos nomẽ sortitæ, tineæ, anguillæ, ruboculi, carpones, quos reginas vocãt Itali, Latini Cyprinos, quemadmodũ vult Ioannes Dubrauius Olomucensis Episcopus. Tametsi minus frequẽtes hi sunt in lacubus, quàm in piscinis: In quas paruuli tanq̃ in viuaria studiosè includuntur. Ferunt etiam lacus nonnulli eos, quos suluizas & sielauas nostrates, Germani Marenas vocant. Piscis est dulcis & sapidus, aleci similis: Fluuiatiles verò sunt cùm ijsdẽ *Pisces fluuiatiles.* ferè omnes, tum delicati in primis, truta, barbo siue mullus (Paruenã vocant) fundulus, occulata, quæ lãpreda quoq; dicitur, alosa, siue borbocha, cuius iecur potissimum est in delicijs, à nostratibus Mientus vocatũr: Itemq; Lipiẽ, fliz, berzana, vcleia, iasdez, & quæ bialariba, hoc est, albus piscis à nostratibus appellatur: quibus latina nomina dare non habemus. Quanquam quid vetat Alberti Magni, & aliorum scriptorum, qui eiusmodi res persecuti sunt, exemplo, eos vernaculis nominibus ad latinum sonum conformatis appellare? Quod in superioribus quoq; nonnullis factum est. Cancris & anguillis abundat in primis Nida fluuius Pinciouiam, Visliciã, & Nouam ciuitatem præterfluens. Anguillis etiam & Stintis Habus, & alij nõnulli lacus Prussici. Marinis piscibus nõ admodum abũdat ea regio. Nobiles aũt præcipuè sunt haleces, quos haringas *Halecum copia.* Germani vocant, quorum sale conditorum maximus est vulgò vsus in tota Polonia, atq; adeò in Lituania quoq;, Boëmia, Silesia, Morauia & Vngaria. Tanta eorum copia est. Sed in Prussia pauci prehenduntur: A Cymbrica autẽ Chersoneso, & Scandia, & ex Oceano Germanico plurimi & optimi nauibus eò importantur. Pomuchlæ non desunt, neque passeres. Salmonem siue esocem, *Salmones et Sturiones.* & sturionem inter marinósne, an fluuiatiles numerem, nescio, Vtrobique quidem prehenduntur: Sed è mari sursum fluminum certis temporibus enatant, transilientes obstacula. In quibus etiam insidiosis capsis collocatis capiuntur. Tanto sunt autem suauiores, quanto longius à mari & Habo recesserint. Quin vniuersè pisces ij, qui in fluuijs iuxta ac lacubus & mari victitant, sapidiores sunt in fluuijs, quàm in mari vel lacubus capti. Non est hîc prætereunda quarundam aquarum non vulgaris natura. Est in Scepusio riuus ex ar- *Aquarum mira natura.* duis montibus profluens, cuius guttæ in lapideam duriciem concrescunt, ita vt ex ijs sponte existant fulcra sustentantia canales, quibus riuus ille ad moletrinas deducitur. Est & fons siue lacus pestilentem aquam & vaporem emittens, cuius non modò gustu, sed etiam afflatu animalia & aues necantur. Sunt etiam nonnullis in locis Poloniæ *Thermæ.* scaturigines tepidarum aquarum, sulfuris & aluminis odorem redolentiũ, qui bus scabies & vlcera hominum & iumentorum curantur. Sed nos ab aquis & aquatilibus ad terrestres animantes transf.

Ferarum copia. transeamus. E ferarum animantium genere fert hæc regio copiam leporum, dorcarum, sciurorum: cuniculorum quoque alicubi: Ceruorum etiam, & aprorum, & vrsorum, & luporum nonnullis in locis. In primis autem Nepolomicensis & Radomiensis saltus nobiles sunt Ceruorum venationibus. *Bisons siue Zubr.* Et horũ autem, & Onagrorum atq; Bisontium Prussia ducalis, eiq; finitima Masouia ferax est, & inprimis Podolia: vbi agminatim in campis non modò hæ feræ, verũ etiam feri equi pascuntur. Est autem bisons prægrandis, verùm pernicissima fera, magnis & introrsus leniter incuruis cornibus nigris armata, quibus equum cum sessore correptum in sublime identidem iactat, & arbores mediocri crassitudine euertit. Magnitudinis eius illud quoque est argumentum, quod in capite eius inter cornua, duo imò tres etiam homines possunt considere. Habet villosum & hispidum corium, & sub mento palearia. Caro eius sale condita in delitijs est magnatibus & principibus. Cornu sonorum, & ob id venatoribus in vsu est. zubrum seu zambrum vocãt nostrates: Imò & Græci recentiores: *Onager & Alce, Losi.* Onager verò los appellatur. Alcem hanc esse volunt: De qua scribunt Plinius, & nonnulli alij ex veteribus. Fera est longis cruribus, & auribus, aliquanto maior equo, colore cesio & fusco, mas capite cornuto: Cuius vngula posteriorum crurum, si Autumni initio spiranti adhuc desecentur, expetitur, comitiali pręsertim morbo laborantibus salutaris. *Capreæ.* Ferunt etiam capreas montana loca Vngariæ finitima. *Vrus siue Zhur.* Cæterùm Vri, hoc est, boues syluestres, quos nos thuros dicimus, in solis Masouiticis syluis apud Vyskitcos extant. Et harum quidem ferarum carnes aptæ sunt humano esui: Cultui *Panthera.* verò pelles subministrant panthera, siue is est lupus ceruarius (Ris appellatur à nostratibus) maculosis ventre & pedibus: quæ partes maximè in precio sunt. *Mardures.* Martes, siue Mardures, quas cunas dicimus, vulpes, lupi, Rosomaci, Lutræ itẽ *Castoris natura.* & castores amphibia. Atque horum, castorum, inquam, caudæ etiam inter delicatos cibos, & pro piscibus habentur, reliqua carne inutili propemodum. Extruit aũt sibi hoc animal cubile ligneũ in marginibus fluminum & lacuum, cameris compluribus alijs super alias distinctum, ac secundum incrementum aquæ domicilium mutat, ita vt cauda natante reliquum corpus in sicco maneat. Pellem habet in dorso hispidam, sed mollem: vnde fimbriæ fiunt exornandis vestibus hibernis & pileis. *Vrsorum volæ.* Vrsorum quoq; volæ cum digitis esitantur: pelles etiam stragulæ vestis vsum præbẽt. Quin & amicire his famulos cœperunt ij, qui feroculi videri volunt. Cuniculi, lepores, & sciuri cultui iuxta ac esui apti sunt. Sunt etiam in Podolia animalia sciurorum vel cuniculorum magnitudine, in cauernis degentia, varias & maculosas pelles habentia, quæ & ipsæ ad vestitum & pallia fœminarum expetuntur. Crzecicos vulgò vocãt. Omni autem genere ferarum magis abundat Lituania propter vastitatem syluestrẽ. *Bisontium venatio.* De bisontium venatione scire operęprecium est, quòd in campis Podolicis segregati ex agmine singuli ab equitibus sagittarijs ordine in gyrũ dispositis conficiuntur. Vnus enim post alium feræ adequitantes, iaculantur, citatisque equis refugiunt. Efferata autem illa ictu & vulnere, refugientem insequitur. Interim ferit eam alius. Quem illa rursus priore dimisso insequitur, donec defatigata labore & vulneribus concidat. In syluis verò ij deprehensi opportuno aliquo loco deiectu arborum à rusticanis hominibus ad id coactis, quasi intra sepes includuntur, plures etiam quàm singuli, ita vt effugere inde non possint. Deinde extructa ex tempore principi & magnatibus ac fœminis cauea siue tabulato editiori, ex quo tuto spectare possint, venatores cum venabulis ad suam quisque arborem disponuntur. Mox ab equitibus strepitu & clamore, admissuque canum fera excitata è vepretis in medium propellitur. Quæ à venatore post arborem latente, vt cuique maximè appropinquarit, venabulo petitur, efferataq; ictu, arborem, cuius obiectu ille se tegit, cornibus petit, & cùm arbor sit gracilior, quàm vt ambobus cornibus in eam possit impingere, fronte ac toto corporis nisu in eam incũbit, cornibus vtrinq; prominentibus. Vrget interim semel adactum in præcordia ferrum venator, sensim cedens appetenti se feræ, ac circum arborem giranti: nec desunt canes grandiores morsibus adiuuantes, donec ea exanimata vel defatigata prorsus concidat. Quod si venator ictum frustratus sit, aut minus opportunè intulerit, aut à fera etiam correptus & proculcatus fuerit, aliquis è vicinioribus rubrum pannum feræ obiectat. Hoc enim colore maximè efferatur. Ibi ea dimisso priori, hunc petit recipientem se ad suam arborem, & ab eo feritur & conficitur. Linguæ eius contactus vitatur, qua longius exerta attra-

Vrsorum venatio. hit ad se hominem, si vel extremā vestis eius oram cōtingat. Est enim ea scabra. Vrsi verò, quamuis prægrandes, & iam viui capiuntur, reti implicati, venatoribus compluribus simul accurrentibus, & ligneis furcis caput pedesque feræ ad terram deprimentibus, donec ea fune constringatur. Constricta in arcam ligneam concluditur, ita, vt se commouere nequeat, & auehitur. Vnde post, vbi libitum est, ad spectaculum, & vrbanā vel campestrem venationē emittitur. Si autem colligatur, vt vno tractu funis ex arca prominentis soluatur. Vidimus aliquando in spectaculo equulum, & quidem castratum, cum Vrso prægrandi commissum. Qui ex interuallo accurrens obuerso tergo calcibus vrsum petebat, & refugiebat, vrso ad stipitem, laxiore tamen fune alligato. Sed alia persequamur. De iumentorum genere bobus & equis abundat Polonia: camelis, asinis & mulis caret. Aliunde ij nonnūquam adducuntur, sed non durant. Ouium item & caprarum ferax est: Auiū quoque magnam habet copiam. Præter altiles autem, nempe gallos gallinaceos, domesticos iuxta ac Indicos, (qui nu *Animalia domestica.* per adeò inuecti sunt) anseres, anates, & *Aues.* columbas, in delitijs hæ sunt: Pygargus, quem quidam Bistardam vocant, eò quod tardior sit propter molem corporis, & vix à terra euolet, pauo, grus, cygnus, perdix, bonosa, coturnix, sturus siue starnus, & quæ Cietrzevv & Ciecior-ca, & Glussetz, quasi surdaster, à nostratibus vocantur. Et vt rapaces aquilas, falcones, accipitres, miluios, vultures, nisos, ardeas, & multas alias mittamus, minorum quoq; auicularum aptarum esui ingens est copia. In his nobilis inprimis ea, quæ in solis ferè Iouiciensibus campis cum niue existit ac disparet, auicula, passere non multo maior: quam à *Sniegula.* niue Sniegulam vocamus. Turdus rarior est, itemq; Pardua, quam ita voca- *Pardua.* mus nomine vernaculo, quando latinum non habemus. Auis est syluestris, gallina nō multo minor, in campis Rus *Coturnices Russicæ.* sicis & Podolicis. In ijsdem reperiuntur coturnices virentibus pedibus, quarum esus spasmum inducit. Ex auibus maiores atq; teneriores sub hyemis initium *Auiculæ rediuiuæ.* gregatim auolant, vereq; nouo redeūt: Nonnullæ minores, velut hirundines & Cypseli, implicitis inter se pedibus & àlis conglobatæ in lacus, paludes, & piscinas sese immergunt, ac vere nouo emergunt, & explicantes sese euolant. Hiberno quidem tempore retibus extractæ à piscantibus sine vllo sensu & motu, & ad ignem admotæ, vel in hypocaustis calidis positæ reuiuiscunt, & euolant, sed statim læsæ frigore, vel ignis calore atque vapore insolito emoriuntur. Cæteræ hyemis tolerantiores, in syluis, vel circum domos & villas vitā degunt. Nec plura nunc de situ, vbertate & omni descriptione Poloniæ. Genti Polonæ sicut originem, ita & linguam *Lingua Polonica.* communem esse cum Boemis, Russis, Moschis, Croatis, Morauis, Silesijs, Cassubijs, Bulgaris, Rascijs, Serbis, Illyris, & vniuerso nomine Slauico seu Venedico alibi exposuimus. Tametsi diale- *Hist. Pol. lib. I.* ctis ea tam varia est, vt nonnulli ex his populis ægrè & vix se inuicem intelligant. Cæterùm ab alijs omnibus linguis ea prorsus diuersa est: Nisi quod multa instrumentorum, operum, & aliarum rerum ad opificia & communem vitam pertinētium vocabula à finitimis, & priscis, ni fallor, incolis Germanis mutuata est. Sunt hodieque non modò mercatores & opifices Germani multi *Germanicæ linguæ vsus in Polonia.* sparsim in vrbibus habitantes, verùm oppida penè tota & pagi pleni vtentiū lingua Germanica in Submontana regione, eiq; finitimis Russia & Scepusio, itemque in extrema ora maioris Poloniæ, deductis eò, sicut & in Silesiam & in Prussiam, quodam tempore Germanorum colonijs, & multis de plebe compendij sui causa subinde immigrātibus. Quin & equestres quædam familiæ antiquitùs è Germania ducunt originem. Cui rei argumento sunt stemmata siue insignia, & eorum nomina. Sed iam ij, atque etiam oppidani & pagani diuturnitate temporis ac domicilij, & connubijs magna ex parte in Polonos transierunt. Libenter autem & Poloni propter multum vsum & commercia cum Germanis condiscunt linguam Germanicam. Libentius etiam Latinam, prop- *Latinæ linguæ vsus.* ter sacrorum ritus & sacerdotia, scribē-diq; vsum, qui vulgatissimus fuit antiquitùs hac lingua cùm in priuatis scripturis & epistolis, tum in actis publicis, ac diplomatibus, mandatis, edictis, decretisq; principum, & omnium iudicū & magistatuum. Estq; etiamnunc, aliquanto tamen minus, in vsu. Nostrâs enim lingua neq; tam copiosa est, quàm aliæ, neq; scriptu lectuq; facilis. Sed Prussiæ incolæ, cum maxima ex parte Germani, aut è Germanis oriundi sint, in conscribendis actis iudiciorum Germanica lingua magis vtuntur vulgò, mixtim Polonica & Germanica loquentes. Prisci Prussi, quorum pertenues adhuc extant reliquiæ, peculiarem habue-

buerunt habentq; ab vtraq; penitus diuersam. In Russia, meridionali præsertim, iam fere vsitatior est Polonica dialectus, quàm vernacula, ex quo gens ea Polonorũ cessit imperio, Polonis propter vbertatem soli & militiam aduersus Tattaros libenter ibi figentibus domicilia. Sunt etiam in Russia Podoliaque Armeni, mercaturam exercentes: Hebræi verò longè frequentiores, etiam in cætera Polonia, præter Prussiam, sparsim oppida & vicos incolentes. Vtrique sua lingua vtuntur: sed & Polonica, vel Russica: Hebræi verò passim & Germanica. Penetrarunt & Itali mercatores atq; opifices in vrbes primarias nostra ferè memoria: Estque nonnullus eius linguæ vsus etiam apud Polonos elegantiores. Libenter enim ij peregrinantur in Italia. Pagis autem & vicis potissimùm, atq; etiam oppidis gens Polona antiquitùs habitat: quibus ferè castella & arces adiunctæ sunt, dominorum & præfectorum domicilia. Vrbes munitas atq; cultas non multas habet. Princeps est Cracouia in minore Polonia, regum & regni domicilium: Quæ cùm ædificiorum priuatorum iuxta ac publicorum splendore atq; munitione; tum rerum omnium ad victum cultumq; corporis pertinentium, & mercium exoticarum copia, emporio, magnis ad vitam degendam commoditatibus, hominumque frequentia, ciuilitate, & elegantia facilè primum locũ obtinet, & cum claris Germaniæ Italiæq; vrbibus certat. Germanis autem mercatoribus abundat antiquitùs. Neq; caret Italis. Habet opportunitatem Vistulæ fluuij, quo pisces, ligna, & omnis ædificiorum materia, & alia quædam è vicina Silesia importantur. Nonnulla etiam cùm alio, tum in Prussiam deportãtur, & inde merces exoticæ reportantur. Habet item suburbana ampla & frequentia, & cùm hortis atq; pomarijs delicatis, tum viuarijs piscium & prædijs culta, ac temperie cœli amœna. Adiuncta sunt ei duo oppida: à meridie quidẽ Cazimiria; ponte ligneo iuncta interlabente Vistula. Est tamen intermedius vrbi & ponti continens viculus, cui nomen est Stradomia. Quem flexus Vistulæ tria latera ambientis, & influentis in eum Rudauæ occursus facit insulam. A septentrione verò pomerijs vrbis continens est Cleparia, non tamen cincta mœnibus, vt est Cazimiria. Habet & arcem peramplam Cracouia, à latere Australi in colle seu rupe, Vistulæ & Stradomiæ imminentem, mœnibus turribusq; munitam, & magnificis regiæ ac basilicæ, in qua sedes est Episcopi, duorumq; præterea delubrorum, & aliarũ priuatarum domuum ædificijs exornatam. Regiam quidem Sigismundus rex senior nostra memoria in eam, quę nũc visitur, formam, amplitudinem & splẽdorem redegit. Habet Academiam quoque omnium disciplinarum atque doctrinæ studijs & professione florentem. Olim tamen, quàm nunc honestis disciplinis, & frequentia præceptorum iuxta ac studiosorum florentiorem, cùm principes viri ornamentis patriæ magis fauerent ac studerent, necdum vel Luteranismo infectæ, vel ferro Turcico diuexatæ, & fermè subactæ essent gẽtes finitimæ. Sita est autem vrbs ea non procul à finibus Silesiæ, Vngariç & Russiæ, longitudinis quidem gradu 42. latitudinis verò 50. Secundum hanc sunt haud ignobilia oppida in eadem minore Polonia ac diœcesi Cracouiensi, Lublinum, tricesimo sexto milliario versus ortum æstiuum, longitudinis 45. ferè, latitud. amplius 51. gradu: non spaciosum quidem, sed benè exædificatum, & externarum gentium Christianarum iuxta ac barbararum, emporio nobile: Deinde Sendomiria, Sandecia, Tarnouia, Biezzum siue Becia, Vislicia, Ilcussum & Osuencimum in Silesia. In maiore Polonia Posnania vrbs est, æmula Cracouiæ, quinquaginta milliarijs ab ea distans, longitudinis quidem gradu 39. lat. verò 52. minut. 30. itidem commercijs & emporio Germanorum exculta. Quæ & ipsa Academiam, opera & sumptibus Ioannis Lubrantij episcopi nostra ætate fundatã, sed à successoribus eius neglectam habet. Nunc tamen ea cura & munificentia Episcopi Adami Conarij instauratur. Habet & arcem, & basilicam sedemq; episcopi cum oppidis Srodca & Valisleuo, interlabente Varta flumine disiunctã. Secundum hãc sunt oppida Calissia, Gnesna, vetustate & Archiepiscopi sede basilicaq; nobilis, Vuschouua, quã Freistadiam Germani vocant, Costenum, & Slupcia episcopi. In Russia Leopolis longitud. grad. ferè 46. latitud. 49. sita, quinquagesimo à Cracouia milliario. Vrbs est satis munita, duas arces adiunctas habens, emporio, ciuiumq; elegantia & humanitate florẽs, ac sede alterius Archiepiscopi, & duorum episcoporum, nempe Armenici atque Russici non ignobilis. Sunt etiam oppida Præmislia & Crosna: Quorum Præmislia arce munita, & duobus episcopis, latino siue catholico, & Russico co-

Margin notes: Armeni. — Hebræi. — Polonorum habitandi ratio. — Vrbes Polon. — Cracouiæ descriptio. — Cazimiria. — Stradomia. — Rudaua. — Cleparia. — Arx Cracouien. — Academia Cracouien. — Lublinum. — Posnania. — Adam Conarius episcop. Posnan. — Leopolis. — Præmislia.

Chelma. cohonestata est. Chelma quoq; itidem duos habet Episcopos: sed propter oppidi seu vici immuniti infrequentiam, Tattaricasq; excursiones catholici Episcopi cathedra Crasnostauiam translata est. *Camenecia.* In Podolia Camenecia est, vrbs cum arce, natura loci manuq; permunita, triginta milliarijs bene longis distãs à Leopoli versus ortum hybernum, longitudinis gradu 49. fermè, latitudinis verò 48. minut. 30. Habetq; & ipsa suum Episcopum. *Varsauia.* In Masouia Varsauia est longitud. 43. lat. 52. grad. & minut. 20. pari ferè spacio, hoc est, quadraginta milliarijs à Cracouia & Posnania. Deinde *Ploscum.* Ploscum basilica nobile & episcopo, eiusq; episcopi oppidum Pultouia cum arce, & Lomza. In Cuiauia sunt, Breste, *Vuladislauia* & Vuladislauia sedes & oppidum episcopi, cum arce, quã Stanislaus Carncouius Episcopus nuper splẽdidiorẽ, & magis habitabilem reddidit. In Prussia verò *Gdanum siue Dantiscum.* Gdanum siue Dantiscum, octogesimo fermè à Cracouia milliario, à Posnania verò quadragesimo, à mari vno fermè: longitud. quidem gradu 41. minut. 30. latit. verò 54. minut. 20. vrbs est è tribus oppidis coagmentata, portu, naualibus, & horreis nobilis: copia & varietate mercimoniorum partim maritimorum ex toto occidente & septentrione, partim terrestrium ex diuersis mundi partibus, & fluuiatilium, maximè Vistulæ præterlabẽtis opportunitate abundans, munitione firma, ciuium & conuicinarum industria ac diligẽtia culta. Quæ anno superiori, dum opus hoc primum editur, rebellis facta, virtute & dexteritate fortissimi prudentissimiq; regis Stephani post insignem cladem & diuturnam obsidionem clemẽter in deditionem redacta est. Gdano *Torunia.* proxima dignitate nunc est Torunia, viginti quatuor milliarijs introrsum versus Posnaniam & Cracouiam ab eo distans, & in ripa Vistulæ sita, longit. gra. 41. lat. 32. duobusq; oppidis distincta. Olim emporio & omnibus rebus florentior. Sed Gdani incrementa eam non paruis detrimentis affecêre, & infrequentem reddidêre. Quod ipsa itidem *Culma.* Culmæ pri⁹ vsu venerat: Quæ ciuitas ea dignatione fuit antiquitùs, vt ab ea cætera omnis Prussia, atq; etiam Masouia pleraque ius peteret: Quod inde etiam*Ius Culmense.* num Culmense dicitur. Viguerunt in ea non ita pridem etiam bonarum literarum studia. Nunc ea pro amplitudine sua infrequens est admodum: Cumque superiori tempore in ditione Regia fuisset, nunc paret episcopo: qui inde nomen habet. Tametsi cathedra eius est in oppido Culmesca, vno milliario inde distante. Elbinga etiam Prussiæ *Elbinga.* vrbs est gemina, permunita & copiosa: nisi quod eius quoq; luminibus, vt ita dicam, officiunt, ab altera parte Gdanũ, ab altera Regius mons siue Kœnixberga, vicinæ, & maiore commoditate portuum copiosæ vrbes. Est autem Regius *Regius mõs, siue Kœnixberga.* mons, ducalis Prussiæ caput, tribus oppidis & arce magnifica nostraq; memoria etiam basilica & sede Episcopi Sambiensis insignis: terrestri quidem itinere decem octo milliarium, per Habum verò aliquanto minore interuallo à Gdano distans, long. gradu 43. latitud. 54. minut. 50. Prægola flumen oppida intersecat, & vno fermè milliario infra ea in Habum influit. Minoribus item oppidis frequens est admodum vtraque Prussia, & quidem nec incultis, nec immunitis. In regia, primarium est Marie*Marieburgum.* burgum, cùm ipsum per se mœnibus turribusq; permunitum, tum arce amplissima & munitissima nobile, situm ad Nogatum brachium Vistulæ, sexto ab vrbe Gdano milliario: Propter adiacentis autem insulæ, cuius mentionem supra fecimus, vbertatem glebæ, pagorumq; frequentiam & cultum, copiosum & frequens. Ea verò insula in palustri olim restagnantis Vistulæ solo operibus & præalti ac firmi aggeris obiecta ad vtrunq; fluminis brachium effecta, magno hominum labore non sine periculo ab inundatione defensatur. Maior ea vocatur. Minor autem appella*Minor.*tur, continens ei ad occidentale Leniuucæ latus, & ad Motlauiam Gdanumque pertinens planicies: & ipsa palustris olim. Nunc autem fossarum ductibus exculta & facta compascua. Marieburgo nõ multum vlla recedit Allesberga, siue Heilsberga, episcopi Varmiensis *Heilsberga. Fraumberga.* domiciliũ. Cathedra enim supra Fraumbergam est, quemadmodum superius attigimus. Initio verò, Brunsbergæ ea *Brunsberga.* fuit collocata. Quod ipsum quoq; oppidum geminum, permunitum, frequens & copiosum est, ita vt inter primarias vrbes Prussiæ numerari queat. Quam nuper vir ampliss. Stanislaus Hosius, S. *Stanislaus Hosius Cardinalis.* R. E. Cardinalis & Varmiensis Episcopus vnà cum sacro eius ipsius Ecclesiæ collegio studijs literarum atq; doctrinę nobiliorem reddidit, nobis adiutoribus, & in religione catholica conseruat, collegio religioso eorum hominũ, qui de societate Iesu vocantur, in ea collocato. His oppidis non multum cedunt *Oppida Pruss.* Gutestadia, Allesteinum, Ressa, siue Reselia,

Vormita, Melsacum, Vartemberga, Seburgum in eodē tractu ac diœcesi Varmiensi. In Pomerania, Tucholia, Choinicia, Stargarta siue Starigrodum, Nouum, Gneuū, Dersauia. In reliqua Prussia, Neimarcum, Brodnicia, Stuma, Grudentum, Lubauia, Razinum, & inter hęc interiectum ducale, Quizinum, quod Germani Marieuerder vocant, non ita pridem sedes Pomesaniensis episcopi: Cuius diœcesis insulam quoque maiorem, & Stumense territorium complectebatur. Nunc ea caret episcopo. Hæc omnia oppida & ipsa per se mœnibus cincta sunt, & ferè arces validas & benè exædificatas, sed vetustas, adiunctas habent. In cætera quoque Polonia non infrequentia sunt oppida (aut si vicos appellare malum⁹) pleraque sine vllis mœnibus, nec nisi ligneis ædificijs, præter templa & castella, siue arces adiunctas. Sunt item arces in editioribus locis & rupibus extructæ, nullis adiunctis oppidis: Melstinum, Tencinum, Landiscorona, Ogrodenecia, Lipouecia, Olstinum, Pilcia, Sorstenum, Soben, Ocecium, Visnice. Sunt & monasteria ad munitionem pariter & commoditatem habitatorum exædificata, & vicis pagisve nō longè distantibus frequētata: Tinecense, Mogilense, Miechouiense, Andreouiense, Brescense, Sciriciense, Stananticense, Copriuunicense siue Pocrivunicense, Lyssecense, Cienstochouiense, Vitouiense, Suleouiense, Landense, Lubinense, Ceruenscense Paradisense, Mogilnense, Tremesnense, Sececho uiense, Vangrouecense: & Sarnouicense, Pelplinense, Oliuēse, Zucouiense in Prussia. Pagi plerique omnes ad lacus, riuos, & flumina siti sunt, sparsim dupli ci, vt plurimum, ordine disiectis agrestium domicilijs. In his casæ sunt ligneę vel luteę, humiles; pleręque omnes stramentis, nonnullæ asserculis intectę, pręter prædia domosq; dominorum, quæ ampliores sunt & cultiores. In Prussicis tamen pagis agrestes Germani minus incultè habitāt: Oppidani verò cultius etiam lateritijs ferè domibus interiectu trabium firmatis, & ad omnem cōmoditatem instructis: Quæ tamen pleræque stramentis tectæ sunt: nonnullæ lateritijs tegulis. Vrbes longè sunt cultiores, nisi quòd habent domos angustiores. Cæterę verò Poloniæ vrbes primariæ laxioribus domibus, nec minus cultis habitantur. In quibus cū Germani mercatores superiori ætate lateribus & lapidibus eleganti⁹ ædificare cœpissent, nunc Poloni quoq; eodem studio tenē tur, illosq; superare contendunt: nec in vrbibus modò, sed etiam in villis lautius habitare student, Italorum ferè opificum opera & industria. Hypocaustorū permagnus est vsus maiore parte anni in tota Polonia, præter Cassubiam, & Prussiæ partem quandam: vbi agrestes per hybernum tempus accenso in medio domicilij foco, cum pecudibus, iumentis, ac cæteris animalibus & auibus domesticis in sordibus, fœtore, atq; fumo (licet non desint ampla fumaria) vitam degunt: sicut & in Samogitia, & alijs ad Septentrionē vergentibus regionibus. Quanquam hypocausta quoque, agrestium duntaxat pleraq; fumosa sunt, (vt quæ furnis ad coquendos cibos & panes intus extructis calorem excipiant, & fumarijs magna ex parte careant) Et anserum, anatum, gallinarum que cum pullis suis, ac ouicularū quoque, capellarum, vitellorum ac suculatum, propter hibernū gelu, admissu & receptu sordida. Balnearum item excalfactarum frequens est Polonis vsus æstate iuxtà ac hyeme ad abluenda & leuanda sudore corpora. In quibus mares seorsum lauantū fœminis. Vestium genus neque vnum est, neque certum, aut suum cuique ordini, conditioni, ætati & generi hominum. Exoticis delectantur plurimi. Fœminæ passim cùm alio cultu vario, tum virorū amiculis vtuntur. Quanquā id nouū est. Reticulis tamen, aut lineis velis siue flāmeis eæ capita integūt. Puellæ antiquitus nuda capita sertis aureis, gemmatis vel sericeis, vel floreis, vel herbaceis redimitæ progrediuntur in propatulum: Sed nunc eæ, atque etiam matronæ pileis sericeis, pellibus suffultis, itidem ac mares ferè tectæ incedunt. Victus genti antiquitus vulgo & in plebe, agresti præsertim & vicana, succidia, lactarijs, pisciculis, oleribusq; potissimū cōstat. Nūc multi veruecina quoq;, & vitulina, & bubula carne victitāt: Quarū carniū fora in pagis quoq; apud tēpla & parœcias festis diebus instituūtur. Vrbanis, atq; nobilitati vict⁹ est dapsilior: Et iam lautior etiā, mēsęq; cùm altilibus, tum feris animalibus, auibusq;, & piscibus lautis instructæ: In quibus permagnus est aromatū, neque exiguus saccari & aliorum exoticorum condimentorū vsus: Nec olerib⁹ exquisitis eæ carēt. Nec desunt bellaria, aliæq; lautitiæ cū domi natæ, tum exoticæ. Triticei panis viniq; vsus nō ita pridē inoleuit apud elegantiores. Nunc quidē vtroq; multū

Pomesaniensis episcopa.

Arces Pol.

Monasteria.

Pagi.

Vrbes quales.

Hypocausta.

Balneæ.

Polonorum Vestium.

Victus ratio.

vtitur etiam vulgus in conuiuijs: Vino quoque præſertim in minore Polonia vicina Vngariæ & Morauiæ. Nec obſtat precium. Cęterum ſiliginei panis, & cereuiſiæ promiſcuus eſt vſus in tota Polonia. Fit autem cereuiſia in Pruſſia quidem ex ordeo, in cætera verò Polonia etiam è tritico minutatim molito ſeu confracto, & aqua decocto cum lupulo. Admiſcetur nonnũquam tritico ſiligo, vel ſpelta, vel auena. Mel quoque itidem cum lupulo aqua decoctum in frequenti vſu eſt: Ruſſis præſertim & Podolijs, apud quos permagna eſt apũ & mellis optimi ex dictamo & alijs bene olentibus herbis ac floribus collecti copia. Nec Pruſſis & Maſouijs mel deeſt: Qui & ipſi itidem id decoquunt. Medonem vulgò vocant. Solet autem is condiri Varſauiæ peculiariter ſucco è ceraſis, rubive malis expreſſo, aut aromatibus: & pro ratione condimentorum, Kerſtrangi, Malinici, ac Troinici nomen accipit. Color hominum ferè candidus eſt: capillus flauus, vel magis albicans: ſtatura mediocris, aut mediocrem paulo excedens, habitudo corporum ſucculenta. Niſi quòd fœminis, & maximè puellis nobilioribus, vrbanisque ſtudium eſt, vt ſe reddant curatura iunceas, quemadmodum inquit ille. Alioqui formæ atque teneritudinis non magna ab ijs adhibetur cura. Fucare autem faciem & capillos tingere, indecorum habetur. Sed eſt in viris iuxtà ac fœminis naturalis quędam formæ bonitas, ingenuo rubore tincta. Ingenia Polonorum ſunt aperta & candida, & falli, quàm fallere magis apta: non tã irritabilia, quàm placabilia: minimè proterua aut pertinacia: imò valde tractabilia, ſi commodè ac placidè tractentur. Exemplis autem in primis ij commouentur: & ſunt principibus & magiſtratibus ſuis ſatis morigeri. Ad comitatem, ciuilitatem, benignitatem & hoſpitalitatem prompti, ita vt ignotos & externos non modò libenter ſuſcipiant hoſpitio, ſed etiam inuitent, & omni officio proſequantur: & non modò ad conuictum atq; familiaritatem quorumlibet faciles, verùm etiam ad mores & imitationem eorum, cum quibus viuunt, externorum præſertim, flexibiles. Iuuentutis laxior eſt paulò & neglectior educatio: Sed ea naturæ bonitate compenſatur. Ad Scholas quidem & magiſtros mittere mares liberos, & latinis literis teneram ætatulam imbuere, omnibus, pauperibus iuxtà ac diuitibus, nobilitati ac plebi, oppidanæ præ-

Cereuiſia. *Medo ſiue aqua mulſa.* *Corporum habitudo.* *Terentius.* *Ingenia & mores Pol.* *Hoſpitalitas & ciuilitas Polon.* *Educatio.* *Poloni latinæ linguæ ſtudioſiſsimi.*

ſertim, ſtudium eſt. Multi pœdagogos domi alunt. Itaque ne in medio quidem Latio quis reperiat tam multos vulgò, cum quibus latinè tamen loqui poſſit. Puellæ quoque nobiles & vrbanæ vel domi, vel in monaſterijs vernacula, imò & latina lingua legere & ſcribere diſcunt: Adultiores, puellæ quidẽ reifam. culinariæ pręſertim & pecuarię curandæ, lanificioque ſeu linificio potius, atque textrinæ, & acu pingendi arti manus admouent: Mares verò agriculturæ vel opificio cuipiam, vel mercaturę, vel magiſtratuum & procerum, ſacerdotumúe opulentiorũ miniſterijs & affectationi ſeſe addicunt. Multi domi cum parentibus vitam degunt, eoſque in re familiari curanda ſubleuant, ac decedentibus eis, patresfamilias facti, rem ſuam agunt. Complures libenter peregrinantur, diſpendiorum reifamilias negligentes, egeſtatisque & omnium, quæ peregrinantes conſequuntur, incommodorum tolerantes. Externa enim magis, quàm domeſtica admirantur. Itaque linguas earum gentium, ad quas peruenerint, cupidè & facilè diſcunt. Quin etiam in victu cultuq; corporis, & moribus noui aliquid peregrè afferre ſtudent, indeque elegantiæ laudem quærũt. Quod iã ad opiniones quoque de religione proſerpſit. Sunt autem docilia hominum ingenia, & valent quocunque intenduntur: Sed alienis inuentis perdiſcendis ea magis accommodant, quàm vt noui aliquid ipſi excogitent, & excellere magnoperè vlla re ſtudeant. Id adeò fit, ſiue quod vni alicui arti & ſtudio nõ libenter ſeſe addicunt, ſed multa noſſe cupiunt: ſiue incuria, ſegnitie, laborisque fugitatione, quæ pleriſq; in rebus peculiaris eſt huic gẽti: præſertim quòd homines, ad quorũ vſum ferè liberalia iuxtà ac mechanica ſtudia referũtur, mediocritate contenti, exquiſitã artificum & operũ pręſtantiam non magnoperè requirũt: Seu deniq; quod ditiores ocio, delitijſque ſeſe dedunt, relicta tenuioribus ingenij & induſtriæ exercitatione: Hos verò cùm ſit difficile, vt aït Philoſophus, egentem bene operari, præſidijs vitæ comparandis diſtineri, & alienis nonnunquam ab ingenio ſuo ſtudijs & negocijs implicari neceſſe eſt. Atque vbi, quod ſatis eſt, cõpararint, & ipſi ferme ſuperiorum ſimiles euadũt, vel reifam. tuendę cura, litiumq; anfractibus, vel potentiorũ cõſectatione diſtrahũtur, idq; ſiue ambitionis ſtimulis incitati, ſiue quo ſe ſuosq; certo aliquo præſidio ab alio-

Peregrinationes Polonorum. *Polonorum ſtudia.* *Ariſtoteles.*

aliorum iniurijs & contumelijs vindicent. Nescio enim quomodo fit, vt ad vitæ cõmoda & ornamenta non modò comparanda, sed etiam tuenda non satis præsidij sit, hac nostra præsertim ætate, in solis animi & ingenij bonis, & in legibus ac iure communi. Non tam autem ad artes mechanicas tractandas Poloni apti esse videntur, q̃ ad studia doctrinæ. Nisi fortè illas contempsêre potius, quàm assequi nequiuêre. Externis quidem plerisque opificibus antiquitùs vsi sunt, & vtuntur etiam nunc non paucis. Bonarum literarum atque doctrinæ studia accuratiùs consectantur, in primis ij, qui his præsidijs ex humilitate sordibusque domesticis emergere cupiunt, aut qui sua vel parentum voluntate ad sacerdotium animos adijciunt. Seueriores autem disciplinas ad nostra vsque tempora potissimùm consectati sunt Poloni. Non defuêre nobis sanè superioribus temporibus insignes mathematici, astrologi, dialectici & philosophi, atque etiam theologi, ij præsertim, qui vocantur Scholastici, cùm instituta Cracouiæ ante centum septuaginta annos Academia, magistri eius generis Lutetia Pragaque acciti, admirationi essent vulgo, & primoribus, atque ipsis etiam regibus. Humanitatis & linguarũ eruditarum studia diu neglecta iacuêre: Nec solùm apud maiores nostros, verùm & alibi, fatali quadam temporum conditione. Proinde non erat, vnde nostrates ea discerent post acceptas cũ religione Christiana literas, & cultum vitæ mitioris. Quo factum est, vt illi quoque, qui tunc docti habebantur, & erant, nihil propemodum literis mandarent, nec in publicum sibi edendum esse ducerent, si quid fortè exercitandi sui, aliorumue docendorum causa conscripsissent. Neque sanè expedita erat edendi ratio, cũ careret Polonia typographis. Ita doctorum virorum memoria cum ipsis pariter extincta est. Nũc certè, posteaquam animaduersum est, in precio esse linguarum, eloquentiæ, humanitatisque studia, cupidè ea quoque nostrates amplexi sunt, sed ad vsum ciuilem & vulgarem magis, quàm ad gloriam. Non defuêre tamen nostra hac ætate, neque nunc desunt, cùm in studijs humanitatis & eloquentiæ, tum in omni genere doctrinæ magni quidam & excellentes viri, qui cùm commoda vitæ honestissimis disciplinis, & gloriæ, siue vtilitati publicæ posthabuissent, eò euaserũt, vt admirationi sint, si nõ suis, certè exter-

Doctrinæ studia.

Academia Cracouien.

Eruditio.

nis, incorruptiùs iudicantibus. Sed eos recensere nunc necesse non est. Nec medicinam posthabent, posteaquam ea vulgatis delicatiore & laxiore victus ratione morbis, in precio esse cœpit. In alijs minus elaborant, propterea quòd minus ea conducere videntur ad commoda & ornamenta vitæ comparanda. Non est enim nouũ, plurimos mortales hunc finem studijs laboribusque suis statuere, patresque similes illius habere, de quo canit poëta quidam: Sæpè pater dixit, Studium quid inutile tẽtas? Rem porrò familiarem diligentius curare non ita pridem, & eodem prope tempore, quo bellorum incommodis vacui, luxum, splendoremque consectari cœpimus. Sed in ea minor est vulgo parta tuendi ac dispensandi, quàm acquirẽdi diligentia. Maiores quidem nostri comparandis diuitijs non magnopere incubuêre, satis habentes, sine magna cura & labore, vnde in diem propemodum, si non lautè, non durè quidem certè, nec parcè cum suis viuerent. Itaque tranquilliores tunc res domi erant. Minus appetebatur alienum: Minus erat litium: Minus iurgiorum atque cędium: Minus fraudium & periuriorum. Maior autem erat fratrũ & agnatorum, cognatorum affiniumque inter ipsos concordia, & beneuolentia. Maior non modò parentum, sed etiam quorumuis natu grandiorum reuerentia. Perrara finium regundorum iudicia. Herciscundæ verò familię nulla propemodum. Cęterorum enim cognatorum, aut vicinorum natu maiorum interuentu & intercessione componebatur, si quid vlla de re exortum erat controuersiæ, quod ipsi inter se vicini vel necessarij transigere familiariter nequiuissent. Res militaris quoniam cùm instituto gentis, tum temporum quadam conditione in honore fuit superioribus atque adeò omnibus ferè seculis, extitêre multi virtute bellica præstantes viri, maximè nostra memoria, non ita pridem extincti. Et quamuis in diuturna pace & ocio, extant etiamnunc nonnulli. Nec emarcuit vulgò in Polonis vigor ille animorum, laudisque bellicæ studium, si qua se vsquã offerat idonea virtutis exerendæ occasio. Meditationem & exercitationem viri sapientes requirunt. Idque ideò fortasse, quia desunt virtuti sua præmia; & quod ignauo ocio & conuiuijs plusculum indulgetur. Ad hæc autem, & festas epulas conueniunt plerunque vicini & necessarij inter se ad vnum ali-

Ouidius.

Rei familiaris cura.

Temporum diuersa ratio.

Controuersiarum transactiones.

Rei militaris studium.

Conuiuia.

liquem viri soli, vel pariter cum fœminis. Nec turpe habetur, puellas quoque interesse, & earum colloquia, cōuiuia, choreasq; à iuuenibus frequētari, parentibus earū cognatisve natu maioribus præsentibus: Atq; ita plurima concilian tur matrimonia. Nec rarò in eiusmodi conuiuijs simultates & inimicitiæ abolentur, & vel dissolutæ, vel nutantes amicitiæ redintegrantur. Quanquā intēperantioribus compotationibus interdum cruentæ quoq; pugnæ inter conuiuas amicos & necessarios accēduntur, iurgijs plerunque inter viliora seruitia coortis. Potantibus enim dominis, nec illa à poculis arcentur. Quin illiberalis conuiuator habetur, cui curæ non est, vt seruitia conuiuarū benè pasta ac pota sint. Quo fertiliores enim sunt hæ regiones, eò magis indulgēt homines vulgò crapulæ prolixioribusq; conuiuijs, & compotationibus, ita vt multi eū solum ducant fructum laborum atq; diuitiarum suarum. Vigent autem passim inter mares compotationes ad æquales haustus non solùm in conuiuijs, verùm etiam in cauponis, ad quas vulgus compotādi causa conuenire solet: Eoq; prouecta est hæc licētia, vt quod ꝓfestis diebus partum est, festo die potando ferè prodigatur. Atq; inde fit, proserpente potandi etiam profestis diebus & ocij consuetudine, & inertia, vt angustiore re familiari vtantur multi: præsertim cū nemini curæ sit, quid priuatus quisque gerat negotij, vnde & quomodo sese sustentet: & fructuosa sit autem dominis & magistratibus illa potandi licētia. Etenim non exigua & tributorū & & vectigalium publicorum iuxtà ac priuatorū portio è cauponis corrogatur. Exolescit tamen sensim apud honoratiores illa ad æquales haustus potandi cōsuetudo, eorum studio, qui apud eas gētes, quę humanitatem studiosius colūt, peregrinati sunt. Sed lautitia in victu potuque magis ac magis indies inolescit. In cultu quoque corporis, vestiumque numero, varietate, ac precio maior luxus existit. Nec solùm exoticis pannis & pellibus, verùm etiam serico, & purpura vestiri, & argento, auro, margaritis, gemmis exornari mos inoleuit, inferioribus quibusque prǽstantium genere, honore, vel facultatibus exempla cupidè amplectentibus, nullis autem legibus sumptuarijs modum in victu cultuque corporis cuiquam ordini aut homini præscribentibus.

Compotationum commoda & incommoda.

Luxus Polonorum.

Aequales haustus.

Quo planiora autem & absolutiora sint omnia, quæ de gente Polona persequimur, ordines & genera hominum describamus: Quæ descriptio reipublicæ quoque fundamenta cōtinebit. Distinguitur populus Polonus partim genere, partim ex religione sumpto vitæ instituto. Ac genere quidem in equestrem ordinem siue nobilitatem, atque plebem distribuitur: Religionis autem institutio in sacrum & profanum ordinem. Liceat autem nobis eum, qui fanorum atque sacrorum administrationem non habet, profanum appellare, vulgò ecclesiasticum & laicum, vel spiritualem & secularem statum & ordinem vocitant. De his posterius: Nunc de nobilitate & plebe. Nobilitas Polona ad regimen atque defensionem cæteræ multitudinis regionisque segregata est. Atq; inde qui sunt huius ordinis, antiquitus milites, nunc equites ferè ab equestri militia cui sunt obnoxij, à latinè loquentibus & scribentibus appellātur: Vernacula autē lingua Schliachta, à generis nobilitate, mutuato, nisi fallor, à Germanis vocabulo, (quasi **geschlechter**) vocantur, & Ziemianie, quasi agrarij, vel, vt vulgò interpretantur terrigenæ, à terra & agris, quos ferè colunt & habitant antiquitus, hæreditarios, preciòve, seu principis beneficio partos. Habet autem nobilitas multas & magnas prærogatiuas, quæ partim regum & principū munificentia firmatæ sunt, partim moribus & institutis inualuêre: Quæ magna ex parte sparsim opportunis locis huic, & historico operi à nobis insertæ sunt. Regi quidem ea soli ferè subiecta est. Iudicatur tamen ad præscriptum legum & à magistratibus regni & regijs, quemadmodum posteriore libro ostendemus. E cęteris, priuatis pręsertim, nemo nobilitatem cum agris & pagis subiectā habet, nisi fortè in Russia antiquitus, & prisco ducum gentis iure. Habet etiam Cracouiensis Episcopus in Seueriensi ditione: Habet & Varmiensis, eiusque ipsius Ecclesię collegium: Quin & Plocensis Præpositus: Et alij fortasse. Licet tamen homini nobili siue equiti scultetiam, vt vulgò vocant, siue aduocatiam, in bonis alienis paganis iuxtà ac oppidanis voluntate domini obtinere: (De Scultetijs autem & Aduocatijs posteriore libro dicemus) Licet etiam priuati conditione in vrbem vel oppidum cuiuslibet commigrare, saluis personæ suæ prærogatiuis, nisi is decus nobilitatis amittat. Nobilitas porrò genere censetur, & meritis, adiuncto vitæ instituto. Habentur enim nobiles, quorum maiores

Ordines & statum hominum.

Profanus.

Nobilitas.

Milites & equites.

Ziemianie Terrigenæ.

Nobilitatis prærogatiuæ.

res aut parentes virtutis ergò in eum ordinem allecti, militiæque adscripti, & gentilicio signo donati sunt, quiue ipsi hęc meruêre virtute sua. Sed præstabilius habetur, nobilē natum esse, quàm factum. Nasci autem nobilem patre simul & matre nobilibus oportet legitimo coniunctis matrimonio. Quanquā nec plebeia mater liberorum nobilitatem minuit, dummodo pater sit nobilis. Nothi quamuis nobilibus & illustribus orti, non censentur in familijs, neque nobilitatis prærogatiuis fruuntur. Conferendi porrò huius decoris, hoc est, nobilitatis, potestatem solus habet princeps: Idque vel suo ipsius iudicio & beneficio facit, vel interueniente testimonio, & quasi adoptione clarorum & principum alicuius familiæ virorum, stemma & gentem suā cum eo, qui ita creatur nobilis, communicantium. Eiusmodi tamen creatis nobilibus obtinere & possidere bona terrestria statuto quodam nouo non licet. Sed posteritas eorū pari cum alijs natis equitibus iure esse incipit. Amittitur porrò nobilitas decreto principis, ob admissum dedecus, & atrox aliquod facinus. Contaminatur etiam, & abdicatur quodammodo, si quis desertis militię & agriculturę studijs, sordidum quæstum faciat arte mechanica, vel tenuiore, & minutioribus mensuris ac ponderibus vtente mercatura, & cauponatione. Est autem pari dignatione Polonica omnis nobilitas: Nec est vllum in ea patritiorum comitumue discrimen, exæquata quodam tempore omnium conditione. Nuper adeò paucis quibusdam, parē tum, vel ipsorummet amplitudine atque meritis, & principum beneficio Comitum decus denuo partum est. Ducū, qui peculiares haberent dominatus vel territoria, nunquam aliud genus fuit apud Polonos, quàm id, quod à Boleslao Kriuousto principe propagatum fuit, cùm is principatum inter liberos diuisisset. Verùm id iam defecit. Russi habuerunt antiquitus suos duces, habentq; etiamnū ij, qui dudum Lituanicæ ditionis fuêre, aut sunt etiamnū, & Volynij. Neque enim subactis, vel in deditionē acceptis ea prærogatiua adempta fuit. De Prussorum & Curoniensium ducibus pòst attingemus. Multæ sunt autem nobilitatis Polonæ gentes, & quasi tribus, non locis, & regionibus, verùm signis quibusdam gentilitijs, quæ arma & insignia vocant, eorumq; appellationibus distinctæ, quæ singulæ rursus multas stirpes & familias cognominibus & agnationibus distinctas complectuntur. Verbi gratia, Leliuiorum gens, cuius signum est, noua luna supernè stellam inter cornua continens in cælestino scuto, Tarnouiam, Pileciam, Melstiniā, & alias nonnullas honestas & amplas familias comprehendit. Signa verò gentilitia, siue insignia partim à rebus, quarum sunt notæ, quemadmodum Topororum ab ascia, partim ab euētu, vt Ielitiorum à visceribus transfixis appellationem habent: Plurimorum ratio obscura est. Nisi fortè à primis conditoribus gentium ea sumpta sunt. Neque enim olim, vt nunc, ab arcibus, villis & pagis, quibus dominabantur equites: Sed vndelibet sumpta aut indita nomina, ad longam posteritatē, amisso etiam vel commutato patrimonio, rectè transmittebant. Qualia supersunt etiamnunc multa cùm alibi, tum in Submontano & Siriciensi tractu, & in Russia. Vt sunt Herborth, Dunin, Iordan, Gladis, Pieniañscus, Pirschala, Omita, Farureius, & alia eiusdem generis. Nunc malunt plerique de arcium, oppidorum & pagorum nominibus deflexa paululum per denominationem inski siue ki voce appellari. Ea verò deflexio vel adiectio syllabæ à latinè loquentibus & scribentibus in ius commutatur, ita vt à Choina Choinski, & pro eo latinè Choiniꝰ, à Crasne Crasinski, & pro eo Crasinius, à Lasco Laski appelletur: Cęterùm pro eo non Lascius, sed Lascus dicitur. Quod nos in historia secuti sumus, perspicuitati orationis & externorum auribus inseruiētes. Idem veteres historicos græcos & latinos in barbaris nominibus factitasse animaduertimus. Interdum autem sine hac deflexione vel adiectione, arcis vel oppidi, vel pagi nomen, vnde quisque ortus, vel cuius dominus est, cum præpositione de, vel à, vel ab, vel in, cognominis loco vsurpatur, à magnatibꝰ præsertim & clarioribus: ita vt verbi gratia, in Tencin, vel à Gorca, vel de Felstein, quis appelletur. Obseruaturque in his vulgò discrimen quoddam, non magis à Polonis quàm à Germanis & Boëmis: qui itidem vtuntur huiuscemodi appellationibus. In enim præpositionem ijs fere attribuūt, qui domini sunt locorū: cæteras etiam ijs, qui inde duntaxat orti vel oriundi sunt, etiamsi ibi non habeant, vbi pedem figant. Gentilitiorū autem signorum, quæ quidem quęrendo inuestigare potuimus, appellationes hæ sunt: In quibus enumerandis ordinem primarum literarum & ver-

Nothi. *Nobilitas à quo, & quo modo conferatur.* *Nobilitatis amissio.* *Nobilitas æqualis.* *Comites.* *Duces.* *Gentes & familiæ nobiles vnde appellatæ sunt.* *Cognomina nobilitatis vnde & qualia.* *Signa siue insignia nobilitatis Polonia.*

naculæ linguæ ſonum ſeruabimus. Abram ſiue Valdorff: Amadei: Bialina: Biberſtein: Bodulia: Bogoria: Boitza: Brog: Bozeſtado: Buincia, ſiue Buincza: Byliny: Cioleke: Copaczina: Coumia: Cielantcouia: Coruitz ſiue Bies: Choleua: Cotfitz: Corab: Corciak ſiue Corczak: Dābroua: Dambroua altera: Dembno: Doliua: Dolenga: Drzeuizca. Druzina: Drija: Dzialoſſa: Godzciemba: Goſdoua: Grabia: Griph, quod & Suieboda: Gryzima: Grzimala: Habdanc: Herburthova: Helm: Ianina: Iaſtrzembiec: Ielita, ſiue Koſlarogi: Iednorozec: Iunoſſa: Korſboc: Kerdei: Labentz: Lariſſa: Leliua: Liada: Leuart ſiue Leopardus: Lodzia: Lzauia: Lis, quod & Murza: Mozela: Morskicot: Mandroſtca: Nalencz: Nieſobia: Nieczuia: Nouina: Oliua: Oſmarog: Odrouvāz: Oſtoia: Orlia: Olobog: Ouada: Oxa: Pilaua: Pirzchala: Poualia ſiue Ogon: Poboze: Pogonia: Polucoſia: Pravuda: Pomiā: Przeginia: Prus: Prus alterum: quod & Nauilki: Proſnia: Raua: Raduan: Roza: Rogala: Ruchaba: Rolia: Scheliga: Slepouuron: Socolia: Seruicaptur: Schilde: Staricon: Starza: quod & Oſſoria: Strzemien: Strzegomia: Sternberg: Srenaua: Sulima: Svvirczek: Sirocomlia: Schumberg ſiue Cotfitza: Svuinca: Tarnaua: Topor: Topacz: Trzaski: Trامby: Varnia: Vieniaua: Vvczelie: Vieruſſoua: Venzik: Vadvua: Vierzinkova: Zabava: Zadora ſiue Plomien: Zagrobia: Duorum nomina nō tenemus, Ea ſunt albæ aquilæ anterior pars dimidia à capite cauda tenus, erecta, cum duabus ſtellis à tergo: Et quinque roſæ albæ in quincuncem collocatæ. Vnde, ſimul & ex gente Iaſtrzembecia ego maternum genus duco: Pater verò meus è Pirzchalia & Oſmarogia. Nihil autem vetat his noſtrum quoque adiungere, quo me vnà cum fratribus meis, & omni poſteritate noſtra optimus Rex Sigiſmundus Auguſtus ornauit, dimidiam aquilam pectore tenus, naturali colore, extenſis alis, laurea corolla circum collum redimitam in rubro ſcuto impartitus. Cui Ferdinandus Romanus Imperator electus immortali memoria digniſſimus, cùm legatione apud eum eiuſdem regis nomine in ſeptimum annum fungerer, gentilitium Auſtriacæ familiæ ſuæ ſtēma, rubram in albo ſcuto teniam per tranſuerſum ductā ſubdidit, & duo nigræ Imperialis aquilæ capita galeæ coronatæ ſuperpoſuit. Cur autem minus liceat cuipiam à ſe parto, quàm ab alijs relicto decore gaudere? Et hactenus quidem de nominibus gentium Polonæ nobilitatis nobis dictum ſit. Signa, origines, familiaſque deſcribere, longum & operoſum eſſet, ne dicam infinitum.

Authoris Stēmata & inſignia.

Nobilitatis habitandi & viuēdi ratio.

Antiquitus ſparſim nobilitas in agris habitat, in ſua quiſque villa, vel caſtello, vel arce, rem familiarem operis & laboribus adſcriptitiorum ſuorum vel mercenariorum curās, & agricultura, gregum, armentorum, & apiariorum fructu, itemque venatione & aucupio non modò ſuſtentans ſeſe cum domeſticis ſuis familijs, verùm etiam honeſtas diuitias comparans vendendis ijs, quæ ſuperſunt vſui domeſtico, quæque deſunt inde viciſſim comparādis.

Fœminarum ſtudia.

Matres autem familias, & puellæ nobiles lanificium, & linum, canabumque, & rem pecuariam tractantes non dedecet vendere ea, quæ ex huiuſmodi re familiari & fructibus eius ſuperſunt vſui domeſtico. Quin & culinæ curam eæ gerunt, exceptis illuſtrioribus & ſenatorijs, quæ hæc pleraque dedignantur, aut pediſſequarum opera peragunt. Iter facientes, fœminæ quidem carpentis, vehiculis, aut curribus vehuntur: Mares verò vel ijſdem, vel equis potius: pedeſtrem incedere per viam, longiorem præſertim, minus honorificum vulgò habetur: niſi paupertas neceſſitatem imponat. Iam autem lautiores & elegantiores de nobilitate in vrbibus domicilia figere, villis & ruſticis prædijs relictis, incipiunt.

Comitatus.

Prodeuntem in publicum nobilem virum iuxtà ac fœminam aſſeclis maribus, fœminam verò etiam puellis pediſſequis ſtipari, honorificum habetur. Et in eum vſum alit quiſque domi ſuæ famulitium pro modo facultatum: idque ſimili figura & colore veſtium, non ſine ſumptu & luxu veſtiri vſitatum eſt. Aluntur & equi complures. Equitantem enim aut vehentem herum famuli honoratiores non niſi per vrbem, vel ad ſuburbana pedeſtres affectantur. Ac Senatores quidem primarij pedeſtres iuxtà ac equeſtres, medij ferè inter aſſeclas mares incedunt, honoratioribus antecedentibus, cætera verò turba cum pueris ſubſequēte. In cætera nobilitate aſſeclæ omnes heros ſequuntur. Matronas autē & puellas nobiles mares quidē antecedunt, fœminę ſubſequūtur, pręter filias, & quę in filiarū loco habētur, & ſorores puellas, quæ ſecundū anteambulones proximè matrē vel ſororē præcedunt.

Famuli & pediſſequæ.

Spectatur aūt in famulis & pediſſe-

quis

quis cũ vsus ad ministeria, tum statura, forma, elegantia & genus. Nec deest copia equestrium ac nobilium iuuenum, qui vel studio ciuilitatis, prudentiæque vsu rerum comparandæ incitati, vel tenuitate fortunarum adacti, vel prȩsidij contra vim potentiorum sibi suisque comparandi causa, non modò in magnatum & episcoporum, sacerdotumq; ac doctorum clientelas, verùm etiam in parium, ac tenuiorum inferiorumq; nonnunquam, eorum præsertim, qui magistratus gerunt, aut aliquo sunt numero in aula principis, aut opibus, industria, eruditione, gratiave populari valent, affectationem & ministerium parua, vel nullo mercede à parentibus & propinquis traduntur, vel ipsi sese addicunt. Duratque ea seruitus, quoad vtrique, hero, inquam, & seruo siue clienti placet. Multi etiam de ditioribus necessariorum & amicorũ liberos pio quodam & honesto iuuentutis educandæ studio vltrò sibi in familiaritatem & ministerium adsciscunt. Ad eundẽ modum & fœminæ fœminis famulantur. Nec pudendum aut dedecori affine est genus hoc seruitutis, sed liberale & sociabile: Nec rara est in eo vicissitudo, ita vt eum quis habeat in ministerio, cuius parentibus ipse seruiuerit: Honestaque habetur hæc iuuentutis equestris educandȩ ratio, æquabilitatẽ quandam etiam in æqualibus fortunis continẽs: Et multos ex humili loco ac tenui fortuna non modò ad mediocres, verùm etiam ad summos nonnunquam honores, amplissimasq; facultates & opes ipsorum virtus, herorumque beneficentia prouehit: idque maximè cõciliandis luculentis coniugijs, vel sacerdotijs. Honestatis magna semper à nobilitate ratio habita est. Fraudem facere, promissum fallere, peierare, mentiri, probrosum & infame semper habitũ est, atq; etiamnunc habetur, quamuis in maiore, quàm olim, habendi studio & licẽtia. Quòd si quid eiuscemodi in probri loco cuiquam objiciatur, præsertim ab eiusdem ordinis viro, non tam legibus & magistratuum iudicio & authoritate, quàm ferro manuq; vindicatur. Dissimulare quidem probrosum habetur. Loci tamen ratio ducitur. Plebeis minor est cura dignitatis, atq; pompoſę ambitionis, excœptis vrbanis fœminis, quæ & ipsæ bene cultæ, & vna aut altera pedissequa comitatæ incedere student: Vita autem laboriosior & solicitior tam mulierum, quàm virorum, nullo ferè sexus discrimine, nisi qđ fœminæ opificia non exercẽt, neq; vecturam, neq; negociandi gratia peregrinãtur. Vicina tamen oppida intra fines regni adeunt, domiq; negociãtur. In iudicio stãdi ius nõ habent. In plebe aũt numerãtur, quicũque nobiles siue equites non sunt, siue sint agricolæ, olitores, apiarij & pecuarij, siue opifices & operarij, siue caupones, propolæ, vectores, & mercatores, & siue in agris, quemadmodũ superius attigimus, pagis, atq; vicis vitã degãt, siue in oppidis & vrbibus. Ac vrbes quidem & oppida à mercatoribus, opificibus, & propolis habitantur. Vici autem & pagi, & suburbana prȩdia ab aratoribus, olitorib⁹, pecuarijs & apiarijs. Caupones verò, molitores, operarij, vectores, iumentorumq; locatores, vtrobiq; sunt. Sunt autem aliquanto meliore & liberiore conditione vrbani & oppidani, q̃ agrestes. Ac censum quidem annuũ vtriq; dominis suis pensitant, verũ agrestes & vicani pleriq; oẽs, operas pretereà gratuitas ad colendos eorum agros, & alios vsus domesticos, nõ solũ manuarias, verùm etiam cum iumẽtis ipsi, per se, vel per mercenarios & operarios suos præstant. Nec aliò cuiquam commigrare inconsulto domino licet: ita vt videantur esse glebæ adscriptitij, nec multum à seruis differant, præsertim vt nunc sunt tẽpora. Cmiecie seu Cmetones vulgò vocantur. His autem deteriore conditione sunt hortulani, qui hortos colunt. Vtrique Chlopi appellantur: Quam appellationẽ, velut probrosam, non fert nobilitas. Habent sanè in eos domini vitæ necisque potestatem: præter eos, qui ab ineunte ætate literarum studijs, sacrorumque ministerio sese addixerunt. In plebe vrbana non desunt, qui rem lautiorem per famulos & vicarios administrantes, ipsi ocio, honestioribus studijs, vel delitijs vacant. Multi lautius & sumptuosius victitant: Atque inde crescunt rerum precia, & non pauci ex ijs ad egestatem rediguntur. Et hactenus quidem de nobilitate & plebe. Iam de sacro siue ecclesiastico ordine. Quod vt planiùs fiat, de religionibus prius pauca attingamus. Christianam religionem Polona gens, abiecto semel impio dæmonum cultu, sexcentis amplius annis constanter retinet, religioseque colit, hæreticarum nouationum insolens & impatiens ante nostram ætatẽ. Nuper adeò nostra memoria Lutherana primũ, mox etiã Berẽgariana seu Caluiniana labes à mercatorib⁹ & bonarũ literarũ studiosis iuuenibus, leuitate animorũ & curioso studio

Margin notes: *Nobilitatis studia.* — *Plebs.* — *Plebeij qui.* — *Vrbanorum & agrestium discrimen.* — *Cmetones.* — *Chlopi.* — *Religio & pietas Polonorum.* — *Hæreses in Polonia.*

dio nouitatis inductis peregrè inuecta, multorum animos infecit. Quod olim etiam de Hussitica & Vicleſica extremis Vuladiſlai Iagellonis regis, & primis filiorum eius Vuladiſlai, & Cazimiri temporibus (cùm horum iuxtà ac illius ætas contemneretur) vſu venire cœperat. Sed principum & epiſcoporum virtute, authoritate, ſtudio, ac diligentia, cæterorumque procerum pietate, grauitate, & constantia malum altius radices agere permiſſum non eſt. Itaq; retinuerunt ij tunc cum priſca religione etiam dignitatem authoritatemque ſuam, & rempub. Quæ qui nunc viuũt, vtinam poſteris etiam ſuis relinquant. Iam autem non ſolùm illæ, quas dudum memoraui, verùm etiam Picardorum, Anabaptiſtarum, Arianorum, Pnuematomachorũ, Trideitarũ, Photinianorum, Ebionitarum, Recutitorum, & neſcio quæ non peſtes, proh nefas, Poloniam, laxatis ſemel licẽtiæ habenis, agminatim inuadunt, & prætextu, ſeu veriùs abuſu libertatis, præeuntibus nonnullis de nobilitate, ſibi quiſque religionis magiſter, atque adeò rex & lex eſſe incipit. Sed hæc alibi prolixius deplorauimus. Pruſſi aliquanto poſterius Chriſto nomina dedêre: Citius autem & cupidius Lutheranum dogma amplexi ſunt, vrbani præſertim, & qui ſunt Germanici ſanguinis, propter mercatorum & opificum Germanorũ frequentiam & commercia, & lectionem librorum importatorum è Germania. Quum enim ea colluuies hominũ quaſi ad pileum vocata, ſemel eccleſiaſticæ diſciplinæ iugum excuſſiſſet, à magiſtratibus ſiue timore, ſiue peruerſa animi inductione, & ob iuſiurãdum præceptoribus ſuis in Germania datũ, eodem inclinatis, imò redemptis etiam, non modò non repreſſa eſt, ſed magis etiam confirmatur & incitatur. Multi tamen adhuc pia maiorum inſtituta retinent, præſertim vbi magiſtratus officium ſuum faciunt, alienum non vſurpant. Maſouij tenaciores antiquæ religionis & pietatis, à profanis nouationibus fermè abhorrent. Abhorrent etiam Ruſſi. Græcos autem hi ſequuntur, quos ab initio religionis magiſtros habuêre, & cum ijs à nobis, hoc eſt, à Romanæ & catholicæ eccleſiæ conſenſu ſeſe per ſacrilegum ſchiſma præcidunt tanta pertinacia, vt nihil commune habere velint cum latinis. Sic enim nos appellant, qui in cultu diuino publicè latina lingua vtimur, & cũ ſapientiſſ. & ſanctiſſ. maioribus ipſorum Græcorum iuxtà ac noſtris ſummam Romani pontificis dignitatem & authoritatẽ in vniuerſo Chriſtianorum populorum cœtu agnoſcimus. Nec in multis præterea à nobis ij diſſentiunt: & quidem ritibus & inſtitutis eccleſiaſticis magis, quàm dogmatibus religionis. Vulgant autem diuortia, quamuis leui de cauſa. Plurimi tamen ex ijs, ex quo tempore Polonorum ditione tenentur, ad nos & Romanæ eccleſiæ ſocietatem & inſtituta tranſierunt, eodemque cum cęteris Polonis iure ſunt. Armeni oppida quædam Ruſſiæ Podoliæq; incolentes, ſuis & ipſi ritibus ſuaque lingua in ſacris vtuntur. Non abhorrent ij tamen, ſicut accepim⁹, à Romana eccleſia & Rom. pontifice: Quin principatum eius in vniuerſa Chriſti eccleſia agnoſcunt. Hebræi verò, quibus aliunde pulſis, Ruſſię & Lituaniæ, ac totius ferè Poloniæ oppida referta ſũt, ſuã retinẽt religionẽ: niſi fortè ſuperſtitio vel impietas ea potiùs dici debet. Feruntur etiam Tattari Ceremiſſi in vno aut altero oppido Podolię ſuis vti ritibus & impietate Mahometana, quemadmodũ & Lituanici. Quorum in delubro apud Trocos nihil præter pileum turbinatum, qualibus vulgo ea gens vtitur, in ſuggeſto editiore poſitum ante multos annos aſpeximus. Sed mittamus barbaros incolas, cum falſis ſuis religionibus, & ad inſtitutum noſtrum reuertamur. Tam apud Ruſſos igitur, & Armenos, quàm apud Polonos, qui Chriſti Dei, ac magiſtri inſtitutis conuenienter pietatem colunt antiquitus, certus eſt ordo eorum hominum, qui religioni ſacriſque peculiariter moderantur & inſeruiunt, non genere, ſed eorum, penes quos eius rei poteſtas eſt antiquitus, & iam inde ab temporibus apoſtolicis (Epiſcoporum inquam) authoritate, ſegregatione, & initiatione ſiue conſecratione à cætera omni multitudine diſtinctus: quem ſacrum & eccleſiaſticum & ſpiritualem dici ſupra memorauimus. In quo non modò epiſcopi & ſacerdotes, verùm etiam cæteri ſacrorum adminiſtri, & monachi monacheque cẽſentur, è plebeio iuxtà ac equeſtri ordine allecti. Vtriſq; enim antiquitus tam inde ab initio patuit aditus ad hunc ordinem. Patrum demum, aut auorum noſtrorum memoria ab epiſcopalibus non tã functionib⁹, quàm ſedib⁹, & primarijs quarundam opulentiorum baſilicarum, ſiue eccleſiarum, vt vulgò vocant, cathedralium honoribus, quæ prælaturæ & canonicatus dicuntur, plebei (theologis,

Pruſſorum religio. *Maſouiorũ pietas.* *Ruſſorum religio & ſchiſma.* *Latini.* *Armeni.* *Iudæi.* *Tattari.* *Sacer & eccleſiaſticus ordo.* *Plebei arcentur à nonnullis honoribus & eccleſiaſticis.*

logis, iureconsultis, & medicis aliquot exceptis) excludi cœpêre. Quod iamad Abbatias quoque & monasteria (vbi ex professo mundana omnia abdicantur) inducitur. Secernitur etiam sacer ordo vestitu & cultu corporis à cætera multitudine: Sed & inter se non modò à cæteris sacerdotibus episcopi, & ab vtrisque monachi, verùm etiam ipsæ inter se monachorum & monacharum sectę partim figura, partim colore vestium, partim toto vitæ instituto distinguuntur. Quæ quoniam communia sunt Polonis cum cæteris Christianis populis, persequi hîc prolixius necesse non est. Proinde distinctis ordinibus, reliquam reifam. Polonicæ rationem paucis concludamus. In magna rerum omnium copia, vt fit, maior aliquanto fuit superioribus temporibus, quàm nunc est, argenti & auri, reique numariæ penuria, præsertim cùm auri & argenti metalla nulla extarent, & minus nota essent nostris maioribus transmarina mercimonia. Neque proprium habebant numum Poloni, sed externis & maximè Boëmicis vsi sunt aliquandiu. Cœpit deinde ante ducentos, ni fallor, annos à Cazimiro magno rege æs & argentum signari ad exemplum Boëmorum. Aureos verò numos primus omnium Sigismundi Augusti pater nostra memoria signauit, bonitate & pondere Vngaricorum. Tametsi Alexandri quoq; fratris eius aureum numum vidimus. Sic autem creuit iam auri precium, vt propè duplo carior nũc sit aureus numus, quàm fuit auorum nostrorum memoria. Id adeò, partim propter luxum, & crebriorem auri vsum, exportationemque ad exteros, partim quia deterior nunc esse fertur reliqua moneta, cùm ponderis diminutione, tum æris admixtione. Est autem ea multiplex. Ac grossus quidem argenteum numisma est cum admixto ære, olim vicesima octaua, nunc, quinquagesima secunda vel tertia, imò iam quarta & quinta pars aurei Vngarici, sexagenæ siue copæ sexagesima, marcæ quadragesima octaua, floreni tricesima, fertonis duodecima, scoti verò dimidia. Sic vulgò dicuntur pondera siue genera, quibus pecuniam numeramus & computamus. Sunt & minores grosso numi. Medians quidem grossi dimidium, nona ferè parte superans cruciatum Germanicum, sed iam exæquatus. Solidus tertia pars grossi, ternarius sexta, obolus verò decima octaua. Atque hi quidem nunc ærei sunt inalbati: Superiori tempore

Sacri ordinis distinctio. *Res numaria.* *Moneta.* *Aureus.* *Grossus.* *Copa.* *Marca.* *Florenus.* *Ferto.* *Scotus.* *Medians.* *Solidus.* *Ternarius.* *Obolus.*

habuerunt admixtum argentum, vt etiamnunc habent grossi & mediantes. Argentei verò sunt trigrossus ac segrossus, hic quidem sex, ille verò tribus grossis æstimatione par. Vtrumque primus signauit Rex Sigismundus senior, sed iam pauci extant: Exportantur enim, & conflantur ab auaris Iudæis, mercatoribus, & argentarijs apud gentes finitimas. Permagnus est autem etiamnunc apud nos vsus externę monetæ, quę pro mercibus vndelibet importatur. Magna sunt enim nunc, si vnquam aliàs, Polonis variarum rerum cum cæteris gentibus commercia: Quanquam commutatione mercium permulta peraguntur. Exportantur autem in primis, siligo, triticum, ordeum, auena, & alia legumina, linum, lupulus, coria boum, sebum, alutæ, mel, cera, succinum, pix, cinis, mali, asseres, cæteraque materies fabricandis nauibus, & ornandis domibus apta: Cereuisia quoq;, & herba quædã tingendis lanæ & serico idonea. Iam verò & boum, veruecum, & equorum permagna vis non modò finitimis, verùm etiam remotioribus populis suppeditatur. Ac equi partim propter pernicitatem, & laboris, incommodorumq; tolerantiam, partim propter molliorem incessum à remotioribus etiam populis expetuntur. Importantur autem vicissim aliundè panni non modò serici & aurei, sed etiam lanei lineiq; subtiliores, aulæa, tapetes, & alia parietum, equorum, & hominum ornamenta, quorum opificia minus exquisita sunt apud Polonos, licet non desit materia, & alijs gentibus suppeditetur. Margaritæ item, & gemmæ, & pelles sabellinæ, pantherinæ, siue lupiceruariæ, hermellinæ, mardurinæ, murium ponticorum, vulpinæ, lupinæ, vrsinæ, & aliarum ferarum, quarum maiorem copiam producunt interiores Septentrionis Orientisque syluæ. Husiones quoque siue Mariani, & haleces, & alia salsamenta, & vento vel sole durati pisces marini. Ad hæc argentum, æs, orichalcum, & chalybs cùm facta, tum infecta. Boum etiam copiam auget vber pascuis Valachia, siue Moldauia, & Bessarabia: sicut equorum Vngaria. Vina plurima ex eadem Vngaria & Morauia: Ex Austria, Rhetia, Slauonia, Italia, Creta, & Græcia importantur etiam, sed pauciora. Gdanum autem Renense & Gallicum & Hispaniense, Canariense quoque, & Creticum nauibus aduehitur. Porrò aromata, & varia eduliorum condimenta atque cupediæ, quæ

Mercimonia. *Quæ exportantur.* *Quæ aliundè importantur.* *Aromata.*

vnà cum vino, & pannis aureis ac sericeis gentē hanc atq; regnū vehementer exhauriunt, de longè ab oriente & occidente importantur. Harum autem rerum atque mercium exportandarum & importandarum commercia sunt Polonis, maritima quidem cum accolis sinus Venedici & Oceani Germanici, Pomeranis, Mechelburgensibus, Holsacijs, Danis, Frisijs, Hollandis, Brabantis, & alijs Belgis, Gallis, Liuonibus, Moschis, Sueonibus siue Suetis, Noruegijs, Anglis, Scotis, Hispanis etiam & Lusitanis. Itemq; per Pontum Euxinum cum gentibus Turcicæ ditionis: Terrestria verò cum Germanis, Morauis, Silesijs, Boëmis, Vngaris, Italis, Moldauis, Moschis, Armenis, atq; Turcis. Sed iam hūc librum claudamus, altero Reipub. Polonæ rationem descripturi. Ac primùm quidem de Magistratibus & muneribus publicis persequemur: deinde verò iudiciorum, comitiorum, & belli rationē explicabimus, sic tamen, vtrobique vt Prussos ad calcem operis vitandæ perplexitatis causa reseruemus.

Populi cum quibus commercia sunt Polonis.

MARTINI CROMERI POLONIAE, LIBER ALTER, DE REPVBLICA ET MAGISTRATIBVS POLONORVM.

Monarchiam Poloni amplectuntur.



E tribus primis & simplicibus rerumpubl. formis, quæ vel vnius, vel paucorum imperio, vel multorum omniumúe quadam æquabilitate iuris cō tinentur, vnius principatū Poloni semper, præter duo quædam tempora, de quibus in historia me morauimus, amplexi sunt, bonis plerunq; & moderatis, & à tyrannide alienis vsi principibus. Fuitq; contenta Polonia principis siue Ducis nomine & imperio, donec Otto tertius eius nominis Imperator Rom. Boleslaum cognomento Chrobrum (Chabrum vulgò vocant) paulò pòst susceptam religionem Christianam: hoc est, anno post Christum natum millesimo & primo, regio diademate & honore dignatus est. Nec tamen vltra quartum regem tunc is honos mãsit apud hanc gentem. Nam post alterum Boleslaum, prioris illis pronepotem ducentis amplius annis, principes Polonorum regio nomine abstinuerūt. Deinde verò anno Christi 1295. reuocatum & renouatum id in Præmislo, manet in hanc diem: Et quidem ad externos plerunq; liberis liberi populi suffragijs delatum, cùm antea Poloni externum principem non habuissent: Ac neq; ex alia familia per quadringentos amplius annos, quàm ex ea, quę à Piasto duxit originem. A centū & amplius octoginta annis regnauit perpetua successione Iagellonia magnorū ducum Lituaniæ progenies. Non hæreditario tamen, sed electionis iure. Fuit autem initio liberior dominatus principis, & nullis propemodum legibus adstrictus, infinitam non modò omnium rerum, sed etiam vitę necisque omnium potestatem habens. Post susceptam verò publicè religionem Christianam, temperari ea cœpit primùm pijs monitis atq; doctrina episcoporum & sacerdotum (quibus nunc præclara scilicet refertur gratia, tunc permagna erat eorum dignatio & authoritas) ac cæterorum Christianorum populorum imitatione & moribus. Deinde verò bellatricis nobilitatis meritis & obsequijs: fortassis autem & contentionibus multa de suo iure remittētibus & indulgentibus equestri ordini regibus & principibus. Nunc sanè angustis finibus regia potestas in sacrum & equestrem ordinem, & vtrique subiectos homines atque bona, circumscripta est: Ac in sacerdotes quidem iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ rex nihil prorsus iuris habet: De equitis verò capite & fama, nō nisi in comitijs cū Senatu iudicat certis aliquot causis exceptis: Senatu autem inconsulto neque bellum cuiquam facit, neque fœdus publicè cum quoquam icit, neque tributa, vectigalia, ac telonia noua instituit, neque alienat quicquam de bonis regni, neq; rem vllam maiorem ad rempubl. pertinentem statuit, aut facit. Porrò leges nouas condere, pecuniam extra ordinem publicè imperare, monetam signare, successorem sibi designare, ne cum Senatu quidem potest absque con sensu cæteræ nobilitatis, siue equestris & militaris ordinis: De quo ferè magistratus etiam publici & Senatores legūtur: ita vt penes eum ordinem nunc sit pro-

Hist. Polon. lib. 2.

Regni Pol. origo.

Hist. lib. 3.

Rex Polo: fing An° 1001

Hist. lib. 5.

Regni re sumptio. Hist. lib. 11.

Hist. lib. 14. & 15.

Principis potestas.

Regiæ potestatis fines.

propemodum summa reipub. Itaque nunc regnum & respubl. Polonorum à veteri Lacedęmoniorum, vel huius tēporis Venetorum reipubl. ratione non multum differt. Ius creandi regis penes Senatū est, de quo paulo pòst dicemus. Atque id etiam equester ordo sibi vendicare cœpit, ita vt tum demum in eo ratum sit senatus iudicium, si assentiatur cætera nobilitas. Non temerè tamē disceditur à stirpe regia mascula, si qua extat. A nouo rege iusiurandum exigitur in hanc sententiam: Quod secundum leges & instituta maiorum regnaturus sit, & suum cuiq; ordini & homini ius priuilegiumque & beneficium, à prioribus regibus collatum, saluum cōseruaturus, neque de regni finibus & bonis quicquam diminuturus, quin amissa etiam ab alijs pro virili sua recuperaturus. Vicissim autem senatus omnis in verba eius iurat. Inauguratur autem (si tamen hoc verbo vti fas est) olim quidē in Gnesnensi, nunc verò in Cracouiensi basilica ritu solenni Christianorum ab Archiepiscopo Gnesnensi sacris operante, ac duobus proximis episcopis: vnctusq; inter scapulas sacro oleo ante aram maximam, vbi etiam sacrosanctā Eucharistiam venerabundus accipit, & corona aurea redimitus, accepto in dextram sceptro, & in leuam pomo aureis, in editiore solio ex tempore præparato collocatur, omnibusq; ritè peractis coronatus in regiam reducitur. Postridie pompa itidem solenni coronatus in forum vrbis equo vehitur, senatoribus equestribus, episcopis quidem pone sequentibus, profanis verò antecedentibus longo ordine. E quibus tres primores pomum, sceptrum, & strictū gladium proximè ei præferunt. Ibi erectum ex tempore tabulatum sublime cum ijs pedester conscendit, & in editiori solio collocatur. Sedentem senatus paulò inferior ordine circumsidet. Deinde assurgens ille, versus quatuor mūdi partes gladium vibrat, rursumq; residens, eius contactu siue leni ictu inter scapulas cuiusque nobiles & equites aurâtos creat: quod perinde est, ac si baltheo militari donet. Vrbani autem & oppidani magistratus in verba noui regis iurant. Inde ritè peractis omnibus, in arcem cum eadem pompa reditur, & festis epulis indulgetur. Nec multò diuersa est reginę inauguratio: quæ fit pręsente, deducente, & postulante pro ea rege. Deducit autem eam coronatam etiam ad forum rex ipse quoque coronatus cum simili pompa. Sed non iuratur in verba reginæ, nec ei defertur vlla potestas aut iurisdictio. Vectigalia principis aliquanto luculentiora & ampliora olim fuère, quàm nunc sunt. Pensitabant enim ei omnes agrestes & adscriptitij quotannis tributum poradline, quod nos rastrale dicere possumus (Regale etiam vocatur) in iugerum, seu laneum & mansum, vt vulgò vocant, duodenos grossos, & quidem latos siue Pragenses: qui dimidio eos, qui nunc sunt in vsu, grossos vernaculos excedunt. Quin si bonitatem & pondus argenti spectes, quadruplo, quemadmodum earum rerum periti affirmāt, melior tunc erat grossus, quàm nunc est. Pensitabant & alias quasdam cùm numarias, tum pecuarias, frumentarias, auenarias, & aliarum rerum pensiones: nec modò agricolæ, sed & oppidani: Quin & equites siue milites non penitus immunes erant. Et iumenta autem hi ei, quacunque iter faciebat, alij secūdum alios suppeditabant, & canes cum venatoribus eius alere necesse habebāt. Ne monastica quidem & alia ecclesiastica bona initio prorsus erant libera ab huiusmodi oneribus ac tributis: Quorum appellationes videre licet in vetustis principum diplomatis: Nempe przevuod, povuos, stroza, stan, povuoloue, targoue, Croua, podvuody, Voginia, Narzas, sep, podvuorovue, Opoliæ. Liberæ autem principi erant vbiq; piscationes atq; venationes: Alijs non erant, ne in suo quidem cuiquam fundo, absque peculiari principis indulgētia. Mulctæ quoque maleficiorum principi dependebantur. Quæ cùm ita essent, cùmque permagna esset rerum omnium ad victum pertinentium vilitas, & necdū maritima cum externis populis commercia extitissent, aut vulgata essent; non distrahebantur fruges, & alij fructus prædiorum principis, quæque ex pensionibus in cellam eius comportata erant, neque ad vnum aliquem totius regni locum (quod non sine graui agrestium pressura futurum erat) conuehebantur: sed in præfecturis asseruabantur. Cumq; ad officium principis pertinere existimaretur, non desidem & vni alicui loco affixum hærere, sed obire omne regnum, & fines eius tueri, & omnium vsibus sese exponere, querimonias afflictorum audire, ius dicere, tenuiores à potentiorum iniurijs vindicare, quoquo is venerat cum equitatu & comitatu suo aulico, eius præfecturæ fructibus & prouentibus alebatur, quoad ei manere ibi libuisset, opusue esset, siue quo-

Regis electio. *Iusiurandum regis.* *Coronatio.* *Reginæ coronatio.* *Vectigalia principis.* *Proradline siue rastrale tributum.* *Grossi Pragenses siue lati.* *Pensionum priscarum nomina.* *Princeps Poloniam obibat, & quare.*

quoad horrea celleq; sufficerent, seu de niq; e descriptis cuique præfecto pro ratione præfecturæ, & prouentuum certis temporum spacijs. Atque hoc illud est, quod scriptores quidam externi rerum Polonicarum imperiti ante nostram memoriam in eam partem acceperunt, & literis mandarunt, quasi rex Polonus egestatis causa regnum suum obire perpetuò necesse habeat, quo à suis hominibus quasi precario sustentetur. Cæterùm postea cùm principes vel certo se loco continere, vel bellis distenti peregrè diutiùs abesse cœpissent, distrahi cœpere fructus prædiorum, qui præfectorum cum sua cuiusque familia moderatis vsibus superessent. Remissæ sunt deinde principum beneficentia sacro & equestri ordini, & vtriusq; adscriptitijs & subditis pleræq; omnes pensiones & onera. Nunc sanè equestris & ecclesiastici ordinis homines nihil regi pensitare necesse habēt. Ac ne oppidani quidem eorum, aut agrestes adscriptitij, præter binos grossos vernaculos de manso, siue laneo (quæ idem sunt) pagano, & eo quidem solo, quem adscriptitius ipse sibi colit. Nam qui sacerdotibus & equitibus coluntur, itemq; suburbani & scultetorum (de quibus post attingemus) agri ab ea quoque pensione immunes sunt. Ne subseruiunt quidem principi sacerdotum & equitum homines agrestes & oppidani, præterquàm ad arces tempore belli reficiendas, atq; etiam nouas, si id è senatusconsulto fiat, condendas. Non ita pridem abbates & Præpositi monasteriorum certas pensiones, quę Stationes vulgò dicuntur, regi denuò pensitare cœperunt. Adscriptitij quoq; ipsorum ad colendos principi agros, subuectiones, & pensiones quasdam frumentarias reuocantur, quo præfectorū regiorum præsidio tutiores sint ab iniurijs improborum. His autem exceptis, soli præfecturarum adscriptitij in suis quiq; præfecturis agros colendo, & vectigalia pensitando rem familiarē principis sustinent: Quę nunc tamen aliquāto exquisitius curatur, quàm olim. Habet is etiam è metallis mediocre vectigal. In ijs autem conductitiarum operarum vsus est: Quarum impensa deducta, reliquum cedit principi. Omnium verò metallorum in Polonia fructuosissimæ sunt salinæ. Sed habet in ijs equester ordo hanc prærogatiuam, vt in vsum suum domesticum statis anni temporibus aliquāto minoris emat salem, quàm cæteri homines. E telonijs quoq; mercium & vectorum prouenit vectigal principi. Cæterorum hominum nemo ius vllum habet instituendi & exigendi telonij, præter peculiarem regis indulgentiam: idq; ob necessariam extra ordinem refectionem viarum, pontium, & aggerum. Cæterùm naulum à traiectu fluminum in suo cuiq; solo instituere licet. Duplex autem est telonium: vetus & nouum. Ac vetus quidem exile est, quod ab ijs penditur, qui intra fines regni negociantur. Nouum verò maius aliquanto, quod boum, equorū, coriorum, frumenti, lanæ, ceræ, sebi, & aliarum mercium, quæ ad exteras oras exportantur, & earum, quæ aliundè importantur nomine pensitatur. Vtriusq; immunitatem habent ecclesiasticus & equester ordo, modò ne mercaturam quis exerceat, hoc est, venum ea exportet, quæ ipse aliundè emerit, ac non de suo pararit. Si quis tamē boues emptos suo pabulo & frumento per hyemem aluerit, perinde habetur, ac si domi eius nati sint. Publicè quoque ciuitates nonnullæ habent immunitatem veteris telonij. De nouo fuit superiori tempore controuersia inter equestrem ordinem atq; regem. Hæc igitur nunc sunt perpetua principis vectigalia: Quæ distrahere, aut addicere cuipiam iure hęreditario rex, Alexandri regis lege prohibetur. Atque ea lex neglecta post, & ante paucos annos acerbius reuocata, multos conturbauit, & non exiguos motus excitauit: qui nondum prorsus sopiti sunt. Extra ordinem nihil à quoquā, nisi fortè à Iudæis, regi pensitatur. Ex his autem vectigalibus is cum domestica familia sua sese sustentat: inde comitatui suo aulico stipendia præbet: inde in legationes, dotes, & elocationes filiarū, arcium præsidia, & sartatecta, viarum publicarum refectiones, machinas & apparatum bellorum, præmia bene merentium de se ac de republ. & in alios vsus impendit: Inde & senatoribus ferè, ac magistratibus publicis, & nonnullis sacerdotijs certi ac perpetui reditus antiquitùs constituti sunt, partim pietate & beneficentia principum attributi, partim accepto in vsus necessarios precio venditi. Et hactenus quidem de principe siue rege ac vectigalibus eius. Iam de legibus. Legum scriptarum nullus fuit vsus apud Polonos vetustioribus temporibus: Nec vllæ extant antiquiores ijs, quas Cazimirus magnus rex condidit: Quæ sanè pauculæ sunt. Nec multæ ijs à successoribus eius adiectæ sunt. Extremis demum ferè temporibus Sigismundi senioris, & regnante filio eius

Si-

Marginal notes (left column): *Error quorundam scriptorum.* — *Vectigalium imminutio.* — *Cmetones.* — *Rastrale siue regale tributum.* — *Operæ subditorum sacerdotalium & equestrium.* — *Stationes. Abbatum et præpositorum monasteriorum.* — *Metalla.* — *Nobilitatis prærogatiua in salinis.* — *Telonia.*

Marginal notes (right column): *Telonium vetus & nouum.* — *Alienationes regi interdictæ. Alexandri R. statutum.* — *Impensæ principis.* — *Leges Polonorum.*

exarsit, & longius progressus est pruritus & libido nouarum legum condendarum, & antiquiorum mutandarum. Quo fit, vt hæ propemodum exolescant, nouæ autem vix, aut ne vix quidem inolescant: sed vtræque, hæ quidem nouitate, illæ verò vetustate sua in contemptum vulgò veniant, maxima reipublicæ pernicie. Earum autem condendarum potestas est simul penes regem, senatum, & nuncios nobilitatis, nec nisi in comitijs. Statuta regni vocantur. Priscis temporibus viua lex erat Rex siue princeps: Qui cùm vnus in tam amplo regno omnia neque præstare, neque prouidere, ac ne iudiciorum quidem difficultates rectè explicare posse videretur, & lubricus autem procliuisque ad tyrannidem gradus in summa potestate esse soleat, adhibiti sunt ei Senatores siue Consiliarij, qui & consilia actionesque eius ad salutem reipubl. & iudicia ad iustitiæ & æquitatis trutinam dirigerent, & monitis consilijsque salubribus, quasi viuis quibusdam legibus pro re nata cùm animum eius informarent, tum potestatem modificarentur. Hic est Senatus Regius, multò amplior modò, quàm olim, certo hominum numero constans, quos Senatores & Consiliarios regni appellamus. Qui non nisi iurati ad hoc collegium, & ad cõsilium admittuntur. Et perpetuum est hoc munus, quoad viuit quisque, certis annexum honoribus & magistratibus, partim ecclesiasticis, partim profanis. Sunt aũt in Senatu antiquitus, Archiepiscopi duo, septẽ episcopi, Palatini quindecim, Castellani quinq; & sexaginta. Archiepiscopi sunt, Gnesnensis in maiore Polonia, Leopoliẽsis in Russia. Episcopi verò, Cracouiensis in minore, Posnaniensis in maiore Polonia: VVladislauiensis in Cuiauia & Pomerania, qui tamen iam à certo tempore Posnaniensem loco anteit: Plocensis in Masouia: In Russia Præmisliensis & Chelmensis: Camenecensis in Podolia. Qui omnes, quo ordine nunc à nobis enumerati sunt, eum perpetuò seruant in senatu, dicendaque sententia, & in publicis celebritatibus. De Prussicis suo loco dicemus. Sunt quidem præterea tres Russici, & Græci schismatis episcopi in Russia, quos ipsi Russi Vvladicas vocant, nimirum Leopoliensis, Præmisliensis, & Chelmensis: qui vnà cum sectatoribus suis, & alijs Russicis itidem episcopis, qui sunt in ditione Lituanica, à Kiouiensi metropolita, & à Patriarcha

Consiliarij siue Senatores regni.

Senatorum genera & numerus.

Archiepiscopi.

Episcopi.

Senatorum numerus & ordo recentior ad calcem operis adscriptus est.

Russorum Episcopi.

Constantinopolitano, quod ad religionem & initiationes attinet, depẽdent. Habent & Armeni suum episcopum. Sed neque hic, neque Russici pertinent ad regium consilium. Superioribus seculis, cùm latiùs paterent versus occidentem solem fines Poloniæ, Vvratislauiensis quoque & Lubussensis episcopi, & Camenensis in senatu sua loca habebant: Atque etiam nunc duo priores in prouincia Gnesnensi censentur. Et nostra memoria habuit vterque certa bona in Polonia. Nunc Camenensis episcopatus in ducum Pomeraniæ, Lubussensis in Marchionum Brandeburgensium faucibus, Vvratislauiensis in regum Boëmiæ ditione est. Secundum episcopos in Senatu sunt Palatini hoc ordine: Cracouiensis & Posnaniensis, alternis vicibus inter se priora & posteriora habentes loca & suffragia: Deinde Sendomiriensis, Calissiensis, Siradiensis, Lenciciensis, Brestensis, Vvladislauiensis, siue Iunivuladislauiensis, Leopoliensis siue Russiæ, Podoliæ, Lublinensis, Belsensis, Plocensis, Masouiæ, & Rauensis. Castellani, Cracouiensis, Voinicensis, Sandecensis, & Biecensis in satrapia siue Palatinatu Cracouiensi: Posnaniensis, Medirecensis, Rogosnensis, Sremensis, Prẹmentensis, Criuinensis, & Santocensis in Posnaniensi, Sendomiriensis, Vislicensis, Radomiensis, Zauichostensis; Zarnouiensis, Malogostensis, Polanecensis, Cechouiensis in Sendomiriensi: Calissiensis, Gnesnensis, Landensis, Naclensis, Bichouiensis, Camenensis in Calissiẽsi: Siradiensis, Rospirensis, Spicimiriensis, Velunensis & Conariensis in Siradiẽsi: Lenciciensis, Brezinensis, Inovulodensis, & Conariensis alius in Lenciciensi: In Brestensi, Brestensis, Crusuiciẽsis & Coualiẽsis: In Iunivuladislauiensi, Iunivuladislauiẽsis, Bydgostiẽsis, & Conariensis item alius, itemq; Dobrinẽsis, Ripinensis, & Slonensis in terra Drobinensi: In Russia, Leopoliensis, Præmisliensis, Haliciensis, Sanocensis, & Chelmensis: In Podolia vnicus Camenecensis: In Lublinensi item Lublinensis: In Belsensi Belsensis: In Plocensi Plocensis, Racianzensis & Siepercensis: In Masouia Cyrnensis, Viznensis, Varsauiensis, Vissegradensis, Zacrocimensis, Ciechanoniensis, & Liuensis: In Rauẽsi Rauensis, Sochaciouiensis, & Gostinensis: In Silesia vnus Osuencimensis, Palatinum ea non habet. Ex his Castellanis, qui primi in vnaquaque satrapia modò à nobis enumerati sunt, cum inter

Palatini.

Castellanorum ordo.

se seruant ordinem, quo palatinos recensuimus, excepto Cracouiēsi, qui ex quodā tēpore palatinos oēs loco suffragioque anteit. Voiniciensis item & huic proximus Gnesnēsis prærogatiua quadam inter Calissiensem & Siradiensem Castellanos interiecti sunt. Cæterorum hic esse legitimus ordo existimatur, vt Rauensi, qui superiorum extremus est, proximus sit Sandecensis: deinde Medirecensis, Visliciensis, Biecensis, Rogosnensis, Radomiensis, Zauichostensis, Landensis, Sremensis, Zarnouiensis, Malogostensis, Velunensis, Præmisliensis, Haliciensis, Sanocensis, Chelmensis, Dobrinensis, Polanecēsis, Præmentensis, Criuinensis, Cechouiensis, Naclensis, Rospirensis, Biechouiensis, Osuencimensis, Brezinensis, Crusuiciensis Bydgostiensis, Camenensis, Spicimiriensis, Inovulodensis, Coualiensis, Santocensis, Sochaciouiensis, Gostinensis, Viznensis, Varsauiensis, Racianzensis, Siepercensis, Vissegrodensis, Ripinensis, Zacrocimensis, Ciechanouiensis, Liuensis, Slonensis: extremi tres Conarienses: in quibus primum locum is, qui est in Siradiensi satrapia, medium qui in Lenciciensi, vltimum qui in Inovuladislauiensi, obtinet. Sunt item in Senatu Magistratus quidam & administri principis, quos officiales regni vocant: Nempe Marescallus, siue Marescalcus, qui magnus dicitur Cācellarius, Procancellarius siue Vicecancellarius, ac thesaurarius. Est etiam vnus de magistratibus aulicis, seu curiæ principis, Marescalcus curiæ: Putantur etiam duo præfecti seu Capitanei, nempe maioris Poloniæ, & Cracouiensis ad consilium pertinere: Sed perrarò vsuvenit, vt ij nō aliquo alio honore Senatorio præditi sint. Horum autem omnium magistratuum loca & suffragia in consilio sunt secundum Castellanos eo, quo hic à nobis cōscripti sunt, ordine. Nisi si quo alio eminentiori honore ij cohonestentur: Quod fit plerunque. Hoc igitur est consilium publicum apud Polonos, & Senatus regius siue regni, sex & nonaginta consiliarijs constans: Quorum alij vocantur maiores, alij minores consiliarij. Sunt autē maiores, Archiepiscopi, Episcopi, Palatini, primarij aliquot satrapiarum Castellani vsque ad Siradiensem fortassis: Cęteri omnes minores: qui posterius in consilium adhiberi cœperunt: & excluduntur nonnunquam à consilijs secretioribus. In hoc senatu censentur etiam Prussici consiliarij. Verùm de his & omni republ. Prussica separatim posteriùs persequemur. Accessêre nuper (posteaquàm hæc nos cōscripsimus) & Lituanici cùm antiqui, tū quos Sigismūdus Augustus Rex ad numerum eorum adiecit. Eos quoque alij loco reseruabimus. Porrò Secretarij ad mittuntur quidem & ipsi iurati in Senatū, sed vt auditores modò, & quasi seminarium quoddam senatus: Neq; locum habent in consessu consiliariorum, neque dictionem sententiæ. Ex his autem vnus primi siue maioris Secretarij nomen & honorem obtinet, de quo plura paulò post: Duo referēdarij siue supplicum libellorum magistri sunt. Putantur & succamerarij aditum habere ad locum habendi senatus, claudendi & aperiendi ostij causa, idque in suo tantùm quisq; territorio. Iam & Senatorum, primariorum præsertim, filios adolescentes admitti in Senatum nō inusitatum est. Quanquam solent & ij sacramento adigi in numero secretariorum, quo liberius intersint consilijs. Conuocantur autē Senatores à principe ad consiliū, præsentes quidem quoties opus est: qui verò longius absunt, nō nisi arduis de causis, vtpote ad comitia, vel celebritatis alicuius gratia, nimirum ad nuptias principis, seu liberorum eius, aut si quis socius & obnoxius regno dux in verba principis iuraturus sit. Cum ijs verò, qui adsunt, princeps pro re nata consultat. Nisi fortè res grauior ac difficilior incidat, quæ plurium consilio & consensu sit explicanda, velut de indicendis comitijs. Tunc enim absentes singuli per epistolas regias consuluntur, maiores præsertim. Atque hæc de genere, numero, ordine & officio senatorū siue consiliariorum regni suffecerint, si vnum illud addiderimus, quòd subseruiunt ij quoq; principi & reipubl. quoties opus est, domi quidem in iudicijs cùm alijs, tū recuperatorijs, quas commissiones vulgò vocamus, foris autem in legationibus obeundis, aut si quid aliud publicè cum dignitate peragendū est. Cùm autem ij certis magistratibus & honoribus præditi sint, habent etiam præter commune senatorium munus, curamq; totius reipubl. peculiaria officia pro diuersitate magistratuū siue honorū attributa. Ac Archiepiscopi quidem & episcopi officia quæ sint, nemini Christiano incognitum est: Nec vllum ij peculiare habent in Polonia, prę cæteris nationibus: Nisi quod Archiepiscopus Gnesnensis perpetua quadam Pontificis Max. legatione fungitur, & legatus natus sedis apostolicæ appellatur.

Voinicien. & Gnesnen. Castellanorum loca.

Magistratus pertinentes ad consilium publicum.

Consiliariorum numerus.

Diuisio.

Secretarij.

Referendarij.

Consilij conuocandi ratio.

Senatorum communia officia.

Archiepiscopus Gnesnensis legatus natus.

tur. Quo nomine ampliorem habet iurisdictionem: de qua suo loco attingemus. Habet etiam primatis honorē ab eadem sede apostolica, absque eo, quòd est antiquo gentis instituto, & prærogatiua primas regni, & princeps senatus. Proinde penes eum est potestas indicendi comitia, conuocandi senatum, senatusque consulta definiendi & edicendi absente rege, & regno vacante.

Primas.

Palatini officium.

Palatini munera sunt, esse ductorem copiarum suæ satrapiæ in expeditionibus bellicis: indeque nomen habet lingua vernacula, vt Voieuoda dicatur, quasi dux belli, siue copiarum.

Voieuoda.

Palatinus autem dicitur Romanorum imitatione, apud quos sub imperatoribus nō obscurum erat nomen honosque comitum palatinorum. Porrò in pace palatini est, in sua cuiusque satrapia conuentus nobilitatis instituere, iisque, & iudicijs præsidere: precia rebus venalibus præter tempus comitiorum & belli imponere: ponderum & mensurarum curam gerere. Iudæorum quoque patrocinium & iudicia ad palatinum pertinent.

Castellani officium & nomen.

Castellani quasi legati sunt Palatinorum, ductoresque & præsides nobilitatis sub suo quisque palatino. Appellantur autem Castellani etiam vernacula lingua mutuato à latinis vocabulo, à castellis siue oppidis, eorumque territorijs, quæ singulis singula habent attributa: nō quod dominatum, iurisdictionem, aut curationem in eis habeant, sed legationem tantùm bellicam, cuius modò fecimus mentionem: plerique etiam certos redit⁹ anniuersarios: Indeq; su āquisq; denominationē sumit, videlicet, vt Voinicie̅sis vel Sreme̅sis, vel alius cuiuspiā loci Castellanus vocetur. Vocātur etiā per sæpe nomine vernaculo domini, loci appellatione in ki vel ski syllabam deflexa, verbi gratia, pan Posnanski, pan Ploski.

Castellani Cracouiensis prærogatiua.

Solus autem Cracouiensis Castellanus, præter nomen & reditus, nihil habet commune cum alijs: Sed liberum is honorem habet, absq; vllo prorsus munere, præter commune Senatorium.

De Palatinis & Castellanis lex.

Tam Palatinum autem, quàm Castellanum lege esse non licet quenquam in ea satrapia, in qua nullum proprium habet fundum, seu bona terrestria.

Dignitarij.

Vocanturque ij vtrique vulgò cōmuni vocabulo dignitarij, quasi dignitate & honore præditi, addito ferè satrapiæ, seu terræ nomine.

Officiales siue magistratus regni.

Magistratus verò siue officiales regni ab officijs & functionibus quibusdam publicis, qui bus funguntur ad vniuersā rempublicam pertinentibus, hanc sumunt communem appellationem. Nam peculiaria eorum nomina superius iam indicauimus: Quibus singulis REGNI nomen adiungitur, vt verbi gratia, Maresalcus, & Cancellarius regni dicatur, eodemque modo cæteri. Officia verò singulorum hæc sunt.

Maresalci regni officia.

Maresalcus quidem magister est aulæ regię, & administer consilij publici, penes quem ius est conuocandi senatum iussu regis, vel primatis, præstandi silentium & audientiam, faciendi potestatem dicendæ sententiæ, legatos externos introducēdi, eijciēdi è consilio eos, qui ad id non pertinēt, pronunciandi decreta regia in causis infamiæ & capitalibus, promulgandi ad populum senatus consulta, moderandi pompis publicis, hospites illustres suscipiendi: compescendi motus inquietorum atq; turbulentorum non modò circum senatum & in publico, sed etiam in priuatis principis cęnaculis & habitaculis, animaduertendi in delicta, quæ in loco & oppido domicilij siue hospitij regij, vel comitiorū admittuntur, denique in comitijs & in comitatu regio diuersoria distribuendi, & imponendi rebus venalibus precia: vnde etiam vectigal seu tributum forale ipsi prouenit. Maresalci etiā est in aulicum regis comitatum & administros mensæ regiæ, aliorumque munerum aulicorum (profanos præsertim) iurisdictio, censura & animaduersio: eoque gestat is in publicis cōuentibus, & regi in propatulum prodeunti præfert erectum sceptrum ligneum, siue baculum.

Cancellarij & Vicecancellarij officia.

Cancellarius & Vicecancellarius, nominibus & loco distincti, sed potestate & munere exæquati, diplomatibus, edictis, mandatis, epistolis, & alijs scripturis regijs conscribendis atque signandis, quæque ad eum mittuntur accipiendis, & legendis pręsunt. Itaque in potestate sua habent signa regia, Cancellarius quidem maius, Vicecancellarius verò minus. Authoritas eorum eo vsque patet, vt multa inconsulto principe signare: quæ verò contra leges esse videntur, iubenti illi negare possint. Dant etiam responsa regio nomine, & quibus de rebus consilium haberi debet in senatu proponunt: denique senatus consulta, regiaque & comitialia placita ac decreta literis mandāt, & in publicum edunt. Sunt etiam ij cognitores priuatarum querimoniarum, & prouocationum ab vrbanis & oppidanis, præfectorumque iudicijs, ad regium tribunal deuolutorum: Secretarijs, scribis, sacerdotibus, concionatori-

bus, & cantoribus aulicis ceremonijsque ecclesiasticis moderátur :is præsertim, qui est de sacro ordine. Lege enim, quamuis non antiqua, alterutrum ex ijs sacri, alterum profani ordinis esse oportet, cùm antiquitus soli ferè sacerdotes eo munere fungerentur. Sunt autem ij in proxima expectatione honorum sui vterque ordinis. Sed neque sacerdoti cum episcopa, exceptis Præmisliensi, Culmensi, Chelmensi, & Camenecensi, neque profano siue seculari cum vllo palatinatu vel Castellania retinere munus hoc licet, præter peculiarem indulgentiam, aut conniuentiam: Est autem vsitatum, vt de Vicecancellario fiat Cancellarius propter loci & sententiæ dicendæ prærogatiuam. Thesaurarius ipso nomine indicat munus suum. Est enim promus & condus thesauri regij, symbolorum siue insignium regni, quæ sunt, corona, pomum, sceptrũ, & gladius, supellectilis & redituum regiorum, scripturarumque & monumẽtorum publicorum: author & moderator quorumuis quæstorũ, curatorum, atque dispensatorum principis, & rationum reddendarum exactor, monetariæ officinæ magister, stipendiorum tã militarium, quàm aulicorum solutor: reddendæ principi rationi obnoxius. De Maresalco curiæ, & præfectis, referendarijs, & secretarijs dicemus postea.

Thesaurarij officium. Regni symbola.

Numerantur etiam inter Magistratus & officiales regni, duo duces exercitus: quorũ alter generalis & supremus exercituum regni capitaneus, alter cápi ductor, seu campestris Capitaneus dicitur. Ac ille quidẽ dux est & moderator belli secundum principem, & vicarius principis. Ducit exercitum, capit locum castris, acies instruit, dat signum pugnæ & receptus, commeatus & annonę curam in bello gerit, precia rebus venalibus imponit, ponderibusq; & mensuris earum modum statuit, & in deliquẽtes animaduertit. Campestris verò, huius est quasi Vicarius à principe datus, excubiarum potissimùm explorationumque curam gerit, & mercenarijs militibus, illo præsertim altero absente, præest. Neuter tamen in senatu locum habet: Quin temporarij esse perhibentur, neque inter magistratus regni habiti superioribus temporibus. Longè minus autem alij quidam, qui & ipsi nostra ferè memoria pro magistratibus regni haberi & appellari cœpêre. Neque tamen in Senatu locum habent, neq; functionem vllam ad vniuersum regnum pertinentem: Ii verò sunt, gladifer, pocillator siue pincerna, structor mensæ, quem incisorẽ vocant, dapifer, subdapifer, magister culinæ, qui dapibus apparandis & cocis regijs præest. Et certè aut ijdem sunt terrestres Cracouiensis satrapiæ, aut ea sola de omnibus nullos habet. Itaq; nos quoque de sententia peritiorum inter terrestres honores & magistratus eorum officia exponemus.

Duces exercitus siue capitanei.

Magistratus quidam alij.

Dicuntur autem terrestres honores & magistratus, qui non vniuersi regni, sed terrarum atq; satrapiarũ sunt peculiares. Officia terrestria vulgò appellantur: & his qui prędití sunt, officiales terrestres. Sunt autẽ ij Succamerarius, Capitaneꝰ, gladifer, vexillifer, pincerna, subpincerna, incisor, subdapifer, dapifer, tribunꝰ, iudex, subiudex, notarius, thesaurarius, venator, agaso siue equorum curator. Habentq; certas suas functiones siue curationes antiquitus in sua quisque satrapia siue tractu, ac terra, vt vulgò loquũtur: quarum quęlibet olim, discerpto in multos dominatus regno suum ducem habuit. Eius autem hi fuerunt administri peculiares. Nunc magna pars solũ nomen nudumq; honorem retinent. Quales sunt gladiferi, pincernæ, subpincernæ, incisores, dapiferi, subdapiferi, ac thesaurarij: nisi quòd in extraordinarijs iudicijs, quas commissiones vocát, regijs mandatis subseruiunt, & in collo quijs assident. Tametsi etiãnunc ij peculiaribus suis muneribꝰ fungi rectè posse existimantur in suo quisq; tractu, à quo denominationem habet, quoties eum princeps adit: Nempe vt gladifer Posnaniensis in Posnaniensi satrapia gladiũ ipsi præferat in solenni pompa: pincerna poculũ administret: incisor siue structor mensam apponat: dapifer dapes inferat: subdapifer dapiferum cum sceptro seu baculo præcedat, subpincerna potus curam gerat, thesaurarius cõdus ac promus pecuniæ sit ac supellectilis eius. Cęteri sanè funguntur etiãnunc ferè suis muneribus. Ac vexillifer quidẽ in bello vexillum præfert exercitui suæ satrapiæ: Tribunꝰ custos est arcis in suo quisq; tractu, durante bello: Itaque vacationem habet militiæ: Venator venationibus & syluis præest: Agaso equitio siue armento equorum: Iudex causis & cõtrouersijs priuatis nobilitatis disceptandis & iudicandis præsidet vnà cum subiudice: qui eius est socius, non vicarius, loco tantũ inferior. Notarius scriba est & actuarius iudicij: Sed habet ipse quoq; in iudicijs ius dicendæ sententiæ, consuetudine magis quàm legum præscripto. Cæterùm Succamerarius (vt

Officiales seu magistratus terrestres.

Gladifer. *Pincerna.* *Incisor siue structor.* *Dapifer.* *Subdapifer.* *Subpincerna.* *Thesaurarius.* *Vexillifer.* *Tribunus.* *Venator.* *Agaso.* *Iudex.* *Subiudex.* *Notarius siue scriba.* *Succamerarius.*

(vt eius partes postremo loco explicemus, licet honore omnib⁹ his anteeat) olim fortassis præfuit cubiculo & cubicularijs principis in sua quisque terra: Nunc regendis modò finibus agrorum ac bonorum terrestrium præest: Quem itidem atque iudicem, subiudicem, & notarium iuratum esse oportet. Habetque is ad id munus obeundum vicarios, & ipsos iuratos in singulis territorijs *Camerarij.* singulos, qui camerarij vocantur, siue cubicularij, propterea fortassis, quòd antiquitus ministri cubiculi principis ad id munus legabantur à succamerario. Nunc is eos sibi legit arbitratu suo ex equestri ordine eiusdem territorij, & iureiurãdo adigit, mutatque quoties vult. *Succamerarius Cracouiensis.* Cracouiensis Succamerarius præ cęteris ea pręrogatiua præditus est, vt salinarũ eius ipsius tractus arbiter sit & inspector. Capitaneorũ officia statim exponemus. Ceterùm hi, de quibus modò egimus, non oẽs in omnib⁹ satrapijs sunt, neque in singulis singuli. *Officiales Cracouien. satrapiæ.* Et Cracouiensis quidem satrapia succamerarium, gladiferum, dapiferum, tribunũ, iudicem, subiudicem & notarium habet singulos: *Posnanien.* Posnaniensis cæteros quidem habet itidem singulos, Succamerarios verò, iudices, subiudices, & notarios binos. Habet enim hosce terra Vvschouensis peculiares, quæ à Polonia quodam tempore seiuncta fuit. *Sendomiriensis.* Sendomiriẽsis satrapia cęteros quidem & ipsa singulos habet, pręter tribunũ, quẽ etiã Prissouiense territorium non ita pridẽ suum habere cœpit. *Calissien.* Calissiẽsis item eosdem omnes habet singulos. *Siradien.* Siradiensis structore & subdapifero caret: gladiferum, pincernam, dapiferum, habet singulos: succamerarios, vexilliferos, iudices, & notarios binos. Habet enim hos Velunense territorium suos, ex quo tẽpore auulsum fuit à Polonia, sicut arbitror. Tribuni item duo sunt in eadem satrapia, Maior & minor. *Lencicien.* Lenciciensis gladiferum, structorem, & subdapiferum non habet, ceteros habet singulos. *Brestensis.* Itemque Brestensis. *Inowladislauiensis.* InoULadislauiensis verò gladiferum vnum habet, structorem & subdapiferum nullum: Reliquos omnes binos. Habet enim Dobrinensis terra peculiarem succamerarium, vexilliferum, pincernam, dapiferum, tribunum, iudicem, subiudicẽ, & notarium. *Russica.* Russia quinos habet succamerarios, vexilliferos, pincernas, dapiferos, tribunos, iudices, subiudices, & notarios: Nẽpe Leopoliensem, Præmisliensem, Sanocensem, Haliciensem & Chelmẽsem: gladiferum, structorẽ, & subdapiferum nullum. *Po...* Podolia itidem nullum de his tribus: Reliquos verò singulos, exceptis tribunis, quos duos habet, Camenecensem atq; Trebovuliensem. *Lublinen.* Lublinensis satrapia gladiferum, structorem, & subdapiferũ nec ipsa habet: vexilliferum, pincernam, ac dapiferum singulos, cæteros binos. Lucouiense enim territorium peculiares habet succamerarium, tribunum, iudicem, subiudicem, & notarium. *Belsensis.* Belsensis succamerariũ, vexilliferum, pincernam, dapiferum, iudicem, subiudicem, & notariũ habet singulos, cæteros, non habet. *Plocensis.* Plocensis succamerariũ, pincernam, dapiferum, ac tribunum singulos, Iudicem verò & subiudicẽ notarios binos (Habet enim hos Zavucrense territoriũ suos) Structore ac subdapifero ea satrapia caret: *Rauensis.* Rauensis verò structore item & gladifero: Subdapiferũ vnum habet: reliquos autẽ ternos, territorijs distinctos, videlicet Rauensem, Gostinensem, & Sochacioviẽsem. Masouia iudices habet vndecim, totidẽ quot territoria: Nimirum Cyrnensem, Viznensem, Varsauiensem, Nurensem, Vyssegrodensem, Zacrocimẽsem, Ciechanouiensem, Lõzensem, Ostrolencensem siue Zembrouiensem, Rozanensem, & Liuensem: Subiudices & notarios totidem: Succamerarios vno min⁹: Zẽbrouiense enim territorium eo caret: Pincernas atq; dapiferos octonos. Rozanense enim & Liuense, atque item Zembrouiense territoria hos non habent: Vexilliferum ne Lomzense quidem: Subdapiferum autem neque hæc ipsa, neque Nurense, neque Vissegrodense: Porro subpincernas & thesaurarios totidem, quot subdapiferos habet Masouia, nempe quinque: Subpincernam item Rauẽsis satrapia habet: Brestensis verò thesaurariũ: Cæterę omnes neutrum: Magistrum culinæ nulla præter Cracouiensem, si modò non regni is est. Agasonem nulla, præter Russiam: Venatores solæ Cracouiensis, Posnaniensis, Siradiensis atque Lenciciensis singulos: Sendomiriensis verò & Masouitica binos. Hæc quidem Viznen. & Lomzensem: Illa verò Sendomiriensem & Radomiensem. Habẽt & Osuiencimensis & Zatoriensis terræ suos iudices singulos: Habet etiam Seueriensis ab episcopo. Cæterorum terrestrium magistratuum nullum habet Silesia, præfectis siue capitaneis exceptis: *Capitanei siue præfecti.* De quibus iam dicẽdum est. Capitaneus, quem præfectum rectè dixerimus ad dito nomine arcis, cui præest, custos est ac defensor non solùm arcis regiæ,

 ve-

verùm etiam pacis atq; tranquillitatis publicæ in sua quisq; præfectura, quam à vi tutam debet præstare & vindicare, & furibus latronibusq; repurgare. Itaq; iurisdictionem coercionemq; habet la tè patentē, non modò in agrestes & oppidanos, verùm etiam in equestris ordinis homines: Qua de re accuratius suo loco tractabimus. Adhæc omnium aliorum iudicum, ecclesiasticorū iuxtà ac profanorum sententias ad extremū executioni mādat, si executores alij nolint, vel non proficiant. Gerit etiam curam commodorū & redituum principis, qui ex re familiari, ac cēsibus & pensionibus oppidanorum & agrestiū proueniunt. Et omnino arces, & villæ, seu rustica prædia cū suis sartis tectis, & oppida pagiq; principis in ditione præfectorum sunt. Solus omnium Cracouiēsis præfectus licet amplissimam iurisdictionē habeat, tamen sartorū tectorum arcis, & redituum principis curam non habet. Est enim magnus procurator ei⁹ arcis, qui vtrunq; hoc onus sustinet. Nā Posnaniensis præfectus licet maiores etiam prærogatiuas & iurisdictionē in tota maiore Polonia obtineat, atq; ob id generalis maioris Poloniæ capitane⁹ vocitetur, curat tamen sarta tecta arcis Posnaniensis duntaxat, & reditus regios eiusdem territorij. Cætera enim territoria iurisdictioni eius subiecta, habēt ferè suos curatores, quos etiam minus propriè præfectos appellamus: de quib⁹ post agemus. Oportet autem præfectū esse equestris ordinis, agros & fundos proprios in ea ipsa præfectura, cui præficitur, habētem. Ne q; externo autem, ne que regio vel ducali genere orto conferri præfecturam fas est. Nec duas cuiquam habere licet: Ac ne vnam quidem, primariam duntaxat & iurisdictione præditam, cum primaria Castellania vel Palatinatu eiusdē satrapiæ, Posnaniensi & Cracouiensi exceptis: In quibus non idem ius est. Ne Silesicæ quidē cadunt sub hanc legem. Habet præfectus quilibet suum vicarium, quem Vicecapitaneum vel burgrabium vulgò vocant: Nos subpræfectū fortassis non ineptè dixerimus, penes quem est vicaria præfecturæ totius potestas, & rerum iudicatarum executio. Habet & alterū administrum statorum, ac certis tempo ribus peragi solitorum iudiciorū, quē iudicem castrensem dicunt. Vtrunque arbitratu suo creat & abdicat: Sed vtrūque iuratum itidem, atq; ipsum præfectū, & ex equestri ordine esse, certaq; bona terrestria in ea ipsa præfectura habere oportet. Nec eundē iudicē & subpræfectum, terrestrémve & castrensem iudicē esse fas est. Habet itē præfectura quę que actuarium iuratū, quem notarium castrensem nominat. Nō sunt aūt satrapijs, verùm arcib⁹ ac territorijs ferè, quæ districtus vocantur, distinctæ præfecturæ: Nonnullæ etiā complura territoria in se complectūtur. Sunt verò hæ totius Poloniæ præfecturę: In maiore quidem Polonia vnica generalis, Posnaniense, Costense, Vvschouen. Calissiēse, Gnesnense, Pysdrense, Coninense, Keinēse, & Naclēse territoria cōplexa: In minore autē Cracouiēsis, quæ præter primariū, alia tria territoria, videlicet Prossouiēse, Xianzense, & Lelouiense in se continet. Præter eā sunt, Sandecensis & Biecēsis pfecturæ cum iurisdictione. In Sendomiriensi verò satrapia sunt: Sēdomiriēsis, Radomiensis (Stenzicense quoq; territoriū dudum complexa,) quod iā peculiarem præfectū habet. Corcinēsis, quæ & nouæ ciuitatis dicitur, Chencinensis, Opocinensis, Pilsnensis. In Lublinensi eiusdem nominis præfectura est, & Lucouiensis. In Siradiensi Siradiēsis, quæ Schadcouiense quoque & Radoscense & Petricouiēse territoria annexa habet: Velunēsis itē & Ostresiouiēsis. In Lenciciensi vnica est, tria habēs territoria, nimirum Lenciciense, Brezinense, & Orlouiēse. In Cuiauia Brestēsis, Crusuiciense item & Coualiense, & Predecense territoria adiuncta habens: Iuniuladislauiensis cum annexo Bydgostiensi territorio: & Bobrovunicensis, Dobrinense, Ripinēse, & Lipnense territoria complexa. In Russia Leopoliensis, Pręmisliensis, Sanocensis, Haliciensis, Chelmēsis, & Crasnostauiēsis. In Podolia Camenecēsis atq; Trebovuliēsis. In Belsensi satrapia Belsensis, Buscensis, Grodlēsis, & Grabenecēsis. In Plocēsi vnica cū tribus alijs territorijs, Zavucrensi, Mlauēsi, Srenēsi siue Srenscēsi. In Masouia Cyrnēsis, Viznēsis, Varsauiēsis, cui Nurēse quoq; territoriū paret, Vyssegrodēsis, Zacrocimēsis, Ciechanouiēsis, Lōzēsis, Rozanēsis (in qua est & Macouiēse territoriū) & Linēsis. In Rauēsi verò satrapia tres pfecturæ sunt, Rauēsis, Gostinēsis, & Sochaciouiensis. In Silesiā sunt Osuiencimēsis & Zatoriēsis. Præter has pfecturas sunt & alię de superiorib⁹ ferè detractæ, q̄ peculiariter, quāuis min⁹ latinè, tenutæ, earūq; pfecti tenutarij vulgò vocātur: q partim nō habēt sua territoria, partim habent, verū sine vlla iurisdictione in nobilitatē. Nā ea est penes veros pfectos, quib⁹ eæ tenutæ volūtate

Re-

Cracouien. præfecti priuilegiū. *Magnus procurator arcis Cracouiēsis.* *Maioris Poloniæ generalis Capitaneus.* *De præfecturis leges.* *Vicecapitaneus.* *Iudex castrensis.* *Notarius castrensis.* *Præfecturæ totius Poloniæ.* *Præfecturæ sine iurisdictione, siue tenutæ.*

Regia ꝑpter vtilitatē, vel aliqua alia de
cauſa detractę ſunt.Sunt aūt ij tenutarij
curatores modò regiorū prædiorū atq;
redituum,& caſtellorum plebisq; ſubie
ctæ,non diſſimili cōditione magni pro-
curatoris arcis Cracouienſis.In ijs leges
eæ,quæ de prçfecturis dudū commemo
Præfecturarum reditus & adminiſtratio. ratæ ſunt,locum non habent.Omnium
aūt præfecturarum reditus partim ex a-
gricultura,& repecuaria,partim è molis
frumētareis & ſyluis,partim è cenſibus,
& pēſionibus agreſtium & oppidanorū
proueniūt, & vel certo pacto præfectis
locantur à principe,vel eorum fidei cō-
mittuntur, ita vt rationibus reddendis
obnoxij ſint.Condonantur etiam inter
dū ob eximia merita.Oppignorari quo-
que præfecturas non inuſitatum eſt,eas
præſertim,q̄ iuriſdictione carent,quæq;
non ſunt primariæ cuiuſq; ſatrapiæ.Sed
ita demum id legitimum eſt, ſi rata re-
dituum portio quotannis de capite de-
ducatur. Quod cùm in deſuetudinē ab-
ijſſet ſuperiori tempore, comitiorum
decreto nunc reuocatum eſt.In ijs verò
præfecturis, quæ iuriſdictionem habēt,
ſi vſus reipub. oppignerationem requi-
rat,etiā aſſenſu ſenatus comitiali opus
Sendomirienſis præfecturæ priuilegium eſt.Sola Sendomirienſis priuilegio quo
dam neq; oppignerari, neq; locari per-
petua locatione poteſt.Habēt & epiſco-
Præfecti alij præter regios. pi,& proceres, atq; equites locupletio-
res nonnulli arces & prçfectos ſuos:Sed
hoc nomine principi nequaquā obno-
xios.Habet arx Cracouienſis peculiari-
Burgrabij Cracouiēſes. ter decem cuſtodes,qui burgrabij,ſum-
pto à Germanis vocabulo,appellantur,
ſine vlla poteſtate, præfecti authoritati
obnoxios: Qui pacis iuxta ac belli tem-
pore nocturnas atq; etiam diurnas, quā
do opus eſt,excubias per ſe,vel per admi
niſtros ſuos ſeruant:Habentque militię
vacationem : & eo nomine ambitur
id munus à multis, & à rege confertur.
Zupparij ſiue ſalinatores. Salinæ & alia metalla habent ſuos cura
tores & adminiſtros iuratos, & rationi-
bꝰ reddēdis obnoxios. Præeſt aūt ſalinis
Bochnēſibus & Veliſcenſibus, earumq;
adminiſtris & operis vnꝰ ſalinator, quē
Zuppariū Cracouiēſem vocāt. Ruſſicis
item vnus,quē Ruſſicū appellant. Et eſt
honorata hęc vtraq; curatio.Sed neq; in
regni, neq; in curiæ,neq; in terreſtribus
magiſtratibus numeratur : Quemad-
Telonæ. modum neque telonæ, ſiue quæſtores
teloniorum, neque tributorum atque
Exactores tributorum. exactionum publicarum exactores. Et
ij verò vtrique rationibus reddendis
obnoxij ſunt. Telonæ quidem, ſi non
redemerint telonia : Quod faciunt ple-
runque.Hos omnes in hunc locum ter-
reſtrium magiſtratuum conijcere li-
buit, propterea quòd eorum curatio-
nes ad præfectorum officia nonnihil
accedunt. Scribam quoque ſiue notari- *Notarius theſauri.*
um theſauri regij nihil vetat his adijce-
re,quem rex ipſe edit,ac theſaurario vi-
carium adiungit. Eſt & ſcriba caſtren- *Scriba caſtrenſis.*
ſis, quem etiam notarium campeſtrem
vocant, mercenariorum militum con-
ſcriptor,& ſolutor ſtipendiorum. Sunt *Officia curiæ.*
etiam à terreſtribus magiſtratibus non
multum diuerſa miniſteria quædam in
aula principis, quæ officia curiæ dicun-
tur. Quorum adminiſtri terreſtrium
plerorumq; & regni officialium (quo-
rum ſunt cognominis) quotidianis mi-
niſterijs in aula principis funguntur, fi-
demque ſuam principi ad ſuum quiſ-
que miniſterium iureiurando obſtrin-
gunt. Sunt aūt ij : Mareſalcus, Theſau-
rarius,ſeu Vicetheſaurarius, Succame-
rarius, Referendarij duo,pincerna, ſtru
ctor mēſæ,ſubdapifer,dapifer,magiſter
culinæ,& præfectus curruum. Nuper e-
tiam his acceſsêre, Vexillifer,ac ductor
aulicæ militiæ. Qui omnes addito no-
mine curiæ, à ſuperioribus magiſtrati-
bus & officialibus cognominibus ſuis
diſtinguuntur : Nempe vt Mareſalcus
curiæ,theſaurarius curiæ, atque eodem
modo alij dicātur.Nec ſcio an & Secre- *Secretariorum officia.*
tarij in hunc ordinem referri debeant,
licet nullum peculiare certumque mu-
nus attributum habeant, ſed ad nutum
principis præſto ſint in obeundis eius
nomine legationibus, in ſcriptionibus
& lectionibus publicarum & Regiarum
ſcripturarum, in acciendis ac deducen-
dis ad regem,vel in ſenatum illuſtribus
hoſpitibus & legatis principum, in ex-
quirendis & referendis ſententijs ægro-
torum , & à conſilio abſentium prima-
riorum ſenatorum, in recognoſcendis
pro principe locis, factis, & cauſis cōtro
uerſis, regiorum præſertim hominum
& adminiſtrorum inter ipſos,vel cū ma
giſtratibus ſuis, & ſi qua ſunt alia hone-
ſta,& cum dignitate coniuncta miniſte-
ria. Numerus eorū certus non eſt.In his
eminet vnus, qui appellatur pimus ſeu
maior Secretarius. Is abſentiū Cancella *Primi Secretarij officiū.*
riæ præſidiū vicem ſupplet in aula & co
mitatu principis: Nec tamen, vt illi,ge-
ſtat ſignū regium, ſed quoties opus eſt,
petito ab ipſo annulo ſignatorio tam di
plomata publica, q̄ epiſtolas ipſo præ-
ſente ſignat.Quòd ſi is quoq; abſit,pera-
git ea quiſpiam de cæteris Secretarijs,
quem princeps iuſſerit. Habet autē pri-
mus quoq; Secretarius ſecundum Can-
cellarium & Vicecancellariū prerogati

uam capessendi honores publicos & magistratus, qui vacauerint: In arbitrio tamen regio positam. Habet & locum honoratum supra omnes officiales terrestres & aulicos, excepto Maresalco. *Maresalci curiæ.* Maresalcus curiæ absente Maresalco regni agit omnia, quæ illius muneris sunt: A præsente etiam socius adhiberi solet ac debet ad ea, quæ sunt maioris momenti peragenda, præfertque cum eò pariter principi erectum sceptrum. Thesaurarius item *Thesaurarij curiæ.* Thesaurarij regni absentis vices gerit, adhibeturq; & ipse à præsente ad pleraque omnia. *Succamerarij.* Succamerarius, est magister cubiculi atq; cubiculariorum puerorum, aliorumq; domesticorum principis administrorum: Sub cuius potestate est supellex ad lectum & cubiculum principis, cultumque corporis pertinens. Ianitoribus quoq; idem præest. *Referendariorum.* Referendarij, supplicum libellorum magistri sunt, & querimonijs hominum audiendis, Cancellariæque, vt verbo legis vtamur, referendis præsunt. Quinetiam in litibus vrbanis disceptandis presto sunt eidem Cancellariæ, eiusque permissu exponunt regi cum consilio causas & controuersias litigantium. Nuper adeò sententias quoque rogari cœperunt in regijs iudicijs. Sunt autem duo pari potestate, alter ecclesiastici, alter profani ordinis. Ductores copiarū, magistri stabuli, magistri culinæ, & præfecti curruum quæ sint officia, ipsa eorum nomina satis ostendunt. Cæterorum munera iam sunt explicata in terrestribus officijs & curationibus. Eadem enim sunt horum, atque illorum: Sed cedunt hi illis præsentibus in sua cuique satrapia siue terra. Hæc autem om- *Alia ministeria aulica.* nia honorata sunt ministeria: Minus illa, interioris cubiculi seruatoris, curatoris lecti, atq; dispensatoris. Cæterùm stipēdiarij & aulici principis equites, Concionatores, & sacrifici, quamuis honorato sint loco, tamen inter officiales nō censentur: Multò minus stipatores siue satellites, cubicularijque, & pueri: Sed perpetui sunt administri principis, & præsto sunt ipsi iter facienti, & quouis loco manenti. Ac sacrifici quidem per vices operantur sacris quotidie præsente rege, Canunt etiam festis diebus, benedictionesque & gratiarum actiones ritu Christiano ad mensam eius peragunt. Concionator sacris concionibus fungitur. *Aulici equites.* Aulici verò (sic enim vocantur) equites equis stipendia merent, præsidij honorisque regij causa, & eque itrem eum vel currulem equestres ferè comitantur. Qui equitatus numerosus est atque splendidus, nobili iuuentute constans: In qua sunt complures magistratibus & officijs non modò aulicis, verùm etiam terrestribus præditi. Ei verò Maresalci moderantur. Cæteri ministri non habent necesse equos alere. Itaque pedestres prodeuntem in publicum principem deducunt. In solennibus tamē pompis non inusitatum est, vt equites quoque aulici pedestres equestrem principem antecedant. In longioribus autem itineribus ij, qui equis non merent, vel regijs, vel oppidatim suppeditatis, vel conductitijs equis aut curribus vehuntur. Ex his stipatores, *Stipatores siue satellites.* præsidij causa sunt circum principem: Quod tamen recens est in Polonia: sed auget maiestatem principis. Cubicularij & pueri præsto sunt ad quæuis domestica ministeria. *Cubicularij & pueri.* Sed cubiculariorum peculiaris vsus est in acciendis in senatum & ad regem consiliarijs, & perferendis quoquo versus, literis, mandatis, edictisque regijs. Quam ad rem oppidatim & vicatim eis mandato principis equi subministrantur: Quæ subuectiones, & lingua vernacula poduodæ vocantur: Cursum publicum latini vocant. *Cursus publicus seu poduodæ.* Incedentem in publico principem, aulici quidem antecedunt, stipatores prælongis securibus more peditum Germanorum armati latera eius cingunt, Cubicularij verò cum pueris subsequuntur: Sed ita, vt & aulici proceribus atque senatoribus profani ordinis, & cubicularij puerique episcopis ac secretarijs ecclesiastici ordinis proxima principi loca honoris causa concedant: Nisi fortè regem regina sequatur. Tunc enim episcopi quoque & secretarij cum proceribus antecedunt: Reginam verò longus ordo sequitur nobilium matronarum & puellarum. Hæc igitur est ratio vniuersæ aulæ & comitatus regij. Mitto enim cantores, abaci custodem, mapparium, canum venaticorum *Viliora ministeria.* curatores, dimensorum distributores, ianitores, tibicines, tubicines, opifices, & alia viliora ministeria: Quæ magna est turba, & sumptibus principis alitur. Et quoniam omnia persequimur: Volumus quidem certè: habet etiam regina *Reginæ comitatus.* suum comitatum, nec modò puellarū & matronarum, quæ in gynæceo sunt, sed etiam puerorum cubiculariorum, & aulicorū, & in his peculiares administros siue officiales. In primis magistrū *Magister curiæ.* curiæ, qui omnibus præest, Reginamq; *Magistri curiæ.* prodeuntem cum sceptro antecedit: & magistram curiæ, matronam gynæceo *Cācellarius siue secretarius.* moderantem: Deinde Cancellarium, vel

vel Secretarium: Cuius sunt munera, literas nomine reginæ conscribere, & signare, & legere, & compellantibus eam responsa dare. Quod quidem nescio an cum magistro curiæ commune habeat. Est autem & hic discrimen inter Cancellarium & secretarium, quòd hic non gestat signum reginæ, sicut ille: sed ab ea, quoties opus est, vtendum accipit. *Administri reginæ.* Habet regina etiam thesaurarium suũ, & pincernam siue pocillatorem, & structorem mensæ, & subdapiferum, & dapiferum, & culinæ ac stabuli magistros singulos: Itemq; dispensatorem, abaci custodem, mapparium, & ianitores eodem, quo regij sunt honoris discrimine: Quibus omnibus victus, vestitus, & mercedes à rege præbentur. Indidem ipsius quoq; reginæ mẽsa instruitur, res vestiaria, mundus muliebris, & iumenta comparantur. Quod si ea regi superstes sit, vidua de suo, ac de fructibus & reditibus eorum bonorum, quæ rex ipsi dotis ac donationis propter nuptias nomine de amplissimi consilij sententia attribuerit, sese cum vniuerso comitatu suo deinceps sustentat. Atque hæc de magistratibus regni, terrestribus, & au- *Ecclesiastici honores & magistratus.* licis nobis decursa sunto. De ecclesiasticis magistratibus, honoribus, ministerijs & curationibus, quales sunt secundum Archiepiscopos & episcopos, suffraganeorum, abbatum, præpositorum, Decanorum, Archidiaconorum, scholasticorum, cantorum, custodum, cancellariorum, vicariorum in spiritualibus, officialium, commissariorum, ministrorum, priorum, custodum siue guardianorum, pœnitentiariorum, parœcorum, quos etiam plebanos vocant, nõ est operæprecium hic nos persequi: Ne de collegijs quidem, canonicorum, monachorum, & monacharum, fratrum conuentualium, vicariorum, psaltarum, mansionariorum, & si qua sunt alia. Neque enim peculiare quicquam habent apud Polonos præ cæteris gentibus & nationibus Christianis, neque ad rempubl. pertinent, exceptis Archiepiscopis & episcopis, & si quibus fortè prætera peculiariter quædam reipub. munera, quorum superius mentionem fe- *Ecclesiastici ordinis dignitatio.* cimus, mandantur. Magnus tamen, vt par est, honor eis & omnibus sacerdotibus habetur solo sacerdotij nomine: Maior etiam olim habebatur: id quòd è vetustioribus literarum monumentis deprehenditur. Omnes autem ij episcoporum & Archiepiscoporum potestati & iurisdictioni subiecti sunt, præter, si qui pontificis maximi, cuius eximia potestas est, authoritate exempti sunt. Ple- *Plebs Polona.* bes vrbanæ, oppidanæ, vicanæ, & agrestes partim principi parent, partim proceribus & equitibus: partim certis sacer dotijs attributæ sunt. Reguntur autem à suis quæque dominis, eorumq; præfectis ac procuratoribus, ex æquo & bono siue ex arbitrio magis, quàm certis legibus. Quanquam non carent tamen suo quoque iure: Quod non est vnius modi, quemadmodum posterius ostendemus. Præter dominos autem, eorumq; *Plebei magistratus.* præfectos & procuratores, habet plebs quæque oppidatim, vicatim, & pagatim suos magistratus. Ac in pagis quidem scultetum, siue aduocatum hæreditari- *Scultetus siue aduocatus hæreditarius.* um vocant, qui est quasi deductor ac defensor coloniæ: qui vel ipse per se, vel per vicarium suum, quem & ipsum ad- *Aduocatus iudicialis.* uocatum, seu iudicialem, vocant, cum adiunctis aliquot ex aratorum numero scabinis (sic appellantur iudices, siue as- *Scabini.* sessores iudicij) ius dicit. In ciuitatibus autem & oppidis & vicis præter hos, sunt etiam consules. Ita vocamus eos, qui à veteribus decuriones appellãtur: *Consules siue decuriones.* penes quos est ciuitatis cuiusque gubernatio & custodia: in delinquentes animaduersio: publicorum commodorũ administratio, curaque ædificiorum & sartorum tectorum publicorum. Inter eos autem vnus præsidet magister ciui- *Magister ciuium.* um, quem vulgò proconsulem vocitant, qui eos, quoties opus est, conuocat, & in consilium adhibet. Nam leuiora sine illis ipse gerit. Consulum non idem est vbiq; numerus. Habẽt item singulæ opificum societates & contuber- *Magister contuberniorũ.* nia in qualibet ciuitate & oppido suos magistros, & his adiunctos aliquot seniores. In maioribus vrbibus sunt etiam ædiles vnus & alter de numero de- *Aediles.* curionum delecti, pecuniæ publicę quæstores, & sartorum tectorum curatores. In oppidis verò & vicis cõmuniter hæc à decurionibus curantur. Hos magistratus in oppidis præsertim, iuratos esse oportet, præter aduocatos hæreditarios. Nullos aũt cõmunes magistratus pagi inter se, neq; ciuitates habẽt. Hæc de plebeijs magistratibus. Creandorum magi- *Magistratuũ creandorum ratio.* stratuũ, & honorum mãdandorũ in Polonia nõ vna est ratio. Olim episcopi ex *Episcoporum electio.* præscripto sacrorum canonum à collegijs primariorum sacerdotum, quę capitula cathedralium ecclesiarũ vulgò nõ *Nominatio.* minant, legebantur: Nunc princeps, vmbratili quadã electione illis relicta, aut ne relicta quidem, solus arbitratu suo edit episcopum, & pontifici max. cõmendat, (quod fiebat etiã à collegijs) vt eius

au-

authoritate approbetur, præficiatur, & ab alijs episcopis cõsecretur. Cœperũt autem sic editi siue nominati indulgentia vel conniuentia quadam admitti ad consilia publica, priusquam approbentur à pontifice: Non item ad functiones sacras, & iurisdictionem ecclesiasticam, & administrationẽ bonorum. Sed à morte episcopi collegium sacrũ distributis inter se curationibus bona vacantia administrat: Excepta Gnesnensi diœcesi, quę peculiarem habet Oeconomũ, etiam viuente Archiepiscopo. Ius autẽ dicit in ea iuxta ac in alijs diœcesibus vacãte sede vnus aliquis, quem collegium administratorem temporarium renunciauerit. Abbatum & præpositorum eligendorum ius collegia monachorum hactenus retinuêre: Sed iam vix retinent, ab episcopis primùm, deinde à regibus etiam labefactatum & violatum. Ad electionem quidem certè Regius assensus, & episcopi authoritas accedat oportet. Cæterùm in sodalitijs & conuentibus fratrum mendicantium neutrum horum requiritur. Ne in inferioribus quidem & quasi vicarijs locupletiorum monasteriorum curationibus, quas ferè præposituras vel prioratus vocant. Prælati & canonici ecclesiarum cathedralium partim à pontifice max. partim ab ipsarum episcopis alternis mẽsibus creantur. Primariorum tamen secundum episcopos in vnaquaque ecclesia prælatorum, & nonnullorum canonicorum edendorum, siue commendandorum, &, vt vulgò loquuntur, præsentandorum ius regi concessum est pontificum superiorum indulgentia. Indultum est idem ius etiam priuatis quibusdã, præsertim episcopo rũ curatoribus, in alijs quibusdã sacerdotijs. In parœcijs verò & alijs minoribꝰ sacerdotijs vsitatum & legitimum est, vt ius edẽdi sit penes eos, vnde profecta est dotatio cuiusq; sacerdotij, vel in quorũ bonis id, prouentusq; eius siti sunt, sic tamen, vt penes episcopum sit approbatio editi, & reprobatio, si non sit idoneus: aut si plures pariter edantur, dijudicatio. Quod de illis quoq; qui à rege, vel alio quopiam profano commendãtur, siue præsentantur intelligendum est. Vocantur autem patroni vsitato iuri pontificio nomine, collatores etiã vulgò, qui ius hoc edendi, siue præsentandi habent: Quibus inuitis obtrudi sacerdotem siue beneficiarium per legem non licet, ne pontificis quidem maximi authoritate: nisi ij sese indignos eo iure reddiderint, aut intra tempus legitimum vti eo neglexerint. Obtruso pœna est proscriptio. Quæ sic obiter, & præter institutum propemodum hic nobis perstricta sunto. Ad proprios reipubl. Polonæ magistratus reuertamur. Palatinos & Castellanos, & reliquum omnem Senatum regni princeps legit, & iureiurando obstringit sibi & regno siue reipubl. Idem confert præfecturas, cæterosq; omnes magistratus, honores & ministeria publica. Sed in magistratibus regni illud receptum est, vt non nisi in comitijs renuncientur. In iudice verò & subiudice, & scriba siue notario terrestribus ita est adstricta legibus potestas principis, vt nobilitas eius satrapiæ siue territorij, cuius iudex, vel subiudex, vel scriba decessit, conuentu instituto authore & præside palatino, quatuor patresfamilias equites eligat: de quibus princeps vnum, quem vult in locum vacantem surrogat. Abrogari verò magistratus, aut honor vllus nemini potest, nisi per maximam vel mediam capitis diminutionem, hoc est, libertatis, ciuitatisúe, siue nobilitatis & bonæ famæ amissionem: aut si quis alium magistratum honoremúe adeptus sit, quẽ cum priori retinere iure non possit. Ipse se quisq; abdicare arbitratu suo potest. Prefectura, & metallorum, teloniorum que curatione princeps amouere quẽlibet, quando vult, potest, nisi cui ipse promiserit, ac diplomate cauerit, vt ad certum tempus, vel quoad vixerit amoueri nequeat. Aulico item magistratu & ministerio amouere quenq; regi licet. Non temerè tamen id facit, nec ferè sine nota ignominiæ: nisi lex iubeat. Exactores tributorum annui ferè creantur à rege, vel comitiali placito. Plebeios magistratus partim domini, vel præfecti creant, partim ipsi sibi ciues & oppidani legunt, præter Cracouiam, vbi Palatinus ius legendi senatus habet, abrogandi non habet: Nec nisi morte, aut maxima mediáue capitis diminutione honoris amittitur: Ex omni etiam numero viginti quatuor consulum, quotannis octo, quos vult, Palatinꝰ rebus gerendis præficit, quos præsidentes vocãt: de quibꝰ certo ordine singuli fiũt magistri ciuiũ in sex hebdomadas. Nec multùm diuersa est ratio consulum in alijs quibusdam ciuitatibus & oppidis: Nisi quòd præfecti in suæ quisq; ditiõis oppido vnũ aut alterum legendi facultatem habent. Cazimiriæ, Clepariæ, & Prossouiæ magnus procurator arcis Cracouiensis, cùm in legendis consulibus, tum in alijs rebus præfecti vicem obtinet.

Oeconomus Gnesnensis.

Administrator.

Sacerdotiorũ collatio.

Abbatum electio.

Sacerdotiorum collatio.

Senatus & magistratuũ equestrium creandorum ratio.

Iudicis, sub iudicis, & notarij electio.

Magistratus & honores perpetui.

Plebeiorum magistratuũ creatio.

Cracouiensiũ consulum creatio.

Iudicum iuris supremi creatio. Idem aduocatum & scabinos iuris supremi Theutonici siue Magdeburgensis legit. Cæteros autem scabinos, ipsi consules siue decuriones in sua quique ciuitate & oppido legunt, & sacramento adigunt. Cracouiæ aduocatum quoque iudicialem. *Scultetus siue aduocatus hæreditarius* Cæterùm Scultetus siue aduocatus hæreditarius in quouis oppido, vico atq; pago semel à domino constitutus magistratum hunc obnoxium ipsi domino ad equestre ministerium, reiq; publicæ, ad expeditionem bellicam, etiã ad hęredes transmittit. Quin & in externum transferre assentiente domino potest. Est tamen ius fasq; domino amouere scultetum, & aduocatũ hæreditarium contumacem aut inutilem, persoluto ipsi pretio, quod habet inscriptum in diplomate, vel secundũ æstimationem emolumentorum atq; ædificiorum. Nisi quid enorme & priuatione dignum is commiserit. Quo quidem iure multi sic abuti cœpêre ad augenda commoda sua, vt sculteteis & aduocatis hæreditarijs sine vlla culpa eiectis prorsus, vel in ordinem redactis, agros eorum prædijs suis adiunxerint, iudicijs verò iudiciales aduocatos arbitratu suo præficiant. *Reditus magistratuum.* Reditus magistratuum regni exigui, terrestrium verò & aulicorum nulli ferè sunt. Ne vrbanorum quidem & oppidanorum, & agrestium vlli ferè certi sunt. Honorem Poloni satis amplum & luculentum virtutis & honestorum laborum præmium esse duxerunt, etiam sine compendio: quod minus generosi animi magis plerunq; consectantur. Sunt tamen certæ mercedes, & quasi sportulæ, quæ iudicibus iudiciorumq; administris penduntur à litigantibus. Primores aliquot Palatini & Castellani, mediocres tamen habent reditus, partim ex agris & prædijs, partim è salinis, vel telonijs, siue alijs quibusdam pensionibus à principe antiquitùs in omne tempus attributis. *Episcoporum & aliorum sacerdotum reditus.* Episcopi nonnulli peramplos habent, vnde non modò ipsi commodè & cum dignitate viuere, & senatoria munera lautè sustinere, verùm etiam inferioris ordinis sacerdotes, socios & administros suos rectè alere ac tueri, & omnem cultum diuinum cum dignitate administrare, & egenis denique liberaliter subuenire queant. Habent etiam decimas omnium segetum publico principum ac totius Poloniæ consensu iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ attributas, & alijs quibusdam pẽsionibus postea vel cumulatas, vel commutatas: indeque cum alijs quibuslibet sacrorum administris, tum parœcis, prę latis, & canonicis certas portiones antiquitùs segregarunt. Habent & luculentos fundos, prædia, pagos, oppida, arces, & territoria, partim priscorum itidem principum & regum, partim priuatorum munificentia adiecta. *Priscorum Pol. diuini cultus augendi studium.* Ne abbatum quidem, ac cæterorum sacerdotum, primariorum præsertim, quos prælatos vocant, & monasteriorum, atque etiam parœcorum pijs & honestis vsibus malè prospexit similis pietas & beneficentia. Ipsi etiam superiorum temporum episcopi, abbates, & sacerdotes successoribus & posteris suis permultum addiderunt, patrimonia sua, vel empta aliundè bona, censusue sacerdotijs adiungendo, templorumque splendorem, ædificiorum atque donariorum omnis generis magnificentia augendo, quo augustiorem cultum diuinum redderent. Atque hæc omnia cum ipsis adeò personis ecclesiasticis maiorum legibus ac principum benignitate immunia sunt à plerisque omnibus muneribus & oneribus publicis. Quo prolixior autem fuit hominum in ordinem sacrum munificẽtia superioribus temporibus, hoc erant abundantiores & ipsi, qui de suo liberales erant, licet minus curæ laborisque rei familiari impenderent. *Benignitas Dei in pios.* Nunc passim in alienas donationes ac decimas inuaditur longè maiore auaritiæ rapacitatisq; infamia, quàm egestatis releuatione. Atq; id tentatur etiam (proh nefas) placito & authoritate comitiorum publica, qua refrenari potiùs talis priuatorum hominum temeritas & iniustitia deberet: vt fuit refrenata antiquioribus constitutionibus & magistratuum seueritate laudabiliter iuxta ac vtiliter. O tempora: ô mores. Nos ad institutum nostrum reuertamur. Multi tamen è sacro ordine nullos habent certos reditus: sed partim Episcoporum & opulentiorum non modò sacerdotum, verùm etiam profanorum stipendijs, partim cęteræ multitudinis quotidiana beneficentia & quasi stipe vitam sustentant. Quales ferè sunt etiam ii, qui vocãtur mendicantium conuentus, siue collegia. Sed nos honorum & magistratuum omni fermè ratione explicata, ad iudicia transeamus. *Iudicia.* Eorum autem ratio varia & perplexa est in Polonia. *Ecclesiastica iudicia.* Habet ordo ecclesiasticus, quemadmodum & apud alios Christianos populos, sua, quibus cæteri quoque homines, nobiles pariter ac plebeij obnoxij sunt aliquatenus in ijs præsertim causis, quæ cũ religionis, aut personarum, rerumue

sa-

sacrarum ratione aliqua ex parte connexæ sunt: Quales sunt, de institutis & ritibus religionis, quæq; his aduersantur de impietate, hæresi, schismate, magia, incantationibus, fœnore, sacerdotiorum cauponatione, quam Simoniam vulgò vocant: Itemq; de decimis, & fundis, & quibusuis censibus ac reditibus ecclesiasticis, de cæde, vi, & iniuria sacris initiato homini, reiue, aut loco sacro, seu sacerdotij fundo illata. Ad hæc de iure patrocinij siue patronatus, quod vocant, & de sacerdotiorum iure quæuis cōtrouersiæ, item quæ de iure matrimonij & natalium, & de miserabilium egentiumq; personarum iniurijs, quæq; ex obligatione in foro ecclesiastico facta, oriuntur. Testamentariæ causæ profanorum hominum in hoc æquè ac profanis foris disceptantur, dūmodo extra iudiciū testamenta sint cōdita. Aliter enim, in eo foro disceptātur, in quo sunt cōdita. Nisi quid fortè legatū sit pietatis ergò, & ad piā causam, vt vulgò loquuntur, hoc est, templis, ecclesiarúmue ministris, aut egenis: Quæ causa propria est ecclesiastici iudicij. Est aūt iudiciorū ecclesiasticorū summa penes episcopos: quorū vices gerūt ij, quos vocāt vicarios in spiritualibus, Cancellarij, & officiales: Inter quos vnus, q est primarius, generalis appellatur: Cæteri foranei. Ab episcopis, eorumque vices gerentibus prouocatio est ad Archiepiscopos: Et ad Gnesnensem quidem ab ipso etiam Leopoliensi Archiepiscopo: Idq; eo nomine, quòd ille est legatus perpetuus, siue, vt vulgò loquuntur, natus sedis apostolicæ. Pertinent autem ad eius prouinciam hi Episcopi: Cracouiensis, Vuladislauiensis, Posnaniensis, & Plocensis in Polonia, Vuratislauiēsis in Silesia Boëmicæ ditionis: Lubussēsis in Marchia Brādeburgēsi, Vilnēsis in Lituania: & Medniciēsis in Samogitia: Olim Culmēsis quoq; in Prussia, & Camenēsis in Pomerania sub eo fuêre. Sed auulsi sunt postea. Ad Leopoliēsem verò, Præmisliensis, Chelmēsis, Camenecēsis, Lucēsis, siue Luceoriensis, atq; Kiouiensis. Extrema tādem prouocatio est ad pontificem max. antiquissimo Christianæ religionis instituto. Omnes autem iudices ecclesiastici iudicāt, siue adeò iudicare debent è præscripto ecclesiasticorum & pontificiorum canonum: Et præter diras siue cēsuras & interdicta ecclesiastica, habent ius quoddam coërcendi sontes, in sui quidem ordinis homines laxius, in profanos autem restrictius, ita vt contra hos ad executionem rerum iudicatarum, vrbanorum, ac terrestrium magistratuum opem ad extremum implorare necesse habeant. Nec ij iure eis deesse possunt, aut debent. Habent & profani inter se nobiles iuxta ac plebeij sua iudicia: quibus sacris initiatum aut sacerdotio præditum præesse non licet. Ac nobilitas quidem terrestribus iudicijs peculiariter subest: quæ à iudice, subiudice & notario terrestribus exercentur, alibi quidem quater, alibi sexies quotannis, alibi verò singulis mensibus: Nisi fortè iudex, subiudex, aut notarius desit: aut bellica expeditio, vel comitia, colloquiáue (de quibus paulo pòst dicemus) interueniant. Tunc enim silent iudicia nobilitatis, non terrestria modò, sed & alia. Sunt autem in qualibet satrapia siue palatinatu certa oppida, in quibus ius hoc dicitur nobilitati, in eo ipso territorio bona agrosque habenti. Nec euocari quenquam è suo territorio licet, nisi ipse certa obligatione nominatim ab hac prærogatiua recesserit. Cæterùm qui nulla habet bona terrestria, conueniri hoc iure non potest. Ne sacerdos quidem, exceptis causis finium regundorum, & adscriptitij alieni profugi, cæsi, vel vulnerati: aut si vllo alio, quàm sacerdotij nomine bona terrestria possideat. Oppida verò ac territoria iudiciaria hæc sunt: In Cracouiensi quidem satrapia Cracouiensis arx, Prossouia, Xianzum, Lelouia, Biezzum, Cichouia, in quo oppido & Sandecense territorium iudicatur: In Posnaniensi, Posnania, Costenum, & Vvschoua: In Sendomiriensi, Sendomiria, Radomia, Opocinum, Chencini, Vislicia, Pilsna: In Calissiensi, Calissia, Gnezna, Pysdri, Coninum, Keina, Naclum: In Siradiensi, Siradia, Schadcouia, Petricouia, Radomsci, Item Velunia & Ostressouia: In Lenciciensi, Lencicia, Brezini, & Orlouia: In Brestensi, Breste, Crusuicia, Couale, & Prædecia: In Inouladislauiēsi, eiusdem nominis oppidum & Bydgostia: Itemq; Dobrinum, Ripinum, & Lipnum: In Russica, Leopolis, Præmislia, Sanocum, Halitia, & Chelma: In Podolica, Camenecia, ac Trebovulia: In Lublinensi, Lublinum, & Lucouia: In Belsensi, Belsum, Buscum, Grodlum: In Plocensi, Ploscū, Plonscum, Bielscum, Racianzum, Zavucrze, Mlavua ac Srenscum: In Masouia, Cyrscum, Vizna, Varsauia, Nur, Vissegradum, Zacrocimum, Ciechanouia, Lomza, Zembrouia, Rozanum, & Liua: In Rauensi Raua, Gostinum & Sochaciouia. In Silesia verò Osuiencimen se

Ecclesiastici fori causæ.

Iudices ecclesiastici.

Archiepiscopi Gnesnensis iurisdictio.

Executio rerum iudicatarum ab ecclesiasticis iudicibus.

Terrestria iudicia.

Iudiciorum terrestrium loca.

se & Zatoriense territoria suos vtrunque peculiares habet iudices, qui cum delectis de nobilitate ius dicunt, præfecto præsidente. Ad eundem modum & Seuerienfis Episcopi Cracouiensis ditio suum habet. Olim in Silesia ipsi duces in sua quisque ditione iudicijs præsidebant. His iudicijs disceptantur pleræq; omnes causæ nobilitatis priuatæ ac ciuiles, quemadmodum loquuntur iure consulti, ac ciuiliter institutæ. Regundorum finium controuersia hoc ipso quidem iudicio primùm disceptatur inter equites, vel inter equitem & sacerdotem: Sed ad extremum ac Succamerarium terrestrem remittitur: Qui in rem præsentem veniens, ipse per se, vel per vicarium suum camerarium illius territorij eam definit, certisque metis atque signis fines controuersos designat. Atque hæc est vnica Succamerario rum iurisdictio. Cæterùm si cum regijs bonis equiti sit controuersia, non apud terrestre & Succamerarij iudicium ea disceptatur, Sed princeps equite postulante edit recuperatores aliquot de senatu ac terrestribus magistratibus siue officialibus eius satrapiæ, in qua est controuersia: quos commissarios appellamus. Inter quos etiam Succamerarius esse solet: Qui in rem præsentem venientes iudicium id peragunt. Idem fit; si sacerdotalis fundus & ager cũ regio controuersos fines habeat: Nisi quod episcopus quoq; eius diœceseos editis à principe recuperatoribus vnum aut alterum de suis adiungit. Eademque ratio est petendi recuperatores à principe in causa herciscundæ familiæ, siue diuidundæ hæreditatis inter fratres & propinquos. Quanquam hoc iudicium etiam præfectus exercere potest. Criminales verò causæ de stupro, incendio, latrocinio, & vi armata alienis ædibus illata ad præfectorum siue capitaneorũ in sua cuiusque præfectura iudicium pertinent. Ciuiles item, quæcunque ad uersus eos equites instituuntur, qui certos agros & bona terrestria nulla habẽt, & qui, licet habeant, obligatione tamẽ sua ei foro obnoxios sese fecerunt, aut merent publica stipendia, aut sacris initiato homini damnum vel iniuriam intulerunt, aut alienum adscriptitium detinent, aut obstaculis deniq; liberam fluuij nauigationem impediuerũt, aut si quis executionem rei iudicatæ prohibeat. Dicit autem ius præfectus in arce, aut alio loco publico suæ quisque præfecturæ sexta quaque septimana per se ipse, vel per vicariũ suũ iudicem castrẽsem. Atque hæ sunt iudicij castrensis causæ. Officij verò sunt, rerum iudicatarum executio: viduarum de bonis dotalibus eiectarum, & aliorum spoliatorum restitutio: Itemque in deprehensos in scelere, & recenti, vt dicunt, crimine, aut si quis rem alienam apud se deprehensam non reddat domino repetenti: Adhæc in turbatores conuentuum & iudiciorum, & qui vetitis armis vtuntur: in tolerantes censuras ecclesiasticas vltra annum, in iniustos teloniorum exactores, & in sacerdotes, qui iuri patronatus profanorum hominum derogant, aut profanos præter ius ad forum ecclesiasticum euocant, animaduersio. In quibus causis quouis tempore cuiuis quærenti præsto esse debet præfecti authoritas per seipsum, vel per suppræfectum suum: Cuius iurisdictio ad causas officij pertinet, si præfectus ipse ius non dicat. Denique furti suspectos prehendendi, reosque iudicandi, & supplicio afficiendi ius habet præfectus & suppræfectus eius. Equestres tamen non nisi eos, qui ter ab eodem crimine damnatis editi, & in album furum relati sunt. Porrò status controuersiæ, hoc est, cùm de genere cuiusquam ambigitur, & eæ causæ, quæ infamię, confiscationis bonorum, vel capitis pœnam (præter eas, quas dudum præfectis attributas esse exposuimus) annexam habent, atque etiam de cæde equitis, ad solius principis iudicium pertinent. De quibus is in comitijs demum cum senatu cognoscit. Præter, si maleficium in loco domicilij principis ipsius, & sub aspectu eius patratum sit. Tunc enim, si author recenti & calenti, quod aiunt, facinore comprehendatur, absque citatione princeps eum ipse per se, vel per Maresalcum iudicat. De personalibus verò causis ciuilibus, aut ciuiliter institutis, quæ alioqui ad forum terrestre vel castrense pertinent, princeps itidem quouis loco ac tempore cum ijs, quos ad manum habet consiliarijs citatum iudicat. Quę citatio curialis, & post curiam vocatur. Sed eius vsus ita restrictus est, vt ea in minore Polonia contra eũ, qui in maiore tantùm agros ac domicilium habet, non valeat: neque contra. Id autem iudicium regiorum terminorum nomen habet. Vbi etiã in pręfectos & administros suorũ bonorũ & redituũ, quod ad munera eorũ attinet, quicunq; & vndecũq; ij sint, princeps ipse sibi, instigatore, vt vocant, officij petente, & cuiuis postulanti ius dicit: Ac de prouocationibus quo-

Terrestris iudicij causæ.

Succamerarij iudicium.

Cõmissarialia iudicia.

Capitaneorum, seu præfectorum iurisdictio.

Castrense iudicium, & officium.

Regij iudicij causæ.

Citatio post curiam.

Regij termini.

quoque ab officio castrensi ad se delatis cognoscit. Iniustus tributi publici exactor, etiam apud episcopum, palatinum, vel castellanum loci rectè conuenitur. Belli autem & expeditionis publicæ tempore, cùm silent omnia supra memorata fora, penes principē est ius omne, & iudicium eorum, quę in castris & in ipsa expeditione flagitiosè aut sceleratè admittuntur. De iniurijs quidem damnisque datis in expeditione bellica palatini vel castellani cuiuis querenti contra suæ quisque satrapiæ, vel territorij homines ius dicūt. Si quis autem non pareat, principi deferunt. Ab omnibus porrò iudicijs nobilitatis prouocatio est ad principē: Nisi quòd eæ, quæ fiunt à terrestribus iudicijs, in colloquijs ferè prius disceptantur. Appellatur autem colloquium, peculiare palatini cū dignitarijs, vt vocant, ac terrestribus magistratibus iudiciū: Quod semel quotannis autumni tempore in qualibet satrapia siue palatinatu exerceri debet, prouocationem à terrestribus & castrensibus eiusdem satrapiæ iudicijs disceptandarum causa. Quod etiam terminos generales vocant. Vbi & alienationes, & obligationes bonorum terrestrium rectè fiunt. Ab hoc itidem ad regem est prouocatio. Silesij soli colloquiorum vsum non habent, neque principem, sed vicinorum duorum triumúe principatuum iudicia appellant, in eisque acquiescunt. Verùm id quoque iam exolescit, pleraque omni nobilitate in ius terrestre Polonicum sese transferente. Fuit aliquando in comitijs facta mentio instituendæ in Polonia nouæ iudicum decuriæ, quæ de omnibus prouocationibus absque prouocatione cognosceret, quale est in Gallia, quod parlamentum vocant. Sed non placuit, summam iudiciorum cuiquam, præter principem concredere. Quo fit, vt principe plurimis & varijs iudicijs distento, & alijs multis & grauibus tam ampli regni negocijs distracto, lites in multos annos comperendinentur, non sine dolore & querimonia multorum, præsertim augescente indies cupiditate hominum, nullaque aut exigua certè temerè litiganti, & prouocanti, & iniusto iudici pœna imminente. Vnde capitales existunt inter necessarios quoque & cognatos inimicitiæ, cędes innumerabiles patrātur, coactisque hominibus, & iustis propè exercitibus nōnunquam cōfligitur, dum offensus longa iudicij comperendinatione, armis ius suum quisque persequi

Exactores iniusti vbi conueniātur.

Iurisdictio bellica.

Appellationes seu prouocationes. Colloquia & generales termini.

Silesiorū prouocationes.

Iudiciorum comperendinatio.

actueri contendit. Sed ad prouocationes redeamus. Earum duplex est ratio: Est enim appellatio, qua inter litigantes solos disceptatur iustène an iniustè iudicatum sit. Motio verò est, in qua iudex à quo prouocatū est, necesse habet tueri sententiam suam, vt si iniqua & legibus aduersa fuerit, ipse pudefiat, mulcteturq;. Quod tamen iam fermè exoleuit. Vtrobiq; autem regio vel colloquiorum iudicio iniustum decretum rescinditur, vel corrigitur, vniuersaque causa disceptatur ac dijudicatur, etiamsi ab interlocutiora sentētia prouocatum sit. Tametsi non temerè admittitur eiusmodi prouocatio. Cognitionum quoque principis de prouocationibus non vna est ratio. Nam de ijs, quæ fiunt à colloquijs, non nisi in comitijs cum frequēti senatu cognoscit. Ad eundem modum de ijs etiam, quæ fiūt à terrestribus iudicijs. Nam de ijs quoque rectè à rege cognoscitur in comitijs, si prius ea instituantur, quàm colloquia. Itaque indiscriminatim prouocari solet ad colloquia, vel ad comitia. De cæteris verò prouocationibus, quæ fiunt ab alijs iudicijs, etiam extra comitia cognoscit is cum ijs cōsiliarijs, quos ad manum habet, quouis tempore & loco: sed tamen intra fines regni modò. Foris enim nemo equitum sistere se principi necesse habet vlla ex causa, exceptis fiscalibus. Tam in comitijs autem, quàm extra ea in iudicijs regijs adhibentur in consilium etiam supplicū libellorum magistri, siue Referendarij: Itemque iudex, subiudex, & notarius eius satrapiæ siue territorij, in quo iudicium exercetur: præter, cùm de prouocatione ab ipsorum iudicio facta cognoscetur: Habentque ij postremi omnium dictionem sententiæ. Atque his ferè foris atque rationibus nobilitatis iudicia peraguntur. Nam barbaricus ille mos, & à religionis Christianę institutis alienus, prouocandi aduersarium ad singulare certamen, & ferro vsque ad necem vel deditionem de iure & iniuria, veroque & falso decernendi, nihil habet commune cum iudicio. Quod tamen nostra memoria semel tantùm à Sigismundo rege seniore admissum est. Cùm autem liberrimus sit nobilitati Polonæ armorū vsus, ad iudicium tamen terrestre & castrense, & ad comitia nemini armato venire licuit antiquitus: Nunc ea lex propemodum obsoleuit. Ecce autem, dum nos hoc opus, typographo alteram editionē parāte, recognoscimus, prodijt in lucem

Appellatio.

Motio.

De prouocationibus vbi cognoscatur.

Referendarij, iudex, subiudex, & notarius terrestres in iudicijs regijs.

Duellum siue singulare certamen.

cem noua forma supremorũ iudiciorũ, in proximè præteritis comitijs Varsauiensibus promulgata & edita. Iudicatur autem nobilitas suis legibus, quę paucę sunt, & constitutiones vel statuta regni vocantur (Tametsi Masouij peculiaria habent) vel moribus, vel ex æquo & bono, siue adeò iudicum opinione. Magnam autem in ijs iudicijs vim habet exemplum, & res in simili causa à principe iudicata: Permagnam item, ne dicam nimiam, iusiurandum. Magnus est etiam vsus preconum, quos ministeriales terrestres appellant, magnaq; eis fides habetur, itidem ac tabellionibus in iure ciuili Romano & põtificio. Sed sunt ij ferè illiterati, plebei, & rustici homines, palatini vel delegati cuiuspiam Regij arbitrio, nec semper exquisito delectu creati. Verùm in omni ferè functione sua vnum aut alterum equitem testem adhibeant oportet. Actori nulla est pœna, si causa cadat, vel eam non prosequatur: Ac ne litis quidem impensas reus soluit. Reus condemnatus si iudicatum non soluat, multatur & pignetur. Condemnatur autem actori in ciuili causa, quanticunque is litem iureiurando interposito æstimauerit. Licet tamen iudici ante iusiurandum eius æstimationem moderari. Si non paruerit rei iudicatæ, reus condemnatur in duplum: quod perlucrum appellant: Prior enim condemnatio lucrum dicitur. Si duplum ad certam diem non exoluerit, præfecti regij eius territorij, in quo reus bona vel domicilium habet, opem actor implorat: Ex decreto autẽ præfecti bona rei possidenda ei traduntur, adiecta certa multa, quod vadiũ vocant, si is prohibuerit. Sin iterum id fecerit, duplicatur multa: Sin tertium, triplicatur, quæ vadia duplicata & triplicata appellatur. Quæ tamen sublata iã sunt, Et post interpositum vnum vadiũ, reus si pergat esse contumax, proscribitur. Proscriptus verò, si vi sese nihilominus suaque tueatur, cuncta illius præfecturæ nobilitas contra eũ armatur. Ac ipse quidem prehenditur, bona verò eius à præfecto possidentur, donec de reditibus eorum, non modò iudicatum, sed multæ etiam & vadia soluantur. Indicta verò causa, hoc est, nõ citatum, neq; conuictum equitem, qui modò agri aliquid habeat, prehẽdere nulli magistratui ac ne principi quidẽ licet, præter furem à seruis pœnæ inter conscios & complices ter editum, aut in maleficio quouis deprehensum, aut qui satisdare nolit, vel nõ possit. Pręfecto remissiori in executione rei iudicatæ pœna est, abrogatio præfecturæ: Nisi fortè eã oppigneratam teneat. Tunc enim centum marcarum multa ipsi à principe irrogatur, detrahenda de summa eius capitali, quoties officium suũ non fecerit. Oppidanis verò & plebeis magistratibus equitem etiam in scelere deprehẽsum sine præfecti authoritate iudicare omninò fas non est. Sed sufficiant hæc nunc de iudicijs nobilitatis. Neq; enim omnem iudiciorum rationem & formã persequi hic nobis propositum est. Habet plebs peculiaria iudicia, in pagis quidẽ simplicissima, q̃ vel ab aduocatis iudiciarijs, vel scabinis, vel à scultetis, vel à præfectis siue dominis, eorũue procuratoribus & administris sine strepitu & figura iudicij exercentur. In vrbibus verò & oppidis exactiora sunt: Quibus equites quoq;, qui in ijs domicilia & ius ciuitatis habent, sunt obnoxij in causis ciuilibus duntaxat. Ea verò partim penes aduocatum & scabinos, partim penes decuriones siue consules & magistratũ ciuium sunt, partim etiam penes magistros contuberniorum. Consules ac magistri contuberniorum sine strepitu & figura iudicij iudicant, hi quidem singuli cum adiunctis sibi primoribus siue senioribus de leuioribus causis, sui quisque generis opificum: Consules verò de quibusuis, Proprietatis modò & possessionis rerum soli, & hæreditatis, itemque capitalibus atque sanguinarijs exceptis: Quę ad scabinorum & aduocati iudicium peculiariter pertinent. Parui momenti causas etiam magister ciuium solus cognoscit. A quo itidem, atque à magistris contuberniorum, ad consessum consulũ est prouocatio. Ab his porrò ad Regẽ. Inoleuit tamen multis in locis mos, vt prius præfectus, vel qui præfecti loco est, appelletur. Atq; inde demum ad Regẽ prouocetur. Idq; de regijs modò oppidis intelligendum est: Nam quæ alij cuipiã subsunt, in ijs prouocationes fiunt ad eorũ dominos: Ab ijsq; sine prouocatione iudicantur. Sed si quis aduersus eum, qui ipsi non subest, iniustè iudicauerit siue per se, siue per vicariũ & procuratorem suum, vocari potest eo nomine in ius, cui est obnoxius. Porrò episcoporum & aliorum ecclesiasticorum hominũ subditis opem superioris (nempe episcopi, vel archiepiscopi, vel põtificis max.) contra vim & iniuriam dominorum suorũ implorare licet. In iurato autem iudicio (sic enim vocatur id cui scabini cum aduocato iurati prę-sident)

Marginal notes: *Statuta regni, & Masouiorum.* — *Res iudicata.* — *Preco siue ministerialis terrestris.* — *Executio rerum iudicatarum.* — *Nobilium prehensio.* — *Capitanei negligentis pœna.* — *Plebis iudicia.* — *Rusticana.* — *Vrbana.* — *Magistrorũ contuberniorũ iudicia.* — *Consulum iurisdictio.* — *Scabinorum iudicia.* — *Nobilitatis & sacerdotũ oppida non subsunt iurisdictioni regiæ.* — *Iuratum iudicium.*

sident) accuratior seruatur processus iudiciarius. Exerceturq; id ferè inter cõciues quintodecimo quoque die, nisi is festus sit: Externis verò & hospitibus postulãtibus, quoties opus est, exponitur. Atque hoc quidem emptum dicitur, illud expositum. Est & tertium genus iudicij huius, quod magnum vocant, ac ter statis anni temporibus ob grauiores causas magistro ciuium præsidente exercetur. A iurato autem iudicio legitima est prouocatio ad aliud quoddam iudicium primariũ vrbium. Quod quidem duplex est, itidem ac leges, quibus oppidani & agrestes ferè vtuntur. Neq; enim ijsdem ij cum nobilitate legibus tenentur. Ac in Masouia quidem, vbi ius Culmense viget, ad Varsauiensem, vel Plocensem, hinc porrò olim quidẽ ad Culmensem, nunc autem ad Torunensem in Prussia magistratum, atq; inde demum ad regem prouocatur. In cæteris verò partib⁹ Poloniç, vbi iuris Teuthonici Magdeburgensis vsus est, olim ad Magdeburgensem ciuitatem prouocabatur. Sed Cazimirus magnus rex aliud quoddam iudicium in arce Cracouiensi instituit, quod iuris supremi Teuthonici siue Magdeburgẽsis appellauit. In quo aduocatus cum septẽ scabinis, magno procuratore eiusdem arcis præsidente, non tamen iudicante, iudicant de prouocationibus, quæ fiunt à iuratis quarumuis ciuitatum & oppidorum iudicijs. Inde verò prouocatio est ad aliud iudicium, quod sex ciuitatum dicitur. In quo eiusdem Cazimiri instituto bini certorum oppidorum decuriones siue consules Craco uiam conuenientes in arce ius dicunt sine prouocatione. De quo in historia fusius persecuti sumus. Cognoscit autem princeps de prouocationib⁹ ijs, quę ab vrbanis & rusticis iudicijs veniunt, & omninò de cõtrouersijs plebeiorum suæ ditionis atque etiam de querimonijs aduersus prę fectos suos, vbi libet, etiam extra regnũ, & cum quibus vult consiliarijs. Sæpè etiam consiliarijs & Referendarijs, aut Secretarijs earum cognitionẽ delegat, sed ita, vt ipse tamen ad extremum ijs referentibus statum controuersiæ, decernat: pręsertim si causa ad equitẽ pertineat. Soli Cracouienses ciues hoc prędìti sunt priuilegio, quòd à Senatu vrbano non nisi ad principem est prouocatio, & quod eius, itemque Cazimiriensis & Cleparienfis ciuitatum causæ ab eo non nisi Cracouię iudicantur. De quo disceptare nõ est huius loci. Habẽt & sculteti siue aduocati hæreditarij pagorum & oppidorum nonnullis in locis inter se peculiaria iudicia. A quibus item ad ius supremum Teuthonicum, & inde ad sex ciuitates, vel ad principẽ prouocatur. Iure autem suo quisq; iudicatur, prçter, quod causæ cædis & vulnerum Polonico tantùm iure iudicantur, Quo reus actoris iureiurando peragitur. Ac in recenti quidem crimine cõprehensus, cędem capitis luit supplicio. Post interpositam verò viginti quatuor horarum moram, ad certam & lege constitutam capitis æstimationem damnatur: quæ diuersa est equitis ac plebeij: Pro plebeio capite partim domino eius, partim liberis & hæredibus cæsi cedit multa: Pro equestri verò, solis liberis & hæredibus exoluitur. Equiti tamen pro equitis cæde vltra multam pœna est etiam carcer annuus. Sed Masouiorum legib⁹ carceris pœna soluitur is, qui profugus annum totũ exulauerit. Cęterùm plebeio equitem inter fecisse, capitale est, nisi transigat cũ actore. Vulnerum certæ sunt æstimationes. Fit autem contẽptu harum pœnarũ, & capiẽdę ex multa pecuniç, vt crebrescãt magis indies iurgia cædesq;. Executio rerum iudicatarum contra oppidanos & vrbanos penes magistratũ est in sua quemque ciuitate, aut si is negligat, domini, vel præfecti auxiliũ imploratur. Et hactenus quidem de iudicijs. Comitiorum ratio nobis deinde exponenda est. Duabus autem de causis ea habentur: propter consultationes de republ. & propter iudicia. Cùm enim Polonis, queadmodum supra memorauimus, ea potissimum forma reipubl. placuisset, in qua penes vnum quidem esset iudiciorum, & rerum omnium in bello & in pace summa, sed vt is rerum agendarum & iudicandarum consilia cum compluribus consiliarijs communicaret: hi porrò cùm propter alias functiones publicas, tum etiam propter curam rei suæ familiaris, ad latus principis assidui esse nõ possent, placuit, vt ij ad certum locum & diem conuocarentur à principe, ad exercenda cum ipso iudicia, consiliaque de republ. capienda. Hæc sunt comitia publica: Quæ etiam generales regni conuentus vocant. Qui olim simplicioribus & melioribus seculis bidui vel tridni spacio peragebãtur. Augescentibus deinde iudicijs & rebus agendis, extrahi cœpêre in longius tempus comitia: Sic tamen vt pro re noua & insolita annotarit Ioannes Dlugossus, in nonum diem ea extracta esse. Atque hæc fuit vetustorum comitiorum ra-

Marginal notes (left): *Prouocationum & legũ ratio quibus oppidani vtuntur.* — *Culmẽsium.* — *Magdeburgense.* — *Iudicium iuris supremi Teuthonici.* — *Sex ciuitatum iudiciũ.* — *Hist. lib. 12.* — *De prouocationibus ab vrbanis iudicijs vbi princeps cognoscat.* — *Cracouiensis ciuitatis priuilegium.* — *Scultetorum iudicia.*

Marginal notes (right): *Homicidij iudicium & pœna.* — *Executio vrbanorum iudiciorum.* — *Comitiorum ratio.* — *Comitia vetusta.*

ratio. Posteriori tempore, hoc est auorum ferè nostrorum memoria cum vniuersa nobilitate, & vna de omnibus ciuitate Cracouiensi cõmunicata sunt comitia: cœperuntque adhiberi legati nobilitatis, siue, vt vulgò loquũtur, nuncij terrarum, hoc est, satrapiarum atq; territoriorum, & ciuitatis Cracouiensis, principio quidẽ vnam ob rem, quẽadmodum in historia ex Dlugosso retulimus: Nempè sciscendi in bellum tributi causa. Deinde verò, cùm siue incuria principum, siue consiliariorum conniuentia, multa, quę ad salutem & amplitudinem reipubl. pertinebant, negligi, & nobilitatis prærogatiuæ minui viderentur, ad alias etiam consultationes de republ. accedere cœperunt, non vt consiliarij, sed vt monitores principis atque consiliariorum, & custodes libertatis, & prærogatiuarum nobilitatis, ac legum publicarum. Laudabile sanè & salutare in primis genti Polonæ (si eò recte vtatur) institutum, & ad optimè constitutarũ olim rerump. Romanæ & Lacedæmonię mores accedẽs: Quarũ in altera Ephori, in altera tribuni plebis principũ & potentium libidini, inertiq; & inutili administrationi reipub. obiecti erant. Nunc igitur sine nuncijs terrarũ non habentur legitima comitia. Atque eam ob rem quoties ea debent institui, indicuntur prius à rege nobilitati conuentus, quos vocãt particulares, ad certos dies certaq; oppida: Maioribus quidem Polonis, hoc est Posnaniẽsis & Calissiensis satrapiarum equitibus Srodã: Cracouiensi verò satrapię Prossouiam: Sendomiriensi Radomiam: Siradiensi Schadcouiam, excepto Velunensi tractu, qui suum peculiarem conuentum Veluni habet: Lenciciensi Lenciciam: Cuiauijs Radeouiam: Dobrinenses tamen separatim Ripini cõueniunt: Russis Visnam, præter Chelmenses, qui & ipsi Chelmæ suum habent: Podolijs Cameneciam: Lublinensi satrapiæ Lublinum: Belsensi Belsum: Plocensi Razianzum in eodem tractu: Masouijs Varsauiam, Rauensi nobilitati Rauam: Sochacouiensi Sochacouiam: Gostinensi Gambinum. His igitur locis (nisi iusta causa obstet) nobilitas cum consiliarijs & magistratibus terrestribus, siue, vt vulgò loquuntur, cum dignitarijs & officialibus eiusdem satrapiæ, vel tractus ad templum conuenit, & implorata sacro publico ope diuini numinis, legationem regiam audit, vbi, quando & quibus de causis opus sit haberi comitia: Deinde præeuntibus cõsiliarijs legatos

Nuncij terrestres.

Hist. lib. 77.

Conuentus particulares.

suos siue nuncios deligit, eisque vel peculiaria dat mandata ad comitia, vel vniuersè potestatem facit curãdi ea, quęcunque in commune è republ. fore videbuntur. Lege autem ab hoc munere legationis excluditur, qui priuatum habet negocium, & litem in comitijs. Finitur nũciorum potestas vnicis comitijs. Nec idem sanè est in omnibus satrapijs eorum numerus: Verùm pro numero territoriorum esse debere existimatur. Nuncijs ita creatis in particularibus cõuentibus, mox instituuntur alij conuentus, quos generales vocant. In maiore quidem Polonia Coli, in minore autem Corcini, quæ etiam Noua ciuitas nuncupatur. Et ad hunc quidem Cracouiensis, Sendomiriensis, Russicæ, Podolicæ, Belsensis, & Lublinensis satrapiarum, Ad illum verò reliquarum proceres, & nuncij recens creati, ac de nobilitate qui volũt, cõstituta itidem à principe die conueniunt, auditisq; iterum mandatis regijs, mandata nobilitatis, & quæ postulat vsus reipubl. inter se conferunt. Atque inde itur ad maiora comitia. Quo vbi conuentum est, re sacra solenni itidem in templo publicè peracta, itur ad aulam. Ibi principe & consiliarijs in corona considentibus, astantibusq; ponè secretarijs & nuncijs, Cancellarius vel Procancellarius principis nomine proponit in medium, quibus de rebus in commune consuli operæprecium sit. Deinde consiliarij, ab Archiepiscopis & Episcopis orsi, ordine dicunt sententias. Hinc nuncij petita à rege venia secedunt in aliud conclaue, ijsdem de rebus inter se consultaturi. Reuersique siue eadem, siue alia die, per vnum aliquem exponunt id, quod ipsis in commune visum est, quid probent, quidue requirant. Nonnunquam pluribus mandant, si plura sint negocia proponẽda, vt suum quisque edisserat. Non modò enim ijs de rebus, quæ principis nomine propositæ fuêre, sed etiã si quid aliud ipsis in mentem venit de republica postulant, vel admonent. Id verò si est eiusmodi, vt consultationẽ requirat, & ab eorum functione non alienum esse videatur, dicuntur etiam de eo sententiæ à senatoribus, exclusis nuncijs: interdum etiam non exclusis. In omnibus autem consilijs postremus omnium dicit princeps. Et quod ei placuit, decreti comitialis & legis habet vigorem, dummodo prioribus legibus, nobilitatisque aut sacri ordinis prærogatiuis ne aduersetur. Tunc enim refragari placito principis non solùm sena-

Conuentus generales.

Comitia regni.

tui, sed etiam nuncijs fas est. Itaque in eiusmodi consultationibus suspendit ferè sententiam suā Rex, donec inter nuncios & senatores, maioremue eorū partem conueniat. Sed hoc iam aliter modificatum est. Cætera autem consilia de republica, quæ legibus disertè excepta non sunt, nec prærogatiuis nobilitatis præiudicant, cum senatu solo princeps communicat. Quemadmodū iudicia quoq; cum eo solo exercet, minimum biduo vel triduo singulis hebdomadis per tēpus comitiorum. Sed interdum ea delectis aliquot è senatu delegat. Atque ij quotidie ferè, festis diebus exceptis, iudicant. Verùm ab his quoque assessoribus (sic enim vocantur ij iudices) ad regem prouocatur. Atque ij statum controuersiæ cuiusque, decretumque suum in consessu reliqui senatus exponunt. Sententias tamen denuo non dicunt. Publicarum inter sacrum & militarem siue equestrem ordinem controuersiarum arbitrium atque transactio penes Regem est. Comitia quotannis, nisi quod fortè impediat, institui vsitatum est. Nihil tamen prohibet, quo minus vel rarius, vel crebrius instituātur. Crebrius quidem vt id fiat, requirit iudiciorum & prouocationum disceptandarum multitudo: Tāetsi extrahuntur ea nonnunquam in quartū & quintum, ac sextum ferè mensem. Locus certus comitijs habendis olim nullus erat. Sed vbi principi collibuerat, etiam sub dio, & in territorijs, ea peragebantur: Postea lege in vnum conclusa sunt oppidum, in vmbilico ferè & meditullio totius Poloniæ situm Petricouiam. Sed iam ea inde noua lege in gratiā Lituanorum Varsauiam translata sunt. Potest tamen Rex assentiente senatu, iusta aliqua de causa alibi quoque ea instituere. Nec illud prætermittendum est, Quòd initio comitiorū nunciis nobilitatis singulis certa pecunia in victum de publico numeratur. Senatoribus nō item. Cæterùm non venienti ad comitia senatori sine iusta causa, lege multa irrogatur: Sed ea vix vnquam à rege exigitur. Habet ecclesiasticus quoque ordo in Polonia sua comitia: quæ synodi græco, sed latinis non inusitato nomine appellantur. Quarum causas & vniuersam rationem è iure pontificio petat, qui volet. Hic illud modò annotandū est, quòd licet Archiepiscopus Leopoliēsis suam habeat prouinciam à Gnesnensi distinctam, tamen & ipse, & socij, vel, vt vocāt, suffraganei eius episcopi, Gnesnensis Archiepiscopi authoritatē agnoscunt, cùm in prouocationibus & iudicijs, tum in Synodis. Ad quas ab illo euocantur. Est autē ius, mosq;, Petricouiæ, Lenciciæ, aut Louiciæ prouincialē synodum tertio quoque anno, nisi res maiorem celeritatem aliumue locum episcoporum consensu postulet, institui: & adhiberi in consilium abbates & præpositos monasteriorum, & collegiorum sacrorum primariorum (quæ capitula cathedralia vocantur) legatos binos, vel singulos duntaxat. Sed nos à synodis & comitijs ad bellum transeamus. Id autem in hac gente à nobilitate geri vsitatum & legitimum est antiquitus: Quæ cuncta equestris militat, quem admodum antea diximus, idque pro modo bonorum & redituum facere debet. Sed cùm nulla publicè instituta sit bonorum æstimatio, modus hic fidei cuiusque creditus, labente in deterius disciplina & fide, arbitrarius factus est, non sine reipubl. totius incommodo & iniuria. Arbitrarium est & genus armorum. Tenuiores, & qui equū alere non possunt, pedestres militant. Sculteti quoq; siue aduocati hæreditarij, & quicunq; fundos terrestres hæreditarios habent, non sunt immunes à militia. Multatur aūt agris & bonis omnibus, si quis paterfamilias à bello abfuerit, aut filium adultū, fratremue, qui ipse separata bona, & militandi necessitatem non habeat, pro se nō miserit. Cęterùm pupillis impuberibus, ęgrotis, senio cōfectis, & viduis per necessarios & famulos militiam obire licet. Habent autem vacationem militiæ tribuni terrestres, præfecti arcium in finibus regni sitarum, vicarij cæterorum præfectorū iurisdictionem habentium, Vicecapitanei & Burgrabij, & qui reipub. causa absunt. Habet item ordo cunctus ecclesiasticus, præter eos sacerdotes, qui bona terrestria hæreditario, seu alio quouis, quàm sacerdotiorum iure & nomine obtinēt. Euocatur ad bellum nobilitas antiquo more, dimissis quoquouersus per præfecturas literis signo regio consignatis: Quæ deinde in pertica restialligatæ (vnde restium nomen acceperunt) à præconibus siue ministerialibus terrestribus ad dignitarios & officiales, siue magistrat⁹, primoresq; nobilitatis cuiusq; præfecturæ sublimes & conspicuæ circumferuntur, & in foris vrbium & oppidorum alta voce publicantur. Ter autem id fieri oportet inter polatis quaternis septimanis: Nisi decreto comitiali tempus id accidatur, binæque testes coniungantur. Post ter-

tias

Iudicia comitialia.

Controuersia rum inter ecclesiasticum & equestrē ordinem arbiter Rex.

Comitiorū locus.

Synodi sacerdotum.

Gnesnen. Archiepiscopi prærogatiua.

Belli gerendi ratio.

Pœna nō militantium.

Militiæ immunitatem qui habeāt.

Restes seu restium literæ.

rias demùm testes domo se quisq; mouet ad suæ satrapiæ conuentum ad certum locum certamque diem indictum. Inde porrò authore ac ductore palatino cum sui quisq; territorij Castellano ad constitutum à principe propè fines regni locum pacati proficiscuntur. Verùm hoc quoq;, vt alia nonnulla rectè à maioribus instituta, augescente indies equitum licentia, conniuentiaq; magistratuum, in desuetudinem abijt, magno non modò sacerdotalium, verùm etiam regiorum, & ipsius nobilitatis prædiorum, & adscriptitiorum incommodo damnoq;. Necesse autem habet princeps equestris ordinis homines ab hostibus in bello captos redimere, ac damna amissorum equorum, quæ ij extra fines regni acceperint, exoluere. Captum verò hostem, nobilem præsertim, is qui cepit, principi tradere debet, acceptis pro eo duobus florenis. Vsu venit nonnunquam, vt hæ copiæ diuidātur à principe de sententia amplissimi consilij: Ac cæteris quidem aduersus hostem proficiscentibus, vnius aut alterius satrapię nobilitas, vel plurium, si opus sit, ad præsidium eius oræ, vnde item belli aliqua est suspicio, relinquatur. Hæc est apud Polonos belli gerendi ratio: Hoc robur militiæ, in equitatu situm. Hæ sunt opes & vires gentis: hæ copiæ, externis penè incredibiles, & cum quibusuis maximarum gentium opibus ac diuitijs comparandæ: Quibus olim principes Poloni res magnas & præclaras gesserunt, non domi modò illata bella propulsando, sed foris etiam hostes vlciscendo, fines imperij longè lateq; proferendo, & amicis atq; socijs succurrendo. Sed cùm abuterentur ij nonnūquam obsequio nobilitatis, eamq; crebrorum ac diuturnorum, minimeq; necessariorum bellorū incommodis exercerent, lege cautum est, intra hos ducentos annos, vt ne liceat regi bellum facere sine comitijs & assensu amplissimi consilij: & vt nobilitas fines quidem regni quoties & vbi opus est, absq; vllo stipendio tueri necesse habeat, non sine principe tamen, præterquàm in interregno. Cæterùm extra fines ne ad vllam militiam educi possit inuita, nisi acceptis à rege in quemlibet hastatum equitem quinq; marcis, quod perinde est hoc tempore, ac quinque coronati Gallici vel Italici. Peditatus nullus est ferè apud Polonos præter mercenarium, si quem princeps conduxerit. Mittunt quidem ei oppidani currus commeatu onustos cum peditibus: Verùm is peditatus non multus est, & sternendis muniendisq; vijs, quàm armis tractandis accommodatior. In extrema tamē necessitate & grauiori bello, euocata ad expeditionem nobilitate, oppidani quoq; & agrestes decimum quenq; peditem decreto comitiali armant & expediunt. Cùm autem lentior sit expeditio hæc vniuersa, & nonnunquam ciuibus & amicis magis, quàm hostibus incommodare soleat, excogitata est ratio conducendi militis mercenarij pedestris & equestris ad subitarias Tattarorū, & aliorum hostium excursiones reprimendas, expugnandas munitiones, & alios militares labores subeundos aptior & promptior. Quæ copiæ pariter cum decanis, centurionibus, turmarum & cohortium ductoribus, tribunisq; militaribus ab alterutro duce exercitus longè laxiori potestate, & seueriore disciplina, quàm in expeditione publica reguntur: Est aūt stipendium trimestre in equitem quidem senū, in peditem verò quaternorum florenorum antiquitùs constitutum. Perexiguum id sanè est, nisi in magna alioqui rerum omnium ad victum pastumq; pertinentium copia & vilitate, longè leuius etiam precium rebus venalibus bellica lex imponeret, & charitas patriæ, studiumq; bellicæ virtutis & gloriæ, & spes adipiscendorum publicorum honorū magis, quàm vlla merces iuuentutem multitudine & ocio abundantem ad facienda stipendia excitaret. In hoc verò stipendium publicè confertur pecunia, tributo, quam exactionem vulgò vocant, agrestibus ac oppidanis, regi iuxta ac nobilitati subiectis, imperato. Quo illi non inuiti agrorum domorumq; suarum vexationem redimunt: si modò redimunt, mercenariorum etiam militū, non contentorum stipendijs suis, licentia & rapacitate indies magis ac magis progrediēte, & nec sacerdotum, nec nobilitatis, atq; adeò neq; regis ipsius bonis abstinente. Id autem tributum ex agris quidem in laneum seu māsum (certus agri modus is est) ex oppidis verò ostiatim penditur. Quinetiam venalis cuiuslibet potus nomine in oppidis iuxta ac in pagis pensitatur. Pendunt & molitores de moletrinis quiddam: & sculteti siue aduocati de suis agris, itemque equites ij, qui nullos habent adscriptitios, & plebei, qui neque domos, neque agros habent, & arte aliqua, vel opera sua victitant. Doctores, magistri, & scholastici, & qui literarum doctrinæque studijs vacant, immunes sunt. Est & aliud quoddam tributum, in ma-

Bellicæ leges.

Bellica expeditio non indicitur sine comitijs.

Nobilitatis officium.

Oppidanorū munia in bello.

Mercenarij milites.

Stipendia equitum & peditum.

Tributa siue exactiones.

magna necessitate aliquando plebi vniuersæ, exceptis scholasticis, imperatum: Quod quia de singulis capitibus pendebatur, capitale dictum est. Imponit nonnunquam & ipsa sibi nobilitas cum rege & proceribus tributum de agris, vel de censibus suis pensitandum, si vsus & necessitas postulet. Non nisi in comitijs autem hæc tributa sciscũtur ac decernuntur, & quidem consentientibus consiliarijs pariter & nuncijs terrestribus. Cæterùm ecclesiasticus ordo vnà cum bonis & hominibus suis iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ non modò militiæ perpetuam, sicuti superius attigimus, vacationem, sed tributorum etiam publicorum immunitatem habet in Polonia. Verùm ipse superiori tempore oppidanos & agrestes suos tributis, quæ cæteris imperantur, vltrò reipubl. gratia subiecit. Nunc iam pro lege habetur, vt quoties regijs & equitum subditis tributum imperatur, nec hi exortes sint. Pensitant ipsi etiam nonnunquam sacerdotes cũ Episcopis rogati, vrgente necessitate, & charitate patriæ suadente, de suis sacerdotijs certam redituum suorum portionem. Quam pensionem contributionem appellant. Eius verò decernendæ ius est penes synodum prouincialẽ. Exigendæ verò penes eos, quibus episcopi cum primario suo collegio in sua quisq; diœcesi mandauerit. Superiorũ autem illorum tributorũ, quæ plebi atque etiam nobilitati imperantur, exactio plerunq; regis arbitratu, nonnunquam de senatus atque nunciorum sententia per satrapias compluribus imponitur: Nec diutius id munus durat, q̃ ipsum tributum. Dispensatio penes regem ferè & thesaurarium regni manet. Nonnunquam tamen & ipsa alijs comitiorum decreto mandatur. Nuper adeò, excogitata est noua ratio comparandæ in defensionem regni militemque mercenarium pecuniç. Rex enim benigniss. Sigismundus Augustus quartam partem redditũum regiorum in eum vsum perpetuò reipub. concessit. Quæ pacis tempore in fiscum, in arce Rauensi constitutum, deponitur. Atque hæc habuimus in præsens, quæ de ratione belli, ac de vniuersa repub. Polonica in medium afferremus. Si quid præterea requiritur, è recentioribus comitialibus cõstitutionibus petatur. Prussia Regia nobis reliqua est, quæ quamuis eodem cum Polonis regno contineatur, tamen quia peculiare consiliũ publicũ, peculiares leges, peculiaria iudicia & comitia, ærariumq; & belli gerendi rationem à reliqua Polonia diuersam habet antiquitùs, de his nunc separatim persequamur. Nec abs re fortasse fuerit si de ducali quoq; obiter attingam⁹. Igitur ea pars Prussiæ, quæ nunc ducalis dicitur, ex eo tẽpore, ex quo deuictis barbaris populis sub iugũ Christi missa est, simul cum episcopis suis Sambiensi & Pomesaniensi ad nostra vsq; tempora ordini Teuthonicorum Crucigerorũ, qui se de hospitali S. Mariæ militię Hierosolymitanæ dixêre, paruit. Cuius ordinis præses Magister generalis, socij verò administrationis, & præfecti territoriorum præceptores & commẽdatores appellati sunt. Qui cùm pro amicis & socijs, Polonorum hostes facti essent, armis eorum adacti quodam tempore, vnà cum episcopis in verba regis Poloni iurarunt, & aliquandiu maiestatẽ eius comiter conseruarunt. Sed cùm id deinde aliquoties, & ad extremum nostra memoria Alberto Marchione Brandeburgensi Magistro, viro excelsi animi, & rei militaris perito, authore detrectassent, Sigismundus rex senior, vt se & posteros suos illa perpetua defectionũ bellorumq; molestia liberaret, & Poloniæ Lituaniæq; tranquillitatem maiorẽ prestaret, fractis ijs bello, & ad necessitatẽ deditionis redactis, & partim decedentibus è Prussia, partim habitu & religione abiecta manentibus, illum ipsum Albertum sororis suæ filium singulari clementia pro Magistro Ducem in Prussia iussit esse, hæreditariumque principatum ipsi cum fratribus, & posteris eorum maribus attribuit, ea lege, vt ij in verba regis Poloni ritu solenni iurarent: cum centum equitibus hastatis, quoties & vbi vsus postularet, ei militarent: & in senatu regni locum haberent itidem, ac Magister habuisset. Extant pacta cõuenta. Ex eo igitur tempore pars illa Prussiæ ampla & copiosa, duarumque episcoporum suppressione auctior, sub duce esse cœpit, summam omnium rerum potestatem, regi tamẽ Polono obnoxiam, habente, & arbitratu suo consiliarios sibi legente, & præfecturas, magistratusq; mandante. Vtinam quidem is sacra intacta reliquisset. Nec plura nunc de ducali Prussia. Regia verò, ex quo à Crucigerorum imperio ad Polonum nomen (vndè ferè detracta erat) ante centum annos sese recepit, recepta ea quidem est à Polonis in societatem iuris, & reipublicæ, sed leges tamen suas & instituta à Teuthonibus ferè hausta, vel post subactos & fer-

Capitale. *Ecclesiastici ordinis immunitas.* *Quarta regiorum redditũum.* *De Prussia.* *Ducalis Prussia.* *Albertus Marchio Dux in Prussia.* *Prussia feudalis facta.* *Regiæ Prussiæ respubl.*

fermè extirpatos priscos & barbaros Prussos, deductione coloniarum è Germania importata retinuit. Consilium quoq; à senatu regni seiunctum obtinuit. Habuit etiam initio suum gubernatorem, à rege datum. *Hist. lib. 27.* Sed postea suppressus est hic magistratus. *Leges Prussorum.* Regiam autem appellamus, quę Regi Polonorum immediate (vt vulgari verbo vtar) subiecta est. Cuius partes primariæ sunt, Culmensis, Marieburgensis, & Pomerania citerior. His annumeratur etiam Varmiensis episcopa. Quæ licet Episcopo suo & collegio sacro siue Capitulo prorsus immediate subiecta sit, nec omnia cum superioribus eius partibus habeat cōmunia: quemadmodum paulò pòst explicabimus, nō segregat tamē se se à Regia, priuilegijs suis vtens fruens. Vtitur autem omnis fermè Prussia, ducalis iuxta ac regia, iure municipali, qđ Culmense vocatur. *Culmense ius.* Quod tamen non satis certum est in hāc vsq; diem. Eruitur id quidem è tenebris, & colligitur, sed nondum in lucem prodit. Solæ Elbingensis, Brunsbergensis, & Fraumburgensis ciuitates Lubecense amplexæ sunt, *Lubecense.* vel secum fortassis attulêre. Et quoniam vtrunq; id paucis capitibus continetur, in cæteris recurritur ad Saxonicum & Magdeburgense: *Magdeburgense & Saxonicum.* indeq; etiā ad Romanum, quibus de rebus neq; Culmensi aut Lubecensi, neq; Magdeburgensi & Saxonico iure, neq; plebiscitis ciuitatum, aut constitutionibus regijs cautum est. *Regiæ constitutiones.* Dedit enim constitutiones & leges quasdam sapiētissimus rex Sigismundus senior, partim toti Prussiæ Regiæ, partim Gdanensi ciuitati peculiariter. Easq; auxit optimus eius filius Sigismundus Augustus, cùm in ea vrbe esset anno post Christum natum 1552. Quibus conscribendis nos adfuimus. Non ita pridem etiam cùm idem rex comitiali decreto clarissimos & prudentiss. aliquot senatores ad Elbingensem & Gdanensem ciuitates corrigēdorum quorūdam erratorum, & abusuum causa cum summa potestate delegasset, condiderunt ij leges nonnullas, rebus, locis, atq; temporibus accommodatas. Quas nuper is, qui fuit princeps eius legationis, vir amplissimus, Stanislaus Carncouius Vuladislauiensis Episcopus in lucem edidit. *Stanislaus Carncouius Episcopus Vuladislaui.* Vectigalia Regia non ampla sunt in Prussia: *Vectigalia Regia Prussica.* Eaq; proueniunt potissimum è ciuitatum pensionibus, agris, & prædijs insulanis, & præfecturis: Quarum tamen pleræq; donationibus, venditionibus, & hypothecis in impēdia bellorum superioribus temporibus accisæ, aut prorsus alienatæ sunt. Quod itidē alijs quoque vectigalibus in ciuitatū ius translatis factum est. Verùm ea detrimēta crebris tributis, populariter in gratiam regis scitis vel decretis superiori tempore compensabātur. Metallorum ea regio ferax non est: *Nascentia in Prussia. Prussorum commercia.* Fruges non malignè profert, & linum, & lupulum: easq; merces trans mare mittit. Mittit & materiā fabricandis nauibus & vasis, exornādisq; domibus aptam, & cerā, & cinerem, & bubula coria, imò & carnes. Sed hæc ei ferè suppeditat Russia, Samogitia, & Lituania: Quin & frugum, & aliarum rerum ad victum pertinentium maiorē copiam eędem regiones, & Masouia cæteraq; Polonia ratib⁹ & nauibus fluuiatilibus subministrāt. Accipit autem ea vicissim transmarinis commercijs vina, oleum, aromata, saccarum, sal, & alia condimenta mensarum, telam item & pannos laneos iuxta ac sericeos, & quas preterea mittit Lusitania & India diues cupedias: Eaq; omnia Polonis & Lituanis Prussia transmittit. Hinc est vulgò simul & nobilitati res lautior, vestitusque, & habitatio cultior. In victu quidem frugalitas prisca adhuc fermè retinetur. *Prussorum viuendi ratio.* Vtinam cōpotationes essent moderatiores. Sed est id commune vitium Septentrionalium populorū. Eæ tamē compotationes Prussis ordeacea cereuisia crassiore fermè peraguntur. Vini non magnus est vsus. Distinguuntur Prussi, itidē ac Poloni, sacro & profano ordine: nobilitate ac plebe. Sed paulò meliore est conditione plebs in Prussia, quàm in reliqua Polonia. *Nobilitas & plebs Prussica.* Eodē quidem cum nobilitate iure, & iisdem legibus vtitur, prærogatiuis modò quibusdam inferior: per quas tamē plebeij neque à bonis terrestribus, neq; ab honoribus & magistratibus, neq; à sacerdotijs, neq; à consilio publico arcētur. Nec nobilitas modesta & frugalis eos dedignatur. Quin decedit ea quoque vnà cum sacro ordine nonnihil de immunitate sua reipubl. & concordiæ gratia. Sacerdotibus iustus honos habetur, à catholicis præsertim. *Ordo ecclesiasticus in Prussia.* Monachi & monachæ, cùm nostra memoria præsultore Luthero domicilia sua reliquissent, manent ea etiamnunc propemodum vacua & ruinosa, aliquot exceptis: quæ sanè infrequentia sunt, & incolentes ea contemptibiles. Regis potestas in Prussia minus est restricta, quàm alibi. Senatus cōstat duobus Episcopis, *Senatus siue consilij Prussiæ.* tribus Palatinis, totidem Castellanis, totidem Succamerarijs, & tribus prima-

mariis Ciuitatibus: quarum non mediocris est potentia. Earum verò bini consules legati siue Nuncij pro singulis habentur, & alternis dicunt sententias. Episcopi sunt, princeps, senatus, & moderator, Varmiensis. In qua episcopa me Pius eius nominis quintus pontifex max. vltro petente D. Sigismundo Augusto Rege, amplissimo Cardinali Stanislao Hosio (ipso libentissimè assentiente) ante sex annos Coadiutorem, vt vocant, dedit, successoremque designauit, & collegium sacrum acceptauit. Sed reuertamur ad institutum. Est ergò princeps senatus Prussici Varmiensis Episcopus: Huic proximus Culmensis, qui olim eũ anteibat. Quorum hic Teuthonum Crucigerorum opera quodam tempore de Gnesnensi prouincia detractus, Rigensi addictus fuit, vehementer accisus redditibus, & episcopa, ecclesiaq; in ditionem ordinis ipsius redacta: Ille verò, Varmiensis inquam, initio quidem Rigensis Archiepiscopi metropoliticam authoritatem agnouit, Nunc verò multis annis in nulla prouincia censetur, & soli subest in rebus ecclesiasticis Romano pontifici: Magistri & ordinis dominatum nunquam agnouit, amicitiam & societatem, cùm & ipse plerunq; Germanici esset sanguinis, libenter coluit: nec sine malo ac detrimento suo, & ecclesiæ suæ. Ad regnum verò Poloniæ post reliquam Prussiam peculiaribus pactis cum rege Cazimiro initis sese adiũxit. Vvladislauiẽsis Episcopus habet nõ contẽnẽdas possessiones in Pomerania. Atq; ea tota fermè in diœcesi ipsius est, indeq; Pomeraniæ quoq; Episcopi titulũ is vsurpat, sed ad Prussicũ cõsiliũ non pertinet. Palatini sunt, Culmensis, Marieburgensis, qui ante hac Elbingensis dictus fuit, & Pomeranicus: Castellani, Culmẽsis, Elbingensis, & Gdanensis: Succamerarij itidem atq; Palatini: Ciuitates, Torunensis, Elbingensis, & Gdanensis, in singulis satrapijs siue palatinatibus singulæ, eundem ordinem seruantes inter se in consilio, quem sui Palatini. Hoc est concilium Prussicum. Cõsiliarios terrarum Prussiæ vocant: Quos & ipsos more aliorũ iuratos esse oportet. Varmiensis tamẽ Episcopus diuersam ab alijs iusiurandi rationem & formulam pacto præscriptam habet. Nam is, si Rex est in Prussia, ipso præsente: Sin minus, nonnullis magistratibus Prussicis ad id delegatis in arce Marieburgensi, præeunte verba aliquo Episcopo, iurat. Ciuitatum delegati iniurati ad consilium admittuntur, aliquóne priuilegio, an per abusum, nescio. Habent autem consiliarij Prussici sua loca, & ius dicendæ sententiæ in amplissimo totius Regni Polonici consilio. Verùm ea loca ante aliquot annos post auctum Lituanorum accessione senatum aliqua ex parte variata sunt, ita tamen, vt nihilominus Episcopi inter Episcopos, Palatini inter Palatinos, Castellani inter Castellanos consideant. Ad calcem operis huius ea singula secundum nouam constitutionem comitialem inter alios notata sunt. Palatinorum iurisdictio & authoritas in Prussia maior est, quàm in cætera Polonia: Penes eos sunt mulctæ, & supplicia delinquentiũ, rerumq; iudicatarum executio. Tranquillitatem quoq; publicam in agris & extra vrbes ij præstant. Castellani & Succamerarij eodem sunt iure, quo in Polonia. De Episcopis paulò post dicemus. Præter hos autem magistratus, habent Prussi thesaurarium, præfectos arcium, siue capitaneos, gladiferos, iudices, & scabinos: verùm ij non pertinent ad consilium. Thesaurarius est, qui pecuniam omnẽm & rationes à præfectis & administris regiorum bonorum & prouentuũ atq; etiam tributorum publicorum exigit, & vel ipse administrat, vel thesaurario Regni tradit. Olim is Oeconomus fuit seu procurator Marieburgẽsis. Gladiferos singulos habent Culmensis & Pomeranicæ satrapiæ. Iudices nouem sunt. In Culmensi quidem & Marieburgensi satrapijs singuli: in Pomeranica verò septẽ; nempe totidẽ, quot territoria. Sunt autem ea, Slochouiense, Tucholiẽse, Suecense, Dersauiense, Zucouiense, Puscẽse, & Mirachouiense: Habentq; singuli iudices in consilio scabinos iuratos aliquot. Præfecti, arcium & redituum regiorum in sua quisq; præfectura curã & administrationem habent: Iurisdictionem nullam fermè habent, præsertim in nobilitatem, neq; in oppidanos amplam: In agrestes ampliorem. Solus Marieburgensis neq; redituum regiorum curam gerit, neq; in agrestes iurisdictionem habet: arci modò præest, eiusq; præsidio: quod perpetuum est. Cæterùm constitutione quadam, ampliores is cæteris præfectis & magistratibus prærogatiuas habet, velut generalis locũ tenens Regis in Prussia. Reddituum verò & subditorũ regiorum, & sartorum tectorum eius ipsius arcis curationem habet thesaurarius. Igitur prima-

Varmiensis & Culmensis episcopi.

Vvladislauiensis etiam Pomeraniæ Episcopus.

Varmiensis Episcopi iuramentum.

Consiliarij Prussiæ ad Senatum Regni pertinẽt.

Palatinorũ potestas.

Magistratus Prussici.

Thesaurari⁹.

Gladiferi.

Iudices.

Pomeraniæ territoria.

Præfecti.

Marieburgẽs. præfectus.

riā totius Prussiæ præfectura Marieburgensis est: Cui Polonus antiquitùs præficitur: Nunc primus de Prussis, è Polonia tamen oriundus, ei præest, vir vigilantissimus, & omni genere virtutum ornatissimus, mihique amicissimus, Ioannes Costka, nuper, Palatinus Sendomiriensis à Rege Henrico creatus. Secundum hanc in eadem satrapia sunt hæ præfecturæ, Stumensis, Gneuensis, Nouensis, & Stargardensis siue Starigrodensis. In Culmensi, Brodniciensis, Grudentina, Radinensis, Golubensis, Rogoznensis, Brathianensis, Coualiensis, Coprivunensis: In Pomeranica, Slochouiensis, Sucecēsis, Tucholiensis, Dersauiensis, & Puscensis. Torunensem verò, Elbingensem, & Gdanensem præfecturas ciuitates ipsæ sibi regia indulgentia, & ex pacto vendicarunt, & per magistratus vrbanos administrāt. Episcopi cum collegijs suis suos & ipsi habent arcium atq; territoriorum præfectos & burgrabios, suosque iudices, & aduocatos, & oppidanos magistratus. Habent & Cancellarios, & officiales suos in causis ecclesiasticis vterque Episcopus. Habent enim vtranq; iurisdictionem & amplissimam potestatem in suos. Varmiensis quidem episcopa in nulla censetur satrapia: Vno autem, & non interpolato ambitu in modum principatus bona certis finibus peculiariter circumscripta, & arcibus atq; oppidis exculta habet: Eaq; sic diuisa, vt duas partes Episcopus, tertiam collegium siue capitulum obtineat. In his vtriq; subiectam nobilitatem habent, & liberam iurisdictionem, ab omni Regiorum magistratuum iurisdictione exemptam. Præterea pertinet etiam Elbingensis ciuitas cum suo territorio ad Varmiensem diœcesim: Quamuis iam aliquamdiu hæretica labe infecta conniuentibus regibus, & suffragantibus nōnullis magistratibus, ab ecclesiastica Episcopi iurisdictione sese subtrahere nitatur. Bartena quoq; terra & Natangia ante 200. annos eiusdem episcopi iurisdictioni subiectę fuisse, & supra sex millia mansorum tunc Episcopo Varmiensi per fraudem & iniuriam Cruciferorum detracta esse memorantur. Subditi episcopi & collegij Varmiensis eodem, quo cæteri Prussi iure municipali vtuntur: Sed habent etiā peculiaria, inter se autem cōmunia instituta: Quæ **Lands ordnung**, hoc est, terræ constitutiones vocant. Conuentus etiam communes habent. Ad eos autem nobilitas, ciuitates, & sculteti cum liberis (de quibus postea dicemus) euocati; pro se quiq; binos vel plures etiam è singulis territorijs procuratores siue legatos mittunt, ijs de rebus, quæ in consultationem veniunt, cum episcopo & legatis collegij constituturos. Cęterùm ea nobilitas omnis, & aduocatus, & ciuitates, præter iusiurandum, quo partim in episcopi, partim in sacri collegij verba iurāt, nouo quoq; Regi, ac deinde decimo quoq; anno ei ipsi ex pacto fidē suā obstringunt. Tametsi de 10. anno in desuetudinem abijt, sublata causa, hoc est, pacatis prorsus rebus Prussicis, & extirpato ordine Teuthonicæ militiæ. Iurāt etiam sacerdotes, quando certum aliquod sacerdotium adipiscuntur: Primarij tamen, qui prælati & Canonici cathedr. appellantur, intra mensem, posteaquam in id collegiū cooptati sunt. Eos autem pontifex quidem max. creat, collegiū verò vnà cum Episcopo eligit alternis mensibus: Excepto Præposito, qui à Rege editur, siue pręsentatur, ab episcopo præficitur. Sed neque is, neque cæteri tres prælati locum & suffragium habent in collegio, siue capitulo, nisi sint etiam canonici. Culmensis ecclesiæ collegium ad quatuor canonicos redactum est. Qui singuli à cæteris vnà cum episcopo cooptantur. Ipse autem episcopus à solo rege designatur, à pontifice max. creatur. Cæterùm Varmiensis ex pacto recentiori è quatuor canonicis indigenis à rege propositis, vnus ab eius ipsius ecclesiæ collegio deligitur: deinde hic quoque à pontifice renunciatur, & confirmatur. Actum demùm sacris pontificalibus ad præscriptum ecclesiasticorum canonum initiatur. Magistratus terrestres in Prussia quoque, itidem ac in Polonia, à rege creantur: Iudex tamen ex aliquot à Palatino cum dignitarijs & cætera nobilitate de consessu scabinorum delectis, ab eo editur: Scabini soli à palatino cum cæteris dignitarijs illius loci creantur. Sunt autem & Prussici magistratus omnes perpetui, præter præfectos: qui regis arbitratu mutari possunt, nisi beneficio ac diplomate regio sibi prospexerint. Ciuitates à decurionibus seu consulibus, & quidem Germanicæ linguæ & sanguinis (Polonos enim pro externis habent, & neq; ad artes mechanicas perdiscendas admittūt) regūtur: Quorū nō idēvbiq;, certus tamē est numerus: Et ipsi ius habent cooptādi, quos volūt, in sua collegia, quoties vacat locus, eoq; maiore sunt dignatione & authoritate, quando volunt, & obsequentiorem habent plebem. His præsident magistri ciuiū, à de-

Ioannes Costca palatinus Sendomiriē.

Præfecturæ Prussicæ.

Varmiensis diœceseos ius & prærogatiua.

Canonicorū & Prælatorum Varmiensis creatio.

Episcoporum Pruss. designatio.

Magistratuū Prussicorum conferendorum ratio. [partly illegible]

Ciuitatum Prussicarum magistratus & administratio.

Consules.

decurionibus, ac de numero ipsorum delecti,& ipsi, itidem atque decuriones perpetui, in primarijs quidem vrbibus quaterni, in cæteris verò oppidis bini, per vices annuum gerentes magistratũ. Habent item singulæ ciuitates iuratos iudices, siue scabinos, qui à decurionibus siue consulibus leguntur: Et ipsi autem perpetui sunt, nisi fortè in numerũ cõsulum cooptentur. Neq; enim eundẽ consulem & scabinum esse licet, preter Elbingam & Brunsbergam: vbi pars cõsulum loco scabinorum iudicia exercet. Cæterùm vnus è consulibus eis præficitur, quem scultetum vel iudicem vocant. Primariæ tres ciuitates etiam præfectos habent singulos, vt dudum memorauimus, quos vocant burgrabios, & eos quidem annuos ferè: Qui tranquillitatis vrbanę, ac totius territorij curam gerunt, causasq; priuatarum iniuriarum & sanguinárias iudicant, & pro ijs multas irrogant. Hunc solum magistratum rex in ciuitatibus creat, sed nõ nisi vnum è sex vel octo è numero consulum eiusdem ciuitatis ab ipso collegio delectis, ijdem autem consules ex omni ciuium numero, Gdani quidem centum viros, alibi verò pauciores deligunt, qui sint capita multitudinis, & quã si tribuni plebis: cum quibus communicant nonnunquam consilia de republica, & ex ijs cognoscunt postulata plebis. Vitantur enim coitiones multitudinis, propter externorum omnis generis hominum frequentiam, nequando in seditionem erumpant, vt nonnunquam factum est. Iudicia nobilitatis iudices terrestres cum suis scabinis, præsidente palatino, bis quotannis exercent incertis oppidis. Infamiæ tamen causa, & status controuersia, itidem ac in Polonia, ad regis iudicium pertinet. A terrestribus iudicijs prouocatio est ad consiliarios Prussię: inde verò ad Regem. In oppidis verò iudiciaria potestas ferè omnis est penes cõsules, exceptis paucis causis, quarum mentionem dudũ fecimus, & si quæ sunt aliæ ad burgrabios vel palatinos pertinentes: Sed eam ipsi consules, quod ad priuatorum hominum inter ipsos controuersias attinet, cum iurato iudicio, cuius mentionem dudum fecimus, communicarunt. Ab eo verò iudicio in primarijs quidem ciuitatibus ad consules ciuitatis cuiusq;, in cæteris autem oppidis ad cõsilium totius Prussiæ: inde porrò vtrinq; ad regem prouocatur. Rex verò de quibusuis prouocationibus vbilibet, & cum quibus vult cognoscit. Plerunq; etiam cognitionẽ delegat Cancellarijs & iureconsultis. Alioqui priuatum neminem è Prussia regi euocare licet, exceptis ijs causis, quæ sunt fisci, & iudicij regij propriæ. Magistratus terrestres iuxtà ac vrbanos euocat de ijs duntaxat, quæ in magistratu perperàm & præter officium suum egerint: vel, si mauult, consiliarijs Prussicis eas delegat, in comitijs cognoscendas. Delegat etiã vel ijsdem, vel quibus vult, causas fisci sui, finium regundorum cũ suis bonis, ac diuidundæ inter fratres & cognatos hæreditatis: Quasuis item alias ab alijs ordinarijs iudicibus per prouocationem ad se deuolutas. Comitia bis quotannis habentur in Prussia statis temporibus, Maio quidem mense Marieburgi, Septembri autẽ extremo Grudenti. Ex iustis tamen causis ea quoq; loca mutari possunt. In ijs comitijs à consiliarijs de repub. in commune consultatur, siue vltro, siue ex præscripto regio: de prouocationibus terrestrium & oppidanorum iudiciorum cognoscitur: & omninò iudicia vel à rege delegata, vel si qua sunt alia, exercentur. Cum ducalibus quoq; Prussis, seu ducis ipsius legatis nonnunquam Elbingæ ex fœdere, vel Marieburgi, constituta certa die, cõuentus habentur, & cõnsultationes de legibus, & alijs rebus communibus, & controuersis. Non ita pridem in Prussia quoq; nuncij nobilitatis & minorum ciuitatum in comitijs adhiberi cœperũt, tributi sciscendi causa: cuius decernendi potestatem neq; rex, neq; consiliarij soli vsurpant. Ad regni quoq; comitia nuncij nuper adeò mitti cœperunt. Sciscitur autem cereuisiarium tributũ plerunq; in vsus publicos, vel in gratiam regis: vocaturq; id vulgò cisa vel accisa. Nonnunquam etiam de censibus, agris, domibus, bonis, & facultatibus, æstimatione facta, certa portio pensitanda decernitur. Varmiensis episcopæ subditi nihil habent negocij cum comitijs. Solus ijs interest, & præest Episcopus, ac deinde de ijs, quæ ibi constituta sunt, ad peculiarem cõuentum suorum refert: de tributo præsertim. Nec temerè ij dissentire solent ab episcopi sui & conuentus Prussici sententia. Nihil tamen vetat, ipsos quoq; arbitratu suo, authoritate episcopi & Capituli præeunte, peculiares leges, &, vt vocãt, ordinationes sibi condere, tributumq; sciscere. Quinetiam magistratus primariarum ciuitatũ non rarò imperant ciuibus suis tributum peculiare, & operas, aliaq; onera in vsus publicos vrbium suarum, adhibitis capitibus plebis. Portus maris tres habet Prus-

Scabini. *Scultetus.* *Burgrabij ciuitatum.* *Capita multitudinis.* *Iudiciorum ratio.* *Iudicia vrbana.* *Prouocationum ratio.* *Commissaria iudicia.* *Comitia Prussica.* *Nuncij.* *Tributum apud Prussos accisa.* *Varmiensiũ libertas.* *Portus Prussiæ.*

Portus Prussiæ. Prussia, Regia quidem Gdanensem & Elbingensem, Quorum hic in Habum lacum, ille rectà in mare procurrit: ducalis verò Regiomontanum siue Kœnixbergensem, quà Prægola fluuius in Habum influit. Atq; hic quidem cum portorijs & omni iurisdictione & impēdijs in ducis, duo verò reliqui in ipsarū ciuitatum, quibus adiacent, & magistratus potestate sunt. Verùm is tamen, magistratus inquam, sine permissu vel mādato regio claudendi & aperiendi portus potestatem non habet. Quod de tributo quoque decernendo itidem nuper constitutum est. Quod ad bellum attinet, si qua vis hostilis ingruat Prussiæ, domesticis communibusque plebi cum nobilitate viribus depellitur. *Belli ratio apud Prussos.* Ac nobilitas quidem cū proceribus equestris militat, Sculteti itē & liberi: (Quos ita vocant, propterea quod & ipsi ab operis & laboribus, quos rustici domi nis suis præstant, gratuitam immunitatem habent, medij quodam modo inter nobiles & rusticanos agricolas: Ferunt tamen nonnulla onera extra ordinem) *Liberi.* Ciuitates equitatum atque peditatum suppeditant: Rustici peditatum tantùm. Hæc ante institutam coadunationem (quæ necdum maturuisse videtur) de Prussia, & in vniuersum de Polonia nobis σαφέστερον, quod aiūt, καὶ ἀμαθέστερον sunt exposita. Quæ cùm ciuib' nostris, tum externis non ingrata fore speramus. Sic autem fiet, vt minus peregrinentur in historia nostra.

OPERAE precium nobis visum est, coronidis loco hic adijcere nomenclaturas & ordinem amplissimi Senatus Regij, quemadmodum in comitijs Lublinensibus ante quatuor annos constitutus est, & nonnihil ab antiquo (quem priore libro recensuimus) mutatus, posteaquàm Lituani sese cum Polonis penitus coniunxere, & in vnum reipublicæ corpus coaluere. Qui tamen ordo non tam accuratè in consessu, quàm in dicendis sententijs, & ferendis suffragijs seruatur.

SENATORVM REGNI POLONIÆ CVM CONIVNCTIS EI DITIONIBVS DIGNITATES ET ORDO, SECVNDVM CONSTITVTIONEM COmitialem Lublinensem, anno M. D. LXXVIII. editam.

Archiepiscopi duo.
Gnesnensis.
Leopoliensis.

Episcopi 13.
Cracouiensis.
VVladislauiensis.
Vilnensis. } alternatim.
Posnaniensis.
Plocensis. } alternatim.
Varmiensis.
Luceoriensis
Præmisliensis
Samogitiæ siue Mednicensis
Culmensis
Chelmensis
Kiouiensis
Camenecensis.

Palatini cum quibusdam alijs eximijs inter eos interfertis 35.
Castellanus Cacouiensis.
Palat. { Cracouiensis. Posnaniensis. Vilnensis. Sendomiriensis.
Cast. Vilnensis.
Palat. { Calissiensis. Trocensis. Siradiensis.
Castel. Trocensis
Palat. Lenciciensis
Capitaneus Samogitiæ
Palat. { Brestensis, Kiouiensis, Iunivvladislauiensis, Russiæ, Volynensis, Podoliæ, Smolenscensis, Lublinensis, Polocensis, Belsensis, Nouogrodensis, Plocensis, Vitepscensis, Masouiæ, Polessensis siue Podlassensis, Rauensis, Bresciensis, Culmensis, Mscislauiensis

Marieburgensis

Palat. Braslauiensis
Pomeraniæ
Minscensis.

Castellani maiores 30.

Posnaniensis
Sendomiriensis
Calissiensis
Voiniciensis
Siradiensis
Lenciciensis
Samogitię
Brestensis
Kiouiensis
Iunivvladislauiensis
Leopoliensis
Volynensis
Camenecensis
Smolenscensis
Lublinensis
Polocensis
Belsensis
Nouogrodensis
Plocensis
Vitepscensis
Czernensis
Polessensis siue Podlassensis
Rauensis
Bresciensis
Culmensis
Mscislauiensis
Elbingensis
Braslauiensis
Gdanensis
Minscensis.

Castellani minores 49.

Sandecensis
Medirecensis
Visliciensis
Biecensis
Rogoznensis
Radomiensis
Zauichostensis
Landensis
Sremensis
Zarnouiensis
Malogostensis
Velunensis
Præmisliensis
Calissiensis
Sanocensis
Chelmensis
Dobrinensis
Polanecensis
Præmentensis
Criuinensis
Czechouiensis
Naclensis
Rospirensis
Biechouiensis
Bydgostiensis
Brezinensis
Crusuiciensis
Osuienzimensis
Camienensis
Spicimiriensis
Inovulodensis
Couahensis
Santocensis
Sochaciouiensis
Varsauiensis
Gostinensis
Visnensis
Raciaznensis
Sieprcensis
Vissogrodensis
Ripinensis
Sakroczimensis
Ciechanouiensis
Liuensis
Slonensis
Lubaciouiensis
Conariensis in Siradiensi Palatinatu
Conariensis in Lenciciensi
Conariensis in Iunivvladislauiensi.

Officiales Curiæ 10.

Maresalcus Regni Poloniæ
Maresalcus Lituaniæ
Cancellarius Poloniæ
Cancellarius Lituaniæ
Vicecancellarius Poloniæ
Vicecancellarius Lituaniæ
Thesaurarius Poloniæ
Thesaurarius Lituaniæ
Maresalcus Curiæ Polonicæ
Maresalcus Curiæ, Lituanicæ.

FINIS.

BERNARDI

VAPOVII

FRAGMENTVM,

SIGISMVNDI SENIORIS REGIS POLONIÆ,

RES GESTAS, CROMERI DESCRIPTIONE POSTERIORES, CONTINVANS.

Nunc primùm in lucem editum.



COLONIÆ AGRIPPINAE

In Officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylij.

ANNO M. D. LXXXIX.

Cum gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.

THOMAS DE PLAZA
S. STEPHANI CRACOVIAE PAROCHVS, CANONICVS VISLICIEN. LECTORI S.



QVANDOQVIDEM Reuerendiss. Dominus D. Martinus Cromerus Episcopus Varmien. patronus meus singularis, triginta libros suos de origine & rebus gestis Polonorum duntaxat ad Alexandri Regis mortem perduxit, (tametsi ijs orationem funebrem de fratre & successore eius D. Sigismundo primo à se conscriptam, quæ in parte historiæ censeri potest, adiunxit) extent verò etiam Bernardi Vapouij annales conscripti, qui longiùs, nempè ad tricesimum regni eius ipsius Sigismundi annum progressus est; visum est è re studiosorum & cupidorum cognoscendi eius temporis res gestas fore, ea quæ apud Cromerum relicta sunt complere, ac fragmentum illud Vapouij, quod reliqua prosequitur, vltimæ huic castigatiori Cromeri editioni apponere. Fuit autem Vapouius hic Eques Roxolanus, Cantor, & Canonicus Cracouiensis, & Secretarius Sigismundi Regis, homo literatus, in mathematicis autem disciplinis inprimis versatus: senex anno domini 1535. scribere simul, & viuere desijt. Cuius fragmentum è lituris non paruo labore erutum, à Reuerendiss. Domino Episcopo Varmien. mihi missum cũ legerem, mutilum, & nihilominus quædã, quæ tamen Cromerus ipse viderat, in eo desiderari animaduerti: Quam ob causam non mediocriter fui sollicitus. Cœpi igitur inter homines aliud exemplar cum quo hoc nostrum Varmiense conferrem, quærere: tãdem peropportunè acciderat, vt cum Illustr. & Magnifico Domino Nicolao Firlei de Dambrouicza Castellano Biecensi, Regni Poloniæ Referendario, Nouæ Ciuitatis Corczyn & Cazimiriensi Capitaneo, homine vt in rebus gerendis multum versato, ita historiarum ac superiorum temporum studiosissimo, colloquerer. Multis itaq. vltrò citroq. dictis, feceram mentionem historiæ Vapouianæ: cuius ille fragmentum, inde incipiens, vbi Ioannes Dlugossus finem scribendi fecit, descriptum se habere dixerat. Exhilaratus itaq. Firleanum exemplar cum meo Varmiẽsi contuli, ac quæ in nostro deerant, (quamuis nihilominus & in illo nonnulla desiderabantur) historiæ serie prorsus intacta, suppleui ac emendaui, additis meis etiam marginalibus annotationibus. Spero itaq. non ingratum legentibus, nec inutile hoc quidcunq. est futurum: cùm præsertim neque meliora, neque certiora de illis temporibus habeamus; & quod plerique neque visum neq. lectum magnificè allegare soleant. Rectius ne autem ij faciant, quã qui cùm pleraq. omnia aliunde mutuati sint, & ipsis etiã alienis verbis descripserint, impudenter & iniustè pro suis edunt, authoribus ipsis silentio præteritis, aliorum esto iudicium. Tu Lector optime operam & studium hoc nostrum boni consule. Cracouiæ Calendis Ianuarij. Anno Domini M. D. Lxxxvij.


T & ão 1506 cubicularius pontificis Julii II (Vide p. 542 hujus Operis).

Copernici familiaris. extat fragmentum epistolæ Copernici ad eundem in descriptione cometæ 1577 Tychony Brahe.

BER-

BERNARDI VAPOVII DE RADOCHONICE FRAGMENTVM, RES GESTAS POLONORVM CROMERI CONTINVANS, NVNC PRIMVM IN LVcem editum.

Sigismundus Dux Lituaniæ declaratus.



VNEBRI exequiarū (nimirum Alexandri regis) pompa absoluta, Sigismundus Casimiriades, optimatum ac purpuratorum Lituaniæ, in magnum eius gentis ducem est declaratus, ac demum solenni cæremonia eius gentis more, quod fœlix faustumq; foret, sublimatus, die Octobris vicesima, anno virginei part⁹, quingentesimo sexto, supra Millesimum, post magnam sub sidere Cancri erraticarum stellarum synodum, regno Poloniæ per Alexandri regis ex humanis decessum vacante. Eius regni optimates indictis pro regia electione Comitijs, Petricouiæ frequentes conuenerūt. Carpebantur hic magnates Lituani, qd̄ regia electione non expectata, priores ipsi Sigismundum in magnum ducem sublimassent, contra veteris totiens repetiti fœderis, inter Polonos & Lituanos antea sanctissimè icti, cùm ipsi non alium, nisi quem Poloni prius regē declarassent, in magnum ducem sublimare debuerant, vt hæc duo dominia perpetua inter se vnione gauderent. Quia tamē Vvladislaus Vngariç & Boëmiæ rex, ex filijs Casimiri natu maximus, ius suum Sigismundo fratri ad regnum auitum ac paternum cesserit, per Osualdū Carlacium legatum, eo nomine ad Comitia regalia missum, & Sigismundus Princeps, vt in paterno resideret solio, dignissimus ab omnibus est iudicatus, ipse omnium magnatum suffragijs, nemine discrepante, ob egregiam indolē, inuicti animi robur, atque prudentiam iam antea Silesiana gubernatione perspecta, Poloniæ rex est declaratus. Sigismundo rege promulgato, incredibile dictu est, quanta lætitia populi gestierint, spe de eo haud dubia concepta, qd̄ regnum, tot barbarorum excursionibus attritum, esset in integrum restituturus, atq; etiam ampliaturus. Legati inde qui ei regnum deferrent, atq; etiā in Poloniam deducerēt, designati, Vincentius Prærempski, Ioannes Lubranski, Matthias Dreuicius, regni Vicecancellarius, Vvladislauiensis, Posnaniensis, & Præmisliensis episcopi, nec non Andreas de Samotuli, Ioannes Tarnouius Posnaniensis, & Belsensis Palatini: quibus adiunctus est Ioannes de Lasko regni Cancellarius. Sigismundus princeps ad electionis suę famam Vilna mouens, ad regni Poloniæ fines appropinquauerat. Legati verò regnum deferentes, ornatissimo multorum equitum comitatu in Lituaniam euntes, Sigismundum in Melnico supra Bugum amnem offenderunt; eiq; regnum paternum & auitum detulerunt. Quorum postulationi Sigismundus princeps haud grauatè annuens, regnum delatum multa alacritate suscepit, legatosque Poloniæ regali munificentia condonauit. Cum quibus nihil moratus, Poloniā ingressus, Vislam flumē apud Cosinice transmittens, ad regiam Poloniæ, anno humanæ salutis septimo supra quindecies Centesimum, mense Ianuario Cracouiam peruenit. Venientem, omnium ordinum homines multa lætitia ac hilaritate excepêre. Reboabat bombardarum vis ingens, ignes locis multis accensi tota nocte collucebant, faustis omnia strepebant acclamationibus & cantilenis. Nouus rex vrbem ingressus, in arcem primùm deductus, vbi dum Coronationi necessaria parantur, aliquandiu quieuit, & die quarta & vicesima Ianuarij in tēplo D. Stanislai martyris augustissimo humeros sacro crismate inunctus, medijs sacrorum cerimonijs per Andream Rosam Metropolitam Gnesnensem, regio diademate, alijsq; regalibus insignibus est adornatus. Eam Sigismundi regis faustam coronationem Archiepiscopi, & alij regni Poloniæ Antistites cum multis illustribus viris, Regumq; ac diuersorum Principum oratoribus purpuratisq;, præsentia sua honestarunt: omnes lautitijs præbitis hospitaliter accepti. In sequenti die Sigismundus rex coronatus, ac regalibus indumentis conspicuus, tot purpuratis præeuntibus ac sequentibus, eximio vectus equo, ex arce regia in ciuita-

Marginalia: 1506. — *Sigis Rex. Polon. electus.* — *Oratores ad Sigismundū in Lituaniam missi.* — 1507. — *Sigis. mūdi coronatio.*

tatem descendit, conscensoq;, quod ante vrbis prætorium erectum erat, sublimi ac ornatissimo suggesto, iuramentũ fidelitatis & obedientiæ, quod homagium vocant, à senatu & populo Cracouiensi primùm suscepit, vbi plerosque militari balteo præcinxit, & cùm aliquandiu in Maiestate resedisset, donis à Consulibus vrbis crateribus aureis & argenteis egregiè fabrefactis receptis, eodem quo venerat splendore & pompa in arcem est reductus. Hi dies complusculi lautissimis conuiuijs, militaribus ludicris, & multa inter festa bachanalia lætitia traducti, principesque hospites & aduenæ, legati quoque regum atque heroum vasis aureis & argenteis preciosis, ex auro, oloserico, pellibusq; delicatis, vestibus, equis generosis, num mis aureis, & alijs id genus largitionibus, regali magnificentia donati expediti sunt. Per id tempus Sophi potentissimus Persarum ac maioris Armeniæ rex, Hussancassani magni nepos, celebri victoriarum fama contra Sultanum AEgypti, necnon contra Baysetum Turcorum Imperatorem ferebatur. Enimuerò ante Sigismundi regis faustam coronationem, cum Sultano Syriæ & Aegypti atrocissima bella gessit, cum quo collatis signis aliquoties congressus ingẽtes Mamalucorum exercitus cruento prælio superauit, fudit, fugauit, ac castris exuit; quibus prælijs victor, maximam Arabiæ Petreæ partem sibi vendicauit. Nec multò postea, transmisso Euphrate Syriam ingressus, eam terram fœdè est populatus. Pace inde cum Sultano Aegypti per legatos composita, in Turcum Baysetum totis regni sui viribus cõuersus, mox post susceptum à Sigismundo rege diadema, bis eadẽ estate in Armenia minore primũ, & inde in Cappadocia ingentes eius copias superauit, Turcoq; exercitum reparante tertia sub bruma vice eum fudit fugauitq;, vt Baysetus ex Asia minore, quæ Natolia vocatur, in Græciã concedere sit coactus. Sigismundi regis coronatione peracta, quia Turci Tartari ac Valachi ab oriente sole regno imminebant, nouus rex optimatibus regni & Prouinciarum legatis conuentum Cracouiæ indixit, in quo de regni à barbaris hostibus defensione comprimis agitatum. Decretum frequenti senatu, vt agrorum coloni iugeratim per grossos bissenos contribuerent. Antistites regni cum clero, præterea nobiles & oppidani, certam prouentuum suorum quotam conferrent: Sancitumq;, vt

Bellum Persicum cum Turcis.

Comitia Cracouiæ.

miles mercenarius ex collata pecunia conduceretur, ac in Podoliam ad Tyrangetas, vbi plurimum erat periculi, mitteretur. Et quia Bogdanus Palatinus Moldauiæ res nouas moliri, & delectum militum facere nunciaretur, ex eo Cracouiensi conuentu Stephanus Telecius Vladislai Vngariæ & Bohemiæ regis legatus, ad eum in Moldauiã est missus, qui ipsum regis vtriusq; nomine sub grauissima belli denunciatione admoneret, à bello regno Poloniæ eodemque auito & paterno inferendo abstineret. Rebus præterea Poloniæ exigentibus, legati in Vngariam missi, Posnaniensis episcopus, Marschalcus regni, Cancellarius regni, & Christophorus Sidlouecius. Cæterùm in Polonia eo anno pacata erant omnia, sed Lituaniæ magnus Ducatus intestinis magnatum dissidijs laborauit. Enimuerò dux Michaël Glinski ob ingentes quos alebat spiritus, & opibus & clientelis potens, per Ioannem Sabresinski magnum Lituaniæ Marschalcum, crimine læsæ Maiestatis sugillabatur, palamque affectati principatus Lituanici reus arguebatur. Ea affectus ignominia Michaël, coram Sigismundo rege obiectum crimen diluere, contra æmulum Sabresinski conqueri ac obtestari, innocentiam suam purgare non destitit, iustitiam cum homine sibi infestissimo administrari, & eius cohibere petulantiam suppliciter orauit; aut si ipse ambitiosi criminis reus compertus esset, capitali se afficeret supplicio, nec pateretur ignominiosam ducere vitam, quauis morte duriorem. Hæc Sigismundus, dum neutrum offendere vult, obaudire, rem in longum trahere, ad Senatum Lituanicum, tam magni momenti, vt erat, negocium reijcere. Michaëli Glinski, qui Principis in speratam indignationem multis indicijs se incurrisse cognoscebat, mora omnis longissima videbatur, menteque & animo acerbius cruciabatur. Rex vt erat natura patiẽtissimus, nolebat quic quam præcipitanter agere, sed omnia silentio tegebat. Tanto magis Michaël elatissimæ mentis homo angebatur, vel tunc potissimum cùm ad secretius principis cubiculum per contemptum non admitteretur, cogereturq; subinde foribus præsidere, cùm apud Alexandrum regem omnes fores omni tempore ei antea patuissent, rem insolitam cum infami ignominiæ nota vlterius ferre non valens, ad Vladislaum Vngariæ & Bohemiæ regem Budam est pro fe-

Michael Glinscius Lituaniæ ducatũ affectat.

Glinsciius ad regem Vngariæ profectus nihil obtinuit. fectus, eo consilio, vt datis ad regem fratrem, nec non ad regni Poloniæ magnates literis, corũ commendatione ex tam acerbissima ambitiosæ suspicionis molestia extricaretur. Sed cũ apud Vulad islaum regem esset etiam suspectus, nihil ab eo impetrare aut obtinere potuit, mœstusque inde in Poloniam, & demum in Lituaniã ad amicos redijt: cum quibus quid potissimum agere deberet, secretis cõuenticulis agitare non destitit. Interea temporis Basilius magnus Moscouiæ dux, q supra fontes Tanais apud Amadocas latè imperitat, fines suos ad meridiem ampliare volẽs, *Belli Moschouitici initium.* triginta millium equitum exercitu cõparato, limites Lituanię apud aras Alexandri magni & Smolẽsko, aperto marte inquietare cœpit, & se Sigismundo Polonię regi ex confesso hostem declarauit. Ad famam magni ac periculosissimi belli Sigismundus Cracouia excitus, in Lituaniam se proripuit, Vilnam que Metropolim veniens, Lituanicam omnem militiam ad arma concitauit, & Beresina flumine (quondam Boristhenes erat, & Nebrio inferius commiscetur) cum omnis copijs transmisso, in Odrusijs campis castra fecit. Tauricanũ quoque seu Pręcopensem Tartarum, magnis ad eum missis muneribus subornauit, vt diuersa parte Moscouiam inuaderet, rebusque Lituanicis auxilio foret. Nec erant eius Tartari, qui octuaginta equitũ Scytharum millia sagittariorum ex equis in campum educere consueuerat, cõtemnenda auxilia. Quibus Sigismundus rex secretè ordinatis, omnium copiarum præfectis mandauit, attentè prouiderent, ne Respublica Lituana ab hoste Moscouita aliquid acciperet detrimenti, ipse castris in bono ordine positis, Vilnam versus se recepit, eo cõsilio, vt ob belli Valachici suspicionem in regnum Poloniæ rediret, & rebus regni periclitantibus succurreret. Ad famam regij exercitus, qui in Odrusijs campis inter Beresinam & Nebrium amnes castra posuerat, Moschouitæ consternati, cum omnibus copijs Lituania excesserunt, Lituani posteaquàm hostes retro abijsse cognouerũt, & ipsi ob commeatus inopiam & feruẽtiorem æstum militibus & iumentis intolerandum, soluunt exercitum. Vix domum redierunt, cùm per trepidos nũcios allatum est, Basilium magnum Moschorum ducem cum maioribus longè copijs redijsse, Miscislauiamque *Moschi inuadunt Lituaniam.* atque Cricionium castella, à Smolensko bidui itinere ad orientem solem sitas, obsidere atque oppugnare, verendique ne si ita laborantibus castellis propere succurratur, in hostium veniant potestatem. Ad eum nuncium Sigismũdus rex Polonico obmisso itinere, eadem æstate Lituanorum gentem rursus ad arma commouit, mandauitque copiarum præfectis, vt magnis profecti itineribus Miscislauiam & Cricionium castella apud Sosam amnem, qui ab altera parte in Nebrium se exonerat, obsidione comprimis liberarent. Lituanicarum copiarum duces extemplò imperata facessunt, cũ omni exercitu Beresinam & inde Nebrium amnes traijciunt. Iam haud procul ab hostium castris aberant, cũ illi pugnam detrectantes impedimentis multis relictis, castellorum obsidione soluta, fugientibus similes retro abierunt. *Moschi fugiunt.* Lituanicarum copiarum duces castella sua obsidione liberasse contenti, bruma etiam exeunte autumnus instabat, & ipsi versis signis domum redierunt. Præcopensis quoq; Tartarus bona Moschouiæ parte citra fontes Tanais depopulata, multo antea copias Scythicas cum præda in Tauricã reduxerat. *Tartari Moschouiam vastarunt.* Et hæc anno primo, quo Sigismundus rex est rerum potitus, à Lituanis sunt gesta. In regnum inde Polonię Sigismundus rex sub bruma se accingere cœpit, & Vilna profectus, anni sequentis initio Cracouiam est ingressus, quo ad eum edicto Cõuentu ex proceribus & purpuratis frequentes conuenerunt. *1508.* Complures dies de regni defensione consultando absumpti: cùm nunciatum est Lituaniam Michaëlis Glinski ad Moschouitas defectione tumultuari. *Glinsciius ad Moschum defecit.* Ille siquidem, posteaquam affectati principatus crimen diluere non posset, & regem Sigismundum sibi indignari suspectumque esse comperit, in alteram erupit rebellionem, omnia extrema tentare statuit. Primumque cum Basilio magno Moscouitarũ duce per secretos agit internuncios, exercitum in Lituaniam mittat, eique magnam eius terræ partem cum Smolensko se daturum pollicetur; orat vt pulsis Sigismundi regis præsidijs, Vilnaque Metropoli vi aut deditione in potestatem redacta, eius auxilio & beneficio Magnum Lituaniæ ducatum assequatur. Basilius Magnus dux rei bene gerendę nactus occasionem, exercitum Sexaginta millium equitum comparat, Danieleque Scena, & Iacobo Zachariæ, omnium copiarum ducibus constitutis, eos in Lituaniam sub signis ire iubet. De tam valido Moscouitarum exercitu

Michaël Glinski posteaquam factus est certior, iam non occultè, vt antea, in Sigismundum regem & æmulos magnates, qui conatibus suis obstare videbantur, sed apertè hostilia moliri cœpit. Cōprimisq; in Ioannis Zabrzesinski curiam apud Grodno, nil tale suspicātis viri opibus & auctoritate primarij, intempesta nocte impetum facit, effractisque cubiculi foribus, quiescētem ac medijs stratis extractum, crudeliter obtruncat.

Ioannes Zabrzezinski interfectus.

Quo infando facinore patrato, comparato ex suis clientelis & coniuratis iusto satis exercitu, cuius pars longè maxima Roxanici generis hominū erat, Basilio duce fratre pro viribus iuuāte, Vilnam Metropolim & alias regias vrbes & arces per nuncios & literas ad defectionem sollicitare est ausus, & pro magno Lituaniæ duce se gerere, nominare & scribere cæpit.

Glinscius ducatum Lituaniæ inuadit.

Apud Pripetium amnem, haud procul à Kiouia tumultum primum excitauit, & arma ostentauit, ac Mosti ad ripam eius amnis situm oppidum regio inde pulso præfecto intercepit; Vbi diuini penè honores vt principi ei exhibiti sunt. Græcanici ritus Clerus & religiosi cum sacris obuiam egressi eum reuerenter excepēre: quo loco valido firmato præsidio Sluczko frustra oppugnauit. Enim verò eius dux strenuè se defendit. Motis hinc castris ad Minsko properauit. Inter eūdum aliquot oppida immunita deditione accepit: & plerosq; proceres & nobiles Lituanos iuramento fidelitatis ac subiectionis sibi obstrinxit, & pro magno Lituaniæ duce se coli iussit. Ad Minsco inde castra admouit, & eam arcem regio firmatam prǽsidio obsidere ac oppugnare cœpit. Ad eā aduersam ac periculosam tumultuantis Lituaniæ famam, Sigismundus rex nequaquam desedit, sed rebus regni compositis soluto que Cracouiensi conuentu, Equitum Cataphractorum Polonorum quinq; millia incredibili celeritate stipendio inauctorat Nicolaum Firleium Lublinēsem Palatinum omnium copiarum ducem creat, eumque Lituaniam versus præcedere imperat; ipse cum numeroso eoque ornatissimo aulicorum equitatu subsequitur: quem in Breste Lituanico assecutus, cum ibi recensuit, & signa militaria distribuit, ac per Slonin in Nouogrodek sub signis ire iussit, vbi aliæ Lituanorum copiæ quæ partium erant Sigismundi Principis, mandato eius conueniebant. Hi, & alij qui dubiæ erant fidei, certatim castra regia splendido equitatu adaugebant. Accurrerāt etiam Lituanici Tartari sagittarij ex equis, aliquot expeditissimæ equitatus turmæ. Talis conflatus erat exercitus, vt Sigismundus rex cum omni Moscouitarum potentia congredi ac vincere non dubitaret: nullaque fortissimo regi cura maior intererat, quā ne hostes pugnam detrectarent, aut se non expectato retro abirent, sumptusq; immensus ad tātum bellum factus, in nihilum recideret.

Rex in Moscouiam exercitum mittit.

Nicolaus Firleius supremus exercituum Capitaneus.

Ad famam regij aduentus & Polonicarum copiarum, ingens in Lituania facta est animorum mutatio: etenim complures Michaëlis castris desertis ad regia vltrò transfugiebāt. Moscouitanus exercitus penitiora Lituaniæ ingressus, haud procul à Beresina amne castra fecerat, quo conat⁹ Michaëlis Glinski tenderēt, & occasionem rei bene gerendę expectādo. Michaël verò insperato regis Sigismundi accessū cū ingētibus copijs consternatus, Minscensis arcis obsidione soluta, Beresinā versus ad Moscouitana castra cum suis copijs se recepit, & eis psuadere cœpit, vt collatis signis cū rege Sigismundo congrederentur, copias eius extenuādo, & Moscorum potentia & vires inuictas extollendo, magnaq; victoriæ præmia ostentando. Quibus nihil moti Daniel Scena, & Iacobus Zachariæ duces exercitus, non se ad dubij martis certamina, sed terræ Lituaniæ occupationem, & arciū expugnationes missos esse responderunt. Et quia fama erat Sigismundum regē cum magnis copijs frementem frendentemque aduentare, & iam haud procul abesse, Moscouitani duces motis repentè castris Nebrium amnē versus retro abire ceperunt: Michaële Glinski vt gradum sisterent, & se ad certam memorabilis pugnæ victoriā præpararent, frustra orante ac obtestante: quos Michaël sequi coactus est, vrendo vastandoque omnia, commeatus & pabula corrumpendo, & puteos aquasq; venenando, equorum cadauera, pecora & iumēta in eos proijciendo. Moscouitæ continuatis itineribus ad Orsam arcem, qui regio tenebatur prǽsidio peruenerunt, vbi Nebrium amnem præ festinatione laboriosè transmiserunt, & mille circiter passus à flumine castra fecerunt, regium ibi præstolaturi aduentum. Non minori celeritate Sigismundus rex abeuntes hostes est insecutus. Enimuerò insequenti die Mensis Iulij decimooctauo cum omnibus & ipse copijs ad Orsam peruenit; Locatisque in Nebrij amnis ripa, qui castra vtraque dirimebat, tormentis bellicis, & bombardarum

bardatũ globis hostẽ incessebat. Erant pleriq; ex Polonis q nãdo in alteram fluminis ripã penetrarant, Moscouitasque insperato transitu deceptos, hinc & inde incautos carpebant & obtruncabãt. Accensum fuisset haud dubiè maius certamẽ, ni Sigismũdus rex sole in occasum vergente signo receptui dato, suos q flumen transiuerant, in castra reuocasset: corpora interea omnes per noctem curare, arma tamen non deponere, ac ad aleam vniuersi certaminis sub ortum solis sese præparare imperauit. Incredibili alacritate ea vox ab omnibus excepta est, venturam lucem omnes summis votis exoptarunt, nec sine tędio pugnãdi ardentes desiderio expectarunt. Peditibus iniunctum, pontes, quibus exercitus traduceretur, per Nebrium amnem struerent: omnia summa fiebant diligẽtia & celeritate, nec minori cautissimi regis sollicitudine, qui hinc inde discursando, & ad omnes casus prouidendo, ea die tota ieiunus, non nisi castris communitis hora noctis tertia cibum sumpserit. Tanta fuit inuicti ac magnanimi regis cum hoste, quãuis copiarum magnitudine longè præstabat, congrediendi auiditas.

Moscouitarũ fuga.

Moscouitæ posteaquam ipsum Sigismundum regem adesse per exploratores cognouerunt, viribus diffisi suis, vel quia à Basilio magno duce, ita in mandatis acceperant, vt cũ rege præsente nequaquam congrederentur; desperatis rebus, impedimentis omnibus, iumentis & militibus, qui prę debilitate sequi non poterant, in castris relictis, secunda noctis vigilia per nemora & paludes, per æqua & iniqua, quò quemq; sors tulit, fugere cœperũt: nec nisi quindecim ea nocte emẽsis Germanicis milliaribus, equis iã in cursu deficientibus constitêre, tantus pauor & trepidatio Moscos occupauerat. Illucescẽte die, Sigismundus rex hostium fugæ ignarus, signo pugnæ proposito exercitum traijcere amnem mandauit, cùm renuntiatum est, Moscouitas rebus omnibus relictis fugam arripuisse. Nec hic multum rex moratus, castris hostium direptis, citeriore Nebrij amnis ripa paludinoso & ob hoc difficilimo itinere, Smolẽsko versus cũ toto exercitu iter intendit.

Pontium, fluminum & lacuum multitudo in Lituania & Moscouia.

Mirum videri potest, trecentis quadraginta pontibus, quatuor & viginti leucarũ spacio regias copias, ab Orsa ad Smolensko traductas esse, frequentibus amnibus intercurrentibus, & in Nebrium se exonerantibus, adeò illa regio lacubus & paludibus scatet. Sigismundus rex Nebrio cum omnibus copijs transmisso, & castris in eminenti colle ante Smolensko positis, magnam exercitus partem ad diuersas terrę Moscouiæ partes immisit. Vastata est Moscouia hostiliter per fortes Polonos & Lituanos Drohobusium versus & Vesinam: quæ arx ad flumen eiusdem nominis posita, medio fermè est spacio inter Smolenskum & Mosquam Metropolim. Hinc pręda ingens relata Kiska Lituanicarũ copiarum dux, Moscouiam penitiorem audacter ingressus, eam terram ferro & igne fœdè est populatus. Iam præda onustus redibat, cùm per exploratores, qui celeribus vecti equis præcurrerant, equitum Moscouitarum centum millia Polonos ac Lituanos abeuntes insé qui nunciatum est.

Lituanorum fuga ex castris.

Ad tantarum copiarum famam in castris Lituanicis trepidatum est, adeò vt dena Lituanorum equitũ millia, castris noctis silentio relictis gradu accelerato retro abierint. Poloni in medio destituti, turpe fugere rati (tria siquidem dũtaxat millia eorũ erant) venientes Moscouitas intrepidè expectare statuunt. Castraque & se arctiore curruum circumactu communiunt.

Moscouitarũ pauor & fuga.

Haud dispar pauor & trepidatio Moscouitas inuasit: qui ad solam Polonici nominis famam & ipsi retro fugere cæperunt: tantusque (mirabile dictu) exercitus turpi fuga dilapsus est. Poloni posteaquã Moscouitas fugisse per celeres exploratores cognouêre, ea Moscouiæ parte depopulata, cum opulenta præda ouantibus similes, ad castra regia, quæ apud Smolenskum castellum, & aras Alexandro magno dicatas fixa erant, nullo accepto incommodo, incolumes magna omnium gratulatione rediêre.

Constãtinus dux Ostrouiensis.

Lituani castrorum desertores, turpi tunc ignominia sunt notati, Constantino Ostrouiensi duce viro bellica laude famigeratissimo, similem eis fugam ex aduerso Vedrusiensi prælio, & durã eius apud victores tunc Moscos captiuitatem nihil obscurè exprobrante, testatus statariæ pugnæ Lituanos minus esse habiles: Sigismundo etiam regi consuluisse, ne solis Lituanorum copijs confideret, aut salutem suam absque mercenario Polonorum milite eis committeret. Polonorum exercitus summis in cœlum laudibus ferebatur, quod tot & tanta Moscouitarum agmina, pectore intrepido expectassent, vincereque fortiter pugnando, aut in ipso vestigio mori constituissent.

Mosco à rege pax oblata, sub conditionibus.

At Sigismundus fortissimus rex, gloriæ suę satis se fecisse existimans, quod tãta Moscouitarum agmina cum duce Michaële Glinski perduel-

duellione improbo ex finibus Lituanię eiecisset, Moscouiamque diuersis locis atrocissimè peruastasset, Et quia sub Mẽse Octobri bruma vt in Aquilonari regione asperior imminebat, statuit exercitum in hiberna reducere, & vt Basilio magno Moscouiæ duci ostenderet, finibus suis, qui Dei benignitate amplissimi essent, & à Carpato Vngariæ monte ad Alexandri magni aras protenderetur, se esse contentum, per Sapiam terræ Lituaniæ Cancellarium, pacem ei vltrò obtulit, ea lege, vt Michaël Glinski eius belli auctor, cum Basilio fratre, omni cognatione sua, alijs eius coniuratis perpetuò extorris esset, Turoblium, Mosti, & alias arces, quas sub initio rebellionis occupauerat, restitueret. Insuper vt Lituani Gregorius Bartoslauitius, illustres terræ Lituanię viri, & alij qui Alexandri regis tempore aduerso Vedrũ siensi prælio, cum Constantino Ostrouiẽsi duce (qui ex carceribus ipse stupendo miraculo non multo antea effugerat) capti essent, & in Mosqua Metropoli arctius detinerentur, libertate donarentur ac dimitterentur. Ad eum nuncium Basilius magnus dux Moscorum exhilaratus, oblatas pacis conditiones libens suscepit, captiuos Lituanos circiter quinquaginta ex durissimis vinculis solutos liberè dimisit. Et Michaëlem Glinski ad Mosti, Turobliũ & alias terræ Lituaniæ arces restituendas compulit, cognationem præterea omnem Michaëlis Glinski ad se in Moscouiã perpetui exilij locum accersiuit, misitque haud multo post dum Sigismundus rex Vilnæ esset, Oratores splendido comitatu insignes viros gentis suæ primarios, qui captiuos reducerent, arces captas restituerent, Basilium ducem Michaëlis Glinski fratrem, cum omni cognatione in Moscouiam abducerent, fœdus ictum sancirent, & sacrosanctis iuramẽtis firmarent. Incredibile dictu, quo planctu & dolore Basilius dux Michaëlis frater cum vxore illustri ex Serborũ superioris Misiæ gente fœmina & liberis, alijsque qui partium erant Michaëlis Lituania excesserint. Eustachiꝰ Dascouitius vir Scythicis bellis exercitatissimus cum ducentis fermè suæ fortitudinis viris, Constantini Ostrouiẽsis ducis & aliorum magnatum intercessione, à Sigismundo clementissimo rege, noxa omni dimissa, vita & fortunis donatus, in gratiam est receptus. Sed hæc aliquanto postea.

Sapia cancellarius Lituaniæ.

Cognatio Michaëlis Glinscij in Moschouiam abducta.

Eustachius Dascouitius in gratiã regis receptus.

Sigismũdo rege à Smolensko redeunte, Tartarorum Scytharũ aliquot millia eruptionem in Lituaniam fecisse, & iam Pripetium amnem transiuisse allatum est; qui trifariam diuisi, eum regionis tractum, qui Slucensi arci adiacet, vrebant, vastabantque. Rex, vt huic quoque malo iret obuiã, Constantinum ducem cum octo equitum millibus ex itinere misit, qui Tartarorum impetum reprimeret, & prouincia expelleret. Cõstantinus nihil moratus, in hostem magnis itineribus contendit, Cum quibus, vt erant sparsi, locis aliquot manus conseruit, & ad satietatem cecidit. Partem alteram Tartarorũ Polusius Roxanus vir manu promptus & audax, fudit fugauitque: in tertium Scytharum agmẽ, Lucas Morauus ducentarum Polonorum peditum præfectus incidit: qui hostium occurrentium multitudine minimè consternatus, orbiculari curruũ circumactu castra communiuit; oppugnatus est à barbaris, abundante multitudine pertinaciter, sed pedites salutem suam æneis pixidibus tuentes, se & exigua castra egregiè protexerunt, Tartaris propemodum quingentis plumbeis sulphureo puluere globulis excussis, trucidatis. Tartari suorum clade consternati, relicta, quam in eo terræ tractu corraserant præda, in fugam se proripuerunt. Quos Slucensis dux fugere conspicatus, ex arce cum celeri suo equitatu erumpens, magna clade affecit. In fuga ex eis cæsi multi, alij in altas paludes incidentes, cum equis iam cursu deficientibus hausti periere. Sigismũdus rex ad Diui Martini diem Vilnam ingressus, ob rem contra Moscouitas ac Tartaros eo anno bene gestam, indictis ad omnia templa & aras supplicationibus, Deo Optimo Maximo gratias egit, & laudes decantari multa omnium hilaritate mandauit. Militibus inde pro dignitate ac meritis cuiusque, qui egregiam eo bello Moscouitano operam nauauerant, donatiuum regali munificentia exhibuit. Et hæc acta sunt feliciter anno regni sui secundo, humanæ verò restaurationis quingentesimo Nono, 1509.
supra Millesimum annum. In sequenti Mense Ianuario Basilij magni Moscouiæ ducis Oratores Vilnã ad Sigismundũ regẽ venerunt, summi post principẽ in Moscouia apud Amadocas viri, equitum octingentorum comitatu, qui pacem iam antea per Sapiam terræ Lituaniæ Cancellarium tractari cœptam, acceptis datisque vtrinque sacrosanctis iuramentis confirmarunt. Quo facto Moscouitę quinquaginta eo bello capti, inter quos erant pleriq; illustres eius gẽtis viri,

Tartarorum in Lituaniã irruptio.

Pax cum Mosco firmata.

viri, relaxati & legatis traditi sunt. Sub quo tēpore ex Lituanis purpuratis plerique, qui Michaëlis Glinski fuisse facti onis, & cum eo occultè sensisse suspecti erant, iussu regio in potestatem redacti, attentiùs sunt custoditi, quos inter Gastoldus erat, Phretko Thesaurarius, Michaël Regij stabuli Magister, & Knyesic⁹ illustrium familiarum viri; tres præterea ex regijs aulicis insigniores, Vilnę in priuatorum domibus sunt custoditi, alij in Troki missi. Per id tempus, quo Sigismundus rex castris apud Smolensko positis, cōtra Moscouitas belligerabat, Maximilianus Romanorum rex comparato exercitu, in Italiam se accingebat, eo proposito, vt Imperialem coronam à Iulio eius nominis secundo Romano pontifice acciperet, & insignibus imperialibus adornaretur. Quod vt nō assequeretur, Ludouicus Galliarū rex, qui tunc Mediolanum ditione tenebat, & Veneti omnibus Italiæ aditibus præclusis, & magnis exercitibus obstitêre. Eodemque anno Goriciam & alia triginta sex Castella in foro Iulio Maximiliano regi eripuerunt. Tridentum etiā obsidione tētarunt, sed ob validum intus præsidium expugnare non potuerunt. Maximilianus postea bellico sumptu exhaustus, ob ærarij inopiam, triennales inducias à Venetis per Oratores poposcit & obtinuit. Anno eodem, Ludouicus Vngariæ & Bohemiæ rex bim⁹ per Thomam Strigoniensem Metropolitam in Alba regali in Vngariæ regem patre VVladislao præsente est coronatus, & anno sequēti vndecima die Martij Pragę in regem Boemię per Stanislaum & Ioannem Turzones Olomucensem & VVratislauiensem Antistites. Pater VVladislaus rex, propter surgētia post mortem bella, ita fieri voluit, & ad Optimatibus regni vtriusque, precibus & muneribus obtinuit. Sub quo tempore complures Poloni ac Lituani negociatores pellium Sebellinarum gratia sub fide publica in Mosquam iuerant, cum que ad Mosquam Metropolim ad mercatorum hospitium diuertissent, casu fortuito incendium ex eo publico diuersorio erupit, quo maxima ciuitatis pars conflagrauit. Quo facto, Basilius magnus dux, ratus fraude vrbem à mercatoribus incensam esse, plerosque ex eis gladio percussit, alios auro argento & fortunis omnibus spoliauit. Ad quadraginta aureorum millia id damnum ęstimatum. Negociatores Poloni ac Vilnenses fidem sibi publicam violatam frustra sunt conquesti. Sub eo tempore

Maximilianus Rex Rom.

Ludouicus in Regem Vngariæ & Boemiæ coronatus.

Poloni negociatores à Mosco malè tractati.

Ioannes cognomēto Turzo nobilis Scepusiensis, Consul & ciuis Cracouiensis, apud Riuulum dominarum in Vngaria, locum auri feracissimum, vita decessit. Leucię in Scepusio ad sepulchra maiorū situs est. Fuit hic ab initio fortunæ mediocris, processu tēporis ad cognitionē separationis auri & argenti ex cupro mira solertia & sumptu peruenit, ꝙ plenæ eius Metalli igne soluti fornaces ante vrbē Cracouiensem Aethnę instar ardentes, planè testabantur, ea arte ad immensas ipse peruenerat opes, vt cum quouis opulentissimo omnium terrarum negociatore conferri posset. Visuntur domus eius Cracouię, insano sumptu extructæ. Apud Vngarię & Poloniæ reges multa pollebat gratia, quo factum est, vt ex natis aliquot, duos ad duos Episcopatus extulerit, tertio nepotem adornauerit Sigismundus, hic erat Varadiensis in Vngaria Antistes: Ioannes filius natu maior ad VVratislauiensem Episcopatum eius opera est promotus, Stanislaus ad Olomucensem: vir literarum doctrina & omni genere virtutum præditus. Per id tempus Cracouiensem ad austrum suburbium quod Stradomia vocatur, omnibus absumptis domibus, incendio conflagrauit. Aedes sacræ ægrè defensæ non sine vrbis Cracouiensis, aduerso flante vento, periculo. Pragæ in Bohemia ob raptū formosæ fœminæ inter VVladislai regis aulicos Vngaros & ciues Bohemos gladijs decertatum est. Viceni ex Vngaris eo tumultu interfecti. Ea causa VVladislaus rex ciues aliquot in potestatē redactos, capitali affecit supplicio. In Lituania Sigismundus rex Poloniæ Moscouiticis reb⁹ per Oratores citro vltroque missos cōpositis, ex Vilna discedēs, ad Polonorum procerum Conuentum Petricouiam se cōtulit. In quo rebus regni sui pro defensione à barbaris hostibus ritè cōstitutis, Cracouiam ad prima Veris signa se contulit. Vbi de noua nupta & regni successore consilia agitare cœpit. Placuit multorum commendatione, ob formæ elegantiam ac venustatem Anna Mechelburgensis ducis filia, pro qua in connubiū expetenda, Sigismundus rex Ioannem Lubranski Antistitem Posnaniēsem, Ioannem Laski regni Cancellarium, & Christophorū Sidlouecium, qui primum gratiæ locū apud principem obtinebat, & ad summos postea euectus est honores, ad ducem patrem virginis misit, procandæ puellæ gratia, ornatissimo multorū equitum comitatu. Iam Oratores iter ingressi

Ioannes Turzonis obitus.

Stradomiæ conflagratio.

Tumultus Pragensis.

Petricouien. conuentus.

Christophor⁹ Sidlouecius.

gressi Posnaniam peruenerāt, cùm per trepidos nuncios allatum est, Bogdanū MoldauiæValachię Palatinum, Turcorū ac Tartarorum auxilijs fretū, magno belli apparatu Podoliam Russiamque vastare, vrere, populari, tumultu omnia & terrore bellico replere, cum fuga & trepidatione prouincialium. Hoc triste nūcium effecit, vt Sigismundus rex nouæ nuptæ posthabitis consilijs, nuptiarumque apparatu, totus bello Moldauiæ incumberet. Reuocatisque ex Posnania, qui Mecheiburgam ibant, legatis, edictis per totum missis, nobilitatem omnem quę regem ad bella euntem impendio sequi tenetur, ad arma cōcitauit, vt apud Leopolim Russiæ Metropolim in Peucis, sub vitæ ac bonorum omnium amissione, vniuersi equis armisque egregiè instructi, statuto tempore sese repręsentarent, imperauit. Ipse rex bombardas & alia tormenta bellica disponere, peditatum conscribere, & quę vsui ad tam magnum & periculosum bellum erant necessaria, instruere non destitit: omnia bellico feruebant apparatu. Videbat siquidē prudentissimus rex, sibi non cum solis Valachis assiduis vicinorum bellis exercitatissimis, sed etiam cum auxiliaribus Turcorum ac Tartarorum copijs rem futuram. Interea Bogdanus Moldauiæ Palatinus per Tyram amnē, nūc Nester est, omnibus copijs apud arcem Chocimiam transmissis, Cameneciam ciuitatem cum arce, locum natura & situ munitissimum ac inexpugnabilem, quam Smotricius amnis potentissima atque ardua valle circumfluit, comprimis arcta obsidione tentare est ausus. Sed cū hic tempus frustra tereret, motis inde castris, alia atque alia munita loca sollicitare atque oppugnare cœpit: Oppida, pagos & horrea, vt in fertili Podoliæ regione amplissima, quæ in aperto absque munitione & præsidio posita erāt, incēdio absumit. Ad Haliciam inde regiam quondam sedem ad Tyram amnem sitam castra transtulit: cuius rei timore præsidiarij milites, qui in arce erant, & nobiles qui eo confugerant, oppidum contiguum auerso flante vento concremarunt. Bogdanus huc Palatinus cū toto exercitu superueniens, tormenta bellica & bombardas contra arcem explicare iussit, quas pręsidiarij milites & nobiles ex arce magno impetu & audacia in stationes Valachorum decurrentes, compluribus ex eis trucidatis abstraxerunt, & in arcis fossas detruserunt, in arcemque recurrentes eam strenuè defenderunt. Bogdanus Palatinus Valachiæ arcis captura ob validū intus præsidium desperata, Leopolim versus iter intendit, & vastādo vrendoque omnia Leopolim peruenit, & duplici muro, fossatis ac frequentibus propugnaculis munitissimam, arcta obsidione cingit, maiores etiam bombardas ex aduerso contiguo monte intendit, quibus ciuitatē impetijt. Qua parte planicies est, ea vrbem Valachi oppugnare sunt aggressi, non sine tamen cruēta eorum cæde, præsidiarijs militibus & rusticis cum falcibus ex vrbe egredientibus, & intra vrbis fossata manus cū Valachis conserentibus. Triduum hic apud mœnia est decertatum, quoad maior Bogdani Palatini bombarda intensissimi globo tormenti ex vrbe iaculati rupta ac confracta est, Magisterq; tormentorum bellicorum qui astabat vno eodemque ictu sit interfectus. Eo acerbissimo casu Bogdanus consternatus, omni potiūdæ vrbis spe destitutus, quarta obsidionis die motis repente castris, obsidionem soluit, & ab vrbe retro abijt. In reditu, Rohatinum oppidū parum viriliter defensum expugnauit, oppidumque cum templo quod illic multis donarijs aureis argenteisque satis opulentum erat, spoliauit, campanas auexit. Raphaëlem Haliczki ei9 loci dominum cum fratre & oppidi incolis populariter migrare iussis, secum in Moldauiam abduxit, qui ad famam Regij aduentus cum tota regni potentia & ingentibus copijs accelerato gradu abibat. Enimuerò Sigismundus rex posteaquam Camenecium, inde Haliciā, postremò Leopolim per Bogdanum Palatinum & Moldauos oppugnari accepit, Cracouia die Mensis Augusti quarta mouens terribili belli apparatu in Valachum perfidū fremens frendensque ferebatur. Apud Leopolim hoste non reperto, militari facto delectu omnibusque recensitis copijs, quæ ad sexaginta equitum bellatorum millia se extendebant, Nicolaum Camenecium Cracouiensem Palatinum, vir bellica laude præstantissimum, eis præfecit, vtque Valachiam Moldauiam sub signis ingressus ferro & igne depopuletur imperauit. Ipse rex ob æstuantem febrem, quæ eum ex nimio fructuum esu corripuerat æger Leopoli decūbere est coactus, non sine incredibili dolore, quod huic bello pre languore interesse non potuerit. Desiderabat VVladislaus Vngariæ & Bohemiæ rex tantam belli tempestatem per legatos à Moldauia auertere,

Bellum Valachiæ.

Camenecia à Valacho obsessa.

Leopolis obsidetur à Valachis.

Nicolaus Camenecius Capitaneus generalis.

eo potiſſimum prætextu, ne Valachia per Polonos porrò euerſa, eiusque gentis viribus fractis, ad eam terram occupandam Turcis facilior daretur aditus, viaque barbaris hoſtibus ad Vngariam Poloniamque inuadendam latè pateſceret. Plus tamen ira & iuſta Sigiſmundi regis indignatio valuit, quàm preces aut perſuaſio fratris. Hoc tamen VVladiſlai regis legatio effecit, vt Sigiſmundus rex Moldauiam non euerſuram, ſed duntaxat caſtigaturam, ob arma in ſe temerè mota regi fratri ſit pollicitus. Nicolaus Camenecius Cracouienſis Palatinus omnium copiarum dux, poſteaquã cum toto exercitu Tyram ſeu Neſtrum amnem tranſmiſit per Pocuciã Transtiranam regionẽ, regni Poloniæ prouinciam, pacato agmine ad Colomiam vſque ad Snatinum trãſiuit, hinc ad Ciarnouecium Moldauorum oppidum ad Prutum amnem ſitum, cũ omnibus copijs peruenit, vbi citra flumen Prutum curribus omnibus & impedimentis relictis, ne aliquam rebus gerendis moram afferrent, Cibarijs tamen in dies certos pro ſe cuique ſecum accipi iuſſis, cum expeditiſſimo exercitu, ſub ſignis Moldauiam eſt ingreſſus, quam partito ad diuerſas partes leuioris armaturæ equitatu, ferro & igne atrociſſimè populari cœpit: Oppida & villarum tuguria, horrea denique incenſa latè fumabant: Cędes, pauor, fuga, & trepidatio vbique. Equitum turmæ leuioris armaturæ ad partes Moldauiæ penitiores emiſſæ, longè & latè ad Crolovv & Cutnari vſque populationem extenderunt; non ętas, non ſexus profuit cuiquam, cruore Valachiæ madebant omnia Ciarnovuce, Scepincæ, Dorohunium, Botuſany, Tiraſovvce, Stepanovvce, Chocxim, & alia pleraq; oppida cum villis & curijs Palatini excidio data. Ipſe Nicolaus Camenecius omnium copiarum dux cum grauiore armatura compoſito agmine, ad congreſſum paratiſſimus, ſenſim procedebat: ad Sociauiam vſque Moldauię Metropolim eius belli terror penetrauit. Bogdanus Palatinus in tam fœda ac miſerabili terræ ſuæ vaſtatione dolore acerbiſſimo torquebatur, nec tanti regis potentiæ aperto marte ire potuit obuiam, in deuia nemora & ſyluas cũ omni militia ſua confugerat: rei tamen bene gerendæ occaſionem quærebat, & in redeuntes Polonos præda onuſtos, extremaque agmina impetum facere diſponebat. Redibat peruaſtata Moldauia regius exercitus, prȩda onuſtus viceſima die, ab eo quo primùm Poloni Valachiam ſunt ingreſſi. Tanto tempore Sigiſmundus rex de ſuorum ſucceſſu nihil acceperat non ſine incredibili tædio. Poloni Moldauia excedentes ad Tyram amnẽ peruenerunt, quem maioris primùm Poloniæ armata nobilitas, inde minoris per ocium tranſmiſit. Mercenarij milites equitatum & peditum robur exercitus, nec non aulicorum regiorum florentis militię, quibus Tvurovuki vir bello exercitatiſſimus, & audax præfuit, poſtremo loco ad traijciendum flumen ſeſe præparabant: cùm repentè Moldaui ex inſidijs propinquorũm nemorum cum Turcis ac Tartaris, quorum aliquot erant millia, conſurgentes horribili ſublato clamore in Polonos, nil tale ſuſpicantes, impetum fecerunt. Exceperunt irruentem in ſe hoſtem Poloni animo intrepido. Pugnatum eſt acerrimè, cæciderunt vtrinque plurimi, marte adhuc ancipiti, quoad Poloni Cathaphracto equitatu & viribus præualere cœperũt. Victa eſt hoſtium pertinacia, Valachorum, Turcorum, ac Tartarorum acies apertè inclinare cœpit, poſtremò fuſi fugatiq; ſunt. In fuga cæſi plurimi, capti ex gentis illius primoribus, qui ordines ductarunt, triginta: ex alijs inferioris ordinis aliquot centena: Ex quibus Nicolaus Camenecius, Cracouienſis palatinus, omnium copiarũ dux quinquaginta gladio percuſſit, in vltionem & recompenſam Polonorũ totidem quondam apud Trebouullam arcem per Stephanum Moldauiæ palatinum captorum, & apud Podhaice aliam arcem pari modo abſciſſa gladio ceruice peremptorum. Eorum interitũ hodie tumulus editus è terra congeſtus teſtatur: quo aliquando Nicolaus Camenecius conſpecto illachrimans, votũ vouiſſe fertur, non prius ſe quieturum, quoad totidem Valachos pari mortis genere trucidaret: quod tunc ea inclita apud Tyram amnem victoria exſoluit. Capti ſunt illuſtres ex Moldauis viri Mathias Logophetus Cancellarius, Kyerſa magnus diſpenſator, Petrika & Dobroſtephus, qui cum alijs captiuis & hoſtium exuuijs ad Sigiſmundum regem Leopolim ſunt deducti. Vbi pientiſſimus rex laudes Deo decantari, & ſupplicationes omnibus templis fieri Deo Opt. Max. pro præſtita victoria gratias agens, fieri mãdauit. Incidit hæc omni æuo memorabilis victoria, in diui Franciſci diẽ, quartam Octobris, qui propterea inter feſtos ab eo tẽpore apud Polonos haberi eſt cœptus, veluti

Valachi exercitum Polon. inuadũt.

Valachi victi.

Feſtum S. Franciſci.

veluti ipse, cuius die res tā præclarè gesta est, & ad tam inclitam victoriam, vt pium est credere, nonnihil contulisset. Sigismundus victoriosissimus rex, cuius auspicijs tam prosperè cōtra Moldauos depugnatū est, ex Leopoli mouens victorem soluit exercitum, & Cracouiam veniens, vota, quæ pro victoria nuncupauerat diuo Stanislao martyri regni sui patrono, exoluit: & donaria preciosa in eius augustissimum templum intulit. VVladislaus Vngariæ & Boemiæ rex toto eo bello, inter regem fratrem & Bogdanum palatinū per Osualdum Carlacium, & Bornomissam oratores citrò vltroq; missos, pacē sollicitare nō destitit: quæ postremò Bogdano palatino castigato ac prælio victo, cōfecta est, ea lege, vt Bogdanus omnem sacram supellectilem quam ex spoliatis templis nefariè compilauerat cum captiuis & rebus alijs omnibus quæ extarent restitueret, damna incendijs & vastatione illata hinc inde sunt compensata, etsi Poloni Moldauis longè maiora intulerint. Nec multo postea Bogdani Palatini Oratores ad Sigismundum regem Cracouiam venerunt, vestes sacras, præterea cruces, calices & aliam sacram ex auro & argento preciosam supellectilem in pulcherrimi triumphi speciem publicè ferentes, vt Sigismundus rex de Moldauis hostibus gente sacrilega tunc triūphasse videretur, spectantibus diuersorum regum & principum legatis, cum stupore & admiratione, quod tam ferox & præpotens hostis, rebus bello ablatis redditis, pacem tam suppliciter petierit: quæ ei data est ea lege, vt Sigismundo regi & regno Poloniæ contra Scythas Tartaros omni tempore foret auxilio, regiosque duces in Podolia auxiliaribus copijs iuuaret. Vicissim sapientissimus rex contra eos hostes, necessitate ingruente, opem Bogdano ferre est pollicitus, cū etsi Schismaticus ritus Græcanici, Christiani tamen nominis esse censeretur, & rebus regni sui expediret, Christianum potius quàm barbarum principem Moldauiam obtinere. Aduenerunt haud multò postea Iulij eius appellationis secundi Ro. Pontificis, nec non Maximiliani Rom. Regis, ac aliorum regum & principum christianitatis legati, qui Sigismundo inuictissimo regi, prospera omnia precati, de Valachica victoria publicè sunt congratulati. A Iulio Pontifice Iacobus cognomento Piso venerat, qui vltra faustæ in Moldauiam expeditionis ac inclitæ victoriæ gratulationem Sigismundum regem contra immanissimos Turcos VVladislao Vngariæ & Boemiæ rege sibi in commilitium assumpto, est exhortatus, astruens Pontificem Rom. & alios Christianos reges ac principes ad tam piam ac necessariam expeditionem, terra & mari esse accinctos, flagitabatque vt ipse sacræ per terrā militię ac omniū copiarum ducatū assumeret. Nulli hoc conuenire magis quàm sibi, qui cum barbaris gentibus, & eis quidem potētissimis Turcis, Tartaris ac Moscouitis assidua bella gerat, morem eorū pugnandi probè norit. Ob id faciliorem de eis quàm vllus alius piorum principum victoriam assequi posse, immensam ad hoc auri vim pientissimus Pontifex pollicebatur. Sigismundus verò rex sacræ militię ducatum nequaquā aspernabatur, immo omnib⁹ votis precabatur, vt hæc tā pia ac necessaria expeditio inchoaretur, ac ad effectum deduceretur, operā oēm suam duri Martis inexhaustos labores & sanguinem ipsū, si opus foret, ad tantum bellum pollicitus, sed principum Christianorum contentiones ac dissidia sagacem eius mentem interturbabant, inter amicos magnates identidem testatus. Cazimiri regis tempore & fratrum regum plures tales fuisse Ro. Pontificum exhortationes, nunquam tamen ob principum Christianorum discordias ad effectum deductas esse, & de hac Iulij Pontificis se addubitare asserebat, vererique ne omnia in irritum reciderent. Nec fuit falsus vates sapientissimus rex, qui propterea Pontificio nuncio nullo certo dato responso, periculosissimi belli consultationē ad VVladislaum Vngariæ regem, fratrem natu maiorem reiecit, responsumq; in aliud tēpus dare distulit. Quamuis Iulius Pontifex omnium post Petrum Barionæ Pontificum maximus, ingentem auri argentiq; vim congessisset, ac Turcicæ expeditionis desiderio pl⁹ nimio flagrasset, sæpius me auscultante testatus, nihil se magis à cœlesti numine assiduis votis precari, q̄ vt in augustissimo Agios Sophiæ templo Cōstantinopoli Missam sibi decantare cōcederet, optabatq; cōpositis manibus, vt ad hoc peragendū vitam sibi concederet longiorē: quod mihi suæ tunc sanctitatis Cubiculario satis constabat, & fecisset haud dubiè satis tā pio desiderio optimus Pōtifex, si ei per tumultus Italicos & intestina Christianorum principū bella licuisset, quæ summo studio ad fata vsq; nouissima extinguere ac cōponere satagebat.

VVladislaus Vngariæ rex pacem facit inter regem Polon. & Valachum.

Conditiones pacis.

Oratores ad regē veniūt, ad bellū Turcis inferendum hortantes. Iulij Pont. max. legatio

Sigis. Regis responsum oratoribus datum.

Vapouius Cubicularius Pont. max.

bat. Nec multò postea in humanis esse desijt, Pontificatus sui anno decimo: postquam Romandiolam cum Rauenna, Ceruia, Arimino, Pisauro, Cesena, Forliuio, Imola, Bononia, Regio, Mutina, Mirandula, Parma, & Placentia, maximas ac opulētas ciuitates, pulsis inde tyrannis, qui eas occupatas detinebāt, Apostolicæ sedi magna virtute ac maximis exercitibus recuperasset, vt si vrbem Romā excipias, plus ipse aliquanto successoribus Pontificibus moriens reliquerit, si ea tueri sciuisset, quàm ipse ab initio initi Pōtificatus sit adeptus. Defuit ad summam eius fœlicitatem amœnissima Padi fluminis & ꝑ hęc munitissima vrbs Ferraria, quam toties armis repetitam assequi non potuit.

Sed ad Sigismundum regem redeamus. Ad quem Maximiliani quoque Rom. regis Oratores venerunt, Vitus de Furst & Ioannes Kuchenmester legū doctores. Hi post honorificentissimam victoriæ Moldauiæ amplissimis verbis congratulationem, à Sigismundo rege flagitarūt, vt pro rerum Prutenicarū compositione aliquot ex regni proceribus Posnaniam ad Ioannis Baptistæ diē mitteret, qui cū Prussiacæ militiæ Cruciferis congressi, subortā pro perpetuæ pacis obseruantia cōtrouersiam ex bono & æquo componerent. Cui petitioni Sigismundus rex in Maximiliani regis gratiam haud grauatè annuit. Eo tēpore quo in Moldauia belligeratū est, Tauricanus seu Pręcopensis Tartarorū Cęsar, Tanai cū ingentibus copijs transmisso Scythiam ingressus Nogaienses Tartaros in vastis cāpis sub tētorijs Nomadum more agētes hostiliter inuasit. Nogaienses aduentu hostium minimè consternati, vim vi repellentes sumptis repentè armis cum hoste cōgressi Tauricanos Tartaros, duobus Cæsaris Nepotibus media pugna trucidatis, magno prælio superarunt, ac in fugam verterunt. Præcopenses Tartari, qui Podoliam incursare ac vastare consueuerāt, suæ sibi cladis conscij aliquandiu quieuēre. At Basilius magnus Moscouitarum dux, Plescouiam, liberam populosam ac opulentam ciuitatem in finibus Liuoniæ sitam, arte aggressus, erepta libertate, eam suæ subiecit potestati, Antistite ritus Græcanici & primoribus eius vrbis ad se sub prætextu amicitiæ in Mosquam prius euocatis. Quibus in potestatem redactis campanam maximā quæ Cōsilij vocabatur, & qua populus ad tumultus & arma concitabatur, primùm ex turri excelsa deposuit, & ciuitatem alioquin amplissimam cum tota prouincia & arcib⁹ circiter triginta muratis, præter alia ignobilia castella, misso exercitu sibi subiecit, quo facto ciuium septem millia cum coniugibus ac liberis inde subduxit, & in Mosqua Metropoli collocauit. Sub eo tempore Iacobus Sidloueçius regni thesaurarius, vita decessit, cui Andreas Coscelecius in quæstura est surrogatus. Et erat anni 1510. decimi initium supra quindecies centesimum. Quo anno, mense Februario, regni Poloniæ procerum conuentus Petricouiæ Sigismundo rege præsidente est celebratus, ex quo Oratores ad VVladislaum Vngariæ regem, & eius regni optimates in negocio Turcicæ expeditionis, & respōso Iulio Pontifici dando decreto senatus sunt missi, Ioānes Laski regni Cancellarius & Nicolaus Firlei Palatinus Lublinensis. Superuenit non multò postea regis Daniæ legatus, ad Elizabethæ virginis sororis regis explorandā venustatem, ac in cōnubium pro regis Daniæ filio procandā. Sed illa longinquos ad Boream pertæsa thalamos, sæuientisq; maris horrens iactationem & pericula, connubiū recusauit.

Aduenerat D. Ioannis Baptistæ dies, ad quem legati regum & principū Posnaniam conuenire debebant, pro pace & concordia inter Sigismundum Poloniæ regem & Prussicæ militiæ Cruciferos tractanda. Ad præfixum tēpus Maximiliani Romanorum regis, VVladislai Vngarię, & Sigismundi Poloniæ regum, nec non Friderici ex Saxoniæ ducibus Prussiaci ordinis summi Magistri legati venerunt. Aderant legum docto res, qui de partium iuribus inuicē disceptarent. Iob Pomesaniēsis episcopus Crucifericæ legationis princeps: Pomeraniæ & Prussiæ terras, quæ ostijs Vislæ amnis adiacent, & in ora Sarmatici maris sitæ sunt, à Sigismundo rege & regni proceribus tanquam indebitè possessa repetebat: Secundò, Ne Prussiaci ordinis Magister & Cruciferi iuramentum, fidelitatem, & obedientiam regibus Poloniæ præstare tenerētur, nec eū in dominum recognoscerent flagitauit: Tertiò, Ne idem ordinis Magister & Cruciferi vlla bella etiam contra barbaros infideles cum Sigismundo rege & alijs eius successorib⁹ adire tenerētur: Quartò, vt Polonorum nullus ad Crucifericę militię ordinē assumeretur. Hic articulus soluto risu & cachinno à Polonis exceptus per contemptum, deliberatione nulla facta, in eum facilè cōsensêre. Tria superiora capita ad Cruciferorum

Maximiliani regis Rom. oratores.

Tartarorum inter se pugna.

Plescouia à duce Moscorum capta.

Comitia Petricouiæ.

Congressus cum Cruciferis Posnaniæ.

Conditiones pacis à Cruciferis propositæ.

iniqua postulata, quoniam per ea pacis perpetuę fœd⁹ apertè infringebatur ac violabatur, à legatis Polonis vt indigna ac iniusta reiecta, ac magnis rationibus explosa. Cōsiliarij & legati Poloni quorū princeps erat Ioannes Laski Gnesnensis Metropolita regni Poloniæ iura ad Pomeraniæ & Prussiæ terras, multis argumētis ac diplomatibus quibus perpetuę pacis fœdera continebantur, clarissimè, copiosè, ac multa grauitate deducta, Sigismūdi regis & Senatus regni nomine petijt, vt post tot annorū atrocissima ac cruētissima bella, tot vrbiū & castellorū miserabiles ruinas, pax perpetua inter Cazimirum Poloniæ regem, nec nō Magistrū ordinis ac Cruciferos Prussiæ olim sanctissimè icta, ac iuramētis sacrosanctis roborata, rata ac firma maneret, inuiolabiliterq; seruaretur, petijtq; iuxta ꝑpetui fœderis formulam vsu receptā, vt Fridericus Prussiacę militiæ Magister debitum fidelitatis & obedientię iuramentum, quod aliquot prædecessores sui continua seriē absq; vlla tergiuersatione vltrò fecissent, Sigismundo regi præstaret, ni potentissimi regis iusta in se arma cōcitare ac experiri malit, magno Cruciferorum periculo, ne eorū reliquiæ ex Sambia extremo Prussiæ angulo, Polonorum armis, contra Cruciferos semper feliciter motis, procul pellantur, ac exterminentur. Post hæc irritis altercationibus cōplures dies absumpti, Polonorum legatis regni sui causam strenuè ac magnis rationibus tuētibus, vt facile appareret Magistrum ordinis & Cruciferos causam fouere iniquam. Ad hoc tandem decursum est, vt Fridericus Magister ordinis & Cruciferi, perpetui fœderis executionem ad annos viginti, & cùm id obtinere non possent, ad annos decem suspendi peterent: Sed cùm id quoq; eis à Polonis legatis constanter negaretur, regum ac principum legati nullo facto fine, re infecta diuersi ex Posnania abiēre, resq; propterea ad arma spectare videbatur. Conuentu Posnaniensi finito, Achilles de Grassis Episcopus Modœcensis, Rotę auditor, Pōtificius legatus, cui causa Prutenica à Sede Apostolica specialiter cōmissa fuerat, serò superuenit, conuentumq; Posnaniensem neglexit, vel ob itineris longinquitatem, vel quia tardius eam prouinciam suscepisset. Sigismundum tamen regē adijt, & Iacobi Pisonis legationem repetijt: expeditionis contra Turcam cū VVladislao Vngariæ & Boemiæ rege cōmunicato consilio, & iunctis viribus ineundæ, consultatum est frequēti senatu, an contra Pasaitem Turcarum Imperatorem Græciæ atq; Asiæ dominum, vicinum ac præpotētem hostem arma mouenda essent: plerisq; censentibus Sigismundo regi gloriosum futurum, si expeditioni sacræ ac omni æuo memorabili contra immanissimos Turcos inter esset, maximè si terra & mari exercitib⁹ & classibus Christianorum principum aggrediēdi essent, quo facto indubitata speranda esset victoria. Alij diuersum censebant, contra hostem ferocissimū præpotentem, ac vicinum nil temerè mouendum esse, cùm facilius arma sumantur, difficilius deponantur, & hoc non in tuo, sed in hostis situm sit arbitrio: Christianorum principum expeditionem contra Turcos toties per multos Pontifices sollicitatam, ab accensas æmulationes esse incertā, regibus Christianis inuicem diffidētibus, & Italia tota tumultuante, quorum sera essent auxilia & fortè nunquam speranda, si potentissimus Turcorū Imperator in Polonos in medio destitutos, atq; Vngaros omnē belli impetum conuerteret. Hæc postremò tenuit sententia, vt legati ad VVladislaum regem mitterentur, ad eius regis & regni Vngariæ magnatum explorandam voluntatem, & quale potissimùm super ea Turcica expeditione Iulio Rom. Pontifici dandum esset responsum, vt in re tanti momenti reges fratres pari ac vnanimi consilio niterētur; legati qui in Vngariā erāt designati Ioannes Laski regni Cancellarius, & Nicolaus Firlei Palatinus Lublinē. Achilli de Grassis Pontificio legato, qui postea supremo ordini Antistitum Cardinalium est ascriptus, responsum, Sigismundum regem de Turcica expeditione cum VVladislao Vngariæ rege, & regni sui proceribus consultaturum & per propriū nuncium Pontifici Rom. responsurum. Cū hoc Achilles de Grassis Antistes expeditus ac regali munificentia donatus Cracouia discedens in Italiam abijt. Eius anni ęstate Mendlikeres Tartarorum in Taurica Cæsar à Nogaiensibus Tartaris, qui trans Tanaim per vastos Scythiæ campos Nomadum more latè vagantur, cladem tempore retroacto acceptam vlturus, ingēti comparato exercitu sec⁹ paludem Meotim, Tanaim versus contendit: Transmissoque laboriosè Tanai, Nogaienses nil ta le suspicātes, incautos aggreditur, quos vno atq; altero certamine victos, clade maxima affecit, abduxit septuaginta circiter millia mulierum ac puerorum captorum,

Polonorum consiliariorū responsum.

Tartari Tauricani Nogaienses vincunt.

ptorũ, promiſcuæ multitudinis prædã. Sunt ſanè ex Nogaienſibus Tartaris cõplures reperti, qui amiſſarum vxorum ac liberorum dolore, ad hoſtẽ in Tauricam transfugerunt, & per hæc Mengligeres Cæſar factus eſt longè potentior.

Tempeſtas Leopoli. Eodem menſe Iulio, quo hæc victoria Tauricanis Tartaris contigit, Leopoli tanta ſurrexit tempeſtas, cũ fulgure tonitruis ac ingenti cœli fragore, vt cœlũ & terra ruere videretur, & pars vrbis maxima diſiectis & confractis tectis deformata ſit. Sub quo tempore Montiũ Salis cauernæ in Velicica, vnius fraude laboratoris ſuccẽſæ, dies plures intus per ſubterraneos ſpecus arſerunt, pleriq; ad extinguẽdum ignem per funẽ demiſſi, fumo & fœtore ſuffocati ſunt. Poſtremò Nicolaus Coſceleci⁹ regni Theſaurarius ac Montium Salis magiſter, conflatum incẽdium periculo & induſtria ſua ægrè extinxit. *Salinarum Vielicienſiũ cõflagratio. Hoc idem cõtigit Anno 15.*

Tartari Tauricani Lituaniam populãtur. In ſequenti autumno Mendligeres Tartarorum in Taurica Cæſar victoria Scythica Nogaienſibus magno prælio victis inflatus, Tartarorum equitum millia quindecim ad Lituaniam vaſtandam immiſit, quam lõgẽ & latè eſt populatus, Corraſaq; ingẽti præda hominum, armentorum, pecorumq;, vnius diei itinere à Vilna nullo accepto incommodo, eſt reuerſus. Nec hac præda Mendligeres Cæſar contentus, exercitum ſexaginta millium equitum comparauit, & eum Boriſtene ac Tyra amnibus transmiſſis, ad Valachiam Moldauiam vaſtandam ſub ſignis miſit: quam longè & latè barbarica feritate atrociſſimè ferro & igne eſt populatus. *Tartari Valachiam vaſtant.* Septuaginta quatuor millia hominum ex Moldauia immaniſſimi Tartari in ſeruitutem perpetuam abduxerunt. Hac ſola clade in ea expeditione affecti, quod Bethikarei Mendligeri Cæſaris filius, omnium copiarum dux, in Tyræ amnis tranſitu cum Tartarorum quatuor millibus & multis captiuis violentis aquarum vorticibus cum natante equo abreptus, demerſus eſt. Ex Moldauis Copacius vir fortis, & magni apud ſuos nominis, Tartaros abeũtes ſecutus, in inſidias lapſus ac vndique à Tartaris circumdatus, cum ſeptingẽtis Valachis fortibus viris victus concidit: trecenti qui acceptæ cladi ſuperfuerant per medios erumpentes hoſtes, ægrè fuga ſaluati. Miſerabili terræ ſuæ vaſtatione Bogdanus Palatinus conſternatus, Ioannem Moldauiæ theſaurarium cum collega ad Sigiſmundum regem oratores miſit, auxiliares copias contra Scythas Tartaros, ſi rurſus, vt timebat, redirent, implorans. Supplicauit inſuper vt oratoribus ſuis in Moſcouiam ad Baſilium eius gentis principem liber per Lituaniam pateret tranſitus. Vtrumque Moldaui oratores à Sigiſmundo rege obtinuerunt, ſi neceſſitas ingrueret, auxiliaribus pro miſſis copijs, legatiq́ue Moldaui in Moſcouiam tranſire liberè permiſſi. Pars anni extrema erat, & bruma gelaſcere inceperat, cùm nunciatum eſt Fridericum ex ducibus Saxoniæ Pruſſiaci ordinis ſummum Magiſtrum, in Rochlinga arce apud Miſnam fatalem mortem obijſſe. Qui vt iuramentum fidelitatis & obedientiæ quod homagium vocãt, ex Sambia prouincia quam Poloniҽ regum beneficio & aſſenſu obtinebat, Ioanni Alberto, inde Alexandro, poſtremò Sigiſmundo Poloniæ regibus non præſtaret, Pruſſia relicta in voluntarium abierat exilium, & ad opes Ducum Saxoniҽ fratrum confugerat. Quo tandem vita functo, Pruſſiaci ordinis Commendatores & Cruciferi, ad noui ſummi Magiſtri electionem proceſſerunt, elegeruntq́ue concordibus ſuffragijs Albertum Brandeburgenſem Marchionem Sigiſmundi regis ex ſorore nepotem, qui poſtea ad optimatium regni Poloniæ Conuentum venire pollicitus, non venit, euidenti futuri belli indicio. *Albertus Brandeburgicus Magiſter Cruciferorum in Pruſſia, regi Pol. rebellis.* Enimuerò Sigiſmundus rex vbi eum tergiuerſari accepit, infeſtum in eum accepit animum, & tormenta bellica ad Pruſſiacum bellum, quod haud dubiè inſtabat, magno ſumptu præparabat. Interea tẽporis Imbraimus Turcorum Imperatoris legatus ſuperuenit, qui ad regium conſpectum introductus, poſt oblata munera, quod paternum auitumq́ue regnum ſit adeptus, Sigiſmundo regi eſt congratulatus, fauſta & fœlicia omnia, vtq́ue initum regnum ſit illi diuturnum amicè precatus, cupiens cum eo antiquum fœdus, quale patris Cazimiri fratrumq́ue regum tempore ſumma fide obſeruaſſet, inſtaurare, iuramentum initi fœderis, ad annum à Sigiſmundo rege exigens: quale Andreæ Zakrzovuski regio legato, haud multo antea Pazaites Imperator Conſtãtinopoli prior fecerat. Quod Sigiſmundus rex vt debuit præſtitit, firmataq́ue pax eſt ad annum duntaxat cum Turcarum Imperatore: *Imperatori Turcarum induciæ annuæ datæ.* Nec longiores inducias Sigiſmundus rex acceptare voluit, ob ſpem generalis in eum hoſtem expeditionis, à qua

magnanimus rex abesse nolebat. Et per hæc annus decimus supra millesimum ac quingentesimum transiuit, regnationis eius principis quartus. In sequentis anni initio optimatium regni conuentus Petricouiæ consueto more est celebratus, Sigismundo rege præsidente: actum comprimis de regni defensione contra Scythas Tartaros, quorum fœdera vt incerta ob ambiguam fidem, ita periculosissima essent. Decretum frequenti senatu Sigismundo rege auctore, vt equitum quaterna millia, qui Podoliæ limites attentius custodirent, & Moldauis contra Tartaros opem ferrent, conducerentur, pecunia in stipendium militibus agricolis imperaretur, ex laneo grossi decemocto: Anno insequenti duodeni, nobiles inopes agros non habentes, & Sculteti eius pecuniæ dimidium conferrent. Oppidanis facultatum cuiusq; æstimatio & solitum ceruisię vectigal iniunctum: Decretũ etiam ne moneta, q̃ ob nimiã eius cusionem ac frequentiam vilesceret, & ob id aureus carior efficiebatur, amplius non cuderetur. Insuper vt rex ipse Sigismundus in Bereste ad Bugum amnem ob Tartarici tumultus suspitionem tota æstate maneret; & occasionem rei bene gerendæ contra eum hostem loci opportunitate quæreret. Venit ad eum Conuentum Anna Masouiæ Dux, Stanislai & Ioannis eius gentis ducum tutrix. Illustres pupilli ad conspectum regium introducti, oratione latino eloquio composita regem salutarunt, obtinueruntque egregię indolis adolescentes, vt prouinciam Visnensem quæ supra Nareuiam amnem iacet, Lituanisque ac Prutenis cohæreret, perpetuo iure eis tenendam concederet. Eam donationem Sigismundus Rex datis diplomatibus ratificauit. Nec multo posteà soluto Conuentu Sigismundus rex Senatus decreto satisfaciens, ex Cracouia die secunda Maij mouens Breste versus ad orientem æstiuum contendit: vbi Gastoldum & plerosque alios magnates Lituanos, Michaëlianæ factionis suspectos, & propterea custoditos, ad Polonorum ac Lituanorum procerum intercessionem in gratiam suam regiam suscepit, ac liberos ex vinculis dimisit. Sub quo tempore VVladislaus Vngariæ & Boëmiæ rex, cum Ludouico filio iam in Vngariæ regem coronato VVratislauiam concessit, eo consilio, vt à Slesiæ ducibus & vrbibus iuramentum fidelitatis & obedientiæ, quod homagium vocant, acceptaret. Ea causa inter Vngariæ & Boëmiæ regnorum proceres orta dissensio, vtrisque Slesiam ad se pertinere contendentibus, sibique id præstandæ obedientiæ munus fieri debere astruentibus, Boëmi eius terræ proprietate gloriabantur, Vngari in possessione eius se esse pignoris nomine ostendebant, vtraque natio magnis nitebatur fundamentis. Slesiani duces & Senatus populusque VVratislauiensis veriti, ne inter hæc duo armis opibusque potentia regna funestum bellum accenderent, mediam ingressi viam, à iuramento fidelitatis & obedientiæ præstando hac vice abstinuerunt. Etsi Slesiani rebus Boëmicis, de quorum corpore se esse non ignorabant, magis fauere viderentur. VVladislaus rex spe sua frustratus, & ob id eius prouinciæ ducibus infensus, postquam hic mensem sesquialterum irritis contentionibus absumpsit, VVratislauia excessit: cui ciuitati emporium quod ab alijs principibus dudum se obtinuisse iactabant, per hos, apud quos in eius Regis aula omnia tunc erant venalia, magno labore & impendio nouo regis assensu instaurari obtinuerũt. VVladisla⁹ rex, qui in regni Polonię præiudiciũ id fieri non ignorabat, ab adulatoribus victus, VVratislauiẽsem ciuitatẽ, tam iniqua prærogatiua adornauit, permisitque vt merces quæ citro vltroque ex Germania, vel Polonia veherentur, VVratislauiæ deponerentur, omnesq; per hæc aditus Polonis in Germaniam ac Boëmiam negociandi præcludebantur. Nã & Marchio Brandeburgensis Elector Imperij Francfordiæ apud Oderam amnem, simile fecerat emporium. Sigismundus rex negociatorum sui regni querelis impulsus, omnia cum VVratislauiensibus commercia publico edicto interdixit, mandauitque, vt si Germani aut Slesitæ mercibus Polonicis indigerent, in regno ea Poloniæ quærerent. Constituitque in regni sui finibus Slesiam versus certis locis pari modo emporia: vtque prægrandes boues, quorum ingens quotannis copia ex Polonia in Germaniam abducebatur, cõpellerentur, vectigalque à singulis bobus aureus nummus solueretur: Alijs etiam mercibus alia vectigalia imposita. Incredibile dictu est, quàm hoc Poloni regis edictũ VVratislauiensibus molestũ ac intolerandum fuit. Oẽs ex Polonia in Silesiam ingressus clausi erant,

1511.

Comitia Petricouiæ.

VVladislaus Rex Vngariæ & Boëmiæ VVratislauiam profectus.

VVratislauien. emporium.

Polonis cum VVratislauiensibus commercia interdicta.

rant, custodes etiam adhibiti, ne quid ad eos inueheretur. Tanta propterea VVratislauienses rerum omnium inopia laborarunt, vt mechanicis artificibus inde dilabentibus, vrbs alioquin opulenta insigni fuerit solitudine deformata. VVratislauienses dum emporij sui prærogatiuam tuentur; quadriennium tot mala tolerarunt: per quod tempus, hoc solum incommodi Polonis attulisse visi sunt, quod Fukarorum societatis monopolio libram piperis, cuius esus ad edulia condienda toto regno maximus est, ad aurei fermè Renensis valorem deduxerant. Sed huic rei Sigismundus prudentissimus Rex prouidit, mandauitque nouo ac salutari edicto, sub mercium amissione, ne piper ex VVratislauia in regnum inueheretur, cùm alioquin Armeni omnifaria aromata ex Bisantio Thraciæ Leopolim affatim comportent. Ab altera etiam parte Gedanum nobile regni Poloniæ emporium, ad ostium Vislæ amnis situm, complures merces ex Anglia & Portugalia aduectas, abundè suppeditet vt Polonia & terra Sarmatia absque exoticis Germanorum mercibus lautè & splendidè viuere posse videretur. Adnixi sunt VVratislauienses diu multumque VVladislai Vngariæ regis ac aliorum principum intercessione, super seuero Poloni regis edicto abrogando: Quòd cùm assequi non possent, victa eorum est pertinacia, & in Poloniam pro conducendis mercibus ire ac vectigalia soluere sunt adacti. Per id tempus inter Pazaitem Turcarum Imperatorem & eius filium Selimbecum, atrox bellum exarsit. Prætextus belli fuit, quod pater post decessum suum iuniori filio regnum astruere videbatur, quod vt Selimbecus natu maior impediret, in apertam cum patre hostilitatem erupit, primumque Tartarorum auxilio Caphatam vrbem nobile Tauricæ peninsulæ emporium, nec non alia oppida cum portis maris eius Chersonessus patri ademit. Quo facto, cum Mendligero Præcopensi Cæsare, qui Tauricæ mediterranea obtinebat, filia eius in connubium assumpta affinitatem iunxit, Socerique fretus auxiliaribus copijs, Taurica terrestri itinere egressus Boristene ac Tyra seu Nestrio amnibus transmissis, Album Castrum & Kiliam arcem ad Istri fluminis ripam sitam, paternæ ditionis insperato accessu intercepit. Pazaites Imperator Asiatico bello tunc erat occupatus, & cum Sophi Persarum rege parum prosperè depugnauit. Tanto magis Selimus in ea rei bene gerendæ occasione patrem vrgebat; Istroque cum omnibus copijs apud Kiliam superato, in Misiam inferiorem ac Thraciam erupit, oppidaque plurima in ora maris Pontici sita, partim vi, partim deditione occupauit. Non tulit insanientis filij fastum Pazaites; rebus Asiaticis vtcumque compositis, in Græciam redijt, & ex Bisantio cum exercitu mouens, cum Selimo filio collatis signis, apud Andrinopolim est cõgressus: Pazaito patri nec tamen incruenta cessit victoria: Selimus victus eum Tauricani Tartari filio, ægrè fuga saluatus. Qui in Tauricam reuersus nouum ex Turcis ac Tartaris exercitum reparare non destitit. Postremò Turcarum Satrapæ inter ipsum & patrem pacem composuêre: ea lege, vt eum Imperij sui successorem designaret. Quod Pazaites pater ob altam filij indolem, & ingentes quos alebat spiritus, non solùm ei præstitit, sed etiam viuens ocij cupiditate imperio cessit. Nec multò postea Pazaites in humanis esse desijt; cuius thesauros Selimus cum Constantinopoli regia adeptus, cum Achmate fratre apud Bursam Asiæ vrbem magno prælio conflixit: Quo victo imperium sibi stabiliuit; Asiaticis Satrapis, qui à fratre stabant sub iugum missis ac deuictis. At Tartarorum in Taurica Cæsar, Selimi generi Turcarum Imperatoris affinitate inflatus filium & nepotem obsides, quos Sigismundo regi, in Bereste agenti ex fœdere mittere debuerat; non misit, & per hæc hostem se ei regi declarauit. Enimuerò Sigismundus rex, vt damnosissimas & funestas Tartarorum excursiones inhiberet, quindecim aureorum millia quotannis Tauricano Cæsari, si obsides misisset, dono dare destinauerat, ita vt eius pecuniæ dimidium Poloni, residuum Lituani qui Tartaris sunt propinquiores, cõferrent: Sed Tartarus istius fœderis & promissorum oblitus, quadraginta millium equitum exercitum in Moldauiã misit: cõtra quẽ Bogdanus Palatinus Valachiæ suis ad arma cõcitatis, cũ auxiliaribus Polonorũ atq; Vngarorũ copijs intrepidè processit. Si gismũdus, siquidẽ Poloniç rex quatuor equitũ Polonorũ millia, armis egregiè instructorũ Bogdano Palatino in auxiliũ transmiserat Stanislao Lanscoronio & Tvvorovvski ducibus: ex Vngaria sex-

VVratisla uiensium penuria propter emporiũ.

Bellum inter Turcas.

Tartarorũ excursio in Moldauiã.

centi venerant Sclopetarij pedites, equites septingenti. Iam Tyram amnem seu Nestrum Tartarorum copiæ transiuerant, Moldauiamque ingressi erant, cùm ad eos per trepidos nuncios ex Taurica allatum est, Nogaienses Tartaros Transtanaitas Tauricam sub signis ingressos: vxores, liberos & quicquid fortunarum domi reliquissent hostiliter diripuisse, prædaque expletos, Tauricam cum innumeris captiuis Tanaim versus se recepisse. Eo acerbissimo nuncio Tartari Precopenses seu Tauricani consternati amissarum vxorum ac liberorum dolore, obmissa quam inuaserant Moldauia, cursu pene præcipiti, Isthmum Tauricæ repetierunt, & inde secus paludem Meoticam Tanaim versus contenderunt. Quod flumen cùm Nogaienses Tartaros transiuisse comperêrunt, in Tauricam reuersi abductas vxores ac liberos frustra deplorarunt. Eius anni æstate tres supremi ordinis Antistites Bernardinus sanctæ Crucis, Guilermus Narbonensis, & Franciscus Seuerinus Cardinales Mediolani primùm, quæ vrbs Gallorum tunc erat ditionis, & inde in vrbe Pisana schisma in Ecclesia Catholica nepharijs conuenticulis excitarunt. Iulium eius nominis secundum omnium Pontificum post Petrum Barione maximum, Maximiliano Romanorum Rege eis fauorem præstante, stolida temeritate deponentes & Antipapam, vt aiunt, creare sunt adnixi, Ludouico Galliarum Rege conniuente. Sed Iulius prudentissimus Pontifex his malis salutari consilio obuiauit. Concilio Romæ ad Lateranum indicto, quo quidem schismaticos Cardinales omnibus honoribus dignitatibus Ecclesiasticis, ac etiam rubenti pileo spoliauit, anathemate adiuncto, qui eos pro Cardinalibus haberet, teneret ac nominaret. Quo facto Heluetiorum auxilio, quibus centum aureorum millia stipendij nomine transmisit, Gallos ex Mediolano, ac tota Italia inuictus Pontifex expulit, Italiamque Gallorum seruitute liberauit. Sub quo tempore diuersa orbis terrarum parte inter Lubecenses & Hollandos, bellum cõflatum est, mercium ex Gedano Regni Poloniæ emporio euehendorum causa, per Selandicum regni Daniæ sinum. Et cùm Hollandi Fukarorum mercatorum cupro, quod ex Vngaria per Vislam amnem ratibus demissum erat, in Gedano naues circiter ducentas onerassent, sublatisque velis, Selandiam versus abirent, Lubecenses redeuntem Hollandorum classem apud Helam, ex insidiis sunt adorti, numero nauium longè minore. Certatum est in Salo aliquandiu æquo marte. Postremò Hollandi à Lubecensibus, qui naues habebant lõgè maiores ac instructiores, nauali prælio sunt victi. Naues Hollãdorum decem octo iniecto igne sunt exustæ, quatuor & viginti demersæ, septuaginta captæ: aliæ ad Gedanensem portum refugerunt.

Schisma in electione Pont. Max.

Galli pulsi Italia & Mediolano.

Bellum inter Lubecen. & Hollandos.

Lubecenses victores cum classe sua ouantibus similes, Lubecum redière, cuprum receptum Maximiliani Cæsaris mandato Fukaris negociatoribus magna ex parte restituere sunt adacti. Sigismundus Rex posteaquam in Breste ad Bugum amnem Cæsaris Tauricani obsides expectando, æstatem totam & magnam autumni partem absumpsisset, penultima Octobris Cracouiam redijt, quõ ad eum à Vladislao Vngariæ Rege eodemque fratre legati venêre, Casimirus Tesinensis Dux, & Michaël Hanel, Parochus Budensis, qui post multos hinc inde tractatus super connubio Sigismundi Regis habitos, Barbaram spectatissimæ formæ virginem, Stephani olim Scepusiensis Comitis filiam, ei in matrimonium despõderunt. Dos centum aureorum millia promissa. Nec multo postea die sexta Februarij annõ duodecimõ humanæ salutis, supra quindecies centesimum, Regia spõsa ex Trencinio Cracouiã aduecta est per Heduigim matrẽ, & Ioannem fratrem, Scepusiensis Comitem, qui postea in Vngaria regnauit: mille quadringentorum equitũ, splendido comitatu. Venientibus, Sigismundus Rex extra Regiam vrbem, per aliquot millia passuum, obuiam processit, ornatissimo illustrium virorum ac purpuratorum cœtu, qui ad eam nuptiarum celebritatem vndique confluxerant.

Regis Vngariæ Legati venerunt Cracouiam.

Barbara Comitis Scepusien. filia Sigismundo regi nupsit.

1512.

Die tertia ab ingressu, noua nupta Reginali diademate est coronata. Nuptiæ complures dies multa omnium hilaritate traductæ. Nuptiarum expleta solennitate, Heduigis Regiæ sponsæ mater, & Ioãnes Scepusien. Comes, Reginæ Barbaræ frater, alijq; Principes viri ac legati, à Sigismũdo Regali munificentia donati Cracouia excesêre. Ineũte postea vere, quatuor & viginti equitũ Tartarorũ millia, ex Taurica mouentes, Boristenẽ transmisère, & per campestria

Coronatio Reginæ.

Tartarorum excursio in Russiam.

ſtria compoſito agmine procedētes, per Volhiniam in terras Ruſſiæ irrupêre. Cumq; inter Buſco & Olesko caſtra feciſſent, maiorem copiarum partem qua quauerſus ad Orientalem Regni partē vaſtandam ex caſtris emisêre. Vaſtata eſt Ruſſia atrociſſimè ferro & igne, terribili hoſtium, vt mos eſt Scythis, excurſu. Mortales multi ſubito interuentu comprehenſi ac ligati ſunt, in perpetuam abducebantur ſeruitutem, hinc lamentabilis captiuorum comploratio, & miſerabilis eiulatus. Ad ſtatutum diem emiſſæ Tartarorum turmæ cum prę da & captiuis in caſtra rediêre. Ad eum Tartaricum tumultum Sigiſmundus Rex nequaquam conſternatus, ad Nicolaum Camenecium omnium copiarū in Regno Poloniæ Ducem, nec non ad Conſtantinum Oſtrouienſ. Principem & Lituanicarum copiarum ſummum Præfectum literas dedit, Curarent vt ex gente vtraq; exercitum compararent, & cum Tartaris prælium committerent, prædam & captiuos recuperarent. Ipſe Rex mercenarios milites conſcribere, delectum facere, & in hoſtem mittere non neglexit. Aulicorum ſuorum etiā turmas aliquot florentis militiæ tranſmiſit, omnia bellico feruebant apparatu, magna celeritate ne hoſtis cum præda elaberetur. Iam Tartari onuſti pręda propter captiuos, paruis itineribus & ſenſim abibant, cùm eodem fermè tempore quo mercenarij milites à Rege ſubmiſſi ad Nicolaum Camenecium Cracouien. Palatinum, in caſtra venerant; & Conſtantinus Dux cum ſuis Volhinenſibus alijsq; Lituanicis copijs duobꝰ circiter equitum millibus ſuperuenit: Polonorum exercitus ad quatuor bellatorum millia ſe extendebat. Cum his copijs Regij duces vniuerſi certaminis aleam tentare deſtinarunt, Tartarosque apud Viſnouecium cōſecuti, aciem ſuorum explicarunt. Nec Tartari, Regij exercitus contempta paucitate, prælium detrectauêre, captiuis præmiſſis, quos gradum addere iuſſerunt. Horinia fluuius Viſnoueciam arcem præterfluit, paludinoſus admodum, & multis circumquaq; lacunis reſtagnantibus aquis ſcatens, inter quas Tartarorum agmina conſtiterunt, loco admodum paludibus impedito. Quæ res commiſſo prælio maximo Polonis ad victoriam fuit adiumento, dum hoſtiles turmę cœno intercurrente alter alteri opem ferre nō poſſet. Atrox tamen fuit certamen: cadebāt vtrinq; plurimi, tam dubio certamine, vt Volhinenſes alioquin bellicoſi, Tartarorum multitudine prægrauante, ſenſim cedere ac pedem referre cœperint. Cedentibus occurrebat Conſtantinus dux, prælium repetere verbis & verberibus hortabatur. Nicolaus Camenecius Polonicarum copiarum Dux, poſteaquam Volhinenſes cedere ac ſiniſtrum Lituanorum cornu pręgrauari animaduertit, tunc ſigno pugnæ Polonis propoſito, eos in hoſtem immittit. Non tulêre fortium Polonorum impetum Tartari, quos iam penè victores ſtupenda audacia, multa cæde diſiecerūt. Intercurrētes paludes magno Polonis ad victoriā fuêre auxilio. Tartari profligatis rebus apertè fugere cœperunt. Ex fugientibus cœſi multi, captiui oēs cum præda recuperati. Maxima hoſtilis exercitus pars in prælio & poſtea in fuga concidit. Contigit hæc omni æuo memorabilis apud Viſnouecium victoria Sigiſmūdi Regis auſpicijs in die S. Vitalis Martyris. Qui ſanctꝰ maiori poſtea veneratione à Polonis cultus eſt, tanq̄ hic diuus, vt pium eſt credere, ad victoriā nonnihil contuliſſet. Ad nūcium proſperæ pugnæ Sigiſmūdus Rex exhilaratus, gratias Deo Opt. Max. agēs, omnibus templis laudes decantari mandauit, aliaq; publicę lætitiæ ſigna edidit. Ante initū prælium, cū Tartari per Leopolien. Belſenſem, & Lublinenſem Satrapias effuſi diſcurrerēt p̄dasq; agerēt, ſexies cū eis Poloni particularibus p̄lijs ſemꝑ victores ſunt cōgreſſi, magno futuræ victoriæ indicio. Ex Regio exercitu, Illuſtres viri Poloni, quorū ſtrenua virtꝰ in ea Viſnouecen. pugna enituit, fuerūt, Nicolaꝰ Camenecꝰ Cracouiē. Palatinꝰ, omniū copiarū dux, Ioānes Odrouaſius de Sprova, Otto de Chodecio, Podoliæ Palatinus, Staniſlaus frater eius, Regni Poloniæ Marſalcus, Leopoliē. Præfectꝰ, Martinus de Camenecio, Ioannes Amor Tarnouius, Petrus & Staniſlaus Kmita de Viſnicze, Ioannes & Nicolaus Pilecij, Staniſlaus Lāskoronius, Ioānes Suircionius, Iacobus Sencignouius, & plures alij, ſingulari fortitudine & bellica laude inſignes viri, quos digniſſimos eſſe cēſui, quorū memoria literarū monumentis ad poſteros progetur. Ex Lituanis ac Ruſſis Conſtātinus Oſtrouiē. Dux, bellator ſui tēporis famigeratiſſimꝰ, Andreas de Sbaraſio, & Michaël Viſnouecꝰ fortiſſimi duces. In eo cōflictu, etſi cōplures fuêre cōſauciati, nō vltra tamen centū (mirabile dictu) ſunt deſiderati. Secundum eam de Tartaris victoriam Mendlikeri, Tartarorum in Taurica Cæſar, fœdaſuorum ſtrage conſternatus, extemplo Legatos miſit, fœdus anno exacto ictū re-

Tartari apud Viſnouecium profligati in ferijs S. Vitalis.

Tartarorum Cæſar pacem petit à Sigiſmundo.

renouari poſtulans, nuncianſq́; ſe Dialaldin Soltan ex fratre nepotem pro obſide Vilnā Lituanorū Metropolim miſiſſe, amicus amicis, inimicus Sigiſmūdi Regis inimicis omni tempore futurus, & vt id ratum foret, quindecim aureorum millia ſibi in ſtipendiū quotannis dari petijt. Legatis Tartarorum reſponſum, Sigiſmundum Regem, poſtulata Mendligeri Cæſaris, q rupto fœdere Regnum Poloniæ hoſtiliter vaſtaſſet, proximo Conuentu ad Regni ſui Senatum referre velle. Quid illic fuerit conſtitutum, per proprium nuncium Regē Cæſari ſignificaturum. Obſidis Dialaldini Soltani ad ſe acceſſum ſibi gratum fore, curaturumq́; vt lautitijs præbitis neceſſarijs omnibus prouideatur. Sed Dialaldinus proxima bruma febribus conflictat⁹, vita deceſſit. Nec Sigiſmūdus Rex barbaro ac infido hoſti ſtipendium vllū dare voluit, quo accepto, ęquè damna ingentia, & hoſtiles incurſus, ruptis fœderibus facere conſueuiſſet. Satiusq́; viſum erat, eam pecuniam in mercenario rum militū ſtipendium erogari, qua hoſtis Tartarus equis armisq́; inſtrui ac opulentior fieri poſſet: Ea etiam ratione, ne Sigiſmundus Rex data ei pecunia vectigalis barbaro hoſti eſſe videretur, cū Turcorum Imperator hoſtis alioquin potentior ex vicinitate per Valachiam Regno immineret, quæreretq́; pari modo Tartarici ſtipēdij, ſi illud ſolueretur, exēplo, regnum Poloniæ ſibi facere ſtipendiarium: quod Sigiſmundus excelſi atq; inuicti animi Rex, conſtanter ſemper eſt auerſatus. Satis conſtat, quicquid cū eo Tartaro Tauricano, apud quē nulla vnq̃ relligio, nulla fides fuit, de amicitia & pace conſtitutum fuit, nihil per eū obſeruatum fuiſſe. Vtiliorq́; ſemper Polonis ac Lituanis fuerit, validis in eorū finibus locatis præſidijs, certa cū Tartaris hoſtilitas, quā dubia ac incerta pax, maximè in ea caſtellorum frequentia, quæ paſſim tota Ruſſia ac Podolia conſtruūtur, tuta agreſtium hominū pecorum armentorumq́; receptacula. Per id tempus Sigiſmundus Rex cæpta Cracouienſis arcis ædificia, Italis ad hoc architectis adhibitis, ſummo ſtudio nec minori ſumptu cōtinuauit, cum æde ſacra Staniſlai martyris, quę à Rupella cognominatur, locū martyrij eius ſancti. Ad cui⁹ tumulum in templo arcis auguſtiſſimo tabulas argenteas cum imaginibus fuſorio opere affabrè factis, pōdere opere ac precio ſpectādis dedicauit, votūq́; bello Valachico emiſſum profuſa liberalitate exſoluit, cū cruce aurea vaſtę magnitudinis, vnionib⁹ ac lapidibus præcioſis diſtincta, præter veſtes ſacras ac alia donaria ei templo Regia munificentia illata. Et hæc tūc fuerunt eius Regis opera pietatis, qui eo quoq; anno Petricouiēſis turris iecit fundamenta, cœptumq́; laborē latericia materia anno ſeptimo cōſummauit, ac etiā aquea foſſa ingyrū circunducta, in arcis modū cō muniuit. Eius anni æſtate Maximilian⁹ Romanorum Rex, Sigiſmūdi Regis offenſus connubio, quod cū Barbara Scepuſien. haud multò antea contraxerat, hoſtilia in eum Regem moliri cœpit, identidem in Germanię Principū cōuentibus contra eū queſtus, q Pruſſiam Marianorū olim militum poſſeſſionem obtineret, conſiliaq́; mouendi belli ac eius terræ recuperandę agitabat: quæ poſteaquam ob inteſtina Germanorū odia ad effectū deduci eo tempore non poſſent, ethnicos Principes, ac ſemotas barbarorum gentes cōtra Polonos ac Lituanos per Legatos ſollicitauit. Primumq́; cum Baſilio Magno Moſcouitarū in Sarmatia Aſiatica Duce, quem potentia & opibus præſtare non ignorabat, amicitiā & ſocietatem iunxit, fœdusq́; percuſſit. Baſilius Maximiliani Cæſaris nepharia ſocietate animatus, ſexaginta milliū equitum exercitum cōparauit, violatoq́; fœdere, quod cū Sigiſmundo Rege ſanctiſſimè ictum, & per quadriennium tētum habebat, à Ripheis montibus & aris Alexandri Magni, vbi nunc Smolensko arx ſita eſt, Lituanis, & Sigiſmundo Regi bellum intulit, Michaëlem Glinski, qui ex Lituania ad eum transfugerat, hoſtē patrię ſuę infeſtiſſimum, omnium copiarū Ducem conſtituit. Qui tā numeroſo inſtructus exercitu acceptoq́; imperio, nihil moratus, apud Nebrium ac Suſam amnes Lituanorū res inqetare cepit: vrebat, vaſtabatq́; immaniter omnia. Tandem Smolensko arcē validā in cliuō Riphei mōtis ſitam obſidione cinxit, ac etiam oppugnauit: quam cū ob Sigiſmundi Regis preſidium expugnare non poſſet, alia atq; alia loca Moſcouitarū ditioni ſubijcere tentauit. Cōplura oppida & pagos ſine munitione in aperto paſſim iacentes diripuit & incendit, graſſatusq́; eſt circum Nebrium amnē impunè aliquandiu, nemine ob inſperatum bellū reſiſtente, Lituanis induciarum fiducia ocium agentibus, & ad bellum inopina tū imparatiſſimis. Nec multo poſtea Michaël Glinski dux cum omnibus copijs in hiberna conceſſit. Anno eodē Pazaites Turcorum Imperator ſenio confectus Selimo filio, quē haud multo antea in

Stipendium Tartaris negatum.

Arx Cracouienſis magno ſumptu ædificatur.

Eccleſia in Rupella inſtaurata & ornata.

Imagines argenteæ ad ſepulchrum S. Stanislai in eccleſia Cathedrali.

Crux aurea miræ magnitudinis in Eccleſia Cathe. Crac.

Turris in modum arcis Petricouiæ ædificata.

Maximilianus Sigiſmūdo infenſus.

Moſcus rupto fœdere bellum infert Lituanis.

Glinſcius Lituaniam vaſtat.

Smolenſcum obſeſſum.

Baiazetes ſelimo filio imperio ceſſit.

in Thracia cruento prælio profligauerat, Imperio sponte cessit, & in Hamandatam vrbem, in qua natus atque alitus fuit, ocij cupiditate se contulit, vbi non multò postea fatalem mortẽ obijt. Selimus paternam sedem, cum imperio verno tempore adeptus, cum Achmate iuniore fratre, in Asia pro imperio decertauit. Victus Achmates in Armeniam maiorem ad Zophi Persarum Regem profugit, cuius filiæ connubium nactus, Soceri auxilio, Turcorum rebus diu multumque infestus fuit, Selimo fratre paternum solium tenente: à quò Laskovvski Polonus puer quondam à Turcis captus, & in Machometi impietatem circuncisus, ad Sigismundum Regem Orator venit. Eius legatio nis summa fuit, vt diceret Selimũ Turcici Imperij habenas adeptum esse, velle cũ eo & regno Poloniæ, tale inire fœdus, talẽ pacem, amicitiam & societatem contrahere, qualem progenitores eorum inter se coluêre: optauitq; Sigismundo Regi omnia prospera, & victoriam contra Regni sui hostes. Sigismundus Rex de paterno Imperio adepto, amplissimis verbis Selimo Imperatori est congratulatus, fœdus, amicitiam, & societatem vltrò oblatam suscepit, vicissim illi fœlicia omnia, & optatos ex hostibus triumphos precatus, Legatum inde Regia munificentia donatum expediuit. Sub quo tẽpore Turcæ in Croatiam hostiliter irruperunt, & quina hominum millia in seruitutem abduxerunt. Mense postea Augusto Croatiam repetierunt, & apud Sauum amnem Sagrabiamq; magna damna fecerunt. Supra vicena hominum millia subito ac insperato ingressu captiuarunt, & ab duxerunt. Ea æstate Podolia fœda pestilentia laborauit. Complures mercenarij milites, qui Regni limites à Turcis & Tartaris tuebantur, ea lue periêre, à qua aliæ Regni partes immunes fuerunt. At Sigismundus Rex Podoliæ defensioni cõsulturus, Regni sui optimaribus Conuentum Petricouiæ indixit, & ad eum in autumno perrexit: quo ex sententia absoluto, Posnaniam cum Regina Barbara est profectus, vbi postea Martio mense regia cõiux filiam enixa est, quæ à sacro fonte Heduigis tulit nomen, & per hæc annus tredecimus supra millesimum & quingentesimum, qui erat Regni Sigismundi septimus incepit. In quo Ioannes Laski Metropolita Gnesnen. ad Lateran. Concilium, quod Iulius eius nominis secundus Ro. Pontifex Regibus & Antistitibus Catholicis

Imperatoris Turcarum legatio ad regem.

Turcæ Croatiã vastant.

Pestis in Podolia.

Comitia Petricouiæ.

1513.

Ad Concilia Lateran. oratores à Rege Pol. missi.

indixerat, Sigismundi Regis nomine cũ Stanislao Ostrorog Collega Orator est profectus, sed priusquam Romam peruenissent Iulius Pontifex rebus humanis excessit: in cuius locum Leo eius nominis X. supremi ordinis Antistitũ suffragijs est suffectus, cui Sigismundi Regis Oratores publico consistorio obedientiam præstitêre. Ioannes Laski vir facundiæ singularis, luculẽtam habuit orationem, in qua tot piorum calamitatibus, tot cladibus, à barbaris gentibus susceptis, longa serie enarratis, complurimis lachrymas exciuit, ostenditq; alios Christianos Reges ac Principes, nimijs opibus lasciuientes pro gloria dun taxat & finibus cum vicinis decertare; Polonos verò & Sigismũdum Regem, pro vita, pro libertate, ac totius Christianitatis salute, contra Scythicas ac alias barbaras gentes excubare ac decertare incessanter, cùm ei Regi Turci Tartari Moscouitæ ac Valachi, irrequietis excursionibus, maximisque exercitibus negocium facesserent. Vidi ego plerosque supremi ordinis Antistites Cardinales, qui altius spirabant, collachrymari, Thomam præcipuè Strigonien. Cardinalem, qui ea potissimum causa, ex Vngaria trecentorum equitum comitatu Romam venerat, vt Romanum Pontificem sacrumque Senatum, ad bellum contra Turcas suscipiendum impelleret: quod Iulio Pontifici, cuius tempore Romam venerat, post Petrum Barione omnium Pontificum maximo, ac tot bellis exercitatissimo, haud dubiè persuaserat, si intestina Principum Christianorum odia & immatura mors non obstitissent. In eo postea Lateranensi Concilio, quod tot Antistitum concursu Romæ celebratũ est, magnum certamen exarsit inter Maximiliani & Sigismundi Regis oratores. Contendebant illi, vt Sigismũdus Rex terram Prussiæ Marianis militibus restitueret, & ad id Sigismundum Regẽ & Polonos compelli multa instãtia postulabant. Quam impetitionem præter omnium spem exortam, Ioannes à Lasko Metropolita Gesnẽ. Orator Regius, non minus opportunis, quàm veris rationibus, dum iura Regni verbis & scriptis copiosè explicaret, me iuuante discussit, & per hoc omnem inquietudinẽ sustulit. Cognouit quippe iustissimus & sapientissimus Pontifex Leo decimus Sacerque Senatus, Sigismundum Regem & Polonos terram Prussiæ trans Vislam amnem in Sarmatia sitam, vbi olim Gytones & Phynni erant, clarum

Ioannis Laski oratio ad Collegium Cardinaliũ.

Inter oratores controuersia.

ac solidum ius habere, Cruciferisque Prussiæ qui in solo alieno, tot oppida tot arces extruxerant, ad eam prouinciam nihil iuris competijsse vnquam nec competere, perpetuò illis propterea, etsi indignantibus Germanis, imposito silentio. Sigismundo Rege Posnaniæ agente, Helena Moscouitica, Alexandri olim Poloniæ Regis coniunx, in Bratislauia fatali morte absumpta est. Nec multo postea, Vilnens. arx, quę per Sigismundum Regem instaurata & nouis structuris adornata fuit, fortuito incendio conflagrauit, futurorum bellorum, quæ postea cum Moscouitis magno armorum motu exarserant, prodigioso indicio. Sub quo tempore Basilius Magnus Moscouitarum dux, Maximilianum Romanorum Regem pro Regia Corona & insignibus regalibus, nimia ambitione per Legatos sollicitauit, à quo etiam auxilia tanquam ab amico & socio fœderato contra Sigismundum Poloniæ Regem flagitauit; Slainicio nobili Misnensi, qui Michaëlem Glinski perduellionem in Moscouiam profugum secutus erat, ad Germaniæ Principes ad bellum concitandos submisso, vnà cum quodam Cracouiēsi Negociatore natione Bohemo, cognomēto Lata, qui pro exploratore captus, & Cracouiam missus, quæstioniq; adhibitus, capitali affectus est supplicio. His futuri belli rumoribus Sigismūdus Rex permotus, mensis Iunij diebus, Regni Polonię optimatibus apud Radom Cōuentum indixit, frequentique Senatu regni sui rebus compositis, cum Tartarorum in Taurica Cæsare, promisso ei stipendio, fœdus percussit, eumque sibi ad bellum contra Moschos suscipiendum socium asciuit, quo diuino propemodum consilio duplex commodum est assecutus, tum quod valida Tartarorum auxilia contra hostem præpotentem sibi comparauit, tum quod ab eisdem Tartaris hostibus antea infestissimis Regni sui limites securos effecit. Pace eo modo & trāquillitate Regno parta, conatus omnes ad belli Moscouitici consilia conuertit. Primumque Mendligeri Tauricano Tartarorum Cæsari stipendium antea per Legatos promissum misit, eumque ad bellum Moscouitis inferendum magnis muneribus impulit. Enimuero Basilius Moschorum Dux, Lituaniæ limites à Boristene ad prima veris signa hostiliter infestare cœperat, Michaële Glinski auctore, quē omnium copiarum Ducem constituerat. Qui post dāna multa illata, pleraq; munita loca frustra oppugnauit, à quibus cum ignominia, & Moscorum cruenta cæde est repulsus. Per id tempus Laurentius Myskovvski vir bellicis artibus & militari disciplina præstans, priuatis & eis quidem intollerandis iniurijs adactus, ob certos patrimonij sui aquæductus sibi violenter ademptos, Ioannem Zatoriensem Ducem, supplicanti iniuriamq; deprecanti ferociter respondentem, gladio per medias scapulas adacto transegit, manusq; Satellitū se sequentium, equi celeritate & viarū compendijs elusit. Ioannes Dux letali vulnere affectus, antequā sui accurrerent, ex equo moribundus defluxit. Zatoriensis inde Ducatus Regni Poloniæ finibus insertus, liberis nullis qui succederent extantibus, ad Sigismundum Regem, cuius nunc dum hæc proderem, pacifica fruitur possessione, est deuolutus. Laurentius Myskovvski ob patratam cædem, Sigismundi Regis incurrēs indignationem, non prius veniam obtinuit, quàm multis eisque præclaris in Moscos editis facinoribus, omniū commendatione & iudicio, gratiam Regiā consequi meruit. Eadem æstate Basilius Moscouitarum Dux maiori quàm vnquam antea belli apparatu ingentem contrahit exercitum. Supra octuaginta bellatorum equitum millia in eius Castris censa sunt, præter lixas & Calones. Maximilianus Romanorum & Germaniæ Rex Bombardarum Magistros Italos ac Germanos magno stipendio conductos, per Pomeraniam, Prussiam & Liuoniam Basilio Duci, terra & mari submisit. Hi tormenta bellica vetustate inutilia aut confracta refecerunt. Noua & quidem plurima ex ære fuderunt: Trecenta fuisse perhibentur. Basilius Dux eo bellico apparatu, his Italis ac Germanis tormentorum bellicorum Magistris, tantis deniq; copijs instructus ad Smolēsko Lituanorum arcē omniū validissimam, ac penè inexpugnabilē, quæ in cliuo Riphei montis & Nebrij amnis ripa sita est, castra fecit, arcēq; obsidione cinctam, omni tormentorum genere pertinacissimè oppugnauit. Miserat Sigismundus Rex ad eius arcis præsidium pedites Polonos quingentos, Ioanne Spargaldo duce, viro rei militaris perito & manu prompto, & iam ad Orsam amnemq; Nebrium peruenerat, cùm nunciatum est arcem Smolensko iam obsideri ac oppugnari à Moscouitis, ad quam Spargaldus, Regij agminis Dux, omnibus ab hoste itineribus insessis, penetrare non potuit, magno

Arx Vilnensis conflagrauit.

Moscus coronam & insignia regni à Maximiliano petit.

Ioānes Dux Zatoriensis à Laurentio Myskovvski interfectus.

Zatoriensis Ducatus Regno incorporatum.

Maximilianus Mosco misit artifices.

Smolenscum à Moscis obsessum.

terræ Lituaniæ infortunio; Conseruaturus arcem obsessam haud dubiè, si tempestiuiore accessu hostē præuenisset. Erat intus satis validum Sigismūdi Regis præsidium, quod ab initio constanter repugnabat, & magna virtute arcē tuebatur, vt Basilius Dux loci captura desperata, obsidionem solueret, Lituaniamque circa Nebrium & Beresinam amnem, quem pleriq; Boristenem credidêre, & Nebrio inferius cōmiscetur, emisso in omnes partes equitatu longè & latè vrere ac vastare ceperit. Qua populatione, ingentem hominum armentorum pecorumque vim corrasit, ac in Moscouiam cū parte equitatus trāsmisit. Basilius Dux & omnis eius exercitus eo terribili excursu multiplici prædà expletus, ad Smolensko rursus cum omnibus copijs redijt, iterumque arctiore aliquanto obsidione cingit, ac multo bombardarum fragore concutit: vano tamen ac irrito conatu, ob validum intus Sigismundi Regis præsidium. Basilius Dux tœdio longæ obsidionis affectus, cum suis purpuratis ac copiarum ducibus, consilium abeundi inijt; arce nō expugnata. Instabat Michaël Glinski, ne bellum tanto armorum apparatu, & tanto impendio cœptum desereret, sed obsidionem continuaret. Quæ tandem protracta fuit, & Smolensko arx aliquoties oppugnata. Quæ cū nulla vi expugnari posset, Michaël Glinski, vt erat acris ingenij vir & vafer, ad suos dolos conuersus, primorum arcis & inde Centurionum, qui in præsidio erant, spe pacis iniecta colloquium expetijt, quod cùm prioris fortunæ fauore impetrasset, eorū animos qui aliqua in arce pollebant auctoritate, vt arcem dederēt sollicitare, incolis libertatem, præsidiarijs militibus Præfecturas, & opes immensas polliceri cœpit. In quo cùm vna & altera vice repulsam habuisset, postremò præsidij præfectos primùm, inde decuriones ac loci incolas, Roxanici generis ac ritus homines, qui in fide cum Moscis conueniunt, maximis promissis ad deditionem perpulit. Itaque arx Smolensko eo modo prodita, à Sigismundo Poloniæ Rege & Lituanis est alienata, anno centesimo, posteaquam ab Alexandro Vitoldo terræ Lituaniæ fuit adiecta. Basilius Moscouitarum Dux Smolensko arce eo modo extremis Mensis Iulij diebus potitus voti compos, portis patefactis in eā est ingressus. Vbi cœlesti primùm numine adorato, quicquid auri, argenti, ac preciosæ supellectilis, in priuatorum domi

Smolenscum per deditionē captum.

bus & in templis erat, fide violata nepharie compilauit, ac in Mosquam Metropolim (valido in Smolensko relicto præsidio) secum auexit. Nec vlterius eo anno contra Sigismundum regem & Lituanos molitus est quicquā. Ad tristem amissæ Smolensciæ nuncium, Sigismundus Rex consternatus, Radomiensi in regno Poloniæ soluto Conuentu, Mense Septembri, cum Regina Barbara in Lituaniā se proripuit. Primumque in Mielnik, demùm p Grodno Vilnam Lituanorum Metropolim transiuit. Quò magni ducatus Lituaniæ Proceribus conuocatis, frequenti Senatu de bello Moscouitis inferendo & arce Smolensko recuperanda, consilia agitare cœpit, pecuniam in stipendium militibus, agrestibus & oppidanis imperauit. Tota bruma in exigenda & congerenda pecunia absumpta. Eo Lituanico Conuentu, magno omnium consensu bellum in Moscouitas est decretū. Dena millia equitum Polonorum armis egregiè instructorum, duo insuper peditum millia Sigismundus Rex, stipendio inauctorauit. Lituanorum erāt ingentes equitum copiæ leuioris more gentis armaturæ. Campestres aderant bombardæ. His copijs & eo belli apparatu, segetibus ad maturitatem accedētibus, Sigismundus Rex ex Vilna Metropoli in hostem mouit. Haud multo ante exitum, Iacobus cognomento Piso à Romano Pontifice ad Sigismundum legatus venerat, flagitās, vt armis depositis, pacem cum Basilio magno Moscouitarum Duce componeret, armaq; & potentiam suam in immanissimos Turcos verteret, paratum se ire ad Basilium Ducem Pontificis nomine; & eum ad ineundam pacē hortari. Ad hæc Sigismundus Rex respondit: Nihil vnquam sibi antiquius fuisse maiorum suorum more, quàm Romani Pontificis arbitrio & voluntati obsequi, & pacem se cū Basilio Duce per Legatos tentaturū fuisse, si bellū nondū accensum, & res integra fuisset, iā sibi retrocedere, aut pacē petere non licere, ne hostis pauore se id facere existimaret: nec illi tutum putare, bello iam ardente in Moscouiam ire, aut hominem adire schismaticum. Iacobus verò Piso Pōtificius legatus, Basilij barbari hominis horrēs perfidiā, vlterius progredi minimè est ausus, donatusque à Rege Romam redijt. At Basilius Magn⁹ Moscouiæ Dux posteaquam cognouit Sigismundum Regem & Lituanos ingens, si vnquam antea, bellum moliri, & ipse cum omni prin-

Legatio pōt. max. ad regem.

Moscorum dux Smolēscum venit.

principatus sui potētia Smolensko versus contendit, veritus ne vi aut proditione aliqua eam arcem, pro qua tantum laborasset, amitteret, prior ipse ad Smolenskum peruenit. Inde omnem exercitum ad depopulandam Lituaniam misit, ad Beresinam vsque amnem, quem Imperij sui terminum à meridie esse astruebat. Nec multò postea Sigismūdus Rex ad Beresinam amnem Borisouiumque oppidum cum omnibus copijs applicuit, cuius aduētu Moscouitici Duces consternati, ad Orsam Nebriumque amnem retro abiêre. Rexq; Beresina per ocium transmisso, ex omni exercitu militari facto delectu, triginta circiter equitum peditumq; millia florentis militiæ in hostem misit. Ipse apud Borisouiū in ripa Beresinæ vlteriore, curuum circumactu, nec non vallo & fossa cum residuo copiarum castra sua cōmuniuit, eo potissimùm consilio, vt si commisso prælio Moscouitis victoria cessisset, Polonis Lituanisque in Castra Regia tutus ex fuga daretur receptus, & Rex ipse cū recētibus agminibus, structaque acie hostem exciperet, nouoq; ac insperato certamine implicaret, & per hæc victoriā, si eam adepti essent, ex eorum manibus eriperet; ex octuaginta siquidem equitum bellatorum millibus Moscouitarum constabat exercitus: Quā copiarum magnitudine fretus Basilius Magnus Dux, Regia agmina longè minora nō ferro superari, sed flagellis suorum in Mosquā pecudum more propelli posse per contemptū & scommata iactitabat.

Moscorū exercitus.

Interea temporis VVladislaus Vngariæ & Bohemiæ Rex tātas belli turbas ex Michaëlis Glinski ad Moscouitas transfugio euenire perpendens, tantum egit per secretos internuncios citro vltroq; missos, vt Michaëlem Glinski Sigismūdo Regi, eidemque fratri recōciliaret, spe illi certa reditus in patriam, priorisque fortunæ cum gratia Regia recuperandæ promissa. In hoc VVladislaꝰ Rex pro Sigismundo fratre fidem obstringebat suā, amplissimis pollicitationibus adiectis.

VVladislai Regis conatꝰ pro reconciliando regi Glinscio in irritum recidit.

Michaël Glinski rursus qui Lituaniæ patriæ visendæ desiderio ardebat, Smolensko & plures alias Moscouiticæ ditionis arces Sigismundo Regi se daturum offerebat, tanta tunc apud Basilium Principem Lituanus transfuga auctoritate pollebat. Fide in id vtrinque data & accepta, VVladislai Regis literæ cum fide publica ad Michaëlem Glinski scriptę & interceptę, omnia peruerterunt, Trepka nuncius, qui illas sub specie transfugæ ferebat, in potestatem redactus ac quæstioni adhibitus, per tormenta omnia patefecit, Michaël Glinski pro proditore in vincula coniectus, & ad Mosquā Metropolim additis compedibus sub custodia missus, asperā multis annis pertulit captiuitatem.

Glinscius serò sapit.

Glinscius in vincula coniectus miserè perijt.

Creditum etiam tū fuit, quosdam Lituaniæ Proceres, qui Michaëli Glinski in patriam reditum, ac gratiam Regiam inuidebant, Basilio duci clam significasse, & vt rebus suis caueret admonuisse. Sed vtcunque, ingens secretum detectum est, magno Michaëlis Glinski, & terræ Lituanię infortunio.

Lituanorū Procerum inuidia.

Poloni interea ac Lituani à Borisouio ex castris Regijs egressi, per Odrusios campos ad Orsam arcem Regiam & Nebrium amnem, cū omnibus copijs peruenêre. Ad conspectum Regij agminis Moscouitæ, qui in altera Nebrij amnis ripa constiterant, mille circiter passus à flumine retrocesserunt, Polonos ac Lituanos ad transeundum flumen, alioquin minimè vadabile inuitantes, sperantes facilius eos ita superari, & si vincerentur difficilius fugere posse. Basilius Dux in Smolensko tunc erat, quatuor & viginti ab Orsa milliaribus, qui postquam in comparatione exiguas esse Sigismundi Regis copias per exploratores cognouit, ad tantam euectus est insolētiam, vt cum exercitus sui copiarum ducibus egerit, parta victoria, quam quisque Lituaniæ partē petere deberet: quid de Sigismundo Rege, quid de captiuis, quid de Vilna fieri vellet: scōmata insuper per contēptum iaciebat, mādabatq; ferrum in Polonos ac Lituanos ne stringerēt, sed per Boristenem liberè eos tranare permitterent, flagellisque vno agmine veluti pecora ad se propellerent.

Moscorum arrogātia.

Poloni ac Lituani citra Nebrium amnem duplicibus castris quiescebāt, corpora curabant, arma expediebant, & se ad aleam vniuersi certaminis præparabant. Polonis Ioannes Suuirciovvki prçerat, Lituanis Cōstantinus Ostrouien. Dux, viri in rebellica peritissimi. Vterq; communicato consilio peditibus iniungit, ripas fluminis ponte sublicio iungerēt, bombardasque & peditatum omnem in partem alteram traijcerent. Quod cū illi strenuè & summo studio fecissent, illucescente iam die, equitatus omnis stupenda audacia & fortitudine turmatim in alteram ripam trāsnatauit, Moscouitis, vt fidem dederant, ex industria quiescentibus: Posteaquam in altera

Nebrij seu Boristenis flu minis parte vtraque constitit acies tantus erat, tot æ nearum tubarum clangor, tãtus timpanorum strepitus, vt cœlum & terra ruere viderentur. Polonus dux equites octingentos ex agmine extremo abstraxit, & eos à longè in hostium latus ex nemore adequitare, prelio que accenso terribili sublato clamore in eos impetum facere, ac terrorem incutere iussit. Poloni cum Ioanne Suirciouuski, suarum copiarum duce dextrum tenuêre latus. Lituani cum Constantino Ostrouiensi sinistrum: pedites equitum ordinibus erant inserti, vt alteri alteris auxilio forent: tertia fer me diei hora acies ordinatæ, cumque aliquãdiu instructæ stetissent signo pugnæ proposito, priores Poloni pugnam iniuêre. Concursum est ingentibus animis. Cadebant vtrinque plurimi. Poloni impressione facta nunc impellebant hostem, nũc vbi prægrauabantur refugiebant, ac rursus resumpto animo hostem aggrediebantur. Ancipiti marte aliquandiu certatum. Constantinus quoque dux Lituanos in hostem immisit. Miserabilis morientium erat facies nunc his nunc illis cadentibus, summa vi pro victoria vtrinque adnixum. Casu accidit, is siquidem erat loci situs leniter accliuis, vt globi regiarũ bombardarum extrema Moscouitarum agmina contingeret, ac atrociter perimeret. Quæ res Polonis ac Lituanis ad victoriam maximo fuit adiumento. Postremi siquidem ex Moschis clade sua consternati, turbatis ordinibus trepidare & primum fugere cœperunt, sole iam ad vesperam inclinante. Hinc in medijs quoque agminibus orta trepidatio & pauor, primis Moscouitarum agminibus adhuc pugnantibus, & quid à tergo ageretur ignaris. Quoad octingenti equites Poloni, qui in nemore se abdiderant in latus pugnantium Moscouitarum, magno tumultu cum horrisono tubarum clangore & reboantibus timpanis impetum fecêre. Victa tunc est hostium pertinacia, Moscouitæ apertè fugere cœperunt. In fuga cæsi complurimi, ad paludem vnam per quam fugam intenderant precipuè, vbi alij in alios precipiti cursu ruentes, in cœno hęrebant, & post fœdam colluctationem miserè peribant. Duo & triginta Moscouitarum millia eo prælio cæsa feruntur: Alij ad quadraginta millia numerum auxêre. Satis constat tantã in Moscouitis cędem fuisse editam, vt riui sanguinis in Boristenem defluxerint. Boristenesq; humano cruore tinctus, impurus aliquandiu fluxerit. Capti ex illustribus viris, qui ducum nomine censebantur decem, alij paulo inferiores ordinis satrapæ & purpurati quatuordecim, promiscuæ fortunæ nobilium duo millia, & ex gregarijs militibus totidem. Signa militaria capta plurima. Ex regio exercitu paulo plus quadringenti desiderati, etsi complures saucij essent. Castra Moscouitarum omni opulentia plena, direpta. Contigit hæc omni æuo memorabilis victoria apud Orsam arcem & Boristenem amnem haud procul ab aris Alexandri magni, die Natali sacratissimæ virginis Deiparæ, anno quartodecimo, supra quindecies centesimum, regni Sigismundi octauo. Basilius dux aduersę pugnę nuncio accepto, iactantiæ ac insolentiæ suæ immemor, ex Smolensko se proripiens cursuque continuato fugienti similis non prius constitit, quàm ad Mosquam peruenit, vnde collectos ex fuga milites, eadem qua venerat celeritate, ad Smolensko remisit, iussitque eam arcẽ valido pręsidio firmari ac totis viribus tueri, sperans Polonos ac Lituanos letitia partę victorię exultãtes, eius arcis occupationem in summa rei bene gerendæ occasione, prout euenit, neglexisse. Et poterat tunc Smolenscia arx fortissima facile recuperari, si statim à conflictu pauca equitum millia facto delectu eò missa fuissent: verùm Basilij ducis fœlicitate accidit, vt Poloni ac Lituani vicisse contenti, quiescerent, lætisque conuiuijs ac compotationibus more suo indulgerent, alij vulnera curarent, equos alij labore magni certaminis exhaustos reficerent, propterea plures dies in loco conflictus sunt absumpti: Nec prius Smolenskò versus victricia castra sunt mota, quàm à rege, qui apud Beresinam, quadraginta retro milliaribus aberat, omnium copiarum duces regijs acceptis literis ea promouere sunt iussi, indignabaturque magnanimus rex, Præfectorũ incusata segnicie, quod non e uestigio secundum victoriam ad Smolensko, pro qua arce tantùm cruoris fuerat effusum, contendissent, ratus quod euenerat eam arcem, tanto temporis spacio valido rursus præsidio firmatam esse, & cùm vincere sciuissent, victoria vti nesciuerint. Et per hæc facile liquet, Sigismundum regem quod ea arx non fuerit tũc recuperata, in nihilo fuisse culpabilem.

Moschi apud Orsam profligati.

Moschorum occisorum & captiuorum apud Orsam numerus.

1514. Victoria de Moschis quo die contigit.

Smolensciæ potiundæ occasio neglecta.

Enimuerò vt lætiſſimum inclitæ victoriæ nuncium accepit, poſt laudes Deo optimo maximo ob conceſſam victoriam decantatas, extemplò ex caſtris ſuis, quæ apud Boriſſouium fecerat, equitum delectorum quatuor millia ad victorem exercitum, & inde ad Smolenskum continuatis itineribus ire mãdauit. Quibus ad Orſam venientibus, tunc primùm regij duces vno à victoria menſe Smolenskum verſus caſtra mouerunt, quam arcem validiſſimo rurſus præſidio firmatam offenderunt, cumque potiundæ eius ſpes nulla appareret, & iam bruma gelida inſtaret, omnibus circum Smolensko longè & latè peruaſtatis, ſoluto exercitu in hiberna conceſsêre. Sigiſmundus rex poſt recentem ex Boriſſouio ad Smolensko expeditum exercitum Vilnam verſus ſe recepit. Hic deinde pro præſtita victoria cœleſti numini gratiæ actæ, laudes decantatæ ac ſupplicationibus ad omnia templa ſolenni cerimonia factæ. Et vt hæc omni æuo memorabilis victoria omnibus Principibus ac gentibus teſtata eſſet, ad Leonem eius nominis decimum Romanorum Pontificem, nec non alios reges ac principes Chriſtianos & barbaros literas cum læto parte victoriæ nuncio transmiſit. Captiuos etiam quatuordecim Moſcouitas prolixa barba & canicie inſignes habituq; Sarmatico conſpicuos, per Nicolaum Volski, Ieroſolimitanum militem, qui interfuit Orſenſi prælio miſit. Quos Maximilianus Cæſar, per cuius terras Romam ducebantur, in Baſilij Moſcouiæ ducis fœderati ſui gratiam vi accepit, & per finum Sarmaticum ex Lubeco in Moſcouiã remiſit. Nicolaus Volſki (qui proceſſu temporis reginæ Bonæ beneficijs ad magnas opes peruenit) captiuis Moſcouitis in ipſo fermè Italiæ ingreſſu per Cæſarem ſpoliatus, Romam contendit, & de indigna captiuorum ademptione coram Pontifice contra Maximilianum Cæſarem eſt queſtus. Quam rem Pontifex indignè tulit, & Maximiliani Cæſaris inurbanitati aſcripſit. Iam antea per celeriorem nuncium Romanorum Pontifex à Sigiſmũdo rege conceſſæ à Deo victoriæ literas acceperat, quibus belli totius ſeriem, hoſtilium copiarum magnitudinem, ac cruentam cædem deſcripſit. Ioannes Laski Gneſnenſis Metropolita Sigiſmũdi regis apud ſedem Apoſtolicam orator literas reddidit: Quibus Pontifex perlectis, quod Sigiſmundus rex Moſcouitas Schiſmaticos magno prælio viciſſet in multam lætitiam effuſus, extemplò ſupplicationes indixit, & in tẽplo Petri Barionæ auguſtiſſimo, ipſo Pontifice & ſacro Cardinalium collegio, totque Antiſtitibus ac regum oratoribus præſentibus, rem diuinam multa ſacrorum ceremonia fieri ac Miſſam decantari fecit, cœleſtique numini ob præſtitam victoriam gratiæ publicæ actæ. Diuinis peractis, Camillus Porcius Romanus Orator ſui temporis eloquẽtiſſimus, in laudem Sigiſmundi Poloniæ regis, & memorabilis victoriæ, omnibus ſtupentibus, ac res geſtas eius regis admirãtibus ampliſſimis verbis perorauit. Sigiſmundus rex cum Barbara regina Vilnæ erat, quò ad eum tot ſigna militaria Moſcouitis erepta, tot hoſtium exuuiæ, tot denique captiui ſunt adducti, quos ferreis compedibus conſtrictos, diligentius cuſtodiri fecit, ac per arces Lituaniæ diſtribuit, illuſtres viros Vilnæ tenuit, pro quorum liberatione Baſilius Dux ad extremum vitæ nihil egit, maximaque eorum pars tetro carcere & pedore contabuit. Baſilius Smolenskum arcem retinuiſſe contentus, per Oratores pacem à Sigiſmundo rege impetrauit, fœdusq; quinquennale cum eo percuſſit eoque finito, aliquoties repetijt, ſanctiſſimeque cuſtodiuit. Nec vnquam poſtea (finibus ſuis contentus, cladiſque ſuæ ſibi conſcius) Sigiſmũdum Regem armis laceſſere eſt auſus. Cum Tartaris aſſidua illi bella fuêre, fineſque ſuos ampliſſimos ſtrenuè eſt tutatus. Eo anno quo cum Moſcouitis fœliciter eſt depugnatum, Vngaria periculoſiſſimo ruſticorum & ſeruili bello conflictata eſt. Thomas Strigonienſium Metropolita legatus Cardinalis Roma egreſſus, à Leone eius nominis decimo Romano Pontifice, crucem ſacræ militiæ ſignum contra immaniſſimos Turcos, qui rebus Vngaris plus nimio infeſti erant, impetrauit. Quam in Vngariã veniens Pontificia ſuffultus poteſtate, publicauit. Ad ſacræ militiæ nouitatem, mirum quàm citò ex vario plebeiorum hominum genere conflatus exercitus coaluit. Ruſtici relictis agris, Sacerdotes, Monachi, & infimæ ſortis quiſque ſeruilis conditionis, contemptis dominis, arma ſumsêpre. Supra ſexaginta hominum millia breui in vnum coiêre. Qui Turcico bello obmiſſo, Georgium Gakel Tranſyluanum hominem facinoroſiſſimum, ſed laboribus militiæ mul-

Moſchi captiui Pontif. max. miſſi per Maximilianum cæſ. intercepti.

Ducis Moſchorum cũ rege induciæ.

Bellum ruſti cum in Vngaria.

Georgius Gakel dux latronum in Vngariã.

multis antea bellis exercitatum, sibi Regem creant. Georgius Regij tituli appellatione inflatus, Laurentium sacerdotem, & Michaëlem Monachum apostatam, socios sceleratos sibi in com militium asciuit; cum quibus partitis copijs, in Regni Vngariæ Optimates, Satrapas ac nobiles conspirat, in potestatem redactos, crudeliter obtruncat, alios palis infigit, & vario mortis genere afficit. Matronas ac virgines ad stupra rapit. Transyluania egressus ad Cenadium & Temesuuarum cum parte copiarum contendit; Laurentium sacerdotem Varadinum versus, Michaëlem apostatam ad Pestum mittit. Seruili bello & quidem funesto arsit Vngaria, Sacra & prophana sine discrimine violata: In nobiles & plebei generis homines cædes euagata: Cruore humano madebant omnia. Supra sexcenti Nobiles Vngari eo tumultu desiderati, quorum possessiones & fortunas scelerata manus hostiliter diripuit, Templorum gazam compilauit, Sacra prophanis miscuit; Omnia sibi nepharia hominum colluuies licere putauit. Ea peccandi licentia efferata prædonum manus indies affluebat, eorumque exercitus augebatur. Georgius dux latronum complures arces partim vi, partim deditione in suam redegit potestatem. Cenadiensem Episcopum, in quadam arce arcta obsidione aliquandiu fatigatum, expugnauit, captumque præ acuto palo infixit. Quæ res non solùm Regni Vngariæ Antistites & Satrapas, sed Regem ipsum VVladislaum terruit, adeò vt de Buda relinquenda consilia agitarit: quam haud dubiè deseruisset; ni Christopherus Sidlouecius Palatinus Cracouiensis Sigismundi Regis & fratris Orator, eum à tam improbo ac meticuloso consilio, magnanimis opportunisque persuasionibus auertisset. Conuocatoque Budam Antistitum ac Procerum Regni conuentu, ea qua præditus fuit eloquentia, obtinuit, vt Ioannes Trencinius Scepusiensis Comes, Palatinus, Transyluaniæ exercitum conscriberet, & cum eo Georgium Gakel nepharij cœtus tyrannum verius quàm regem, infestis signis aggrederetur, futurum asseuerans, vt eo victo, aliæ latronum copiæ, quæ diuersis sæuiebant locis paruo negotio debellarenturaut, pauore dilaberetur. Re ita salubriter cõstituta, Ioannes Scepusiẽsium Comes, Barbaræ Reginæ Poloniæ frater, cũ iusto satis exercitu, cuius pars longè maxima & mercenarijs Polonorumq; constabat militibus, Danubio & inde Tibisco fluminibus transmissis, contra Georgiũ Gakel sub signis duxit, quem apud Temesuuarum adeptus, structa acie, consertoque prælio, non incruenta eum pugna superauit, ac etiam in potestatem redegit. Eo modo Georgius captus suorum dentibus mordicus est laceratus, quem Ioannes Comes in altam sed arctam fossam ad vmbilicum imposuit, caputque eius ferrea ignitaque corona præcinxit, postremò multis tormentis ac verberibus affectum quadrapartiri fecit. Scissum quadrifariam corpus, ad diuersa loca Laurentio & Michaëli apostatæ socijs transmisit. Ioannes Comes re prosperè gesta, Varadinum cum victore exercitu est profectus, vbi cum Laurentio sacerdote congressus, pari fœlicitate fusis fugatisque eius copijs, ipsoque in prælio occiso, cum Vngariæ tractum infando latrocinio liberauit: Conuersis inde signis, transmissoque rursus Tibisco, rusticorum reliquias, quas apud Agriam ac Pestum offendit, non sine labore sustulit. Vngarico tumultu sedato, Ioannes Trencinius victor, soluto exercitu, ad VVladislaum Regem Budam ouanti similis est regressus, cui ob rem bene gestam, à suo rege gratiæ sunt actæ. Nec minus Christophoro Sidlouecio, Sigismundi Poloniæ Regis legato, qui VVladislaum regem consternatum, fugamque molientem Budæ retinuit, cuius etiam persuasione & impulsu arma in Georgium Gakel mota erant, ab omnibus pro seruatore Vngariæ summis laudibus ferebatur. Missus erat Christophorus Sidlouecius ad VVladislaum Vngariæ & Bohemiæ regem, vt de pace ageret, inter ipsum & Maximilianum Romanorum Regem; cuius Orator Cuspinianus, ea quoque causa Budam venerat. Quæ res quoniam maior erat, quàm vt per Oratores confici posset, placuit, vt reges fratres cum Cæsare Budæ aut Posonij conuenirent, oratoresque ad suum quemque regem, quò eorum explorarent voluntatem & eis id persuaderent, remisit, Cuspinianus ad Cæsarem, Christophorus ad Sigismũdum. Longius huic iter, eo quod Sigismundus Rex in Lituania erat: qui haud grauatè sibi persuaderi est passus vt cum Maximiliano Cæsare, & VVladislao fratre Vngariæ & Bohemiæ Rege conueniret, nec multo postea ea causa Vilna Cracouiam redijt;

Christopherus Sidlouecius palatinus Cra.

Georgij Gakel pœna & interitus.

Consultatio Regum de cõgressu cum Maximiliano Cæs.

rediit: Vbi ea, quæ ad profectionem, & tantorum Regum conuentum erant necessaria, per ocium præparauit. Enim uerò ex tam celebri cum regibus congressu prudens Rex multa VVladislao fratri commoda, Regno denique suo prouenire posse sagaciter prospexit, quæ vix bellis periculosissimis & multa humani sanguinis profusione parari potuissent. Addebat tantæ rei calcaria Christophorus Sidlouecius, vir ad Regum natus seruitia, maximè quæ ad pacem, amicitiam, & Regum societatem firmandam attinebant, inter quos veteres intercedebant simultates ob regna & prouincias sibi inuicem præreptas, illatasque, vt ipsi credi volebant, iniurias, suis quisque rationibus nitebatur. Inter Austriæ domum illustrem, cuius tunc Maximilianus Cæsar erat longè princeps, & Casimiriadem familiam, quæ in Sarmatia, Pannonia, ac Germania latè imperitabat, magna odia exarserant, ob regni Vngariæ & Bohemiæ sibi ereptam possessionem. Albertus siquidem Romanorum Vngarię & BohemięRex, Austriacus Princeps, ea Regna aliquanto tempore tenuit, post cuius decessum, qui Ladislaum posthumum regnorum successorem designauerat, VVladislaus Iagelloniades Casimiri Regis frater, qui contra Turcos pugnando, aduerso apud Varnam prælio occubuit, Regni Procerum suffragijs & vocatione Vngariam inuaserat, & iterum post Matthiæ Vngariæ Regis mortem VVladislaus Casimiriades eius nominis Sigismundi Poloniæ Regis germanus, pari Regni Vngariæ magnatum consensu & postulatione id regnum ex Austriæ Principum manibus excussit. Hinc aspera inter familias præpotentes odij & dissidij fomenta, quæ posteà repetitis bellis & multo humano cruore respersa fuerũt. Accessit ad exaggerãdam Maximiliani Romanorum Regis inuidiam contra Sigismundum Regem, Barbaræ Reginæ connubium Stephani Scepusiensis Comitis filiæ, Austriacæ domus hostis semper infestissimæ, à quo potissimum tempore Maximilianus Sigismundo Regi ex confesso hostis, eius rebus longè infestior esse cœpit, hostesque ei vndequaque etiam barbaros & schismaticos nepharia conspiratione ac societate quæsiuit, ac bellicis terroribus concussit. Vetus etiam erat inuidia & simultas inter Polonos & Germanos, quorum caput erat Maximilianus Cæsar, ob Pomeranię & Prussiæ terras, quas Teuthones Cruciferi, idemq; aduenæ in Sarmatia sibi vendicabant, Polonosq; earum terrarum possessione expungebant, pro quibus Prouincijs in ora maris Sarmatici sitis Poloni cum Germanis maxima ac periculosissima longo tempore bella gessêre, steteruntque vt debuit victoria à Polonis, iustã belli causam fouentibus. Marianis militibus eisdemque Cruciferis ex tota Pomerania & Prussia armis & virtute bellica porrò eiectis, posteaquã ab amissa Ptolemaide Syriæ vrbe eas terras per trecentos circiter annos tenuissent, quos postremò Maximilianus tutandos suscepit, Polonosque Reges pro Prussiæ restitutione subinde inquietauit. Quod cùm bona gratia assequi non posset, Polonis regibus ius suum constanter, ac magna virtute tuentibus, res ad vim & arma spectabat, Maximilianusq; Moscouitas, Tartaros, Valachos, ac Turcos semotas ac præferoces gentes, frequentibus legationibus contra Sigismundũ Poloniæ Regem concitabat; quarum gentium bellis, rex diu multumque est exercitatus. Nec deerãt Germanorum minacissimæ belli denunciationes, Maximiliano auctore & impulsore, qui Fredericum ex Ducibus Saxoniæ, & inde Albertum Brandeburgensem vltimos in Prussia Magistros ad rebellionem animauit, & ne debitum fidelitatis & obedientiæ ex priorum Magistrorum ordinis formula præstarent, præpediebat. Imminebat propterea acre ac perniciosum bellum; quod vt pactis aut conditione aliqua tolleretur, Sigismũdus Rex cum Maximiliano Cæsare cõgredi voluit, & ad hoc vires omnes & consilia nullis parcendo sumptibus intendit, cùm prudentem consilio prius omnia experiri quàm armis deceat. Nec Maximilianus victoriosi ac præpotentis regis congressum declinabat. Videbat siquidem ab Oriente Sole, Scythas, Tartaros, ac Moldauos fœderatos suos, per Polonos cruentis aliquot conflictibus attritos esse, & anno exacto Basilium Magnum Moscouitarum Ducem, in quo spem maximam collocabat, per Sigismundum Regem magno prælio victum, pacem magis quàm bellum quærere. In Germanis verò Principibus, qui mutuis certabant odijs, parum inesse spei. Opes etiam & potentiam VVladislai Vngariæ & Bohemiæ Regis horrebat. Quo factum est, vt cùm armis & vi non posset, affinitate horum duo-

Odij & simultatum causa inter Cæs. & reges.

duorum regum fratrum amicitiam, eorum societatem & fœdus nanciscere-tur, Turcicam animo voluēs expeditionem, si res Gallicas ac Italicas, quæ ipsum plus nimio premebant, componi contigisset. Animis itaque harum Regum & Maximiliani Cæsaris ad amicabilem congressum præparatis, Sigismūdus Rex prout per Legatos citro vltroque missos constitutum erat, Cracouia die quinta Martij Posonium versus mouit, trium millium equitum diuersarum gētium ornatissimo comitatu. Enim verò præter Aulæ suæ splendidum equitatum, aduenerunt ex Lituanis, Prutenis, Massagetis ac Roxanis cōplures Proceres ac purpurati, diuerso sed splendido corporis cultu, Regium comitatum honestaturi, alij admiratione tracti pulchri spectaculi, rarique tot regum conuentus. Sigismundus Rex per Silesiæ ac Morauiæ extremam orā iter ingressus, ad Tornauam applicuit. Sub quo fermè tempore VVladislaus Vngariæ & Bohemiæ Rex ex Buda mouens cum Ludouico & Anna liberis Posonium (vulgus Præsburgum vocat) peruenit. Oppidum in ripa Danubij Austriæ, Vngariæ & Morauiæ finibus situm, & tunc locum Regum congressui deputatum. Quò non multo postea Sigismundus Rex cum suo splendido ac numeroso equitatu accessit, à VVladislao Rege eodemq; fratre tot annis antea non viso, multa comitate ac hilaritate exceptus, qui etiam medijs amplexibus ac salutationibus, pre gaudio con specti fratris, vbertim est illachrymatus. Complures hic dies consultationibus, de regnorum suorum commodo absumpti. Maximiliani Cæsaris Legatis aduentum eius in longum trahentibus, vel quia ille ad tantos Reges excipiendos alijs districtus negociis impara tus erat; vel quia Vngaris, alienum regnum ingressurus, non satis fidebat; vel quia omnia per Legatos citrò vltroque missos prius componi volebat, quā ad Regum conspectū peruenisset. Sed quæcunq; fuit causa tardissimi Cæsaris accessus, non postrema hæc fuit, quod Augustæ Vindelicorum procul aberat. Inde Matthiam Gurcensem, Sancti Angeli Cardinalē Legatum, qui Posonium iret, Regesq; suo nomine inuiseret, ac salutaret, insuper aduentus sui tarditatem excusaret, designauit. Qui Viennā secūdo Danubio delatus, Oratores suo nomine Posonium ad Reges præmisit, Marquardum de Stryn, Ioannem Moraxum, Cuspinianum, & Volfgangū Hamerlum, qui aduentū suum Regibus significarent. Quos Cardinalis haud multo postea est secutus, Laurētio Santero Vicedomino Austriæ, & Gabriele Vogtio Collegis comitatus. Habitus est Matthiæ supremi ordinis Antistiti, à tribus Regibus, VVladislao, Sigismūdo, & Ludouico, vt par fuit honor maximus. Actū postea secretis consilijs de regū amicitia, societate ac vnione, nec non affinitate inter eos ineūda, quo facilius adueniente Cæsare omnia firmari possent. Quibus ritè compositis Gurcensis Cardinalis à Regibus muneribus expletus, die Aprilis 12. ex Posonio retro abijt. Vt Viennam applicuit, Guilelmum Rogēdorfium, & Laurentium Santerū Vicedominū Austriæ Consiliarios ad Cæsarem transmisit. Quatuor dierū spatio tā longū iter, mira celeritate Augustā Vindelicorū confecēre. Sub quo tempore duo insperati & acerbi casus acciderūt. Bartholomæus Munsterbergen. Dux, à Maximiliano Cæsare secūdo Danubio ad Reges vectus, in vastę arboris truncū vndis tectū impegit, nauigioq; dehiscēte submersus est. Nec multò post Gurcēsis Cardinalis ex Posonio digressum, maxima Posoniensis ciuitatis pars incendio cōflagrauit, cū VVladislai ac Ludouici Vngariæ ac Boëmiæ regū diuersorio. Sigismundi Regis ampla domus in qua hospitatus est, Aulicorū Polonorum stupenda audacia, & virtute, flamma horrenda sæuiente strenuissimè defensa. Alteram vrbis partē Ciues, Polonorū exemplo animati, seruauēre. Eam Posonij ex incendio deformitatem effecisse arbitror, propter hospitiorum in tanto, tot diuersarum nationum cōfluxu incommoditatem, vt hic Regum cū Cæsare conuentus Viennam postea sit translatus. Legati interea à Cardinali Gurcensi Augustam ad Maximilianū missi rediēre, cum plena cum Regibus amicitiæ & affinitatis ineundæ instructione. Qua Gurcensis accepta nihil moratus, die Maij vndecima Vienna secundo Danubio Posonium ad Reges nauigauit. Pergratus fuit eius ad Reges accessus: Consilia dies aliquot habita, conditionesque tam initi fœderis quàm connubij regum, duorumque Cardinalium Strigoniensis & Gurcensis manibus subscriptæ, solenni cerimonia publicatæ. Sub hoc tempore triste nuncium superuenit, Ioannem Trencinium Scepusiensem Comitem ac Transyluaniæ Palatinum, Turcorum fines cum Vngarorum exercitu ingressum, ab immanissimis Turcis

Sigismundus Rex Posonium profectus.

Regum Pol. & Vngariæ, Posonij congressus.

Maximiliani cunctatio.

Orator ad Reges à Cæsare missus.

Dux Munsterbergen. in Danubio submersus.

Posonij pars magna incendio absumpta.

Posonien. conuentus Viennam translatus.

Palatinus Transylvaniæ à Turcis profligatus.

cis prælio superatum ac castris exutum esse, quæ nouitas non solùm Vngariæ ac Poloniæ Reges mœrore affecit, sed & Barbaram Poloniæ Reginam, quæ amantissimi fratris infortunio pluS nimio angebatur. Gurcensis Cardinalis rebus Cæsaris Posonij apud Reges ex sententia compositis, Vienna egressus, terrestri itinere Augustam Vindelicorum ad Cæsarem transiuit, quem diu multumque tergiuersantem ac deliberantem, an cum Vngariæ ac Poloniæ Regibus conuenire deberet, postquam Cardinalis eorum Regum comitatem ac fidem longis sermonibus commendasset, magno tandem labore ad iter Viennam versus ineundum atque accelerandum, Cæsarem impulit. Secuti erant ex Posonio Cardinalem Augustam vsque Oratores Vngariæ ac Poloniæ Regum, qui Cæsarem eorum nomine inuiserent, & ad amicabilem congressum inuitarent, Hieronymus Balbus Italus, Bratislaus Sueiovvski Bohemus, Nicolaus Cœculus Vngarus, &

Petrus Cmita.

Petrus Cmita de Visnice Polonus: Hic multos olim annos in Curia Cæsaris Maximiliani versatus, ei Principi ob singularem virtutem, morum præstantiam, ac generis nobilitatem, summè charus fuit, quem Maximilianus cum collega Vngaro Posonium cum humanissimis ad Reges litteris nec non certissimo aduentus sui nuntio remisit. Quos haud multo postea secutus, tandem die mensis Iulij decima Viennam applicuit.

Maximilianus Cæsar Viennam venit.

Reges qui Posonij erant, aduentu Cæsaris Viennam cognito, extemplò legatos viros gentis suæ prima rios expediuerunt, qui tantum Principem Regum Reginulæq; nomine exciperēt: à VVladislao Vngariæ Rege Georgius Quinqueecclesiensis Antistes, Ladislaus Sternbergius Bohemus, eius Regni Cancellarius, Moyses de Buslai Aulæ Regiæ Præfectus. À Sigismundo Poloniæ Rege Ioānes Liubrāski, Lucas de Gorka maioris Poloniæ Præfectus, & Christophor⁹ Sidlouecius Regni Poloniæ Cancellarius. Georgius Antistes legationis Princeps, ad Cęsarem conuenientia tempori verba fecit, Cæsaris nomine Petrus Mota Hispanus eleganti breuitate respondit. Vngariæ ac Poloniæ Regum legati à Cæsare dimissi, ad Reges Posonium rediêre. In sequenti die Maximilianus quoque Oratores misit, qui Reges ipsius nomine exciperent. Ad VVladislaum & Ludouicum Reges Christophorū Metropolitam Bremensem, Casimirum Brandeburgensem Marchionē, Vilelmum Rogendorfium, & Cuspinianum. Ad Sigismundū Regem Guilelmum Bauariæ Ducem, suum ex sorore nepotem, Christophorum Labacensem Episcopum, Balthasarem Præpositum Valkirchensem, & Moraxem Bohemum. Hi omnes Cæsaris nomine Reges Viennam summo studio euocabant. Postremò conueniendi locus ad Piram in Vngariæ & Austriæ finibus designatus, certa adiecta die, qua veniente Reges ex Posonio mouentes, Sigismundus in Hamburgo, VVladislaus cum Ludouico & Anna liberis in Brugko pernoctarunt. Postero die, sole altius leuato, ornatissimo ac numeroso equitum Comitatu Cæsari obuiam processêre: Qui postea aliquandiu expectatus, eodem die, quæ fuit mensis Iulij quintadecima superuenit, Comitatu equitum & peditum, calibæis toracibus splendido ac decoro: pulchrum sanè spectaculum in tanta gentium rituumque varietate.

Maximiliani cum Regibus congressus.

Germani armis ac bellico apparatu facilè omnes vicêre: Contra Poloni, Vngari, ac Bohemi, equorum numero, nec non vestium precio ac splendore Germanos superabant. Poloni præcipuè ac Lituani, quos Sagula Sebellina ac aurei grauis ponderis torques exornabant. Fuêre in Sigismundi Comitatu, Poloni, Lituani, Pruteni, Roxani, Massagetæ, Turci, Tartari ac Moscouitæ, more suæ quisque gentis sericeo ac variegato amictu conspicui. Cæterùm in tanto agmine diuersarum linguarum, vnus animus, vna omnibus mens fuit. Sigismundus itaque prior, nec multo postea VVladislaus Rex, postremò Maximilianus Cæsar, ad vetustam Pirum locum campestrem congressui designatum accessêre. Maximilianus post mutuas hilaresq; cum VVladislao Rege consultationes, postremò Sigismundum Regem arctis amplexibus & multa comitate excepit, verba illa subiungens: Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Ad hæc Sigismundus Rex latino eloquio Respondit. Serenissime Cæsar, vtinam hic Conuentus noster sit fœlix & faustus nobis, subditis nostris, & toti Reipublicæ Christianæ. Regum expleta salutatione paruo inde interuallo, Regnorum magnates Proceres ac purpurati, illustres viri, post mutuos amplexus iunxêre dextras. Per Cardinalem inde Gurcensem Cæsar

pro

Cæsar Reges Viennam inuitat.

pro maiore hoſpitiorum commoditate, Viennam, ædificiorum amplitudine & pulchritudine celebrem, intrare hortabatur. Rem ab initio magnates Vngari ſuſpectam habuêre, ne Regibus & ipſis in vrbe alioquin munitiſſima inſidiæ ſtruerentur, ob regnorum veteres, quæ olim maximæ intercurrebant, ſimultates. Conſultatum propterea eſt, inter ipſos & Polonos, quid potiſſimum ſequeretur. Sigiſmundus Rex ſententiam rogatus, vt eſt prudentia & animi magnitudine ſingulari, nunquam ſe in fide & virtute Maximiliani Cæſaris hæſitaſſe dixit. Se Regno ſuo egreſſum, vt tanti Principis conſpectu & colloquio frueretur, iturum ſe quo ille iuberet intrepidè, ducturum ſe VVladislaum fratrem & eius liberos, reducturosq́; incolumes, in id vadem ſe pro fide Cæſaris ponere: Se nihil vlterius moraturum, qui velint ſe ſequerentur. Ea vox ad Cæſarem perlata, optimi Regis commendata fide & conſtantia, daturum ſe operam dixit, ne Polonum Regem initæ amicitiæ & congreſſus ſui vnquam pœniteret. VVladislaus Rex cum ſuis Vngaris & Bohemis, Sigiſmundi Regis animoſa & conſtanti ſententia cognita, ab omnibus, vt poſtero die Viennam eatur, eſt aſſenſum. Conuentu eius diei ſoluto, Reges ex campo in nouiſſimi nocturni diuerſoria rediêre. Craſtina veniente luce VVladislaus, Sigiſmundus & Ludouicus Reges rurſus cum Maximiliano Cæſare patenti campo conuenêre, iterque Viennam rurſus cœptum. Dies menſis Iulij erat ſexdecima cùm Reges ducente Cæſare Viennam ſunt ingreſſi, quibus diuini penè honores ſunt exhibiti, omnium ordinum frequentia eis obuiam procedente. Maximilianus poſteaquam tantos hoſpites mira celebritate & ſummis honoribus excepiſſet, non minore etiam munificentia comitate & hoſpitalitate fouit.

Regis Polon. constans animus.

Regum Viennam ingreſſus.

Quarta ab ingreſſu die, Reges cum ſuis Conſiliarijs, à Cæſare in arcem Viennenſem ſunt accerſiti. Cumque hîc triumRegnorum ampliſſimus Senatus conſediſſet, Maximilianus Cæſar, longa & eleganti oratione aduentus ſui tarditatem humaniſſimè primùm verbis excuſauit, demum quæ ad communem pacem, futuramque attineret affinitatem, poſtremò de expeditione contra immaniſſimos Turcos copioſè diſſeruit, aſtruens ab annis vicenis nunquam maiorem ſibi ſanctæ expeditionis occaſionem oblatam fuiſſe, ac nunc in vicinorum ac præpotentum Regum congreſſu, quam dudum ad effectum deduxiſſet, ni Caroli & inde Ludouici Galliarum Regum bellis fuiſſet retractus, ac impeditus, daturum deinceps operam, vt hæc diu deſiderata nec minus pia quàm neceſſaria expeditio, alijs Chriſtianis Principibus iuuantibus terra & mari inchoetur. Thomas Strigonienſis Cardinalis, quæ ad rem erant, Cæſari Regum nomine reſpondit. Gurcenſis inde Cardinalis plura & tempori accommodata verba fecit, totusque hic dies ſalutaribus conſilijs abſumptus. Die poſtera Iulij viceſima ſecunda, qui erat Diuæ Magdalenæ ſacer, Cæſar cum Regibus nec non Legato Pontificio, multorumque Regum ac Principum Oratoribus, turbaq́; purpuratorum innumera, in templum Diui Stephani auguſtiſſimum conceſsêre, vbi diuinis multa ſacrorum ceremonia peractis, Maximilianus Imperiali amictu & maieſtate adornatus, in theatrum ad hoc erectum, auro & oloſerico vndiq́; conſtratum cum Regibus & Principibus viris conſcendit, vbi Annam VVladislai Vngariæ Regis filiam ſibi vel ex nepotibus duobus alteri per Thomam Strigonienſem Antiſtitem Cardinalem ritè deſpondit, eamque corona capiti eius impoſita Reginam appellauit. Viciſſim Ludouico Vngariæ Regi Mariam neptem ex Philippo Hiſpaniarum Rege prognatam, matrimonio coniunxit, dotis hinc inde facta compenſatio, Regnaque eo onere liberata. Creati hîc aliquot à Regibus milites: impartitaque à Cardinali legato ſacra benedictione conuiuijs haſtiludijs, Torneamentis, & alijs militaribus ludicris complures dies multa hilaritate & magnificentia ſunt abſumpti. Muneribus inde Reges inter ſe certarunt ampliſſimis, quibus etiam trium Regnorum Proceres ſunt expleti, eorum Regum munificentia. In quo Sigiſmundi Poloniæ Regis profuſæ liberalitatis maieſtas ſupra omnes enituit. Abacum ipſe ex aureis argenteiſque vaſis, tam opulentum ſplendidum ac numeroſum habuit, vt in eius conſpectu & admiratione externæ nationes obſtupeſcerent: omniumque iudicio Maximilianum Cæſarem, & VVladiſlaum Vngariæ & Bohemiæ Regem opibus & theſaurorum magnitudine Polonus Rex ſuperaſſe

Annæ VVladislai Regis Vngariæ filiæ deſponſatio.

Maria Ludouico regi Vngariæ nupſit.

Sigiſmundi regis liberalitas.

peraſſe cenſeretur. Die inde viceſima octaua Iulij amicitia ſocietas & fœdus Maximiliani Cæſaris cum Vngariæ, Poloniæ ac Bohemiæ Regibus, ſecretioribus non expreſſis, per Cuſpinianum Cæſareum ſecretarium eſt promulgatum. Pridiè inde Calendas Augusti ex Vienna ad nouam ciuitatem itum eſt, vbi venationibus ſilueſtrium ferarum animi recreandi gratia Reges indulsêre. Subinde conſultationibus ſecretioribus nonnihil temporis abſumptum. Tandem tot præpotentium Regum abſoluto Conuentu, Maximilianus Cæſar Regibus valedixit, VVladiſlaus Vngariæ & Bohemiæ Rex cum Ludouico filio Regnorum eius conſorte, propinquiore itinere Budam ſeſe recepit, Sigiſmundus Rex die Auguſti tertia cum procerum ac purpuratorum ſuorum ſplendido ac ornatiſſimo diuerſarum nationum equitatu Viennam redijt, vbi, quoniam Pons illic ſublicius ſubita Danubij inundatione ruptus erat, ad ſextam diem eſt moratus. Nepteque ex fratre Anna, quæ poſtea Ferdinandi Regis connubium ſortita eſt, nec non Maria Ludouici Regis nepotis ſponſa valedictis, per Morauiam in Regnum ſuum reuerſus eſt. Fuêre in eo Auſtriaco regum Conuentu, ex Germanis Polonis, Vngaris, Bohemis, Lituanis ac Prutenis viri illuſtres ac purpurati plurimi, qui partim officij cauſa, alij vt tam celebri tot regum cum Romanorum Imperatore Conuentui intereſſent, Sigiſmundum Regem ornatiſſimo ac numeroſo equitatu ſunt comitati. Satis conſtat Maximilianum Cæſarem Sigiſmundi Regis amicitiam & ſocietatem iam inde ex fide coluiſſe, Comprimiſque Baſilio Principi Moſcouitarū Magno Duci, fœdus cum eo antea ictum remiſiſſe, cum belli & aſperæ hoſtilitatis denūciatiōe, ſi res Sigiſmūdi regis aliquando hoſtiliter infeſtaret. Dediſſe etiam operam, vt Pruſſiaci ordinis Magiſter, fidelitatis & obedientiæ iuramentum Sigiſmundo Regi & Regno Poloniæ debitum, iuxta perpetui fœderis formulam præſtaret: auxiliares in eum armatorum copias pollicitus, ſi ille tergiuerſari cœpiſſet. Sigiſmundus Rex viciſſim ad expeditionem Turcicam Polonicum equitatum fœderato Cæſari promiſit: quæ expeditio tam pia quàm neceſſaria, vt aliquando terra & mari inchoaretur, & ex ſententia perficeretur, Sigiſmundus Rex in gratiam Cæſaris Regnique ſui ſecuritatem Romanum Pontificem aliosque Principes Chriſtianos ſollicitare non deſtitit. Et quoniam Veneti ea tempeſtate in Mari Ionio & AEgeo claſſibus potentes eſſe cenſebantur, vt Turcorum tyrannus vtrinque terra & mari vrgeretur, Senatusque Venetus ad tam præclaram & omni æuo memorabilem expeditionem impelleretur, Sigiſmundus Rex Matthiam Drzeuicium VVladiſlauienſis Epiſcopum, nec non Raphaëlem Leſczinski Conſiliarios, ac Ioannem Dantiſcum Secretarium Poetamque Laureatum ad Venetos legauit: qui inde redeuntes nullo certo accepto reſponſo, nihil præter verba ab eis retulerūt, vel quia certam pacem quàm incertum bellum prudens Senatus habere maluit, aut quia Maximiliani Cæſaris opes, ad Turcorum euertendum imperium minus potentes eſſe cognouit. Accedebant Chriſtianorum Principum inteſtina diſſidia, tumultuantisque Italiæ bella, quam maximè pacatam eſſe oportebat, vt bellum Turcis terra & mari inferretur. Ioannes Dantiſcus apud Maximilianum Cæſarem longo poſtea tempore, Sigiſmundi Regis Oratorem geſſit, expeditionemque Turcicam, cuius Polonus Rex cupidiſſimus, fruſtra vrgebat. Sed hæc aliquanto poſtea.

Regum ex Vienna diſceſſus. *Cæſaris cum Sigiſmundo amicitia.* *Ioannes Dātiſcus Epiſcopus Varmiē.*

Secundum Sigiſmundi Regis ad Poſonium Conuentumq; Regum exitum, Tartari Taurici Menſe Martio Podoliam hoſtiliter inuaſerunt. Duo eorum millia ad Trebovvliam peruenerunt, vbi Ioannes Tvvorovvski cum quadringentis circiter erat equitibus. Mercenarij alij milites, qui ad terræ Podoliæ præſidium conſcripti erant, nondum conuenerant. Ioannes Tvvorovvski Regiarum copiarum Dux, vir bellicis artibus eximius, cum ſuorum equitum paucitate Tartaros in Trebovvla oppidum cùm furore irruentes, magna audacia repulit, & pro ponte diem integrum cum eis decertauit. Tartari cùm præualere non poſſent, multis ex ſuis amiſſis, retro abiêre. Ioannes inde Tvvorovvski ex ſuo Buciacio maiori auctus equitatu, cum ſeptingentis militibus ad Medziboſium vſq; Tartaros eſt inſecutus, qui vbi Polonos à tergo adeſſe perſensêre, in tres diuiſi turmas, relicta Podolia Boriſtenem verſus in pacatū abiêre. Media inde æſtate Mendlikeres Tartarorū in Taurica Cæſar poſteaquā Podoliam iuſto exercitu

Tartarorum in Podoliam excurſio.

va-

validoque firmatam sensit præsidio, ad Sigismundum Regem Oratores misit, fœdus & amicitiam instaurari postulans. Hi legati Cracouiam venientes redeuntem ex Viennensi Regum Conuentu Sigismundum aliquandiu expectarunt. Sub eo Regum Conuentu, Nicolaus Camenecius Palatinus & Præfectus Cracouiensis, vir bellicis artibus præstantissimus, fatalem mortem obijt, cuius ductu, (fuerat siquidem à Sigismundo Rege omnium copiarum Dux declaratus) Valachia Moldauica, longè & latè vastata est: Moldauis copiam pugnæ facientibus, magno prælio superatis, perpaucis ex suis desideratis, plures viuos cœpit, eosq; ad Sigismundum Regem victor perduxit. Haud multò postea sequentibus annis Tartaros, Volhiniam & Roxiam fœdis incendijs ac populationibus vastantes, expletosque præda redeuntes, apud Visnouecium & Horiniam flumen assecutus, memorabili certamine profligauit. Cæsa & capta hostium millia circiter viginti, miserabilis captiuorum turba & præda omnis recuperata. Defuncti Camenecij Cracouiensem præfecturam, Nicolaus Coscelecius Regni Poloniæ Thesaurarius, nec non Christophorus Sidlouecius apud Sigismūdum Regem magnis studijs ambiebant. Vicit Christophorus Maximiliani Cæsaris intercessione, qui non Cracouiensem solùm Præfecturam, sed Palatinatum etiam Cracouiensem est assecutus, singulari Sigismundi Regis gratia & prærogatiua, vt cum Palatinatu Cracouien. (contra Regni Constitutiones) summus etiam Regni Poloniæ esset Cancellarius. Andreas Coscelecius in Cracouiensi Præfectura ob prælatum sibi competitorem cruciatu animi & mœrore contabescere cœpit, nec multo postea Cracouiam Vienna reuectus, morte filij, qui illi vnicus erat nunciata, in humanis esse desijt. Sigismundus Rex die sexta Augusti Vienna egressus magnis itineribus in regnum properabat, cœlo tunc nubrifero, & itinere assiduis pluuijs fœdo. Quem in eundo & redeundo Stanislaus Turzo, Olomucensis Episcopus, lauticijs præbitis liberali hospitio accepit. Olomucenses etiam Ciues tantum regem multa officiorum frequentia æquè ac proprium accepêre. Confectoq; per Morauiam itinere die Augusti decima nona, Cracouiam est regressus, vbi Reginam Barbaram ex puerperio malè affectam reperit, quæ nulla medicorum ope cōualescere potuit: postremò mense Octobri fatalem mortem obijt, magno post se omnium relicto desiderio. Sanè Sigismundo Regi amantissimæ coniugis mors fuit acerbissima, vt longo post tempore ad eius mentionem à lachrymis temperare non potuerit. Elatum est funus eius reginæ multa exequiarum pompa ac multis cærimonijs: Sepulta est in templi maioris Sacello nouo, quod Sigismundus Rex, Italorum artificum opera Regali sumptu ac magnificentia erexit. Moriens duas filias superstites reliquit, quarum iunior immatura morte non multo postea sublata est: Heduigis Ioachimo Marchioni Brandeburgensis Electori Imperij in matrimonium collocata. Sed hoc multo postea. Regina Barbara funerata Ioannes Laski Gnesnensis Archiepiscopus & Primas, ex vrbe Roma redijt, in qua biennium moratus est, & Lateranensi Concilio interfuit. Attulit secum prærogatiuam Legationis perpetuæ, sibi & successoribus Archiepiscopis per Leonem eius nominis decimum Romanorum Pontificem concessam. Sigismundus Rex amantissima orbatus vxore, rebus regni sui compositis, sorore Frederico Legnicensi Duci desponsa ac etiam transmissa, die sexta Nouembris, Cracouia egressus ad Breste Lituanicum contendit, vbi aliquandiu moratus, cum Lituanis Proceribus de bello æstate ventura Moschouitis inferendo, vel potius continuando consultauit. Enimuerò etsi Basilius Moscouitarum magnus Dux anno exacto apud Orsam ingenti prælio victus, ac castris exutus esset, exercitum tamen reparabat, & vltionem spirabat, Maximiliani Cæsaris & Germanorū fretus promissionibus, earum rerū ignarus, ob locorū distantiā, quæ in Viennensi Regum Conuētu acta erant. Et erat Orator Cæsaris apud Basiliū, dudum ante conuētum regum in Moscouiam missus, qui Basilium ad bellum Sigismundo Regi & Lituanis inferendum concitabat: Cuius reuocādi gratia, & vt Basilio Principi diuersum suaderet, ad pacemq; cum Rege in eundam hortaretur, Maximilianus alterum Oratorem Balthasarem Ederū in Moscouiam misit. Qui pro exploratore in carcerem coniectus, & per mensem detentus, postea tamen dimissus, re infecta ad Cæsarem redijt.

Interea temporis Sigismundus Rex consilio Cæsaris à bello abstinuit, ratus Basiliū Ducē ab eo & Germanis destitutum, aduersiq; prælij memorem, vltro pacem

Nicolai Camenecij Palatini & Capitanei Crac. obitus & laus.

Horinia.

Christophorus Szydlouecius Palatinus Crac. &c.

Andreæ Coscelecij obitus.

Stanislaus Turzo Episcopus Olomucensis.

Barbaræ reginæ mors.

Sacellum Regium Crac.

Ioannes Laski Archiepiscopus Gnesnen.

Rex Lituaniam profectus.

Orator Cæsaris à Mosco in vincula coniectus.

pacem aut inducias petiturũ. Sub quo tempore VVladislaus Casimiriades Vngariæ & Bohemiæ Rex, Ludouico filio in vtroque regno iam pro rege suscepto ac coronato, fatalem diem obijt. Rex multa clementia & quietis moribus preditus, ad pacem potius quàm ad bella natus, mansuetum eius ingenium effecit, vt cum Turcorum regibus pacẽ omni tempore coluerit, Regnumq́ue Vngariæ alioquin turbatissimum ac factiosum, singulari sua prudentia in vestigio suo incolumem conseruauerit. Ludouicus Rex Sigismundi Regis ex fratre nepos octauũ tũc agebat annum, & erat tenerioris ętatis, q̃ vt in ea magnatum suorum Vngariæ & Bohemiæ æmulatione & discordia, regnorum paternorum gubernationi sufficere posset. Propterea Sigismundus patruus de rebus illius sollicitus, ad Maximilianũ Cæsarem Oratores misit, vt regis pupilli rebus auxilio & consilio foret, nec eum in regnis paternis periclitari paterẽtur: quod Cæsar, etsi Italicis bellis distineretur, summa fide sedulò egit. Profecti sunt ex Polonia ad regni Vngarię Optimates legati, summi viri Ioãnes Laski Gnesnensis Archiepiscopus, & Christophorus Sidlouecij Cracouiẽsis Palatinus; qui Ludouici Regis reb⁹ in Vngaria ex sentẽtia firmatis domum rediêre.

VVladislai Vngariæ & Boemiæ regis mors.

Oratores in Vngariã & Boemiam missi.

Missus & ad Proceres regni Bohemiæ, Andreas Tencinius Lublinensis Palatinus, vir singularis ingenij, magno honore à Bohemis suscept⁹ & habitus. Qui Maximiliani Cęsaris legatis frustrà aliquandiu expectatis, Ludouici Regis negocijs in eo regno ex sententia compositis, in Poloniam redijt. Sigismũdus Rex Vngaricis & Bohemicis rebus per legatos in bono ordine positis, bello Moscouitano instaurãdo imminebat. Mendligerique Tartarorum in Taurica Cęsari promissum misit stipendium, ea lege, vt nouo vere, ad primam graminum crescentiam Basilio Moscouitarum Principi bellum inferret, Moscouiamq́ue ferro & ignẽ vastaret. Tartarus se id ex fœdere facturum pollicebatur. Paxq; & securitas eo anno Regnõ Poloniæ & Lituanis à Tartaris sperabatur. Cùm Mendligeres Tartarus, exercitu triginta millium equitum comparato, obmissa Moscouia, fideque data violata, exercitum transmisso Boristene per syluam Nigram ad Podoliam Roxiamq́ue vastandam immisit. Quatuor erant in eo exercitu Tartarorum Reguli, quos Cæsareolos vocant, arcto sanguinis vinculo Mendligeri Cæsari iuncti. Qui apud Busko in Peucinis castrametati, quarta copiarum parte pro castrorum custodia apud se relicta, residuum exercitus in turmas diuiserũt, & ad terras Roxiæ vastandas ex castris quaquauersus emiserunt, reditu eis ad certam diem cum prȩda & captiuis imperato. Emissi Tartari, quibus nihil truculẽtius, nihil celerius esse potest, nobilissimas Roxię prouincias, ferro & incẽdijs crudelissimè puastarũt, lato omnia fumabant incendio, hinc cedes, pauor, fuga, trepidatio vndequaq;: Quæ calamitas ad Regni vsq; Vngariæ limitem penetrauit. Villęq; Vngarici regni pleræque à barbaro hoste direptę ac incensæ sunt. Sed longè atrocius Roxia cum Leopoliensi, Belsensi, & Lublinensi Satrapijs ad Vislam vsq; amnem, qui Germaniam à Sarmatia disterminat sunt populatæ: Innumera oppida & villæ exustæ: Præda ingens corrasa, hominũ armentorum pecorumq́ue quę ad Busko, vbi castra erant prætória compulsa, vastam camporum replebat planiciem. Satis constat plerasq; ingenuas matronas cum nobilibus puellis in carpentis panno tectis fugam molientibus interceptas, & ad stupra libidinemq; barbarorum explẽdam in ijsdem cum quibus captæ erant curribus trans Boristenem in Tauricam auectas. Non tulêre tantam hostium crudelitatem Martinus Camenecius Podoliæ Palatin⁹, nec non Ioãnes Tuczorouuski & Stanislaus Lanscorunski, cum his quas in tam subito ac insperato tumultu congregare poterant copijs, Tartaros equites octingentos discursantes, & ex locis diuersis pdas agẽtes, strenuè aggressi, apud Trebouuliam cruento prælio ceciderunt, iterum apud Podhaice, quingentos ad internecionem trucidarunt. Alios Poloni Duces alijs locis peremerunt, multa præda ex victis cæsisque hostibus recuperata. Trahebant aliquot Tartarorum alę, magnam captiuorum multitudinem, tam virorum quàm fœminarũ, tam Nobilium quàm agrestium, qui vbi Polonorum agmina in se cum fremitu aduentare, nec se euadere posse conspexerunt, in captiuos sæuire, ac eos miserabiliter obtruncare cœperunt, magnamq́ue eorum partem, antequã concursum est, contrucidarunt. Ceciderũt eo concursu ex Tartaris plurimi, & cõplures captiui, qui supererant liberati. Sed hę clades in tanta hostium multitudine parum erant sensibiles. Nicolaus Firlei generalis regiarum copiarũ dux, duo equitũ millia sub signis habebat, sed

Andreas Tẽcinius, palatinus Lublinensis.

Tartarorum in Podoliam & Russiam irruptio.

Tartarorum crudelitas.

Nicolaus Firlei.

sed cùm hosti viribus esset longè impar, Tartaros à Busko motis castris abeuntes ad Visnouecium vsq; à longè secutus, re nulla memorabili gesta, Tartarisq; cum præda abire permissis, signa retrò vertit. Tartari Scythæ paruo accepto incõmodo, cum ingẽti præda & quinquaginta circiter Christianorũ captiuorũ millibus mense Augusto in Tauricã redierũt. Sunt qui cẽtum mortalium millia tunc in seruitutem à Tartaris abducta astruant, præter decrepitæ ætatis homines & pueros, qui abeuntem hostem sequi nõ poterant, in quos Tartari immanissimi, veluti in vilia pecora ferro desæuierunt, iterq; quo abibant humanis cadaueribus constrauerunt. Sigismundus Rex apud Sudinos tunc erat trans Chronium amnem Vilnæ in Lituania, nec ob loci nimiam distantiam tantis malis succurrere potuit, & hostis Tartarus reditum accelerauit, in quorum primo in Roxiam ingressu vigilantissimus Rex Regni sui Proceres ac castellorum Præfectos, per literas & nuncios sollicitare non destitit, vt arma in hostem sumerent, & periclitanti Reipublicæ succurrerẽt: sed surdæ erant Magnatum aures. Solus Christophorus Sidlouecius Præfectus & Palatinus Cracouien. cum Nicolao fratre Regni Thesaurario, & plerisque nobilib⁹ arma corripuerat, & ad Sẽdõmiriam profectus, posteaquam Tartaros abijsse, nec eos se assequi posse cognouit, dimissis quas adunauerat copijs, Cracouiam redijt. Sigismũdus Rex accepti damni & iniuriæ impatiens, ad Mendligerẽ Cæsarem nuncios in Tauricam misit, qui eũ rupti fœderis & perfidiæ apertè arguerent. Qui ea fœderati Regis exprobratione sugillatus, in natos ac nepotes parũ obsequentes ac rebelles dolo barbarico culpam reiecit, pollicitus pro recepto stipẽdio & ex fœdere missurum exercitum in Moscouiam, & datæ fidei satisfacturum. Extemploq; eadem æstate, vt sunt Scythæ ad aggredienda bella paratissimi ac expediti, ad deuastãdam ac populandã Moscouiam ingentem misit exercitũ. Qui ad Occam vsq; amnem, qui in Volgam se exonerat, progressus, magnam Moscouię partem ferro & igne atrocissimè populatus, præda ingens & captiui innumeri abducti. Anno virginei partus sexto decimo supra quindecies centesimum, Regni Sigismundi decimo, cum Turcis quoq; bellari est cœptum, præsidiariorum militum culpa, qui in finibus Podoliæ excubabãt. Pascebant Turcæ citra Tiræ amnis ostium multarum ouium greges, vt sunt pascua Podoliæ latissima & copiosa, in hos Poloni milites Præslao Lanscorunski Duce impetum fecerunt, Turcorumq; pastoribus improuiso accessũ disiectis & plerisque cæsis, multarum ouium greges abegerunt. Hæc præda magnorum postea bellorũ cũ Turcis causa fuit. Turci iniuriã acceptã vlturi, hi q in Mõcastro seu Albocastro pro p̃sidio erant, sumptis repẽtè armis Vidouo lacũ, in quẽ Tiras seu Nestrius amnis se exonerat, traiecerũt, Polonosq; cũ p̃da ouiũ abeuntes assecuti, cũ eis manus conseruerũt. Fuit aliquandiu anceps certamen, his pro parta præda, illis pro illata iniuria, & damno certantibus. Victi postea ac fugati sunt Turci. Poloni egregiè vicerunt. Annis postea sequẽtibus in Podoliam ac Volhiniam Turci septies irruperunt, hisq; prouincijs ferocissimis incursibus peruastatis, magna damna intulerunt, multosq; mortales paruo aut nullo accepto incõmodo in seruitutẽ abduxerunt. Moldauis ac Tartaris Turcos identidẽ iuuãtibus. Sed hæc aliquãto postea. Basilius Moscouitarũ Dux, posteaquã Tartaros maxima damna in Moscouia fecisse cõpertũ habuit, & iã cum præda & innumera captiuorũ turba retro abire per exploratores cognouit, exercitu, quẽ ante Tartarorũ in Moscouiã ingressum ad vastandã Lituaniam miserat, reuocato, eum, alijs etiam adiunctis copijs, ad insequẽdos Tartaros misit. Graues p̃da Tartari Tauricã versus redibãt, & iã haud procul à fontibus Tanais erãt, cũ præter spẽ ingẽtes Moscouitarũ copiæ infestis signis aduẽtare cõspectæ sunt. Tartari, in quorũ castris octuaginta equitũ millia cẽsa sũt, aduentu hostiũ nihil exterriti, captiuis cũ parte copiarũ in Tauricã præmissis, ipsi ad pugnã sese expediebant. Structæ stabãt vtrinq; acies, hinc Tartarorũ, inde Moscouitarũ paribus fermè animis & viribus. Parua mora interiecta, signo pugnæ proposito, cõcursum est acri ac cruento certamine, tã his quã illis p̱ victoria adnitẽtibus. Horis aliquot ancipiti p̃lio pugnatũ. Quo cõflictu lõgè ferociores Tartari apparuẽre. Victa postremò est Moscouitarũ pertinacia, qui ab immanissimis Tartaris disiecti fusi, ac fugati, castris etiam exuti sunt. Cecidẽre eo cõflictu Moscouitarum viginti millia. Tartari victores hostilibus aucti exuuijs & captiuis, in Tauricam ouantibus similes sunt reuersi. Vbi præda omni deposita factoque militari

Captiuorum numerus, & præda ingens per Tartaros abducta.

Tartarorum dolus.

Tartari Moscouiam populantur.

Occa fluuius

1516.

Polonorum cum Turcis belli occasio.

Turcorum excursio in Podoliam et Volyniam.

Mosci victi à Tartaris.

Tartarorum excursio in Podoliam.

delectu,& inutilibus aut saucijs domi relictis, Taurica rursus egressi Boristenem nando,& per hæc laborioso transitu transmiserunt,& apud Syluam Nigram castra fecerunt. De quo Sigismūdus Rex per exploratores factus certior, posteaquam Tartaros flumen transiuisse cognouit, veritus ne ex loci vicinitate Podoliam aut Lituaniam inuaderent, copiarum præfectis, qui in Prouinciarum limitibus excubabant, imperat, vt ad Tartarorum excipiendum impetum parati essent. In Polonia tumultu Tartarico nunciato, Christophorus Sidlouecius Cracouiensis Palatinus quorundam Magnatum & Procerum Regni in Mielecio facto Conuentu, ordinauit, vt generali nobilitatis obmissa expeditione, quæ Regni incolis damnosa, infructuosa & semper sera esse consueuerat, ad eas copias quę in Podolia erant, mercenarij equites mille conscriberentur, & eis iungerentur. Constantinus etiam Ostrouiensis Dux totam Volhiniam mandato Regio ad arma concitauerat, paratus castris Polonicis auxiliares copias connectere. His belli præparamentis Tartari fama cognitis, fortunam suam, quæ eo anno ipsis semper fuit prospera, prægrauare non sunt ausi, & quia eorum aruspices, qui ex corde ruffi hominis captiui futura prænunciant, magnam eis cladem, si vlterius progrederentur, renunciauerunt, mutato repentè consilio, copias omnes, superato rursus Boristene, in Tauricam & hyberna reduxere. At Basilius Magnus Moscouitarum Dux, etsi per Sigismundum Regē apud Orsam ante biēnium magno prælio victus erat, & eo anno à Tartaris apud fontes Tanais maxima suorū clade esset superatus, feroces tamē alebat spiritus, & ad fractas vires reparandas instaurandumq; exercitum se accingebat. Apud Lituanos verò, etsi tunc ocium agitabant, nec bello à Moscouitis premerentur, suspicio tamē belli ab eo hoste, anxios & sollicitos tenebat. Apud Samogetas seu potius Massagetas, qui post Chronium sinum & amnem sedes habent, per id tempus est tumultuatum, Alberto Prussiacæ militiæ Magistro, in eam gētem expeditionem parante: Sed motus hic breui resedit, eius gentis præfecto, qui in Plotela arce moratur, armis celeriter correptis, ad propulsandam iniuriam pręparato. Et hęc tūc fuère Alberti Prussicæ militiæ Magistri in Sigismundum regem auunculū hostilis infestiq; animi nihil obscura primordia.

Alberti Magistri Cruciferorū Prussiensium cum Rege Polon. belli initiū.

In Masouia tumultus.

In Masouia quoq; apud Vislam amnem tumultuatū est, Masouijs Annæ ducis, quæ Stanislai & Ioannis filiorum & eius gentis ducum tutelā gerebat, gubernationē fastidiētibus, Stanislaumq; ducē qui iā annorū erat sexdecim, & gubernationi aptus videbatur, armis à matre reposcētibus. Sed Anna Salevvski aulici sui vsa cōsilio, tutelam pertinaciter continuabat, per hoc Masouitarū crescente inuidia, arma in eam corripuerūt, & in Makovva arce cum filijs ducibus aliquandiu obsederunt, ac etiā oppugnarunt: parūq; abfuit, quin Stanislaus dux natu maior ex arce prospectans, sagittæ ictu per errorē fuerit interēptus. Sed motus hic, Ioāne de Lasko Gnesnensi archiepiscopo mediāte, fuit compositus, omni controuersia ad Varsauiēsis nobilitatis cōuentum reiecta. Qui in irritum recidisset, ni regni Polonię optimates ex Petricouiensi Conuentu Stanislaum Ostrorogū Calissien. Castellanum cū palatino Rauen. in Masouiā misissent, qui inualescētes eius gentis motus componerent, ac Stanislaum ducē Masouiæ præficerent. Sed cùm frustra omnia tētassent, ob hoc quod Anna dux nec gubernaculū assuetum dimittere, nec ducē hæredē subditis dare vellet, ad arma recursū est. Adacta est postremò Anna multis lacessita iniurijs, Stanislao duci liberā Masouiæ gubernationē permittere. Quod Sigismundus rex, in cuius ille regno erat, assensu suo ratū fecit, & p hæc tumultus Masouiticus conquieuit.

Iubilæus regno Polon. commissus.

Per id tempus Leo eius nominis X. Romanus pōtifex summa qua pollebat in terra potestate, Iubilęi gratiam ad certum tempus regno Poloniæ concessit: pecuniæ inde congestæ dimidia pars contra barbaros hostes Sigismundo regi, residuum pro Cameneciæ arcis in Terangetis munitione, nec non pro Gnesnensis ecclesiæ instauratione cessit.

Cæsar Sigismundo Regi secundas nuptias suadet.

Barbara Sigismūdi regis cōiuge & regina fatali necessitate absumpta, Maximilianus Cæsar ob amicitiam quā cū Polonię rege ex Viēnensi cōuentu contractam habebat, de noua ei spōsa & nouo cōnubio curare ac psuadere cœpit, duasq; Sigismūdo regi virgines illustribus locis natas, & formæ elegantia præstantes procabatur, vt ex eis vnā, q̄ moribus & forma magis cōplaceret in connubium exciperet. Sigismundus Rex ex VVladislai fratris Vngariæ & Boëmiæ regis, & postea ex dilectæ cōiugis, obitu animum gerebat mœstissimum: insuper nisi cum Basilio Moscouitarū ma-

magno duce debellasset aut pacem cõposuisset, ab omni connubio animum gerebat porrò alienum. Quod Basilium ducem attinebat, Maximilianus Cæsar prioris fœderis & amicitiæ fiducia pacem conficiẽdam recepit, per Sigismundum Herberstenum præfectum Saduinensem, virum solertia singulari: qui etsi legatus in Moscouiam designatus erat, aduersa tamen præuentus valetudine, & quia Petrus Mraxius collega vita decesserat, legationis commissæ munus protrahere est adactus.

Sigismũdus Herberstenius orator aliquoties ad Moscum missus.

Interea temporis apud Prussos, qui Poloni regis parent imperio, & ad Vislæ amnis ostia iacent, inter nobilitatem & Gedanenses suborta contentione tumultuatum est, quod dissidium breui resedit, Matthiæ Dreuicij VVladislauien. episcopi industria & opera, qui ea causa in eam prouinciam à Sigismundo rege legatus ierat.

Tumultus in Prussia.

Spes quietis eo anno erat, anni tempore iam in brumam vergente, cũ Tartari ~~Tauricani~~ Boristene transmisso, copijs quadrifariam diuisis, Podoliam inuadunt, Chmelnicensem, Medzibosensem, Sincouien. & Camenecen. præfecturas vno tempore ferociter incurrũt, vastant, populantur.

Tartarorum excursio in Podoliam.

Erat tunc in Podolia mercenariorum militum equitatus nõ contemnendus ex Mielecen. conuentu conscriptus. Cum his copijs & Podolica nobilitate quorum res agebatur, Stanislaus Lanskorõnius Camenecensis præfectus in apertũ sub signis egressus, Tartaros quosuis obuios cruenta cæde disiecit, prædaq; omni exuit; ad Busko vsq; in Peucinis quidam excurrerunt, ad internecionẽ fermè sunt cęsi, quidam insigniores qui copias ductarunt capti, & ad Sigismundum regem Vilnam in signum victoriæ transmissi.

Tartari profligati.

In his conflictibus Romanus Volhinensis, vir fortis, Constantini Ostrouiensis ducis nepos, dum fugientes Tartaros auidius insequitur, letali sagittæ ictu concidit. Aliquanto fœlicius Paulus Pharurei decertauit, qui Tartaros apud Medzibosium quadringentos nocturno prælio confecit. Diuerso loco apud Sinkouium Iacobus Sẽcignouius vir bellica laude pclarus, mille equites Tartarorũ, post anceps cruentumq; certamẽ fudit fugauitq;.

Iacobus Sencignouius.

Et hæc tunc per Sigismundi regis præfectos sub bruma mense Decembri in Podolia sunt prosperè gesta, sub exitu anni sexti decimi supra quingẽtesimum millesimum: Qui annus nõ solùm Europæis tumultibus, sed etiam bello Syriaco ac Aegyptiaco fuit insignis. Enimuerò Sultanus Aegypti, qui in Syria & Arabia latè imperabat, opibusq; amplitudine terrarũ & potentia magno Turcorum Cæsari nihilo esset inferior Tauro monte qui Liciam à Syria disterminat transcenso, Turcorum res per præfectos infestare cœpit, & in ciuitatem eorum Anagoram primis mẽsis Iunij diebus aliquandiu oppugnatã deditione occupauit.

Bellum inter Turcas & Sultanum.

Quæ res Selimũ Turcorum Cæsarem adeò permouit, vt de Syria cũ Hierosolyma terra sancta Aegypto & Arabia Sultano Aegypti & Mamaluchis eripienda consilia agitare cœperit: cõtractisq; ingentibus copijs quas terra Græcia cum Macedonia ac Thracia, Nemon vltra Hellespontum & Propõtidem Asia minor cũ Bitinia, Cappadocia, Armenia, Pamphilia, ac Lycia affatim subministrabant, Cõstãtinopoli Iulio mense egressus, Anagorã ciuitatẽ Mamaluchis inde pulsis, primo accessu recuperauit. Inde Taurum mõtem trãsgressus, cũ omnib9 copijs ex terribili belli apparatu Gelborio Sultani in primo in Syriam ingressu ciuitatẽ, & mox Antiochiã mẽse Septemb. expugnauit. Sultanus Aegypti rerũ suarũ motus periculo, totis imperij sui viribus in vnũ contractis, Alkayro Aegypti regia egressus, apud Alepũ quõdam Epiphania dictũ, Selimo Turcorũ Imperatori occurrit. Aderant Sultano triginta equitũ millia Mamaluchorũ virorũ fortium, qui duplo maiores Turcorũ copias antea superare cõsueuerant; aderat & alia innumera sed imbellis multitudo ex Aegypto, Syria & Arabia euocata. Selimo imperatori supra cẽtum erant hominũ millia equitum & peditũ, armis egregiè instructorum, præter lixas & calones, quorũ par fermè erat numerus: cum hac trecẽtæ bombardæ & alia tormenta bellica, insuper currus mille, & Camelorũ millia quatærdecem. Concursum est die Octobris octaua longo ac pertinacissimo conflictu, nunc his nũc illis fortuna arridente, & iam Mamaluchi nimia equorum agilitate & stupenda audacia Turcos prægrauabant, propeq; erat vt vincerent, cùm Selimus extremo vsus præsidio, trecentas vno impetu bombardas in Mamaluchos exonerari fecit. Tunc versa repẽte fortuna, Sultano Aegypti medio prælij ardore interempto, Turcorũ res superior esse cœpit: fusi fugatique sunt amisso rege Mamaluchi. Quo cõflictu multa hominũ millia ex vtraq; acie cecidisse ferũtur. Turcus victor Alepũ deditione occupauit, vbi triduum mãsit. Motis inde castris Selimus ad Damascũ Syriæ vrbem famigeratam cum ex-

exercitu peruenit. Quam primo accessu cœpit. Hic loci amœnitate delectatus dies viginti absumpsit. Inde mouẽs, Libanum montem transcendit, odorifera cupressorum sylua adornatum, ex quo monte Iordanis fontes scaturiunt, & tria maria seu verius lacus efficiunt, vltimo in Asphaltidem lacum decursu; Iudæam, postea Palæstinam, Turcus ingressus Hierosolymam & terram sanctam cum oppidis triginta, mensis Nouembris diebus vltimis, populis sese dedentibus suæ subiecit potestati. Hic Selimus Hierosolymæ nonnihil immoratus, sepulchrum Christi regis inuisit sacrorumq; cæremonias Christiano ritu videre & audire voluit. Murum, quo sepulchrum dominicum à Mamaluchis claudebatur, demoliri fecit, Christicolisq; illud adeundi facultatem liberam concessit. Eius sacri templi religiosis diui Francisci de obseruantia Asprorum viginti millia (sic illi nummum argenteum vocant) dono dedit, & ex vrbis Dauidicæ vectigalibus duo aureorum millia annui prouentus eis assignauit. Quo id spiritu Selimus fecerit, incertum. Qui Iudæa Palæstina suæ ditionis facta, ad Arabiam occupandam properauit, iterq; arenosum & per hæc flante vẽto nõ secus ac in mari periculosissimũ emẽsus, montẽ Synai sepulchrũq; Catherinæ virginis & martyris inuisit, apertoque Sarcophago corpus eius conspexit: vbi eius loci religiosos pari ac in Hierusalem munificentia est prosecutus. Quatuor aureorum millibus eis dono datis. Motis à Synai monte castris Selimus Turcorum imperator, Erithræum seu rubrum mare habens in sinistra, Occidentem solem versus in AEgyptum atq; Alcairum sedem regiam signa vertit. Mamaluchi rege suo Sultano infœlici Alepiensi conflictu amisso, ex fuga qui supererãt collecti, in Alcairo, quem ex suis cõmilitonibus virtute credebant præstantissimum, nouum Sultanum regemque declarant. Qui AEgypti regnum omnium suffragijs adeptus, quantum maximum potuit congregat exercitum, auxilia vndique equitum & peditum cõtrahit. Postquam ad tantum bellum omnia præparata vidit, cum omnibus copijs in apertum egressus, Selimo Turco appropinquanti obuiam progreditur: nec Selimus pugnam detrectauit. Concursum est ingẽtibus animis & viribus, hinc Mamaluchis pro vita & libertate, inde Turcis pro gloria certantibus. Protractum est prælium à meridiè ad vesperum sequentis diei. Cecidêre vtrinq; plurimi. Integræ copiæ fessis succedebant. Victa postremò est Mamaluchorum virtus & pertinacia. Cecidêre eo cruentissimo conflictu ex AEgyptijs octuaginta quatuor millia hominum: ex Turcis victoribus millia triginta sex. Sultanus AEgypti in potestatem redactus, iussu Selimi in sublimi furca suspendio necatus; castraq; omni opulentia plena à Turcis capta & direpta sunt. Secũdum eam victoriam Aegyptus tota cum Alcairo in Selimi Turcorum Imperatoris venit potestatem & regnum Mamaluchorũ, in monte Sina & Arabia cessauit, die Februarij decima octaua, posteaquam Selimus in Alcairum vrbem toto terrarum orbe maximam ac populosissimã ad ripam Nili fluminis sitam, est ingressus. Ex qua vrbe tria hominum millia cum vxoribus & liberis Constantinopolim transtulit, & loca eius vrbis vacua Aegyptiorum incolatu repleuit. Mansit Selimus in Alcairo aliquandiu. Rebus postea eius prouinciæ compositis, validisq; præsidijs cũ præfectis, quos Bassas vocant, in Alexãdria, Damiata, & alijs opportunis locis relictis, copiarum parte Bisantiũ nauibus remissa, ipse pedestri itinere per Syriã & vrbes maritimas Tauro monte superato, in Asiam minorem & inde in Propõtidem Thraciam redijt. Vixdum Selimus Imperator soluto exercitu Constantinopolim redierat, cùm illi nunciatum est, Persarum & Armeniæ maioris regem dena Turcorum millia in finibus Capadociæ trucidasse, excursionesq; in Armeniam minorem ac Natoliam facere. Contrà quem Selimus exercitum misit nõ contemnẽdum, cui Bassam Natoliæ seu Asiæ minoris præfecit, mandauitq;, vt imperij sui fines tueretur, Turcorumq; arma ad Euphratẽ vsq; promoueret. Hic Turcorum res inserere placuit: vt demonstrarem, quàm præpotentem hostẽ Poloniæ regnum ab oriente sole, & Istri Tyræq; amnium ostijs habeat, cuius tũc potẽtia Polonis Vngarisq; ac toti Christianitati maximè formidolosa esse cœpit. Cùm Aegyptum, Siriam, & Arabiam, opulentas atq; amplissimas prouincias & regna imperio suo adiecisset, finesq; suos ad Aethiopas vsq;, mare rubrum, sinũ Persicum, & Cataractas Nili protulisset. Dum hæc in Asia geruntur, in Sarmatia tumultuari est cœptum. Enimuerò Lituani & Moscouitæ ab intercepta Smolensko arce infestissimis inter se odijs certabant. Tumultuatum est sæpius in finibus citra & vltra Boriste- 1517. Bellum Moscouiticum.

ftenem. Maximilianus Cæfar vt pax inter Sigifmundum regem & Bafiliũ Mofcouitarum magnum ducem componeretur, per Legatos citrò vltroq; miffos eft adnixus. Sed dum Mofcouitæ Smolenskum arcem reftituere renuũt, ad arma eft recurfum. Enimuerò Sigifmundus Rex, vbi Bafilium ducem ad æquas pacis conditiones non poffet deducere, ingenti comparato exercitu ex Lituanis, Roxanis, Mafagetis, nec non ex mercenarijs Poloniæ militibus tam cataphractis equitibus quàm peditib⁹, extremis menfis Iulij diebus, Vilna mouens, vicefimis caftris cum terribili belli apparatu ad Poloczko peruenit (Iacet arx hæc ad Turunti feu Dvvinæ amnis ripam, qua in Plefcouiam ac magnam Nouogrodiam itur) eo confilio, vt eas vrbes & prouincias totius Septentrionis opulentiffimas, quæ olim Cafimiro patri & Lituanis erant vectigales, ad obfequium, Mofcouitis inde eiectis, retraheret. Vicenos Sigifmundus Rex dies, dum conuenientes copias præftolatur, in Polocko abfumpfit: Quæ pofteaquã conuenêre, Sigifmundus rex Polonorum copijs Ioannem Svvirczevvski præfecit, Lituanorum verò Conftãtinum Oftrouien. ducem, virum rei bellicę peritiffimum, eofq; Plefcouiã verfus fub fignis ire iuffit. Ipfe Vilnam verfus fe recepit, illic motæ expeditionis euentum præftolaturus. Regia agmina equitum & peditum Mofcouiam ingreffa, eam terram longè & latè populata funt. Sæuitum in Mofcouitas atrociter ferro & igne, complura oppida & villæ direptæ & incenfæ, agreftium fuga, pauor, & trepidatio tumultum augebant. Regiorum equitum turmæ quæ ad Plefcouiam vfque ferociter excurrerunt, haud procul ab ea vrbe figna retro vertère: præda ingens inde relata cum multis captiuis. In reditu apud Opocicam bellum hæfit: tentata eft eius arcis expugnatio, quæ validiffimo Mofcouitarum nec non vicinorum Liuonitarum firmata erat præfidio. Oppugnata eft Opocica arx oppugnatione difficili ac periculofa, quæ præter hoc quod eam amnis circumfluit efficitq; munitiorem, in eminenti colle fita eft, ex materia lignea fabrefacta, quales arces in tota ferme Sarmatia plurimæ funt, aduerfus tormẽta bellica propè inexpugnabiles, ob ftagna & paludes circumiacẽtes, quę hoftes ab acceffu arcẽt. Mœnia infuper etfi lignea, quia tamen plerunque terra funt referta, bombardarum globis funt imperuia, primo afpectu arx Opocica expugnabilis videbatur: quo factum eft, vt Poloni milites per contemptum nullis factis præparamentis, quibus hoftiles bombardarum globi excipi, militesq; tutò arcem adire & mœnia fubire potuiffent, curfim & fine ordine ab vna parte arcem funt aggreffi. Mofcouitæ & Liuonij primò quieti ftabant, & nulla defenfionis figna oftenderunt: At vbi fe oppugnari compluresque mœnia fubiffe confpexêre, tunc tanta bombardarum vis in oppugnantes exonerata, vt plurimi breui temporis fpatio occubuerint. Adhæc Mofcouitæ in fubeuntes milites truncos magni ponderis à contignatione penfiles abrumpebant, qui temerè ex alto prouoluti, milites miferè obterebant, alios ad imum collis fupinos deuoluebant. Eo truncorũ demifforum ftratagemate multi funt periclitati: alij cruribus brachijsq; perfractis inutiles ad pugnam reddebantur, et fi qui ad fummum collis fub ipfa mœnia euaferant, à præfidiarijs arcis militibus harpagonibusq; correpti in fublime trahebantur obtruncatiq; ac in frufta concifi per partes extra arcem eijciebantur. Inordinata oppugnatio effecit, vt Ioannes Svvierczovvski mercenariorum militum dux, figno receptui dato non fine acceptæ cladis ignominia, fuos à temeraria oppugnatione reuocare fit adactus. Et erat in arce validiffimum præfidium bombardarumque vis ingens, quibus vel contra potentiffimum exercitum Mofcouitæ fe tueri potuiffent. Regiarum copiarum duces oppugnatione vlterius non tentata, quia annus iam in brumam vergebat, cum præda quam ex Vielicoluki nec non Turopecenfi ac Plefcouienfi fatrapijs congefferant, ad Poloczko cùm omnibus copijs fefe receperunt. Satis cõftat in Ioannem Svvierczovvski mercenarium militum ducem arcis Opociæ non expugnatæ aut temerè oppugnatę culpam reiectam fuiffe, cùm difciplinæ militaris oblitus, multa obmiferit, quæ in oppugnationibus fieri cõfueuiffent: Vir alioqui in bellica laude præclarus magnanimus & manu promptus, ni ei fubindè temulentia obfuiffet, qui ante triennium Orfenfi contra Mofcouitas prælio infignem victoriæ laudẽ reportauerat. Incidit hæc memorabilis Sigifmundi Regis Plefcouiam verfus expeditio ac magnæ partis Mofcouiæ depopulatio in annum decimum feptimum humanæ falutis fupra quindecies centefimum, regni verò Sigifmundi vndecimum. Quo anno fub ini-

Poloni Mofcouiam vaftant.

Polocia.

Clades Polonorum & Lituanorum apud Opofcam.

Pernicies belli, negligẽtia et fecuritas.

Ebrietas multos perdit.

1517.

Tartarorum excursio in Volyniam. initium brumæ Tartari Tauricani Volhiniam ac Belsensem satrapiam ingressi fœdè eas terras sunt populati, expletique præda, nullo accepto incommodo in Tauricam se recepêre. Interea temporis Sigismundus rex rebus Lituanicis compositis finibusq; suis valido præsidio firmatis, Cracouiam die Ianuarij
1518. prima anni insequētis ingressus: vbi regni primoribus ad se aduocatis Côuentum celebrauit, & multa in eo salutaria constituit, pecuniamq; agrorum colonis & oppidanis vectigalia in stipendium militibus qui fines Podoliæ tuerentur imperauit. Sub quo tempore Bona
Bona Sphorcia Sigismundo Regi desponsata. Barensis ex illustribus Sphorciadum atque regum Aragonum familijs ortum trahens, virgo ætatis florentis & formæ elegantissimæ, corporis animiq; dotibus atq; omni virtutum genere adornata, Sigismundo Poloniæ regi per legatos ad hoc specialiter deputatos, in vrbe Neapoli est desponsata mense Decembri, diui Nicolai Episcopi patroni Barensis die, Maximiliano Cæsare cooperante, quæ postea ad prima veris signa per matrem ducem Barēsem ad portum Manfredoniæ ex Neapoli deducta, Prospero Columna duce per Adriaticum pelagus ad flumen oppidum ForoIulij peruenit: vbi ex maris iactatione aliquandiu quiescenti, Hippolitus Cardinalis Ferrariensis eius consanguineus ei occurrit, & eam per Carinthiā, Stiriam, Austriam & Morauiam honestissimo comitatu in Poloniam vsq; deduxit. Iunxit etiam se in itinere virgini Bonæ veniēti Casimirus Marchio Brandeburgen. Sigismundi regis ex sorore nepos, centum armatorum equitum turma instructus. Bonæ finibus regni appropinquanti rex nuncios obuiam misit summos regni viros, qui eam exciperent, ac Cracouiam deducerent, ipse rex extra vrbis mœnia per duo millia passuum processit, à Stanislao & Ioanne ducibus Masouiæ illustribus adolescentibus, nec non innumera eaq; ornatissima procerum ac purpuratorum turba comitatus. Expectauit Rex aliquādiu in cāpo in papilione ad hoc præparato. Descendentem ex equo Bonam Ioannes Laski Gnesnensis Archiepiscopus, legatus natus, & regni Poloniæ primas decenti oratiuncula primùm excepit. Rex ipse postea ex tentorio passus aliquot per pannum rubrum progressus, dextra ac suauissimo amplexu eam accepit ac salutauit; Principibus inde viris, qui cum regia sponsa venerant, dextram porrexit. Sub eo tempore ante vrbis mœnia in signum lætitiæ bombardæ reboabant. Expleta salutatione equi conscensi, iterq; vrbem versus cœptum. Iam portam ingressuri erant, cū armati equites nobilissimi regni adolescentes hastis concurrerunt, pulchrūq; venientibus spectaculum exhibuerūt. Sub occasum tandem solis in arcē ventū erat: cùm Petrus Tomicius Præmisliensis Episcopus, regni Vicecancellarius in templum arcis augustissimum Bonam descendentem prælatorum & Canonicorum eius templi nomine luculenta oratione excepit. Hinc cœlesti numine patrioq; sancto adorato, ad contiguum regale palaciū pedibus itum. Vbi Bona post summos ei in primo aduentu exhibitos honores, triduū, dum nuptiarum celebritas præparatur, inter matronas & virgines quieuit. Dominica tandem veniēte die, inter sacrorum ceremonias in reginam Poloniæ, sacro chrismate humeros inuncta ac coronata est per Ioannem Laski Gnesnensem archiepiscopum, antistitibus multis astantibus, nec non regum ac principum Legatis ad honestandas nuptias missis, purpuratorum deniq; ex diuersis gentibus & nationibus turba. His cerimonijs in templo ritè expletis, conuiuari cœptum est, multa hilaritate. Exemptaque fame epulis, quædam edita spectacula, quæ animos oculosq; spectantium explebant. Saltabant subindè puellæ, & festas ducebant choreas, omnia deniq; alacri perstrepebant lætitia: tam gratus omnibus Bonæ reginæ aduentus in regnum fuerat. Sequenti à coronatione die, regia sponsa in regium thalamum pannis aureis vndique exornatum est introducta: continuataque plures dies conuiuia, hilaritates, choreæ, militaria ludicra, & alia spectacula. Victoribus Sigismundus Rex condigna præmia distribuit; Casimiro Marchioni Brandeburgensi præsertim, qui in militari torneamento equestrique certamine armatus insignem fortitudinis & audaciæ laudem cum palma victoriæ retulit. Secundum eum Ioannes Tarlo Polonus equestris ordinis vir, regius prægustator, qui cum Casimiro principe repetitis viribus hasta concurrit, & armatum ex equo fortiter deturbauit.

Bona regina coronata.

Hæc meritò reginæ Bonæ Barensi & Sphorciade fœlicitati ascribi possunt, quæ tam sublime præpotentis regis connubium (absit verbo inuidia) sortita est. Nuptiarum expleta celebritate, Hippolitus Ferrariensis Cardinalis, nec non Prosper Columna, potens

in

in Italia princeps, qui postea cōtra Franciscum Galliarum regem Caroli imperatoris omnium copiarum dux apud Alpes fuerat, regalibus expleti muneribus, regiam sensêre munificentiam. Parem fermè liberalitatem principes alij viri, qui præsentia sua regales nuptias honestauerunt, nec non regum ac principum legati sunt experti. Præter amplissima dona, omnibus pro viatico multi aurei sunt numerati, vt neminē pœnituerit regiam Sigismūdi regis conspexisse. Nuptiarum celebritate peracta, Andreas Tencinius palatinus Lublinensis & Ioannes Carnkouius præpositus Scarbimiriensis, ad Ludouicum Vngariæ & Boemiæ regem eiusque regni proceres à Sigismundo rege legati iêre. Resque Vngaricas dissidijs eius regni magnatum laborantes, composuêre. Eadem fermè causa ad Maximilianum Cæsarem oratores missi, Erasmus Vitellius Plocensis episcopus, & Raphael Lescinius. Hic rebus apud Cæsarem Isburgo ex sententia confectis, in Poloniam redijt. Erasmus episcopus Romam abijt. Sub eorum oratorū ex Cracouia exitu, ex Lituania est nunciatum, apud Polocicam arcem cum Moscouiticis prosperè esse depugnatum, per Gastoldum & Ioannem Boratinski Polonici equitatus ducem. Septem equitum millia Moscouitarum apud Polocicam castra metati sunt, eiusque arcis vi vel proditione expugnatione territarunt. Bina erant equitum regiorum millia, inter quos quingenti erant Poloni equites cataphracti, ab altera Duinæ amnis arx obsessa iacebat, ad quam Lituanis Polonisque, cùm Duina nusquam vadabilis esset, perdifficilis erat transitus. Accidit vt Ioanne Boratinski ripam fluminis adequitante, vadumque diligentius & auidè disquirente, adolescens quispiam eximio vectus equo augustiore forma & amictu candido ei apparuit: Hac, hac, inquit, exclamans; me sequimini. His dictis, subditis equo calcaribus, in flumen insiluit, vadoque ostenso, ad ripā alteram stupentibus omnibus euasit, posteaq; disparuit. Eo Boratinski dux conspecto miraculo, ipse & omnis equitatus ostenso vado, nullo accepto incommodo tutò trāsiuit. Qui vadum monstrauit, beatus Cazimirus Sigismundi regis frater creditus est fuisse. Hodie quod satis constat, Lituani eius diui singulari gloriantur patrocinio, cùm stupendis clareat miraculis. Sed quicunq; ille fuit, qui per Duinam amnem vadum monstrauit, ~~certe eius~~ ~~consilium secuti~~ regiarum copiarum duces, ea parte exercitum omnem traduxerunt, compositoque agmine procedentes, in Moscouitas, nil tale suspicantes, magno impetu irruerūt: qui primo tumultu arma corripere & se defendere parabāt, sed cùm Lituanos Polonosque ferociter instare, & ex suis obtruncari plurimos conspexerunt, in fugam præcipites ruebant. Sed & in fuga cæsi sunt plurimi, capti etiam aliqui, & Sigismundo regi in signum præclaræ victoriæ missi. Castra hostium direpta & arx Polocica obsidione liberata. Eius victoriæ laus, Ioanni Boratinski viro forti & rei bellicæ peritissimo, non immeritò est adscripta. Quē postea Sigismundus rex ad se venientem ob rem bene gestam, militari donatione & debito honore est prosecutus. Mense inde Augusto Tauricani Tartari Boristene & inde Tyra amnibus superatis magno impetu in Moldauiam irruperūt. Quindecim erant equitum millia, qui magnam Moldauiæ partem atrociter ferro & igne sunt populati. Multa hominum millia in potestatem redacta in seruitutem abducebātur, cùm Bogdanus Moldauiæ palatinus, tribus millibus equitū Polonorum, qui in contigua Podolia limites regni custodiebant, ad se in auxilium accersitis, Moldauisque ad arma concitatis, Tartaris iam cum præda abire parantibus à tergo cum valido exercitu affuit. Nec Tartari conspecto hoste, multitudine sua freti, detrectauêre certamen. Structa vtrinq; acie concursum est; Tartaris pro præda, Moldauis & Polonis pro vastatæ terræ vindicta fortiter dimicantibus. Cessit postremò victoria Moldauis Polonisque: fusi fugatique, ac omni præda exuti Tartari. Hæc victoria Sigismundo regi & reginæ Bonæ nunciata, communibus hostibus superatis & cæsis, incredibilem eis lætitiam attulit, & pro præstita de Scythis hostibus victoria, Deo optimo maximo gratiæ actæ. Mense postea Octobri victi exercitus reliquiæ, equis in campis Boristenicis refectis, in Volhiniam incursionē fecerūt, ex quibus octingentos Cōstantinus Dux profligauit, Eustapheus verò Cercasiensis præfectus trecentos. Et hic annus, qui fuit decimus supra millesimum quingentesimū humanæ salutis, reginæ Bonæ fausto connubio, nec non tot ex diuersis locis nūciatis victorijs, satis lætus fuit. In cuius parte postrema Sigismundus rex ad Lituanorum conuentum, quem eius gentis proceribus in Berzeste indixerat, est profe-

Oratores ad regē Vngar. missi.

Erasmus Ciolek.

Moscouitæ apud Polocēn profligati per Ioan. Boratinski.

Miraculum.

B. Cazimiri Vilnæ miraculis claret.

Tartari à Moldauis & Polonis profligati.

1519.

profectus, Regina Bona Cracouiæ grauida relicta, quæ postea sequentis anni initio sub Sigismundi ex Lituania reditu, in die Priscæ virginis filiam primam edidit, quæ à sacro fonte Isabellæ nomē tulit. *Isabella nata.* Haud multò postea Sigismundus rex Petricouiam transiuit, Conuentumque regni Poloniæ magnatum celebrauit. *Comitia Petricouiēsia.* Constitutum hîc, vt ex vectigalibus oppidorum & agrorum colonis, pecunia conferretur in trium millium mercenariorum militum stipendium, qui contra Tartaricos tumultus Podoliæ fines tuerentur, & vbi ingrueret necessitas, omnis nobilitas ad resistendum hosti parata esset, armaque sumeret. Adiunctum vt miles mercenarius palatino Moldauiæ contra Scythas Tartaros opem ferret, mutuoque sibi auxilia rentur: hoc in fœdere cum Moldauis ritè positum erat. Sigismūdus rebus regni sui ita compositis, Petricouiensi soluto conuentu, Cracouiam rediјt. Nec multò postea nunciatum est, Maximilianum Romanum imperatorem fatalem mortē obiјsse. *Maximiliani Cæsaris mors.* Actum inde est apud Germanos, apud quos ius est imperatoris eligendi, quem potissimùm in locū demortui Cæsaris essent suffecturi. Comitia propterea Francfordiæ ad Menum Electoribus imperij septē sunt indicta, ad quæ Ludouicus Vngariæ & Boemiæ rex ratione regni Boemiæ legatos destinauit. Misit & Sigismundus rex suos, qui se tutorem nepotis adolescentis esse prætendebat, Mathiam Dreuicium VVladislauiensem episcopum, & Raphaëlem Lesczinski Consiliarios, qui iura adolescentis regis tuerentur. Franciscus Galliarum rex imperij titulum summè ambiebat: missisque ad singulos Electores nuncijs, magnis pollicitationibus eos corrumpere tentauit: & erant nōnulli qui ei astipularentur. Vicēre tamen hi, qui Carolum Hispaniarum regem, Maximiliani Cæsaris ex Philippo filio nepotem, Romanorum regem declararunt extremis mensis Iunij diebus: *Caroli V. Cæsaris electio.* ad quos Vngariæ: Boemiæ & Poloniæ regum legati suffragiјs suis accessēre, electioq; vnanimis & concors Caroli optimi principis facta est. Sub quo tempore Basilius Moscouitarum dux cum Tauricano Tartarorum Cæsare magnis missis muneribus egit, vt ad Roxiam regni Poloniæ prouinciā deuastandam exercitum mitteret, ipse diuersa parte à Nebrio Beresina & Duina amnibus Lituaniam inuadere promittens. In id Tartarus cum Basilio, magnis ab eo acceptis muneribus, fœdus percussit; moxq; ex omnibus copiјs quadraginta millium equitum exercitum delegit, cumque transmisso Boristene ad regnū Poloniæ vastandū misit. *Tartari Podoliam vastant. 1519.* Qui per Volhiniam mense Iulio Roxiam ingressis, Bugum amnem transmiserunt, inde latè quaqua versus effusi cædibus & incendiјs omnia miscētes, Lublinensem, Belsensem, & Leopoliensem Satrapias atrocissimè peruastarunt: ad Vislam vsque amnem terror & excursio barbarorum penetrauit, cum pauore fuga & trepidatione agrestium, qui rebus omnibus ademptis, in manus hostium & asperrimam seruitutem inciderunt, pellebātur innumeri mortales vt pecora, multis in simul colligatis, quo singulis impeditior fuga esset. Erant in Podolia equitum mercenariorum tria millia Polonorum, quos Constantinus Ostrouiensis dux per Nuncios & literas sollicitauit, ad Bugum amnem propius accederent ex consilio, vt suorum Volhinensium iunctis copiјs redeuntē cum præda hostem loco aliquo opportuno aggrederentur. Placuit Constantini ducis magni consilium. Adproperauit Polonicus exercitus, solem occidentem versus, etsi viribus & numero longè impar Scythico. Accurrerant nunciј regiј cū mandato regio, vt iunctis cum Constantino duce copiјs, ad aleam vniuersi certaminis se accingerent, Tartarosque præda impeditos strenuè inuaderent. Nec multò postea Polonorum agmina cum Volhinensium mille circiter equitibus & Constantino Ostrouiensi apud Bugum amnem & Sokalum arcem conuenēre, redeuntem hic hostem aggressuri. Cùm ecce Tartari orientem versus procedentes, omnibus copiјs captiuis cum cetera armentorū præda adunatis, aduentare cœperunt, tanta multitudine, vt immensam camporum planiciem locustarum instar replerent. Iamq; aduersi exercitus tam propè erant, vt amnis Bugus duntaxat & busta oppidi Sokalensis, quod Tartari in primo ingressu exusserant, vtramque aciem dirimerent. *Polonorum clades apud Socalum.* Constantinus dux tantis hostium agminibus conspectis, in tali camporum planicie in qua li Tartari ~~Sagittariј~~ ex equis instabili pugna prepollere consueuerunt, de victoria subdubitare cœpit: Polonos propter ea ductores hortatus est, vt ad quempiam alium locum paludibus coangustatum & impeditiorem, qui eorum iuuaret paucitatem, & Tartari suas tam latè copias extendere non possent, castra retro transferrent: *Constantini salubre consiliū reiectū.* aut si id non placeret, videa-

videaturq; in vestigio aut vincendum fortiter, aut moriẽdum audacter fore, ipsi à transitu Bugi amnis hostiumque inuasione abstinerent, sed Tartaris potius in ea fluminis parte, in qua consisterent expectata, dimidiam Scythicarũ copiarum partem flumen transire liberè paterentur, fore vt primis Tartarorum agminibus prælio victis, altera pars pauore consternata, facili negotio opprimeretur. Talia Constantinus dux, vir rei bellicę experientissimus, salubriter concionabatur. Nonnulli ea ex Polonis ductoribus laudare, castraq; transferenda aut cum dimidia Tartarorum parte confligendum censebant, plerique nobiles, rei militaris parum periti, quibus feruidius erat ingenium, & ob id omnis moræ erant impatientes, ea obaudire, contemnere, probra etiam pauoris & trepidationis Constantino duci viro fortissimo obiectare, victorię gloriam Polonis in eorum terra inuidere. In Volhiniam suum bellum eum transferre velle, contumaciter & proteruè respondebant. Constantinus dux ea primò patienter ferre, postremò cõpositis manibus orare, pugnam in sequentem diem differant, cùm hic dies (erat autem martis) exitialis sibi semper omnibus prælijs & funestus antea extitisset, paulum morę orare, in hoc saltem sibi obtemperarent: regij exercitus paucitatem, qui se ad quina hominum millia vix extenderet, rursus hostilis exercitus magnitudinem, qui equitum esset millium quadraginta, ostentabat, auxiliares etiam copias luce crastina affuturas. Expectabantur siquidem sexcenti equites Moldaui, viri fortes & bello exercitati. Insuper Ioannes Tuczorovuski cum quingentis ex Podolia equitibus, bellis Tartaricis assuetis, pluresque alij regni proceres, qui ad conflictũ accelerabant: auxiliares etiam Lituanorum copias, quæ in horas venturæ sperabantur, prestolari censebat Constantinus. Sed cùm temerariam iuuentutem salutaria sua monita nihil permouerent, probraque etiam & conuitia in eum iacerent, pauoremque exprobrarent, tũc ille ira succensus, bellatorem equum, cognomento leporem, pernicitate insignem, sibi dari postulauit: quo conscenso, inter suos milites aliquandiu cunctabundus stetit. Cùm prima Polonorum agmina, pugnæ signo non expectato, Bugum amnẽ transire cœperunt: Tartaris structa acie stantibus, & ad congressum intentis arcubus ardentibus. Erat in sinistra fluminis ripa, in qua Tauricę stabant acies, oppidum à Tartaris incendio absumptum: singulę fermè domus cellaria & subterraneos specus habebant: oppidi exusti area à longè prospectantibus plana ac solida videbatur, cùm alij semitecti, alij vastis hiatibus paterent. Tartari vltrà busta oppidi, & post suburbij sepimenta incendio illęsa, securi stabant, Polonosque tumultuariè, & sine ordine trãseuntes, expectabant. Qui in aream exusti oppidi delati, ignari & imprudentes in cæcos specus latentes & foueas cũ equis præcipites ruebant. Alij qui transiuerant, inter sepimenta delati, à Tartaris, sagittis, quas crebræ grandinis instar in Polonos emittebant, equos virosque æquè consauciabant & perimebant: Poloni verò sepimentis præpediẽtibus nec manus cum eis cõserere, nec lanceis eos cõtingere possent. Quo periculo viso Constantinus dux, dum laborantibus Polonis opem ferre vult, vado in loco paulo inferiori reperto, per illud Volhinensium copias traducit, pugnamque acerrimam ciet, Polonorum etiam copiæ per æqua & iniqua multo suorum periculo, in apertum euaserãt; & cum hostibus manus conferre cæperunt. Consertum est cum Tartaris prælium acre: cadebant hinc & inde plurimi: sed ex Tartaris, quorum corpora armis minus tecta erant, longè plures. Verùm cædes hæc præ eorum multitudine parum sensibilis erat: Marte adhuc ancipiti, magnum Polonis accessit incommodum. Puluis in agro culto equorum vngulis excitatus, tanta densitate, vt prospectu sublato, alter alterum non posset dignoscere: & à Tartarorum agminibus sensim circumdabantur in medioque cædebantur. Protactum est aliquandiu prælium, Constantino duce discursante, & æquè Polonos ac Volhinenses ad prælium animante, quorum postremò virtus victa est: Constantinus dux, & Martinus Camenecius palatinus Podoliæ, nec non Stanislaus Haliczki regni Poloniæ Marschalcus, Leopoliensis præfectus, supremi regiarũ copiarum duces, vbi Tartaros præualere, suorumque aciem in apertam fugam inclinatam conspexerunt, & ipsi prelio excessère, & ad meliora patriæ tempora sese conseruauêre. *Clades temeritate iuuenũ confecta.* Cecidêre ex Tartaris victoribꝰ eo prælio quaterna millia. Ex Polonis ac Volhinensibus mille ducenti: quam cladem paucorum temeritate, qui Constantini ducis consilio ac iussis obstrepebant, accidisse satis cõstat: hi tamen in primo congressu for-

fortiſſimè pugnantes mortem occubuêre:fugientium complures in arcē propinquam Sokalenſem tutum habuêre receptum. Rex ad famam aduerſi prelij apud Sokalum, veritus nè hoſtes vlterius intra regnum progrederentur,maioraque damna facerent, minoris Poloniæ nobilitatem ad arma concitauit. Ipſe Cracouia egreſſus Sendomiriam contendit,vt hoſti occurreret,regnumque vrere ac vaſtare non permitteret. Sed Tartari multis inſignibus ac fortibus viris in cōflictu amiſſis,ſuæ ſibi cladis conſcij,nihil vltra moliti, cum præda quam rapuerant & captiuis,ſigna retrò verterunt, & per Volhiniam Boriſtenem verſus in Tauricā eodem quo venerunt itinere redierūt.Et hunc exitum habuit infœlix Sokalenſis conflictus; qui incidit in diem menſis Augusti ſecundam,anno ſalutiferi partus,decimo nono ſupra milleſimum ac quingenteſimum, ſub Saturno & Iouis ſtellarum tetragono.Sigiſmundus poſteaquam Tartaros abijſſe, nec eos aſſequi poſſe per exploratores cognouit, paucos Sendomiriæ dies moratus, Cracouiam redijt: cùm ex Lituania allatum eſt,Moſcouitarum millia quinquaginta,magnam Lituaniæ partem depopulatos eſſe:& duodenis à Vilna milliaribus ſigna retrò vertiſſe. At Sigiſmundi regis præfecti Lituaniæque proceres ac purpurati valido ſatis comparato exercitu, abeuntes cum præda Moſcouitas aſſecuti,cum eis manus conſeruerunt, multiſque poſtremi agminis ex hoſtibus cæſis,magnam raptæ prędæ partem ex manibus eorum excuſſerunt. Hoc nuntium Sigiſmundum regem & Bonam reginam incredibili gaudio affecit:publiceque ad omnes aras & templa Cracouiæ Deo Opt.Max.gratię laudesq; decantatæ. Autumnale iam tempus anni erat,paciſq; & quietis ſpes bona ab omnibus circumquaque vicinis, cùm ab ora maris ex Gedano allatum eſt,bellum Pruſſicum Albertum Marchionem Brandeburgenſem Pruſſiacæ militiæ ſummum Magiſtrum in Sigiſmundum regem & regnum Poloniæ moliri, tormenta bellica præparare, milites conſcribere,vrbes etiam & oppida Pruſſiæ ad defectionem ſollicitare:auxiliares copias equitum & peditū cum tormentis bellicis nec non magnis ad diruenda mœnia bombardis ex Germania expectare. Proinde de Gedano emporio totius Pruſſiæ opulentiſſimo, ne motu aliquo populari hoſtis eo potiretur, eſſe periculum: Talia

Moſcouitæ Lituaniam populantur.

Moſchorum clades.

Bellū Pruſſicum cum Cruciferis.

Senatus Gedanenſis ad regem per oratores nunciauit & perſcripſit, orauitque vt imminenti periculo opportunè & maturè occurrat, ni velit terrā Pruſſię cum ora maris; multo ſuorum ſanguine acquiſitam, regnoq; Poloniæ cū tot egregijs vrbibus,portubus & caſtellis adiectam,perditum iri.Tot vndique bellis eo anno exorientibus, regnumque Poloniæ,ac magnum ducatum Lituaniæ hoſtibus veluti ex compoſito inuadentibus, magnanimus rex generoſum animum nequaquam deiecit: Quinimo quæ ad bellum Prutenicum opportuna eſſe videbantur,magno ſtudio comparabat. Haud multò poſtea Bona regina, quæ iam vterum ex prole maſcula geſtare cœperat, Cracouiæ relicta, ipſe die Nouembris quintadecima in Pruſſiam profectus,Calendis Decembris Torunium applicuit, vrbem ædificiorum pulchritudine ſpectabilē & munitam. Quo poſtea regni proceres & nuntij terrarum iuſſu regio conuenêre, ſimul & terræ Pruſſiæ magnates, ciuitatumque inſigniorum legati: celebriq; conuentu, in Albertum Pruſſiacę militiæ Magiſtrum & inuiſum ordinem Cruciferorum, bellum omniū ordinum ſuffragijs eſt decretum. Qui poſtquam bellum armaque in ſe per Sigiſmundum regem Poloniæ expediri cognouit, Fabiano Varmienſi epiſcopo, qui ob vicinitatem iniuriæ obnoxius fuerat, & regiarum erat partium, ſe ex confeſſo hoſtem denūtiat,& mox Brunsbergam munitiſſimum eius antiſtitis oppidum ad ſinum maris, quem Habum accolæ vocant, ſitum, inſperato ac ſubito ingreſſu & per fraudē intercipit,plateaque principali ac prætorio occupato,oppidanos in verba ſua iurare coegit: locumque ita interceptum equitum & peditum præſidio firmauit. Amiſſæ Brunsbergæ culpa, in antiſtitem Fabianum, qui poſt hoſtilitatis denunciationem oppidum præſidijs militaribus firmare & cautè cuſtodire debuerat,eſt reiecta.Bello in Pruſſia accenſo, per Sigiſmundum regem in comparando exercitu eſt acceleratum:placuit mercenario milite rem geri & in ſtipendium militibus in duplices fertones ex agrorum colonis per nuncios terrarū aſſenſum. Dena equitum peditumque millia extemplò conſcripta, & in hoſtem ante feſta natalitia ſub ſignis miſſa, Nicolao Firleio Palatino tum Sendomirienſis omnium copiarum duce conſtituto. Qui ex Torunio in hoſticū egreſſus, Cruciferici ordinis terras popula-

Regis in Pruſſiam aduentus.

Brunsberga per Cruciferos intercepta.

Nicolaus Firleius ſupremus copiarū dux.

Nicolaus terras Cruciferorum populatur, & multas ciuitates & arces expugnat.

pulabatur: Oppida munita & arces plerasque partim vi, partim deditione cepit; primumque Olstinum minus, Ilauam, Dumbrouuno, Schōbergam, Morangum, Lubemelam, Lipstadium, Salfeldium, Prausmarcum, & alia pleraq; Magistri ordinis, & episcopi Pomesaniensis, vallo fossis & moenibus muratis, munita loca, perpetuę victorię cursu in suam redegit potestatem, Ianuario & Februario mensibus, Anno vicesimo humanæ salutis supra quingentesimū ac millesimum: quo toto anno in Prussia variante fortuna est belligeratum.

1520.

Nuncij Pontificis max. ad Regem.

Per id tempus, Leo Romanus pōtifex, ad famam accensi in Prussia belli, primò Zachariam episcopum, postea Ioannem de Medicis consanguineum suum, linguæ Polonicæ peritissimum, ad Sigismundum regem nūtios misit, qui inter regem & Albertum ordinis magistrum pacem componerent, armaq; ex eorum manibus excuterēt. Rex, Romani Pontificis arbitrio iustitiam suam ad terram Prussiæ se submissurum dixit, optauitque, vt perpetuæ pacis ac subiectionis formula post cruentissima bella obseruaretur, Magisterque ordinis iuramentum fidelitatis & obedientiæ præstaret. Nicolaus Firlei tot oppidis & castellis incredibili celeritate in potestatem redactis, ac militari præsidio firmatis, ad Hollandiam oppidum & arcem ei iunctam magnis itineribus contendit, vt Albertum incautum opprimeret: cognouerat siquidem per exploratores, eum cum trecentis equitibus istic venisse. Sed Albertus vt Polona agmina aduentare persensit, Hollandia valido præsidio firmata, noctu fuga se subtraxit, ducisque conatus elusit: Qui nihilominus oppidum & arcem arcta obsidione cinxit, & aliquoties validè oppugnauit; cumque eius loci expugnationem frustra tentasset, ne hic vni loco assidendo tempus tereret, maxima exercitus parte in Hollandiæ obsidione relicta, cum tribus equitum delectorum millibus ad summi ordinis Magistri terras depopulandas transiuit: quas ingressus atrociter longè & latè omnia peruastauit, prædaque ingenti parta ad Hollandica castra hoste nusquā viso rediit: vbi præda deposita iussu regio ad Quidziniæ vrbis & arcis à Visla flumine haud procul sitæ, expugnationem cum parte copiarum contendit, quò Sigismundus rex tormenta bellica, & bombardas raræ magnitudinis transmisit. Quibus Quidzinium cum Ecclesia cathedrali Pomesaniensium

Hollandia obsessa.

Quidzinū expugnatum.

trium dierum spatio, intentissimis ferreorum globorum ictibus magna sanè vi est expugnatum. Tantæ violentiæ erant bōbardæ, vt duos & amplius muros ferrei globi penetrauerint murosque horrendè diruerint. Adactusque est Pomesaniensis episcopus prælatiq; & Canonici deditionem facere: Qui Torunium ad Sigismundum regem supplices venientes, se & sua omnia regię submiserunt potestati, iuramentum que fidelitatis & obedientię prestiterūt. Erant plerique Germaniæ principes, qui partim sanguinis, partim amicitiæ vinculo Alberto summo ordinis Magistro obstricti erant, cumque auxiliorum promissorum spe alebant: quæ antequam mitterent, statuerunt ad Sigismundum regem Oratores mittere, qui cum eo de pace agerent: singuli singulos oratores miserunt: octo erant numero. Qui Torunium venientes honesto comitatu, hospitaliter ac benignè à rege sunt accepti. Introducti in Senatum regium, cùm pacis cōditiones graues admodum & parum Polonis ęquas attulissent, post multos cum rege congressus, re infecta ex Torunio in Germaniam ad suos principes rediêre; qui omni pacis spe abiecta, milites conscribere, copiasq; equestres & pedestres qui terra & mari in Prussiam mitterentur, cōparare cœperunt. Sub quo tempore Iacobus Sencignouius centum equites totidemque pedites Germanos apud Prusmarcum profligauit: captiuosque duodenos nobiles viros in signum victoriæ ad Sigismundum regem Torunium misit. Diuersa Prussiæ parte Stanislaus dux Masouiæ in gratiam Sigismundi regis mille equites Germanos, totidemque pedites apud Pissiam insigni prælio superauit, eamque cum Lycha & Lecio arcibus in finibus Masouię sitis expugnauit. Alio loco in Prussiæ finibus Nydburgum oppidum & arcē, Cryski cum Masouijs aliquādiu obsessum in suam redegit potestatem, & regio præsidio firmauit. At Nicolaus Firlei regiarum copiarum dux, Quidzinio cum arce, militari præsidio firmatis, cū bombardis quibus eam vrbem cum arce expugnauerat, ad Hollandiā est profectus. Hic quoque Polonicarum bombardarum vi, muri Hollandiæ diruti ac in terram strati sunt, oppidum cum arce expugnatum, vltima die Aprilis in regiam venit potestatem. Hollandia expugnata ac Polonorum presidio firmata, regiarum copiarum dux ad Brūsbergam oppidum situ & arte munitissimū quod

Episcopus Pomesanien. cū Capitulo Regi se dedidit.

Principum Germanorū oratores ad regem.

Clades Germanorum apud Prusmarcum.

Hollandia capta.

quod ordinis Magister fraude intercęperat, duxit, cui⁹ loci expugnatione desperata, Passeria flumine cum omnibus copijs transmisso; ad Heligebeilam castra transtulit, quod oppidum cum arce primo accessu expugnauit. Iacobus Sencignouius ad agrum Brunsbergensem vastandum cum equitatu non contemnendo à tergo relictus; cum Germanis qui ex Brunsberga, Germanica instructi phalange, in eum eruperunt, collatis signis depugnauit, sexcentosque ex eis interfecit aut cæpit. Ab Heligebeila ad Brandeburgum arcem castra promota; quam pari bombardarũ violentia, & Sigismundi regis fœlicitate Poloni expugnauerunt, ac prǽsidio valido firmauerunt. Haud multò antea, Legniciensis dux & Georgius Marchio Brandeburgẽsium Magistri ordinis frater, Torunium venêre, ad tentandum, si fortè pacem componere possent; qui à Sigismundo rege comiter ac benignè habiti; quia tamen pacis cõditiones attulerant parum honestas, ex Toruniã re infecta abiêre. Magister tandem ordinis tot vna supra aliam cladibus consternatus: & quia in propinquo regius erat exercitus, veritus ne ad Kinsbergám Sambiæ oppugnandam venirent, arma parũ feliciter mota pertœsus, de deditione consilia agitare cœpit: detestabatur quorũdam Principum Germaniæ ignauiam & mendacia, quorũ impulsu & vanis promissis, magni regis potentiam in se concitauerit: tot munita oppida, tot arces amiserit, nec qua vi ea recuperare valeat, ærario suo iam exhausto, perspicere; legationem duplicẽ Romani pontificis in sui fauorẽ apud iratum regem nihil valuisse, minus Germanię principum Oratores, & nonnullos duces, qui pro sua parte nihil proficere, nec à bello indignantem regem & Polonos abstrahere potuerunt. Ipse omnibus fermè pręter Sambiam & Hinderlandiã spoliatus, quid aliud superest, nisi vt his quoq; prouincijs exutus, ex terris inops & vagus vitã agat morte asperiorẽ. His & alijs Albertus summus ordinis Magister permotus, ad Sigismundũ regem humilimas ac pene supplices literas dedit: omnia quę imperaret se facturum pollicitus, certis adiectis conditionibus, de quibus non nisi præsens cũ præsẽte rege tractare vellet. Orauit pręterea, vt sibi sub fide publica Toruniũ in aulam regiam tutus pateret accessus, ad hæc salui cõductus literæ vt sibi mitterentur flagitauit. Eam Alberti Prussiacæ militiæ Magistri petitionem Sigismundus rex haud aspernandam ratus, totum negotium ad Senatum regium reiecit: vbi res hæc varijs sententijs agitata est. Placuit postremò saluum conductum sub fide publica mitti; certis adiectis capitibus, quibus aduenientè eo Torunium, fidelitatis & obedientiæ iuramentum Sigismundo regi & regno Poloniæ facere esset astrictus: secus facienti, fides publica expirasse censeretur, & ipse pro hoste haberetur. Hæc sanè salubriter fuêre constituta, si ijsdem literis saluus conductus & conditiones adscriptę Magistro ordinis missę fuissent. Qui postea Toruniũ veniens, suppressis articulis, solis fidei publicæ literis salutem & libertatem suam tuebatur. Sed hæc aliquanto postea. Dum Torunij in Senatu regio de saluo conductu & articulis mittendis variè disceptatur, Nicolaus Firlei regiarum copiarum dux, Brandeburga arce præsidio firmata, ad Regium montem ~~siue Kœnixbergam~~ in Sambia, quæ sedes ordinis Magistri est principalis, castra transtulit, & ea ad Prægolam amnem metatus est. Dum bombardæ & tormenta bellica aduersus vrbem principalem expediuntur, salui conductus literæ à Sigismundo rege, Alberto ordinis Magistro opportunè sunt allatæ: quibus ille receptis, ac in castra Polonica transmissis, cum Nicolao Firlei colloquium expetit, & postea sub fide publica in Polonica castra descendit: vbi cum Polonorum prȩfectis tam comiter ac benignè egit, vt omnia iam pro Sigismundo rege & Polonis velle facere videretur: testatus iterum se Torunium: ~~profecturum~~, vt omni hostilitate deposita, regię gratiæ sese insinuaret: sitque ei & regno Poloniæ omni tempore obediens & fidelis. Nicolaus Firlei studium hominis commendari, hortari vt clementissimum regem quàmprimum adeat, futurum vt id sit ipsius magno commodo: & honoris incremento: In Kœnixbergam inde regressus dum ad longũ iter se accingit, Anna Sigismundi regis iunior filia, quam ex Barbara Vngarica susceperat, vita decessit, cuius obitum Sigismundus pater acerbissimè tulit. Nec multò postea Ioãnes Lubranski Posnaniensis episcopus fatalem mortẽ obijt, cui Petrus Tomicius Præmisliensis antistes regni Vicecancellarius regio & Romani pontificis assensu in dignitate est surrogatus. Sub quo tempore Carolus Romanorum rex, extremis mensis Maij diebus, ex Hispania regnoq; Galliciæ soluens, Oceano vectus, Aquitaniam-

Brandeburgum expugnatum.

Dux Legniciensis & Marchio Brãdeburgensis ad regem venerunt.

Albert⁹ Magister Cruciferorum deditionem meditatur.

Kœnixberga à Polonis obsessa.

Caroli V. in Brabantia aduentus.

niamq; prætervectus, in Dobram Angliæ ciuitatem appulit: vbi ex iactatione maris aliquandiu quieuit: tandem prospero flante vento in Brabantiam applicuit. Accessus Cæsaris ad Belgas, Francisco Galliarũ regi suspitionis nõnihil attulit. Enimuerò horrebat eius principis potẽtiam, qui tot regna in bellicosa Hispania opulenta ac feroci Germania obtineret. Pro magno itaq; habuit negotio cum Henrico Angliæ rege perpetuum inire fœdus, amicitiamque & societatem, cuius fretus auxilijs, aduersus suspectam Caroli potentiam firmior esset, aut saltem à Cæsaris eum amicitia & societate abstraheret. Obtinuit tandem per Oratores citrò vltroq; missos, vt post Caroli Cæsaris ex Dobra Angliæ portu digressum, Henricus Angliæ Rex ad Calesium oppidum, quod hic Rex vnicũ in continenti habet Galliæ, nauibus applicuerit, vbi in Ardet & Grines propinquis oppidis Galliæ & Angliæ reges cum eorum coniugibus die Iunij septima conuenerunt. Incredibile dictu est, qua comitate & fide duorum opulentissimorum in Christianitate regum hic congressus est celebratus. Iunctum est postremò inter eos fœdus perpetuum, amicitia & societas, nõminatim aduersus Carolum Roman. regem, cuius potẽtia vicinis regibus & populis nõ immeritò formidolosa fuit. Sub quo tempore Albertus Prussiaci ordinis Magister, toties à Polonis victus, tot amissis vrbibus & castellis, animo fractus, motaq; pertœsus arma, ad Sigismundum Poloniæ regem supplex Toruniam venit, cum quo aliquoties congressus, cũ saluo exeunte cõductu vlterius tergiuersari nõ posset; ad hoc deuẽtum erat, vt fide interposita crastina intereueniẽte die, ex formula fœderis perpetui iuramentũ fidelitatis & obedientiæ præstare sit pollicitus: & fecisset haud dubiè, ni aduerso fato quodam, eadẽ vespera quidã ordinis Cõmendator ex Regiomõte, præter omniũ spem super uenisset, qui nũciauit, ex Lubicensi portu, quatuor millia Germanorum peditũ Memelam Sambiæ appulisse, & iam Kenisbergã siue Regiomontẽ venisse: magna præterea aliarũ copiarum spe, equitũ & peditũ, qui ex Germania terrestri venirent itinere, Magistrum ordinis sua spõte belli ardentẽ desiderio, impleuit. Quo factum est, vt Magister fide hesterna die Sigismundo regi data violata, sub diluculo cõmeatum à rege petierit, & se ad iter accingere cœpit. Sigismundus rex qui ob datam fidem, iustã retinendi eius causam habebat, inconstantiam hominis auersatus, vndecima ab ea qua venerat die, per cõtemptum abire permisit; Præfectum etiam Opocensem, qui eum in Sambiam tutò con duceret, adiũxit, & ita sperata pax, quæ die præcedenti conclusa fuerat, in nihilum recidit, omniaq; rursus ad arma spectare cœperunt. Albertus in Sambiã ad Regiummontem reuersus, Germanico lancceariorum instructus peditatu, hostilia moliri cœpit, exercitum ex oppidanis atq; agrestibus auxit, naues aliquot militibus onustas, per sinũ Varmiensem ad Brunsbergam misit, cum quibus Gedanensium naues, numero superiores concurrerunt, victasq; magna ex parte trucidarũt, naues aliquot depresserunt, alias cœperunt cum captiuis sexaginta. In castris regijs quæ à Regiomonte nondum mota erant, per copiarum regiarum duces consultatum, quid potissimum pacis spe abiecta sequerẽtur, qua parte Cruciferi premendi essent. In quo inter regios duces diuersis certatum est sententijs; alijs censentibus in Sambiam vno impetu traijciendum, hostibusq; pugnæ copiam faciendum. Alij ad Prægolę amnis superiora castra transferenda existimabãt. Bartẽsteinũ atq; Hynderlandiã versus, vbi plurima Marianorũ militũ oppida expugnari ac in potestatẽ redigi possẽt; fieriq; posset, vt breuibus actis per Allã & Prægolã flumina pontibus, haud difficilis illi in terram Sambiam fieret trãsitus, Magistrumq; ordinis ad aleam vniuersi certaminis compellerent. Com pluribus tertio loco visum, vt Sambia & Hynderlandia obmissa, Brunsberga vallo fossis & muri spissitudine munitissimum oppidum, qua Passeria amnis in sinũ Varmiensem erumpit, primum potiretur ac oppugnaretur. Hæ sententiæ ad Senatum regium reiectæ, iniquo terræ Prussiæ fato, quo bellum in longũ trahebatur, deterior electa ẽst. Iussusq; Nicolaus Firlei regiarum copiarum dux ad Brunsbergam castra transferre, eumq; locũ alioquin inexpugnabilem obsidere, ac oppugnare, hac vna persuasione, qua Gedanenses facilẽ exercitui commeatum per aquas subuehere possent; nec inexpugnabilis loci difficultas, longæ obsidionis tœdium, immensaq; pecuniæ in milites profusio cũ alijs incommodis sunt animaduersa. Nicolaus Firlei regis senatusque acceptis mandatis, vt Brunsbergam aggrederetur, circa castrorum motum à Regiomonte, magnam equitatus par-

Galliæ & Angliæ regum cõgressus.

Albertus Prussiæ magister ad regem Toruniã venit.

Germanorũ auxilia Magistro Cruciferorum missa.

Brunsberga à Polonis obsessa.

tem ad Hinderlandiam vastandam misit. Ingens armentorum pecorumque multitudo ad castra regia Brunsbergā compulsa, abundantem commeatus copiam militibus præbuit. Redeunte à Regiomonte exercitu, Brandeburga arx rebus omnibus spoliata magna ex parte diruta relicta est à Polonis. Castris ante Brunsbergam positis, tormēta bellica in eius vrbis mœnia & turrim prætorij excelsam exonerari cœpta: eius turris pars superior crebris globorum ictibus deiecta. Mœnibus parum allatum incommodi, ob muri spissitudinē, propugnabaturq; vrbs acerrimè à valido, quod intus erat Magistri ordinis pręsidio, & à sinu maris, cui vrbs ab vna parte incubat, liber Cruciferis nauib⁹ patebat accessus. Quo factum est, vt per has difficultates oppugnatio in lōgum traheretur, & immensa pecuniæ vis in mercenarios milites profunderetur. Diuersa Prussiæ parte centum equites Cruciferi ex Nydburgo Masouiam populabundi exiuerant, qui à Masouijs circumuenti, præter commendatorem vnum, qui equi celeritate auectus effugerat, ad internecionē cæsi omnes. Sub quo tempore in regni parte orientali, duo Tartarorum millia in Podoliam irruperunt, vastaruntq; atrociter: quos iam abire parantes Trzebinski regij equitatus centurio vir fortis & disciplinæ militaris peritus, cum quingentis Polonis ac ducentis Volhinensibus aggressus, egregiè vicit, magnaque ex parte cęcidit, & præda omni exutos procul fugauit. Iacobus Strusius magnæ indolis atque audaciæ adolescens, dum fugientes Tartaros auidius insequitur, hos & illos cędit ac obtruncat, à suis lōgius auectus, à Tartaris circumuentus, est interemptus. Hæc victoria & si non incruenta Toruniam allata, magna Sigismundum regem affecit lætitia, qui vt Prutenico bello totus incumberet, omnesq; vires suas in vnum contraheret, constituit cum alijs vicinis gētibus bella pace aut inducijs suspendere. Et opportunè Basilius Magnus Moscouitarum dux Oratores misit, qui pacem à Sigismundo rege, captiuorumque, qui Vilnæ custodiebantur, restitutionem deposcerēt. Sigismundus Rex per Legatos suos responsum Basilio duci se daturum est pollicitus: Nec multò posteà Polocensem palatinum in Moscouiam legatum misit, qui responsum referens dixit, nec pacem, nec captiuorum restitutionem vllam fieri posse, nisi Smolenskko arce prius restituta. Tali à legato re-

Tartari Podoliam vastant.

gio Basilius Magnus accepto responso, postquā tergiuersari cœpisset, nec Smolenskum restituere vellet, legatus regius re infecta in Lituaniam redijt, & per hæc cū Moscouitis nec pax erat, nec certum bellū. Inter tātas bellorum procellas Sigismundus rex iucundissimū accepit nuncium, reginā Bonam filium, qui à sacro fonte paternum tulit nomē, peperisse. Incredibile dictu quanta res hęc lætitia omnes affecit, cùm iam Dei benignitate quod vnum ad summam Sigismundi regis fœlicitatē deerat, regij pro prijq; sanguinis successorem nactus esset, & iam inde maiori animo cœptum bellum pertractare cœpit, Ioannemq; Swiercioyvski qui ante sexenniū Moscouitas apud Orsam transBoristenem magno prælio superauit, ad castra quæ apud Brunsbergā hærebant misit, collegamq; Nicolao Firleio, æquato ei imperio adiunxit, vrbsq; alioquin munitissima, maiore studio & apparatu oppugnabatur, q̄ non minore diligētia ac pertinacia ab ordinis Magistro & Cruciferis propugnabatur. Eo tempore à Ludouico Vngariæ & Boëmiæ rege Laurentius episcopus & Trepka Polonus legati venêre. Venit & Helias Mursa à Tauricano Cæsare orator. Albertus ordinis Magister receptis, vt superius memoratum est, Germanicis per mare auxilijs, cum eis in apertū erupit, & ad Helspergam Varmiensis episcopi sedem, oppidum validum & arcem munitissimam oppugnādam contendit, quam vbi firmiorem reperit, quàm vt eam expugnare facilè posset, incēso suburbio & agris vicinis peruastatis, cū omnibus copijs & bombardis ad Ressel oppidū & arcē expugnandā est profectus, vbi validissimū erat p̄sidium, mille octingētorū Polonorū equitū, cui Iacobus Sēcignoui⁹ vir disciplinæ militaris perit⁹, & manu prōptus præerat. Eius quoq; oppidi potiūdi spe magister ordinis destitut⁹, Rastēburgā versus signa vertere iussit. Iacobus Sencignouius ex Ressel in apertū egressus, extremū abeuntium agmē carpere cœpit. Sexcētos cataphractos equites, calibeis toracibus Germanorū more armatos adeptus, cum eis longo tempore decertauit, trecentisq; ex eis interfectis aut captis, alios in fugam vertit. Ad eius cladis nuncium Albertus ordinis magister cōsternatus, cū residuis equitum peditumq; copijs fugienti similis Rastemburgā sese recepit. Pari fœlicitate cū Crucifero Liuoniensium equitatu apud Bartensteinū est decertatū, hic etiā Poloni egregiè vicerūt, qua-

dra-

Sigismūdus Augustus natus die prima Augusti 1520.

Helspergā à Magistro oppugnatur.

draginta ex eis interfectis & aliquot captis. Hic Iacobus Brosouecius Polonus miles, staturæ admodum pusillæ cum Germano cataphracto equite, in eius comparatione giganteæ staturæ congressus, eum egregiè vicit ac sponsione fidei obstrinxit, Toruniamq; ad regem captiuum deduxit. Res fuit admiratione digna, quando ille pusillus vastę staturæ militem ad conspectum regium pertraheret, Germano milite pudore suffuso, quod à gnano verius, quàm viro fuerit superatus. Albertus ordinis Magister, posteaquam Helspergam & Ressellam frustra tentasset, Melsacum oppidum nocturna ac insperata oppugnatione cæpit. Erant illic duo regij magistri equitū Laurētius Myscovvski & qui vbi oppidum mœnibus multa bombardarum vi collapsis, se tueri non posse conspexêre, in arcem, quæ parum munita erat, refugerunt. Quo factum vt defensione desperata obsessi deditionem facere sint coacti, conditione adiecta, rebus & personis saluis. Fides deditis seruata, tuto in pacatum abiêre. Ad Vormitam inde ordinis Magister castra transtulit, oppidum multo maius munitius ac opulentius. Erat hic Radvvankovvski magister equitum cum Polonorum præsidio, qui primo hostium accessu oppidum egregiè tutatus est. Verùm Albertus ordinis Magister posteaquā vi proficere nihil potuit, ad artes suas conuersus, præsidij præfectum primò ad colloquium euocauit, promissisque amplissimis effecit, vt ei oppidum prodere sit pollicitus. Obstabant nefario homini primò Decuriones Poloni, inde oppidani, mulieribus argentea vestium suarum ornamenta ad bombardarum globulos & defensionem offerentibus. Corruptus pecunia Radvvankovvski, postremò portam Magistro ordinis patefecit: amissumq; est oppidum, ad res ordinis infestandas apprimè opportunum. Hæc mense Augusto gesta: plures eius dies coruscationibus, tonitruis, & assiduis imbribus fœdi fuêre, quo factum est, vt Visla amnis nimio aquarum auctu inundauerit, damnaq; accolis non modica fecerit. Mense insequenti Poloni cum ducentis Cruciferis Bartensteino egressis decertarunt, ex quibus partem longè maiorem trucidarunt, alios in fugam verterunt. Sub quo tempore Selimus Turcorum imperator, qui Syriam cum Aegypto & Arabia ante quadriennium Turcorum imperio adiecit, in Bisantio diem vitæ clausit extremum: cui Solimanus filius in imperio successit. Tauricanus quoq; Tartarus Tanaim cum ingentibus copijs transgressus, Nogaienses Tartaros Nomadum more in Scythia latè pascētes, victos suæ subiecit potestati, supra quadraginta hominum millia ex ea gēte in Tauricam & ad inferiora Boristhenis transtulit, qui ei postea in bellis, aucta eius plus nimio potentia magno vsui fuêre. Dimidium erat Septembris cùm rumor de valido Germanorum exercitu, qui in auxiliū Cruciferis contra Sigismūdum Poloniæ regē in Prussiam veniret, spargi cœpit. Res ab initio non credita, ob similes vanos rumores, qui antea non semel iactati sunt: quoad exploratores regij rem certam attulerunt. Consultatum est in senatu regio, quid potissimum facere expediret, vt vtrinq; hostibus resisteretur, hinc Alberto ordinis magistro & Cruciferis, inde nouo exercitui ex Germania infestis signis per Marchiā venienti: placuit, magistro ordinis & Cruciferis nobilitatē Prutenicam & mercenarium militē obijcere, arcesq; & oppida Varmiensis ecclesiæ tueri: cōtra Germanos verò, qui per Marchiam instructa phalange equitatu catafracto, multis tormentis bellicis & terribili belli apparatu veniebāt, visum maiorem Polonicæ nobilitatis partem ad bellum cōcitari, alios ad Roxiæ Podoliæq; fines tuendos cōtra Tartaros conuerti. Nobilitati Polonicæ ad Vangrouecium oppidum, vnius diei à Posnania itinere locus cōueniendi datus. Sigismundus Rex expeditione generali per literas nobilitati imperata, ipse ex Torunio mouens, quarta die; quæ fuit Octobris quinta, Vangrouecium prior venit. Sexta eius mensis, Germanicus exercitus apud Francfordiam Oderam amnem transmisit. Interea temporis, dum Polona nobilitas segniter conuenit, Legnicensis dux ad Sigismundum regem Vangrouecium venit; ad tractandum de pace, aut verius explorandum si oblatas Torunij conditiones Rex suscipere vellet: sed Sigismundus Rex à prima sententia, & primo responso Torunij dato, nihil immutauit, ostendens vanis Germanorum minis se nihil terreri, viresque & potentiam suam ad longè maiorem hostium vim excipiendam sufficere. Iam magna nobilitatis pars ad Vangrouecium conuenerat, cùm à Sigismundo Schonbergo omnium copiarum duce Vangrouecium literæ sunt allatæ, quibus regi & regno Poloniæ

Iacobus Brosouecius militem Germanum cæpit.

Melsacum captum à Magistro.

Vormita ciuitas episcopi Varmiensis per proditionem Radvvancouij capta.

Selimus perijt.

Tauricanus Tartarorum imperator Nogaienses Tartaros suæ subijcit potestati.

Germanorū auxilia magistro Cruciferorū missa.

loniæ bellum indicebatur. Eam belli denunciationem Sigismundus Rex, & proceres qui astabant per contemptum risu excepêre. Germani ab Oderæ transitu tertijs castris ad Medzirecium arcem, quæ in finibus regni est, peruenêre, quam obsidione cinctam, ac biduo quadraginta maioribus bombardis oppugnatam, quoniam exiguo firmata erat præsidio, magna vi prostratis muris expugnarunt. Suspicio erat ne ea arce expugnata, Germani Posnaniam versus castra promouerent. Ob hoc Sigismundus Rex mille delectos pedites Sclopetarios, qui vrbi præsidio essent, e uestigio misit; paratus ipse cum omnibus copijs si eò hostis rectà contendisset, ad Posnaniam Vartamque amnē propius accedere. Germani regni Polonię fines ingressi à Polonis irrequietis irruptionib⁹ turbabātur, perimebātur, & captiuabantur, quibus Poloni subitis ac insperatis incursibus infestissimi erant, equorum siquidem agilitate præpollebant, nec hostem quiescere patiebantur. Præslaus Lanscorunius & Andreas Tencinius milites Hierosolymitani, viri stupenda audacia præstantes, cum aliquot equitum turmis, Germanos siue pabulantes, siue aquantes, siue iter ingredientes cum cruenta cæde hostiliter infestarunt, & in suæ fortitudinis atque audaciæ testimonium, captiuos Germanos Sigismundo regi plurimos miserunt. His tumultuarijs prælijs Germani attriti, Posnaniam accedere non ausi, à Medzirecio, flexo in sinistram itinere, ponte, qui mandato regio deiectus erat instaurato, Vartam amnem cum omnibus copijs apud Squirzinam transiuêre, & per hæc regni Poloniæ finibus relictis, per nouam Marchiam iter Prussiam versus continuarunt. Limitem Prussiæ apud Tuciniam & Valcian arces ingressi, extemplò à Polonico equitatu prælio excepti sunt, primoque congressu octuaginta pedites Germani interfecti, triginta capti. Quo prælio Præslai Lanscorunij virtus est commendata, qui aliquoties per medias hostium cateruas, post eorum cædem & vulnera, scuto duntaxat tectus, illæsus euasit. Alio loco Ioannes Zaremba palatinus Calissiensis centum quinquaginta equites cataphractos & pedites sexaginta Germanos trucidauit, captiuosque Sigismundo regi misit. Eo congressu & alijs, Nicolai Rusocij castellani Biechouiensis, militaris audaciæ & fortitudinis virtus refulsit. Poloni prosperis vsi successibus, Germanis tumultuarijs prælijs aliquotiens victis ac cæsis, in oppidum cui à lapide cognomen est, reficiendorum equorum gratia concessêre. Maxima noctis pars lætis compotationibus extracta, residuum noctis quieti datum, cùm in aurora nunciatum est, Germanos propinquum nemus iam egressos propè adesse. Tunc primùm ad arma & equos Poloni recurrerunt, tumultu & trepidatione omnia agi. Vix equos ascenderant, cùm ecce equitatus Germanicus, terribili armorum strepitu aduolat. Cum quibus Poloni, etsi numero impares & imparati, congressi, post anceps aliquandiu certamen, in pacatum concessêre, impedimentis & equis fermè centum amissis. Oppidum Germani diripuêre. Ad famam Germanici exercitus venientis Albertus ordinis Magister, diuersa parte sex millium peditum & septingentorum equitum exercitu comparato, ex Kynsperga mouens, rursus ad Helspergam Varmiensis Episcopi vrbem & arcem principalem oppugnandam pergit, plantatisque noctu tormentis bellicis, magnam muri partem in terram strauit, eo consilio vt luce veniente, vrbem totis viribus aggrederetur. Fuisset Albertus magister haud dubiè voti compos, vrbemque expugnasset, ni Iacobus Sencignouius regiarum copiarum dux nō multò antea cum mille equitibus Polonis aduenisset. Qui vbi murum oppidi vasto hiatu stratum vidit, nullis factis repagulis in muri deiecti longo foramine bombardas ex aduerso disposuit, ipse cum fortibus Polonis armis egregiè instructis, retro tormenta bellica, ad certamen paratus stabat, misso ad Albertum ordinis Magistrum caduceatore, vt oppugnationem aggredi non moraretur. Albertus Poloni ducis exterritus audacia, suorumque militum, si vrbem oppugnare pergeret, apertum intuitus exitium, nihil vlterius mouere ausus, tertia ab ea qua venerat die Rastemburgum versus contendit. Sigismundus Rex tanto hostilium armorum strepitu vndique circumseptus postea quàm Germanicum exercitum fines Prussiæ ingressum, & à Sluchouia validissima arce haud procul abesse cognouit, veritus ne Germani Vissa amne transmisso cum Alberto ordinis Magistro castra iungerent, aut ne Gedanum opulentissi-

Medzirecia arx à Germanis capta.

Prælsaus Lanscorunius; Andreas Tucinius

Præslaus Lanscorunius.

Ioannes Zaremba.

Kamien oppidum, à Germanis direptum.

Helsperga oppugnatur.

ſimum totius Pruſſiæ emporium, aliquo aduerſo caſu periclitaretur, ſtatuit cum omnibus copijs ad Viſlã amnẽ Gedanumq; propius accedere, & ex Vangrouecio die Nouembris ſecunda mouens, ad Bidgoſtiam properauit, hic inito cum magnatibus ac purpuratis ſuis conſilio, Ioannem Zarembam palatinum Caliſſienſem cum mille equitibus Polonis Gedanum miſit, & non multo antea Storcium aulicum ſuum virum fortem, & diſciplinæ militaris peritum, cum Polonico peditatu Gedanum præmiſerat, Ioanni Coſcelecio Mariemburgenſi præfecto in mandatis dat, vt qua parte Germani Viſlam amnem tranſire molirentur, ea occurreret, & à tranſitu fluminis hoſtes arceret, Germani ad Sluchoujam arcem venientes, loci munitione ex regio præſidio deterriti, ne tentare quidem oppugnationem ſunt auſi, Choinicia oppido, nullo firmato præſidio, incolis Germanis vltrò ſe dedentibus, facilè potiti, pleraque alia oppida cum Kyſſavva & Stargarda quæ in itinere & parum munita erant, in ſuam redegêre poteſtatem: dediti commeatum exercitui ſubmiſêre. Ad Derſauiam inde oppidum ventum, quod in ripa Viſlæ amnis iacet, eo quoque in poteſtatem redacto Germani contractis vndique nauigijs, flumen tranſmittere parabant. In aduerſa ripa, Ioannes Coſcelecius, Mariemburgenſis præfectus cũ non contemnenda Polonorum manu, bombardas aduerſus Germanos locauerat, eorumque nauigia ad traijciendum parata, ſulphureis bombardarum globis inceſſebat, poſtremò à ripa in qua conſiſtebant, ſubmouit, qui vbi ſe flumen tranſire non poſſe animaduerterunt, Sigiſmundum etiam regem cum quadraginta millibus equitum bellatorum Bidgoſtiam veniſſe ac prope adeſſe per exploratores cognouêre, mutato repentè conſilio, Gedanum verſus ſigna verterunt: caſtriſque ante vrbem poſitis Sigiſmundus Schonbergius Germanicarum copiarũ dux, per nũcios ad Proconſulem vrbis miſſos tentauit, ſi fortè vrbem alioquin munitam per deditionem aſſequi poſſet, ſed cùm nihil pacati ex Gedano reſponderetur, minari ille & tormenta bellica aduerſus vrbis mœnia expedire cœpit. Ciues & regij duces qui intra mœnia erant nihil his exterriti, ex aduerſo quæ ad defenſionem neceſſaria videbantur, opportuna præparare non ceſſabant. Subinde Polonus equitatus vrbe patefacta porta egreſſus Germanos aggrediebatur, caſtraque eorum pauore & trepidatione replebat, cœſiſque & obtruncatis, in poteſtatem etiam redactis aliquibus, victor ad vrbem cum captiuis remeabat, pulchrumque ciuibus ſpectaculum exhibebat. At Sigiſmundus rex Gedani nobiliſſimæ vrbis motus periculo, facto ex omni exercitu delectu, ſeptem bellatorum equitum millia dato ſtipendio conſcripſit, & eos duce Nicolao Firleio palatino Sendomirienſi ad hoſtes Germanos perſequendos, oppidaque deperdita recuperanda miſit. Regius dux cum expedito equitatu contra Germanos profectus Stargardam & Derſauiam primo acceſſu recuperauit: ad famam eius aduentus Schonbergius & alij Germanicarum copiarum duces, rati omnem regiam potentiam aduentare, conſternati, veritique ne à regio equitatu vndique circumuenti in medio cæderentur, motis repente caſtris multiſque impedimentis relictis, Pomeraniam verſus ſecus littus maris, fugientibus ſimiles, abire cœperunt. Ioannes Zaremba Polonici equitatus qui intra Gedanum erat dux, poſteaquam Germanos motis caſtris abire conſpexit, facta ex vrbe eruptione, extremum hoſtium agmen carpere, trucidare ac captiuare non deſtitit. Affuit haud multò poſtea Nicolaus Firleius regij equitatus maiorumque copiarum dux, partem equitatus Pomeraniam verſus, ad hoſtes inſequendos miſit, ipſe cum reſidua exercitus parte ad Choiniciam & reliqua oppida intercepta recuperanda eſt profectus. Illi qui ad inſequendos Germanos ſunt miſſi, abeuntes aſſecuti, in extremum agmen ferociter inuecti ſexcentos primo congreſſu, altero noningentos trucidarunt. Quo certamine centum quadraginta equites cataphracti in poteſtatem ſunt redacti, alios ad Lembergam vſq; ducis Pomeraniæ limitem per cædes & vulnera Poloni inſecuti, vt totum illud iter à Gedano ad Lembergam Germanicis ſtratum cadaueribus fœteret. Diuerſa terræ parte Nicolaus Firleius ad Choiniciam veniens, in eo loco recuperando nonnihil habuit difficultatis, ob trecentorum peditum præſidium, quod Sigiſmundus Schonbergius illic reliquerat, poſtremò præſidij præfecto ad colloquium euocato, minis & inde promiſſis oneratum ad deditionem perpulit, & ita Choinicia in regiam rurſus

Gedanum à Germanis obſeſſum.

Nicolaus Firlei Germanos perſequitur & fugat.

Germanorũ militum diſceſſus fugæ ſimilis.

Nicolaus Firleius Choiniciam per deditionem capit.

ſus redijt poteſtatem, Sigiſmundi regis fœlicitate & Nicolai Firlei virtute & induſtria. Hic Germanici exercitus militarem diſciplinam ac modeſtiam commendare non immeritò poſſumus. Si quidem ij in omni per terras regias profectione, villis & hominibus agreſtibus innocui fuêre. Nihil eis per vim abſtulerunt, imò commeatum iuſta æſtimatione coëmerunt, Virginum etiam ac matronarum pudicitiam tutam reddiderunt, qua moderatione & virtute effecerunt, vt agreſtes omni depoſito pauore, neceſſaria victualia, eis ſponte deferrent, venaliaque iuſto precio exponerent. Noſtri verò ad eadem quæ hoſtis pertranſierat loca venientes, non ea vſi ſunt modeſtia. In terra regia veluti in hoſtico villas diripuerunt, & vim agreſtibus, diſciplinę militaris immemores, intulerunt. Sigiſmundus rex poſteaquam Germanos à Gedano Pomeraniam verſus abijſſe cognouit, ſoluto exercitu, in Breſte Cuiauiæ abijt, quò ad eũ Soracynski Morauus, qui in Pruſſia in caſtris regijs cum aliquot centenis equitum peditumq́; ſtipendio inauctoratus militauit, commeatus petendi cauſa venit, acceptoq́; debito ſtipendio, in Morauiam cum militibus ſuis receſſit. Venerunt & alij complures magiſtri equitũ & Centuriones in Breſte, quos omnes Sigiſmundus Rex ad proſequendum bellum in Pruſſiam remiſit. Enimuerò Albertus Pruſſiacæ militiæ magiſter in primo Germanorum in Pruſſiam aduentu Sigiſmundo rege in Vangroueccio exercitum congregante, ne rebus ſuis deeſſe videretur, Helſpergam aggreſſus, Fabianum Varmienſem epiſcopum, qui in ea arce ſe clauſerat, ſumma vi rurſus oppugnauit. Aderat hic Iacobus Sẽcignouius cum Polonorum manu non contemnenda, antiſtiti præſidio, quem pari virtute ac conſtantia vt prius defendit. Sub eo tempore quo magiſter ordinis Helſpergam oppugnauit, Alexander Ilouius magnæ fortitudinis & audaciæ vir cum ducentis equitibus Polonis viris fortibus per apertũ campum diſcurrens, magiſtro ordinis & Cruciferis infeſta omnia reddidit, carpenta quæcunque obuia in quibus commeatus ad caſtra Cruciferica vehebatur, intercepit & exuſſit, ita vt in caſtris ordinis fames ſentiretur. Cùm Cruciferis aliquoties congreſſus eos egregiè vicit, & plus ducentos diuerſis locis interfecit, coactusq́; eſt Albert⁹ ordinis magiſter cœptam Elſpergæ ſoluere obſidionem, quo inde motis caſtris abeunte, Iacobus Sencignouius ex oppido egreſſus, & abeuntem magiſtrũ cum ſuo equitatu inſecutus, extremum eius agmẽ ad Raſtemburgum vſq; carpere ac cum cruenta cæde infeſtare non deſtitit, magiſterq́; ordinis per longum tempus poſtea nihil mouere ſit auſus. Sigiſmundo rege ex Bidgoſtia ad Breſte veniente, Albertus magiſter Helſpergam epiſcopi Varmien. oppidum tertiò repetijt, & eam ſi vnquam antea multa vi per biduum pertinaciſſimè oppugnauit, Iacobus verò Sencignouius non minore quàm prius virtute ac conſtantia obſeſſum antiſtitem tertiò eſt tutat⁹. Coactusq́; eſt ordinis magiſter oppugnationem toties repetitam cum ignominia & damno deſerere. Qui ad alia loca expugnanda conuerſus, Neumarkum & pleraque alia loca fraude & proditione intercepit, vſque ad Sigiſmundi Regis in Toruniam reditum, quo tempore in Kynſpergam Sambiæ cum omnibus copijs ſe recepit, vbi lætos Carniſpriuij dies egit, & concubinæ ſuæ nuptias celebrauit. Sub quo tempore Iacobus Sencignouius cum aliquot equitum Polonorum turmis Alexandro Ilovyski ſocio, circum Fridlandiam, Gerdau, & Velau, vbi Alla & Prægola amnes confluunt, Cruciferorum terras ferociſſimo procurſũ longè & latè eſt populatus: In Seburgk ducentos pedites Germanos adeptus, ad internecionem cecîdit. Supra centum quinquaginta villas ea excurſione incẽdio abſumpſit, multaq́; onuſtus prę da Helſpergam victor redijt. Nec hic multum moratus, in apertum denuò egreſſus Paſſenheimam oppidum per deditionem accepit. Apud Gutſtadiã inde cum Cruciferis depugnauit, victosq́; ſeptuaginta ex eis trucidauit, quatuordecẽ præſtantiores cœpit. At Albertus ordinis magiſter Polonicis præualẽtibus armis, cladibus vna ſupra aliam cõſternatus, ad ſuos dolos & ſtratagemata cõuerſus, menſe Martio in apertũ iterum erupit, eo conſilio, vt Elbingam vrbem munitiſſimam fraude interciperet, miſſisq́; ſecreto & ſilẽti agmine duobus millibus peditũ, ſub obſcura interlunij nocte, eos in tugurijs ac horreis ſuburbij delitеſcere fecit, ac in inſidijs collocauit, mãdauitq́;, vt dũ ignari ciues veniẽte luce portas aperirẽt, ex inſidijs erũperent, portã occuparent, ac vrbẽ nil tale metuentẽ inuaderent. Die illuceſcente portaq́; vrbis de more aperta, Germani pedites ex inſidijs coorti, duas priores turres extemplò inuadũt, & occupant, à tertia,

Germanorũ humanitas.

Polonorum militum crudelitas erga ſuos.

Elbinga à Magiſtro dolo oppugnata.

tertia, crate ferrea demissa exclusi, concursu populi ægrè defensa, per horas fermè septem in porta est depugnatũ, postremò tormentis bellicis, saxis & alijs missilibus, Magister ordinis & sui pedites, magno labore & multa cæde extra portam sunt eiecti, vrbsque pro Sigismundo rege ciuium eximia fide seruata. Et poterat munitissima alioquin Prussiæ ciuitas, ex tribus principalibus vna, si occupata fuisset, rebus Prutenicis in componenda pace multum afferre difficultatis. Magister ordinis posteaquam à spe potiundę Elbingę decidit fractus animo ad pacem aut inducias cum rege Polono ineundas flecti cœpit. Enimuerò Sigismundo rege ex Breste Cuiauiæ Torunium ad bellum in Prussia prosequendum reuerso, altera die Legnicienšis Dux de pace tractaturus ad eum venit, nec multo postea Georgius Marchio Brandeburgensis, Alberti ordinis Magistri eadem causa superuenit, de pace inter Principes conuenire non potuit, induciæ duntaxat ad quadrienniũ pactæ, arcibus & oppidis hinc inde captis restitutis, vt interea temporis de pace in longum tempus duratura commodius tractari possit; & per hæc bellum maximum ac periculosissimum, per Polonos ac Germanos in Prussia accensum, quanno sesquialtero variante fortuna durauit, extinctũ est, extremis Mensis Martij diebus, Anno humanæ salutis, vicesimo primo, supra quindecies Centesimum, Regni Sigismundi Regis quintodecimo, qui rebus Prussiæ compositis ad Calendas Maias Cracouiam rediјt. Sub quo tempore Tartari ex Taurica egressi (quina eorum erant millia) transmisso Boristene Mosir oppidum, quod ad Præpeciũ amnem iacet, diripuerunt, spoliatumque fortunis omnibus, incolis abductis aut trucidatis exusserunt. Inde impetu auersi, magnam Lituaniæ partem inter Slucico & Pinsko fœdè sunt populati, tandem cum multis captiuis Christiani nominis, multaque alia armentorum pecorumque præda in Tauricam nullo accepto incõmodo redierunt. Machmetkeri Tartarorũ in Taurica Cæsar, Nogaiensium seu Trstãanaitarum Tartarorum, quos non multo antea suæ subiecerat potestati, auctus exercitu, cũ omnibus copijs ac terribili belli apparatu, Tanai ac Volga seu Rha fluminibus transmissis, Casanam Tartarorum in Scithia Metropolim; quæ tunc Basilij Magni Moscouitarum Ducis parebat imperio, suæ subiecit potestati, Tartarosque Casanenses sibi vectigales fecit.

Inducia inter Regem & Magistrũ Cruciferorũ.

Pax inter Regem & Cruciferos.

1521.

Tartari Lituaniam vastant.

Transtanaitarum

Cæsar Tauricanus Casanã Moscho eripuit.

Cazan

Indignabatur Basilius Magnus Moscouitarum Dux, Casanam vrbem cũ gente valida, sibi ereptam esse, ingentemq; exercitum comparauerat, ad iniuriam vindicandam, & amissam Prouinciam recuperandam. Quod cùm Machmetkeri Cęsar Tauricanus comperit, Basilio Magno Duci ex confesso hostis factus, cum exercitu octuaginta millium equitum, magnoque belli apparatu in Moscouiam irrupit, Okamque amnem qui in Volgam se exonerat, trãsgressus, Regionem antea omnibus bellis intactam, & per hoc frequẽti hominum incolatu populosam, incredibili celeritate peruastauit, & ante Mosquam Metropolim, per duo milliaria Germanica, in conspectu Basilij castra fecit; expectans aliquandiu, si Basilius magnus Dux, qui etiam ingẽtem comparasse exercitum, & vires omnes suas in locum vnum cõtraxisse ferebatur, copiam pugnandi faceret. Sed Basilio pugnam detrectante, Machmetkeri Tartarus hosti pauoris expressa cõfessione, præda expletus, hominumque innumera cinctus multitudine, in Tauricam rediјt. Ferunt supra trecenta hominum millia captiuorũ, ex Moscouia tunc abducta fuisse, senibus & pueris, qui per ætatem immanissimum hostem sequi non poterant, crudeliter peremptis; eã captiuorum turbã Turci mercatores in Caphata vrbe Tauricæ mercati trans Pontũ in terras suas auexêre, Seruisque Moscouitis Cappadociam Bithiniã, Asiam minorem atque Thraciã repleuêre. Selimanus Turcorũ Cæsar, (sic illi Reges suos vocãt) Selimo patri in lato imperio succedes, vt ab egregio aliquo facinore, maiorũ suorum exemplo, Regni sui administrationem inchoaret, ne cum gente sua alioquin feroce & belli appetentissima ocio marcesceret, Vngaris qui tunc Pannoniam inferiorem obtinebant, genti bellicosæ, & quæ Turcorum arma tot annis antea exercitauit, bellũ intulit, & ex Constantinopoli cum omni imperij sui potentia, ac terribili belli apparatu Mense Maio egressus, Monte Hemo, cum omnibus copijs transcẽso, in Rasciam seu Misiam superiorẽ peruenit, eo consilio vt Nanderalba, quæ arx omnium validissima ad Saui & Danubij iacet confluentes, Vngaris erepta ac expugnata, Sauum amnem imperij sui limitem faceret, quod tanto gloriosius sibi fore putabat, quanto alij Turcorum Imperatores, turpius ab ea arce reiecti, & cruentis cladibus affecti sint.

Tartari Moschouiã vastant.

300,000

Moschorum captiuorum ingens numerum.

Solimannus in Vngariã expeditio.

Hemus

Nandoralba capta.

Primis itaque mensis Iulij diebus, ante Nanderalbam castra metatus, eam arcem terra & aquis, ne quid ad obsessos subsidij aut commeatus peruenire posset, vndique obsidere cœpit. Ludouicus Vngariæ & Bohemiæ Rex, ad famam tam periculosissimi belli consternatus, Vngaris generalē belli expeditionem edixit, auxilia vndique contrahit; à Sigismundo patruo, Poloniæ Rege, per Oratores ac supplices literas opem implorat. Ex Regni Vngariæ ruina, quæ Poloniæ Regno pericula euenire possent, propinqui veluti incendij vicinitate ostendit. Tam acerba Nepotis regis legatione, Sigismundus Rex permotus, exercitum extēplò conscribi fecit. Mercenariorum militum, sena equitum peditumque millia fuisse ferūtur: quibus Ioannem Comitem Tarnouiensem virum fortem, & disciplinæ militaris peritissimum, præfecit, ipsumque magno inauctoratum stipendio illarum copiarum Ducem constituit. Nec multò postea, commeatu ac tormentis bellicis instructo, per Carpatum Montem in Vngariam ire iussit. Ludouicus Vngariæ & Bohemiæ Rex sextumdecimum tūc ætatis agens annum, Vngaris ad inferiora Danubij conuenire iussis, die Mensis Iulij decimaseptima contra immanissimos Turcos ex Buda mouit, viresq; suas in vnum contrahere cœpit. At Solimanus Turcorum Tyrannus, ad famam hostilis exercitus, Nanderalbam multò validi⁹ oppugnare est adortus. Erat turris in arce vastæ magnitudinis sublimior cæteris, ex qua præsidiarij Vngarorum milites, arcem fortiter & constanter propugnabant, quæ primùm sulphuratis bombardarum globis maxima ex parte diruta ac deiecta est. Alteram turrim Solimanus suffodi: cauernamque subterraneam sulphureis pulueribus repleri fecit, quo succēso terraque vehementer concussa, maior turris pars, ingenti fragore ac ruina corruit. Opponere Vngari repagula, & pro viribus resistere contendebant. Oppugnarunt Turci arcē pertinacissimè, quam Vngari maiore aliquanto conatu tuebantur, quamuis multi bombardarum globis caderent. Apud Turcos abundāte multitudine fessis integri suc cedebant, præliumque redintegrabant. Victa postremò est Vngarorum virtus & constantia. Qui vbi arcem amplius se non posse tueri viderent, tū primùm de deditione agere cœperunt. Amissa est Nanderalbensis arx Regni Vngariæ antemurale, die 29. Mensis Augusti. Eodem quoque tempore arx Sabacensis quinque inde leucis distans, in ripa Saui amnis sita expugnata est. Solimanus ea expeditione Sauū amnem ab ea parte imperij sui limitem fecisse cōtentus, non vltra progredi voluit, cùm ob non contemnendum Vngarorum exercitū, tum ob auxiliares Polonorū, ac Sigismundi Regis copias, quæ ad Danubiū vsque & Futacum oppidum progressæ erant, speciemque exercitus duplo maioris præ se ferebant. Solimanus Turcus turribus ac propugnaculis in Nanderalba magna celeritate refectis, validissimo illic relicto præsidio motis castris, eodem quo venerat itinere retrò in Thraciam abijt. Ioannes quoq;. Tarnouiēsis Polonicarum copiarum Dux, postquam in aduersa Peteruaradinensis arcis ripa ad traijciendum Danubium paratus, cum Polonico exercitu aliquandiu sedisset, vbi Solimanum Imperatorem Nanderalba expugnata abijsse cognouit, & ipse motis castris, ad Ludouicum Regem salutandi eius gratia profectus, postea re nulla memorabili gesta in Regnum Poloniæ redijt.

Ioannes Comes Tarnouiensis in Vngariam cū mercenarijs militibus cōtra Turcas missus.

At Sigismundus Rex de Tartarorum anniuersarijs fermè excursionibus, impendentibusque periculis ac damnis sollicitus, pro magno habuit negocio, Conuentum Optimatibus Regni Petricouiæ de more indicere, & de anni venturi defensione consultare. Sed quia Bidgostiensi Conuentu vniuersæ Regni nobilitati indulgentissimus Rex Sigismundus concesserat, vt generalē Senatus Polonici Conuentum, particulares nobilitatis in singulis satrapijs præcederent, hos primùm Conuentus Sigismundus Rex, missis ad omnes Palatinatus Regni sui literis, fieri certis locis mandauit. Posnaniensis ac Calissiensis Palatinatus nobiles cū suis ex Senatorio ordine Optimatib⁹, in Sroda Oppido conuenerunt. Hic circa nunciorū ad generalem Regni Conuentum electionem, cum plena vel limitata potestate, magna suborta est difficultas, studijsque nobiles certarunt diuersis, tam, vt in vulgo, contentiosè, vt penè ad arma sit deuentum; Conuentusque Sredensis paucorum proteruia in nihilū recidit: coactusq; est Sigismundus Rex, ne regni defensio per hęc prępediretur, nouo misso mandato & literis ~~conuentū~~ in Sroda instituere. In quo post multas altercationes, tandem nuncios qui in pecuniarum subsidium pro mercenarijs conducendis militibus consentirent, elegerunt, ea lege adiecta, si nunciorum

Comitia Petriconiæ. 1522.

Poloniæ Maioris nobilium dissensio in electione Nũciorum.

ciorum aliarum Satrapiarum maiori parti ita visum foret, cum quibus mutuam habere intelligentiam sunt iussi. In alijs Palatinatibus nuncij terrarum electi sunt, magna concordia; & cum omnimoda facultate. Qui Petricouiam venientes, frequenti Regni senatu, Rege præsidente consultatum est, de Regni contra barbaros hostes defensione, & præcipuè Tartaros qui Tauricam incolebant, qui excursionibus assiduis æstate veniente, transmisso Boristene Podoliam Roxiamque Orientales Regni Poloniæ Prouincias atrociter vastabat. Sed quia generalis nobilium Regni bellica expeditio, qui Regē ad quæuis bella primo impendio sequi, & fines Regni tueri tenentur, contra Tartarum hostem, qui celerrimo cursu & recursu exercitus statariæ pugnæ assuetos eludere consueuit, infructuosa immo damnosa videbatur, Optimatibus Regni magis expedire visum est, vt pecunia pro mercenario milite conducendo, ex agrorum Colonis & Ciuitatibus conferretur. Cui Senatus Regni sententiæ nuncij terrarum refragari cœperūt; certas sibi à Rege Sigismundo prærogatiuas prius concedi præoptātes, quibus eorum immunitates augerentur. Cōm positisque inter sese, ac postea prolatis multis articulis, aliquot dierum sessionibus in Senatu res agitata ac discussa est, Sigismundo Rege & Senatu ad res honestas, alijs reiectis, consentiētē. Quo facto, nuncij terrarum cōcordibus suffragijs & nemine discrepante, in pecuniæ pro mercenario milite collationē per agrorum Colonos & Oppidanos fiendam consenserunt. Quatuor millia equitum conscribi, ac in Podoliam ad prima Veris signa mitti placuit. Sigismundus Regni sui defensione, eo modo constituta, Iudicijs dies aliquot præsedit, absolutoque Conuentu, in Magnum Lituaniæ Ducatum est profectus, eius quoque prouinciæ necessitatibus & periculis prouisurus. Sub quo tempore Leo Romanus Pontifex, eius appellationis decimus, fatalem diē obijt, in cuius locum Cardinalis Flandrensis, qui Carolo Hispaniarum Rege absente Hispanias gubernabat, Cardinalium suffragijs in demortui Pontificis locum absens est suffectus; & Adrianus Sextus appellatus. Qui ex Hispania Romam Cæsaris classe deuectus vltima Augusti in Romanum Pontificem est coronatus. Secundum eam pontificis Adriani Coronationem, Erasmus Vitellius de Cracouia, Episcopus Plocensis, qui apud Sedem Apostolicam magnificum Sigismundi Regis Oratorē gessit, morbo pestilentico, qui tunc vrbem Romā inuaserat, rebus humanis est exemptus, vir sanè doctrina, moribus & multiplici virtutum laude adornatus, cùm ob ingenij dexteritatem, ad Alexandrum & Iulium Romanos Pontifices, ab Alexandro Poloniæ Rege, bis legationis munus antea obijsset. Eodem tempore Solimanus Turcorum Rex, Imperij sui anno tertio Rodum insulam & vrbem terribili belli apparatu est aggressus. Mensibus quatuor ciuitatem alioquin munitissimam totis viribus oppugnauit. Tentauit Solimanus subterraneis vrbem cuniculis ingredi, sed cū id non succederet Rodianis militibus vbique occursantibus, & periculis sese obiectātibus, fortissimeque decertantibus, fossam prealtam, terra replere cœpit, factó que ad mœnia vrbis aggere cùm propè esset, vt vi capi posset Magister ordinis Rodianæ militiæ deditionem facere maluit, quàm tot piorum indignam cædem, & nobilissimæ vrbis excidium intueri, quę die Stephani Prothomartyris amissa est. In quā Solimanus ingressus, fidem datam deditis seruauit. Magistro ordinis cum suis commendatoribus & omni militia, cum reliquijs sanctorum & rebus quæ asportari poterant liberè dimisso, præter tormenta bellica, quorum vis ingēs in Rodo capta fuit, anno salutis humanæ, vicesimo secundo supra millesimum ac quingentesimum. 1522.
Quo anno mense Octobri, Basilius Moscouitarum Magnus Dux, Vilnam ad Sigismundum Regem legatos misit, induciasque quinquennales ab eo rege impetrauit. Sub quo tempore Christiernus Daniæ siue Daciæ Rex, qui Caroli Imperatoris sororem matrimonio iunctam habuit, & ex ea prolem masculam suscepit, à Danis & Suedis ob tyrannidē est regno pulsus. Crudelis sanè tyrannus, qui inter alia facta impia in Stoholma Regia Regni Suetiæ; Optimates quinquaginta ad epulas inuitatos, potu ciboq; refertos, demùm in potestatem redactos, inter quos tres erant primarij regni Suetiæ Antistites, abscissa gladio ceruice obtruncauit; ob eam tyrannidē populari tumultu, in exilium actus, ac Regnis Danię, Suetię, Noruegię est spoliatus. Ad Regnum Daniæ eo modo vacās Fredericus Dux Alsaciæ per magnates publico consilio accersitus, Regio diademate in Cōbena Regia est exornatus. Suetiæ amplissimum Regnum Sigismundo Poloniæ Regi, per eius Regni

Expeditio generalis dānosa.

Nunciorū terrestriū tergiuersatio.

Leo pōtifex max. obijt.

Erasmus Ciolcius Episcopus Plocen. Romæ moritur.

Rodus capta.

Moschus petit inducias.

Christiernus rex Daniæ regno pulsus.

Sigismūdus regnum Suetiæ repudiauit.

Copenhagen

gni Proceres ac purpuratos legatosque Torunium missos, est oblatum. Quod ipse ob nimiam trans Sarmaticum mare distantiam acceptare renuit, etsi Suedi præfectum Regium cum mille peditibus Polonis eorum stipendio soluendis, sibi duntaxat deposcerent. Regem inde sibi Suedi elegerunt, qui gubernatoris nomine antea regnū administrauit, Gutstauusque est appellatus. Vterque Rex tam hic quàm Daniæ Luteranam spurciciam est complexus. Sed maiore aliquāto impietate Gutstau⁹ Rex, qui Catholicos Antistites, regno Suetiæ expulit. Ioannes Lincopensis Episcopus solum vertens, Gedani multos annos moram traxit: Vpsalensis Metropolita Gutstaui Regis impietatem detestatus, Romam concesserat. Anni sequētis initio, qui erat vicesimus tertius supra quindecies centesimū, Sigismundus Rex cum Basilio magno Moscouitarum Duce in Vilna metropoli, pace ad quinquennium composita, ex Lituania in regnum rediјt. Nec multò postea Basilij Moscouitarum Ducis legati tres, quingentorū equitum comitatu Cracouiam venerunt, qui iusiurandum pactarum in Vilna metropoli induciarū à Sigismundo Rege exegerunt, quod ille Dux coram Regijs legatis ex fœdere pri⁹ præstiterat. Legati Moscouitę lauticijs præbitis apud munificum Regem comiter sunt habiti, & donis amplissimis expleti, voti compotes ad Basiliū præpotentem Aquilonis Ducem abierunt. Mensis Maius Sigismundo Regi præter ægritudinem, qua est conflictatus, etiam erat periculosus. Quippe accensis prima noctis hora funalibus in supremo arcis cubiculo, in eū post vitream stantem fenestram, ex bombarda manuali est sagittatū. Globus sulphureo puluere excussus, in interiore cubiculi hæsit parte. Auctor tanti facinoris diligenter, etiā præmio proposito, quæsitus reperiri non poterat, etsi in quosdam fuerit suspicio. Haud multò postea incendium Cracouiæ est conflatū, quinquaginta circiter domus ignis violentia conflagrarūt. Per id tēpus Machmetkeri Tartarorum in Taurica Cæsar, ad prima veris signa mouēs ex Taurica cum omni sua potentia, secus paludem Meoticam procedens Tanaim amnem, qui Europam ab Asia distermi nat, cum omni exercitu transmisit, eo consilio vt Scythas Tartaros inter Tanaim & Volgam seu Rha flumina, ad Hircanum vsque pelagus latè tendentes, suæ subigeret potestati: illi verò vbi

1523.

Oratores Moschorum Cracouiā veniunt.

Rex sclopeto impetitus.

Cracouiæ incendium.

Tauricani Cæsaris in Tartaros expeditio.

hostem fines suos ingressurum persensêre, ad Volgæ fluminis Ostia, quæ in Caspium pelagus erumpunt, lensim retrocedētes, ac pauorem simulantes, eū ad interiora Scythiæ pertraxêre, vbi coadunatis viribus, compositoque agmine Machmetkero Cæsari occurrunt. Nec Tauricani Tartari pugnam detrectauêre equitatu Scythico Partorum more sagittario ex equis res agebatur. Concursum est magnis vtrinque animis, tanto sagittarum emissarum turbine, vt præ densitate solem obtenebrare viderentur. Certatum est marte ancipiti, diu multumque. Postremò Tauricani Tartari cruento prælio victi, succubuêre, fusi fugatique sunt. Machmetkeri Cæsar medio certaminis ardore dum hic & inde discursat, hostilis sagittæ ictu concidit, & ex equo moribūdus defluxit. Media fugientium trepidatione, Ostapheus Sigismundi Regis apud Circasios in Amadocis præfectus ad Ripā Boristenis, qui ante annum aduerso prælio à Tauroscitis captus erat, ex Taurica Peninsula profugit, & in Circasios rediјt. Sub quo tempore, media fermè æstate, Turci immanissimi Vngariam vastare aggressi, Seuerinum arcē apud Dacas siue Mulctanos validam, in sinistra Istri Ripa sitam expugnarunt, loco ad res terræ Transyluaniæ & Vngariæ infestandas opportuno. At in Taurica Chersonesso, sede Cæsarea ex cæde Machmetkeri vacante, Sedetkeri frater Solimani Turcorū Imperatoris assensu, eam est adeptus. Qui summa rerum apud Tauroscithas potitus, euestigio ad Sigismundum Regem legatos misit, fœdus, amicitiam & societatem flagitādo. Vltra hæc, cōtra quosuis hostes Scithica pollicitus auxilia, futurus amicus amico, inimicus inimico. Maiora etiā amicitiæ officia quàm Machmetkeri frater præstare fuerit solitus, offerens. Legati Tartari, à Sigismundo Rege hospitaliter accepti atque habiti, donis etiam expleti ac expediti, gratum initi fœderis & amicitiæ responsum Tauricano Cęsari retulerunt, etsi Tartari parum sincera fide amicitias colere consueuerint. Turci quoque ea æstate non quieuerant, qui non solùm rebus Vngaricis, sed etiā Polonicis infesti erant. Enimuerò quaterna eorum millia Bialogrodēsibus Tartaris sibi in auxilium ascitis, Podoliam inuaserunt, ac latè predati sunt. Crassilouiam arcem expugnare adnixi, ab ea cū multa cæde sunt reiecti. In reditu Rohatinum oppidum oppugnare aggressi, illud tandem ob Turcum

Machmetkeri interfectus.

Turca Seuerinum arcē in Vngaria expugnarūt.

Cæsaris Tartarorum cū rege pax.

Tartari perfidi.

Turcæ Podoliam inuadunt.

Rohatinum à Turcis expugnatum.

Turcum captiuum non redditum expugnarũt. Oppidani posteaquam mœnia lignea perfracta viderunt, ad templum, quod in arcis modum communitũ est, se receperunt, illicq; sese tutati sunt. Turci verò incenso oppido nullo accepto incommodo abierunt. Vulgatum erat per Iacobum Sencignouium, qui mille armatorum equitum Dux erat, eos Turcos profligari potuisse, si sub eo tempore, quo ex equis descenderant, oppidumque oppugnarunt, ipsos à tergo aggressus fuisset. Ipse copiarum paucitati diffisus, haud procul inde qui etus stetit, nec quicquam mouere est ausus. At in Sirmio Pannoniæ inter Sauam & Drauam Turci insignem ab Vngaris cladẽ accepêre; duodena millia ex eis cecidisse feruntur. Eo anno circa autumni equinoctium Adrianus eius nominis Sextus Romanus Pontifex, dum minus quàm duos sedisset annos, in humanis esse desijt. Cui supremi ordinis Antistitum suffragijs Cardinalis de Medices natione Tuscus, qui Clementis septimi sibi nomen assumpsit, in Pontificatu est surrogatus, cuius administratio ob Romam per Hispanos ac Germanos nepharie direptam, fuit parum fœlix. Carolum tamẽ Hispaniarum ac Germaniæ Regem Bononiæ in Imperatorem coronauit, cuius auxiliari exercitu Florentiam perdomuit, multosque aduersæ factionis ciues in exilium egit. Statum liberæ alioquin ciuitatis mutauit, Alexandro de Medices nepote, duce eius vrbis creato, cui vt status eius firmior, ac stabilior esset, filiam Caroli Cæsaris ex concubina susceptã, matrimonio copulauit, qui in libera antea ciuitate arce munitissima exædificata, eius vrbis libertatẽ porrò pessundedit. Anni sequentis initio, qui fuit vicesimus quartus, supra millesimum ac quingentesimum virginei partus, Bonæ Reginæ Poloniæ mater, Dux Barẽsis vita decessit, vel hoc solo fœlix, quod filiam Bonã in florentissimo statu moriens reliquit. Vacantem eius decessũ Barensem Ducatum in Italia, vicerex Neapolitanus inuasit, præsidiumq; arci Barensi imposuit. Sed Bona Regina, ad quã hic Ducatꝰ ex matris obitu deuolutus erat, e uestigio ad Carolũ Imperatorẽ regem Neapolitanũ Oratorẽ misit, Stanislaum Borek Canonicum Cracouiensem, qui in Hispaniam honestò equitum comitatu profectus, singulari industria & fide Barensis Ducatus restitutionem pro Bona regina & liberis eius à Cæsare obtinuit, eo ducatu à Cęsare in feudum recepto, obedientiaq; prę stita Regis & Reginæ nomine, Bonaq; Regina liberam per hęc sui ducatus administrationem recepit. Orauit præterea Carolum Imperatorem Sigismundi Regis nomine Stanislaus Borek legatus, vt cũ Regibus christianis pace composita, in Turcos immanissimos, qui Vngariæ & Poloniæ Regna armis prægrauarent, vires & opes suas conuerteret, Ludouicumque Vngariæ Regem, qui in aperto ac ꝓximo esset periculo, non desereret. Oratori Polono bona suppetiarum spes data, si Galli quiescerent; nec Italiam, quam ipse in suam recepisset protectiõnẽ, armis infestarent. Per id tempus ab ora Sinus Sarmatici diuersorum Regum ac Principum ad Sigismundum Regem Oratores venerunt. Affuerunt Daciæ & Sueciæ Regũ, nec non Pomeraniæ ac Mechelburgæ Ducum legati, fœdus & amicitiam deposcentes. Initum est fœdus cum Frederico Daciæ siue Daniæ Rege. Nec nõ cum Gostauo Sueciæ. Insuper cum Pomeranię ac Mechelburgæ ducibꝰ; quod Sigismundus Rex eò fecit libentius, vt Gedanenses sui subditi, per maria Aquilonis liberius cum suis mercibus nauigarent, mercesque Anglicas & Lusitanas in Regnum Poloniæ adueherent; & sunt Gedanenses ob nauium magnitudinem ad longinquas obeundas nauigationes apprimè industrij. Eo anno mense Martio Vistula amnis ob exuberantem pluuię descensum niuiumque subitam resolutionem, nimio auctu excreuit: mensis verò Aprilis, noui Cracouiẽsis Antistitis declaratiõe fuit insignis. Petrus Tomicius Regni Poloniæ Vicecãcellarius ex Posnaniensi Episcopatu, ad Cracouiensem est translatus, Sigismundi regis nominatione & Capituli ecclesię Cracouiensis electione: quam Romanus Pontifex assensu suo ratam fecit. Sub solstitio inde æstiuo Ludouici Vngarię, & Bohemiæ Regis Orator Cracouiam venit. Petijt edictum, quo Poloni negociatores VVratislauiam merces conuehere, aut mercaturam exercere vetabantur, Regis sui nomine relaxari: Enimuerò VVratislauienses in Germaniæ & Poloniæ finibus siti, merces quæ citro vltroque con uehebantur, apud se veluti in emporio deponi faciebant, nec eas vlterius prouehi permittebant, eo respectu vt rerũ precium arbitrio suo augerent vel deprimerent. Sigismundus Rex suorum querelis permotus, seuerissimo edicto omnia cum VVratislauiensibus commertia

Turcarũ clades in Vngaria.

Adrianus pont. max. obijt.

Roma capta sub Adriano.

1524.

Mater Bonæ Reginæ è vita excessit.

Barensis ducatus Bonæ Reginæ restitutum.

Diuersorum Principũ Oratores ad Sigismundum missi.

Gedanensiũ industria.

Vistulæ inundatio.

Petrus Tomicius Epũs Cracouiẽsis.

Orator Regis Vngariæ ad regem venit.

VVratislauiense emporium sublatum.

mertia suis subditis interdixit, quòd VVratislauiensibus tam fuit graue, ac damnosum, vt eorum ciuitas artificibus ob rerum omnium penuriam diffugiẽtibus, ad deformem solitudinem fuerit redacta. Sigismundus tamẽ Rex Ludouici Regis, eiusdemque ex fratre Nepotis precibus victus edictum relaxauit, permisitque suis Regnicolis, vt mercatores citrò vltroque veteri more commeare, & negotiationes cũ VVratislauiensibus exercere liberè possent. Obtinuit etiam Ludouicus Rex à Sigismundo patruo, vt ad res Bohemicas, ob intestina odia tumultuantes componendas, ex purpuratis suis quempiam legatum Pragam Bohemorum Regiã mitteret. Missus est Andreas Tencinius Palatinus Cracouiensis: qui Pragam veniens, re illic prosperè & ex sententia confecta, paceque inter Bohemiæ Proceres composita, magnam insignis prudentiæ laudem inde retulit. Ea æstate Podolia ac Roxia orientales Regni Poloniæ Prouinciæ Turcico primũ & de Tartarico tumultu agitatę sunt. Turci ac Bulgari Istro ac Tyra amnib9 transmissis (tredecim circiter equitum erant millia) Podoliam hostiliter ingressi tumultu ac trepidatione omnia replerũt. Sinkouium oppidum subito & insperato interuentu ingressi, direptum incendio absumpserunt; arcem contiguam Stanislai Ochoionusij frustra oppugnarunt, egregiè defensa est, Turciq; cum multa cæde inde reiecti, per Podoliam demum ac Roxiam effusi, transgressique Leopolim ferro & igne eas terras populati sunt, ad Comarno vsque furor eorum processit, vnde retrocedere cœperũt. Pugnatum est cum eis aliquoties per Præfectos regios tumultuarijs prælijs. Quibus congressibus Ioãnes Comes Tarnouien. insignẽ fortitudinis & audaciæ laudem retulit: perieruntque ex Turcis diuersis locis, & conflictibus tria circiter millia. Et poterant quorũdam sententia hæ Turcorum copiæ ad internecionem profligari, si Nicolaus Firlei regiarum copiarum Dux, vt cautè ita animosè cum abeuntibus congredi voluisset, apud Seretum amnem pręcipuè, quem ob restagnantes aquas & paludes Turci laboriosè transmiserũt: Sed dum plus nimio paucitati suorum diffisus cunctatur, hostis elapsus est. Quingẽti Turcorum Tyram seu Nestrium amnem transgressi, Pokuce Transtiranam Regni Poloniæ Prouinciam peruastarunt. Qui dum per propinquã Moldauiã breuiore itinere ad Istri amnis Ostia transire parant, Moldaui habitu & armis Polonicis instructi, abeuntes à tergo ferociter aggressi, pręda omni exutos ad internecionem cęciderũt. Alia Turcorum agmina per Podoliam ad Tyræ amnis ostia & Moncastrũ seu Bialogrodum peruenêre, quos equitatus Polonus insectatus, extrema exercitus carpebat, cum cæde & captiuitate multorum. Sanè ad Sigismundum Regem longus captiuorum ordo est perductus: Omnes ferreis compedibus cõstricti, laboribus sunt deputati. Iam timor Turcici belli cessauerat, cùm ecce Tartarorum quadraginta millia transmisso Boristene, maiore longè tumultu & periculo Volhiniam Roxiamque inuaserunt, & penes suburbium Leopolis maximis agminibus transeuntes, apud Moscisca castra fecerunt: hic Aslam Sultanus Tauricani Cæsaris frater patruelis, cum parte copiarum subsedit. Triginta equitũ millia per turmas diuisa, & inde quaquauersus sparsa in terras Regias immisit. Tartari penitiora Regni Poloniæ ingressi, ferocissimo procursu longè lateque Roxiam sunt populati: pauor, fuga & trepidatio vbique. Oppidorum & villarum incendia latè collucebant. Innumeri mortales celerrimo ac insperato incursu oppressi captique, in seruitutem morte asperiorem abducti. Plurimi in ampla nemora se abdiderant, quos hostis Tartarus vndique circũuentos, indagine veluti conquisitos, inde extrahebat, qui excelsas arbores conscenderant, inter frondes delitescẽtes seruati. In vasto apud Prochnicum oppidum nemore, innumera agrestium hominum capta multitudo. Arx etiam Prochnicensis per barbaros oppugnata, sed aliquanto pertinacius defensa est. Ceciderunt hic ex Tartaris in ea oppugnatione tormentis bellicis, circiter septuaginta. Occisorum cadauera in horreum pertracta, succenso horreo igne exusta. Quos sulphurei bõbardarũ globi paulo ab arce remotius peremerunt, in lato campo sparsim iacebant, inter quos duæ Scythicæ mulieres exangues, virili habitu & truculentia capiteque rasæ repertæ, quæ cum viris Amasonum more equestres belligerarunt. Pari clade apud Czurilonis arcem Tartari affecti, hic quoque agrestium hominum falcibus multi trucidati, ac ab arce aquæ circumfluę præsidio reiecti. Ad famam tam horrendæ terræ Roxiæ vastationis Sigismũdus Rex minimè consternatus, Christophorum & Nicolaum Sidlouecios, nec non de Rogouo,

Turcæ & Tartari Podoliam vastãt.

Turcæ à Moldauis & Polonis profligati.

Tartari Podoliam Volhiniam & Russiam vastant.

Prochnicensem defensum.

Scythicæ mulieres inter cadauera Tartarorum repertæ.

gouo, Prefectum Opocinensem Odrouansiæ familiæ Proceres, ad nobilitatē ad arma concitandam Sandomiriam versus præmisit, Edictoque mandauit, vt nobilitas Orientalis Poloniæ, quam minorem vocant, armata Sandomiriam conueniret: Oppidani certum peditum numerum sub signis mitterent. Ipse Rex nihil morat⁹ Cracouia se proripuit, eo respectu vt armata militia equitum & peditum citius conueniret, Scythasque Tartaros tam latè vagantes, aduentus sui fama, qua nihil est celerius, exterreret. Nec opinione sua prudens Rex falsus est. Tartari siquidem posteaquam Sigismundū Regem, omnem Aulæ suæ equitatum præmisisse, nobilitatem ad arma concitare, ipsumque ex Cracouia mouisse cognouerunt, non vltra progredi & excurrere ausi, cum rapta præda retrò abire cœperunt Moscisca versus, vbi Aslam Sultani castra posita erant. In reditu præfecti atque Aulici Regij plerisque locis cum hoste tumultuarijs prælijs sunt congressi, multosque dispalatos præda ex eorum manibus excussa peremerunt. Interea temporis Sigismundus Rex paucos dies Sandomiriæ moratus, dum equestres pedestresque copiæ conueniunt, Leopolim versus contendit. Cuius aduentu Aslam Sultanus & Tartari consternati, à Moscisca oppido castris repentè motis retrò abierunt. Quos Rex cum exercitu non contemnendo insecutus, die Septembris tredecima Leopolim peruenit, cùm nunciatum est Aslam Sultanum & Tartaros fugientibus similes magnis itineribus abire, ita vt Regiæ copiæ eos assequi nequaquam valeant. Incredibile dictu est, quanto dolore Sigismundus, qui fremens frendensque in hostem ferebatur, eo nuncio fuerit affectus, horrebat miserabilem Regni sui vastationem, & contigit eum per recentia exustarum villarum & oppidorum vestigia locaque adhuc fumantia transire. Qui postquam Tartaros deserta Podoliæ ingressos, nec eos assequi posse accepit, Leopoli aliquandiu subsedit. Nec multo postea soluto exercitu die secunda mensis Nouembris Cracouiam redijt, prouisurus, ne talia postea damna truculentissimi Tartari inferre possint, quod summa prudentia & ingenij dexteritate vigilantissimus Rex est assecutus, longoque postea tempore cum ea Scythica gente pax erat, ita vt Roxia ac Podolia

Nobilitas ad arma concitata.

Rex Leopolim profect⁹.

Clades à Tartaris accepta.

Rex Crac. redijt.

Tartarorum excursionibus semidesertæ Prouinciæ, frequentiore hominum incolatu, Castellis & munitionibus multis locis exedificatis, rursus refloruerint, vectigaliaque solita Regio thesauro prouenerint. Sub quo tempore Genua maritima vrbs & Mediolanum populosissima Italiæ ciuitas, per Franciscum Galliarum Regem, qui Alpes cum potentissimo exercitu transiuerat, sunt occupatæ, Christianitasque si vnquam antea magnis agitabatur odijs & intestinis arsit bellis, Carolo Romanorum, Germaniæ, Hispaniæ ac Siciliæ Rege eius conatibus eunte obuiam. Quibus tumultibus Sigismundus Rex permotus, pro summo habuit negotio Ludouicum Vngariæ & Bohemiæ Regem, Regnique Vngariæ Proceres hortari ac orare, vt depositis cum Turcorum Cæsare simultatibus cum eo pacem componerent, quam ille opibus suis contentus vltrò offerret. Enimuerò Regni Vngariæ Magnates ad eam consilij inopiam, ne dicam dementiam, deuenerant, vt Solimanum potentissimum Græciæ, Asiæ, Syriæ, Aegypti atque Arabiæ Imperatorem, pauore, Ludouico & Vngaris, missis Legatis, inducias offerre existimarent; & gloriabantur Vngari Turcum ab eis pacem mendicare. Addita stolida iactātiæ cōtumelia, Solimani Imperatoris legatis aurib⁹ naribusque per contemptum & ludibrium præcisis, & cum ea deformitate domum remissis, quæ res postea maximis cladibus & ruina Vngariæ expiata est. Quæ omnia cùm Sigismundus Rex diuina sua solertia præuideret, Andream Cricium Præmisliensem Episcopum, necnon Vitnynski Castellanum Plocensem, Oratores in Vngariam misit, orando, obtestando, tam Ludouicum Regem, quàm eius Proceres ac purpuratos, vt quam Turcus vltro offerret pacem non contemnerent, sed eam cupidè amplecterentur, maxima inde pericula subsequi posse si secus fecissent, in hac præsertim tumultuantis Christianitatis perturbatione. Se Tartaricis bellis implicitum eis opem ferre non posse, vires & potentiam Turcorum Cæsaris se probè nosse, quæ si Vngaricis viribus conferantur, illæ longè maiores & immensæ essent, quæ absque instructissima piorum classe, & maritimis subsidijs inuictæ forent. Ludouicus Vngariæ Rex etsi patrui Regis monita

Genua & Mediolanū à Gallis intercepta.

Vngarorum arrogantia & contemptus hostis potentissimi.

Oratores missi in Vngariam.

ta pro Apollinis haberet oraculo, pacemque cum Turcis vt VVladislaus pater colere summè peroptabat, mens tamen suorum Procerum, fatis Vngaricas res ad ruinam trahentibus, diuersa erat, palam iactantibus, iuuentutem & militiam Vngaricam, ocio ac pace marcescere, quæ exercitio indigeat: plus semper Turcos simulata pace eis nocuisse, quàm aperto Marte & bello. Adducebant Matthiæ Regis tempora, qui assiduo bellorum exercitio, cum vtroque Orientis & Occidentis Imperatore, ac Senatu Veneto Regnum Vngariæ satis clarum opulentum ac victoriosum effecerit.

Turcarum dolus.

Accedebant ad eas persuasiones Romani Pontificis, nec non Venetorum Legati, qui Turcum ab Vngaris bello premi cupiebant, vt interea temporis Italia alieno periculo quiesceret, & dabant Romanorum Pontifex & Veneti Ludouico Vngariæ Regi, pleraque aureorum millia in stipendium Vngaris contra Turcum belligerantibus, quam pecuniam nonnulli primores, qui summa in regno Vngariæ auctoritate pollebant, inter se aliquando diuidebant, & milites stipendio fraudabant. Sæpiusque contigit vt limites Regni Vngariæ, decedentibus militibus absque omni essent præsidio, arcesque per Turcos interciperentur. Agnoscebant sua mala, propinquamque sui Regni ruinam Vngari, & tamen Sigismundi Poloniæ Regis opportunas ac salutares admonitiones spreuêre, adeò priuata commmoda & ambitio, mentes eorum occupauerant. Solimanus Imperator, postquam Vngaros pacem oblatam spreuisse, legatosque suos contumelia & vulnerum deformitate affectos esse cognouit, de bello Vngaris inferendo, & Nanderalba arce expugnanda consilia agitare cœpit: sibi persuadens, si arce tam valida potiretur, residuum Vngariæ facili negocio occupari posse.

Vngarorum auaritia regni ruina.

Interea Sigismundi Regis Legati, à Ludouico & Senatu Vngarico fœdere cum Turcis nullo confecto sunt expediti, ac in Poloniam remissi, cùm ecce Albertus Prussiacæ militiæ Magister Budam ad Ludouicum Vngariæ Regem superuenit, eo prætextu, vt pro eo, apud Sigismundum Patruum Poloniæ Regem intercederet, quadriennales inducias, quæ Torunij pactæ erant, ad longius tempus prorogari. Qui in Senatum Vngaricum Ludouico Rege præsidente admissus, nec Rex, nec aliquis ex magnatibus per contemptum ei assurrexit, Cum ille composita oratione Ludouicum Regem pro intercessione & induciarum prorogatione suppliciter deprecaretur. Tantum abfuit vt id ei Ludouicus Rex præstare voluerit, vt etiam prolixo sermone hominem hortatus sit, iure perpetui fœderis & prædecessorum suorum exemplo, ad obedientiam & fidem Sigismundo Regi & regno Poloniæ præstandam. Hic Alberti Prussiacæ militiæ Magistri contemptus, apud Ludouicum Regem & Senatum Vngaricum effecit, vt ille omni vlteriorum induciarum spe posthabita: abiecta, quam in candida veste gestabat nigricante cruce, Lutherana suscepta hæresi, deditionem Sigismundo Regi & Regno Poloniæ facere, suæque fidei cum omnibus subditis se committere destinauerit, quod postea anni insequentis primo vere, vt inferius explicabitur, præstitit.

Albertus Magister Cruciferorũ in Vngariam ad regem profectus, nihil obtinuit.

Sub eo tempore Stephani Palatini Moldauiæ Oratores ad Sigismundum Regem venêre, fidem, obseruantiam, fœdera & inscriptiones à maioribus suis factas, cum Regibus & Regno Poloniæ, Palatinum obseruare velle ex fide profitentes. Orarunt insuper, vt pro bono pacis limitaneis castellorum præfectis mandaretur, latrocinia prohiberent, & pro illatis iniurijs iustitiam ad se recurrentibus administrarent. Petierunt etiam vt Palatini Moldauiæ Legatis ad Basilium Magnum Moscouiæ Ducem per terras Regias, & Lituaniam liber pateret transitus.

Palatini Moldauiæ legati ad regẽ veniunt.

Palatini Legatis ad primas legationis partes benignè responsum: hortari iussus in officio permaneret, & inscriptiones cum Regno Poloniæ dudum initas maiorum suorum exemplo diligenter seruaret. Quod iustitiæ administrationem attineret, Sigismundo Regi nihil esse optabilius, quàm vt Moldaui cum Prouincialibus Podoliæ pacatè agerent, daturumque operam, vt illarum terrarum Præfecti cum Moldauis amica fœderata gente, pacem obseruent. Postremum, vt Oratores Moldaui in Mo-

Regis responsum legatis datum.

Moscouiam ire & redire liberè valeant, Sigismundus Rex concedere noluit, cùm hæc res suspecta esset, ne gentes ritus Græcanici, diuersæque à Polonis & Lituanis sectæ, hostilia molirentur: mutuaque facta conspiratione, terras Regias à diuersis hinc & inde partibus inuaderent. In hunc modum Valachiæ Moldauiæ legati sunt expediti, & per hæc annus quartus & vicesimus supra millesimum ac quingentesimum transiuit.

1525.
Baruini ducis Pomeraniæ legatio.

Insequentis anni initio, Baruini Pomeraniæ Ducis Regij ex sorore nepotis Orator superuenit, Regemque Sigismundum ad principis sui nuptias inuitauit. Petijt insuper maternam dotem Baruino Duci extradi, & quia cum Ioachimo Marchione Brandeburgensi Electore Imperij, pro finibus, vt assolet, bellum moliretur, Polonum equitatum & auxiliares copias sibi præstari postulauit. Huic quoque legationi benignè responsum, ita vt Orator contentus abiret. Misitque Sigismundus Rex ad Baruinum Pomeraniæ Ducem legatum, qui consanguinei Principis nuptias honestaret, auxiliorumque spe cùm opus foret impleret.

Gedanen. tumultus ex hæresi Lutherana.

Per id tempus Gedani tumultus exortus est, die vicesima secunda Ianuarij durauitque per diem totam sequentem. Maxima Regiæ ciuitatis pars stolida ac nepharia impietate Lutheranam hæresim suscepit. Senatus per biduum furori populari restitit. Postremò victus insanæ cessit multitudini, ac in ordinem sese redegit. Lutherani, eorum potentia præualente, vilissimos de plebe in Senatum legerunt, Scribamque ciuitatis Proconsulem crearunt.

Gedanen. religionem mutarunt, templa prophanarunt, &c.

Templa inde & Cœnobia omnia prophanata, sacraq; supellectili, quæ ex gemmis auro & argento multa ac preciosa erat, spoliata. Enimuerò ad tantam Gedanenses dementiam deuenerant, vt patinis & calicibus sacris in prophanis mensis & cœnis priuatorum per contemptum vterentur, Sacraque omnia illis essent ludibrio. Literas inde ad Sigismundum Poloniæ Regem Principem suum scripsêre, de fidei & regiminis ciuitatis mutatione. Orarunt suppliciter, ne huic rei contraueniret, quæ totius populi consensu facta esset, cùm nihil propterea suæ Maiestati deperiret de vectigalibus, aut solita in ipsum & Regni Poloniæ fide & obseruantia: populum vniuersum digitis sursum leuatis suæ Maiestati & Regno Poloniæ cum nouo magistratu iurasse, tumultum sedatum, ac statum ciuitatis compositum esse. Eius sententiæ literæ in Senatu Regni & Conuentu Petricouiensi lectæ, multorum animos, qui altius sapiebant perculerunt, verebanturq; ne Regia ciuitas, & opulentum sinus Sarmatici emporium, à Regno alienaretur, aut aliquo aduerso casu periclitaretur: Resque Prutenicæ ad bellum rursus spectare videbantur, quadriennalibus etiam inducijs cum Magistro ordinis exeuntibus. Summaque opus erat prudentia ad surgentes Prussiæ motus sedandos: qui postea diuina regis prudentia & incredibili fœlicitate sunt sedati. Enimuerò Henricus Legnicensis Dux, & Georgius Marchio Brandeburgensis Alberti ordinis Magistri frater germanus, vterque nephariam Lutheri hæresiarchæ sectam complexus, sollicitare non destiterunt, vt ordinis Magister Sigismundo Regi reconciliaretur, eique iuramentum fidelitatis & obedientiæ, quod Omagium vocant, præstaret: & cùm essent hi Principes sacræ religioni ac veræ pietati hostes infestissimi,

Albertus ex Magistro ord. Cruciferorum, Lutheranus factus, & in Prussia dux creatus.

Alberto Prussiacæ militiæ Magistro persuaserunt, vt religionis deposito habitu, Lutheranam blasphemiam profiteretur, & ex Magistro ordinis prophanus Dux in Prussia per Sigismundum Regem crearetur, ea lege, vt virilis sexus liberi, ex legitimo matrimonio suscepti, in Kynspergensi Ducatu & terra Sambia succederent, quibus non extantibus, Casimirus & Georgius Alberti Ducis fratres in eo Ducatu per Regem Poloniæ surrogarentur. Quibus decedentibus ad Regem & Regnum Poloniæ feudali iure Ducatus Prussiæ in toto deuolueretur: & cùm hæ pacis conditiones, Alberto ordinis Magistro non displicerent, immò eas cupidè amplecteretur, Sigismundus Rex ob bonum pacis eas etiam assensu suo ratas fecit. Verebatur siquidem ne in ea Lutheranæ sectæ perfidia Gedanum & residuum Prussiæ ad Magistrum ordinis deficeret, ex quo bella in Prussia, si vnquam antea, oriri maxima potuissent. His ita conclusis Albertus Prussiacæ militiæ Magister vltimus, Cruciferico abiecto habitu, sub finem mensis Martij multorum equitum comitatu, ad Sigismundum Regem Cracouiam venit, vbi paucis diebus, quieti dati, die decima Aprilis, ante Prætorium sublimi solio ad hoc erecto, auro ac oloseri-

co adornato, Sigismundus Rex Regali diademate atque habitu conspicuus Albertum Marchionem Brandeburgensem, olim Prussiacæ militiæ Magistrum, titulo Magisterij abrogato, hoc ipsum genibus flexum orantem Ducē Kinspergensem in Prussia creauit, eique insignia ducalia, & vexillum Aquilæ candidæ, cum aurea in collo corona concessit, & de eo Ducatu torque aureo grauis ponderis inuestiuit. Ipse rursus Albertus, nouellus in Prussia Dux, iuramentum fidelitatis & perpetuæ subiectionis Sigismundo Regi successoribus suis ac Regno Polonię, quod fœlix faustumque foret, solenni cerimonia præstitit, & se suosque successores in fide ac potestate Regum Poloniæ futuros æternis temporibus astrinxit. Et per hoc non exigua oræ maritimæ pars cum sinu Curoniensi, quas terras olim Githones atque Phinni incolebant trans Vistulam ad Chronium amnem, hodie Memel seu Nemen vocatur, insignis ad regnum Poloniæ facta est accessio, limitumque Regni prorogatio; & quod priores Poloni Reges ac principes periculosissimis bellis trecentorum annorum spatio consequi non potuerant, vt inuisos Cruciferos ex terris suis exploderēt, hoc Sigismundus Rex armis primùm, inde admirabili sua prudentia & fœlicitate est consecutus; titulumque suum Regium totius Prussiæ titulo condecorauit. Gedanenses noui ducis in Prussia creati, præstitique per eum Sigismundo regi Omagij consternati, pro magno habuerunt negotio primarios ex nouis senatoribus viros ad Sigismundum Regem transmittere: factumque mutatæ reipublicæ ac orthodoxæ fidei postergatæ excusare. Quos Cracouiam venientes, Sigismundus Rex dissimulata ad tempus ira, ne desperatione acti, res nouas molirentur, benigno & tempori conuenienti dato responso; expediuit. Quibus domum redeuntibus, Priores Senatores Gedanenses, qui nuper Lutheranico tumultu exauctorati, ac in ordinem redacti erant, triginta circiter insignes viri Cracouiam venerunt: vrbisq; Gedanensis miserabilem casum ciuiumque suorum insaniam coram Sigismundo Rege & Bona regina profusis verbis deplorarunt. Orarunt, ciuitati in ruinam inclinatæ succurrerent: quod fieri vix posset aliter, nisi vt Rex ipse Gedanum veniat, statumque miseræ ciuitatis reformet. Senatores omnes veteres ciues opulentiores; magnam denique plebis partem Regiæ Maiestatis partium futuros, alios etiam qui seducti essent accessuros, vt de nepharijs ac sceleratis condignum sumat supplicium, Gedanumque insigne regni Poloniæ emporium ad longinquas & peregrinas merces conuehendas opportunum ad statum optimum restituat. In hunc fermè modum, vrbis suæ calamitates deplorantibus, bono animo esse iussi sunt: Spe illis per vtrumque principem data, regni Poloniæ rebus compositis Regij in Gedanum aduentus. Irent, & attentè prouiderent, ne vrbs interea temporis maiore aliquo afficiatur detrimento. Cum his ornatissimi Senatores sunt expediti. Eo anno die vndecima Februarij sub Petrikouiensi conuentu secunda, tertia & quarta diei hora, quinque Soles in cœlo obseruati sunt, bini circa verum solem inter ortum & meridiem, alij duo longo interuallo Septentrionem inter & occasum. Res prodigij loco habita, portenditque rerum Vngaricarum mutationem: nec non tot bellorum tumultus, ac tot gentium ac regū motus: vt euentus postremò demonstrauit. Enimuerò Franciscus Galliarum Rex eodem mense die Februarij vicesima quarta, ab Hispanico & Germanico Cæsaris Caroli exercitu, apud Ticinum siue Papiam nocturno prælio est superatus; ac etiam in potestatem redactus, nec multo postea classe Cæsaris ex Genua in Barcinonem Hispaniæ deuectus, vbi aliquandiu acerbissimam perferens captiuitatem, duobus filijs datis obsidibus, libertati est restitutus, ac in Galliam remissus. Nec multo postea immensa auri vi Cæsari appensa, sororeque eius in matrimonium accepta, certo insuper icto fœdere, natos recuperauit, multosque annos suæ sibi cladis conscius quieuit. Clemens verò Romanus Pontifex celebri tot bellorum ac victoriarum fama Sigismundi Poloniæ Regis contra Turcas, Tartaros, Moldauos & Moscouitas aliasque vicinas gentes permotus, sacratum ensem vagina argentea inauratum, quo in bellis contra barbaras gentes vteretur, cum sacrato pileo gemmis ac vnionibus ornatissimo transmisit. Rem sanè magno ac bellicoso principe dignam. Legatum Pontificium qui id munus attulit, Sigismundus Rex amplissimis expletum donis in Italiam remisit, Pontificique Ro-

Albertus dux iurat in verba Regis.

Rex Dominus totius Prussiæ appellatus.

Gedanensiū legatio ad regem de mutatione religionis.

Senatores Catholici ad regem venerunt.

Prodigium.

Rex Galliæ captus.

Nuncius Apostolicus ad Regem venit.

Romano pro munere misso, per eundem legatum & literas gratias egit. Per id tempus in Taurica peninsula inter Præcopenses Tartaros tumultuatum est. Satkeri siquidem Tartarorum in Taurica Cæsar, quem Turcorum imperator eis præfecerat, & ex aula sua atque Bisantio eis miserat, quia ex Turcorum consuetudine mitiores mores pre se ferre videretur, minusque quàm Tartaris innatum sit, feritatis haberet, & per hæc parum esset bellicosus, sede Cæsarea ab eis est deturbatus. Quo ex Taurica Constantinopolim ad Turcorum imperatorem abeunte, Tartari Oslam Sultanum, fratrem Satkeri patruelem, virum fortem ac multis bellis & periculis exercitatum sibi Cæsarem delegerunt: quam dignitatem ea ipse lege suscepit, si eam Turcorum Cæsar assensu suo ratam fecisset. Turci siquidem littoralia fermè omnia Tauricæ & portus obtinent, ad orientem & meridiem exposita, cum vrbe Caphata Colonia olim Genuensium, & ita Turcorum potentia Oslam Sultano & Tauroscythis erat formidabilis, & Solimano Cæsari Turcorum Oslam Sultani virtus & ferocia erat suspecta, qui earum in Taurica turbarum, dissidijque Tartarici, apud quem eo nomine accusatus erat, potissimum credebat esse auctorem. Itaque infesto in eum erat animo, Satkeroq; in Taurica olim Cæsari Sedetkerium fratrē successorem designat, eumq; Tartaris Tauricanis præesse voluit. Quod cùm Oslā Sultanus ex amicorum literis accepit, nec Solimanum imperatorem placari posse intellexit, cuius potentiam plus nimio horrebat, ad Sigismundum Poloniæ regem Oratores misit, supplicando, vt si Turcorum Cæsar ei vim inferre moliretur, liceret sibi in campis regijs Boristeni adiacentibus castra metari, cum equitum millibus bellatorū septuaginta, qui sibi cōtra hostes quoscunque magno vsui esse possent. Regemque Sigismundum patris nomine dignabatur, orans vt eum filij loco haberet, in suamque protectionem susciperet. Legati tale tulêre responsum: Sigismundum Regem Oslam Sultanum Cæsarem filij loco habere, eique omnia prospera optare. Turcorum Cæsarem dignitati eius non astipulari, molesto ferro animo. Si quid aduersi ei contingeret vt armis Turcorum prægrauaretur, permissurum se, vt in campis Boristeni contiguis tutum habeat receptum, opibus etiam suis & commeatu eum pro viribus iuuaturum. Cum tali responso Tartarorum legati in Tauricam redeuntes, gratum Oslam Sultano retulerunt responsum.

Tumultus apud Tartaros.

Oslam Sultani legatio ad regem.

Responsum Regis.

Accidit eo tempore, vt iniquo rerum Christianarum fato, inter Carolum Romanorum Imperatorem & Franciscum Galliarum regem, nouæ subortæ sint simultates. Enimuerò Caroli Cæsaris potentia alijs Christianis principibus formidolosa erat, fœdusque inter eos initum est, vt alter alteri foret auxilio, si Carolus in eorum quempiam arma mouisset. Id fœdus in autumni initio Lugduni supra Rodanum in Gallia est publicatum. Socij fœderis initi, fuerunt Clemens Romanorum Pontifex, nec non Galliæ, Angliæ, Portugalliæ, Vngariæ & Scotiæ Reges. Accessêre huic fœderi Veneti, Suitenses, & Dux Sabaudiæ. Quod fœdus Sigismundus Rex est detestatus, cùm videret Rempublicam Christianam in duas veluti factiones scissam esse: & tunc maximè, cùm Turcorum potentiæ operæprecium erat ire obuiam. Quam temporum calamitatem non solùm familiaribus colloquijs prudentissimus Rex, sed literis etiam ad Cæsarem datis est insectatus: ob quod meritum Carolus Imperator Sigismundum Poloniæ Regem, vt de Christiana republica bene meritum, singulari obseruantia & affectu est prosecutus, eumque sibi perpetuo fœdere iunxit; ac socium aurei velleris declarauit, Torque aureo gemmis ac vnionibus ornatissimo, cum aurei velleris insigni ei dono transmisso. Hæc Romani Imperatoris munificentia Sigismundo Regi pergrata fuit, torquemque aurei velleris in gratiam Cæsaris subinde gestare consueuit. Et per hoc annus vicesimus quintus super millesimum ac quingentesimum exiuit. Alterius anni initio Sigismundus Rex Regni procerum conuentu Petricouiæ absoluto, promisso suo, quo Gedanum se iturum obstrinxerat, satisfacere volens, ob Lutheranam hæresim abolendam, nefariosq; homines puniendos, paucos post conuentum dies Cracouiæ immoratus, Bona regina & suauissimis liberis valedictis, die decimanona Februarij, Prussiam versus est egressus. Torunium primùm pulchram ac munitam ciuitatem, vbi Vistulam amnem sublicio ponte transiuit, inde Marieburgensem arcem toto orbe terrarum amplissimam ac munitissimam peruenit. Lutheranæ factionis Gedanenses

Rex Polonus fœdus contra Cæsarem initum detestatur.

Aureum vellus à Carolo Sigismundo regi missum.

1526.

Rex Gedanū profectus.

ses ciues suæ sibi impietatis ac erroris conscij, Sigismūdi Poloniæ Regis Principis sui aduentu in Prussiam cognito, vehementer trepidare cœperunt. Secretis inde conuenticulis consultabāt, Expediretne rebus eorum, Regem in ciuitatem accipere, necne: In quo varijs dissidebant sententijs. Qui altius sapiebant, existimarunt non esse quicquam in re tanti momenti temerè agendum. Enimuerò Gedanenses à primo rerum primordio Regno Poloniæ & eius principibus semper fuisse fideles: Nunc Sigismundum Regem optimum ac clementissimum principem, cui omnes iuramento fidelitatis & obedientiæ obstricti essent, in ciuitatem suam non accipere, impium profectò ac nephariū esset, à cuius progenitoribus tot immortalia accepissent beneficia: tot ab eis haberent prærogatiuas, tot diplomata, quæ omnia subita ac nepharia defectio ne irrita redderentur. Et vt cætera obmittantur, nónne ipsi hanc ciuitatem à Cruciferica seruitute crudelissimis tyrannis liberarūt, magna sanguinis profusione diuturnisq; ac periculosissimis bellis? Magnæ esset ingratitudinis hæc non meminisse. Adde ciuitatem Gedanensem absq; regno Poloniæ nequaquam consistere posse, vnde tot merces variæ: Insuper annona & omne genus commeatus per Vistulam fluuium affatim aduehatur, quo non solùm vrbem hanc, sed complura transmarina regna annonæ difficultate subleuent, rerumq; omnium copia impleant: lignea etiam materia ad naues fabricandas & alia nauium ornamenta inde prouenire, sine quibus ciuitas hæc stare nequaquam potest. Meminerint etiam Sigismundum Regem arces munitissimas cum validis præsidijs à terra obtinere, ex quibus infesta omnia eis redderentur, bellumq; geri cum Polonis perpetuum oporteret: Quæ res quàm perniciosa esset, & breui temporis spatio magno fastidio futura, facilè conijcere quisque potest. Portumq; maris cum turri speculatoria, quæ à mœnibus aliquali distat interuallo; & per hæc commertia nautica nobis adimi posse: quo facto quid restaret amplius, nisi vt ab hostibus vndique circumsepti, omnium rerum pressi penuria, cum vxoribus & liberis fame teterrimo mortis genere, contabescamus. Expedit itaq; vt Sigismundum Regem cum felicis in has oras aduentus congratulatione ad nos missis legatis inuitemus, & ad vrbem hanc venientem exquisitissimis honoribus excipiamus. Inter tales aut his nō absimiles Gedanēsium disceptationes, hoc inter eos conuenit, vt Sigismundo Regi omnia obsequij ac fidelitatis officia alacriter exhiberent: Venientem in tra mœnia pacatè acciperent cum suis aulicis ac omni Regio comitatu, qui vix tam numerosus esse potest, vt populosæ alioquin ciuitati vim inferre valeat: Et vt necessitate ingruente, tria inuicē cohærentia Gedani oppida sibi inuicem opem ferre possent, essentq; hic & inde peruia, placuit valuas portarū deponi, tormentaq; bellica per muros & propugnacula disponi, vt ab omni vi & iniuria tuti esse possent. Sigismundus Rex Mariemburgi erat à Gedano leucis septem distante: eorum quæ in Gedano agebātur ab his qui Regijs partibus fauebant, impietatemq; Lutheranam abhorrebant, non ignarus. Erat Gedani Philippus Bissouius, magnarum opum & ingenij præstantis vir: cuius progenitores partium semper erant regiarum, bellorum maximè temporibus, tunc cùm contra Crucifericum ordinem tot annis est belligeratum. Qui vt furentes ciues in officio contineret, & à ruina conseruaret, cū impijs Lutheranis se sentire adsimulauit, eo respectu vt Regem de omnibus redderet certiorem, & quid faciendum foret edoceret. Ex ipsius itaque secretissimis nuntijs & literis cùm Sigismundum Regem eorū, quæ in Gedano agebantur, nihil lateret, placuit ante suum ex Mariemburgo motum tres primarios gentis suæ à consilio viros Gedanum præmittere, Christopherum Szidlouecium Castellanum Cracouiensem, Andream Tencinium Palatinum Cracouiensem, necnon Lucam de Gorka Castellanum Posnaniensem maioris Poloniæ summum præfectum. Hi Gedanum venientes, multa officiorum frequentia & ciuium humanitate sunt excepti. Qui in Senatum introducti, longis sermonibus omnem irati Regis suspicionem blandioribus verbis exemerunt, ita vt Gedanenses nihil magis optarent, quàm Regem ipsum, qui tam clemētissimus esset, intueri. Extemploque Oratores Ciuitatis nomine expedi uerunt, qui regio aduentui congratularentur, & cum maiorum exemplo Gedanum inuitarent. Legationis princeps Ioannes erat Szolcius, Lutheranę sectę primarius & acerrimus propugnator: qui vt ad Regem mitteretur Philippus Bissouius erat auctor: simul & Sigismundo regi significauit, Ioannem Szolcium & al-

Gedanensiū consultatio de rege in vrbem intromittendo.

Prudens consilium Catholicorum, in perniciem Lutheranorum.

Decretum de suscipiendo in vrbem Rege.

Philippus Bissouius Consul Gedanen. Regi fidelis.

Senatores Gedanum præmissi.

Ioan. Scholtzius Lutheranus turbator Gedanen. primarius.

&alios ciuitatis legatos benignè ac comiter exciperet. Eadem Regni magnates, qui Gedanum prẹmiſſi erant, Regi inſinuarunt.

Legatio Gedanenſiũ ad regem.

Ob hæc legatos Marieburgum ingreſſos Sigiſmundus Rex, multa comitate & alacritate accepit. Cum Ioanne Solcio potiſſimùm ſępe familiariter etiam præter dignitatem Regiã collocutus: vt ipſum nihil in Lutheranos mouere, & abſq; Ioannis Solcij cõſilio nil prorſus agere velle appareret. Legati poſt felicis aduentus congratulationem, quam Senatus populiq́; Gedanenſis nomine explicarunt, poſtremò Regem ad ſe Gedanũ ſummis precibus inuitauerunt. Ad quod cùm Sigiſmundus Rex facile annuiſſet, Oratores ea qua acceperat hilaritate, donatos expediuit, mandauitque neceſſaria pro aduentu ſuo præparare: nec multò poſtea Sigiſmundus Rex Mariemburgo egreſſus, Viſtulam amnem apud Derſauam nauigio tranſmiſit: inde compoſito aulicorum ſuorũ agmine proceſſit, quorum aliquot erant millia.

Regis Gedanũ ingreſſus.

Vbi Gedano appropinquauit, magna populi multitudo ad milliaris Germanici ſpacium cum coniugibus ac liberis ſpectaculi & officij gratia obuiam exiuit, & incredibili fauore ac lætitia ſummisq; honoribus venientem Regem accepit aſpexitque. Gedanum Sigiſmundus ingreſſus poſteaquam omnia tria oppida domusque ſingulæ Polonis refertæ eſſent: potentiorque cum parte ſuæ factionis ipſe Rex eſſe videretur, Senatoribus mandauit, vt portarum valuæ, quæ nuper erant depoſitę, rurſus reponerentur, portarumque claues ſibi repræſentarentur. Præterea iuſſit, vt tormẽta bellica, quæ per mœnia vrbis & turres erãt diſpoſita, ad armamentarium ciuitatis conueherentur, pacem ſe eis attuliſſe, nec hoſtem vllum reformidare eos debere aſtruens. Sed cùm nihil horum feciſſent, Rex diſſimulata ad tempus ira, Palatinos, Caſtellanos Prutenos, ac magnam nobilitatis partem ad ſe accerſiuit. Aduenit etiam præter omnium opinionem ſalutandi Regis gratia

Baruinus Pomeraniæ Dux Gdanũ venit.

Baruinus Pomeraniæ dux ex ſorore nepos, cum armato trecentorum equitum comitatu. Superuenit & Albertus Kynſpergenſis in Pruſſia dux, ex altera ſorore nepos, eadem cauſa auunculum Regem inuiſendi gratia. Ingens præterea erat aulæ Regiæ ac Procerum Regni Poloniæ frequentia, vt non immerito Gedanenſib9 terrori eſſent.

Gedanenſiũ Lutheranorũ pertinacia & regis contemptus.

Lutherani tamen in ſua perſtabant proteruia: publicè in templis nephariam hæreſim concionari; Sacris vti reprobatis; multaque impiè ac contumaciter faciebãt. Sigiſmundus Rex tantum ſcelus non vltra ferendum ratus, artium Mechanicarum magiſtros in amplũ, quod Geldam vocant, diuerſoriũ conuocari iuſſit.

A communitate Gdanen. iuſiurandũ exactum.

Qui cùm frequẽtes cõueniſſent, Petrũ Kmytam de Viſnice, maiorẽ Regni ſui Marſalcum, in aula Maximiliani Cęſaris annos complures verſatum, & ob id linguæ germanicæ peritum, ad eos miſit. Qui in publicum diuerſoriũ veniens, ſcipione, quẽ manu geſtabat, ſilentio imperato, ab eis quæſiuit: An iuramenti fidelitatem & obedientiæ Sigiſmundo Regi & Regno Poloniæ pręſtiti memores eſſent: & an in officio perſtare, Maieſtatisque Regiæ mandatis obedire vellent? Ad quod cũ alacri omnes voce annuiſſent, iuſſit vt qui partium eſſent Regiarum, in latus dextrum concederent. Cùm id pars longè maxima incunctanter feciſſet, alij qui ambiguę erant fidei, cùm tergiuerſari cœpiſſent, & ipſi præ pudore, ne apertè rebellaſſe viderentur, in dextrum latus pedibus tranſiuêre. Quorũ fide Regni Marſalcus collaudata iuramentum fidelitatis & obedientiæ de nouo ab eis exegit. Vniuerſi digitis duobus in ſublime leuatis, iuramento ſacroſancto ſe obſtrinxerunt. Quo facto, Sigiſmundus Rex iam inde de ſtatu ciuitatis reformãdo; Senatu vetere & orthodoxa fide reſtituenda cõſultare cœpit. Omnia Philippi Biſſouij fideliſſimi ciuis agebantur conſilio: primumq́; nouis Lutheranæ impietatis Senatoribus exauctoratis, veterem de catholica fide benemeritum reſtituit. Qui ciuitatis ſtatu iuſſu Regio reformato, nouo ac ſubito Regiæ maieſtatis mandato, Ioannem Solcium, & alios circiter ſeptuaginta ciues Lutheranę hęreſis, ac tumultus auctores in poteſtatem redactos comprehenderunt, ac in carceres detruſerunt.

Authores tumultus Gedanen. & mutationis religionis cõpræhenſi, capite plexi, alij in exiliũ miſſi.

Ioannes Solcius de obiectis criminibus, expurgare ſe volens, petijt vt ad Regiã præſentiam adduceretur, cùm à Rege impetraſſet, plura ad obiecta crimina expurganda, ſuamq́; innocentiam comprobandam adduxit, ciuium aſtante multitudine. Coram quibus Philippus Biſſouius ab eo quæſiuit, cur ſacras ædes aureis argenteisque vaſis ſpoliaſſet, & cur conſcenſo ſuggeſto primus ipſe Lutheranã hæreſim in principali templo concionari auſus fuiſſet? furcam, rotam, & gladium ante vrbis prætorium erexiſſet? Ioannes Solcius cùm tergiuerſari cœpiſſet, & tãdem ciuium aſtã-

tium iussu ea se fecisse astrueret, & illi constanter negassent, suoque eum periculo talia fecisse respondissent, his verbis confusus, à ciuibus destitutus, conticuit: apertissimo patrati delicti argumento, ita ciuium suorum testimonio sceleris conuictus, iussu Regio in carcerem reduci est iussus. Nec multò postea cum tredecim suæ impietatis socijs Lutheranis, qui maximè fuerunt culpabiles, gladio est percussus: alij in exiliū acti, patrati sacrilegij ac scelerum pœnas meritas dedêre. Sigismundus Rex sumpto de Lutheranis ciuibus condigno supplicio, Gedanensis vrbis statum ex arbitrio suo composuit, vasa aurea & argentea, sacra præterea indumenta, seuerissimo edicto comportari mandauit: quæ cū ex fide vno die collata fuissent; sacris ædibus omnia restituit, & rem sacram catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ ritu fieri iussit, Catholicis sacerdotibus ad loca sua & sacerdotia restitutis. Portum inde qui in ora maris est ad Vistulæ amnis occidentale ostium, Sigismundus Rex inuisit. Hic turris excelsa est, vno fermè à mœnibus germanico distās milliario, in cuius summitate lucerna noctu semper ardens conspicitur, quæ nautas per fretum vagantes ad desideratum portum deducit. Hic Sigismundus magno conscenso nauigio, per sinum Sarmaticum voluptatis causa, mare suæ subiectum potestati sulcare voluit, vt terræ illius & maris dominum se esse demonstraret: Alexandri Macedonis exemplo, qui in expeditione Persica diuersa orbis terrarum parte mare Indicum velificauit. Mansit itaq; Rex Gadani tribus cum dimidio mensibus, omniū rerum abundantiam ciuibus sibi & aulicis Polonis affatim exhibentibus, & festos dies in tanti Regis præsentia agitantibus. Hic quoque res memoratu digna accidit. Enim verò Sigismundus Rex Georgio Stolpensi in Pomeraniæ Duci, ex sorore nepoti, Leumbergam Bitouium & pleraque alia loca in ora maris Sarmatici sita, in feudum cōcessit, ea lege vt ipsum Sigismundum (& alios Poloniæ Reges successores) pro domino recognosceret, Regnoque Poloniæ in prosperis & aduersis cum auxiliaribus copijs omni tempore præsto esset: cum hoc ipse in fidem Regiam concessit, & se suosque successores sacratissimo iureiurando obstrinxit. Nec multò postea Georgius Dux occidentem versus abijt, Albertus verò Kynspergensis in Prussia Dux, ex altera sorore nepos ad orientem. Sigis-

Portus Gedanensis.

Pomeraniæ duces feudales regi Polono.

mundo Rege Gedani sedente, Ioannes Varssouiensis in Masouia Dux suorum fraude veneno interijt. Ducatus Masouiæ ad Sigismundum Regem iure feudi est deuolutus, Masouiamque totam titulis suis, fortunatus Rex adiunxit; cùm non multò antea sublatis Cruciferis totius Prussiæ adiunxisset, & per hoc Regnum Poloniæ magna temporum suorum fœlicitate insigniter ampliauit. Qui Lutherana hæresi ex Gedano Regni sui ciuitate diuina sua prudentia & pietate explosa, iuramento fidelitatis & obedientiæ à Senatu & populo Gedanensi accepto, suis etiam in ea vrbe auctis vectigalib⁹, die vicesima quarta Iulij inde abijt, magno sui & suorum istic relicto desiderio: Tam gratus Gedanensibus clementissimi Regis & Polonorum ad se fuit accessus. Sigismundus posteaquam Mariemburgam, & pleraque alia insignia Prussiæ loca peragrasset, die Augusti mensis vicesima quinta Varsouiam Masouiæ vrbem eius gentis principalem intrauit. Comprimis Ioannem defunctum Ducem, quem sui proceres ad Regium aduentum insepultum conseruauerant, funerali pompa & exequiarum magnificentia sepeliri mandauit, Ducatusque ac terræ Masouiæ ad se & Regnum Poloniæ legitimè deuolutæ, possessionem omnimodam accepit: præfectis præsidijsque militaribus in locis principalibus pro arbitrio suo constitutis. Quamuis magnates Masouitici Ducibus seruire assueti, ducem quempiam, quem ipse dare voluisset, sibi deposcerent. Sed cùm id absque Regni Poloniæ præiudicio impetrare non possent, iuris Polonici facti sunt. Iuramento fidelitatis & obedientiæ Sigismundo Poloniæ Regi & Regibus successoribus præstito, eius terræ primores, Regni Poloniæ Senatui ac consilio adiuncti adscriptique sunt, longo veluti quadringentorum circiter annorum postliminio, ab eo tempore, quo post diui Stanislai martyris indignam cædem Regnum Poloniæ quadrifariam scissum erat; quod nunc Dei benignitate vnitum, ac magna ex parte redintegratū existit. Eius anni æstas non solùm hac ducatus Masouiæ ad Regnum Poloniæ insigni accessione, sed etiam Solimani Turcorum Imperatoris in Vngariam expeditione, fuit memorabilis. Enimuerò cùm exploratum haberet Vngaros, post amissam ante quinquennium Nanderalbam, nihilo factos esse humiliores, nec pacem, quam vltro eis aliquãdo obtulis-

Ioãnes Dux Masouiæ veneno interijt.

Ducatus Masouiæ ad regnum Poloniæ peruenit.

Turcarum expeditio in Vngariam.

tulisset, expetere, imò minas & vltionẽ spirare, vniuersa Grçcia, Asia & Armenia minore, Syria, Arabia, & Aegypto ad arma concitatis, exercitum trecentorum circiter millium bellatorũ comparauit, cum quo ad Misiam veniens superiorem, apud Nanderalbam seu Taurarum castra metatus, Sauum amnem cum omnibus copijs per ocium transmisit, Sirmiumque Regni Vngarię prouinciam terribili belli apparatu ingressus, longè & latè omnia vastare, populari, oppida & arces expugnare cœpit. Peteruaradinum validam apud Danubium arcem, in qua non multò antea Storcium Sigismundi Regis aulicum virum fortem, cum valida Polonorum cohorte, Vngari fraude neci dederunt, primo accessu intercepit: Mox & Vilacum, oppidum, Beati Capistrani tumulo clarum. Et cùm Sirmium Solimanus ditionis suæ fecisset, Drauam amnem cum omni exercitu transiuit, castrisque apud Mohacium oppidum in ripa Danubij positis, bombardisque triplici ordine plantatis, Ludouicum Vngariæ & Bohemiæ Regem, & omnem Vngarorum potentiã ibi expectauit: Sigismundo Regi infensus, quod circa Nanderalbæ expugnationem ante quinquennium, auxiliares Polonorum copias Ioanne Amor Tarnouiense Comite Duce, Ludouico nepoti in auxilium misisset. Veritusque ne eam quoque expeditionem suam impediret, exercitumque vt prius in Vngariã mitteret, Tauricanum Tartarorum Cæsarem subornauit, vt sub eo tempore, quo ipse Vngariam bello premeret, ipse regnum Poloniæ infestis signis inuaderet, eo consilio, vt Sigismundus rerum suarum motus periculo, ab auxilio Ludouico Regi nepoti & Vngaris ferendo temperaret. Tartari Turcorũ imperatoris mandato obtemperantes, nihil morati Boristenem transmiserunt, Lituaniæque primùm, inde Regni Poloniæ fines ingressi Volhinensem Belsensem ac Lublinensem Satrapias atrociter peruastarunt. Sigismundus Rex in Prussia tunc erat, nec ob nimiam locorum distantiam, his malis ire potuit obuiam, & auxiliares copias, quas in Vngariam contra Solimanum Turcorum tirannum mittere destinauerat, ad Regni sui limites tuendos in Roxiam ac Podoliam mittere est coactus. At Ludouicus Vngariæ & Bohemiæ Rex Polonorum destitutus auxilijs, posteaquam Solimanũ Imperatorem potentissimum hostem cum ingentibus copijs Vngariæ fines

Tartari Lituaniã & Podoliam vastant.

transcendisse, Sauam Drauamq; amnes transiuisse per exploratores cognouit, Vngaros in tãto Regni sui periculo ad arma cõcitauit, auxiliares vndiq; copias cõquisiuit. Bellico omnia perstrepebãt apparatu. Venerunt à Ferdinãdo Archiduce Austriæ, cuius soror Maria Ludouico Regi connubio iuncta erat, in auxilium tria Germanorum peditũ millia. Transiuit & ex Polonia Sigismundi Regis permissu, certus equitum pedi tumque numerus Gnoienski Duce viro forti & rei militaris perito, qui inter Polonos Duces in metandis castris prçcipuus habebatur. Qui cùm Budam per uenisset, Ludouicus Vngariæ & Bohemiæ Rex aduerso fato Buda egressus, contra Solimanum Turcorum Cæsarem dextra Danubij ripa est profectus viribus longè imparibus. In Tolma nõnihil subsedit, quoad aliæ Vngarorum copiæ conuenirẽt. Ioannes Trencinius Scepusiensis Comes plures dies per nũcios & literas eius impetum est remoratus, aduentus sui spe, cum Transiluanis ac Cæculis denum millium bellatorum exercitu. Qui siue tam citò, vt erat pollicitus, venire non potuit, siue id dolo, vt in his tumultibus Regi insidias strueret, fecit, vt plerique opinati sunt, Ludouicus Rex, quod satis constat, eo non expectato, aleam vniuersi certaminis experiri decreuit, & contra potentissimum hostem profectus, composito agmine iuuenili adolescentiæ ardore in hostem ferebatur. Displicebat Gnoienski Polonicarum copiarum Duci tam acceleratus cum Solimano Imperatore congressus: Ioannẽ etiam Scepusiensem comitem bellis Turcorum assuetum, & non contemnendas veteranorum militum copias ductantem, expectandum censebat. Ludouico insuper Regi & Vngaris suadere non destitit, ne cum Turcis in eo loco, quem sibi ad pugnam apprime idoneum per ocium delegerunt, concurreret, sed pauore potius simulato, hostem intra Regni sui penitiora pertraherent, & per rei bene gerendæ occasionem hostem immanissimum inuaderent, quo facto Turcorum tantæ multitudini omnia deteriora futura forent, Vngaris verò commodiora, quibus vix triginta bellatorum adessent millia, quos trecentis Turcorum millibus opponere, aliquo stratagemate non adiuncto, nequaquã tutum foret. Surdæ erant Vngarorum aures, qui saluberrimo Poloni Ducis cõsilio obstrepebant, & ad conserendas cum hoste manus accelerabant, in quẽ stru-

Ludouicus Rex in bellũ contra Turcas profectus.

Ioannes Comes Scepusiensis.

Bellũ atrox cum Turcis.

structa acie progressi sunt. Solimanus imperator ad primum Vngaricorũ peditum accessum, bombardas exonerari fecit, tam crebris ictibus, vt cœlum & terra præ strepitu ruere videretur: Porrò clade pedites tanta affecti sunt, vt pauci admodum superfuerint, nullique postea vsui in pugna fuerint. Equitatus subsecutus cum Turcis magno impetu concurrit, tanto hic ardore certatum, tantus cruor fusus, vt riui sanguinis in Danubium fluxisse ferantur. Vngari primis Turcorum agminibus superatis, ad Solimani Imperatoris stationem & Ianiceros pedites peruenerunt, hic quoque ingens cædes edita, vbi in Solimani conspectu res ageretur. Cadebant vtrinque plurimi, tanta Solimanni Imperatoris rerum suarũ desperatione, vt equum pernicitate insignem, fugæ quàm pugnæ aptiorem sibi dari poposcerit, & quod in desperato prælio fieri cõsueuit, bombardas in Vngaros & suos Turcos, qua parte confertissimi certabant, exonerari fecit, quæ res Vngarorum animos primũ fregit, vbi ex suis plurimos cadere conspexerunt. Turci etsi complures eadem tormentorum vi occumberent, clades tamen eorum abundante multitudine minus sensibilis erat, mutataq; repentè fortuna, Vngari retrocedere cœperunt, maximè postquam castra Vngarica à tergo ardere conspexerunt: Turcorum siquidem turmæ aliquot conserto iam prælio flexo in sinistram itinere, Vngarorum castra semiuacua inuaserunt, cœsisque lixis & calonibus direpta incenderunt. Quæ res magno Turcis ad victoriam fuit adiumento, Vngaris existimantibus, extrema suorum agmina esse profligata. Ludouicus Rex inter triarios in postremo stabat agmine, Qui vbi suorum aciem in apertam inclinari fugam conspexit, nec vlla restituendæ pugnæ spes restabat, & ipse saluti fuga consulere cœpit. Vngari duplici itinere fugam intenderant: Ad sinistram quidam montana versus via etsi longiore, securiore tamen; alij ad dexteram secus Danubium, quo itinere crescens Danubius restagnantibus aquis paludem effecerat, in quam complures Vngari fuga delati, hęrentibus in limo equis periclitati sunt. Hos Ludouicus Rex locorum ignarus secutus, à custodibus quibus Regij corporis cura commissa erat destitutus, armis calibæis oneratus, pari infortunio concidit, & alta palude equo excussus est demersus, vnà cum Trepka aulico Polono, fidelissimo fugæ comite, qui dum Regem cum equo colluctantem, & armis grauem iuuare contendit, & ipse limo haustus perijt, Regemque extremo eius casu deserere noluit. Vngarorum inde fugientium & Turcorum insequentium agmina, equorum vngulis Regem exanguem profundius in limũ depresserunt: quo factum est, vt Ludouici Regis cadauer diligentissimè quęsitum, magno postea labore sit repertum, Vngaris ignorantibus quo loco perierit. Satis constat Solimanum Imperatorem, tristem adolescentis Regis casum indoluisse, cùm eum non latuerit, suorũ discordia, ne dicam perfidia, ipsum periclitatum esse. In eo infœlici apud Mohacium prælio, septem opulentiores Regni Vngariæ Antistites occubuêre, Strigoniẽsis & Clocensis Metropolitæ, nec non Agriensis, Varadiensis, Quinqueecclesiensis, Iauriensis, & Sagrabiensis Episcopi. Colocensis Metropolita, qui sacram religionem professus cucullam induerat, postea ad eã dignitatem peruenerat, vt omnium secundum Regem copiarum Dux esset. Ad eam virorum fortium inopiam Regnum Vngariæ peruenerat, vt cucullatum fraterculum potentissimo Turcorum Imperatori, dum alios duces non haberent, opponere cogerentur. Cecidêre eo Mohacensi conflictu plerique illustres viri, & inter eos Ioannis Scepusiensis Comitis frater germanus, qui postea cum Ferdinando Rege pro Regno Vngariæ tot annos contendit: perijt & Gnoienski Polonus. Corpus eius capite truncum, inter occisorum cadauera repertum, cùm mos sit Turcis, virorum fortium capita, ad ostentationem victoriæ, hastis præfigere, & ea ante signa deferre. Solimanus Imperator victoria inclita potitus, secus Danubium Budam versus, cum omni exercitu transiuit, eam vrbem pauore ab incolis desertam Turci ingressi, iniussu, vt fertur, Solimani direptam, incendio absumpserunt. Arx Budensis, Sigismundi Imperatoris & Mathiæ Regis magnificum opus, octingentorum Germanorũ præsidio tenebatur: hi ad primum Solimani Turci accessum, accepta fide arcem dedidêre, quam Solimanus ingressus, egregias structuras & moles murorum ingentes, cum stupore est admiratus. Fragilitatis inde rerum humanarum memor, seuerissimo inhibuit edicto, ne Turci in tecta sęuirent innocua, seruauitque barbarus hostis arcem omnium pulcherrimam, vetustam tot præpotentium

Castra Vngarorũ incensa.

Ludouicus Regis interitus.

Episcopi Vngariæ in bello perierũt.

Monachus summus dux exercitus Vngariæ.

Imperator Turcorum Budam ingressus.

Habeo epistolam Ludouici Regis ad Sigismundum Regem Poloniae in qua de Turca scribit: Marg[illegible] tantus hostis non timet exercitus non magni facit.

Germani à Turcis interfecti. tium Vngariæ Regum sedem. Germani pedites, qui fide publica à Turcis recepta arcem Budensem, nulla adacti vi dediderunt; postquam Austriam versus aliquãtum progressi fuissent, à Turcis ad internecionem sunt cæsi, tam atroci feritate, vt ne nũcius quidem tantæ cladis superesset. Solimanus Turcorũ Imperator Budæ paucos dies moratus, ponte ex cõtextis nauibus per Danubiũ facto, per eum copias oẽs traiecit, & sinistra Danubij parte latè vastando atq; vrendo omnia, ad Nanderalbam composito agmine peruenit. Enimuerò vlteriorem Danubij ripam, suspectam Turcus habebat; ne Poloni, Germani & Boëmi terga abeuntium inuaderent, & fama sparsa erat, eas gentes magnos in Turcos comparasse exercitus. Solimanus posteaquam transmisso nauibus Istro in Nanderalba resedit, Peteruaradino & plerisque alijs in Sirmio arcibus præsidio firmatis, Monte Hemo rursus superato, Cõstantinopolim redijt. Contigit hæc infœlix Vngarorum cum Turcis pugna die Augusti vicesima nona, qua die arx Nanderalbensis ante quinquennium est intercepta, vt hic dies Ludouico Regi & Vngaris non immeritò fatalis fuisse videatur. Vngari Ludouici Regis corpore in restagnantis Danubij palude reperto, illud die nona Nouembris in Alba Regali ad Vngariæ Regum sepulchra, multa exequiarum ceremonia tumularunt. Insequenti die Ioannes Trencinius Scepusiensis comes in Regem Vngariæ se eligi procurauit, postero que die, qui diuo Martino sacer erat, regali diademate est insignitus: quæ accelerata coronatio, magnorum postea bellorum causa fuit. Hæc dum in Vngaria geruntur, Rex Sigismũdus Prussiacis & Moscouiticis rebus compositis, die secunda

Ioannes comes Scepusiensis Rex Vngariæ coronatus.

1527. Octobris Cracouiam redijt. Anni sequentis initio Tartarorum sex & viginti millia per flumina & paludes, glacie cõcretas in Lituaniã irrupêre, & à Pinscum vsque penetrauêre, locaque alijs bellis intacta ob paludes circumfluas, tunc verò gelu & glacie peruias, vastauêre, & damna ingentia fecêre; prædam magnam abducebant cum multis captiuis, peruenerantque in Amadocas & Caniouiam, cùm Constantinus Ostrouiensis Dux cum valido exercitu abeuntes assecutus, in incautos & nihil hostile metuentes, diluculo, antequam equos ascendissent, impetum fecit, qui cum pedibus stantes multo sagittarum imbre sese aliquandiu defendissent, equitum

Tartari Lituaniam populantur.

A Constantino Duce profligati.

Lituanorum ac Volhinensium violentia sunt disiecti ac profligati: cædes ingens edita, ex eo potissimum, quod ad equos suos, qui in herbosis pratis haud procul inde pabulabantur, peruenire nõ potuerunt, pauci admodum euasêre: capti septingenti. Captiuorum Christianorum, qui in Tauricam abducebãtur, quadraginta millia liberata. Hæc inclita victoria vulgata, incredibili omnes lætitia affecit: Cõstantinus dux summis in cœlum laudibus ferebatur, qui non multò postea Cracouiam ad Sigismundum Regem veniens exquisitissimis honoribus & multa officiorum frequentia ab eo est exceptus. Vrbem & arcem ingredienti, signa militaria ex hoste capta, captiuis Tartarorum præeũtibus, prælata sunt. Quem Sigismundus Rex ob rem bene gestã actis gratijs collaudauit, & amplissimis muneribus ditauit: Annusque nouus Lituanæ genti & Polonis tam fuit lætus. Nam & Basilij magni Moscouitarum Ducis Legati, quadringentorum equitum comitatu ad Sigismundum Regem pacem petituri venerũt: qui voti compotes facti, cum sex annorum inducijs in Moscouiam sunt remissi. Tunc etiam Ferdinandus Archidux Austriæ Pragæ die vicesima quarta Februarij in Regem Bohemiæ est coronat⁹. Nec multò postea Sigismũdus Rex dignitates Regni sui vacantes distribuit, Andreas Cricius ex Raphaëlis Lescynski decessu Plocensem Episcopatũ est adeptus: cui in Præmisliensem Ioãnes Carnkousky successit, Christophor⁹ Sydlouecius Castellaniã Cracouiensem, primam in regno secundum Regem dignitatem, Ioannes verò comes Tarnouiensis Palatinatum Roxiæ, sunt assecuti. Per id tẽpus Italia bellorum tumultibus est agitata, Clemẽte Romano Pontifice, Francisco Galliarũ Rege, & Venetis fœderatis, Caroli Imperatoris partes in Italia infestantibus. Erat Carolo Romanorum Hispaniarũ Siciliæ & Neapolis Regi validus apud Mediolanũ exercitus quadraginta millia bellatorũ Hispanorũ Germanorumque copiarũ. Dux Borbonius Cæsarianarum copiarũ Dux erat, qui cũ Gallos Venetosq; magnis cladibus affecisset, eorũque opes in Italia attriuisset, dũ ærarij inopia nõ haberet, quo tanto exercitui stipendium persolueret, ad diripiendam Romam duxit, simul vt Clementẽ Pontificem, qui diuersarum erat partiũ, vlcisceretur. Habuit Rom. Pont. satis validum viginti millium armatorũ exercitũ, cuius timore cũ dux Borbonius ex

Induciæ sex annorum cũ Moscho.

Ferdinandus Rex Boemiæ coronatus.

Dignitates à Rege distributæ.

Tumultus Italici.

Roma capta & direpta.

Lom-

Lombardia mouere nō auderet Vicerex Neapolitanus vt Pontificem circūueniret, Romam veniens, cum Pontifice Cæsaris nomine de pace, fraude & dolo, transegit, & veluti ad retinendum in vestigio exercitum ad exercitum in Lombardiam se iturum adsimulauit: Clemens Pontifex nihil fraudis suspicatus, exercitum omnem, quem habebat florentem, dimisit, copiarumque Duces exauctorauit. Quod vbi Dux Borbonius comperit, motis ex Lombardia castris Romam versus per Etruriam contendit, quod iter tanta celeritate confecit, vt Pontifex nec exercitum conscribere, nec rebus suis periclitantibus consulere potuerit. Borbonius admoto ad mœnia Romana exercitu, eoq; circum palatium Pontificis circumducto, vrbem Leoninam, qua parte captu facilis erat, oppugnare est adortus. Conscripserat Pontifex in ea trepidatione quatuor millia armatorum, qui primum atque alterum hostis impetum repressêre. Quo certamine Dux Borbonius ictu tormenti letaliter saucius, moribundus concidit, Hispani Martani, Germanique Lutherani, nouis sibi ductoribus creatis, maiore multo pertinacia Burgū oppugnare sunt aggressi, perfractaque violenter porta, in Burgum irrupêre: hic mercenarij Pontificis milites cæsi fugatique sunt. Pontifex ipse cum quatuordecem supremi ordinis Antistitibus, Cardinalibus, & trecentorum Heluetiorum peditum præsidio, in molem Adriani, quæ arx sancti Angeli vocatur, se recepit. Vrbs inde Leonina & palatium Pontificium, die sexta Maij barbarica feritate direptum ac spoliatum est, Moles Adriani obsidione cincta. At Romani in tanto rerum discrimine Clementis Papæ odio quieuêre, sperantes si nihil mouissent, nihil eis incommodi Cæsaris Romani exercitum allaturum: sed opinione sua longè falsi sunt. Enimuerò Hispani Germanique per Transtiberinam Regionem, & pontem Sixti Romæ insinuati, domorum portas effringere, obuiam quemque interficere aut capere, vrbemque hostiliter spoliare cœperunt, tunc fuga pauor & trepidatio per omnes vrbis Regiones, plerisque locis Romani facto globo, inuicemque cohortati, hostes aggressi cū multa cæde disiecti sunt, in armatos ac resistentes sæuitum multum, dederuntq; Romani meritas perfidiæ suę pœnas, quod Pōtifici laboranti & eorum opem imploranti, suppetias nullas ferre voluerunt: & forsan hostium insanum impetum ac furorem reprimere potuissent. Ab ædibus sacris edicto temperatum est, templisque homines multi seruati: Captiuis data facultas sese redimendi. Vis ingens auri & argenti corrasa, ex vrbe alioquin opulenta. Clemens Pontifex postea quā aliquanto tempore obsidionem tolerasset, & famem cum suis sentire cœpisset, commeatusq; inopia premeretur, Pōtificis habitu venerabilis, subsequentibus ordine Cardinalibus ex arce descendit. Ad conspectum Pontificiæ maiestatis, insperata mutatio facta est, furor ille hostilis subitò resedit, Clementemque genibus flexis venerari cœperunt, qui data fide se deinceps partes Cęsaris, Gallis, Venetisque relictis, secuturum, trecentisque aureorum millibus retenti per duces eorū stipendij eis promissis, & in hoc obsidibus datis Hispani Germanique Roma excessêre. Carolus Cęsar, qui procul hinc in Hispania agebat, ad famam direptæ vrbis & obsessi Pontificis, illachrimasse fertur, suorumque Ducum impietatem detestatus, eos cum Romano Pontifice ex arbitrio eius componere, ab eo veniam suppliciter orare, & ex vrbe Roma facessere mādauit, atrocissima supplicia si secus fecissent ductoribus comminatus. Et hūc exitum habuit bellum Romæ Pontifici per Hispanos Germanosque inscio Carolo Cæsare (vt vulgata fama est) illatum: quam iniuriam & ignominiam Clementi Pontifici inustam Cæsar Carolus in Italiam veniens, & Bononię, ad pedes Pontificis stratus, multis posteà officijs resarciuit, veniamque supplex impetrauit. Ea æstate Leopolis tota incendio conflagrauit. Sub quo tempore Franciscus Galliarum Rex, ad Sigismūdum Poloniæ Regem Oratores misit, flagitauitque vt Ioanni Vngariæ Regi contra Ferdinandum Bohemiæ Regem Caroli Cæsaris fratrem auxilio esset, partesque eius tueretur, questusq; est contra Carolum Romanorum & Hispaniarum Regem, quod cùm contra Turcos infideles maiorum more pugnare deberet, bellis intestinis totam Christianitatem inuolueret, & treceta aureorum millia pro filijs obsidibus accipere recusaret. Sigismundus Rex Oratoribus condolere se vicē Christianorum dixit, ob quorū intestina odia maxima Europę pars periclitaretur, se bella Christianorum sēper abhorruisse, nec tumultibus Vngaricis se miscere velle apertè estatus est, neutralē se fore pollicitus, daturum tamen operam per legatos

Caroli Cæs. pietas.

Leopolis incendio absumpta.

Regi Galliarum legatio ad Sigismundum.

tos, vt inter diſſidentes Reges pacē componat; hortatus viciſſim Franciſcum Galliarum Regem, vt cum Carolo Cæſare in gratiam rediret, iunctiſque viribus Turcum immaniſſimum terra & mari inuaderet, Græciamque cum Regia vrbe Conſtantinopoli ab indigna ſeruitute liberaret, cùm hæc gloria Turci ex Græcia pellendi, occidētis Regibus, quib⁹ maiores eſſent opes, ſit reſeruata. Cum his legati comiter ac hoſpitaliter lauticijs præbitis tractati, ac poſtremò donati expediti ſunt. Autum no inde ſequenti Ferdinādus Bohemiæ Rex cum exercitu Vngariam ingreſſus, Buda potitus, die decima Nouembris in Alba Regali in Regem Vngariæ eſt coronatus. Ioannes Rex Buda amiſſa trans Tibiſcum amnem in Tranſiluaniam ſe recepit, illicque exercitum quo ſe tueretur congregare cœpit, & ad Sigiſmundum Poloniæ Regem, Conuentum Regni generalem Petrikouiæ celebrantem Oratorem miſit Archiepiſcopum Colocenſem, Frāciſcanæ obſeruantiæ religioſum, qui in ſenatum Regium introductus, auxiliares copias contra Ferdinandum Bohemię Regem profuſis verbis implorauit, eius Regis ambitionem incuſans, & Regni Vngariæ pericula oſtendens, Regni etiam Poloniæ ex vicinitate, ſi Vngariam ruere contingeret, teſtatus. Si Polonorum auxilia obtinere non poſſet, Ioannem Regem ad Solimani Turci opes ſe refugiũ habiturum, eumque in dignitatis ſuæ protectorem recepturum. Legato Ioannis Regis per Sigiſmundum Regē reſponſum, Se Chriſtianorũ bellis miſcere nolle, qui internecinum cum Scythis Tartaris bellum gerat. Neutralem ſe fore pollicitus, daturumque operam Oratoribus ad Ferdinandum Regem miſſis, vt pax inter eos ex bono & æquo componi poſſet. Cum eo reſponſo Colocenſis Metropolita ad Ioannem Regem ſuum abijt. Qui Sigiſmundi Regis auxilijs deſperatis, ex Vngaris & Polonis mercenarijs militibus, exercitum comparauit, & contra Germanos profectus die ſexta Martij anni ſequentis, apud Tibiſcum amnem cum eis manus conſeruit. Victusque ac caſtris exutus, in Poloniam profugit, primumque in Camenecium apud Croſno arcem validam ſe recepit, vbi à Martino Palatino Podoliæ hoſpitaliter ac benignè eſt habitus. Tarnouiam inde ad Ioannem Comitem tranſiuit: vbi in exilio maximam anni partem abſumpſit, à comite multa humanitate ac profuſa liberalitate tractatus. Ioanne Rege in Polonia agente, Ferdinandus Rex miſſo exercitu Trencinium & reliquas Scepuſij arces Ioannis Regis hæreditarias, quæ validis præſidijs firmatæ erant, expugnauit, Caſſouia, inde Leucionia, Bardeiouia ac reſidua Vngariæ parte ad orientē cum Tranſiluania, partim vi, partim de ditione eſt potitus, Ioannesque Regno excidit. Italia quoque ea æſtate bellicis tumultibus agitata eſt. Galli terra & mari Neapolim aggreſſi, vrbem aliquandiu obſederunt. Vicerex Neapolitanus claſſe cum Gallis congreſſus, pleriſque illuſtrib⁹ viris amiſſis aut captis, victus interfectusq; eſt. Sederunt Galli apud Neapolim irrito incepto à menſe Aprili ad Auguſtum, quo menſe de Lotreco Gallicarum copiarum Duce vita functo, fortuna Gallorum repentè mutata eſt. Carolus ſiquidem Romanorum & Hiſpaniarum Rex inſtructiſſima claſſe in Italiam miſſa, Genuam primo acceſſu, Gallis inde pulſis, recuperauit: Galli Neapolitanam obſidionem ſoluentes acie victi, in Auerſam ciuitatem ſunt compulſi, vbi fame preſſi, deditionem facere ſunt coacti: & per hæc terribilis Gallorum in Regnum Neapolitanum aduentus in nihilum recidit. Per id quoque tempus, Turci Carinthiam atrociter vaſtarunt, prædamque magnam abegerũt. Ex quibus Veneti ſexcentos in auxilium ſibi aſciuerunt contra Germanos, quos tunc rebus eorum infeſtos habebant. In Podolia æſtatis initium ſatis lætum fuit: Iaſlouecius enim & Iſcricius Regiarum copiarum duces apud Camenecium mille equites Tartaros profligarunt. Ciuitas tunc Cracouienſis à porta noua ad ædem Stephani Protomartyris incēdio conflagrauit. Ignis mœnia vrbis flāte vento tranſcendit, Clepardiamque cum ſuburbijs eadem Vulcani violentia ſolo æquauit. Eo incendio centũ circiter Regis bōbardæ, quæ inter muros adſeruabantur liquefactæ ac confractę ſunt; ſed non multo poſtea Germanorum artificum opera refectæ, non paruo Sigiſmundi Regis impendio. In Vngaria Germanorum impotentem dominationem plurimi horrebant: hinc quidam Regni Vngariæ Proceres, in Germanos, quos ſummè oderant facta conſpiratione, Ioannem Regem ex Polonia euocarunt: qui octauo exilij ſui menſe, in Vngariam rediens magnam aduentu ſuo rerum fecit mutationem; & Regni Vngariæ in duas veluti ſciſſi partes miſerabilis fuit ſtatus & conditio;

Ferdinādus rex Vngariæ coronatus.

Ioannis Regis Vngariæ orator ad Sigiſmundũ miſſus.

Ioānes rex victus in Poloniā venit.

Galli Neapolitanum regnum inuadunt.

Turcæ Carinthiam vaſtant.

Tartari à Polonis profligati.

Cracouia & Clepardia cōflagrauit. 1527.

Vngariam Ioannes rex Turcis fecit vectigalem.

Ambitio cæca.

ditio, & quod longè fuit miserabilius, Ioannes Rex Vngariam Turcorum tyrãno fecit vectigalem, ea lege vt ipsum à Ferdinandi Regis & Germanorum tueretur potentia. Quæ res postea Solimanum Turcorum imperatorem ad bellum Ferdinando Regi inferendum, Austriam inuadendam, Viennamque oppugnandam impulit, non tam in Ioannis Regis gratiam, vt plerique credidêre, sed verius quia Caroli Cæsaris & Ferdinandi Regis potentia Turcis formidabilis esse videretur, qui omnia malebant, quàm vt Ferdinandus Vngariæ & Bohemiæ Rex pacificam regni Vngariæ possessionem obtineret, hostemque præpotentem sibi finitimum haberent. Non ignari, si Carolus Occidentis Imperator mari, & Ferdinandus à Pannonia & Misia terra, eos aggrederetur, Græciam quam ipsi ditione tenerent, & omne orientis imperium periclitari posse. Extrema anni huius parte mense Nouembri, Præslaus Lanskorunius Chmelnicensis, Ostapheus Circasiensis, nec non alij duo Vinnicensis & Braslauiensis in Podolia Præfecti, belli inita societate, milleque ac ducentis equitibus Polonis Roxanisque in vnũ cõtractis, ad ponti Euxini littus & Ociakouiam arcem, quæ in ipsa Boristenis in pontum iacet eruptione, sub signis contendere. Ea arx in Tauricanorum Tartarorum erat potestate, cùm antea Polonorum Regum quondam fuisset, huc Poloni ac Roxani Duces delati, ter cum Tartaris congressi, terque victores, triginta millia pecorum & quingentos equos inde abegêre. Et per hæc annus vicesimus octauus supra millesimum ac quingentesimum finem habet.

Ociakouia Polonicæ ditionis olim.

1529. Alterius anni initio, Regni procerum Conuentus Petricouiæ est tentus, Sigismundo Rege præsidente. Hic primùm Masouiæ Consiliarij ac Magnates in consilio Regio sedere, & de Regni commodis consultare cœperunt. Post multas cum nuncijs terrarum Regni difficultates ac tractatus, Senatus tandem decreuit, vt pro Orientalis Regni parte defensione contra Turcos, Tartaros ac Moldauos, Sigismundi Regis ex confesso hostes, pecuniaria contributio villarum colonis ac oppidanis imperaretur, & ad hoc Masouiæ incolæ, qui longo veluti postliminio ad Regnum redijssent, vniusque iam cum Polonis iuris essent, stringerentur, pro collata pecunia miles mercenarius conscriberetur, Podoliamque ac Roxiam ab omni hostili iniuria tueretur. Adiunctum insuper, vt Roxana ac Podolica nobilitas, equis armisque egregiè instructa omni tempore parata esset ad Tartarorum eruptiones ac impetus excipiendos, mercenarijsque militibus opem ferendam. Sigismundus Rex Petricouiensi absoluto Conuentu, Cracouiam rediens, ad iter Lituanicum sese accingere cœpit. Profectusque est extremis Mensis Aprilis diebus, Regina Bona, Sigismundo Rege iuniore, & Isabella liberis secum receptis. Pauci post Regium discessum dies intercessêre, cũ Haliczki Capitaneus Leopoliensis, & Regni maior Marschalcus in humanis esse desijt. Cui Petrus Kmyta de Visnicze Scepusiensis & Præmisliensis Præfectus in officio est surrogatus. Sigismundus Rex Vilnam veniens, intentissimis febris ardoribus laborare cœpit, adeò vt de vita subdubitaretur: breui tamen medicorum ope conualuit. Qua æstate mille equites Poloni, qui in finibus Podoliæ excubabant, ocij pertæsi, pontum Euxinum versus & ostia Boristenis sub signis sunt profecti, eo consilio vt arcem Ociakouiam, quam Tartari Tauricani præsidio obtinebãt, expugnarẽt, expugnatam porrò excinderent ac euerterent, ne Tartari circa Boristenem vllum amplius haberent receptaculum, Tartarosq; Scythas vltra aquas Boristenicas reijcerent. Magno accidit infortunio, vt Oslam Sultanus Tartarus, qui in campis Cercasijs, citra Boristenem Tauricani Cæsaris fratris patruelis insidias fugiens, Sigismundi Regis permissu manere consueuerat, tunc ante triduum ad Ociakouiam Regij agminis aduentus pacem cum hoste fratre composuerit, arxque Ociakouia ex fœdere ei cesserit, eoq; se cum suis Tartaris receperit. Poloni ac Roxani Duces, qui Oslam Soltanum Principem Sigismundo regi amicum & fœderatum in nullo offendere volebant, pacis inter fratres Tartaros factæ ignari, trecentos Oslam Soltani, Tartaros in campo repertos ac vndique circumuẽtos trucidarunt, totidemque aut plures alio loco oppresserunt. His primis successibus Poloni animati, ad arcem Ociakouiam rectà contenderunt, primumque tria circiter equorum millia, qui in campo, & herbosis pascuis liberè vagabantur, Tartaris ademerunt. Oslã Sultanus ad eum tumultũ excitus, posteaquam Polona agmina adesse & hostilia moliri per exploratores cognouit, ad earum copiarum Ducem Iasslouecium caduceatorem misit, qui diceret,

Comitia Petricouiæ.

Masouiorũ cum regno vnio.

Polonorũ excursio ad Ociakouiam infelix.

310

ret, Oslam Sultanum hic adesse, Sigismundo Poloniæ Regi amicum & fœderatum Principem; mirari cùm ipse Regias Prouincias cōtra alios Scythas Tartaros summa fide sit tutat⁹, ipsi malum pro bono reddant, complures ex suis trucidassent, equosque, quos ad Regium seruitium aleret, intercepissent: Orare equos restituant, ne permittāt, vt ex amico & fœderato Regio fidelissimo contra Tartaros hostes auxiliatore, infestissimus ipse hostis Polonis esse, & iniuriam suam armis vlcisci cogatur; hortari tum vt ipse secum ad colloquium veniat, vt de iniuria & damnis illatis ex bono & æquo cum eo componat. Ad eum nuncium Iaslouecius Dux consternatus, quia non ignorabat Oslam Sultanum Regium esse fœderatum, & sæpius contra alios Scythas pro Sigismundo Rege infesta arma sumpsisse ac depugnasse, illatæ cladis pœnitentia duci cœpit, Regiam veritus indignationem, si amicum Tartarum & auxiliatorem, contra eum lacessisset, magno Regni, & aliarum Prouinciarum incommodo. Caduceatori Oslam Sultani responsum: Quicquid Poloni ac Roxani fecerunt, si quam Oslam Sultano amico & fœderato Principi, & suis iniuriam aut damnum intulissent, per ignorantiam eos fecisse, existimantes Oslam Sultanum hinc procul abesse, eosque quos in campis reperissent Tartaros, non ipsius, sed Tauricani fuisse Cæsaris, Sigismundi regis ex confesso hostis. Quicquid tamen per errorem accidit ignoscere velit. Equos quos ademissent & omnia ablata, in gratiā Oslam Sultani Principis vltro restituere, permissumque vt Tartari venirent, equosque suos recognoscerent ac abducerent. Oslam Sultanus pacifico responso exhilaratus, e vestigio qui equos Scythicos appellerent misit. Iaslouecium spe ineundæ amicitiæ & societatis oblatæ ad se in Ociakouiam inuitauit, vt mutua inuicem inita reconciliatione amicitiam & fœdera renouarent, cùm à Tartaris quibus ablatos equos vltro restituerint, nihil hostile eis timendum foret, & in id eis fidem suam obstringeret. Complures ex alijs Polonis Roxanisque ductoribus rem suspectam habuerunt, nec Oslam Sultani verbis blandioribus confidere voluerunt. Iaslouecius nihil fraudis suspicatus, ad Oslam Sultanum in Ociakouiam arcem transiuit. Ad quē cùm venisset, & in eius esset potestate, Tartari conscensis repentè equis, in nostros hostiliter irruerunt, atque in gyrum circumuentos, Scythicis sagittis incessere cœperunt. Stetêre aliquamdiu Poloni Roxanique immobiles, scutis duntaxat à sagittarum imbre se protegentes. Accurrit inde Oslam Sultanus Scythica succinctus pharetra, cœptum prælium dirimere volens, per medìamque volitans aciem, gestu & clamore amicitiam præ se ferebat, duosq; aut tres Tartaros, Polonos pertinacius vrgentes ac sagittis sæuientes intenso arcu & sagittis peremit, fide id bona fecerit, an amicitiam simulauerit, non habeo dicere. Satis constat, Oslam Sultanum posteaquam suos visus est posse non retinere, ad partem secessisse, Tartariq; Polonos vndique aggressi, sagittis conficere cœperant. Nostri qui sine Duce erant, ignari quid agerent, vix tentato prælio, in fugā per vastos campos sese proripuêre. Erant cum Polonis aliquot Roxanorum turmæ, qui Polonis ad certamen accinctis porrò derelictis, primi fugere cœperunt: Poloni inde Roxanorum auxilio destituti, & ipsi saluti fuga consuluêre. Fugientes Tartari insecuti in fuga complures peremerūt, alios viuos ceperunt, qui postea multo auro redempti, in regnum postliminio redierunt. Stanislaus Pileczki magnæ virtutis adolescens, vbi omnia ad fugā inclinata conspexit, deploratis rebus laxatis habenis equi celeritate captiuitatem euasit. Hieronymus Latalski posteaquam fortiter cum Tartaris aliquandiu decertasset, turpe fugere ratus, ab omnibus destitutus, ac à Tartaris vndique circumuentus, in eorum potestatem venit: Vbi postquam aliquandiu detentus seruiuisset, à Ioanne fratre Posnaniensi Antistite, viro eximiæ virtutis, multo auro est redemptus. Secundùm eam pugnam, Oslam Sultanus Princeps, vt ostenderet eam Polonorum cladem se inuito ac reluctante accidisse, Iaslouecium, qui ante congressum sub fide publica ad eum descenderat, liberum dimisit. Satis constat, in eum cladis acceptæ culpam esse reiectam, quod equos Tartaris restituerit, & quod relicto exercitu, barbari hostis fidei se cōmiserit, & ad eum transiuerit. Qui si apud suos remansisset, potuissent Poloni egregiè vincere, etsi numero inferiores, equis tamen, armis & virtute longè superiores: poterantque omnem hostilem iniuriam egregiè propulsare. Clades

Iaslouecius à Tartaris circumuentus.

Poloni à Tartaris circumuenti & trucidati.

Iaslouecius dimissus.

hæc in ponti Euxini littore apud Ostium Boristhenis die tertia Augusti contigit; qua die quoque ad Bugum amnem & Sokalum arcem aliquot retro annis cum Tartaris est infœliciter per Polonos depugnatum. Eius anni æstate Carolus Romanorum & Hispaniarũ Rex ex Barcinona Tarraconensi portu & vrbe soluens in Italiam classe deuectus, die Augusti duodecima, Genuam Liguriæ applicuit.

Turcarũ Imperator Vngariam & Austriam vastat.

Eodem tempore & veluti ex composito Solimanus Turcorum Imperator, cum omni Regnorum suorum potentia, terribili belli apparatu, in Vngariam venit. Enimuerò posteaquam accepit Ioannem Regem, quem in fidem ac protectionem suam acceperat, anno exacto, Buda amissa Regno Vngariæ excidisse, & Ferdinandum Caroli Cæsaris fratrem, Vngaria vniuersa potitum esse, statuit Ioannem Regem nedum ad Regnum restituere; sed etiam Austriam vastare, & Viennam eius Prouinciæ Metropolim expugnare. Vngariam itaq; cum ducentis millibus bellatorum ingressus, Germanos primùm Buda expulit, Ioannique

Ioannes Rex Vngariæ à Cæsare Turcarum constitutus.

Regi eam tenendam dedit, qui ad Turci conspectum per medias Turcorum acies perductus, immanissimum tyrannum suppliciter est veneratus: Solimanus verò Regem eum appellauit, sibique vectigalem fecit. Turcus Buda potitus, ad Viennam Austriç duxit,

Viennæ obsidio.

eamque vrbem valido Germanorum præsidio firmatam, sub autumni çquinoctio terra & aquis arcta obsidione cinxit. Qua parte Danubius Viennam præterlabitur, Turcorum classis omnia compleuit. Ponte sublicio, ne qui à Morauia commeatus in obsessam vrbem inferri possent, incẽdio absumpto, à terra Turcorum stationibus & tentorijs omnia plena erant. Viennam quindecim Germanorũ millia, quos Ferdinandus Boemiæ rex eius belli timore ante Solimani accessum opportunè præmiserat, tuebantur. Quicquid muri interdiu tormentis bellicis Turci prostrauerant, hoc Germani per noctem trabibus & repagulis opplebant, postea aliquot Turcorum millia per contemptum per strati muri ruinas in vrbem intrare permiserunt, eosque veluti pecora ad sacietatem ceciderunt. Turci suorum clade consternati, pedem retraxerunt, & ab ingressu temperarunt. Solimanus ea hic accepta ignominia, motis castris solutaque obsidione Budam versus cum omnibus copijs abire cœpit, postquã mensem integrum & dies aliquot Viennæ assedisset. In Buda, dum pons ex contextis nauibus per Danubium paratur, aliquandiu mansit, per quem copias omnes, die mensis Octobris vltima, ad sinistram Danubij partem traduxit. In ea quoque regni Vngariæ parte suæ expeditionis vestigia imprimere voluit, transmissoque rursus Danubio apud Nanderalbam continuatis itineribus per Hemum montem in Thraciam & Constantinopolim redijt. Annus hic non solùm ea Turcorum expeditione insignis, sed etiam Sigismundi adolescentis sublimatione fuit memorabilis, quem Lituani proceres, die Octobris decima octaua patri regi successorem solenni ac solita cærimonia designarunt, Bona regina matre præsente ac spectante. Sigismundus inde rex ex Lituania in regnum Poloniæ redijt, optimatiumque regni Conuentum Petricouiæ tenuit, vbi pari fœlicitate & Senatus regni fauore, Sigismundus adolescens in regno Poloniæ patri successor, quod fœlix faustumque foret, die Octobris decima octaua est declaratus. Eo etiam Conuentu defensio contra barbaros hostes instituta, pecuniaque pro mercenario milite conducendo villarum colonis & oppidanis imperata. Anni sequentis initio, qui fuit tricesimus supra quindecies centesimum humanæ salutis, Sigismundus rex conuentu Petricouiensi ex sententia absoluto Cracouiam redijt. Sub quo tempore Caci Ioannes Ferdinandarum copiarum dux, tredecim regni Poloniæ in Scepusio ciuitates hostiliter vexare, ac Sigismundi regis subditos taxare cœpit, Nedeciam arcem oppugnauit, pagos contiguos diripuit: quam iniuriam etsi Sigismundus rex armis vindicare potuisset, maluit missis ad Ferdinandum Boemiæ regem literis Caci Ioannis insolentiam compescere, ne ex parua scintilla magnum aliquod conflaretur belli incendium. Sigismundo rege Cracouiæ sedente antistites ac magnates regni Poloniæ ad eum conuenerunt, ad festam Sigismundi regis iunioris coronationem, qui die Februarij vicesima per Ioannem à Lasko Gnesnensem metropolitam multa sacrorum cærimõia sacro chrysmate humeros inunctus, nec non Regalibus induuijs ac diademate est insignitus.

Sigismundus Augustus magnus dux Lituaniæ creatus.

Sigismundus Augustus rex Poloniæ declaratus.

1530.

Scepusiũ vastatum.

Sigismundus Augustus coronatus.

Hic

Pont. max. & Caroli Caesaris cõgressus. Hic quoque mensis Clementis Romanorum Pontificis, nec non Caroli Romanorum, Hispaniarum, Neapolis ac Siciliæ Regis in ciuitate Bononia congressu fuit insignis, qui die vicesima quinta in Regem Longobardorum coronatus, & Romanorum Imperator est appellatus. Inde iunctis inter se fœderibus, & pace toti Italiæ reddita, diuersi abiêre; Pontifex Maximus Romam, Cæsar verò Augustam Vindelicorum, vbi Conuentum principum & omnium ordinum Imperij in diem octauam Aprilis indixerat, propter componendum dissidium religionis longè periculosissimum, & ad consultandum quomodo occurrendum esset potentiæ Turcarum. *Vide Pauli Iouij & Laurentij Surij historiam.*

Eo tempore à Clemente Pontifice Maximo ad Regem Breve est allatum, quo eum hortabatur, vt ad generale Concilium, vbicunque illud celebrari contingeret, legatos mitteret, ob Lutheranam hæresim extinguendam, qua Germania plus nimis laborabat. Venit etiam à Solimano Turcarum Imperatore Orator Kerdei, natione Polonus, qui aliquando in Podolia fuerat à Turcis captus, & circuncidi se passus, in mores ac sectam Machometanam abierat. Hic Solimani Imperatoris nomine Sigismundo Rege salutato literas reddidit, fœderum & amicitiæ plenas. *Legatio Turcica.* Sub eo tempore Ioannes à Lasko Archiepiscopus Gnesnensis; qui secundum Regem in consilio primum locum obtinuit, vita decessit, vir consilij & eloquentiæ non vulgaris, qui ab adolescentia, in Cancellaria regia plurimum versatus, regni inde Cancellarius factus, Metropoliticam sedem ob sua merita & virtutem Sigismundi Regis beneficio est adeptus. Lateranensi Concilio Romæ interfuit, & legationis perpetuæ decus à Leone Pontifice eius nominis decimo pro Ecclesia Gnesnensi obtinuit. Cuius ex fratre nepos Hieronymus Laski palatinus Siradiensis magnis motibus vtramque Pannoniam agitauit. *Ioãnes Laski archiepiscop' mortuus.* Ioanni Laski archiepiscopo defuncto Matthias Drzevicius ex episcopatu VVladislauiensi successit, VVladislauiensem episcopatum Ioannes Carnkovvski, Præmisliensem Ioannes Choienski est assecutus: quas regias nominationes Clemens Romanus Pontifex assensu suo confirmauit. *Ioãnes Carnkouuski episcopus VVladislauiensis.* Non multo postea Cometes die prima Augusti in cœlo apparere cœpit, quo duce, mille ducenti equites Poloni Tyrum seu Nestrum amnem transeuntes, Moldauos, qui in Pokuce pro præsidio erant, aggressi, posteaquam duodecies diuersis locis cum hostibus decertassent, ijs victis, fusis ac fugatis, Pokuce prouinciam ad Regnum Poloniæ retraxerunt. *Cometes.* *Moldaui fusi & ex Pocucia pulsi.* Post eam victoriam Ioannes Tarnouius omnium copiarum Dux cum exercitu Pokuce ingressus, haud procul à Gvvosdecia arce cum sex millibus Valachorum conflixit, & eos post cruentam cædẽ egregiè superauit, Gvvosdeciamque arcem, eiectis inde Moldauis recuperauit, ac Polonorum præsidio firmauit. *Pokucia prouincia recuperata.* Paucos hic Ioannes Tarnovius dies immoratus retro abire cœperat, cùm nũciatum est Petrum palatinum Moldauiæ cum ingenti duorum & viginti millium exercitu tormentisque bellicis, magna celeritate aduentare, & iam fines regni ingressum, haud procul inde castra metatum esse. Polono duci quatuor duntaxat erant hominum millia equitum & peditum, quæ copiæ in comparatione hostilis exercitus admodum erant exiguæ, censebantque plurimi vt hoste non expectato bombardisque regijs relictis accelerato gradu Tyram amnem, & Haliciam versus abirent, hostemque cum fremitu in se venientem eo modo eluderent. *Bellum Valachicum, & eorum clades apud Obertinum.* At Tarnovius ingentis animi vir qui ad nullius vnquam hostis conspectum territus fuit, præceps abeundi consilium detestatus: Absit, inquit, vt tormenta regia fidei meæ concredita ego deserere debeam, hic à me in vestigio, vel si cum omni sua potentia palatinus Moldauiæ veniat, hostis expugnandus vincendusque, aut fortiter moriendum erit. Ea voce Poloni animati ad conflictum alacres se præparabant. Castra inde cõm muniri sunt cœpta partim vallo & fossa, partim curruum circumductione, pedites Sclopetarij præ curribus dispositi erant. Equites grauis & leuis armaturæ in medio stabant: Ioannes Tarnouius ordines obequitare ac incredibili alacritate, tãquam iam vicisset, Polonos adhortari non cessauit, cùm Petrus Moldauiæ palatinus terribili belli apparatu & cum ingentibus copijs appropinquare cœpit, castraque sua ex aduerso collocauit, bombardas circiter quinquaginta longo ordine planta-

tauit, cui nulla maior cura inerat, quàm ne Poloni copiarum suarum magnitudine consternati, fuga elaberentur, propterea copias omnes suas per turmas diuisas in Polonicorum castrorum circuitu consistere iussit. Castra inde oppugnari cœpta, & bombardæ horrendo sono reboabant, ictibus magna ex parte irritis. Horis circiter quinque castra Polonica sunt oppugnata, maiore multo Moldauorum clade, quàm Polonorum, apud quos peritiores erant bombardarum magistri, certioreque ictu Moldauos prosternebant. Pedites etiam Sclopetarij præ curribus innumeros perimebant, vt subinde Moldaui retrocedere sint coacti, & ardor eorum languesceret. Quo conspecto Tarnouius Dux, porta vna equitatum Polonum in hostem emisit. Non minori animo Polonos in se irruentes Moldaui excepêre. Accensa pugna certatum est acriter, hinc & inde plurimis cadentibus. Tarnouius laborantibus subsidia submittere, ducemque egregium & militem subinde fortissimum se demonstrabat. Stetit pugna per sesquialteram fermè horam ancipiti fortuna & æquo Marte: cùm Tarnouius vltimò connixus, vniuersas copias in hostem immisit, quem bombardæ, altera castrorum porta patefacta, certissimo ictu magna strage feriebant. Non tulêre ferocissimum Polonorum impetum Moldaui, sensim primò retrocedere, & inde præcipiti ac aperto cursu fugere cœperunt. Polonus victor fugientes insequi ac trucidare non cessauit: Cædes in fuga ingens edita. Palatinus in colle edito stabat, euentum pugnæ expectand:o at vbi suorum sistere aciem non posse animaduertit, mutato equo & ipse saluti fuga consuluit. Parum etiam abfuit (tanto ardore eum Poloni insequebantur) quin in eorum veniret potestatem, equus in luto hæserat. Elapsus tamen est, adiutus: à suis & pernicitate equi auectus. Moldauorum castra capta ac direpta sunt, bombardæ omnes in Poloni Ducis venêre potestatem.

Moldaui victi.

Contigit hæc inclyta Polonis victoria de Moldauis apud Obertinum vicum die vigesimo secundo Augusti. Cometa, nocte quæ præcesserat, splendidius solito fulgente, qui inde altera à victoria die disparuit, vt credibile sit, eam stellam victoriam Polonis cum hostium pernicie & terrore, Pokuciæque recuperationem portendisse. Sigismundus Rex lætissimo adeptæ victoriæ nuncio accepto, gratias Deo Optimo Maximo omnibus templis fieri laudesque decantari fecit, Oratoremque Iacobum VVilamovvski ad Solimanum Turcorum Imperatorem misit, qui ei se ingentes VValachorum copias profligasse, & terram Pokuce recuperasse nunciaret. Orauit præterea vt Palatino Moldauiæ, cùm suus esset vectigalis, imperaret, Regnum Poloniæ ne infestaret, sed suis finibus contentus esset. Ea legatione Solimanus accepta, Sigismundo Regi de inclyta victoria est congratulatus, admiratus, quod paruæ Polonorum copiæ, ingentem VValachorum exercitum profligassent. Nuncium inde ad Moldauiæ Palatinum misit, vt cum Sigismundo pacem coleret, & Regni Poloniæ fines non infestaret, arma & exitium comminatus, si secus fecisset. Post Moldauorum cladem apud Obertinum acceptam Polonorumque victoriam, Ioannes Tarnouius omnium copiarum Dux, commeatus Polonici parte in Pokuce pro præsidio relicta, ipse cum residuo exercitu Leopolim perrexit, nec multo pòst ad Sigismundum Regem profectus, Cracouiam est ingressus. Signa militaria nec non tormenta bellica, ex hoste capta, insuper captiuos Moldauos, nobilitate insigniores, longo ordine & militari pompa præ se agens. Venientem Sigismundus Rex, vt decuit, multa officiorum frequentia excepit, & pro re in Moldauos bene gesta, gratias egit: Tota ea dies multa omnium lætitia traducta. Die sequenti pro re in Moldauos prosperè gesta, in templo arcis augustissimo gratiæ Deo Optimo Maximo actæ: diuinisque multa ceremonia peractis, tria præcipua vexilla militaria Palatini Moldauiæ & gentis VValachiæ ad Stanislai martyris tumulum sunt præfixa. Et quia Palatinus Moldauiæ agnatam ferociam, post acceptam cladem præ se ferre videretur, bellumque reparare nunciaretur, mandatum equitum Magistris, qui in Pokuce pro præsidio relicti erant, vt Moldauiam sub signis ingressi incursionibus infestarent, ferroque & igne depopularentur. Poloni Moldauiam in-

Legatio Regis ad Imperatorem Turcarum.

Vexilla militaria præcipua in Ecclesia Cathedrali appensa, hactenus visuntur.

Moldauia à Polonis vastata.

ingressi magnam inde prædam abegerunt. Cumque id aliquoties prosperè fecissent, vnus Equitum Magister cum vna ala equitum est periclitatus, insidijsque dum cum præda retro abiret circumuentus, in hostium venit potestatem. Alij Magistri Equitum in acceptæ cladis vltionem, repetitis incursionibus Moldauiam atrociter vastarunt: Magna Moldauis damna intulerunt, & per hoc bello exitiali Moldauia ardebat. Ioannes Vngariæ Rex, eius gentis infœlicitati compassus, Statiliam Episcopum Albensem seu Transyluaniæ ad Palatinum Moldauiæ misit, eumque, vt à Sigismundo Rege pacem peteret, est exhortatus. Qui belli parum feliciter moti pertæsus, cum Ioannis Regis Oratore constituit, vt missis ad Sigismundum Oratoribus, anni vnius inducias à sua Maiestate expeteret, tormentaque bellica aduerso prælio capta reposceret, facilius ita de pace conuenire posse astruens. Ioannes Rex Palatini Moldauiæ desiderio ac etiam periculis consulens, Franciscum Præpositum Albensem, virum singulari prudentia, opibus & auctoritate insignem, ad Sigismundum Regem transmisit: is per Moldauiam iter faciens, Petrum Palatinum ad inducias à Sigismundo Rege petendas, & vt Oratores ad hoc suos mitteret, Regis Vngariæ nomine iterum est exhortatus. Ad quod Petrus Palatinus assensum præbuit, literasque quibus tormenta bello capta sibi restitui, & inducias annales deposcebat, ad Sigismundum Regem dedit. Franciscus Præpositus Transyluaniæ Sociauia Moldauorum Metropoli egressus per Pokuce iter faciens Cracouiam peruenit. Qui ad Sigismundi Regis conspectum introductus, Ioannis Vngariæ Regis, Petri Palatini Moldauiæ, & Ioannis Statilij Episcopi Transyluaniæ literas reddidit, induciasque pro Moldauis continua oratione postulauit.

Rex Vngariæ ad Regē Polon & ad Valachium Legatos misit.

Desunt nonnulla de 1531.
Anno.

quamuis Regni Vngariæ Proceres improbo ac insano cōsilio nobilissimum adolescentem, in vitæ discrimen adduxerint, quibus potissimum ob intestina dissidia opulenti Regni ruinæ culpa impingitur. Sigismundus Rex non solùm à Turcis, sed etiam à Tartaris Tauroscythis ferocissima gēte, & quæ rapto viuere consueuit, pacem habuit, non illorum voluntate, sed Solimani Turci imperio: quibus mandauerat, ne Sigismundi terras armis infestarent. Etsi latrocinijs Scytharum Podolia ac Volynia nonnunquam fuit obnoxia: qui tamen damna non admodum magna facere potuerunt, & à regio præsidio facilè repellebantur, cùm non magnis exercitibus, sed paruis furtiuisque excursionibus res gereretur.

Anni noui initio, qui fuit humanæ salutis tricesimus secundus supra quindecies centesimum, mille equites Poloni ex Pocuce Moldauiam sub signis ingressi, dum hostilem terram vrerent vastarentque, subito & insperato à Valachis apud Tirasouce profligati sunt: Ducenti circiter ex eis perempti & capti sunt, alij fuga saluati. Eodem tempore Oslam Soltanus Tauricani Cæsaris frater, ab Hircano pelago & ostijs Volgæ seu Rha fluminis, transmisso Tanai, in Tauricam cum non contemnendis Orientalium Tartarorum auxilijs venit, cōmissoque cum Tauroscythis prælio victus, ac castris exutus, ad Circassiam arcem, quæ in dextra Boristhenis iacet ripa, ad Ostaphæum Sigismundi Regis in Amadocis præfectum se recepit, missisque ad Sigismundum Regem Oratoribus impetrauit, vt ei in oris Boristhenis cum aliquot equitum alis tutò manere liceret. Et vt eum Rex in posterum obstrictum maiore haberet beneficio, munera ei transmisit: tanta eius barbari Principis gratitudine, vt deinceps patrem eum appellaret, magnisque expeditionibus postea contra Moschouitas iuuerit. Sigismundus Rex Petricouiensi absoluto Conuentu, Cracouiam rediit. Superuenit postea ad eum præfectus Sylistriæ Turcus ab Ludouico Gritti Legatus, nuncians Solimanum Imperatorem rem Moldauicam componendam ei commisisse: hortatus regem, vt ex Regni Proceribus aliquot certo tempore ad fines Moldauiæ mitteret: idem mandato Cæsaris Petrum Moldauiæ Palatinum facturum astruens. Sigismundus Rex cùm se id facturum recepisset, legatum non indonatum expediuit. Venêre à diuersa regni parte duorum Principum Oratores, Ioachimi Marchionis Bran-

1532.

Poloni à Moldauis profligati.

Sylistriæ Bassa ad regem venit.

deburgensis, nec non Barnini Ducis Stetinensis, questum de latrocinijs, quæ ex arce Tucinia eorum prouincijs inferebantur. Sigismundus eius loci domino accersito, cùm ille multis inuidiæ argumentis se impeti ostendisset, sacratissimo iureiurando innocentiam suam purgauit, & deinceps se curaturum obstrinxit, vt latrones aliundè venientes insectaretur, & cum vicinis consanguineisque Principibus pacem coleret. Per id tempus Nicolaus Sidlouecius Castellanus Sandomiriensis & Regni Poloniæ Thesaurarius fatali morte absumptus est: vir ob singularem fidem, & heroicas virtutes Sigismundo Regi apprimè gratus, cui in quæsturæ officio Sbigneus Spitko de Tarnovv pari indole, gratia & fide est suffectus. Ad prima inde Veris signa graminumque crescentiam Sadkereius Tartarorum in Taurica Chersoneso Cæsar indignatus, Oslam Sultanum fratrem, hostem sibi infestissimum, quem non multo antea acie victum ex Taurica fugauerat, apud Cercasiam in ora Boristhenis arcem, regis permissu castra metatum esse, commeatuque & vestimentis ab Ostaphæo & alijs præfectis Regijs iuuari, mille quingentis Turcis peditibus & bombardis quinquaginta à Solimano Imperatore in auxilium acceptis, ex Taurica cum omni sua potentia egressus, copijs omnibus per Boristhenem apud Tavaniæ traiectum transmissis, Cercassiam arcem, quæ in ripa Boristhenis iacet, adortus est, eamque arcta obsidione cinxit, plantatisque ex aduerso tormentis bellicis, validissimè continuatis ictibus, Turcorum in hoc vsus ministerio, oppugnauit. Oslam Sultanus posteaquam Sadkereium Cæsarem eundemque patruum suum aduentare cognouit, castris repentè motis, transmisso ad alteram partem Boristhene, in Moschorum finibus euentum rei expectauit. Arcem Circassiam Ostaphæus Regius præfectus pertinaciter oppugnatam, validius aliquanto defendit, eius arcis suburbia ante hostis aduentum demolitus, ne incensa, arcem ex lignea alioquin materia constructam, in periculum ex propinquitate adduceret. Tauricanus Cæsar posteaquam arcem strenuè à regio præsidio defensam se expugnare non posse animaduertit, pulueres etiam bombardarum deficerent, & Turci pedites cum multis Tartaris multa strage cœsi occubuissent, Ostaphæum arcis præfectum ad colloquium sub fide publica euocauit. Qui cùm barbaro hosti non fideret, obsides ad se in arcem mitti primarios tres Tartaricos satrapas flagitauit. Quod cùm impetrasset, acceptis obsidibus, ac custodiri iussis, ipse aliquot hydromellis vasis secum receptis, ad Sadkerei Tartari castra descendit; vbi post mutuas consultationes ac colloquia, amicitiam & societatem cum eo iunxit, mensæque Cæsaris adhibitus, multa hilaritate & Lituanicis hydromellis compotatione, pacem inter se firmauêre, postquam diebus tredecim Tauricanus Cæsar validæ alioquin arcis expugnationem frustra tentasset. Qui motis inde castris in Tauricam nulla re memorabili gesta redijt. Misêre inde Oratores vterque Tartarorum Princeps, tam Sadkereius quàm Oslam Sultanus, ad Sigismundum Regem, hic amicus, ille hostis. Cum Cæsare secuta reconciliatione pax firmata: Oslam Soltano, qui extorris esset, & in campis Boristhenicis rerum omnium indigus vagabatur, missa munera. At longè maior ea æstate fuit expeditio Solimanni Turcorum Imperatoris in Pannoniam superiorem & Austriam. Ipse siquidem Ioannem Vngariæ Regem, quem sibi sub annuo tributo vectigalem fecerat, in suam susceperat protectionem, & eum per Ferdinandum Bohemiæ Regem armis molestari indignabatur. Quæ res tanto ei erat suspectior, quod Carolum Romanorum Imperatorem ex Hispania in Germaniam venisse acceperat. Solimanus itaque ingenti, quanto nunquam antea, comparato exercitu, solenni facto more suæ gentis sacrificio, matreque valedicta, terribili belli apparatu die decimo septimo Maij ex Constantinopoli mouit. Classem aduerso Danubio cum commeatu & tormentis bellicis Nandoralbam versus præcedere iussit. Ipse cum omnibus copijs equitum & peditum Hemo monte superato, in plana Misiæ superioris descendit, ac ad Saui & Danubij confluentes peruenit. Hic in Nandoralba per exploratores cognouit, Carolum Romanorum Imperatorem & Ferdinandum Regem omnium Ger-

Nicolai Sidlouecij obit⁹.

Tauricanus Cæsar Cercasiam obsidet, sed frustra.

Turcorũ expeditio in Vngariam & Austriam.

Germaniæ Principum Augustæ Vindelicorum Conuentum agere, eo consilio, vt eos contra Turcos armaret. Quo nuncio Solimanus consternatus, inops consilij, triduo cum primarijs Turcorum satrapis consultauit, quid se facere maximè expediret: redeundum ne in Thraciam, an bellum cœptum prosequendum. Horrebat siquidem Cæsaris Caroli potentiam, quem Hispaniam, Belgas in Gallia, Germaniam ac Italiam cum Sicilia, Sardinia ac Corsica, bellicosissimas gentes obtinete non ignorabat. Horrebat stupendam in bellis felicitatem, qui non multo antea Franciscum opulentum Gallorum Regem apud Ticinum seu Papiam victum in potestatem redegisset: Clementem Pontificem maximum vrbe Roma direpta in Castro Sancti Angeli, etsi se absente & inscio, obsedisset, pluraque alia terra & mari fecisset Imperatore Romano digna: quæ eum à bello Christianis inferendo deterrebant. Ex aduerso suscepti belli apparatus inuicti cum exercitus magnitudine animabant, pudorque ne per ignauiam & pauorem bellum cœptum deseruisse videretur. Post longam tandem consultationem hæc stetit sententia, vt Carinthia, Styria atque Austria peruastata, bellum duntaxat Germanis ostenderet, non inferret, à Viennæ oppugnatione abstineret. His ita ritè ordinatis, inter Sauum & Drauum iter cum omnibus copijs ingressus, ferro & igne crudelissimè omnia est depopulatus. Ardebat ea Regni Vngariæ pars exitiali bello. Sensit tantam belli tempestatem Carinthia & Styria. A Gracio inde dextrorsum flexo itinere in Austriam ingressus, tredecim à Vienna Germanicis miliaribus, castra vallo & fossa communiuit, eo respectu, vt gloriæ suæ satisfaceret, & hosti, quem imparatum per exploratores cognouerat, copiam pugnandi fecisse & expectasse videretur. Et ne tempus frustra tereret, Gyncium propinquum castris oppidum in ripa piscosi lacus situm, & ob id ab ea parte munitum, pertinacissimè oppugnauit. Septingenti intus erant præsidiarij milites Germani, & tormentorum bellicorum affluentem copiam habebant, quibus oppidum strenuè defenderunt cum cruenta Turcorum strage. Adactique sunt Turci, cladis suæ sibi conscij, obsidionem soluere. Oppugnata sunt & alia pleraque oppida per Turcos, sed irrito incœpto. Carolus Imperator posteaquã Solimanum cum omni sua potentia Styriam ingressum cognouit, Austriamque ferocissimis excursibus vrere ac populari, totis viribus adnixus est, vt cum eo manus consereret, vniuersam Germaniam cum Bohemia ac Morauia ad arma concitauit. Ex Hispanis atque Italis triginta millia bellatorum cum Antonio de Leua sagacissimo belli Duce, cuius consilio Gallorum Regem apud Ticinum victum in potestatem redegerat, accersiuit. Ex Gallia Belgica, Flandria ac Brabantia armatissimum equitatum euocauit. Ex Polonia tria circiter millia equitum voluntariorum florentis militiæ, vt prælio omni æuo memorabili interessent, vltro aduenerant. Locus conueniendi omnibus in sinistra Danubij ripa apud Viennam datus. Carolus Cæsar cum Ferdinando fratre ex Augusta secundo Danubio Ratisbonam descendit. Hic nonnihil Brabantinorum grauis armaturæ equitatus, robur exercitus, vtrumque Principem est remoratus. Qui cùm tandem aliquandiu expectati venissent, Christiani Reges Carolus & Ferdinandus ex Ratisbona soluerunt, & Viennam versus, quo omnes iam ex Italia, Germania, & Bohemia conuenerant copiæ, contenderunt. Solimanus Turcorum Cæsar posteaquam tanto belli apparatu, & ducentis circiter millibus hominum se peti per exploratores accepit, quamuis ipse exercitum duplo maiorem habuisse perhiberetur, & September mensis siccus admodum & serenus esset, nulla adactus necessitate, posteaquam mensem integrum conflictum expectasset, & vnius diei itinere Carolum & Ferdinandum Reges à Vienna abesse cognouisset, mutato repentè consilio, signo profectioni proposito, castris motis, retro Vngariam versus abire cœpit, Budamque veniens, triduum ibi dum pons ex contextis nauigijs per Danubium paratur est immoratus: vbi copias omnes traduxit, & altera Danubij ripa discessum maturauit. Ante castrorum motum ex Austria Solimani Cęsaris, duodecim Turcorum equitum millia ad Austriã vastandam exiuerant. Hi cũ præter omnium expectationem ob mota castra se destitutos à suis cognouerũt, cum præda & captiuis reditum accelerabant. Quos Poloni cum Vngaris ac leuioris ar-

Caroli Cæs. potentia & fœlicitas.

Gyncium à Turcis oppugnatum.

Carolus Imper. cum Ferdinando Turcarum Cæsari obuiam ire contendit.

Polonorum voluntariorum auxilia.

Turcarum Cæsar ex Austria Constantinopolim regressus.

In Austria Turcæ profligati à Polonis.

armaturæ Germanis consecuti, cõmisso prælio cruento certamine, penè ad internecionem ceciderunt. Satis constat nouem Turcorum millia in eo congressu occubuisse. Poloni magnam stupendæ audaciæ & virtutis bellicæ laudem hinc retulerunt, qui tanto ardore solutis habenis in Turcos primi sunt inuecti, vt præ violentissimo hastarum fragore primum eorum impetum sustinere non potuerint, moxque terga dare cœperint. In fuga cædes ingens ædita; circa montis cuiusdam angustias occisi plurimi. Quo die Cometes sub signo Leonis in cœlo apparere cœpit, & fulsit diebus 50. Inclytæ victoriæ laus Polonis cessit. Carolus Imperator & Ferdinandus Bohemiæ Rex post Solimani Cæsaris discessum, Viennam die vigesimo tertio Septembris ingressi, posteaquam hostem abijsse cognouerunt, quod cùm immanissimo hoste & omni Turcorum potentia pugna omni æuo memorabili congredi non dabatur, incredibili dolore sunt conflictati. Paucos Viennæ dies Carolus Imperator immoratus, soluto exercitu, Polonisq;, qui extrema Turcorum agmina profligassent amplissimè donatis, in Italiam primùm, & inde ex portu Genuensi in Hispaniã classe est deuectus. Et hunc exitum habuit duorum præpotentium Orientis atque Occidentis Imperatorum in Pannoniam superiorem siue Austriam aduentus, magna alterius partis ruina, si post congressum vni eorum victoria contigisset. Satis constat Solimannum Cæsarem de victoria desperasse, qui in prima Castrorum in Austria positione, ne soboles eius periclitaretur, Mustapham filium, quem in spem regni alebat, retro in Thraciam remisit. Et Constantinopoli rumor incerto auctore sparsus erat, omnem Turcorum potentiam aduerso prælio concidisse, Solimanumque Cæsarem trucidatum esse. Estque in vrbe Constantinopoli non sine Græcorum periculo trepidatum, quos Turci, qui illic in præsidio relicti erant, tumultuantes ad vnum omnes occidere constituerant, si acerbum hoc interfecti Cæsaris nuncium verificatum fuisset. Sub eo tempore, quo Solimanus Austriam pernicioso bello premebat, Andreas de Auria Genuensis, Cæsareæ classis præfectus, Epiri littora adnauigans, infesta omnia Turcis reddidit. Valonam vi captam diripuit, tormenta bellica plurima inde auexit, nauesque in portu reper-

Andreas de Auria Cæsareæ classis præfectus.

Cometa

tas corrupit. Inde impetu auectus in Poloponesum nauigauit, parique felicitate Coronam, munitum Græcorum oppidum expugnauit, præsidioque Hispanorum imposito longè munitiorem effecit. Nec his contentus, alia pleraque Turcorum in Peloponeso loca ferro & igne vastauit, oppida direpta incendit, onustusque præda anno iam in brumam vergente, cum victrice classe in Italiam redijt, milites per hiberna distribuit, Cometesque in cœlo fulgere desijt. Solimano Turcorum Imperatore ab Austriaca expeditione redeunte, Sigismundus Rex Oratorem ad ad eum misit Petrum Opalenski Castellanum Landensem, qui Constantinopoli Cæsarem adeptus, inducias ab eo ad vitam Principis vtriusque & eorum filiorum Sigismundi iunioris, ac Mustaphæ obtinuit: & vt Legatus ad Petrum Palatinum Moldauiæ mitteretur, cum his mandatis, ne Regni Poloniæ fines armis infestaret, effecit, Satkerique Tartaro, quem Solimanus Tauricanum Cæsarem designauerat, ibidem in Curia Solimani præsenti iniunctum, vt cum Sigismundo rege pacem, amicitiam & societatem coleret, eumque bello non lacesseret. Solimanus verò à Sigismundo Rege nihil aliud exegit, quàm ne hostes eius occultè vel apertè armis iuuaret: ipse verò Sigismundum contra quosuis hostes armis iuuare pollicitus est. Petrus Opalenski rebus omnibus ex sententia apud Solimanum confectis, ad Sigismundum Regem incolumis redijt. Sub anni exitu Orator Basilij Moscouitarum Ducis superuenit. Questus est Moscouitis à Lituanis, qui in finibus essent, iniurias inferri, orauit vt fœdus inuiolatum seruaretur, negociatoribusq; tam Lituanis, quàm Moscouitis liber ac securus vtrobique pateret transitus. Ad hæc Sigismundus Rex comiter & benignè respondit, astruens maiores Lituanis à Moscouitis iniurias esse illatas, & quosdam mercatores Lituanos esse spoliatos, voluitque vt per Basilium principem eius rei diligens inquisitio fieret, resque ablatæ restituerentur, constituitq; vt certis anni temporibus proceres Principis vtriusq; in finibus conuenirent, qui de damnis & iniurijs vtrinque illatis iustitiam administrarent, fœdusque summa fide inuiolatum seruaretur. Cum his Basilij Principis Legatus expeditus, ac etiam donatus, retro in Moscouiam abijt. Venerunt quo-

Petrus Opalenski ad Cæs. Turcarum missus.

Legatio Moschica.

Oslam Sultani ad regem legatio. quoque ab Oslam Soltano Tauricano nuper salutato Cæsare ad Sigismundum Regem legati, quem Tartari post Sadkeri Cæsaris ex Taurca fugam Cæsarem appellarant. Oslā Soltanus Tauricæ imperio potitus, de noua præter spem adepta dignitate Sigismundum Regem reddebat certiorem, fœdus, amicitiam & societatem, auxilia etiam contra hostes quoscunque pollicens. Orauit tamē vt munera prioribus Tauricæ Cæsaribus dari consueta ei mitteret, quibus inter Vlanos & Mursas gentis suæ proceres distributis, eos in officio, ne Polonis ac Lituanis damna inferrent, continere posset. Sigismundus Rex de sede Cæsarea Tartarorumque principatu adepto Oslam Soltano amplissimis verbis gratulatus, cum eo fœdus & amicitiam iunxit, de promissis auxilijs gratias egit, munera etiam aliqua (maiora postea pollicitus) misit. Cū his Oslam Soltani Cæsaris legati expediti sunt. Sub quo tempore Christophe- *Christophe-ri Szydloue-cij mors & laudes.* rus Sidlouecius Castellanus Cracouiēsis & Regni Poloniæ Cancellarius, aliquot continuatis funeribus, amissis liberis, fatalem mortem obijt; vir magni consilij, nec minoris virtutis, qui à pueritia Sigismundi Principis insistens famulitio, talem se in tenui adhuc fortuna eius principis gessit, vt aulæ suæ gubernium ei in Magistrum Curiæ creato, committeret. Sigismundo postea rege Poloniæ creato, per omnes dignitatum gradus ad summam secundum Regem dignitatem inter Regni Proceres peruenit, eaque ornatus dignitate, & antea multas legationes, ad Maximilianum Cæsarem aliosq; Reges & principes obiuit, in quibus talem se exhibuit, vt non immeritò à tot regibus, tā Christianis, quàm Ethnicis amaretur, opibus etiam augeretur, à Maximiliano Cæsare præcipuè, à quo octuaginta aureorum millia successiuè dono se se recepisse sæpius est testatus. Nec minora à VVladislo Vngariæ rege munera accepit, à quo Satoriensis Dux, datis adhuc diplomatibus, est creatus. Gallia tum atque Angliæ regibus tam gratus, vt frequentes ab eis literas summæ amicitiæ plenas receperit. Cum Imbraimo Bassa, qui apud Turcorum Imperatorē primum gratiæ locum obtinebat, tanta illi fuit amicitia, muneribus citro vltro que missis & acceptis, & societas, vt tūc & longo postea tempore à Turcis regnum Poloniæ pacem habuerit, eiusque opera & industria Podolia ac Russia, post tot Turcorum Tartarorū ac Valachorum, hostiles infestationes, in florētem statum sit restituta: Solimano Imperatore & Imbraimo Bassa auctoritate sua & iussu eas gentes ab assuetis excursionibus refrenante. Et cùm Christophorus Sidlouecius talis esset, apud Sigismundum regem primum gratiæ locum obtinuit, cuius ille sepius nixus cō silio domi forisque bello & pace prosperos successus habuit, & cùm ad supremam secundum Regem in regno dignitatem elatus fuisset, ad magnas etiā opes peruenit. In hoc solo parum felix, quod nullos virilis sexus liberos superstites reliquit; fortunæque eius omnes per fœmellas in alienas familias transierunt. Accessit ad perennis memoriæ eius cumulum, quod Opatouiam maiorem, Samboriam, & Lucouiam oppida cum arce Chmelouia (loca antea im munita, & Tartarorum excursionibus obnoxia) vallo, fossa, mœnibus, ac propugnaculis communiuit, Remque publicam per hoc auxit. Moriturus testamentum cōdidit, & se Opatouiæ, quod oppidum à Lubussensi Episcopo multis aureorum millibus mercatus erat, humari iussit. Anni sequētis initio, qui 1533. erat tricesimus tertius supra millesimū & quingentesimum, Sigismundus Rex *Comitia Petricouiæ turbulenta, propter Nunciorum terrestrium discordiam.* Procerum Regni Conuentum Petricouię celebrauit, non sine magna æmulatione & disturbio, Nuntijs terrarum inter se parum conuenientibus, & à Regio consilio ac magnatibus diuersis abeuntibus. Occidentales siquidem Poloni, qui maiores vocantur, tumultu paucorum temeritate in Sroda excitato, nūcios nullos ad Petricouiensem Cōuentum miserunt, & Sandomiriensis, Cuiauiensis, & Lenciciensis terrarum nuncij, absque his nullam se habere potestatem astruebant, & in hoc pertinaciter hærebant. Nouem alij Palatinatus Regio consilio & optimatibus accesserē, ea lege, vt Petricouiensis Conuentus conclusio, quæ Senatus consulto pecuniarum pro Regni defensione contributionem decreuerat, ad Corcinensem & Colensem Conuentus reijceretur. Eam rem etsi pessimi exempli & insolitam, (quia maioris Conuentus decreta per minora Conuenticula retractari debebant) Regium consilium assentiri est coactum, eo respectu, nè regni limites ab Oriente Sole eo anno omni militari destituti præsidio, Tartarorum & Valachorum excursionibus essent obnoxij.

Omnes

Omnes tandem Palatinatus in Corczin & Colo missis nuncijs, Petricouiensis Cōuentus decretum, quo pecunia pro Regni defensione conferri mandabatur, approbarunt, pecuniaque in Regium ærarium ab omnibus conferri cœpta, etiam in Posnaniensi & Calissiēsi satrapijs, finibus Germanorum contiguis. Qui quamuis ad Conuentum Nūcios nullos misissent, Regijs tamen diplomatibus, & maioris partis regni consilio ac decretis vel inuiti obtemperare sunt adacti. Quod & prioribus annis, vna aut altera vice, cùm Principi suo contumaces esse viderētur, cōtigit: hac vt puto ratione, quod à Scytharum infestationibus & bellorum periculis quā longissimè abessent, ignari vnius membri detruncationem, ad totius corporis sensum pertinere. In eo Petricouiensi Conuentu Oslam Sultani Tartarorum Cæsaris legati in Regio Senatu auditi, fœdus & amicitiā nec non auxilia Scythica Sigismundo Regi contra quoscūque hostes offerentes. Munera insuper Tauroscytharum Cæsaribus dari consueta flagitabant, astruentes Oslam Soltaman amicum & fœderatum Principem Mursas & Vlanos suos in obsequio, quin regnum Poloniæ, ac Magnū Lituaniæ Ducatum excursionibus infestarent, aliter, nisi profusa liberalitate retinere non posse. Venerat cum Tartarorum Oratoribus Ostaphæus Circassiensis apud Boristhenē Præfectus, Tartarorum ac Moscouitarum bellis famigeratissimus, qui non multò anteà Circassiam arcem à Sadhereio Tauroscytharum Cæsare difficilem perpessus obsidionem, strenuè tutatus fuit. Attulerat secum in Senatum Regium exantlati laboris & periculi clarum testimonium, bombardarum vastæ magnitudinis lapideos globos, quibus à Tartaris ac Turcis in Circassia arce oppugnatus fuit, irrito tamen hostium conatu. Qua virtute magnam sibi laudem, nec minorem fauorem apud omnes comparauit. Rex ipse Sigismundus, necnon Regni Antistites ac proceres certatim pecuniarium ipsi subsidium & munera obtulerunt. In Senatum Regium accersitus, rogatusque sententiam, quibus modis, quo consilio Tartari & aliæ Scytharum gentes ab assuetis incursionib⁹ ac damnis arceri possent, cùm in eam sententiam plurima solerter dixisset, id postremò suasit, vt nauigijs cōparatis inferiora Boristhenis duorum milliū duntaxat peditum presidio, ac quadringentis equitibus, qui commeatu prouiderent, firmarentur: posse hac parua manu & exiguo stipendio ingentes Tartarorum copias, qui nando periculosissimè Boristhenem transmittere soleant, à transitu arceri. Esse præterea frequentissimas toto Boristhene insulas, vndique præruptis saxis inaccessibiles, quarum aliquæ in arcis modū, vno ad illas præparato aditu, cōmuniri possent, quarum aliquæ tantæ essent magnitudinis, vt in eis non modò arces, sed oppida & vici locari possent; loca ad Scytharum excursiones inhibendas apprimè opportuna. Hoc Ostaphęi consilium cùm vniuersi in Senatu magno assensu comprobarent, atque ita fieri peroptarent; viderūt id absque mutuò cum Lituanis proceribus congressu, ac consilio, qui illam Boristhenis partem ditione tenerent, ad effectum deduci nō posse. Ad hoc postremò decursum, vt optimates Poloni cum Lituanæ gentis Proceribus cùm sub vno essent principe, aliquando in finibus conuenirēt, & de frenando Boristhene, Tartarisq; à transitu arcendis inuicem consultarēt. Ostaphęo fortissimo viro Sigismundus Rex Criciouiam vel Propuiscum & Cecerscum arces trans Boristhenem ob virtutem præfecturæ nomine tenendas dedit. Introductus postea in Senatum Solimani Turcorum Imperatoris Legatus Kierdei cognomine; qui cùm Sigismundum Regem principis sui nomine salutasset, prosperaque omnia tāquam fratri ac vicino suo illi precatus esset, retulit Solimanum Cæsarem exacta æstate cum ingenti exercitu in Pannonias ingressum fuisse, hostem suum Ferdinandum Boëmię regem in media Austria quęsiuisse, copiam ei pugnandi fecisse, aduentum eius & inanes Germanorum minas diu multumq; expectasse, quicquid Sauum & Drauum interiaceret, hostiliter populatum esse, & cùm hostes nusquam comparerent, Styria, Carniola, Carinthia atq; Austria Prouincijs ferro & igne atrocissimè peruastatis, captiuis etiam circiter centum millium in potestatem redactis, Turcico exercitu hostili præda ditato, in Thraciam incolumem redijsse. Sigismundus verò Rex, quod Solimanus Cæsar in hostem suum prospera vsus esset expeditione, incolumisque cum omnibus copijs in Thraciam redierit, tanquam fratri & vicino suo est congratulatus, precatus illi omne bonum, & felicem successum in dominijs suis. Legatus lauticijs prębitis comiter ac benignè habitus, postremò non sine muneri-

[Margin notes: *Tartarorum Cæsaris legatio ad comitia.* — *Ostaphæus Dux exercitus contra Tartaros.* — *Rationes, quo modo occurri possit excursionibus Tartarorum.* — *Turcarū operator ad regem venit.*]

neribus expeditus. Oslam Soltani etiam Tauricani Cæsaris Oratores pari comitate habiti, & promissis muneribus expediti sunt. Et per hæc Sigismundus Rex magna sua prudentia & felicitate cum potentissimis barbarorum Regibus pacem & amicitiam regno suo cōciliabat, ratus eo modo regnum suum in florentissimo statu facilius cōseruari posse, quàm bello & armis, quæ non nisi magna vrgente necessitate mouenda censebat. Sigismundus Rex Petricouiensi absoluto Conuentu Cracouiam rediit: quò ad eum à Palatino Multanorum, qui Valachiam Transalpinam moderatur Orator venit, pacem, amicitiam & perpetuum fœdus cum Sigismundo Rege petens: nulla alia re, quàm singulari eius regis virtute, prudentia & fama, qua cæteros Reges anteibat, permotus, quamuis regni Poloniæ finibus nusquam cohæreret, imò Moldaui, Cæculi, atque Vngari magno terrarum spacio eum à Polonia disiungerent. Multani siquidem Dacis contigui superiora Istri tenent; Moldaui ad Pontum vsque inferiora; etsi Turci Kyliam & Castrum cognomento Album, arces ad Istri & Tyræ amnium Ostia sitas eis ademerunt. Vero tempore octingenti circiter Tatari ingressi Podoliam, omni militari præsidio destitutam, circa Sincouiam populati sunt. Quos cum præda redeuntes Palatinus Kiouiensis aggressus, centum propemodum ex eis trucidauit, & prædæ partem ademit. Sub quo tempore Fredericus Daniæ siue Cimbrorum Rex, posteaquam Cristiernum tyrannum, quem regno eiecerat, in potestatem redegisset, ac Holsaciis custodiendum tradidisset, die octaua Aprilis vita decessit, eximiæ sanè virtutis rex, si se & Cimbrorum regnum Lutherana hæresi magna impietate nō infecisset: Quo insano delirio, ne dicam furore, amplissimum etiam trans sinum Sarmaticum Suetiæ regnum laborauit, tot Antistitibus regno pulsis. Ad eum vsq; terrarum angulum sub Arcto situm, fœda & perniciosa hæc labes penetrauit. Diuersa terrarum parte in Peloponeso circa Coronem per Hispanos & Turcos bis classe decertatum est. Andrea de Auria Cæsarianæ classis Præfecto duce, Hispani victores Turcos magnis cladibus terra & aquis affecêre, totoque Ionio atque Aegeo mari infesta omnia Turcis reddidêre. Ea æstate circa æstiuum Solsticium Sigismundus Rex Cracouia egressus cum Bona Regina, nec non Sigismundo ac Isabella liberis in Lituaniam transiuit. Nec multò postea Cometes cum oblonga cauda sub polo arctico & sydere tauri fulgere cœpit, qui Septentrionalibus populis mala multa, vt euentus docuit, nec non Basilij magni Moscorum Ducis mortem portendit: insuper prodigiosas inundationes, quæ duabus successiuè æstatibus regnum Poloniæ afflixerunt. Sigismūdus Rex Vilnam ornatissimo ac quatuor equitum millium numeroso ingressus comitatu, incredibili eius gentis Procerum cōcursu & lætitia est exceptus. Cum quibus frequenti Senatu consilio inito ad Basilium magnum Moscouitarum Ducem nuncios misit, qui Smolensko arcem repeterent, pacemque ei, arce restituta offerrent. Nuncij Regij Mosquam Metropolim, quæ ad flumen eiusdem nominis sita est, ingressi, ac adj Basilium Ducem introducti, posteaquam mandata regia exposuissent, Basilius Smolensco arcem nequaquam se redditurum palam professus, pacem alijs conditionibus se initurum non abnuebat. Et quia Smolensco arx nō reddebatur, legati Regij nihil vltra conati, in Lituaniam, omni spe pacis abiecta, rediêre, Spectabatque res ad arma. Conuentus etiam habiti, de pecunia pro militibus mercenarijs conferēda, decretumque vt singuli agricolæ singulis annis per triēnium grossos duodenos cōferrēt. Sub quo tempore Oslam Soltanus Tartarus cum exercitu triginta millium equitum Taurica egressus, Moscouiam atrociter peruastauit. Occurrit Tartaris Moscouitarum exercitus pari ferme numero. Signis collatis apud Ocam amnem 15. à Mosqua Metropoli milliaribus depugnatum est: Moscouitæ post cruentum certamen fusi & fugati sunt: Oslam Soltano inclita cessit victoria; qui exuuijs hostium expletus, cum multiplici præda victorem exercitum in Tauricam reduxit, & ad Sigismūdum Regem Oratores misit, qui ei de hostilis terræ vastatione ac victoria ex hoste communi nunciarent. De qua ei Sigismundus Rex promissis muneribus est congratulatus, contentus, quod Basilius Dux Tartarico bello distraheretur; sperans eo modo Lituaniam à bello quieturam. Legatis Oslam Soltani Tartari expeditis, quia Sigismundus Rex promissa munera aliquanto serius mittebat, indignatus barbarus, cum ingenti exercitu Regnum Poloniæ & Lituaniam hostiliter inuadere destinauerat, Tauricaque egressus apud Borīsthenē in

Palatini Transalpinensis Orator ad regē.

Tartari Podoliam populantur.

Dania & Suetia hæresi Lutherana infecta.

Rex Vilnam profectus.

Cometes.

Rex Smolēscum repetit à Moscho.

Contributio in milites.

Tartari Moscouiam populantur.

Tartaris munera à Rege missa.

in transmittendis copijs nonnihil remoratus est. Quatuor diebus totidemque noctibus apud Tauanic exercitus omnis nando,& ob id laboriosè per altum latumque alioquin flumen transmisit, cũ opportunè Sigismundi Regis legati cum muneribus, ad dena aureorum millia æstimata, superuenêre: Quibus barbarus placatus paulo altius Boristhenem rursus cum omnibus copijs traiecit,& Moscouiam versus sub signis contẽdit: quam ferro & igni in gratiam Sigismundi Regis est populatus. Dũ in Sarmatia apud fõtes Tanais eo modo belligeratum est, in Peloponeso Turci terra & mari Coronem Græcorum oppidum, sed tunc Hispanorum præsidio munitum, obsidione cinxerunt. Oppugnata est Corona aliquoties pertinaciter, obsidio in longum extracta, adeò vt præsidiarij milites fame adacti, equis & calceamẽtorum soleis vitam producere cogerentur, parumque abfuit quin Hispani rerum omnium inopia adacti, deditionem facerẽt, tolerabant tamẽ subsidij spe omnem defectum. Triginta Turcorum millia à terra totidemque à portu maris oppidum premebant, Hispanis & Græcis omnibus periculis fortiter occursantibus. Andreas de Auria Genuensis Cæsarianæ classis Præfectus, munitissimi oppidi, ad Turcorum res infestandas apprimè opportuno loco siti, motus periculo, ad Coronẽ cum instructa classe profectus, dieque 8. Augusti cum Turcorum classe manus conseruit. Qua victa ac disiecta, portum Coronensem ingressus terrestres Turcorum copias pari felicitate fudit fugauitque, tormenta bellica recepit, ac castra diripuit. Ea victoria Cæsarianus dux potitus, cõmeatum vrbi necessarium intulit,& quatuor Peloponesi oppida in potestatem redacta diripuit & incendit, victricemque classem in Siciliam in hiberna remisit. Tam prosperè eo anno in Græcia cum Turcis depugnatum est. In Italia Clemens Romanus Pontifex ex Vrbe secundo Tyberi ad Ostiam deuectus, triginta circiter triremium classe Andrea de Auria comitante in Liguriam primùm, inde in Massiliam Galliæ penetrauit. Vbi cum Francisco Galliarũ rege congressus, ab eo Rege diuinis pene honoribus Massiliæ est exceptus, ac etiam tractatus vnà cum supremi ordinis antistitibus Cardinalibus, quos omnes munificentissimus Rex, nedum amplissimis donis, sed etiam annuis in Regno suo prouentibus adornauit. In eo congressu Romanus Pontifex filio eius regis secundogenito, neptim suam Tuscam genere matrimonio copulauit, ac ei Ducatum Vrbini dotis nomine assignauit: Quem cùm Iulij secundi olim Pontificis ex fratre nepos ditiõe teneret, magnorum bellorum causam res hęc haud dubiè præbuisset, cùm Carolus Imperatốr, tã Ferrariæ quàm Vrbini duces fœderatos suos armis tueri proposuisset. Sed opportunè anno nondum lapso Clemẽs Romanus Pontifex in humanis esse desijt, Italiamque magnis motibus morte sua liberauit. At in Sarmatia Asiatica supra Tanaim Basilius Moscouitarum dux aduersa valetudine aliquandiu cõflictatus, circa Brumæ initium fatalem mortem obijt, filio quadrienni testamento successore relicto, tribus ei gubernatoribus, quibus maximè fidebat, relictis, inter quos erat Michaël Glinski Lituanus, quem ex longo carcere liberatum nepte eius sibi matrimonio copulata (ex qua filium susceperat) ad magnas opes extulerat. Georgius & Andreas Ioannis pueri Magni Ducis Moscouiæ patrui, quia res nouas moliri,& ad fastigiũ ducatus aspirare videbantur, Georgius in potestatẽ redactus per gubernatores custodiri est passus: Andreas fuga elapsus, comparato exercitu, & gubernatoribus factus formidabilis, pueri curam aliquandiu gessit. Georgioq; fratre ex carcere liberato, ac in ordinẽ redacto, Michaëlem Glinski vnum ex pueri ducis Tutoribus ob excellens ingenium, animumque inquietum, & per hæc suspectum, captum ac ferreis catenis cõstrictum in Carcerẽ coniecit. Moscouia inde varijs agitata est motibus, eius principatus magnatibus inuicem dissidentibus, & summam rerum ad se trahẽtibus. Sedhęc aliquãto postea. Eius anni hyems in Sarmatico climate fuit gelu satis constans, magnarum niuium & frigoris intolerãdi; qua exacta Haliczki Cracouiẽsis Palatinus, Leopoliensis Pręfectus in humanis esse desijt. Cui Stanislaus Odrouansius magnæ spei ac indolis adolescens, Castellanus Leopoliensis per Sigismundum Regẽ in præfectura est suffectus. Sub vernali inde equinoctio anni millesimi quingentesimi trigesimi quarti, supra millesimum quingentesimum Ioannes 1534. Tarnouius Palatinus Russiæ, Regni Poloniæ summus copiarum Dux, non ignarus, Scythas Tartaros rapto viuere assuetos,& hostes Regni penè anniuersarios nunquam quieturos, veritus ne ad prima veris signa & graminum succrescentiam Podolia aliquid à ferocissimo hoste pateretur detrimẽti, placuit ei occurrere periculo. Et ex Gorlicino mo-

Corona à Turcis oppugnata, & ab Andrea Auria defensa.

Clementis Pont. max. cum Rege Galliæ congressus.

Basilij Moscorum dux mortuus.

Ioannis Tarnouij vigilantia.

mouens, cum numeroso equitatu in Podoliam ad Bugum amnem Chmelnicumque transiuit: auxerunt equitatum eius, Russiæ ac Podoliæ præclari belli duces & bellicosi adolescentes, quos omnes apud se multa liberalitate & sumptu profuso fouit, magnis etiam prosequutus est donarijs. In Chmelnico existens oppidum arcemque instaurauit, ac munitiorem reddidit. Aduentus Tarnouij in Podoliam effecit, vt eius terrore agricolæ liberius terram colerent, & frequentiore incolatu replerent: Tartarorum etiam Pręcopensium metus sola nominis eius fama oppressus, nihilque incommodi ab ea gente, alioquin ferocissima tota ea æstate Podolia est perpessa; quamuis Tarnouius ex Chmelnico verno adhuc tempore domum rediens, tota æstate illinc abfuerit. Tartarorum aliarumque efferatarum gentium metu multæ arces in Russia ac Podolia sunt constructæ. Trebouulam Andreas Tencinius Cracouiensis Castellanus magno sumptu ac incredibili celeritate instaurauit. Medicam arcem stagno alto circumfluam Petrus Cmitha Regni Marschalcus, loci commoditate allectus, à fundamentis erexit. Prochnicia arx ampliore vallo in gyrum ducto, fossa, propugnaculis, & aquis restagnantibus, exmurata longè munitior reddita. Petrus quoque Vapouuski Radothoniensis, Denouiam terræ Sanocensis oppidum apud Sanum amnem situm, eo anno die sexta Maij vallo & fossa communire cœpit: locum ad arcendos barbaros apprimè opportunũ & tutum, multorum hominum si hostis regnum inuaderet receptaculum. Diuersa orbis terrarum parte in Peloponeso siue Morea.

Arces in Podolia constructæ & munitæ.

Deest vnum folium.

in Lituanorum alter venit potestatem. Ad Starodubum hinc victor exercitus processit, oppidum satis amplum primo impetu captum, direptum ac incensum est: Arx ob validum intus præsidium expugnari non potuit. Ad Radohosciam inde arcem castra promota: hic quoque cum Seueriensis arcis præfecto feliciter depugnatum est, mille ex hostibus profligati. Radohoscium oppidum direptum atque incensum, arx quoque expugnata, ac solo æquata: Præfectus arcis cum coniuge ac liberis in Lituanorum venit potestatem. Rebus hic ex sententia fluentibus, omnes Lituanorum copiæ bifariam diuisæ; Pars vna Palatino Kiouiensi Duce Cernihouium versus processit, altera ad Riphæos montes & Smolensko: vbi cum hostibus aliquoties paruis certaminibus prosperè est pugnatum. Oppidum Smolensko Lituani exusserunt, Arcis Smolnensis oppugnatio, quæ in altera Boristhenis ripa iacet, quia validissimum intus erat præsidium, tentata non est; & quia Bruma appetebat, Lituanorum exercitus solutus, in hiberna concessit; Moscouitæ transfugæ, inter quos duo erant duces illustres viri, Vilnam ad Regem deducti, benignè ac comiter ab eo suscepti sunt, munera illis amplissima data, possessiones etiam pro tantorum virorum conditione attributæ, secretioribus etiam ij adhibiti sunt consilijs. Vix dum Lituani domũ redierant, cùm mille equites Moscouitæ Lituanorum fines ingressi, Polocko & VVitepsko oppida, quę apud Dunam amnem arcesque eius nominis sita sunt, insperato accessu, incendio absumpserunt, villisque aliquot exustis retro abierunt. Autumni initio Clemens eius nominis septimus Romanorum pontifex fatalem mortem obijt. Cui Alexander Fernesius supremi ordinis antistes vir eximiæ virtutis & doctrinæ Cardinalium suffragijs in Petri Barione sede est suffectus, & Paulus appellatus. Qui inde à sua in Pontificem creatione, nihil aliud egit, quàm vt Christianos Reges ac Principes ad concordiam reduceret, & contra immanissimos Turcos armaret. Satis constat pro paranda ac ornanda classe Andreæ Doria, Cæsareæ classis præfecto, octuaginta aureorum millia nouum Pontificem dedisse, viginti insuper promisisse. Tribus vno tempore locis naues fabricatæ, Barchinonę in Hispania, Genuæ, & Neapoli in Italia: Hispanis etiam (quod antea per Hispaniarum Reges edicto vetitum erat) concessum, vt omnibus partibus maris liberè naues construerentur. Quod ideo factum puto, vt in Hispanis militibus in Italiam, & inde in Aphricam aut Græciam transportandis nullus nauium esset defectus. Vngari ea æstate quieti operam dabant, verùm Autumnus bellorum tumultibus eos agitare cœpit, Ludouico Griti Venetiarum Ducis filio cum quinque Turcorum millibus ex Thracia in Transyluaniam cum Hieronymo Laski Palatino Siradiensi superue-

Starodubum oppidum exustum.

Radohosciũ incensum.

Clementi pontifici maximo mortuo succeßit Paulus 3.

Ludouicus Griti Vngariam turbat.

Hieronymus Laski.

niente. Queſtus eſt Hieronymus Laski apud Solimanum Turcorum Imperatorem contra Ioannem Vngariæ Regem, quod ſtipendium debitum ei non exolueret, obtinueratque eo nomine apud Solimanum nuncium & literas, quo is contentus redderetur, Ioannes Rex hominem ex hauſti ærarij inopia ducebat, partem ei concedebat; Eratque Laski ea cauſa infenſi animi, conſiliaque agitabat, quibus ex eius ſtipendio ſeſe extricaret, ac in Poloniam patriam ſuam rediret. Griti Dux Regni Vngariæ gubernatorem ac quæſtorem ab initio ſe gerebat, ad eumque faſtum peruenerat, vt ſubinde Ioanne Rege in arce Budenſi ad cubiculum eius familiariter veniente, ei aſſurgere de more non dignaretur. Conceſſerat poſtea Griti ad Curiam Solimani Imperatoris, vbi fermè per biennium abſuit. Tunc in Tranſyluaniam veniens, gubernatoris nomine Emericum Cibacum Antiſtitem Varadienſem electum, quem conatibus ſuis maximè aduerſari cognouerat, ad ſe accerſiuit, venientem cum mille, ac quingentis equitibus, per Batianum Vngarum ſub ſpecie amicitiæ in tentorium illius admiſſum, nihil tale ſuſpicantem per proditionem obtruncari fecit, Hieronymumque Laski ad occupandum Varadinum miſit. Ad indignam tanti hominis necem vniuerſa Tranſyluania tumultuari cœpit, armaque in Gritum corripuit, ac eum in Meges ciuitate obſidione cinxit. Euocato in auxilium Petro Palatino Moldauiæ, qui octodecim Valachorum millibus ob reſiduum odium, quod in Gritum gerebat, ob Palatinatum Moldauiæ affectatum, ac à Solimano Imperatore, vt fama ferebat, impetratum, in Tranſyluaniam venit, & apud Megeſium caſtra fecit.

Eius tumultus fama Ioannes Rex conſternatus, Hieronymum Laski Palatinum Siradienſem, qui apud Varadinum hærebat, ſiue quod vitæ eius conſultum volebat, ne cum Grito duce periclitaretur, ſiue quia Emerici Cibaci necis conſcium eſſe ſuſpicabatur, ſub ſpecie conſilij ad ſe accerſiuit. Qui Regis dicto obtemperans, cum trecentis equitibus Budam venit, multa ab eo Rege comitate exceptus, cum eo dies aliquot mutuis colloquijs ac conſilijs contriuit, & in Tranſyluaniam redire permiſit, qui cum equitatu ſuo Danubio tranſmiſſo, poſteaquam aliquantum itineris feciſſet, per Iaroczki aulicum Polonum eum reuocauit, hortatus hominem, vt relicto equitatu, pauco comitatu ad ſe Budam rediret. Paruit ille regio mandato, arcemque Budenſem ingreſſus eſt. Apparitores ad hoc ſubordinati, cum in poteſtatem redactum ad cuſtodiam traxerunt, ac in quodam honeſto cubiculo, coquo ac altero familiari Polono ei relicto, concluſerunt. *Hieronymus Laski in cuſtodia detentus.* Cùm Laski quæreretur ſe innocentem ea affici ignominia, cùm Emerici Cibaci mortis omnino expers eſſet, & cùm cauſam captiuitatis ſuæ quæreret, Ioannis Satellites, qui cuſtodiæ præerant, Ioannem Regem ſalutis eius cauſa in eo Vngarico tumultu, & bono reſpectu feciſſe aſtruebant: Ioannes Rex Hieronymo Laski Palatino eo modo concluſo, Buda egreſſus Varadinum conceſſit, ad motus Vngarorum vt præ ſe ferre videbatur opprimendos. Vngari interea cum Petro Palatino Moldauiæ Megeſium obſidebant, ex qua vrbe Turci ſubindè erumpebant, & obſidentes perimebant. Extracta eſt aliquandiu obſidio, cùm Batianus, qui fraude Emericum Cibacum peremerat, patratæ cædis venia ab Vngaris obſidentibus impetrata, de Grito ac Turcis prodendis cum oppidanis agitare cœpit, cuius conſilio templum quod in arcis modum communitum erat, occupant. Griti à Batiano & oppidanis deſtitutus, in arcem recurrit. Turci mœnia oppidi tuebantur. Qui cùm inedia & aſſiduis vigilijs deficerent, Vngari qui obſidebant & hi qui intra vrbem erant, ex compoſito Turcos aggreſſi, eoſque in medio cædere cœperunt. Griti Dux diuerſa oppidi parte in apertum erupit, ſperans fuga ſeſe ſaluare poſſe, & abiens in Moldauorum ſtationem duobus fugæ comitibus incidit, in poteſtatem ab eis redactus, ac precioſiſſimis rebus, quas circa ſe habebat ſpoliatus, vinctuſque ad Mailatum Vngaricarum copiarum ducem tranſmiſſus eſt.

Griti interfectus. Receptum ille excarnificare cœpit, poſtera veniente luce, manè brachia, in meridie pedes, veſperè caput ei

ei amputari fecit; & hunc exitum habuit Griti ducis in Vngariam aduētus. Credidêre eum quidam Vngariæ Regnum affectaſſe, & ea cauſa primarios viros quoſdam, qui conſilio eius maximè obſtare videbantur, obtruncare voluiſſe. Ioannes Rex Varadini erat, legatisque ex Tranſyluania ad ſe venientibus adnixus eſt ſummoperè, vt armis depoſitis pacatè omnes agerent, Oratoribus qui necem Griti ducis apud Solimanum Cæſarem excuſarent, deſignatis, ac etiam miſſis. Turcorum Cæſar in Alepo ſeu Epiphania Syriæ tunc erat, bellumq; contra Sophi Perſarum Regem agebat. Qui Imbraimo Baſſa apud Euphratem cum exercitu relicto ipſe Biſantiū redijt, prouiſurus ne à Carolo Imperatore, qui ingētem claſſem parare ferebatur, Turcorū res aliquid acciperent detrimenti. Sedebat in arce Budenſi Hieronymus Laski Siradien. Palatinus captiuus, ob aduerſam valetudinem corpore & animo malè affectus. Ioannes verò Rex tumultu Tranſyluanico compoſito Varadini erat, cū Andreas Tencinius Caſtellanus Cracouienſis ab Hieroſolymitana per terram peregrinatione opportunè Budam aduenit, ſummaq; cura egit, vt ad Hieronymi Laski colloquium admitteretur. Cumque Budenſis arcis Præfectus id ei negaret, Varadinum ad Regem tranſiuit, & veluti ex compoſito Ioannes Tarnouius Palatinus Ruſſiæ eadem Hieronymi Laski liberandi cauſa ex Polonia aduenit. Effecerunt hi ſatrapæ apud Ioannem Regem vt Laski Palatinus libertati ſit reſtitutus, incolumis, Ioanne Rege teſtante, ſe non alia cauſa eum captiuaſſe, quàm ne vnà cum Grito duce, quem ipſi ſingulari amicitia iunctū non ignorabant, ſi eum iuuare contendiſſet, periclitatus fuiſſet, in hocq; cùm eſſet extra omnem cædis noxam Emerici Cibaci, ſaluti eius ita conſultum eſſe voluit. Venit inde Laski ex Buda Varadinum ad Ioannem Regem, à quo aliquot aureorum millibus donatus, Debrecinum etiam oppidum ab eo tenendum accepit. Quo Laski cum Andrea Tencinio & Ioanne Tarnouio illuſtribus viris profectus, cùm eius oppidi Conſules pecuniam ei conferre recuſarent, Regiaq; iuſſa contemnerent, ſeptem ex oppidi primoribus in poteſtatem redactos, Keſmarcum verſus abduci iuſſit, præmiſſo cum eis Andrea Tencinio. Ipſe cum Ioanne Tarnouio & quingentorum equitum Polonorū turma, ruſticorum impetum, qui captiuos Conſules liberare contendebant, à tergo ſuſtinebat, ac magna virtute etiā cum ſtrage eorum repellebat. Nec prius ruſtici eos inſequi deſtiterunt, quàm ad Tibiſcum amnem ventum ſit, quo Poloni ſatrapæ tranſmiſſo, paucis ex ſuis amiſſis, pacato inde itinere Keſmarcum cum captiuis incolumes peruenêre, in Poloniamque voti compotes rediêre. Eius anni autumno circa dimidium Octobris Tartari Taurica egreſſi tranſmiſſo apud Tanaue Boriſthene Podoliam vaſtare deſtinauerant: Decem erant equitum millia. Iamq; erant in limite Podoliæ, cùm ex captiuis cognouerunt, validum eſſe in Podolia Polonorum præſidium & copias non contemnendas: Captiui ex induſtria numerum militum verbis augebant florentis militiæ; cùm tria dūtaxat eſſent millia mercenariorum militum. Copiarum magnitudine, quas fama, & captiui maiores ſparſerant, Tartari conſternati, impetu auerſi in dextram flexêre iter, Volhiniamque terribili incurſione ingreſſi, eam terram atrociſſimè vaſtarunt, Zaſlauienſis arcis ſuburbiū expugnarunt, ac diripuerunt. Clades tanto maior erat Volhinenſium, quod præter ſpem & ſub hyemis initio ea hoſtium irruptio facta eſt. Tartari ferro & igni in Volhinia, ob nulla intus præſidia, liberè & atrociter debacchati, nullo accepto incommodo, cum præda & quindecim millibus captiuorum retro abiêre. 1535. Anno inſequēti, qui erat trigeſimus quintus, ſupra quingenteſimum & milleſimū, bello longè maximo Lituania concuſſa eſt. *Moschi vaſtant Lituaniam.* Moſchouitæ, qui ab aquilone Lituaniæ adhærent, intoleranda hyeme & niue præalta nequaquam eos deterrente, fluminibus ac paludibus glacie concretis, Lituaniam tripartito agmine ingreſſi pro temporis qualitate damna ingentia intulerunt, terribiliores ij qui à Pleſcouia & Polocko irruptionem fecerunt Braſlauiam trāſgreſſi, octodecim à Vilna Metropoli Germanicis miliaribus duntaxat abfuêre: Rectaque ad Vilnam contendiſſent, ni Sigiſmundi Regis præſentia eos à tam audaci conſilio auertiſſet. Rex ipſe ſiquidem in eo inſperato tumultu Lituanis ad arma concitatis, eos hoſtibus occurrere iuſſit, ſeptem millibus equitum in eo tumultu contra Moſchos expeditis. Alij Proceres prout per partes accurrebant, Regias copias adaugebant. Milites quidem Regij poſteaquam hoſtem fines ſuos attigiſſe cognouerunt, & ipſi ſoluto exercitu

citu retrocesſêre, vltionem pro æſtate ventura ſpirantes. Quæ vt proſperius ac maiori hoſtium terrore ſuccederet, ſeptem circiter Polonorum millia equitum, & peditum ex Polonia ſtipendio accerſiuêre: Regni etiam Poloniæ Senatus mille miſit equites, pedites mille, quibus Præfectus eſt Andreas de Gorka Caliſſienſis Caſtellanus. Ioannes autem Tarnouius Palatinus Ruſſiæ omnium Polonicarum copiarum ducatum ſuſcepit, & per hoc omnia bellico feruebant apparatu.

Hactenus Vapouius.

MARTINI CROMERI AD REGEM, PROCERES, EQVITESQVE POLONOS, IN COMITIIS VARSHAVIENSIBVS CONGREGATOS, Epiſtola.



EM virtute veſtra dignã, & moribus maiorum veſtrorum cõſentaneã facitis REX inclyte, & vos Proceres Equitesque Poloni, quòd vobis religionem Dei Opt. Max. cuius ope regnũ hoc ſeptum barbaris gentibus tam diu ſtat incolume, in primis curæ eſſe oſtenditis. Qua in re quantũ extiterit ſemper ſtudium maiorum veſtrorũ dicerem, ſi vos ignorare exiſtimarem. Ex eo quidem tẽpore, quo ij Chriſto Ieſu Deo & ſeruatori noſtro populariter nomina dedêre, eiusq; ſanctiſſimas leges atque cæremonias à multis alijs populis longè antè ſuſceptas, & eius ipſius numine per continuam multorum ſeculorum ſucceſſionem ab ipſis vſque Apoſtolorum temporibus conſeruatas, ſibiq; ad extremum, cùm Deo placuit, non tam ſcriptis, quàm viuis vocibus quaſi per manus traditas ſuſcepêre: ex eo inquã, tempore dimoueri ſe ab ijs nunquam paſſi ſunt. Quarum alias quaſdam gentes minùs tenaces fuiſſe non ignoramus. Quò verò cæteris quoque hominibus teſtatius facerent illi ipſi maiores noſtri, omnia pro retinẽda ac defendẽda, quam ſemel ſuſcepiſſent, religione ſe facere & pati paratos eſſe, ſtringere ij gladios, quibus præcingebantur, cùm Euangelium quæ lex Chriſti eſt, publicè in templis legi inciperet, ſoliti eſſe memorãtur. Nec id ſignis & verbis profitebantur magis, quàm re præſtabant. Vltro enim & alacres arma ſumebant contra barbaras gentes, ſicubi eas, quãuis longè à ſe, nomini Chriſtiano graues & infeſtas imminêre ſenſerant. Itaque & cum Pruſſis atq; Lituanis & conſanguineis ſuis Pomeranis olim, priuſquam eæ gentes Chriſto nomina dedêre, multa geſſerunt bella, non tam de imperio, quàm de religione: & regnante apud ſe Vuladiſlao Iagellone, cũ Vitoudo Lituanorum duce in intimam Tartariam expeditionem ſuſceperunt. Et verò eodem Iagellone & filijs eius Vuladiſlao & Cazimiro regnantibus, non modò in Valachiam, & ad Brailouiam Danubiumque, verùm etiam in Thraciam vſq; armati contra Turcas penetrarunt, vt Valachis, Raſcijs, Bulgaris atque Græcis laborantibus ſubuenirent. Quid igitur? An vos degeneraſtis ab hac virtute maiorum veſtrorum? Minimè verò. Nam vt mittam recentiores quaſdam expeditiones in Vngariã & Auſtriam, regnante nuper optimi & benigniſſimi huius regis patre diuo Sigiſmundo, à vobis eodem ſtudio & voluntate ſuſceptas, iſtud certè ſtudium veſtrum, quo ſanctiſſima Chriſti inſtituta, infelici hac noſtra atq; etiam ſuperiori ætate cupidorum & ambitioſorũ hominum partim incuria, partim improbo ſtudio vel contaminata, vel ſuppreſſa vindicare cupitis, (Neq; enim cũ ijs ſentio, qui vel odio, vel inuidia, vel ambitione cuiuſquam, & potentiæ authoritatisque contentione hæc agi ſuſpicantur:) iſtud igitur ſtudium veſtrum eò maioris eſt pietatis, quò magis pernicioſa ſunt religionibus praua & impia dogmata, quàm arma: proptereà quòd hæc quidem corpus modò petunt, in animum, in quo ſita eſt religio, nihil iuris habent: illa verò rectas de Deo deque cultu ac ceremonijs eius opiniones, quæ Reſpub. quoq; maximè conſeruant, tollunt ex animis, & pro ijs barbaricam quandam feritatem ingene-

nerant:qua fit, vt relaxatis semel audaciæ ac temeritatis habenis, sibi quisque placeat, alterum non modò contemnat damnetque, verùm etiam pro inimico & hoste ducat. Atq; hinc existunt feralia inter homines dissidia, quæ florentissimas etiam Respubl. pessundant penitùs, & euertunt lõgè faciliùs, quàm arma hostilia. Quod & pluribus verbis, & non obscuris exemplis demonstrari posset, nisi esset luce meridiana clarius. Iam verò sicut vtilius, ita difficilius est radicatas in animis multorum opiniones, pestilentes præsertim, eradicare, quàm hostem non modò ab alienis, verùm etiam à suis finibus arcére. Est igitur si non superior, certè par pietas ista vestra pietati maiorum vestrorum. Videte modò etiam atq; etiam, ne cui falso pietatis prætextu imponatur, neu quis pro vera religione, pestem religionis & Reipublicæ, superstitionem vel impietatem asserendam & vindicandã suscipiat. Quod quidem iudicium, tot ac tam diuersis & inter se pugnantibus de religione opinionibus, longè est difficillimum. Fallit enim (vt rectè inquit sapiens quidam) vitium specie virtutis & vmbra, ita vt plurimi, cùm ad religionis dogmata & instituta disceptanda ventum est, errare, non pauci scientes volentesq; falsa pro veris affirmare, & ad augendas vel stabiliendas opes suas, tegendasúe turpes cupiditates & flagitia sua sanctissimo religionis nomine apud imperitam multitudinem facilè abuti possint. Vt enim naturâ omnium hominum quamuis ferorum & barbarorum mẽtibus quidam de diuino numine, eiusque cultu sensus insitus est, ita certam & absolutam eius cognitionem assequi eæ per se ipsæ nequeũt. Idque intelligens Deus opt. max. ipse cælitùs certissimam sui notitiam cultumque primùm quidem angelorum ministerio, vel secretiore quadam piorum & sibi charorum hominum inspiratione: deinde verò per filium suum sapientia, bonitate, & potestate sibi parem in vno ferè populo informauit: Ad extremum verò per discipulos eius, eorumque successores, non modò pietate & integritate vitæ conspicuos, verùm etiam mirabilium, & vires humanas excedentium operũ patratores per omnes gentes atque ætates, totumque orbem terrarum, nequicquam aduersantibus impijs dæmonibus, mirabiliter eam diffudit & propagauit. Et sedulò quidem conati sunt inuidi demones cùm ipsi per se, tum per satellites & administros suos tyrãnos errorumq; magistros, vel delêre penitùs ex animis hominum illam ipsam notitiam cultumque Dei, vel deprauare: sępeque ij conatus permissu & arcano quodam consilio Dei nonnullum successum habuêre. Nam & ipse Satanas, transformans se in angelum lucis, vt inquit D. Paulus, sæpe multos in impias & absurdas de Deo opiniones induxit, vel cultũ eius ad se traduxit, nefandisúe ritibus & ceremonijs polluit, & ministri eius falsi Prophetæ, & magistri mendaces sub specie ministrorum iustitiæ & veritatis fallentes, multos seduxerunt, partim derogando fidem veræ ac diuinitùs proditæ doctrinæ: partim nouis ac domi suæ natis interpretationibus eam deprauãdo, & sua dæmoniumúe commenta pro ipsissimo DEI verbo venditando Itaque & in Hebræo populo fuerunt olim, qui dicerent: Hæc dicit Dominus, cùm ille eos non mitteret, & in Christiano ipsa, quæ mentiri non potest, Veritas prædixit, multos in suo nomine venturos esse, dicturosque: Ego sum Christus: aut, Ecce hîc, vel illic est Christus: & multos ab eis seductum iri. Quod quidem re ipsa etiam impletum esse nemini dubium est. Iam inde enim à temporibus Apostolorum fuêre inter Christianos Hymenæus, Alexander, Menander, Ebion, Cherintus, ac deinde alij post alios magistri mẽdaces, segregantes semetipsos, introducentes sectas perditionis, & speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes. Ne modò quidem desunt cùm alibi, tũ apud nos eiusce modi pestes: habentq; suos satellites tyrannicos, homines mẽte corruptos, qui cæteros minis, mulctis, ac supplicijs vel inuitos à vera pietate in errorem secum abstrahunt, non nulli quidem arbitrantes obsequium se præstare Deo, complures verò idem duntaxat simulantes, sed suum interim negotium agentes veriùs, quàm Dei. Quod quidem non tenui quadam coniectura, sed ipsa rei euidẽtia probari potest. Sed ego ita nunc agam, vt quasi in re dubia à qua parte stet veritas & pietas suum cuique de omnibus iudicium saluum relinquam. Certè non idẽ omnes nunc sentiunt de doctrina, institutis & ritibus religionis. Non conuenit, vt scitis, multis magnisque de rebus inter eos qui se Euangelicos vocãt, & qui Papistæ appellantur. Inter eos autem, qui volunt esse medij, & ipsi ab vtrisque dissentiunt, & in vtrisque multa damnant. Quid verò isti ipsi Euangeli-

Esech. 13.

Mat. 24. Marc. 13

ci, quemadmodum videri volunt, verbi Dei siue illustratores, siue vindices? Idemne omnes sentiunt? Minimè gentium. Alioqui vnde quæso nota sunt nobis tam diuersa nomina, quibus illi inter se distinguuntur, vt alij quidem dici velint Protestantes vel Augustanæ confessionis, alij Tigurinæ, siue Geneuensis, quos etiā Zuinglianos & Caluinianos & Sacramentarios appellant: alij Picardi, Anabaptistæ alij vocitētur? Vnde autem est, quòd quidam quasi fastidientes iam hæc vulgaria, partim Osiādri, partim Serueti doctrina & nomine gloriātur? Mitto Russos, siue Bulgaros, & Boëmos Calixtinos: qui quàm valdè dissentiant ab ijs, quos iam enumeraui, non dico modò, certè ipsi sese ab omnibus segregant, & penes se solos veram & incorruptam religionē vigére contendunt: à cæteris autem ferè improbantur. Sunt & alij prætereà, ni fallor, neque cum superioribus, neque inter se ipsi de rebus non parui momēti consentiētes, sed nobis adhuc minùs cogniti. Et omnes quidē hi verbo Dei se niti prę se ferunt & asseuerant, sed nō eodem id modo omnes intelligunt, aut interpretantur: Verùm sua quisque vel à se excogitata, vel vndelibet arrepta opinione impensiùs delectatus, alterius sensum vix, ac ne vix quidem fortasse cognitum, non tam superciliosè, quàm hostiliter damnat. Atque hinc sanè existunt vulgò neglectus & profanationes cultus diuini, cum diuini nominis contumelia coniunctæ, exultantibus & insultantibꝰ nobis atque religioni Christianæ, quasi falsæ vel incertæ duntaxat, Iudæis & Mahometanis. Hinc offensiones mutuæ & irritationes animorum, non solùm inter ciues, & eiusdem linguæ eiusdemque iuris homines, verùm etiam inter cognatos & necessarios, citò in extremum florentissimi huius regni exitium, quod ipsi vos non obscurè cernitis, erupturæ, nisi celeriter Deus opt. max. & tua, Rex clementissime, ac vestra pariter Proceres Equitesque sapientia salutarem opem attulerit. Quid igitur facto opus est? Vos quidem id rectè sapienti consilio vestro expedietis: dicam tamen & ego quod sentio: & dicā verè, & ex animo, pro mea in communem patriam fide & officio: vos quęso & benignè ac diligenter attendite. Si de legibus & institutis Reipub. vestræ hæc esset controuersia, rationibus & argumentis non cuilibet, sed ijs modò, qui in hac Repub. multùm diuq; versati sunt, inter ipsos contendendum ac disceptādum esse cēserem authore Platone clarissimo philosopho, quænam esset recta, & moribus maiorum virorum consentanea, & vobis, liberis posterisq; vestris ac toti Reip. salutaris sentētia: eamque cùm vestris omnium iudicijs & assensu publico esset comprobata, grauibus pœnis à vobis sanciendam esse iudicarem. Quòd si quis communi placito vestro temerè aduersaretur, intelligitis opinor, quæ ibi vestræ, quæ magistratuum essent partes. Quin si ego, aut quispiam alius videri vellet indulgētior, meritò metuere deberet, ne laxanda disciplina publica ad perniciem Reipub. hoc eius consilium spectare aliquatenus existimaretur, néue pro populari præuaricator, pro leni legum patriæque hostis iudicaretur. Quamobrem quia penes vos est omne legum & institutorum ad hanc Rempub. pertinentium arbitrium, vos quæ huic regno vtilia & salutaria esse iudicatis, prouidere, in commune consulere & statuere conuenit: me meique similes non modò priuatos homines, verùm etiam magistratus publicos, capessere iussa ac decreta vestra, nō meo, priuatiúe cuiusquam vel paucorū commodo & arbitrio mutare, aut indulgenter præterire decet, ne si publicè quidem vtile id fore videretur: propterea quòd nunquam tantum boni Reipublicæ conciliari potest vnius alicuius paucorumúe salute, quantum conflatur mali, si principis & populi maiestas imminuatur, legumq; authoritas ac disciplina publica labefactetur & elanguescat. Etenim vtilitas indulgentiæ etiamsi in plures redūdet, ad vnum quidem tempus pertinet, exemplum verò pręuaricationis non modò ad multos homines, sed ad omnes leges, & omne tempus. Itaque de Zaleuco, Lycurgo, L. Bruto, Mālio Torquato, & alijs quibusdam Græcis, Latinis atque barbaris legumlatoribus, aut alioqui principibus & sapientibus viris cum sempiterna eorum laude memoratur, quod ij disciplinam publicam partim charissimorum liberorum suorum cædibus, partim etiam membrorum suorum mutilatione exilioque suo sanxerunt, pluris facientes stabilimentum legum, quo Rerum pub. salus cōtinetur, quàm ea, quæ mortales in hac vita ducunt charissima. Sed quorsum hæc tam longè repetita? Nempe vt intelligatis, quod tamen per vos ipsi probè intelligitis, quę vestræ omnium, quæue priuati alicuius vel paucorū essent partes, si de ijs rebus esset controuersia, quæ peculiariter ad Rempub. vestrā perti-

pertinent. Quid igitur, cùm de religione eiusque ritibus ac cæremonijs disceptatur, idemne existimandum est? Equidem si his de rebus, sicut de illis superioribus, placita vniuscuiusque populi propria esse debere, aut omninò posse arbitrarer, idem de his, quod de illis, vobis faciendum esse cēserem. Sed alia longè est religionis, alia Reipublicę ratio. Hæc sua est cuique genti, illa multis, atque adeò toti terrarum orbi communis. Illa ab hominibus cōstituitur, hominumque iudicio diuersis pro ratione temporum legibus & institutis temperatur: hæc verò diuinitùs constituta certas habet leges & immobiles, quas nulli neque homini, neque populo, ac ne omnibus quidem simul abrogare, antiquare aut mutare licet. Quod si quis conetur modò meritò impius & sacrilegus habeatur. An non faciunt hoc igitur Pontifices & Episcopi, dicet aliquis? Negant illi, tu ais. Quis igitur controuersiam hanc dirimet? Verbum Dei, inquies. Rectè sanè. Vnde autem id petes? Cœlitùs? At procul cœlum abest. Reuelationem ostende si potes, verùm ita, vt nobis certum sit, eam diuinam esse. Ab authore Christo? At is iampridem inter mortales loqui desijt. Et scriptis propheticis, Euangelicis, & Apostolicis? Non malè, quamuis non è solis fortasse, sed mitto id modò. Cæterùm scriptorum illorum genuinus sensus & interpretatio, de qua est omnis ferè controuersia, penes quem erit? Non penes Episcopos quidem, inquies. Cur obsecro magis penes te, tuiq; similes? At penes hos omnes. Vnde id probas? Videris habere aliquid è sacris scripturis. Sed in easdem salebras nostra relabetur sermocinatio. Negabo enim ego eum esse, quem tu vis, illarum scripturarum sensum. Negas tu vicissim vllam esse in sensu earum percipiendo difficultatem. Cur igitur non conuenit inter nos? Cur nō olim inter Arium & Athanasium, Eunomium & Basilium, Iouinianum & Hieronymum, Donatistas & Augustinum? Cur autem scribit Petrus de Pauli epistolis, quòd in ijs sunt quædā difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, in suam ipsorum perditionem? Sed mitto disputatorem. Ad te REX & vos proceres, Equitesque sapientissimi redeo. Nullæne igitur vestræ sunt partes in componendo religionis dissidio? Sunt profectò, & magnæ quidem. Sed tamen non arbitrandi & statuendi, quid sequi quemque oporteat, ac ne illud quidem, quæ sit de quaq; re congruentior verbo Dei sententia. De quibus duobus illud quidem iam dixi, nec vos aliter existimatis, ne omnium quidem populorum, nedum vnius alicuius esse: hoc verò cuiusnam sit, nōdum dico. Sed vt sit vniuersi cœtus Christiani, quod quidam contendunt, vos certè, quamuis non viles animæ, vt quidam fortassis externi putant, nec in angustissimo & obscurissimo angulo terræ positi, soli tamen Germanis, Vngaris, Boëmis, Gallis, Anglis, Scotis, Hispanis, Gręcis, Armenis, Moschis, Indis, Aethiopibus, & fortasse multis alijs nationibus & populis Christianis præiudicare in eo non potestis, vt vel hîc, vel in nationali, quod ita vocant, Concilio statuatis, hoc esse consentaneum verbo Dei, hoc non esse. Quota enim pars Christianorum nos Poloni sumus? Addam etiam Prussos, Lithuanos, Russosque, si lubet. Alioqui iure illi populi, quos dudum enumeraui, vobiscum expostularent, sicut Diuus Paulus Apostolus cum Corinthijs: An à vobis verbum Dei processit, aut in vos solos peruenit? 1. Cor. 14. Taceo cæteram fratrum vestrorum Equitum honestissimorum, qui hinc absunt, multitudinem. Mitto mulieres, mitto etiam opificum turbam, & omninò oppidanos & aratores & pastores vestros: qui licet nullam huius Reipublicæ partem capessant, cæterùm quod ad religionem attinet, sciūt in Christo Iesu non esse Iudæum, neque Græcum, non seruum, neque liberum, non masculum neq; fœminam, sed omnes nos vnum esse. Gal. 3. Nec vos ignoratis, stulta mundi elegisse Deum, vt confunderet sapientes: infirma, vt confunderet fortia: ignobilia & contemptibilia, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret. 1. Cor. 1. Ne his quidē igitur pręiudicare hac in parte debetis, etiamsi possetis. Quod si facere pergitis, cur non itidē vestro exēplo Srodensis vel Prossouiensis, aut si mauultis, totius Masouiæ generalis conuentus (quos honoris causa nomino) vobis vniuersis ac totius Regni comitijs in constituēda Repub. præiudicet, legesq; condat, quibus cuncti teneamini? aut à suis & vestris maioribus, quamlibet rudibus & rerum imperitis, vt isti nouatores dictitant, conditas, arbitratu suo mutet vel interpretetur? Aut si numerum spectatis, cur non oppidani & agricolæ vestri ex vniuerso Regno coëuntes idipsum faciant?

Quales quidem fructus, proh dolor, istud, quod à nonnullis iactatur, Euangelium nostra memoria non nusquam germinauit. An hîc satis est multos esse, & non imperitos legum & rerum humanarum, addo & nobiles, si desit publica & legitima authoritas? quam quidem vos neque penes Senatum cum Rege, neq; penes vniuersum maiorum vel minorum Polonorum conuentum, etiam cum Palatinis ac cæteris magistratibus, extra locum ac tempus comitiorum esse vultis: Cur autem non modò à terrestribus iudicijs, verũ etiam à colloquijs ad te Rex & ad comitia fiunt prouocationes? Vt enim priuatos prætereamus, inter quos nõ desunt iuris & iustitiæ consulti, an non habent iudices & Palatini, quique his assident magistratus leges & constitutiones Regni? an eas non legunt? an non intelligunt? An, obsecro, facilior est & cuilibet magis obuia rerum cœlestium, sacrorumque mysteriorum, quæ verbo Dei continentur, ac mentium, nedum sensuum humanorum captum excedunt, intelligentia, quàm de iure villagiorum, vt verbis statuti vestri vtar, scultetorum, Golotarum, fugitiui cmetonis, ac cæterarum omnium legum vestrarum cognitio? aut magis cuiusquam refert in his, quàm in illis falli & errare? At id quidem vel lippis, quod aiunt, ac tonsoribus notum est, hîc exiguum quiddam agelli vel fortunarum, vel iuris personalis, vel denique vitam hanc fluxam & momentaneam, illic animarum æternam salutem & beatitudinem periclitari: hæc non tam cogitatione, quàm sensu cuiusuis percipi, illa si humana aut angelica mente comprehendi potuissent, non fuisse necesse Deum hominis naturam assumere, doctoremque veræ iustitiæ, quæ religione cultuque Dei maximè continetur, nobis fieri. Ac nihil ille quidem vsquam scriptum reliquit: verbis modò enarrauit, quæ voluit, idque partim promiscuæ multitudini, partim delectis à se Apostolis:
Luc. 8. Luc. 18.
quibus ait solis datum esse nosse mysteria regni Dei. Et tamen nec ij omnia (ne dicam nihil, quod certè alicubi Euangelista quidam dicere non veretur)
Luc. 14.
tunc intellexerunt, donec ipsemet eis aperuit sensum, ac Spiritu sancto eos impleuit. Quo magistro illi demum & intellexerunt omnia, & cæteris hominibus partim viua voce, partim literis prodiderunt. Sed ita vtrunq; fecerunt, vt ad eorum dicta scriptaque penitus percipienda eodem nihilominus interprete Spiritu sancto nobis quoque opus sit: nisi fortè non dico vnius ex ijs Diui Petri scriptis, sed communis omnium illorum iuxtà ac nostrûm præceptoris verbis fidem non habemus. At enim putamus, inquietis, quòd & nos spiritum Dei habeamus. Sit ita sanè: Verùm is, cùm & ipse sit Deus, non est dissensionis, sed pacis Deus. Contemnere autem aliorum iudicia, in re præsertim communi, & ad omnes ex æquo pertinente, non pacis est, verùm dissensionis: quæ ex Deo non est, sed ex Diabolo, & inter opera carnis, quorum author & effector est diabolus, à diuo Paulo nominatur. Quid autem fiet, si ijsdem de rebus diuersum à vobis apud se statuant vicini vestri Germani? quod quidem non semel his paucis annis fecerunt, cùm à vobis & ab alijs populis, tum à se ipsi diuersa statuentes. Quid si Galli aut Hispani idem faciant? Quid si vniuersi Christiani populi? Scilicet præponderabunt vestra omnium illorum iudicijs, aut desinet esse verbum DEI, quod vobis fuit anteà. Verùm enimuerò, inquiunt quidam, non erit hæc nobis cum quoquam causa dissidij. Nam si quid ab vniuerso Christianorum cœtu in commune statuetur posteà, illud sequemur potiùs, repudiata priore nostra sententia: interim autem dum id fit, suo quisque, nos etiam nostro sensu abundemus, & aliquid hominum desiderijs indulgeamus, quò eos in cæteris concordes in officio contineamus. Præclarè verò & sapienter. At quàm multa fuerint hac vna in re peccata? Primum omnium (ignoscite quæso in libera Republica liberè in medium consulenti) arrogantia, ne dicam temeritas, in statuendo ijs de rebus, quæ si non alieni, certè non solius vestri officij sunt, & iampridem maturo longè pluriũ iudicio cõstitutæ sunt, & non vestro tantùm aut vnius alicuius & alterius populi, sed multorum, ne dicam omnium, publico & longo vsu approbatæ. Deinde vel pertinacia in retinendo contra sententiam aliarum gentium, vel certè leuitas in mutando, quod semel placuerit. Postremò frustratio eius, quem præ vobis fertis, euentus consilij vestri, atque adeò longè diuersus & contrarius exitus. Quæ enim beneuolentia aut concordia potest esse inter eos, qui non de leui aliqua re, sed de maximis, quamuis liberè & sine vllo metu dissentire se arbitrantur? Religio est enim,

2. Petri 1. Ioan. 14. 1. Cor. 7. 1. Cor. 14. Gal. 5.

enim, quę animos hominum nō solùm cum DEO, sed inter ipsos etiam inprimis consociat & religat. Quæ vbi non eadem est, dissociat ea maximè dissidentium voluntates & studia, tantùm abest, vt consociet. Possem hîc disertus esse, si illustrare hoc exemplis cùm veteribus, tum recentioribus vellem. Demōstrarem sanè ex huiusmodi dissensionibus, non dico de summa religionis, verùm de vno aliquo aut altero eius capite, nec eo quidem grauissimo, aut euidentissimo, perniciosa dissidia & capitalia odia cùm inter diuersas gentes, tum inter eiusdem linguæ, Reipublicę, ciuitatis, familiæ, domusque: homines sæpè extitisse, & vix multo sanguine, multorumque, ne dicam vniuersorum, interitu restincta esse. Commemorarem ea tempora, quibus furor Arianorum in Aegypto & Oriente, Manichæorum atque Donatistarum in Africa, Monothelitharum & Iconomachorum in Græcia, Nouatianorum ijsdem & alijs in locis, Rusticorū nuper authoribus Luthero, Munzero, Carolstadio & Zuinglio, in Germania grassatus est. Adderem de Russis nonnihil. Sed non est necesse diutiùs his immorari. Nolite autem putare statim sedaturos vos esse inquieta ingenia, si quid eis paulum concesseritis aut indulseritis, accendetis magis: nec ea modò, quæ iam tumultuantur, sed quę adhuc quiescunt etiam: nec modò vt quæ iam concupierunt obtineant, sed quæ præterea videbuntur, quoties libebit, si non impetrabunt, vt frustrà aduersantibus vobis extorqueant. Quis enim statuet modum laxatæ semel licentiæ? Cur autem non contendant, aut cur non ipsi sibi sumant quicquid collibuerit, recenti exemplo inuitati, cùm vos ipsis quædam nullo exemplo concesseritis? Quæ enim gens, quæ natio, Christiana duntaxat, rectéque de religione sentiens, vnquam sibi sumpsit dogmatum & rituum Ecclesiasticorum commutandorum arbitrium? Sumpsêre quodam tempore nonnullæ infectæ prauis opinionibus, eodem siue prætextu, siue consilio, pacandorū videlicet animorum, componendarūque dissentionum inter homines. Nec tamen id sine Episcoporum authoritate, quam in religionis negocio plurimùm valere intelligebat, nec isti Euangelici hodiè diffitētur. Quale fuit, cùm propter ὁμοούσιον hoc est, consubstantiale, sicut verterunt Latini theologi, totus ferè tumultuaretur orbis terrarū, malebant nonnulli principes & populi authoribus Episcopis pro homousió homœousion, hoc est, æquisubstantiale, vt ita dicam, contentiosis hominibus concedere, quàm de vno, (vt videbatur) verbo non magis verbis quàm armis digladiari: Aut cùm Boëmi Husso incentore efferati, diuina & humana omnia sursum ac deorsum miscerent, vsurparunt ij quidem vulgò, adstipulante Rochesana Pseudarchiepiscopo suo, sacrum calicem, quod inusitatum fuerat superioribus aliquot seculis, & indulserunt eis, qui Basileæ ad Concilium congregati erant Episcopi, cùm Boëmi in eo acquieturi, in cæterisque concordes & in officio futuri esse viderentur. Quid igitur? Conquieueruntne tunc ea indulgētia motus illi vel apud Boëmos, vel apud Gręcos? Imo efferbuerunt magis, exultantibus nouatoribus, se aliquid quasi iniustè à maioribus suppressum aut interuersum, vi veritatis expressisse, & in cæteris etiam institutis maiore deinceps confidentia damnantibus Ecclesiam Catholicam, quę se ipsa iam in quibusdam damnasse videretur. Nam qui modus vel hæreseon, vel turbarum ac tumultuum posteà fuit apud vtrosque: Nonne Eunomiani, Aëriani, Macedoniani, Luciferiani, Nestoriani, Græciam totumq; Orientem postea miserè exercuêre: Nonne Thaboritarum & Orphanorum, & Picardorum & Adamitarum, & nescio quorum non monstrorum furor apud Boëmos posteà magis exarsit, ita vt ne calicis quidem communio quenquam ab eorum iniurijs, cædibus atq; direptionibus, aut regnum ab ædium publicarum & sacrarum, arcium, oppidorumque vastationibus & incendijs vindicaret? Hodieque Boëmi (de ijs dico, qui se à veteris Ecclesiæ societate & institutis præciderunt) calicem quidem mordicùs retinēt, ceterùm de pręiudicatis opinionibus nihil remittunt, ac ne ea quidem pręstant, quę receperant: & quanquam sui ipsis viribus confecti, torpent magis quàm quiescunt, non idem tamen omnes sentiunt: & qui dissident opinionibus, odijs quoque implacabilibus inter se nihilominùs certant. Quid autem aliud nobis quoque expectandum est, si quid nouarum rerum cupidis indulgendum esse duxeritis? Quid autem eis indulgebitis? Calicem? At quàm multi negant eo sanguinem Chri-

sti contineri?quàm multi (horreo dicere) calicem dæmoniorum eum esse autumant, nosq;,qui verum ex eo Christi Dei & hominis sanguinem potari profitemur, non solùm stultitiæ aut insaniæ, sed idololatriæ prorsus damnare nō verentur?Sacra vernacula?At quàm multi sunt, qui hæc quoq; contemnūt, imò execrantur, & id magis contendunt,vt nulla sint omninò sacra? Vxores sacerdotibus? At illi partim tollunt sacerdotium,seq; omnes vnà cum mulierculis & pueris ex æquo sacerdotes esse asseuerant: partim referre sua negant,cœlibesne sint, an mariti sacerdotes.Ecquid Germani Principes cū Christianissimo Imperatore Carolo eiusdē modi indulgentia, quod Interim vulgò vocant, in Germania profecerunt? Ecquid acceptarunt id,quibus dabatur? Ecquid in cæteris conquieuerunt? Cur autem si ista vos quibusdam indulgetis, non eodem exemplo Stancarianis etiam promiscua,quamuis leui de causa,diuortia, & noua, quoties collibuerit,prioribus solutis matrimonia;Osiādrinis derogationem meriti sacrosancti sanguinis Christi; Caluinianis & Sacramentarijs sacramenti eius, quod est omnium pręcipuum & saluberrimum, sanctissimi, inquam, corporis & sanguinis Christi profanationem: Seruetianis maiestatis atq; diuinitatis Christi filij Dei & Spiritus sancti vel negationem vel imminutionem, & neque vos, neq; maiores vestros, neque vllos prorsus populos iam inde ab Apostolorum temporibus Christianos fuisse,qui busdam alijs incarnati,vt ita dicam,verbi Dei negationem; Picardis & Anabaptistis non modò itationem Baptismi,sed & omnium ciuilium magistratuum sublationem;Lutheranis libertatem humani arbitrij tollentibus,omnium scelerum impunitatem & legum solutionem: cur, inquam, his quoque hæc omnia, & si qua præterea contendunt vel deinceps contendent, pacis & concordiæ publicæ conseruandæ causa non concedatis?Exhorruistis horum commemoratione: nec iniuria profectò.Nam quæ maior impietas, aut quæ præsentior pestis Rerumpub.excogitari potuit?Et tamen nihil hîc fingo.Contendunt,hæc illi vt quæ maximè & facilius est licentiæ principium,quàm exitum inuenire.Cur autem vos magis in his,quàm in calice,vxore sacerdotis, & sacris vernaculis religiosi sitis,& maiorum institutis receptisq; antiquitùs moribus præiudicare vereamini? Certè his quoq; dogmatibus, non minùs quàm illis, authoritas verbi Dei prætexitur. Quàm verè, non dico modò: illud dico,Si vos huiusmodi controuersiarum disceptatores,& arbitros eorum institutorum, quæ ad religionem pertinent, semel constitueritis, non defuturos esse, qui ista quoq; recta esse,& verbo Dei consentanea subtiliter conclusis ratiunculis, adductisq; ac detortis scripturæ sacræ testimonijs, vel inuitis vobis extorqueant. Quod tunc ibi chaos, quæ esset Babylonica Reipub. vestræ facies, vestro,quod omen auertat Deus, & liberorum vestrorum sanguine expianda? An putatis, quæ plus triginta annis Germaniam tam miserè diuexans nefanda & impia & inter se pugnātia dogmata, omnia simul extitisse? Erratis, si ita existimatis. A reprehendendo abusu pontificiarum indulgentiarum orsus est Lutherus,cùm ei pinguis illa offa promulgandarum earum prærepta esset.Non tollebat initiò,imò asserebat etiam receptum antiquitùs numerum & virtutem sacramentorum, vsum & efficaciā sacrificij Christiani, merita bonorum operum, authoritatem Episcoporum & Pontificis maximi, purgatorium,curam & preces pro mortuis:Boëmos propter hæc sublata, & propter vulgatum vsum calicis reprehendebat: Vxores non dabat sacerdotibus & monachis, quamuis impurum eorum cœlibatum exagitaret.Quæ in scriptis eius deprehendere cuiq; licet. Aliquanto posteriùs contentione & aura populari elatus, non hæc modò, sed multa alia Ecclesiæ & Apostolorum,ne dicā Christi ipsius instituta labefactauit. Quæ vbi viderunt eum secundo populo facere Carolstadius, Munzerus & Zuinglius,maiora ausi studuerunt eum impietate superare, & sectatores eius pro religiosulis & Papisticæ hypocryseos vel sū perstitionis non exortibus damnarūt. Posteà nullus fuit in ea natione, neque est etiamnunc impietatis, contentionum,tumultuum, bellorumq; ciuiliū modus & finis.Quid in Boëmia superiori seculo?Statimne initiò sese omnis effudit impietas, & portentosa illa sectarum varietas,quæ quamuis coërcita posteà legum seueritate,adhuc tamē multis in locis cernitur?Modica fuerunt,& in speciem æqua & pia Hussi initia, ab indignitate quadam & odio sacerdotū indignorum eo nomine honoreq; profecta. Non mutabat is sacrorum ritus, non dabat vxores sacerdotibus:ne calicem quidem vnquam porrexit populo,

lo, qui nunc tantoperè expetitur. Posteriùs infinita illa malorum lerna, & multiceps hæreseon hydra magno impetu cum summa rerum priuatarum atque publicarum perturbatione inuasit in Boëmiam, eamq; gentem aliquandiu miserè diuexauit. Quid igitur, inquiet aliquis? Damnas ne tu vsum sacri calicis in populo? Ego verò neque sacerdotum coniugia, neque sacra vernacula. Sed nego vestrum esse his de rebus statuere, maiorumque instituta mutare. Cuiúsnam igitur? Dicerem sacerdotum, nisi metuerem inuidiam, domoque allata quorundam præiudicia: Et magnos certè, atque, vt ita dicam, irrefragabiles haberem sententiæ huius adstipulatores, vel authores potiùs, non
Mala. 2. Deut. 17. Mat. 23. modò Malachiam & Mosen, & alios prophetas Dei, verùm etiam ipsum Dei filium & magistrum nostrum Christū Iesum, eiusque sententiæ peritos inpri-
Act. 15. mis atque tenaces Apostolos, non vnum & alterum, sed simul vniuersos, perpetuumque superiorum omnium seculorum consensum, &, si his adiungere fas est, istorum ipsorum, quos nūc nouos veteris scilicet religionis magistros multi sequuntur, indubitatam sententiam: qui & ipsi de sacrarum scripturarum sensu, totoque religionis negotio sacerdotum siue Episcoporum, quos ipsi ministros verbi vocant, proprium esse volunt iudicium. Sed mitto nunc sacerdotes. Si totius Ecclesiæ id est, vt volunt quidam, certè non vnius alicuius duorumúe ordinum, sed omnium (quod ipsi quoque fateri videntur, necesse quidem habent, si ipsi sibi constare volunt) non ordinum modò, & sexuum, & ætatum, verùm etiam populorum. At enim priusquam omnes, qui Christiano censentur nomine, populi coëant, & has controuersias definiant, nos dissensionibus intestinis peribimus, inquiunt. Meliora, quæso, omi nare. Itáne amice ex tuo ingenio Deum metiris: Itáne facilem & expeditam rationem subueniendi populo suo, quem precioso charissimi filij sui sanguine si-
Mat. 28. bi acquisiuit, excogitare eum non potuisse, aut noluisse arbitraris: Quin ipse eius filius, ipsissima ei⁹ dextera & sapiētia, omnibus diebus vsq; ad consumma tionem seculi secum suis fore promisit, ne quis modò ipse sese ab eo subtra-
Ioan. 14. & 17. hat. Subtrahit autem, quisquis pacem testamento eius relictam non seruat, rumpitq; mutuam cum cæteris hominibus concordiam & beneuolentiam, quod ille suorum symbolum esse voluit. Quis autem id facit? Ijne, qui magistratibus à Deo constitutis obsecundant, & receptos à Christianis maioribus suis multorumque populorum & seculorum consensu & vsu approbatos mores & instituta tuentur, an qui ea priuata authoritate, ne dicam temeritate sua conuellunt, & multa nouare student? Hi certè dicere de illis superioribus rectè non possunt illud, quod est apud Ioannem in Epistola: E nobis prodierunt. Illi verò de his non hoc solùm, sed etiam quæ sequuntur: Sed non 1. Ioan. 2.
fuerunt è nobis. Nam si fuissent è nobis omnes, mansissent vtique nobiscum. Certè his demum triginta vel quadraginta annis in Germania Lutherus, Zuinglius, Munzerus & quidam alij segregarunt sese, damnato antiquissimo Christiani orbis consensu, à quo priùs non dissenserant. Vultis igitur redintegrare inter dissidentes concordiam? Nolite qualescunque (nihil enim nunc refert) sed veteres tamen dominos in gratiam, nolo dicere inuasorum, sed litigatorum seu petitorum de possessione depellere. Reponite potiùs per vim eiectos, aut retinentes adhuc possessionem defendite, vel tantisper duntaxat, dum de re tota ab ijs, ad quorum iudicium ea spectat, legitimè cognoscitur, si iusti & æqui amantes, si pacis & concordiæ studiosi, ac non partium fautores videri vultis. Alioqui si cuiusquam istorum agrum aut villam violentior quispiam vindicare volet, nihil prohibebit, quò minus in eo quodcunq; ipse ediderit foro causa disceptetur, siue adeò amoto sine disceptatione iuris priore domino, concordiæ retinendæ causa ille alter in possessionem rei controuersæ mittatur, ac tum demum eiectus per quæuis fora de proprietate litigare iubeatur. At hîc statim isti vociferarentur, Indignum facinus, leges moresque violari: vel pereat mundus, dummodò fiat iustitia, cœlumque terræ misceren. Cur igitur magis æqui sunt in re sua quisq;, quā in aliena? in propria, quàm in communi? in priuata, quàm in publica? & vt ne dicam in humana, quàm in diuina, certè in minoris momenti atq; precij, quàm in ea, qua salus omnium & singulorū, & publica tranquillitas continetur? Cur autem tu Rex sapientissime, vosq; grauissimi Senatores, & Equites honestissimi istorum cōtentione eò, vos impelli patimini, vt iuris cū omnib⁹ ordinibus & populis Christianis vobis

communis disceptationem inter dissidentes, nullo more, nullo probato exẽplo, nullo denique operæprecio soli vsurpetis? vel non cognita etiam causa, ipsos in alienam per multas gentes, multaq; secula consentientis Ecclesiæ possessionem immittatis? Cur hîc non valent leges concordiæ charitatisq; Christianæ, si fortè indignum cuiquam videtur teneri legibus Conciliorum & Canonibus Ecclesiasticis? Cur non interdictum illud, quod valet in priuatis causis apud omnes gentes, quę non prorsus expertes sunt humanitatis, *vti possidetis, ita possideatis*? Hæ vestræ sunt partes in cõponendo hoc religionis dissidio, hoc vestrum officium. Hîc, hîc vos, inquã, Proceres & Equites vnà cum Rege mitissimo maiorum vestrorum virtutem & pietatem imitamini, eosq; non adæquare modò, sed etiã superare contẽdite. Quid igitur ij fecerunt in simili causa? Ante centum annos, cùm tumultuaretur sectarũ & religionis dissidio Boëmia, sicut nũc tumultuatur Germania, multumq; opus haberent ac vterentur etiam Boëmorum armis & auxilijs maiores vestri contra vim & potẽtiã Teutonum Crucigerorum, regnũ hoc & Lituaniam diuexantiũ, cumq; multi nostrates nobiliores etiam & potentiores, eorum consuetudine (vt fit) deprauati, eadẽ dogmata profiterentur, & propugnare in hoc regno conarẽtur, disputatúmne est in comitijs de controuersis dogmatibus & ritibus? Nequaquam. Efflagitatúmne nationale, quod vocant, concilium? Ne id quidem. Indultúmne quicquam nouarũ rerum cupidis? Multò minùs. Imò ne Regnum quidem, ab illis ipsis Boëmis vltrò oblatum, acceptum est, nõ aliam ob causam, q̃ propter diuersam religionem, quamuis id non tam vtilitas publica suaderet, quàm necessitas propemodum exigeret. Imò etiam bellum eis denunciatum est, ni resipiscerent, & ad Ecclesiæ Catholicæ societatem redirent. Et aduersus Boëmos quidem ita tunc se gesśere maiores vestri. Quid aduersus ciues & indigenas? Leniorésne fuêre? Imò verò conuentu instituto, & cũctis Regni ordinibus adhibitis, summo consensu obstrinxerũt ij suam quisq; fidem & honorẽ: *Si quis indigena Regni huius, habens in ipso regno bona, hæreticales errores*, (agnoscite confœderationis verba) *facere aut promouere velit*. De quibus autem hæresibus & erroribus id intelligẽdum est? Nempe de ijs, qui tunc regnante VVladislao Iagellonis filio è Boëmia importabantur. Præfatur enim lex: *cõsideratis nonnullis disordinationibus, quæ in ipso regno Poloniæ suboriri cœperant*. Constat autem ex historia illius temporis, nullas alias, nec aliundè tunc subortas fuisse, quàm à quibusdam non obscuris hominibus, Boëmica labe infectis. Excluditne autem lex quempiam hominem aut ordinem vllo priuilegio? Imò disertè addit: *cuiuscunq; status, gradus, conditionis, & præeminentiæ fuerint*: Adiungit etiam, *siue spirituales, siue seculares*. Quid igitur, si quis tale quid ausit? Negant se ei auxilio, consilio, vel fauore patrocinari velle. Et hoc quidem (adduntq;) *etiamsi sanguine, affinitate, & quacunque propinquitate forent nobis aut alicui nostrum coniuncti*. Sed prouehuntur etiam longiùs: *nec pro eis loqui volumus aliquod verbum*, inquiunt. Ac ne hoc quidem satis est. Sed, *in eorum destructionem consurgere, eosq; & quemlibet talem punire* se velle promittunt *absque dolo & fraude*. O pietatem illius temporis, ô disciplinam, ô consensum & constantiam maiorum vestrorum Proceres & Equites. Addam etiam, ô sapientiam. Intelligebant illi fundamentum esse rerum publicarum religionem, qua non dico euersa aut mutata, sed labefacta duntaxat aut in dubium reuocata, concidere illas necesse esset. Itaque nullo respectu priuatarum necessitudinũ, nullo metu vel potentiæ cuiusquam vel dissidiorum, grauissimis pœnis, & suis ipsi fide & honore, (quibus homini ingenuo nihil est antiquius,) religionis maiestatem sentiebant, & extirpare nascens malum vel cum charissimorum suorum periculo malebant, quàm indulgentia sua alere. Quid igitur? Eadémne nunc à vobis seueritas exigitur? Non peccaret opinor, si quis diceret: Moribus antiquis stat res Polona, virisque, vosq; ad maiorum vestrorum leges & instituta seruanda hortaretur; quorum vos perquam obseruantes esse subinde in alijs longè leuioribus causis ostenditis. Et causa quidem iustior etiam est vobis conseruandi ac defendendi placita maiorum vestrorum, tam to consensu ac diligentia sancita, quàm illis sanciendi fuit, indulgendi verò iustior illis fuit. Neque enim tantam impietatem tulêre illa tempora, ad quantam nunc prouehuntur nonnulli, ita vt non multum à Iudaica ac Turcica abesse videantur. Sed fuerit illa seueritas illorum temporũ, & priscæ grauitatis, aut si quis mauult simplicitatis. Non omnia

Polonorum priscorum Confœderatio explicatur.

omnia omnibus temporibus, locis, hominibusq; conueniunt. Sint sanè nunc iniquiora tempora, quàm tunc fuêre, cùm non modò domi nobiles & factiosi homines turbas ciebant, sed foris etiam Germania penè omnis à Crucigeris Prussiensibus concitata grauis huic regno imminebat, Boëmique, vel indulgendo ad societatem belli inuitãdi, vel aduersando iritandi maioribus vestris erant. Habebant illi tunc arma in manibus, valebant viribus reique militaris peritia, grauiter Silesios, Morauos, Austrios, Bauaros, Turingos & Saxones vicinos, atque etiam Vngaros infestabant, & in finibus ferè huius regni castra habebant. Sed maior sanè habeatur huius temporis nostri ratio, quàm illius tunc habenda fuit. Indulgeatur & hîc, vt in multis, hominum licentię, vel si mauultis, alicuius ordinis libertati atq; prærogatiuis, quas tamen non intelligo quomodo à legib⁹ separari possimus. Remittatur aliquid de seueritate legis illius, non Regia vel vnius alicuius ordinis constitutione, sed omniũ confœderatione conditæ, & fide ac honore omnium sancitæ, dummodò ne penitus ea laxatis licentiæ frænis antiquetur, aut contraria lege abrogetur. Quãnã aũt indulgentia tẽperari ea debeat, tibi id Rex clementissime vnà cũ his cogitandum & æstimandum relinquam. Ego Deum huius Regni protectorem & conseruatorem precabor, vt eam vobis mentem inspiret, qua cõsilia vestra primùm ad ipsius laudẽ & gloriam, deinde ad Regni huius & Reip. salutem, postremò cùm ad ordinis equestris amplitudinem, tum ad omnium incolumitatem & mutuam inter ipsos atq; etiã cum cæteris Christianis populis & nationibus concordiam vel stabiliendam, vel redintegrandam dirigantur. Quod si fiet, tunc demum vobis, liberisq; & posteris vestris rectè consuletis, & non modò veræ & constantis pietatis ac sapientiæ, verùm etiam seruatæ patriæ laudẽ ac decus immortale apud omnes gẽtes vobis comparabitis, & ad longam posteritatem transmittetis. Sin aliter vobis videbitur, ferẽdum fortasse nobis erit id quicquid erit: sed vos caucte etiã atq; etiã primùm, ne & domi ꝓ cnocordia maiorẽ discórdiam proprotis, & foris cæterarũ Christianorum gentium volũtates & studia, imò & auxilia, si quando res postularit, à vobis alienetis: deinde ne breui quibus minimè speratis aut expectatis, colla subdatis, & qui nũc vestri ferè ordinis Episcopos atq; sacerdotes, religionis cultusq; diuini quales quales moderatores, dedignamini, profligatissimorum nescio quorum Ziscarum, atq; adeò ex infima fæce vulgi fabrorum, sutorum, & coriariorum arbitrio non tantùm in religione, verùm etiam in Repub. leges duras & intolerabiles vobis imponi sentiatis. Quod in Boëmia quondam, & in Germania nuper, & aliàs alibi ex eiuscemodi initijs & indulgentia siue conniuentia magistratuum vsu venisse constat. Ad extremum, ne isthæc nouandi & mutandi dogmata & instituta Ecclesiastica licentia, sicut olim in Græcia, & vereor ne mox apud quosdam vicinos nostros, in barbariem & Mahometicam impietatem, aut fœdam seruitutem desinat. Sed me terra dehiscat potiùs, quàm aliquid eiusmodi vobis liberisq; vestris & amplissimo huic regno ac Reipub. vnquam eueniat.

FINIS.

Ggg 2 PHILIP.



PHILIPPI CALLIMACHI DE REBVS GESTIS A VVLADISLAO POLONORVM ATQVE HVNGARORVM REGE

LIBRI TRES.

PHILIPPI CALLIMACHI VITÆ BREVIS DESCRIPTIO.

PHILIPPVS CALLIMACHVS ortus dicitur Sangeminiano, nobili Etruriæ oppido, quod à Desiderio conditũ, qui vltimus Langobardorum regum in Italia regnauit, olim in Senẽsium, tum in Florentinorũ ditione erat. Quæ caussa nonnullis fuit, vt eum Florentinum appellarent; dignum certè habitum, quem, propter summam eruditionem, & politiorum litterarum elegantiam, adeo nobilis patria sibi ciuem adoptaret. Is inter multos, quos claros litterarum fama Pij Secundi pontificatus Romam exciuit, celebri tum academiæ Romæ, cuius erat princeps Pomponius Lætus, vir in eloquentiæ studijs illustris nominis, sese addixit, & quidem ijs auspicijs, vt breui carus omnibus; apud pontificem, ingeniorum æstimatorem acerrimum, præcipuo in honore fuerit. In cuius demortui locum, Paullus Secundus suffectus, parum æquus studiosis hominibus ingenuarum artium, magnum eorum numerum ex vrbe eiecit, cùm Pij pontificis memoriæ infensus, insigni ærarij iactura quereretur, otiosos, & inertes homines aliquorum industria nulla in re vsui reipublicæ esset. Auxit Paulli odium in eum ordinem, siue à vero orta fama, siue temere suscepta suspicio, illustres adolescentes ingenij gloria, qui Romanæ academiæ nomina dedissent, auctore Callimacho, in eum coniurasse, communicatis consilijs cum Pomponio Læto, Baptista Platina, alijs, quos tum litterarum decus, atque eloquentiæ fama commendabat. E quibus, iam inde ab initio pontificatus, ausus Platina suscipere communem caussam, litteras ad illum dederat querelarum plenas, quarum hæc erat summa: Quando Romano pontifici per imperij potestatem licuisset, doctissimos homines, atque innocentissimos, indicta caussa, damnare, cogere in ordinem, multare stipendijs, ex ea vrbe pellere, in qua sedes, & domicilium Christiani imperij esset: non debere illum ferre iniquo animo, si pulsi, per summam iniuriam, de auctore iniuriæ, id quod permitterent diuina omnia, atque humana iura, quererentur. Adituros se Christianos reges, liberas ciuitates, nationes exteras omnes, qua coleretur Christi nomen, omnium fidem imploraturos, vt, indicto patrum concilio, ad quos legitimè congregatos esset iusta à pontifice prouocatio, reddere caussam, honestissimis hominibus iniustæ ignominiæ, atque illatæ iniuriæ cogeretur. Neque hanc scribendi libertatem Platina impunè tulit. Nam in carcerem iussu pontificis coniectus, & compedibus vinctus, iussus est caussam dicere, dato ministris negotio, vt de eo tormentis quæreretur. Atque hanc ille ærumnam, se per quattuor menses tulisse ait, sæuissima hyeme, cùm excelsa turri incluso, & ventis omnibus exposita, ne ignis quidem facultas daretur, quo vi frigoris membra rigentia foueret. Verisimile quidem est, homines suopte ingenio acerrimos, &, vt impotentes contume-

liæ;

liæ, sic iusto dolori vlciscendo pares, quem contumeliæ memoria alebat, de adhortandis regibus ad cogendum concilium cogitasse: id quod tum coram oratione præstare, tum scriptis facile eruditis hominibus, & disertis licebat. Itaque & Pomponius Lætus Venetijs retractus, quò se receperat, pontificis offensionem veritus, &, cum Platina iam semel defuncto vitæ discrimine, adolescentes permulti, quos tormentis subiectos, magnitudine cruciatuum tortores idem fatigasse ait; in his Augustinum Campanum, quem vnicum Italiæ decus appellat, & adolescentem optimum, cùm vim cruciatus non ferret, mortuum esse dum torqueretur, affirmat. Ergo Callimachus siue conscius consilij, periculum facere suæ constantiæ in tormentis non auderet; siue falso insimulatus, calumniam etiam sibi timendam statueret, apud eum, qui idem calumniæ auctor, & iudex esset futurus; meliore consilio de medio discedens, ad Casimirum regem in Poloniam confugit, minus pontifici æquum, quòd in regni Bohemici petitione, Matthiæ Vngarorum regi, aduersus VVladislaum filium competitorem, fauebat. Ita moderator adolescentiæ liberis datus, sic se gessit medius inter parentem, & liberos, vt, regi facilè suam grauitatem; liberis moderationem, atque indulgentiam probaret, Ioanni Alberto in primis, apud quem, post patris mortem, potitum regno, hospes, non maiorum nobilitate, non sua, non titulis, non vllis gestis honoribus commendatus, ad summam potentiam est euectus. De quo quidem quid scriptum reliquerit auctor grauissimus Martinus Cromerus, libro XXX. rerum Polonicarum subijcere libet. Obijt, inquit, etiam eodem anno (hoc est CCCC. XCVI. Kalendas Nouembris) Philippus Callimachus: cuius mors non ingrata Polonis accidit. Fuit is natione Thuscus, orator, & poëta non inelegans, & acri ingenio præditus, versatus aliquamdiu in ministerio Pij Secundi pontificis maximi. Deinde verò, cùm successor Pij Paulus Secundus, Pomponium Lætum, Platinam, & quosdam alios viros eruditos amicos Callimachi, siue quòd de religione malè sentirent, siue quòd in se conspirasse dicerentur, prehendi iussisset: Callimachus, Casimiro adhuc regnante, in Poloniam profugit, & pro præceptore regijs filijs fuit. Cùm autem in familiaritatem Ioannis Alberti sese insinuasset: plurimum, apud eum gratia, & consilio valuit, vsque adeo, vt cùm Ioannes Albertus rex factus esset, Callimachi arbitrio magistratus, & honores mandarentur, & res peræque omnes publicæ, & priuatæ regis gererentur. Qua re ingentem sibi inuidiam apud Polonos Callimachus conflauit: quæ tamen metu potentiæ eius occulta aliquamdiu, quodam tempore, cùm is legationem, regis nomine, apud Venetos, & Pontificem maximum obiens, rediturus esse in Poloniam non putaretur, in apertum erupit. Sed rursus, eo reuerso, non tam resedit, quàm dissimulata est, quoad ille vixit. Ad tyrannidem incitare regem, & beneficia, decretaque eius vendere siue creditus, siue insimulatus est. Et ita sanè hoc fit, vt ij, qui principem, aut aliquem tamen gratiæ locum apud reges & monarchas obtinent, difficulter inuidiam, & obtrectationes hominum vitare possint: quibus nonnunquam perculsi è summo gradu in imum decidunt. Neque enim facere possunt, quin multos offendant, dum quibusdam prodesse student. Et illos autem, quos euexerunt, æmulos plerunque experiuntur, præsertim, si vel externi sint, vel genere opibusue inferiores, vel auari denique. Hæc Cromerus: cui magis fides habenda est, quàm Iouio, qui temere credita, temere edit hausta è fæce vulgi: Apud veterem amicum Vilnæ occultatum semiexsulem fato cessisse, ita vt, morte celata, sine funere, arefactus tepore clibani in armario seruaretur. Sed Iouius non est audiendus: cuius vna cura fuit, multa scribere; quàm rectè, atque ex grauis scriptoris fide scriberet, aut perexigua, aut nulla. Scripsit Callimachus amorum librum vnum; Ladislai Iagellonis Vngariæ & Poloniæ regis

De Tartarorum moribus.

res gestas; Attilam; ad Innocentium Octauum Epistolam de Polonorum regum laudibus; De Tartarorum moribus librum vnum; & alia nonnulla, quæ eius ingenij, atque eruditionis monumenta apud posteros insigni cum eius nominis laude vigebunt. Conditus est Cracouiæ in Trinitatis æde æreo sepulchro, quod virtutis, ingenij, eruditionis ergò, mortuo exstruendũ Ioannes Albertus rex magnificè curauit, hoc, quod infra legitur, carmine inciso.

Hic iacet, heu, patria procul à regione sepultus
Progenitus Thusco sanguine Callimachus.
Quem fatum varijs aduersum erroribus egit,
Inuictum his tandem constituitq; locis.
Illius at postquam virtutem regia sensit,
Vidit florentem Sarmatis ora virum.
Qui memor hospitij tam mitis, contulit isti
Consilijs regno commoda multa suis.
Quod sentit præsens, & postera sentiet ætas:
Cuius iudicium sanctius esse solet.
Plura quoq; aggressum, & quædam maiora parantem,
Haud opportuno tempore, mors rapuit.

IANI VITALIS.

AEnea Callimachi, quæ circumplectitur ossa,
Depositi meritis nobilis vrna sui:
AEnea sit quamuis, multo est pretiosior auro
Etrusci felix hospita Callimachi.
Ipsi etiam, Italia, tantum decus, auspice, adepti,
Ad sacra conueniunt busta Boristhenides:
Exsultantq; mero, & choreis, referuntq; vicissim;
Dedicat hæc Crispo Sarmatis ora suo.

PHILIP-



PHILIPPI CALLIMACHI IN LIBROS TRES, DE REBVS GESTIS A VVLADISLAO POLONORVM ATQVE HVNGARORVM REGE, AD CASIMIRVM REGEM

Præfatio.

PETRVM DEB NINO, VVladislauiensem episcopũ, deus nasci, Rex inuictissime, in regno tuo voluit: non solùm vt esset in his, quæ ad rem diuinam attinent, quoddam priscæ sanctitatis specimen, veræque religiosorum pontificũ imago: sed etiam, vt haberes in humanis consiliarium, prudentia, fide, constantia, grauitate antiquâ præditum. Is aliquando, cum D. Casimiro filio tuo (qui aut omnino nunquam nasci, aut perpetuus esse debuit) sermonem quom haberet de rebus à maioribus tuis, magno animo, excellenterq; gestis, descendissetque tandem in mentionem VVladislai illustrissimi fratris tui, quem sibi Hungari præfecerant, post regis Alberti mortem, & simul multa repeterent, de varietate fortunæ, actionumq; & consiliorum, quibus Hungariam tenuit, vsque ad pugnam illam cum Turcis, post quam in terris minimè comparuit; visa est ambobus res dignissima, quæ literis mandaretur: vtpote, quæ legentium animos precipua quadam voluptate explere posset, propter ancipites, variæque memorabiles euentus rerum ac temporum in bellis, quæ mira illic casuum vicissitudine, aut extrahi, aut confici contigit. Quandoquidem per id tempus, viribus suis Hungaria, non secum tãtummodo per ciuilem dissensionem sæpe conflixit, sed in externos quoque, studio religionis nostræ, arma sub VVladislao mouens, fœlicitate pugnãdi adeò cæterorũ Christianorum, ad Turci nomen fractos, deiectosque iampridem animos erexit, vt pauci admodum in tota Europa tunc fuerint, qui ad Christianæ rei ac nominis defensionem, vel momenti, vel consilij aliquid non attulerint. Petierunt igitur à me id negocij assumi, & literarum lucem adhiberi dictis, factisque per se quidem splendidis, & magnificis, sed quæ obliuio paulo post obscuratura foret, si scriptorum monumentis non illustrarentur. Itaque ego, qui scirem, meum esse, considerare, non quantum possim, sed quantum debeam studij, operæ, facultatisque conferre, te, ac tuis omni veneratione, ac laudum genere celebrandis, &, si fieri posset, consecrandis, interque immortales, ac beatos referendis, quippe qui, vltra etiam, quàm impudentis votum optare auderet, me adeo extuleris, atque ornaueris, vt ne locum quidem tibi, aut domi, aut foris, augẽdi mei aliquem reliqueris: id, quod in tuam, tuorumque laudem, ac gloriam petebatur, pro virili mea, me facturum recepi. Nolui enim, quom referendi aliquando tibi gratiam, facultatem minimè sperare possem, videri etiam voluntatem defuisse. Licet igitur intelligerem, plus mihi imponi, quàm quod aptissimè ferrem, quoniam in alterutro peccandum erat, subire inerudíti ingenij, quàm ingrati animi notam malui. Nam, etsi scribendo illustrissimi fratris tui sublimia facta, verbis minimè æqua vero (quom virtutis etiam infœlices exitus, laude non careant) non dubito futuros, quos grati animi mei voluntas moueat, vt quare scripserim, potius, quàm quomodo, considerent. Tu quoque, qui me in re ista videas plus ausum, quàm præstare posse sperarem, minimè dubitare debes, non mihi, sed fortunæ meæ, ascribendum esse, quicquid est, quod in tuam, tuorumque gratiam non efficio. Cæterùm, priusquam explicandorum seriem aggredior, quom regionum, de quibus habenda est mentio, tempus, pleraque nomina commutarit, quo faciliùs, vbi, & à quibus nationibus, quidque gestum sit, intelligatur, maximè ad rem pertinere putaui, earum terrarum situs, veteresque appellationes, quantum diligentia, & coniectura consequi potui, nominibus, quibus hodie nuncupantur, accommodare. Vltimi Europæ ad orientem, ac septentrionem anguli, quem Sarmatiam dixêre, meridionale latus, quantum est inter Thyram, Axiacumq; amnes, ad Euxinum mare porrectum, & plerisque in locis, maximè circa littus Ponti, etiam vltra Axiacum, Podolia nunc appellatur. Inde Russia est vsque ad

Borysthenem: cuius vtramque ripam, vbique sursum ad caput ipsius obtinet: deinde inter orientem, ac septemtrionem conuersa, supra Tanais ortum, ad Riphæos montes porrigitur. A quibus altera demum fronte in Sarmaticum Oceanum vltra Chersinicũ ad Furstam fluuium; altera verò in Asiam ad Hyperboreos, Hippofagosq; Sarmatas procurrit. Quicquid verò, velut à tergo Russiæ, inter ipsam Tanaimque, & Mæotidem remanet, Tartari tenent. Lituania verò, interiora Sarmatiæ ad Venedicos, Bondinosq; montes obtinens, qua meridiem, atque orientem spectat, Russiæ obtenditur. Eius autem septemtrionalia, Liuonia excipit, ac Prussia, & Pomerania. Quæ Regiones à Bondinis, Alanisq; montibus, reliqua Sarmatiæ occupant vbique ad oceani littus. Ab occidente verò ad Lituaniam, iungitur Masouia, circa ripas Istulæ fluminis; qui ab ea parte terminus est Sarmatiæ. At superiora Istulæ ad fontem, tum campos, inter montes, qui Sarmatici dicuntur, atque ortum Istulæ interiectos, præterea montes ipsos Sarmaticos, Poloni tenent: quorum regio in finibus vtriusque posita, tantundem fere in Germaniam, quantum in Sarmatiam protenditur, per ea loca, quæ Ombrones, Saboci, Sidones, & Visburgi, ab initio incolebãt. Cæterùm qua Germaniam incurrit, coniungitur Slesiæ: quam subinde Morauiam à tergo, occidentem versus excipit. Slesiam verò, & Morauiam Quadi olim, & Marcomanni tenuêre sub rege Morobando, à quo Morauiam mutatis, abiectisque quibusdam literis, dictam crediderim. His duabus regionibus, Boëmia ad aquilonem inter montes, qui Sudetæ dicti, & Siluam Semanam adiacet, Hungaria verò, quæ Pannonia dicebatur, non vbique, vt olim, Danubium habet ad septemtrionem, sed, superato flumine, hinc in Germaniam, illinc in Iazigas Metanastas se extendit, versus Carpathium montem, sub quo Scepusium à Polonia procurrens, in fines Hungariæ desinit. Reliqua verò, Iazigum Metanastarum; & adiacentia Tibisco amni, Hungari Transiluaniam vocant: cui adiuncta est montana Valachia, inter Danubium & Carpathum, quæ à Maioribus Dacia vocabatur. Huic velut à tergo, ad occidentem apposita est Bossina, quam Rascia, & Seruia contingunt, illis in locis cum ea sitæ, quibus superior Moësia, & Dardania olim cõtinebatur. At Bulgaria inferioris Moësiæ partem, & vtrumque latus Hemi montis, iugaq; ipsa obtinet, vsque ad Triballos, in quos Bossinæ orientale latus desinit. Altera verò Valachia, cui Moldauiæ nomen est, à flumine hoc tempore apud antiquos inferioris Moësiæ pars fuit: protenditur autem inter Danubium, & Thyram, ab Ierasso amne montanæ Valachiæ termino, vsque ad Euxinum. Harum autem regionum fines omnes, nationesque, eas incolentes, atque vrbium situs describere supersedi. Non quia longum fuisset, & laboriosum; sed quia ad historiæ institutum satis quæ dicta sunt, sufficere putaui: eo tantummodo adiecto, Cracouiam scilicet sedem regiam in Polonia, Budam in Hungaria, Vilnam verò in Lituania metropolim esse, ac principis domicilium.

P. CALLIMACHI DE REBVS A VVLADISLAO REGE POLONORVM, ATQVE HVNGARORVM GESTIS

LIBER PRIMVS.



IGISMVNDVS rex Hungariæ, qui vltro ad imperium accitus, Bohemos quoque sibi postea subiecerat, tãta moderatione annos supra quinquaginta regnauit, vt quom sine virili prole tandem mortem obijsset, Hũgari nemini subesse maluerint, quã duci Austriæ Alberto, cui iampridem Sigismundus vnicam filiam suã matrimonio coniunxerat. Videbatur leniri posse desiderium mitis,& sancti regis, si eius filiam apud se regnare intuerentur. Quæ persuasio subinde etiam pene pro fuit illius nepoti nondum nato. Nam quom Albertus quoque haud multo post delatum ad se regnum, grauida vxore, vita excessisset: optimates Hungariæ frequentes vnà cum oratoribus Despoti Rasciæ, ac Ciliæ comite ad reginã Budæ agitantem conuenêre, cœptumque est agi de regni statũ constituendo. Et primò quidem nihil exaudiebatur, præter voces felicem faustumque partum reginæ ominantium, asserentiumq; minimè prius de nouo rege referendum, quàm illa peperisset: deberi id Sigismundi recentibus meritis, qui paterna in omnes charitate, regnũ tenuisset: non tentandam temere fortunam externis regibus experiendis, quõ domi iam forsan affuturus esset, qui aui sui eos equabilitate gubernaret. Valuissetq; publicus fauor, & gratissima omnibus Sigismundi memoria, si Ioannes Huniadianus ante omnes prioris, suæq; ætatis magnos viros, rerum militarium ciuiliumque artium peritia memorabilis, vrgentium periculorum non admonuisset, propter Sinderouiam oppidum cum vniuersa pene Rascia, iã tum à Turcis occupatum, sublatumque veluti murum, quo illis obiecto, Hungaria satis tuta videbatur. Ea vox quasi frænum à mortui gratificatione curã omnium in præsentes necessitates cõuertit. Cœpitque ipsorum animis obuersari regni orbitas, & Turcorum indies maiores vires, iterque ad se planè illis patefactũ. Præterea in partu reginæ, etiam vt votis omnium correspondisset, dum puer coalesceret, parum momenti fore constabat, ad regni curam, & tutelam, quom interim virorũ animi muliebre regimen aspernarentur, propter imbecillitatem plerumque illi insitam sexui, etsi curatores postumo assignarentur, intelligebant regium fastum, regiasque cupiditates in paulo ante paribus conditione, vel perferre, vel explere durissimum fore. Sed & regina non mediocriter animo sollicita, haud satis constitu ebat secum, quidnam maximè in deliberatione tam ancipiti esset expetẽdum; quom aut filio, si nasceretur, regnum abrogãdum, aut Turcis prodendum appareret. Sed neque exploratum habebat marem nasciturum, vel tam beniuola in se, ac suos Hungarorũ studia, etiãsi difficultas aliqua ingruisset, ad extremum permansura. Diuersis igitur diuersa probantibus, nihil æquè ab omnibus laudabatur, quàm si VVladislaus rex Poloniæ paulo ante puberem ætatem ingressus, cuiusque indoles, ac virtus velut humanum modum supergressa, iam tum magno famæ consensu celebris erat, viduam reginam vxorem duceret, gentis vtriusq; rerum summæ præfuturus: id vnicum columen aduersus domi forisq; imminentes turbas, si ea affinitate Polonorum robur inuictum rei Hungariæ iungeretur. Sed nihil æquè VVladislai assensum remoraturum apparebat, quam nascendorum sibi liberorũ incerta successio, propter ventrem, quem regina ferebat. Atque ideò, non aduersante illa, in id consensum, si puer nasceretur, vt Austriæ ac Boëmiæ præesset. Liberi autem noui regis, si qui procrearentur, in Hungaria regnarent. Eaque conditione regnum, & coniugium perferri ad VVladislaum placuit. Ita tamen, vt non prius de liberorum successione quicquam diceretur, quàm ex diuerso eius rei mentio illata foret. Designati ad id munus omnium cõsensu episcopus Segniensis, Ma-

thico

thico Talaucius, Emericus Marcellus, Ioannes Perenus, Ladislaus Palancius. Quibus Cracouiam venientibus VVladislaus, ad mille passus, obuiã misit fratrem suum Casimirum, à quo mutua gratulatione suscepti, atque in ciuitatem inducti sunt. Postridiè verò in curiam acciti, ita ad regem verba fecisse traduntur: Si vicinitas, & rerum variæ occasiones, ac tempora non coniunxisset regnum nostrum cum tuo multis fœderibus officijsque mutuis: virtus tamen, & fœlicitas tua, rex inclite, nobis dignissima visa foret, quæ, dubijs rebus nostris, imploraretur. Quom enim cordi non fuerit deo optimo maximo, Albertum apud nos regnare, in cuius electione secuti eramus, non quod expediret, sed quod à gratis animis recens, atque eadẽ acceptissima omnibus Sigismundi memoria exposcebat: quod facturi prius fuerãt, si, saluo officio, licuisset, te, qui rex noster sis, vniuersi, quorũ intereſt, vnanimi sententia elegerunt. Omittimus illa prosequi, quod indoles tua verè regia, quod maiorum tuorum decora illos pellexerint, vt crederent, te vnum amplissimis duobus regnis vtiliter præesse posse. Coniuncta est vtriusque gentis fortuna, & prospera omnia vtrisque semper fuisse animaduertimus, nisi quom mala quæpiam ratio consilia, & res alterius ab altera separauit. Sic olim Gothi, sic Vandali, aliæque gentes pene ignoti terrarum tractus, sic postea Tartari per Poloniam in Hungariam primò, deinde in alias etiam regiones irrupêre: sic, nisi eandem mentem tibi ad suscipiendum regnũ, quàm nostris ad deferendum deus dederit, prope est, quod ominari animus horret, vt Turci, patefacta sibi Hungaria, in vos inde bellum, vastitatemque conuertant. Dum pro Rascia, & Bulgaria, quæ duo sepimenta regni nostri erant lętius paulo, quàm expediret, arma nuper induimus, in discrimen rerum nostrarum venimus, & bellum, quod ab alienis finibus propulsare oportuit, in nostris cogimur sustinere. Si nihil vltra peteretur, quàm vt succurreres discrimini nostro, vtique præstaret aliena defendere, quàm pati sua in periculum rapi. Nunc, quando non sola tutela, sed ius, & arbitrium opulentissimi regni ad te defertur, quid est, quod maximopere à te deliberandũ sit, debeas ne, cũ tam ingenti & gloriosa mercede eam dimicationem etiam, geminatis viribus, suscipere, cui nostris copijs, nostrisque armis semper pares fuisse nos scias? Periculum est (arbitramur) ne semiermẽ, & ex fuga pugnantem hostem, quem, sine vllis externis auxilijs, prope contempsimus, si tu paululum cum tuis anniteris, finibus nostris non submoueas. Nomẽ, Herculè, tuum, sine vllis armis, ad id suffecerit, vel, si molienda vis erit, haud difficili conatu regni vtriusq; rem perpetuo stabilieris. Neque ideo, quod vltrò expeteris, reliqua omnia desperata à nobis putes. In maximo multorum ambitu, te iudicio, non necessitate prætulimus, qui scires æquè, atque illi, regnum administrare. Sed commodius forsan tueri nos, iunctis vtriusque regni viribus, posses, & inprimis deberes, propter communia vtriusque discrimina. Silemus fœlicitatis cumulum, qui exinde maiestati tuæ accedet. Quantum veræ gloriæ, & in præsens, & ad posteros conciliauerit tibi, tam incliti regni public⁹ de virtute tua cõsensus? Quãta laude effereris, quod tam benignè de te sentientes, gratissima volũtate in fidem susceperis? Quod deus omen auertat, si repudiati in discrimẽ raperemur (omittimus, quod eadem fortuna res tuas manet) non solùm vicinum, ac socium regnum in periculo destituisse dicereris, verùm etiam euertisse columen, ac propugnaculum Christiani nominis. Cuius maiestas, viribus, armisque nostris stetit hactenus, staturamque confidimus. Sed & fortunam dicunt volubilem deam, nec facile postea comprehendi, si semel oblata contemnitur. Non libet gloriari de benignitate cœli, & terræ, quam regno nostro natura indulsit: neque vicinitas, neque magnitudo rerum gestarum illius, eam te ignorare permittit. Singula illic sunt eiusmodi, vt magnis periculis, etiam bello expeti debeant, nedum sponte oblata suscipi. Atque, vt intelligas quàm simul omnia consentiũt ad fœlicitatem tuam: idipsum, quod nos petimus, regina, in qua aliquid momenti in contrarium videri potuit, etiam vnà nobiscum petit, pignusque, & stabilimentum tam salubris vtrique gẽti incepti, matrimonium suum offert. Ea est ipsius nobilitas, & fortuna, vt magnopere probari abs te possit; forma verò, & ętas non contemni. Sed neque, in tanta deliberatione, audienda est mentio de rebus tam caducis, & momentaneis. Neq; voluptatis gratia initur matrimonium, maximè inter reges, à quibus nihil aliud quęri solet in vxore, quã dignitas, vt quàm illustres successores relinquant; &, si altius attenditur, propterea

NB Habet hoc alicubi M. Cromerus eadem fata obseruata fuisse utrorumque regnorum Vngariae Bohemiae et Poloniae.

tereai quod regna non nisi vnum capiunt, illarum coniugia maximè sunt expetenda à regibus, quę minus fœcunditatis videntur habitura. Tu modò illa, quę alij per ferrũ, atque ignes assequenda non dubitarent, vltrò ad te delata non spernas, nec velis esse, aut dici minus fœlix, quàm deus, atque homines velint. Dum hæc agerentur, peterentur que ab Hungaris, aderant & Turci oratores, quos iampridẽ missos deprehenderat in via mors Alberti, qua seu verè incomperta, seu, ad tentãdum, dissimulata, peregerant mandata. Offerebat per eam legationem Amoratus Turcorum imperator militem, ac pecuniam VVladislao ad gerendum bellum contra Albertum in Boëmia, quæ, mortuo Sigismundo, in duas factiones abierat. Et vnà quidem Casimiro VVladislai fratri regnum deferebat: altera, propter vxoriam successionem, Albertum sequebatur. Cæterùm fœdus in id sanciri petebat: vt, redacta vniuersa Boëmia in potestatem Casimiri, VVladislaus ab amicitia & fœdere Hungarorũ abstineret. Itaque quom, defuncto Alberto, res integra non esset: oratores, per varias simulationes, Cracouiæ retinebantur, in expectationem, quò Hungarica, post regis mortem, inclinaret. Eos, quod ex vultu facile notare potuit, vbi, per interpretem, quæ postulata erant cognouêre, ingens mœror cepit, & subita cõsternatio animorum. Sed neq; eodem sensu à Polonis omnibus accipi, prius oculi, & facies, motusque diuersi, deinde etiam verba indicauêre: quõ essent, qui dicerent, nihil præterquam bellum offerri ab Hungaris. Post cæteros omnes frustra imploratos, ad se iri. Minimè id onus assumendum, quod omnes alij ferri posse desperassent. Sed & malę rationis esse, regem suum dimittere, vt peregre regnaret. Omnia futura in regno turbarum plena, & seditionum, si sine rege agitandum foret. Neminem vnquam censuisse, aut nauem sine rectore, aut exercitũ sine duce esse oportere, aut vnum quempiam duabus nauibus, duobusue exercitibus vtiliter, commodeque præesse posse. Non esse exploratum homini quid indies accidere valeat. Infinita pene, quæ, absente rege, regnum perturbare queant. Processuram improborum licẽtiam in infinitum; bonis verò pręsidia, & tutelam defuturam. Sed, vt cætera tolerari possent, perpetuum bellum domi gerendũ cũ Tartaris: certè nullo modo sine rege, aut sustineri, aut propulsari posse. Quorum sententiam VVladislaus, cuius iuuenilis animus abhorrebat ab eo matrimonio, quod cum regno adeundum erat, quom regina iam grandæua esset, facile sequebatur, alijs multis in contrarium nitentibus, inprimisque Ostrorogeo, Dobrogostio, & Cisonensi Ioanne, cum Gregorio Sanoceo. Hi diuitias viresq; regni, quod offerebatur, extollendo, Turcorum verò res deprimendo, magno animo conditionem suscipiendam affirmabant. Quæ de regis absentia dicerentur; nihil ad rem attinere. Iampridem assuefactos homines etiam sine eo agitare, quom sæpe in Lituaniam se recipere solitus esset, viciniorem que esse Budam Cracouiæ, quã Vilnam. De his, quæ timeri sperariùe possẽt, facile esse iã tũ volente rege, statuere. Quod, si quid inopinatum casus afferret, regem futurum in propinquo. Coniũcta inter se esse regna, ita vt non quasi duobus, sed tãtum vni regno rex esset præfuturus. Et eo magis fore in vtroque venerabilem, quo vtrisque inuicem, cuique alterius vis notior esset, & auctoritas: contra furtiuas Tartarorum incursiones, satis superque indigenas Podoliæ, ac Russiæ sufficere. Quod si iustum bellum inferretur, multò facilius fore, vtriusque regni viribus illud propulsare. Non esse tantæ glorię occasionem omittendam, vt rex Poloniæ etiam in Hungaria regnare diceretur, & vnus præ cæteris principibus visus, qui tantum regnum ritè regere, ac tueri posset. Nullam conditionem repudiandam, nullum periculum non subeundum pro tam ingenti laude. Non inferri id bellum Hungariæ, in quo tãtũmodo libertas foret amittenda (quãquam quid non audendum, subeundumque pro libertate?) sed agi, vt degenerarent omnes à moribus institutisq; maiorum: templa, & sacra omnia prophanarentur: sepulchra parentum dirui, & ossa dissipari, coniuges verò sororesque, & liberos aut ad seruitutem, aut ad libidinem rapi intuerentur. Longè præstare, tantam immanitatem submouere in alienis finibus, quàm in suis postea sustinere. Nullam vnquam ætatem tacituram immortalem gloriam, quam adipiscerentur, si tam calamitosam necessitatem à ceruicib⁹ regni, inprimis incliti, sed & vicini, & fœderati, & quod non, nisi per summum scelus, deseri posset, propulsassent. Ad hæc, solam famam eo inter se vinculo coniunctarum virium, duarum inuictarum nationum, satis futuram ad Turcum,

Tarta-

Tartarumque intra fines suos continendos. Et iam deducta eò res erat, vt, nemine aduersante, VVladislaus conditionem susciperet, quom renũciatum est, reginam postumum, ex Alberto peperisse. Itaque quom videretur VVladislaus frustra vxorem ducturus, si filij eius ad regni successionem prouenire non possent: ex integro tota res cœpta est repudiari. Sed vbi oratores Hungari, explicatis omnibus, quæ apud suos constituta erant etiam de filio, si nasci contingeret, hanc quoq; difficultatem amouerunt: rursus expugnatus est regis animus, vt ad gloriam, & amplitudinem tantarum rerum se potiùs erigeret, quàm deprimi pateretur à breui voluptate; quàm ex viridiore vxoris alterius ætate consequi posse arbitraretur. Decreta igitur dies solennis, & templum augustius in arce Cracouiensi, vbi responderetur Hungaris. Ibi quom frequentissimi, ex omni ordine, ad spectaculum conuenissent: vniuersique regni proceres in suggestu ad id præparato cõsiderent: cõuersus ad oratores VVladislaus, vbi protulit ea, quæ pro loco, & tempore, ad grati animi testimonium, propter præsens in se beneficium visa sunt attinere: quod bene verteret vtrique genti, quibus conditionibus ad se delata erant, ius, & tutelam Hungarici regni suscipere professus est: quantumque humana ope fieri posset, daturum se operam dixit, ne tam benigni de se iudicij Hungaros pœniteret. Ipsorum iam esse, curare, vt quæ suorum nomine spopondissent, rata permanerent: se in tempore promissis suis affuturum. Sub hanc vocem secutæ acclamationes, fœlicia omnia vtrique genti ominantium, & in publica gratulatione laudes deo, & grates actæ omnibus in templis. Turcis subinde responsum, rerum mutationem, quę mortem Alberti subsecuta esset, eorum legationem irritam reddidisse. Cæterùm quando & in Hungaria VVladislaus erat regnaturus, factam exinde maiorem occasionem fœderis amicitiæque ineundæ, si modò ea res cordi fieret Amorato, etsi finibus suis contentus, pacis cõsilia cõplecti vellet. Hungari, responso accepto, constituêre inter se illico, vt alij apud VVladislaum remanerent, qui eius in Hungariam profectionem stimularent: alij ad reginam optimatesque perferrent ea, quæ acta erant, & decreta in Polonia. Mansêre episcopus Segniensis, & Ladislaus: cæteri gratulabundi retro iter ad reginam cõuertêre. Visum est VVladislao mittere cum illis etiam legatos suos, qui tam reginę, quã optimatibus publicè, ac priuatim gratias agerent, tempusque aduentus sui illuc nuntiarent. Decreti igitur, ac missi ad eam rem obeundam, Sandiuogius Ostrorogeus, & Ioannes Cognecpolensis scriba regius. Cæterùm festinantibus Hungaris, vt quæ ad nutum suorum fœliciter transacta putabant, nuntiando omnes gaudio opplerent: Poloni in via substitêre, paulatimque subsequebãtur. Interea regina, seu quia desperasset marem parere, quom tantarum rerum in spem natum intueretur, crudele nimiũ, & immane videbatur, si, veluti propter noui mariti charitatem, sacratissimorum affectuum oblita, mater à debita successione regni filium exclusisset: seu abducta persuasionibus quorumdam, qui rei Polonę malè affecti erant, præsertimque comitis Cilię, qui tutorem se postumi fore, ac summam rerum obtẽturum credebat, sententiam mutauerat. Atque ideò redeuntes ad se oratores suos in vincula cõiecit: moxq; voluntatem suam immutatam peruulgauit. Ea res, prout cuiusque animus ad hanc, vel illam persuasionem acclinatus, accipiebatur; nonnullis indignissimè ferentibus, tam salutare vtrique regno inceptum, vel vnius mulieris inconstantia, vel comitis Ciliæ cupiditate, in irritum verti: & reginæ, si persuadendo adduci nequiret, vt conuentis staret, afferendam vim cẽsentibus. Apparebat enim spem profligandi externum bellum, in id recidisse, vt si VVladislaus persequi perseueraret euocationem suam, regnum domesticis seditionibus lacerare oporteret: futuros namque, qui omnia extrema paterentur, & facerẽt, priusquam publicam, & communem consensu datam VVladislao fidem violarent: & qui spe melioris fortunæ, si res tumultuarentur, in contrarium agerent, reginæque assisterent. Multi etiam diuinitùs eam mentem reginæ datam interpretabantur, quasi deo eam regnorum inter se veluti cõfusionem improbante. In qua vt inficiari nequirent, quædam inesse commoda, submouendo bello, quod à Turco immineret: maiestas tamen, & nomen rei Hungaricæ interitura esset, actionumque omnium gloria domi, atq; foris ad Polonos peruentura. Neminem vnum exinde crediturum, ab Hungaris peregrinum regem alia ratione accitum, nisi, quod sine Polonis, subsistere desperassent. VVladislaum quoque

que propensione affectum erga suos futurum. Satis experiendo compertum, prioribus temporibus, Hungariam ad retinendam dignitatem suam, externa ope non indigere. Deniq; deum ipsum in partu reginæ planè indicasse, quem regem vellet apud eos esse. Hæc & plura eiusmodi iactabantur non vulgo solùm, verùm etiam in concilijs optimatum. Sed & ciuitates nonnullę, imprimisque Cassouia, Bardeiouium, Lubolia, Cremniza, & ceteræ finibus Poloniæ obiectæ, iam tum, in tanta voluntatum varietate, imminentium certaminum discrimina intuentes, vt otiosi rei euentum expectarent, comportatis intra mœnia ea, quę vsui forè credebant seu ferendæ obsidioni, seu vi propulsandæ, si ingruisset, fossas, muros, propugnacula impigrè reficiebant, ac firmabant. Quæ, vt agebantur, vulgò ad legatos Polonos delata, vt retro in patriam iter verterent adegerunt. Et quom ab regina impensiùs reuocarentur, non ausi sunt se illius fidei committere. Quod si fecissent, fama tenuit, potuisse facilè omnia in integrum, re tunc recenti, per ipsos restitui. Non solùm verò reginæ voluntas immutata, sed cædes etiam Sigismundi ducis, sub idem tempus, in Lituania commissa, secutæque illam diuersæ ibidem factiones, & fames, qua, deperditis frugibus, propter æstatis intemperiem, eousque laborabatur, vt promiscuè cum pecoribus, non humanis cibis, sed arborum, cãnarumque radicibus, mortales vesci cogerentur, hiems præterea inusitatè, constanterque rigens vsque ad perniciem iumentorum hominumque, ad extremum lues, qua insolitis alimentis fluida labefactataque corpora vulgo extabescebant, poterant VVladislaum à transcendendo in Hungariam retinere, si modò fatales necessitates euitabiles essent. Itaque tam multis aduersis pene inuitum retinentibus, ille nihilo segnius ad transitum equos, arma, militemque præparabat, indicto conuentu Sandeciam, in quo referretur statuereturque tam de rebus domesticis constituẽdis, quàm de ordine persequendi susceptam profectionẽ. Præcesserant VVladislaum ad locum conuentui destinatum mater eius regina Sophia, duxque Masouiæ Boleslaus, &, præter paucos, qui regem sequebantur, vniuersi etiam regni proceres, & Lituanorum legatio. Itaque vbi rex cum fratre suo Casimiro aduenit, Lituani pri⁻us auditi: qui principatum suum, post cædem Sigismundi, in tumultu esse dicebant, & diuersis factionibus laborare: optimatibus VVladislaum pro principe habendum censentibus, multitudine verò ad Michaëlem Sigismundi filium inclinante. Sed & Suidrigalem, qui & ipse ex principum erat progenie, nonnulla oppida occupasse, Ruthenorumq; primores, spe nouarum rerum, quotidie ad illum congregari. Præterea ducis Masouiæ copias Droicinum expugnasse: atque ideò, nisi subitò succurreretur, prope esse, vt factionibus intestinis Lituanorum res, ac nomen interiret. De quibus quom sententiæ rogarentur, complures erant, qui Hungariam omittendam suaderent, amplexandamque consulendi rebus suis domi occasionem oblatam, per inconstantiam reginæ. Satisfactum esse fœderatæ, ac vicinæ nationi, tutelã ipsius, quõ id efflagitaret, suscipiendo: nunc, quando per illam staret, quo minus conuenta perficerentur, temerarium videri, si, neglectis opportunitatibus suis, cum periculo alienos, etiam inuitos seruare aggrederentur. Tunc demùm fuisse gloriosum Polonis in Hungariam proficisci, quom contra Turcos aduocabãtur: nunc intestinis ciuilibusque certaminibꝰ immisceri, calamitosum, & turpe fore. Dimittendos esse ad suos legatos Hungaros. Si sensissent illi operæ pretium fore, coniungi communis regis vinculo, & societate cum Polonis, inuenturos quomodo, id, sine controuersia, fieret: culpam non seruatæ in præsens fidei penes ipsos remansuram: interim rem Lituanam stabiliendam. Quorum sententiã laudabat in primis regina, tum quod ęgrè filium à se diuelli, ac peregre regnatum ire patiebatur: tum quod oriunda, ortaque ex Russia, magnopere angebatur, patriam suam mutuis seditionibus, propter Lituaniæ motus, periclitari. VVladislaum quoque, & Casimirum sollicitos habebat res Lituana: vtpote, paternus, & auitus principatus. Sed & dux Boleslaus, cuius intererat, regem non abesse à regno, propter susceptam à se contra Lituanos actionem, quam iure decidi cupiebat, multa in eãdem sententiam disseruit. Gregorius verò cum Ioanne Cisonensi, & Creslao Goslubiano cæterisque, qui iam tum à principio, conditionem suscipiendam persuaserant, dicere, Hungaros, aut audiri non oportuisse, aut pacta implenda. Non propter illos tantummodo conditionem susceptam, sed quia commune periculum

propulſandum, atq; eò conſtantius in incepto perſiſtendum cenſuiſſent, quo illi iam diſcordes inter ſe, propiores eſſent, vt alieno ſubderētur imperio. Tutius multò fuiſſe, concordes ſimul eos, quàm in ſeditione deſtituere. Si videret Polonos in incepto perſeuerantes, depoſituros ſimultates, rediturosque in fidem omnes. Reginam quoque ceſſuram viribus, vbi eas adeſſe ſenſiſſet. Si res omitteretur, ſeditionibus inteſtinis perituros, aut ad alium quempiam ſe conuerſuros, cuius poſtea vel potentia timēda, vel imbecillitas maiori & ſumptu & diſcrimine fouenda eſſet. Nihil ſatius, quàm, etiam per bellum, ad inſti tutum peruenire. Si tunc demùm abſtineretur, & cupidè ſuſcepiſſe & timidè deſtituiſſe apparituros. Ad Lituaniam pacādam, Caſimirum cum exiguis copijs mitti poſſe: ſed & Lituanos moderatius ſe habituros, intelligentes, VVladiſlaum etiā in Hungaria regnare. Ad hæc, Hungarorum legati, parum momenti in regina ad reſiſtendum vniuer ſorum voluntati afferebant: paucosq; illi affuturos, & eoſdem ſine auctoritate, aut gratia. Eos autem, quos penes, rei totius arbitrium eſſet, ſatis intelligere, nihil poſſe vtilius vtrique regno & inprimis ſuo inueniri. Non paſſuros ad nutum vnius mulieris ſummam libertatis ſalutisque ſuæ periclitari: abunde prius deliberaſſe ſtatuiſſeque quod optimum videretur. Sed & reginam facile aut ſalubrioribus conſilijs, aut vi expugnari poſſe, reducique in ſententiam rectam: proſequerentur modò Poloni ea, quæ cum ſumma ratione inchoaſſent. Decretum itaque ſecundum Gregorij ſententiam, vt progrederetur in Hūgariam VVladiſlaus, Caſimirus verò cum certo numero copiarum in Lituaniam proficiſceretur: adiunctis ei primarijs viris, Derſlao Rithuianio Iaſtrembecio, & palatino Lublinenſi. Cū Boleſlao autē Maſouiæ duce inducias ſeruari placuit, quamdiu à regno Poloniæ rex abeſſet. Eaq; decreta, ac cætera, quæ dicta ſunt, de neceſſitate, & commodis ſuſceptę profectionis, pro reſpōſo data ſunt Lituanis oratoribus. Deſignati ſubinde, qui, abſente rege, veluti vicarij in locis opportunis præeſſent, ac ius dicerent. In pręțura quidem Cracouiana Ioānes Ciſonenſis, in Poſnanienſi Petrus de Bnino, in Podolia Theodoricus Buciaſcanus. VVladiſlaus verò, vbi ſatis conſtituta prouiſaque reliqua apparuêre, dimiſſis cęteris ad munera ſibi commiſſa, cum illis, quos delegerat ad conſtitutam expeditionem progreditur. Matrem, ac fratrem ſuum Caſimirum biduo ſe proficiſcentem proſecutos, tertia die ab ſe dimiſit, admonito prius fratre, qua ratione, qui buſue artibus, cum Lituanis agitare oporteret. Eduxit verò ſecum, præter militarem multitudinem, viros magnos, & magnis præfecturis honoratos, quos cōſiliorum actionumque omnium ſocios adiutoresque haberet: inprimis Andream, & Ioannem Tencinenſes, Dobrogoſtium, & Sandiuogium Oſtrorogeos, duos Ioannes Tarnouios, Vincentium, ac Scidouam Sciamatuleos, Lucam Gorcenſem, Nicolaum Laſſouianum, & Gregorium Sanoceum. Is poſtea viginti quinque annos præfuit metropoli Leopolienſi: ſed tunc maximè ingenio florens & doctri na, videbatur ad omnia gerenda ſuadendaque facilè idoneus, & de quo rex plurima ſibi polliceri poſſet: ad quæ accedebat cum decora corporis proceritate, præcipua quædam animi ſanctitas, & religio: in quibus adeò eminebat, vt nemo regi Deum propitiaturus faciliùs crederetur: eaque eſt illi inprimis cura delegata. Cæterum vt diuina per hunc rex procuraturum ritè ſe credebat, ita prælijs cōſerendis haud minus momenti fore putans in viribus Leſconis Bobricij, cuius robur & audacia maximo conſenſu vulgò laudabatur; ipſum quoque inter præcipuos educendum delegit. Fuit autem Leſco auus diuæ Fanniæ carminibus noſtris celebris: ſi qua tamen ex illis gloria eſſe poteſt. Inter progrediendum autem quotidie cateruatim confluebant ad regem alij multi, ex Polonia, impigri, & magni viri, partim cupiditate oſtentandæ virtutis in tam nobili expeditione, partim, ne velut ignaui repudiati viderentur. Cæterùm volente vnoquoque armis, equis, & reliquo apparatu eminere: incredibile memoratu eſt, quàm inſignis erat exercitus rerū omnium excellētia, quom fere miles quiſque, egregij ducis ſpeciem præ ſe ferret. Fama etiam, vt in magnis conatibus vſu venit, omnia augebat: copiaſque, & apparatum bellicum vix tolerabilem reginæ, ad quam Dionyſius archiepiſcopus, Ladiſlauſque Gara Banus, & plerique alij defecerant, nuntiabat. Quæ quom edicto iuſſiſſet, arceri VVladiſlaum omnibus munitis in Hūgaria locis: vbi receptum audiuit Cheſmarcum, ſollicita, vt fit, in re trepida, cogitationes in partes omnes cœpit agitare.

agitare. Cæterùm seu desperans, post adeò ingentem belli molem excitam, pacis, aut fœderis audiendam mentionem, seu non inueniens apud se conditiones, quæ vtrinque honestè suscipi possent: ad sustinendam vim cum suis, animum conuertit. Inprimisq;, quom haud ignoraret, susceptas vulgò persuasiones cærimoniasque aliquas, in rebus non leue momentum habere, sedandis, concitandisúe populorum animis: Visegradum, vbi præerat Ladislaus Gara, properè contendit: coronam, qua vetusta religione, ac more, Hungarię reges initiantur in potestatem suam redactura: ne si eius VVladislaus potiretur, veluti rex legitimus, populos ad se conuerteret. Itaque, non aduersante præfecto, penetrale, in quo sanctissimè asseruabatur, quom effregisset: illam tantummodo extulit, relictis cæteris induuijs, quæ ad ritum cærimoniamque coronandorum regum pariter adhiberi cōsueuêre: nec mora, cum omnibus, qui palàm sibi, ac postumo fauebant, Comarum se recepit. Alij verò, quos aut nouarum rerum studium, aut per legatos data fides VVladislao, aut timor, ne bello cogerentur, sollicitos habebat, quanto quisque poterat comitatu, quotidie ad illum confluebant. In eaque festinatione pleraque hostilia commissa sunt, diuersis in locis contra illos, qui reginæ affuturi videbantur. Inprimisque Simon Rosgonius Agriensis episcopus quom cōperisset Eperiessi non vigiliarum ordinem, non stationes iustas seruari, sed securè, ac solutè agitari, per occasionem, noctu id oppidum intercepit: quo subinde firmato munitionibus, ac præsidio, Chesmarcum venit. Ibi Polonorum animi, quos, propter reginæ motus, demissos labefactatosque constabat, rursus erecti sunt, & confirmati: quom viderent conuenisse ad se magnam partem ex primoribus Hungarorum, quorum auctoritatem cæteros secuturos, aut, si qui aduersarentur minimo negotio cogi posse apparebat. Itaque alacres, renouata spe facilè, ac celeriter incepti perficiendi, alteram Lituanorum legationem, quæ illuc vsque, ad auertendū in Lituaniam VVladislaum, sollicita aduenerat, dimisêre retrò ad Casimirum, cui Lituanicæ rei cura delegata esset. Etsi plerique, quos non minus discrimina, & progrediendi difficultas, quàm ea, quæ nuntiabantur à Lituanis, mouebant, cum Ioanne Tencinensi, vel illinc regredi in Poloniam suaderent. Sed, ne id fieret, annitentibus Ioanne Iaroslauiensi, & Gregorio Sanoceo, tenuit pudor, famæque verecundia. Constitutum itaque, vt, præposito cum valido præsidio ad custodiam Chesmarchi Nicolao Pereno, Budam versus progrederentur, vtriusque regni copijs simul coniunctis. Inter proficiscendum lente (vt par erat tanto exercitui) visum est mittere, qui regni caput Budam præoccuparet, ne regina, si muniendi se illic facultas spatiumque daretur, conatus VVladislai, ac suorum subinde, aut retardaret, aut irritos redderet. Datum est id negotium Agriensi episcopo, & cum eo missi Vincentius Sciamatuleus, Andreas Tencinensis, & Lesco Bobritius. Eos, vbi aduenêre, populus in vrbem vltro admisit, ducendisque munitionum operibus, manu, & cætero omni studio frequens affuit: quom interim præfectus arcis Laurentius Hendreuera deliberabundus, neque aduersando, neque obsequendo his, quę fiebant, videretur in eam partem inclinaturus, ex qua minus perturbationis in regno crederet excitari. Veniebat ex parte altera Fredericus comes Ciliæ cum quingentis equitibus, missus & ipse ab regina eodem consilio præoccupandæ Budæ. Qui vbi à Polonis eam teneri cognouit: nihil vltra tentandum ratus, demisso animo, statim retro abijt Comarum. Augebantur semper copiæ VVladislai, accurrentibus ad eum in itinere Hungaris. Cæterùm quom peruenisset Eperiessum, diemque vnam ad quietem indulsisset exercitui: secretarius quem charissimum habuit, dum in fluuiolo ignobili præpropere opitulari pergit accipitri, cum anate periclitanti, submersus est: & prodigiosæ magnitudinis grando, cum ingenti procella, & fragore cœli decidit. Quibus non nihil consternati sunt animi in Polonis, minimè referentibus, vel id ad fortunæ casus, vel hoc ad aëris intemperiem, sed vtrumque velut in prodigium auertentibus, &, prout cuiusque vel mens erat, vel religio diuersis in diuersum interpretantibus. Regina verò, vbi ad Polonos Budam defecisse intellexit, & VVladislaum, qui Agriam iam attigisset, hilari consensu illicà populo expectari: ad cæteras ciuitates in officio retinendas, festinato itinere, Albam regalem se contulit, cui præerat tunc partium suarum

fautor Nicolaus Friſtatski. Ibique ſuadentibus, qui illam ſequebantur, filium ſuum iam trimeſtrem, in templo conſueto, regio titulo, & corona ſolenniter inſignitum auguſtiorem, & veluti ſacroſanctum populis ciuitatibuſqueHungariæ reddidit, putans futuros plures, qui veri ac legitimi domini partes ſequerentur, quàm qui contaminare ſe vellent nota defectionis. Affuêre coronationi eiuſmodi, ex illis, qui paulo antè VVladiſlaum accerſendû cenſuerant, archiepiſcopus Strigonienſis, Iaurinenſiſque epiſcopus Benedictus, tum Ciliæ comes, Nicolaus Friſtatſki, Stephanus Roſgonius, & plerique alij: omneſque mox cum regina contulêre ſe Iaurinum. Res ipſa tum etiam auctores magnoperePolonos conturbauit. Sed eò ventum erat, vnde regredi, niſi, re perfecta, turpitudo non patiebatur. Itaque mouens ab Agria VVladiſlaus per commoda interualla tâdem Budam peruenit. Quom appropinquaret, factus eſt ei obuiam præfectus arcis Laurentius Hendreuera cum liberis duobus, & populus effuſus, quom ipſe, inſtructis copijs, ne quid ſubeſſet inſidiarum, ingrederetur. Poſt mutuam gratulationem, viſum eſt, ea die ab ingreſſu vrbis abſtinere, placuitque ſubſiſtere ad Peſtum. Interim regina, per nuntios maria monteſque pollicendo Hendreueræ, enixè conabatur perſuadere, vt in fide, atque officio maneret: parumque abfuit, quin impetraret, magis in gratiam memoriæ Sigiſmundi, quàm ſponſione ditiſſimarum conditionum, quas proponebat: præualuit tamen in animo bene inſtituto ea ſententia, quæ tutior videbatur ad ſtabiliendum naufragans regnum. Itaque ille VVladiſlaum, & ſuos liberaliter in arcem admiſit. pro quo beneficio VVladiſlaus, vt præfecturam, in qua erat continuaret edixit, ſatis confidens, manſurum ipſum conſtantiſſimè in ea parte, ad quam, patriæ incolumitate ſuadente, non impetu animi, ſed iudicio acceſſerat. Super omnia inſigne fuit ſpectaculum, quom Budam VVladiſlaus ingrederetur: nam præter magnificentiam ornamentorum nauium, quibus cum inſtructo exercitu per Danubiû tranſuectus eſt, maximè eminebant vbique ſtudia procerum regni vtriuſque, certantium inter ſe officij ſedulitate, ad inducendum ipſum quàm maximè fieri poterat ſolenni, ac omni genere ornatus inſtructiſſima pompa. Sed & milites cum ducibus ſuis, qui præmiſſi huc fuerant armati obuiam prodierant. Præterea ſacerdotes cum ſacris, & religioſo apparatu, populique promiſcuè omnis ordinis turba innumerabilis. Procedebat ergo militibus ſtipatus inter voces gratulantium, fœlicemque, & fauſtum regi ſibique ac regno ingreſſum eiuſmodi exoptantium: ſubſequebantur proceres regni vtriuſque, pro dignitate, ac meritis, vt quiſque eminebat ita ordine antecedentes. Vbi ad templum auguſtius peruentum, laudes, grateſque Deo immortali actæ. Subinde in regiam perducto VVladiſlao, populus quidem gratulationem ſuam in multam noctem produxit, varijs diſcurſibus per ciuitatem cum cantu tripudijſque, & hilari ſaltatione. Proceres verò, cùm crederent ſuſcepti negocij partem maximam tranſegiſſe, recepta Buda, quieti ſe dédêre, mox conſultaturi quibus tâdem rationibus reliqua ſine contentione, vel mora perfici poſſent. Vbi Budam teneri à VVladiſlao vulgatum eſt, non ſolùm qui apertè partibus ipſius fauebant, ſed multi etiam alij, qui ad id temporis diſſimulauerant, fidem, atq; obſequium pollicentes cum gratulatione ad eum confluxêre, inprimiſque Mathico Talaucius, iiſdem diebus cura, atque opera tonſoris ſui elapſus cuſtodia, in qua reginæ iuſſu aſſeruabatur, tum Nicolaus Friſtatski, Stephanus Roſgonius, Ioannes maior Perenus, &, in quo plurimum in vtranq; partem momenti, Ioannes Huniadianus, præterea epiſcopi Veſprimienſis, Quinqueccleſienſis, Tranſiluanẽſis, Nitrienſis, Sirmienſis, Vaccienſis, Varadienſiſque, & Colocenſis archiepiſcopus: pauciq; iam, præter Caſſouiam, reliquaſque ciuitates, quæ cum illa in euentum à principio ſe communierant, in regno toto ſupererant, quæ non profiterentur, ſe in fide VVladiſlai eſſe, ac fore. Venit & à rege Boſſinæ legatio, apparatu, viriſque inſignis: quæ, repetito gentis ſuæ primordio, eoſdem, cum Polonis, auctores generis, & communem linguam ſuam Boſſinenſes habere quom dixiſſet, &, ob eam linguæ, atque originum veluti cognationem, regem ſuum magnopere

pere gaudere, propterea quod cœptis VVladislai, fœlicitatem adesse vulgabatur: multa disseruit de commodis, quibus se mutuo, propter cognationem, vicinitatemque releuare possent, ac deberent, communicatis viribus, & consilijs, aduersus imminentem Turcorum crudelissimam tyrannidem: fœdus præterea, & amicitiam sanctissimè cultam, seruatamque inter Bossinæ, & Hungariæ, ad id locorum, reges, vel iniri, vel renouari postulauit. Quibus benignè responsum, incrementa, successusque VVladislai merito regi placere, tum propter eam, quam repetissent linguæ, atque originum coniunctionem, tum quia vtriusque pene tantundem interesset, vt quàm celerrimè pacata omni Hungaria, contra communes hostes, integris viribus expeditio susciperetur. Gratiæ subinde actæ, quod in tempore affuturum se contra Turcos communicando actiones, & consilia rex vltrò polliceretur: & vt sic animatus ad extremum perseueraret adhortationes adhibitæ. Fœdus denique inter reges, & regna confirmatum. Aduenerant etiam oratores Despoti, cuius demissior gratulatio fuit, vt par erat. Quippe quod è principatu suo per Turcos eiectus, priorum Hungariæ regum munificentia alebatur: qui casum tanti viri miserati, collocauerant eum in finibus regni assignatis illi nō nullorum oppidorum vectigalibus, & iurisdictione, quibus haud indecorè, præsentis fortunæ statum ferret, & præteritæ desiderium leniret. Itaque ante omnia oratores eius, magno verborum ambitu commemoratis prope eisdem, quæ Bossinensis de cognatione originum, ac linguæ cum Polonis, purgauêre Despoti factum, quod per nuntios id munus esset aggressus, quod obire ipsum oportuerat: sed accinctum iam itineri Turcos auertisse, ne coram veniret. Cæterùm ambigere ipsum, spei ne suæ, quæ, post ademptum sibi principatum, abductosque in seruitutem liberos, tum primùm reuiuiscere incipiebat, an fœlicitati VVladislai prius, magisque gratulandum foret: accessisse quidem accessurumque indies benignitate dei ad gloriam, dignitatemque VVladislai multum, quom nihilominus in summa gloria summaque dignitate existeret: sibi omnibus patrijs, & auitis ornamentis spoliato, nec solùm principatu, & patria, sed domo, ac lare eiecto, extorri, indigo, alienaque viuenti misericordia, tum primùm oriri lucem aliquam, non solùm melioris conditionis, sed pristinæ etiam dignitatis, & fortunæ recuperandæ. Id fœlicitatem inceptorum polliceri, tum geminatas vires duarum inuictarum nationum, quarum neutri vlla, præter alteram, disciplina militari, & alacritate pugnandi par foret in terris. Obuersari iam tum oculis suis fugam formidinemque conuersas in Turcos, agrumque illorum igne, ferro, vastitate infestum, se verò ad maiorum suorum sedem restitutum. Atque ideò vltra omnem humanam lætitiam gaudere sibi, VVladislao autem gratulari, qui tam magnarum actionum gloria non modò præsentis æui reges, sed vetustos omnes esset superaturus. Si pristina fortuna adesset, oblaturum fuisse se comitem, atque adiutorem: nunc quando integrum non esset sibi, maiora polliceri, voluntarium regis ad omnia periculosa, & difficilia obeunda ministrum se offerre, ac dedere. Mouit tum VVladislaum tum cæteros & fortuna viri, & tam submissa oratio. Itaque responsum legatis, vt Despotum bono animo esse iuberent: satis multas affuturas occasiones ad mutuam, præsentemque gratulationem. Interim cum ratione ab eo factum, quod loca, in quibus regi gratulari posset, ab hostili incursu tuenda sibi in tempore putauisset. Perseueraret modò strenuè: VVladislaum primoque tempore annixurum, vt expectationem spemque de se conceptam adimpleret. Interea Strigoniensis archiepiscopus, & Ladislaus Gara, qui coronandi postumi inprimis auctores, adiutoresque fuerant, seu, desperatis reginæ rebus, propter successus VVladislai, seu rati per transitionem suam, quam reliquos dignitate inferiores secuturos credi par erat, reginæ animos infringi, & ad concordiam conuerti posse, cœperunt cum VVladislao clam per internuntios agere, vt impunè ad eum transire liceret; acceptaque in id fide, Budam properabant. VVladislaus verò

qui sciret, magnam esse talium virorum, apud populares suos, auctoritatem, multumque huc, vel illuc mouere animos vulgarium pariter, & nobilium posse: vbi appropinquasse ciuitati percepit, obuiam progressus, benignè complexos bene de se sperare iussit.

Die insequenti quom ex composito, vtriusque gentis primores quàm magnificentissimo apparatu ad Regem conuenissent: missi sunt, qui illos in curiam inducerent: vbi archiepiscopum in hanc sententiam locutũ tradunt. Intelligo, rex inclite, purgandum esse, quod, in rebus fere omnium maximis, consilium ter variasse videmur. Primùm, quom te, qui apud nos regnares, accersendum censuimus; deinde, quom reginam filium suum coronantem contra te sumus secuti: nouissimè, quando, illius partibus omissis, nunc ad te reuertimur: vt verendum sit ne aut spernendi à te velut imbecillitate animorum laborantes, aut cum suspicione accipiendi, ceu parum fideles his, ad quos inclinauerimus existimemur. Non enim sẽtẽtiam, fidemúe mutando toties, velut in contrarium acti sumus: sed quom ageretur de conseruando augendoque regno nostro, idque, quantum magnitudo rei postulat, nos sollicitos haberet, seu nimia cupiditate, seu humana ignoratione, quod optimum foret non satis constituebamus. Atque ideo nunc hoc, nunc illud approbantes, minimè mutato proposito, ad id, quod efficacissimum videbatur confugimus, non studio partium, sed charitate patriæ; cuius salutem dignitatemque periclitari intuebamur: neque enim, vt de me fatear, quod de alijs etiam sentio, quom à nobis accitus es regnatum, ideo tantum consensi, quod, ob virtutem tuam, maiorumque tuorum gloriam, dignissimus videreris. Inuitabant ea quidem, vt consentirem: verùm non de ornando, augendove te consultatio erat: sed quom, post mortem Alberti, regnum nostrum in orbitate velut prædæ Turcis expositum appareret: inuictum regni tui robur in primis occurrebat, quod, per vicinitatem, & fœdera nobis coniunctum velle deberet, per amplitudinem autem facilè posset nos tueri, & conseruare: videbatur & tua, tuorumque interesse, vt quæ nobis imminebant pericula propulsarentur. Atque ideo freti viribus, & amplitudine regni tui, quom de fide dubitare non possemus, quando in rebus vestris idem exitus, quem in nostris pateremini, foret à vobis expectandus: vnanimi consensu ad te confugimus, rati fore, vt in ditione, & tutela tua, res nostræ domi, forisque maximè florerent. Postquam vero Regina seu mala ratione, seu ma lo fato percita cœpit à communibus consilijs resilire (quamquam & ego, & qui illam mecum secuti intelligebamus, ad publicas necessitates parum momenti illinc esse) accessimus tamen: tum quia nefarium apparebat, Reginam nostram, & eandem Sigismundi Regis nostri filiam deserere, prius quàm patriæ periclitatio nos cogeret, tum, vt in viam rectam (si fieri posset) reuocaretur, & tu defectionem nostram veritus, tantisper deliberabundus subsisteres, dum iniretur ratio sedandi ciuiles discordias, quas celer aduentus tuus, tumultuante adhuc Regina, videbatur excitaturus. Cruciabamur enim animo, intuentes exarsurum bellum intestinum, euocatione tua, per quam externum extinguere volueramus. Atque ideo omnia prius experiri certi, quàm patriam suo se gladio conficientem intueri, tam diu in parte altera perseuerauimus, quoad ratio officij erga Reginam, & gratissima nostris animis memoria Sigismundi, charitati patriæ non concessit. Vbi verò ambitione Reginam elatiorem vidimus, quàm quæ adduci posset, vt periculis suorum parceret, & in illis angustijs essemus, vt aut patriæ, aut officij iacturam facere oporteret; maluimus boni ciues, quàm officiosi clientes dici, &, relicta illa, quæ, nisi per summas omnium nostrorum calamitates, nec Regnum assequi, nec adeptum tueri posset, rursus ad te conuersi sumus, in cuius auctoritate pacem domesticam, in armis verò foris victoriam intuemur. Idem patriæ salutis studium, quod ad te vocandum, quod ad secedendum paulisper ad Reginam nos compulit, nunc ad te reducit. Debet probari abs te tam propensa, constansque in patriam fides nostra, quom intelligas, propter illam,

nos etiam famæ subijsse discrimen. Maluissemus quidem vt prima consilia nostra processissent, & vt sic apud nos regnasses, vt officiosi erga Reginam, eiusque parentis memoriam immortalem mansissemus, & vt quieti inter nos, tua, tuorumque auctoritate accedente, non solùm finibus nostris hostem submouere, verùm etiam agrum illi suum infestum reddere potuissemus. Nunc quando vtrumque assequi non licuit, incolumitatem patriæ cum fœlicitate tua sequentes petimus, vt quemadmodum verecundiæ nostræ indulgeri debet, quod aliquamdiu cum Regina fuimus, præsertim vt reconciliaretur tibi, ita nobis fraudi non sit, quod ab ea quieta consilia contemnente, salus, & pax regni nos abstraxit. In futuro quales experieris non habeto. VVladislaus contra minimè daturum fuisse fidem, vt se accederent, nisi bonos fortesque viros iudicasset. Satis scire tranquillitatem patriæ vnicuique charissimam esse debere, sed ante omnes illis, qui ab ea in summis ornamentis, summaque dignitate essent collocati. Quæ egissent omnia sic accipere, tanquam pro pace, ac firmamento Regni gesta essent, non contra se: neque enim quicquam commisisse, propter quod hostilem animum aduersus se gerere deberent: nisi propterea sibi irasci vellent, quod, relicto florentissimo Regno suo, & omissa cura pacandæ Lituaniæ, in qua, propter cędem principis perpetratam, bellum exardesceret, vires animumque suum conuerterat ad tutelam stabilimentumque Regni eorum. Quod ad Reginam attineret, minimè reprehendi posse, si ad extremum voluntati illius publicam salutem prætulissent: nec enim regibus fidem obligari euertendis regnis, sed conseruandis. Hortari vt adessent animis, ac viribus ad cætera, quæ superessent expedienda. Breui affuturam tranquillitatem illam, quam optassent, modò ipsi factis, & consilijs opportunis orationi suæ fidem facerent. Regina, quamuis, vbi suorum fidem labefactari vidit, & ad VVladislai fœlicitatem deficere, malè esset animo affecta, tamen, dissimulata muliebri trepidatione, ne, si quantum metuebat, indicasset, reliqui in desperationem adducerentur, Ciliæ comitem ad se vocauit, communicatoque cum eo consilio, nuntios cum literis Cassouiam, & ad cæteras ciuitates, quæ VVladislaum, aut suos, sub ipsum belli initium, excluserant, circummisit, iubens vt essent bono animo: properè affutura auxilia, quibus tueri ipsæ commodè se possent, & VVladislaus toto Regno excluderetur. Moxque conductitium militem ex Boëmia acciuit, &, consentiente in id Episcopo, Iaurinum diligentissimè communiuit: collocatisque illic copijs suis, velut in loco opportuno incursionibus faciendis aduersus VVladislaum, & suos, cum filio transtulit se Posonium. Id vbi à Polonis compertum, misit VVladislaus ex gente vtraq; numerosum exercitum ad Iaurinum obsidendum, ducibus Huniadiano, & Sandiuogeo Ostrorogeo. Forte ita euenit, vt comes Ciliæ, qui illuc accesserat, inspecturus, an satis omnia firma munitaque essent, & an constantes, consentientesque inter se, perseuerarent omnes tuendis Reginæ partibus, cœptus sit cum alijs, qui illic erant, obsideri, superuenientibus qui à VVladislao missi fuerant. At ille, vt erat vir acri, & elato ingenio, ante omnia, confirmatis suorum animis tolerandæ obsidioni, factaque spe affuturi propere subsidij ex Austria, & Boëmia: ne cui deesset occasioni retinendæ Reginæ in sententia, si forte, propter efficaces conatus VVladislai animus eius demitti cœpisset: quom videret, se cum suis imparem apertæ eruptioni: constituit clam euadere Posonium. Cum paucis igitur silentio noctis profectus, per hostium stationes, moxque Rauo superato, in insulam, quam non procul Danubius circumplectitur, quàm occultissimè se transtulit, ratus illinc commodè se elapsurum ad Reginam. Qua re ab hostiū speculatoribus comperta, missi sunt illico cum Lescone Bobritio, impigri, & expediti aliquot milites, qui insequerentur, comprehenderentque fugientem. Sensit & comes patefactam fugam suam, & sequi à tergo hostes. Itaque diffidens euadendi celeritati, latendo illos fallere instituit. Edixit ergo suis vt ab insequentibus, se facilè capi paterentur, subindeque à domino suo, qui in op-

oppido remansisset, missos se cum mandatis ad Reginam profiterentur: nec mora, in siluam, qua profundissima erat, ipse se immisit. Captis è familiaribus nonnullis, quom singulorum asseueratio in vnum congruens ferè persuaderet: inquisitio à Polonis propemodum omittebatur. Tum Saniscia quidam haud rei militaris rudis, eos callido commento, atque argutia increpuit, tanquam desertores domini sui: qui per imprudentiam minimè noscitãtium eum, haud procul in silua foret interfectus. Ad eam vocem bene simulatum mendacium aperuêre humani affectus. Itaque instaurata diligentius inquisitione, lustratisque hinc inde omnibus latebris, tandem à Lescone ipso comes inuentus est & captus, moxque cum ingenti militum gaudio ad exercitum, subindeque ad VVladislaum Budam perductus est. Quom exhiberetur in conspectum, non solùm vtriusque gentis principes conuenerant, sed promiscua etiam omnium ordinum multitudo, partim miserantium præsentem viri conditionem, memoria pristinæ dignitatis, partim asseuerantium vere iustum humanarum rerum inspectorem Deum esse, qui debitas ab eo perfidiæ pœnas expetisset. Ille nihil purgans, oblitusque insitæ ingenio ferociæ, submissa, & effracta nimium voce, ac gestu veniam precatus est. VVladislaus autem minimè duro vultu supplicem alleuans: Maluissem, inquit, vt fides tua te amicum huc adduxisset, quàm fœlicitas mea captiuum: idque factum foret proculdubiò, si ambitio, expugnata animi tui fide, & constantia, non extorsisset, vt debiti mihi principatus, vicarium te potius, quàm socium esse velles. Nunc quãdo fortunam meam potius quàm beneuolentiam experiri, & vana spe, beneficij in me tui gratiam corrumpere placuit, impugnando iudicium, quod de me feceras, quom vnanimi omnium consensu electus sum, qui apud vos regnarem: placidè feres, si ego vicissim erga te magis factorum tuorum præsentium, quàm electionis, à qua, nulla mea culpa, defecisti memor esse cogor. Moxque in custodiam tradi iussit.

Postridiè VVladislaus seu periclitantis ciuili tumultu Lituaniæ discrimen sollicitum haberet, seu patrij Regni desiderium malè ferret, seu abhorrens ab immanitate intestini belli, quod gerendum illic videbat, seu cupidus denuo coramque experiri qua tandem mente Hungari erga se forent: conuocatis in arcem omnibus, quorum auctoritas aut publicè, aut priuatim eminebat, huiuscemodi orationem habuit: Satis intelligebam, quom me apud vos regnatum vocaretis, non mihi sed necessitatibus vestris id tribui: sed neque id oratores ad me missi dissimulauerunt, & plerique ingenuè subindè professi estis. Quom tamen benignitate Dei, maiorumque meorum virtute, longè lateque haberem, vbi fœliciter regnarem: stabiliendi res vestras curam suscepĕram, magis, ne fidem meam in periculo suo implorantibus vicinis, fœderatisque deessem, quàm quod amplitudini meæ necessarium putarem. Sed & quieta omnia domi, consentientesque inter se voluntates vestras nuntiabatis: quicquid verò laboris, ac periculi bellicis actionibus exhauriendum esset, ab eo hoste imminere, cuius impetus frangere, ac retundere longè pulcherrimum, & gloriosum foret apud omnes populos, & nationes quæ religionem nostram profiteantur: quæ (sine inuidia loqui liceat) multo secus se habent: quippe quod ex vobis multos inter vos video dissidentes, & longè maior dimicatio domi proposita apparet, quàm timeri foris potuerit. Itaque distrahitur sæpe animus in diuersum, quom vel desistendum ab incepto, vel præbendum me ducem in ea acie, quæ propemodum ad parricidium sit armata, considero. Cæterùm ex vestra simul, & mea re magis esse videtur abstinere, quàm, per intestinum bellum, ad propositam mihi per vos spem peruenire. Occurrit enim iam nunc animo totius belli species: video vos gentem vnam non, vt multæ aliæ, ex conuenarum multitudine casu congregatam, sed vnius linguæ stirpisque, ac propemodum familiæ. Circumspicite vos singulos, & vniuersos: adeo estis inter vos iuncti sanguine, & affinitatibus, vt verius domus vna, quàm natio dici possitis. Nemo ex vobis vnus violari potest, quin eius iniuria penè ad omnes pertineat, atque in illum ipsum, qui intulerit, per quen-

dam veluti circuitum cognationem redeat. Hanc vnitatem coniunctionemque sanguinis inter vos, quam vobis semper profuisse, mihi verò imprimis profuturam externo bello submouendo existimabam, distrahi in diuersum violarique mutuo, non aliud mihi quidem videtur, quàm naturam ipsam, & quidquid in ea venerabile sanctumque est, euertere. Dubius est, vt aiunt, euentus belli: sed blandiamur vobis, & succubituros armis nostris aduersarios concedamus. Post fratrum parentumque, ac cæterorum propinquorum exhaustum sanguinem, restat, vt si Turcus lacessierit, aduersus illum vos producam, ante omnia, intestinis cladibus debilitatos, sed & plerosque cognati, aut propinqui cuiusque cæde imbutos. Quam spem victoriæ mihi proponitis tam nefariè cruentum agmen, & suorum strage, ac vulneribus consceleratum educenti? Deus meliora velit: non ætas, non fortuna mea est, vt per tam abominandam dimicationem properandum mihi censeam ad spem maioris amplitudinis: nec tempus, nec virtus, aut animus deerunt gerendis honestioribus bellis. Nunc antequam mutuis sceleribus coinquinetis manus; dum integræ adhuc regni vires, & animi, nondum cruentatis armis, inter se conciliari possunt vel ad retinendam simul pristinam dignitatem; vel ad patronum concordi voto deligendum; tum grato erga vos animo meo dignissimum, tum rebus meis vestrisque, conducere arbitror, vt ego, propter quem, tumultuari cœpistis, retro iter flectam. Facilè, vbi ego abfuero, in gratiam mutuo redieritis, &, quod in magnis discriminibus aliàs sæpe fecistis, minimè difficulter rationem inieritis publicæ salutis expediendæ. Quod si ad me rursus confugiendum censueritis, tam primæ, quàm secundæ euocationis vestræ memor, enitar, vt in cessione hac mea, nihil aliud à me quæsitum intelligatis, quàm salutis vestræ remedium. Interim assequar, vt haud perpeti potuisse dicar, in gratiam meam periclitari fœderatum, ac bene de me meritum regnum, & rem Lituanam sic constituam, vt multo liberius, si opportunum duxeritis, incolumitatis vestræ curam denuo subire possim. Verba VVladislai cum summa laude moderatissimi animi accepta, plerisque etiam lachrymas excussêre. Quom verò, vt liberius consultarent, è conspectu abiturus assurgeret: voces vndique auditæ asseuerantium, neminem magis interesse oportere: quandoquidem eo vsque afficeretur rebus ipsorum, vt amplitudinis, & gloriæ suæ videretur oblitus. Vel ex eo dignissimum esse, quem regem apud se vellent, quod salutem regni anteferret cupiditati regnandi. Non tantum sperasse, quando elegerant. Nunc veram in eo fidem regiamq; virtutem experti, non commissuros, vt prudentiores in eligendo, quàm constantes in conseruando sibi rege fuisse dicerentur. Etiam rursus VVladislaus assederat, cùm cæteris haud sanè ciuiliter, neque in consultantium morem studia sua efferentibus silentium fecit exaudita vox Huniadiani. Ille peregrini regis euocationem contra imminentia discrimina, velut in necessitatem reijciens; ne prius, quàm postumus coalesceret, aut externo bello, aut domesticis seditionibus regnum succumberet: quicquid in eo eligendo, actum dictumve esset, consilia tempori accommodando, deliberatè factum: si quid, contra, ab aliquo tentatum; aut humano errori, aut superuacuæ fidei erga regiam stirpem ascribendum prius asseuerauit. Tum satis se scire, inquit, supra muliebrem sexum, constantem reginam esse: verùm haud facilè desciscere ex toto à naturalibus affectibus. Nata sibi, præter spem, virili prole, indulgendum, vt matri, si pro filio sollicita foret: si quæ saluberrima sibi, ac regno essent non prospiceret, tolerandum in fœmina. Non alios ad eam conuenisse, quàm quibus tanti incepti vtilitas, nondum satis intellecta foret: quos publicæ opportunitatis ratio ad VVladislaum congregasset, exploratam iam virtutem eius in fide retenturam. Eosque etiam ipsos, licet haud sanè multos, errore iudicandi, aut officio erga reginam in diuersum abstractos, plurimorum cõsensum reuocaturum: facileque, vbi noui regis tam singularis animi corporisque dotes vulgarentur, sese illi dedituros. Longè maxima difficilioraque transacta. Teneri iam Budam sedem regiam: tum comitem Ciliæ, cuius vnius spe maximè regina elata ad tumultuandum foret, fœlicitate pub-

lica

lica in potestatem datum. Reliqua sine armis, sine cæde, ac sanguine in ditionem ventura: non futuros qui vim potius, quàm clementiam regis vellent experiri, præsertim quod longè impares viribus, nedum victoriæ, sed ne tuendi quidem se, spem concipere possent. Non facturum regem ex instituto grati animi, si adeo de se benemeritos, in eo tumultu destitueret. Præsertim quod longè plus periculi, ex discessu suo immineret. Nam & reginæ partes quosdam pertinacius subinde defensuros, & quos ratio publicæ salutis ab illa abduxisset, acrius in proposito permansuros. Facilè Turco fore, mutuis seditionibus occupatos, & à defensore destitutos aggredi, & expugnare. Sed vt cum regina in gratiam omnes redijssent: sine duce, sine capite, tam grauis belli impetum minimè laturos. Fieri posse, vt aut tædio, aut pudore muliebris dominatus, se ad alium quempiam conuerterent, in cuius potestatem venisse Hungariæ regnum, Poloni postmodum grauiter ferrent. Sed neque honestum regi apud suos, alienosúe talem reditum fore. Nemini verisimile appariturum, ob aliam causam tam inclitum regnum omissum, nisi quod aut regere, aut tueri posse desperasset. Rogare per salutem vtriusque gentis, & regni, vt in proposito perseueraret, & bene initum solium vtriusque nationis constanter expediret. Omnia breui, & quieta sibi, & libera fore. Qui adessent scire satis paratos iam tum præsentem ipsum denuo regem dicere, ac constituere, & iureiurando fidem, atque obsequium despondere. Non altius verba, quàm auctor in animum descenderant VVladislai, propter insitam eminentemque in viro animi indolem. Sed & subsecutæ vniuersorum acclamationes, flagitantium, ne se in tam discriminosa conditione desereret, & cum dicto, vnanimi consensu committunt, dedunt que se, ac sua omnia illius fidei & auctoritati, decernuntque ipsum regem iterum, & cooptant. Nec mora, cœpta est eius coronandi consultatio. Sed occurrebat difficultas vetustæ consuetudinis, & ad id temporis religiosè obseruatæ, quod sacra, ad eam rem, corona in potestate reginæ erat. Nec placebat committere, vt videretur, ad eiusmodi solenne, in qualibet corona tantundem momenti inesse. Itaque quom neque spes foret, persuaderi, aut cogi subitò reginam posse; nec vellent cærimoniam coronandorum regum vulgari per nouas coronas: ad illam, quæ maximè propria sacræ apparebat, confugere: constituerunt que, pro temporis, ac rerum necessitate, vti ad eam rem corona, qua sancti Stephani primi Hungariæ regis caput exornatum religiosissimè seruatur, ceu veræ virtutis exemplar, atque incitamentum post ipsum regnaturis. In ea disceptatione multa probra iactata in Ladislaum Garam, cuius maximè permissu regina coronam sacram interceperat, ægreque à vulneribus, & cæde temperatum, intercedente rege, propter fidem accedendi se liberè obligatam: captus tamen est & custodiæ traditus. Cumque rex deprecaretur, & fortunæ se, quàm fidei iacturam facere satius diceret, vix, post triduum, vt liberaretur impetrauit. Amotus est tamen præfectura Visegradi, subrogatusque in eius locum Vincentius Sciamatuleus. Reginam interea, quom se orbatam consilio, actionesque suas magna ex parte debilitatas videret, capto abductoque in custodiam comite Ciliæ, & labante iam suorum fide, post defectionem Strigoniensis, id quod minimè in tanta muliere suspicandum arbitror, sunt qui insimulent ad fraudem animum adiecisse, propositaque ingenti mercede, si facinus transigeret, adegisse quendam ex suis, quem sibi imprimis fidum credebat, vt Budam se conferret, & VVladislaum quoquomodo veneno extingui curaret. Sed cupiditas eadem, quæ leue ingenium ad partes suscipiendi facinoris adegerat, compulit etiam, vt rem VVladislao aperiret, spe cumulatioris remunerationis, quàm foret pretium, quod pro scelere contempsisse videri volebat. Id seu non crediderit, seu credere dissimulauerit, ne, si veneno in se grassatam reginam affirmasset, spem omnem reconciliationis in posterum excluderet, VVladislaus hominem execratus tanquam scelestum, & falsa indicantem è conspectu suo abire iussit. Verùm primores procerum, vbi nefas, quod attulerat agnouêre, per omnes cruciatus excarnificandum, robustissimorumque deinde equorum caudis alligandum, distrahendumque in partes quatuor tradidêre, iustissimas ab eo pœnas exigentes, siue vera, siue falsa detulisset. Itum deinde Albam Regalem, vt VVladislaus coronaretur.

Quò perlata iam erat, ex Visegrado arcula, in qua custodiuntur ornamenta ad cærimoniam coronationis religiosa. Quibus in medium prolatis, adiecta est, prout conuentum statutumque erat, sancti Stephani corona. Proditum memoriæ est, quom primùm Hungaria regni nomen accepit, sacram coronam induuiasque initiandis regibus, religiosas sancto Stephano primo regi à Romano Pontifice cælitus monito destinatas, seruatasque deinde solennj custodia, veluti faustum auspicium futuris regibus, eadem qua ille regni fœlicitate coronandis. Ordinem verò ritumque initiandi illic reges talem vetusto more seruari: Sacrificante, qui in Hungaria summus est pontificum, circũsistentibusque omnibus, ad quos regis pertinet nominatio, in templo, quod augustius est, in Alba Regali ad altare sistitur, qui est rex futurus. Statimque à canonicis exuitur, deinde pontifex precationes solennes præit, quibus regno regique, cuius caput dextra tenet, Deum propitiet, veniamque, & pacem impetret, vt publicè, ac priuatim sibi, oppidis, vicis, ciuitatibus, populis, nationibus faustè, ac fœliciter ineat, geratq; regnum, facultates, fructusq; multiplicet, fines, & imperiũ propaget, auctoritatem denique, & gloriam augeat. Tum manus eius, dorsumque arcano oleo perungit, & mox vestiri iubet. Ornato deinde sacris induuijs, crucem inprimis tradit, per quam significari volunt, ius apostolicæ legationis in designandis episcopis ab ipso initio regibus Hungariæ permissum ab Romano Pontifice. Deinde sceptrum, pomumque aureum, & vexillum regia insignia exhibet, & vniuscuiusque inter tradendum sacris verbis interpretationem prosecutus, tandem prolatis in medium regni legibus, institutisque, exigit, vt in verba ipsorum iuret. Ille vbi in quæ concepit pontifex verba iurauit, illico coronatus, suggestum ad id præparatum conscendit, & plerosque in equestrem ordinem cooptat, vt intelligatur regnum ab armis auspicari, nihilque prius, maiúsue apud reges esse oportere, quàm rationem incrementumque militaris disciplinæ: cætera ornare, illam tueri, & augere imperia. In eodem apparatu postea procedit ad templum diuis Petro, & Paulo consecratum: ibi in tribunal se recipit, & controuersias aliquot audit, & decidit, vt secundum rem militarem, iustitiam, præ omnibus, colendam & sciat, & doceat. Tandem sublatus in equum postquam ciuitatem lustrauerit, progreditur extra portam ad diui Martini ædem, turrimque illic altissimam conscendit, &, quàm maximè potest, protenso extra turrim brachio, ad quatuor mundi partes nudatum ensem porrigit, quasi vndique regnum tutaturus, aut certè illius fines, & ditionem propagaturus. Vbi vero in ciuitatem redijt; solennia conuiuia celebrantur, strepuntque publica gratulatione viæ, ac domus omnes. Quibus omnibus, vbi archiepiscopus VVladislaum de mo re coronauit, ritè, atque ordine seruatis, postridiè, ex vniuersorum, qui conuenerant sententia, constitutum, vt corona sancti Stephani cum sacris induuijs reconderetur, asseruareturque ad futuros reges initiandos, si non contingeret recuperari sacram. Abrogata deinde postumi coronatio, &, ne quis eum pro rege duceret, edictum. Agriensi episcopo, cuius, vsque ad inuidiam, auctoritas, apud VVladislaum, eminebat, nouum sigillum regni commissum, & in qua fraus, errorúe committi posset, veteris sigilli fides exauctorata: pronuntiatumque ad populum, ne literis vllis præterquam nouo sigillo signatis crederetur: præterea, vt omnes immunitates, priuilegiaque à prioribus regibus concessa, eiusdem sigilli fide confirmarentur: multorum, qui de regno, aut de rege benemeriti, dignitas, & conditio adaucta: cæteris spes facta, modò se dignos exhiberent, in quos liberalitatem suam rex exerceret. Paulo pòst, quom haud magni discriminis negotium superesset, pacandis reliquijs tumultus ab regina concitati: satisque, sine externa ope, virium affuturum constaret: plurimi Polonorum cum bona regis venia retrò in patriam abiêre. Regina verò, cognita VVladislai coronatione, multis, dirisque imprecationibus Hungaros execrata, quod in re simili longè dispares se Polonis exhibuissent. Ab illis namque impuberem regem, cum summa fide educatum, nec solùm intra paternum regnum cultum sanctissimè, verùm etiam cum suarum rerum discrimine, strenuè productum ad possidendum aliena: ipsos verò legitimum dominum paulo antè ab se coronatũ, Alberti regis filium, & eundem Sigismundi nepotem, per summum scelus, paterno, & auito regno exturbare, peregri-

num-

numqueapud se,præter ius,fasq; regna turum admittere. Et quia virium plus haberent, pro libidine sua, tum fœminæ sibi,tum infanti regi,quos,cum maiorum meritis & sexum,& ætatem tutari oportuit,insultare,oblitos vindicem Deum longè magis, quàm ipsos posse, ac pollere:submissisq; deinde,qui clam circumeũdo ciuitates, quoad fieri posset,populorum in fide manentium animos confirmarent, consiliumq; suum illis aperirent,in Austriam commigrauit,& Friderico imperatori paruulum filium, sacramq; Hungariæ coronam commendauit. Qui, vtpote patruelis, curam postumi, & coronam haud grauatim suscepit. Ipsa deinde freta nonnullarũ vrbium constantia,& fide,non destitit procerum quoque voluntates clandestinis nũtijs ad se acclinare; cum australibus verò,ac Boëmis congregandi exercitum consilia inire; vt quoquomodo VVladislaus ex Hungariæ regno exturbaretur. Interea Turcus, per occasionem intestini belli, Hungariam facilè ab se occupari posse ratus, Belgradũ oppugnare adoritur, & quom parum vno, atque altero impetu profecisset, obsidendo in potestatem redigere volebat. Id oppidum inter Danubium Sauumque, vbi commiscentur, sic est situm in cliuo, vt ab vtroque amne inferiora eius abluantur: siquidem qua Eurum spectat in ripam vsque latè pronèque deuexum, desinit in Danubium; qua Austrum excipit Sauus allabitur: reliqua ipsius per cliuum extensa, muro,& fossa velut diuiduntur à continenti. Itaque, fabricatis nauibus, quibus, in vtroq; flumine, adhibita custodia, tam subsidia, quàm commeatus arcerẽtur, interciperenturq;, Turcus castra ex diuerso sic metatus est, vt nemo omnino ab obsessis emitti, induciue posset: sibi verò, quoties libuisset, murum aggredi, ac tentare facultas foret. Nec subinde destitit aut opplere fossas, aut machinis quassare muros; coædificatis etiam ligneis turribus è regione propugnaculorum arcis, ad defensores è muro exturbandos: quom interim sui quoque inopia commeatuum afficerentur, neque appareret diuturnam moram obsidionis toleraturos: quandoquidem passim in exercitu exaudiebantur querelæ fame extabescentium; solumque id, ne iam tum oppugnatio intermitteretur, retinebat, quod desperato suorum auxilio, propter intrinseca certamina, quibus regnum agitabatur, minimè credibile erat, oppidanos diutius se defensuros. Præfectus iam pridem cum valido illic præsidio erat Ioannes Vranus vir audax, & rei bellicæ peritus: quippe qui Florentia ortus, Tusco ingenio Hungaricam ferociam adiunxerat: & constabat, strenuè oppidum defendi vndique. Sed quom veluti de porta regni, ea in oppugnatione agi oẽs sentirent: VVladislaus, quom censuisset Turci conatus retundendos: dum copias colligeret, instrueretque memor expetitæ paulo antè ab se amicitię, oblatiq; sibi sponte in rebus suis difficilibus auxilij, ante omnia per legatos de dissoluenda obsidione agendum putauit. Missi igitur Dobrogostius Ostrorogeus, & Lucas Gorcensis, qui, renouata memoria legationis vltrò Cracouiam missæ petitum fœdus, atque amicitiam, cum asseueratione submittendæ opis ad Boëmiam expugnandam, si ex vsu suo Polonus esse censuisset: profiterentur, meritum adeo benignæ in se voluntatis tam altè in animum VVladislai descendisse, vt bellum, quod inferebatur non prius armis propulsare voluisset, quàm vicissim pacis, & beneuolentiæ mutuæ consilia proponeret. Itaque si Turcus abstinere vellet ab infestãda Hungaria, quæ, Deo, atque hominibus volentibus, iam VVladislai facta esset, facile fore, vt de fœdere conuenirent: in quo ineundo seruandoq; daturum VVladislaum operam, ne pacis studio, aut officiorum commutatione inferior deprehenderetur: qui si arma mallet, & vires experiri, annixurum, ne illis etiam quoquomodo se vinci contingeret. Turcus vbi eà audiuit, legatos, quasi subducerentur ab omni occasione iniuriæ inter tot armatos infestosq;, & commodius, dum deliberaretur, habitarẽt, Sinderouiam perduci commisit, certus secum omnia prius experiri, & tentare, quàm illis responderet. Itaq; deditionis spem prius aggrediens, captatis colloquijs maiore, quàm aliquando ambitu, ad defectionem sollicitare cœpit: sed & literæ ingentia defectionis præmia continentes sagittis illigatæ à militib⁹, passim supra murum in oppidum excutiebãtur. Verùm, vbi nihil pacati ab vllo respondebatur, aduocata concione: Pax, inquit, cuius ab hoste mentio illata est, detur, nec ne licet in me situm intelligam, placet tamen & sententiam vestram, milites, cognoscere, quandoquidem id bellum gerimus, in quo cum fœlicitate humana, cuius ego principatum apud vos teneo, periclitatur etiam religio, sanctitasq;, quarum tutela, & cura ex æquo ad omnes

omnes pertinet: quippe quod, vt multum fortuna viuendo differimus, sic eandem, post obitum omnes beatitudinem speramus. Itaq; velim cuncta, quæ dixero, sic à vobis accipi, vt quæ, non à mea, sed ab vniuersorum publica opportunitate proficiscũtur. Nam, quod ad me priuatim attinet, tantum in Asia, tantum in Europa possideo, vt, quod abominor dicere, pars altera minimè pudendum Regnum videri queat: conseruandisque meis plus curę, quàm operę subigendis alienis, fortunam meam fortasse insumere decet: vestrum magis est, videre, an sua cuique sufficiant, & quàm rata ea diuturnaque sentiatis: præter id, quod, cum humanis fortunis, sacra, & diuina omnia sunt à vobis aliquando omittenda, si vltrò nunc arma deposuerimus. Petit enim hostis à bello absisti, & tum demũ de pace conueniendum censet. Omitto indignitatem, quod obsidentibus, armatisq;, obsessi, & inermes; fortibus, & exercitatis, imbelles, ac desides pacem pollicentur. Omitto quantũ laboris molienda obsidione, construendisq; operibus, quantum deducendis, fabricandisque nauibus sit exhaustũ: quę omnia hostis, quasi victos nos, inclusosq; iam teneat, deseri iubet. Bulgaria omnis; & Rasciæ pars maior armis nostris iam pridem paret. In Seruia etiam pleraq; ditionis nostræ fecimus. Quæ omnia vel retinenda sunt, vel vnà cum illis cætera quoque in Europa possessa relinquenda. Quicunq; (quod planè etiam hostis intelligit) habuerit in potestate oppidũ, quod obsidemus, habet non solùm velùti quoddam pignus, & stabilimentum rerum suarum, sed arcem etiam, & munimentum efficacissimum alienis subigendis. Scissum est inter se nunc regnũ, laboratq; domesticis seditionibus: nec tantum virium adiecit res Polona illi coniuncta, quantum detrahunt intestinæ factiones. Hac pacis mentione, facultas tempusq; illis sedandis quæritur: vt nos, integris geminatisq; subinde viribus aggrediantur: si, re infecta, obsidionem dissoluemus, facilè nectendo caussas, tamdiu de pace non consentient, quoad certaminibus domesticis, aut VVladislai fœlicitas, aut Hungarorum voluntas, & ratio sanior finem imponet. Quas fœderis conditiones demum inter se conciliati, & contra nos armati exigent, quando nunc, mutuis discordijs periclitantes, & armis nostris penè oppressi, tanquam acie vicissent, oppugnationem prius omitti, quàm de pace agi æquum censent? Aures nunc obtundunt superbæ petitiones de restituẽdis Bulgaria, & Rascia: tum de cæterarum regionum vrbibus, labore, ac periculo nostro expugnatis. Quod si facere noluerimus, bellum, quod aduersus discordãtes inter se, mutuisq; certaminibus occupatos, per occasionem nostram nunc gerimus, inferent nobis non solùm vnanimes tunc Hungari, sed adiecti etiam illis Poloni. Quod etiam si, pacis studio, tam pudendas, & miseras restituendorum omnium, quæ repetent conditiones suscipere possemus: nunquid contentum suis Despotum quieturũ postea putamus? cuius animus (certum habeo) elatus coniũctione inter se viriũ duorũ adeo præpotentium regnorum, non solùm recuperandis amissis imminet, sed, quicquid vbiq; in Europa nostrum est, iam nunc spirat. Non prius sibi satis factum putabit, quàm, adducto cõtra nos Hũgarorum Polonorumq; impetu eandem, ferro, atque igne sæuiente, in agro nostro vastitatem intueatur, quam à nobis in suum illatam prius vidit. Quod si belli fortuna (omen auertat Deus, sed tamen fieri potest) consilijs eius affuerit, præter omnia fœda, & indigna, quæ ab irato victore timeri debent; pium, sanctumq; apud eos est, dira infandaque in gẽtem nostram exercere; nisi à sacris religionibusq; nobis à maioribus nostris traditis desciscamus, in nouos incredibilesq; ritus degenerando: neq; vllo sacrificij genere, aut obsequio Deum conciliare sibi facilius, efficaciusq; arbitrantur, quàm si templa, quæ colimus, diruant, & profanent: si sacrosanctis arcanis, & cærimonijs illudant; si numinibus, & sacerdotibus nostris insultent. Atq; vt omnem rabiem, qua in nos, & nostra sacra grassantur deprehendatis, inter sanctos referunt omnes, qui nobiscum pugnando trucidantur. Non est, milites, quod per vanã spem pacis expectemus, dum colligit vndiq; vires, dum se armat is hostis, qui non prædam, aut humanã laudem, sed immortalitatem ipsam prę mium victoriæ ponit. Longè plus laboris exhaustum est, quàm supersit. Foueas tumultuario opere oppleuimus, & propugnacula ereximus, quæ muro imminent: cuius etiam partem machinæ solo æquauêre: vt semicaptum iam oppidum esse videatis. Et id sanè oppidũ, per quod nostra omnia tuta, pacataque nobis reddantur, hostibus verò sua infesta, prędæque, ac populationibus nostris exposita remaneant. Si parumper annitimini, si fœlicitatis virtutisque vestræ me-

memores, cogitabitis, delubra, sacra, religiones, cæteraque diuina, & humana fundare vobis, quando cras hostilis muri fundamenta demoliemini, vicimus, milites, non in præsens modò, sed in perpetuum. Quod si nihil aliud, quàm certissimam rerum nostrarum securitatem hoc certamen esset nobis pariturum: satis dignum præmium esset, pro quo pericula omnia subire alacriter, mortemque etiam ipsam fortiter lacessere deberemus. Sed vt victoria hæc, nostra omnia, velut septo quodam, & muro nobis munit, sic hostilia ad prædam patefacit, ac denudat. Hactenus cum natura luctati sumus, in confragosis præruptisque Bulgariæ & Rasciæ montibus: fames, sitis, labor, desperatio vincenda fuit: vicimus, non alia mercede illecti, quàm vt beatæ Hungariæ opulentiam aliquando attingeremus. Hinc iam militiæ nostræ præmia, hinc gloria initur. Ad portas peruentum est; quibus patefactis, non saxa inaccessa, non inuiæ solitudines emetiendæ nobis, sed per loca, natura ipsa, & humano cultu longè amœnissima ingrediemur. Hominum iumentorumque omnis generis alimenta passim, non ad necessitatem, sed ad luxuriam, cum vbertate soli temperies cœli, aquarumque abundantia suppeditat. Quicquid alibi operosa cura vix educat illic sponte sua fert terræ benignitas: vt credi possit, naturam colendi agri cæteris regionibus exemplum daturam, præcipuo quodam cultu Hungariam excoluisse. Sed neq; vsquam liberaliorem indulgendis diuitijs fuisse constat. Aurum enim, quod alij mortales rarissimis in locis laboriosissimè effodiunt, Hungari, velut quoddam virgulti genus, etiam pullulans decerpunt. Vestrũ est, milites, an ad ea omnia perpetuum vobis aditum cras aperire, an hostibus, ad vestra patefactum relinquere velitis. Memineritis subeundo murum, omnem beatissimæ fortunæ opulentiam sine alio munimento, sine præsidio, sine custode, post illum, vobis ad prædam expositam; à tergo verò esse liberos, coniuges, lares vestros, delubraque, & religiones, simul & victoriarum vestrarum præmia. Quibus, nisi oppidum transcendatis, ira, & libido, quantum victoribus licet, per omnia dira, & nefanda mox sit insultatura: ego, prout vos pugnantes videro, quam mentem vel ad imperandum vel ad seruiendum habeatis, simul quid superbissimis legatorum postulatis respondendum sit, intelligam. Vos interim curate corpora, &, quæ ex vsu sint, cum armis expedite, vt simul cum luce cras murum aggrediamur. Digressi milites à concione, non secus, ac si, cum victoria, propositam quoque eis prædam iam tenerent, alacres epulati, quod noctis superfuit, vt ad certamen vegetiores assurgerent, quieti dedêre. Vbi illuxit, ad murum producti, malleolos, cratesque æquando itineri, per fossas, ligno, ac cespite coniecto, iampridem tumultuariè oppletas, nec minus scalas, & vectes, cæterumque exscindendarum vrbium apparatum ferētes procedebant, quom interim qui ex turribus ligneis pugnabant, haud quaquam defensores in muro consistere permitterent, & crebris sagittis hostem impetendo, propè ociosum accessum suis exhiberent. Quod haud sanè omninò ægrè ferebant oppidani. Certi enim fore, vt Turcus vim experiretur, si deditionis spes non succederet, dum ille ad defectionem allicit, ipsi partes oppidi ad flumina porrectas contra naualem impetum, hominibus propugnaculisque, & machinis ignem, aut lapides excutientibus, tacitè firmauerant. Ex parte verò altera quantum muri tormētorum vis aperuerat; rudere simul, & gleba strenuè propè ad iustam altitudinem coædificauerant. Et, per noctis silentium, pice, oleo, sulfure, incendiarioque puluere, quantum copia fuit, ligna imbuerant: quæ temerè in fossas prouoluta erant. Tunc cætera omnia, quæ aut res, aut cogitatio subiecit adminicula defensionis, prouiderāt parauerantq;, nec in armis modò, & missilibus, sed in obsequijs quoq; & parendi studio. Itaq; quō eo incautius, quo licentius Turci ad murum properantes constitissent in cratibus, quibus iter substrauerant: coorti repentè è muro oppidani faculas, aliumque multipliciter paratum missilem ignem contorquendo, terrorem ingētem prius, mox haud minorem stragem intulêre. Excitato pluribus in locis incendio, & vno veluti momento, per omnē, quam calcabant materiam sic propagato, vt neque in eodem vestigio impunè perseuerandi, neq; progrediendi neque regrediendi facultas esset: tætra ibi luctatio formidoq;. Nam turres etiam ignem conceperant, trepidabaturque in castris, in quæ fumum flammamq; conuoluebat aura, quam matutinis temporibus flumina exhalant. Quæ res ab incendio oppidum immunè seruauit. Ruptis igitur cōturbatisq; ordinibus, quisque saluti suæ expediendæ intentus circumspectare vndique, arma abijcere,

& qua

& qua propius liberiusque effugium in tanto malo apparebat, excursare. Sed ignis tam suo, quàm auræ impetu temere, per materiam incēdio præparatam, volitans, aut fugientes, perstrictis in cursu neruis, retinebat, aut exitum, per quē effugere properabant, præueniendo occupabat. Sed & quibusdam fumus prospectum ad fugam, quibusdam conturbatio etiam mentem abstulerat. Absumebanturque passim ab igne, quasi subitum nouæ rei discrimen immobiles reddidisset. Pauci ex vltimis ordinibus, & ijdem ambusti, debilitatique in castra refugêre. Cæteros ingenti numero consumpsit incendium, cum reliquo totius oppugnationis apparatu. Neque verò à nauibus fœlicius pugnatum: quarum nonnullas vis lapidum tormentis emissa dissipauit, nonnullas ignis implicuit, reliquas ferè aut remigum gubernatorumque consternatio, aut conatus recipientium se, à periclitantibus ad integras naues, quàm longissimè ab oppido naufragas exegit. Ea clade perculsus Turcus, quasi non ope, aut consilio humano, sed ab numine aliquo suis inflicta esset, grassanteque etiam fame supra quàm sine tumultu, atque adeo seditione in exercitu ferri iam spes esset, obsidionem dissoluere constituit: Sed & fama erat, exercitum satis validum congregatum iam à rege ad Segedinum, accursurumque propediem. Tamen ne animandis hostibus signum aliquod trepidationis ostenderet, legatos in castra reuocatos minimè benignè allocutus est, asseuerans, se tum demum pacis mentionem auditurum, si VVladislaus cessisset ea particula Rasciæ, quā tenebat, & Belgradum sibi, velut obsidem pignusque fœderis vacuum tradidisset. Abscessurum se tum quidem ab obsidione, vt consultandi spatiū VVladislao exhiberet. Suadere, vt mallet ea conditione in amicitiam recipi, quàm negando pauca, quæ postulabantur, de summa vtriusq; regni disceptare. Petere se ea, quæ iure belli sibi deberentur, priusquam VVladislaus foret in Hungariam accitus. Nō potuisse Hungaros, quod ipsi non habebant, ius in alium trāsfundere. Si VVladislaus perseueraret malle de alienis contendere, quàm sua, quietè possidere, affuturum se in tēpore, & secum vnà inspectorem vindicemq; iustitiæ Deum. Ea denuntiatione, tum etiam, quia domi haud quaquā otium ab regina fore apparebat, rex adactus est mittere in Poloniam, nuntiatū, quo in statu res Hungarica esset, & quæ belli moles à Turco immineret, petitūque vt miles, & pecunia in stipendium mitteretur. Decretus est ad eam legationem Sanoceus, cuius eloquentia nō minus, quàm rei necessitas persuadebat, facilè posse postulata impetrari. Polonorum primores sub aduentum ipsius cōuenerant Corcinum: quos ita allocutus perhibetur: Referre vobis, quæ in Hungaria fœliciter transacta sunt, & quàm non longè absumus, vt, difficilibus omnibus superatis, nostra ociosè, aliena verò vtiliter, actutè possideamus, intelligo esse hominis, qui sit oblitus, quanta animi magnitudine, etiam per omnia discrimina, regnum illud obtinendum censueritis, simul putantis apud animū vestrum plus consequendæ dignitatis commoditatem posse, quàm gloriam. Nunc quando adhuc insonant auribus meis magnifica decreta vestra, nullius vel laboris, vel periculi habendam rationem; non modò fortunis, sed sanguine etiam, ac vita, adiunctæ rebus vestris Hungariæ laudem paciscendam: non dicam propè esse, vt regis vestri virtus, & fœlicitas voti compotes vos fecerit: Eperiessum interceptum, & Budam caput regni obtineri, tum comitem Ciliæ, à quo omnes actiones consiliaque reginæ in primis pendebant, captum, vinctumque sub custodia esse; à Despoto autem, & rege Bossinæ legationes aduenisse petentes amicitiam, & obsequium pollicentes; præterea omnes penè Hungaros optimates fortunæ regiæ se dedidisse imperata facturos; archiepiscopumque, & cæteros, qui in primo tumultu Reginam secuti, rursus ad nos defecisse, & mox eorum omnium, quorum maximè interest, consensu, cum solenni cærimonia illic quoque regem nostrum coronatum, iam eo vsque formidabilem omnibus, vt ad primam eius denuntiationem Turcus ab obsidendo Belgrado discesserit; reginam verò, desperatis iampridem rebus, trepidè cum filio in Austriam profugisse, relicto modico præsidio Iaurini, & ipsum à nostris obsideri: pauculas denique alias ciuitates, quæ se in euentum muniuēre, magis vestrum, quàm Reginæ nutum respicere, & iam minimo conatu illic debellari posse. Ista & alij prosperæ fortunæ successus iactentur apud illos, quibus non decus, non gloria, sed cupiditas bellum suscipere persuaserit. At vobiscum sic agam. Peruulgata est non in Europa solùm, verùm etiam in Asia fama susceptæ à vobis conditionis, conseruandi tuendique Hun-

gariæ Regnum; & tam illi, qui inceptis vestris fauent, quàm qui aduersantur, suspenso animo sunt in euentum. Vident omnes qui religionem nostram profitentur, in manu vestra situm esse, stabiliaturne in perpetuum, an paulò post intereat Christianum nomẽ. Contra fore sentiunt profani, vt eorum superstitio aliquando deleatur, ipsi verò Europa omnino exterminentur, si tanta constantia suscepto negotio affueritis, quanta animi magnitudine suscepistis. Nolite committere, vt aut hi timuisse, aut illi sperasse frustra videantur. Quom sententiam de ijs, quæ Rex postulat dicetis, cogitabitis, vos esse velut in theatro humani generis. Innumerabiles populos, infinitas nationes vos circumstare, expectantes, quam fortunam, quam conditionem sibi, liberis, coniugibus, parentibus, rebusque charis alijs, tum aris, templis, religionibus, & sacris ab hodierna die repromittant. Cogitabitis à decreto, quod feceritis, non Hungariæ statum, sed totius penè terrarum orbis pendere: prout hoc, vel illud decernetis, ita, his aut illis regionibus, & gentibus diuina, omnia, & humana rata, esse permansura. Licuerit fortasse vobis recusare, quom postularemini. Nunc haud liberum est, non perpeti, & facere omnia extrema, priusquam ingenti animo susceptam tantarum rerum curam deseratis. Antequam in Hungariam Regem vestrum mitteretis, consentiens ipsa inter se suis viribus, suis opibus multos annos, veluti murus, ab alijs Christianis Regnis, Turcorum impetum submouit. In eius vicem vos successistis, & cum ipsius tuendæ negotio, Christianæ quoque Reipublicæ tuitionem subijstis. Pedem referre neque fas est, neque expedit, quando eò peruentum est, vt cum Hungaria etiam vniuersa res Christiana aut prodenda sit, aut conseruanda. Non vacat referre, quàm multi pro dignitate patriæ vel augenda, vel retinenda vltrò se morti obtulêre: quàm multi etiam, vnius à se seruati ciuis gloriam, quàm vitam maluerunt. Quod si pro vnius aut ciuitatis maiestate, aut ciuis salute, bene impenditur vita, estque id gloriosissimum: quanto comparanda est laus, qua vos omnis mortalitas efferat necesse est, non vna ciuitate, sed multis regionibus, ac Regnis, non ciue, sed innumerabilibus gentibus, ac nationibus conseruatis? Longè, vt sentio, minus præmium vobis proponebatis, quõ de mittendo illuc Rege ageretur. Et tamen, quom difficilia multa domi forisque obijcerentur, maluistis cum omni periculo, eam, quam tunc videbatis gloriam quærere, quàm tutò necessitatibus vestris incumbere. Quod si tan tum sperassetis; exiguum, me herculè, tam immortalis gloriæ pretium visum foret, non sua cuiusque salus, sed cum fortunis omnibus, liberorum quoque, ac parentum vel vita, vel libertas. Sed, Deo propitio, non capitis, non libertatis à vobis subeunda dimicatio. Paucis militibus, & haud magno stipendio, tam diuinam laudem consequi potestis, modò Regem vestrum iuueritis. Id ab eo expetitur, non fortunæ suæ, non virium, non gratiæ, non auctoritatis eorum, qui se sequuntur diffidentia, sed, vt, sine ciuili sanguine, aut cæde potestati suæ illic se tradat quicquid hominum ciuitatumve magis adhuc deliberat, quàm repugnat. Intelligit quàm immortale odium intestina bella sequatur; quantum vel virium, vel consilij domesticæ factiones, vbi gladium cruentauerint, detrahant ad externas actiones. Videt, se sola fama subsidiorum vestrorum posse, illic debellare, & mauult beneficijs vestris integram iam nunc Hungariam debere, quàm paulò post armis suis dilaceratam possidere. Sed neque in re vestra est, regnum illud sic subigi, vt viribus prius suis conficiatur. Lacessitus est Turcus denuntiatione Regis, & sic ab obsidione discessit, vt qui mox, multiplicatis viribus, & numero copiarum, sit affuturus. Si aut tum etiam discordans, aut iam tum mutuis seditionibus confectum Regnum inuenerit: maiori conatu repellatis oportebit, quàm opus sit nunc in potestatem redigere ciuitates paucas, quæ de se inter Reginam, regemque deliberantes, propiores sunt, vt illius res profligatas deserant, quam vt huius fœlicitati aduersentur. Præsertim, quod earum validiores, finibus vestris obiectæ, & illincà rege, hincà vobis propè circumsessæ fiduciam defensionis habere nõ possunt. Quod si integris membris suis, ac viribus regnum id obtinemus: præterquam quod, vobis securis ociosisq;, vt semper antea, & Turci impetus refringi, & res Christiana defendi poterit; licebit, coniunctis viribus, id quod Christianum nomen ab initio huius expeditionis sibi de nobis polliceri cœpit; vltrò bellum inferre, & diræ gentis nefandam superstitionem non solùm Europa exterminare, verùm etiam in Asiam persequi, ac de-

delere. Proponite nunc vobis, ex parte altera, Regnum celeberrimum, ac ditissimum, non solùm vicinum vobis,& fœderatum,sed tutelam etiam,& munimentum vestrum:addite in vos ipsius recentissimum beneficium, quod regi vestro sponte se subiecerit:coniungite cum illo Italiam, Galliam, Hispaniam,Germaniam, Græciam, reliquasque omnes prouincias Christiani nominis: cogitate vobiscum, quot in illis nationes sint,quot populi, ciuitates, vrbes,quæ publica, quæ priuata ornamenta, quot delubra, quot sacra,quot sacerdotia, quæ ciuitatum mœnia,quæ priuatorum ædificia,quàm multi principes,ac Reges maximi,quàm innumerabiles,illustresque virorum, ac fœminarum ordines, quæ omnia cum rege vestro periclitentur: ex parte altera sint non multæ copiæ militum, & mediocres pecuniæ vestræ, quas Rex à vobis postulet,vt suam,& eorum,quæ dixi omnium salutem libertatemque expediat: nónne malitis,sine spe aliqua,milites,ac pecunias tales perire,quàm tot, tamque insignes res, atque homines in discrimine versari? Quod si non ad periculum,aut iacturam expetuntur, sed ad societatem partæ iam victoriæ, laudisque tantæ,quanta debetur tot regionum gentiumque, ac ciuitatum seruatoribus: non videretur ex grauitate, ac sapientia vestra, nunc tandem propè partam gloriam omittere, pro qua assequenda,necessitatum vestrarum obliti,aliena tuenda vobis suscepistis. Atque ideo in decernendo,iterum, atque iterum cogitate, velitisne, non solùm vos,& vestra,sed vniuersam quoq; rem Christianam in tuto collocare, stipendio,ac supplemento exercitus minimè multo, respectu magnitudinis gloriæ, qua immortaliter celebrabimini, conseruata,cum Regno de vobis benemerito, vniuersa Europa, &, quæ in ea sunt,humanis diuinisque rebus; an per ignauiam,& auaritiam, discedendo ab expectatione de vobis excitata,cum rege nostro,socios,& fœderatos in periculo suo nunc destituere,& mox, tanquā publici Christiani nominis desertores, ab omnibus alijs despecti, ac derelicti, à vobis verò proditi, ac desperati cum potentissimo hoste vitæ,& libertatis vestræ dimicationem subire. Vbi ille obticuit,mittenda esse auxilia omnes quidem pari asseueratione censuerunt:sed quo numero, aut pecunia, aut miles mitteretur,ea fuit disceptatio. Erant enim qui vniuersas Regni vires in expeditionem decernerent, &,pacata Hungaria,statim contra Turcum prodeundum dicerent,dum trepidus adhuc imparatusque hæsitaret,exercitu à Belgrado, velut è naufragio ingentis tempestatis, reducto. Cæteri negantes oportere Regnum vacuum dimitti, propter Tartaros, & tumultuātem Lituaniam, milites, & pecuniam definiebant, sed numero minimè eodem. Nam qui plurimum duodecim, qui minimum, duo millia submittenda dicebant. Decretum tandem,vt his, qui sponte vellent, sine fraude esset ad regem priuatim proficisci, &, vt publicitus quinque millia militum,cum annuo stipendio, mitterentur. Eum numerum satis tunc Regi ad pacandam Hungariam fore: facileque augeri posse, si alia necessitas ingruisset; se verò, haud quaquam exinde Regni viribus exhaustis, non securos solùm ab externis interim certaminibus, verùm etiam paratos in omnes occasiones fore.

PHILIPPI CALLIMACHI

DE REBVS GESTIS A VVLADISLAO POLONORVM ATQVE HVNGARORVM REGE

LIBER SECVNDVS.



VM hæc apud Hungaros Polonosque aguntur, regina interim, Cassouiano, reliquisq; populis, qui vrbes suas ab initio intestinę dissensionis communiuerant in euentum, persuaserat,vt præsidia sua contra VVladislaum admitterent:nec minus, modò suppliciter rogando, modò maxima quæque pollicendo, principum Hungarorum animos aggressa, interdum etiam iurgando, quod immemores pristini

decoris, quo dudum apud patrem, mox apud se, & maritum suum refulsissent, vni Agriēsi episcopo à VVladislao post haberi paterentur, quasi aut nobilitas, aut rectè facta illius tanti essent, pellexerat, vt archiepiscopus, & Ladislaus Gara cum plerisque alijs, rursus ad se deficerent. Itaque, communicatis consilijs, vt eodem tempore VVladislaum, quem suos in patriam dimisisse sciebāt, diuersis locis anceps trepidatio circumsisteret, in id conueniunt, vt regina, copijs, quas ex Austria Morauiaque, & Boemia exciuerat, destinatis ad Cassouiam, illiusq; appendices vrbes firmandas, exercendasque illinc populationes in eos, qui VVladislaum sequebantur, adauctoque præsidio Iaurini, ipsa se Strigonium reciperet; Ladislaus autem, adiunctis sibi, quotcunque ad deficiendum allicere potuisset, ex parte altera bellum excitaret, &, si fortuna cœpto suo affuisset, se ad Iaurinum cum reginæ copijs coniungeret, vt Budam simul aut expugnarent, aut obsiderent. Impigrè omnia, vt conuenerat, transacta. Et bello quidē, quod per Boëmos, Australesque conductitios, ex Cassouia geri volebant, præfectus est Ioannes Iscra acerrimi vir ingenij, ducumq; illius temporis, militaribus artibus, & robore virium facilè princeps, raptor, largitor, &, vt bello optimus, ita in pace haud aspernandus. Reliquum autem, quod fuit copiarum, regina Strigonij se continens Iaurinum submisit. Ladislaus igitur apud suos criminando, indignandoq;, quod gratia, quæ vniuersis debebatur, vni tantùm Agriensi episcopo referretur; ad defectionem Hungaros incitabat. Non illius tantum modò opibus, & auctoritate accitum coronatumque VVladislaum esse; plusq; in id valuisse gratiam, & auctoritatem plerorumq; aliorum, qui nobilitate, ac fortunis, multisq; priuatis, ac publicis ornamentis longè ante illum eminerent. Si ad Agriensis nutum spectandum, si ab illius voluntate dependendum, frustra peregrinum regem accersitum. Potuisse sine sumptu, sine tanta molitione, domi vltrò ad eum summam rerum deferri. Quid euitatum in postumo, nisi curatorum, inter pares, dispar licentia, & auctoritas? Quā si vtiq; tolerare oporteret, multo esse officiosius, id fieri in gratiam aui patrisque postumi, quàm, pro augenda nobilitandaq; re Polona. Sed & plura eiusmodi ad inuidiam regis, Agriensisq; sæpe, ac multum vulgò iactando, attraxit ad defectionem secū pene vniuersam eam regni partem, quę Dalmatia continetur, tanto populorū cōsensu, vt paucis diebus prope iustum exercitum in armis habuerit. VVladislaum tot vndique simul oborta discrimina minimè sanè, pro rerum difficultate, conturbauēre, sed consilio singula dimetiens, dum ex Polonia pecunia, milesque adueniret, dum vires contraheret, quibus in omnes partes hosti par occurreret; instituit motus, in quibus minus periculi apparebat, in præsens artibus eludere, viresque illuc conuertere vnde maius discrimen (si negligeretur) affore sentiebat. Itaq; belli, quod à Cassouia ostendebatur, quia confici quom voluisset, admotis ex parte altera Polonis in arbitrio suo situm credebat, interea sustinendi curā Ioanni Pereno præfecto Chesmarchi delegauit, assignato ei milite, qui in opportuna præsidia distribueretur. Ipse, ne cui, dū abesset, nouandarum rerum occasionem daret, propter copias reginæ, quæ in propinquo erant, simul vt ad omnes suorum opportunitates, velut in medio intentus esset, Budæ se cōtinuit. Aduersus autē Ladislaū, in cuius conatu propè coërcēdo, antequā aut dux imperio, aut tumultuaria turba militaribus obsequijs assuesceret, rerū omniū summam planè verti constabat, misit Huniadianum: quem, præter singularem peritiam rerum bellicarum, manu etiam strenuum, ac sermone promptum sciebat, ad eaq; accedere naturalē quandam dexteritatem conciliandis sibi animis hominum, populorumque studijs promerendis; vt de concordia prius ageret, auctorq; illis fieret, si fortè, citra ferri discrimen, cum suis Ladislaus ab instituto se retrahi permitteret. Cæterùm vt, si parum persuadendo proficeret, vires adhibere posset, adiunxit illi Nicolaum Fristatski, & ad milites, qui sub vtroq; militabant, adiecit curiales suos, & quicquid copiarum, Iaurinum, ad id locorum, magis infestauerat, quā obsedisset. Profectus Huniadianus non secus, ac si omnia infesta circa essent, composito agmine, itineribusq; exploratis ingrediebatur, edicto suis proposito, quamdiu ab aduersa parte spes tota reconciliationis nō excluderetur, quisque præda populationibusq; abstinendo, sedulò operam daret, vt beneficio ad concordiam, potius, quàm vi ad certamen, gentis suæ homines prouocaret. Non amplius iam quinq; millibus passuum aberat ab oppido Batta, quo Ladislaus se cum suis receperat. Tum verò

verò impensius circumiens, vniuersos, & singulos monendo, hortandoq;, dextra, lœuaque, nec minus à fronte, & à tergo aciem firmauit, ne quid per occasionem ex diuerso cōmitteretur, quod pacis consilia in irritum verteret. Tandem haud ampliùs, quàm mille passus ab hoste se muniuit idoneo loco, vnde castra opposita minimè conspici possent, veritus ne humanorum affectuū lubrica vis, prospectu suæ gentis, militum animos remolliret. Misit deinde, qui, accepta, dataque fide, Ladislaum ad colloquium inuitarent, designato loco, in quo pariter conuenirēt. Ea postulatio negligenter audita, superbeq; responsum: Eò ventum esse, vbi gladio, non lingua esset decertandum. Satis intellectum, antequam arma induerent, quid sibi, quid regno expediret. Si nihil vltrà sibi quàm se, suosque alloquendos destinasset: inanem laborem regē sumpsisse. Ea, prout referebantur, producta ad concionem nuntijs, Huniadianus recitari fecit. Et subinde intulit: Maluisse se laudem promereri reconciliatarum voluntatum publicæ saluti, quàm reportare victoriam de hominibus ad interitum patriæ obstinatis. Nūc quando non facinoris, ad quod accincti starent, conscientia, non periclitantis patriæ discrimine, non Dei, non hominum verecundia commouerentur: stringendum esse gladium, & salutem patriæ ferro expediendam, non aduersus suæ gentis homines, sed contra immanes parricidas. Nec enim corpora, vestitum, ora, habitum, suos ab hoste secernere, sed mentes, consilia, facta, dicta: quæ omnia in illis non hostilia modò, sed etiā parricidalia essent. Ac proinde cauerēt, vbi ad manum venissent, ne hebetarentur animi, & pugnādi ardor refrigesceret aspectu patrij habitus, atque habitudinis in hominibus equisque. Vestimenta tantummodo, & arma Hungarica apud illos esse: cætera minimè à sæuissimo hoste differre: sed & plerumq; animis æquioribus aduersus externos impetus prodeundum. Iustas belli causas multas subesse posse, & eorum, qui pro imperio, & gloria decertarent, cupiditates longè tolerabiliores. Agi enim tunc non de interitu, sed de maiestate populorum. Illos non solùm, sine iusta causa, sed contra etiam fidem, & iusiurandum suum, non ad augendam dignitatem, sed ad exterminandum funditus, ac delendum nomen gentis suæ, arma sumpsisse. Quanto igitur odio stringendum ferrum pugnarent aduersus eos, qui temeritatem paucorum secuti, nō oppugnatum, sed euersum charissimam patriam, per cupiditatem, atque ambitionem venirēt, tanto ipsi in aciem prodirent. Eripiendam ex vltimo discrimine patriam, indicandumque sceleratis hominibus, Deum perfidię vltorem esse, fidem denique publicè ac priuatim VVladislao datam pro salute regni, perfidorū sanguine stabiliendam. Haud magni conatus eam rem fore: tumultuariam, ac semiermem turbam ex diuerso stare non illam ducibus, nō ordinibus assuetam, nec quicquam aliud in prælium afferentem, quàm malè causæ conscientiam. Si interrogarentur, quid armis peterent, non habituros quid responderent. Eadem qua prosilijssent temeritate, ad primum statim congressum, fugam omnes molituros. Productis subinde copijs, instructisque in hostem aciem direxit. Nec Ladislaus certamen detrectauit, sed eadem ferocia, qua pridem legatis responderat, castris egressus sequentes se suos, vt quisq; primùm se offerebat, ita in ordinem collocabat, magis temerè tumultuantium more, quàm ex instituto militari. Itaq; armorum quidem genus par vtrinque erat, ordo verò, & disciplina longè dispar. In altera enim acie omnia instructa, prouisaque non ad pugnam modò, sed ad subitos etiam fortunæ casus: in altera nulla ferè species militaris disciplinæ. Cæterùm hos ira, illos conscientia stimulante, magno vtrinque ardore concursum, & à principio quidem aliquandiu ancipiti fortuna pugnatum: accurrentibus vbique ducibus, suosque, per omnia spei metusque extrema, cohortantibus. Sed quom, seruatis ordinibus, recentes fessis, integri saucijs ab Huniadiano vbique substituerentur, Ladislaiani, aliquandiu extracto certamine, quom, sine intermissione pugnarent, vulneribus, & lassitudine confecti tandem referre pedem sensim cœpêre. Quod animaduertens Huniadianus, Nicolao, quem ad fortuitos casus in subsidijs locauerat, signum dedit, & totis viribus adortus iam tum nutantem aciem, vtpote collectorum temere, nec castra, nec ducem satis noscitantium, quibusque tam ignotum vincendi decus, quàm fugiendi flagitium esset, in fugam vertit. Multi & in prælio, & in fuga cæsi. Inter quos plerique auctoritate, atque opibus insignes: sed nec pauciores, aut inter fugiendum, aut in castris capti. Ladislaus verò multis in lo-

cis effusam suorũ fugam cohibere frustra conatus, tandem cum paucis elapsus, quom magis quæ vitanda essent, quàm quibus fideret, animo succurrerent, nullibi prius se credere ausus est, quàm Strigonium ad Reginam, magnis obliquisque itineribus peruenit. Huniadianus verò à re bene gesta, retro qua venerat, ad VVladislaum cũ captiuis, & præda rediit. Ille captiuos haud sanè duriter increpitos, fideique, & iurisiurandi admonitos, præterea cognationis, quæ, propter communia vetustæ originis primordia, inter Polonos Croatięque, & Dalmatię cultores esset, quasi contra sanguinem suum arma sumpsissent, in custodiam tradi iussit. Deinde ad laudes, & munera quibus Huniadianum, Nicolaumque affecit, dignitatem etiam adiecit, declarato vtroque Transiluaniæ duce. Cæterùm quia in Huniadiano maior eminebat indoles ad res bellicas, ea potissimum oppida, quæ Turcis obiecta erant illi commisit, & copiarum, quantum res tunc sinebant, assignauit; vt non solùm sua defendere, sed per occasionem etiam, fines hostium transcendere, atque operæpretium facere posset: quod postea sæpissimè fecit. Et Turcis quidem magnum de se terrorẽ incussit, apud suos verò ingentem spem excitauit. Multa tum prudenter tum fœliciter à VVladislao constituta: virum quidem ad id negotium diuinitùs delegisse, euentus tãdem indicauit, vt esset, qui rem Christianam prolapsuram sustineret. Post paucos dies captiui omnes liberaliter dimissi, plerique etiam viatico alijsque rebus necessarijs adiuti: qui grato animo fidelem subinde operam regi, multis gerendis rebus præstitêre. Quomque pollicerentur, ex ea parte, ad quam acie debellatum fuerat, reconciliaturos se VVladislao quoscunque victoria non attraxisset: missi sunt cum primoribus eorum Nicolaus Lassouianus, & Sanoceus, vt ciuitates vnà circuirent, & populorum animos à regina auertendo ad VVladislaum traducerent. Breui ferè omnibus persuasum, non alia re magis, quàm repetitione communium inter se primordiorum, atque sanguinis. Nec solùm fides, sed pecunia etiam impetrata in stipendium militibus, quos, ad reprimendos conatus Iscræ, conducẽdos apparebat. Non enim æquè fœliciter ex parte illa res gerebatur à Ioanne Pereno: quippe quod Iscra, per occasionem, magnas plerumq; prædas abigebat, Scepusiensemque agrum ferro, & igne prope ad vastitatem mulctauerat: nonnulla præterea oppida interceperat, & diripuerat. Inter quæ Eperiessum, Scaruscium, Clistichium, quod aliquãdiu obsessum, per cuniculos tandem expugnarat. Id oppidum in monte situm, velut specula, Cassouiæ imminet. Et plerǫque illinc clades, ad id locorum, illatę Iscranis, dum aut prædatum proficiscerentur, aut prædas abducentes Cassouiam se reciperent. Non deerat tum opportunitatibus suorum Ioannes Perenus: &, aut per insidias, hostium carpebat copias, aut in aperto illis occurrens, & leuia certamina committens, pro varietate locorum, & fortunæ interdum victor, interdum etiam victus abibat: nec segnius, aut infrequentius, quàm Iscra hostilem agrum prædatũ incurrebat. Cæterùm quom omnia nequicquam expertus ageret, de recuperandis amissis oppidis, nullibi fortuna affuit, circumactusque est integer annus irritis conatibus. Regina autem, vbi omnes preces adhortationesque consumpserat suadendo Ladislao, vt arma rursus indueret, quia non esset viri, non sæpius fortunam aggredi, &, frustrata spe semel, statim animos submittere (nullibi enim sæpius euentum variari, quàm in bello, vbi minima quæq; dictu, maxima momenta excitare solerent) tandem agebat, vt instaurando exercitu pecunias sibi crederet. Sed, neque illis impetratis, Iaurinum ad suos perrexit: nec multò post, quom renuntiaretur, Boëmos de præficiendo, sibi rege agitare: vt in fide postumi, ac sua eos retineret, in Austriam commigrauit. Quo quom eam Ladislaus sequeretur: à Friderico captus est, habitusque in custodia, donec petentibus id impensius Hungaris, rex eum redemit, quanti Fridericus æstimauit. Interea subsidia ex Polonia petita à VVladislao, numero, & apparatu insigni aduenerant. Itaque principio insequentis anni, licet annona grauiter laboraretur, hiemsque perniciosè rigeret: tamẽ quia festinabat animus ad pacandum regnum vndiq;, VVladislaus Cassouiam versus, Buda mouit. Cui cũ multò inferior multitudine, ac robore copiarum Iscra esset, nullibi ausus occurrere, intra muros se continebat. Itaque oppidis, quæ priori anno vel defecerant, vel intercepta fuerant, haud difficili conatu in potestatem redactis, instituerat rex proficisci expugnatum Cassouiam, cæterasque subinde vrbes, quæ præsidijs reginæ tenebantur: vt, si quid postea innouaretur à Turco, paribus

bus illi viribus posset occurrere. Sed veriti Hungari, ne locorum propinquitas preberet regi occasionem transcendendi in Poloniam, vulgata fama, reginam de pace cogitare, quasi temerarium foret, bello ea quærere, quæ per concordiam faciliùs consequi possent, vt Budam reuerteretur persuasêre, dimissa illic copiarum parte ad belli reliquias persequendas. Ab initio, quom vulgaretur regia expeditio, timuerat Fridericus, ne, expugnatis vndique reginæ presidijs, & recepta in ditionem omni Hũgaria, bellum mox in Austriam à rege transferretur, propter sacram coronã, quam apud se depositam à regina seruabat: ferturque de illa restituenda secum agitasse: sed quom audisset postea dimitti exercitum, remque non per regẽ, sed per vicarios gerendam, ad Cassouiam: recreatus eiusmodi cogitatione supersedit. Simul & regina demissos animos extulit rursus: &, quom antea pacis mentionem vtique non aspernaretur: superbè respondit optimatum nuntijs, qui de cõcordia tractaturi ad illam perrexerant. Sed & pestis, quæ in regno grassabatur, præsertim Budæ, vbi eius mali vis adeò sæuiebat, contactu, & curatione ægrorum vulgante morbos, vt quotidiana tãtùm funera oculis, desperatio verò, & mors, omnium animis obuersaretur, faciebat illi spem, tantisper fore otium à bellicis rebus, dum cõmodè præparare posset ea, quæ esse vsui ad partium suarum vires instaurandas, arbitrabatur. VVladislaus tamen, vbi à regina pacem sperni percepit, nihilo segnius edixit, vt Cassouia oppugnaretur. Inde Ioannem cui à Galero cognomen fuit, cum non exigua peditum, atque equitum manu misit, vt se coniungeret cum præfecto Chesmarchi, &, communicatis viribus, & consilijs, Iscram subinde, quocunq; se recepisset aut exturbarẽt, aut obsiderent. Iscra verò quõ ciuitates, quæ à regina stabant, regia vectigalia volentes iampridem illi penderent, & percuteretur moneta Cremnicę sub titulo, & nomine postumi: nouas copias ex Boëmia conductas veteribus suis adiecerat: non tamen regio exercitui adeò par erat, vt, si occurrendum esset, viribus fideret: sed in omnes occasiones Cassouię intentus expectabat, quò se potissimùm regij conuerterent. Inclinata itaque illuc belli mole, summa vi vtrinque & oppugnabatur, & defendebatur. Et ab initio quidem eruptiones crebræ fiebant ab Iscranis, committebanturque leues pugnæ, in quibus ex vtraque parte multi cadebant. Sed non tam facilè oppidanis, quàm regijs erat, interfectorum supplementa substituere. Itaque quom numerus apud eos in dies minueretur, appareretque, haud satis virium tuendis mœnijs, in vltimo discrimine, affuturum: raro admodũ, & non, nisi magna suadente occasione, Iscra cum suis erumpebat. Ad expugnandam igitur vrbem necessitatibus humanis regij animum adiecêre: ductisque operibus, & munitionibus circum firmatis, inclusos pene ociosi obsidebant. Maior erat intus hominũ numerus, quàm pro annonæ copia. Itaq; congestis in publicum omnibus, quæ apta esui forent, præfecti sunt duo ex præsidiarijs, & duo item ciues, qui cibaria in singula capita, quantum sustentandæ naturæ satis videbatur, quotidie expenderent: contrahebaturque mensuræ modus in dies, quo plus temporis, & minus alimentorum superesse apparebat, donec, cogente fame, nec ab immundis quidem animalibus abstinebatur. Intolerabile suapte natura malum etiam desperatio augebat, quod non occurrebat, vnde affuturam opem aliquam sibi pollicerentur. Itaq; quom manasset rumor, oppidanos de vrbe dedenda agitare: varia erant præsidiariorum consilia, idque tantummodo remorabatur fugam, quod impeditior apparebat, quàm vt tutò possent euadere. Quæ quom ignorarẽtur ab regijs, diuturnę obsidionis tædio affectis, vrgente iam hieme, sine commeatu elabi ab exercitu cœptum est, & in ipsius victoriæ aditu obsidio paulatim dissoluebatur: preterquam quod alia Boëmorum præsidia, quæ ijs in ciuitatibus erant, quæ reginæ partibus fauebant, crebris incursionibus omnia circumuicina infestabant, vt regios ab obsidione ad tuendos suos auerterent. Nuntiabaturq; Chesmarchum oppidum non solùm parum strenuè defendi ab illorum incursionibus, verùm etiam defectionis spectare consilia. Itaque quom regius dux videret, etiam iniussu suo, militem elapsurum, vt saltem in fide Chesmarchum retineret, dissoluta ad Cassouiã obsidione, illuc properè mouit. Sed id quoq; irritum fuit. Nam pridie quàm eò peruenisset: Boëmi admissi per proditionem, oppidum occupauerant. Cęterùm etsi præsidij præfectus Nicolaus Perenus in primo tumultu, cum plerisque ex suis trepidè effugerat; tamen retinentibus, qui manserant, præsidiarijs nonnullas turres, quõ appareret, si af-

fuisset

fuiſſet auxilium, facilè poſſe oppidum recuperari, fortè ita euenit, vt Podolinum peruenirent nouæ copiæ, quæ à Polonis regi ſubmittebantur, ducibus Laurentius Zaremba, & Nicolao Scora, qui quō ab regijs per internūtios ad Cheſmarchū implorarentur, neq; dubia res videretur, quin excludere Boëmos illinc poſſent: petitam tamen ab ſe opem negarūt, ſeu timentes iter ſubinde ſuum impeditius reddere, ſi Boëmos prouocaſſent; ſeu quia prius quàm ad regem, quò miſſi erāt, perueniſſent, minimè æquum cenſebant, vllo ſe bellico negotio implicare. Itaque, petitione ſuorum cōtempta, neminem laceſſentes, inuicemque ipſi ab omnibus inuiolati, Budā peruenêre. Capto Cheſmarcho, bellum ab ea parte conuerſum eſt Podolinum, vbi regij præſidij præfectus erat Nicolaus Comorocenſis, & vtrinque, per omnes conatus arteſque bellicas, res gerebatur: ex parte verò altera regina vbi victoriæ ſuorum famam accepit, diſſolutamque ad Caſſouiam obſidionē, & ipſa elata ad Preſburgum mouit, quæ ciuitas in fide ipſius perſeuerabat, & ſi VVladiſlai præſidium teneret arcem, pręfecto Stephano Roſgonio: quem ſubitò obſidere cœpit, fauentibus ciuibus expugnationemque adiuuantibus. Sed quom neque æquum videretur in ſuos prædas exercere, neque, ſi id factum foret, pro ciuili, ac militari multitudine, ſuffectu rum commeatum appareret: populatores in Tarnouienſem agrum immittebat. Indeque prædæ omnis generis ad quotidianum vſum neceſſariæ aduehebantur, ſimul vt commodè Presburgi alerentur omnes, ſimul vt Tarnouienſes ſuarum rerum cladibus coacti, ab rege deficerent. Quæ omnia Roſgonius, per occaſionem elapſus, & Budā profectus regi expoſuit: ſimulque indicauit quo in diſcrimine res foret, niſi ſubitò frumentum mileſque, & apparatus reliquus, aut propulſandæ, aut ſuſtinendæ obſidioni neceſſarius, in arcem immitterentur. Eum ſecuro animo rex eſſe iuſſit, omnia in tempore affutura: ipſe quàm ociſſimè ad præſidium reuerteretur. Nec mora, Andream Tencinenſem, cum valida Polonorū Hungarorumque manu, Tarnouiam miſit, qui ſimul ſuos ab incurſionibus hoſtilibus tuerentur, ſimul Preſburgenſem agrum viciſſim populationibus infeſtum redderent, & obſeſſis per occaſionem opem neceſſariam inferrent. Ille impigrè mandata exequutus, frumento, ac milite cum machinis, miſſilibuſque varij generis in arcem ſubmiſſis, illius potiundæ ſpem omnem reginæ videbatur ademiſſe. Sed & crebris populationibus, quicquid erat agri Preſburgenſis adeo mulctauit, vt propius obſeſſos, quàm obſidentes viderentur. Crebra, inter arcendas populationes, vtrinque certamina ſerebantur, cadebantque ex vtraque parte multi: donec actos in inſidias hoſtes Andreas tam ingenti clade afflixit, vt parum abfuerit, quin vrbs quoque, per tumultum, inter perſequendam victoriam, ab ipſo caperetur. Ea ſtrages aduerſarijs finem excurrendi fecit. Foſſa itaque, & muro ſubinde ſe tuentes, oppugnandæ arcis conſilia de integro per omnes artes, machinationeſque quotidie ſolertius agitabāt. Sub anni finem ægerrimè omnino nutriebantur, neceſſitaſque, & deſperatio, prope intolerabili impetu rem geri cogebant. Igitur coædificatis turribus ambulatorijs, omni genere miſſilium, regios à defenſione prohibebant, & muro, quem crebris tormentorum ictibus, die noctuque, impetebant, locis aliquot detruncato, ac diruto, nitebantur ſumma vi aut per ruinas, aut, admotis ſcalis, partem aliquam arcis occupare. Nec ad extremū regij tam acres in ſe conatus ſuſtinuiſſent, niſi, audito ſuorum periculo, in ipſo rigore hiemis Rex Buda accurriſſet, cum egregia vtriuſque gentis manu. Eius aduentu, & ſuorum animi erecti, & regina adeo conſternata, vt, copiarum parte illic relicta, clàm cum cæteris Viennam ſe receperit. Rex, immiſſo in arcem ſubſidio, tentauit vrbem, ſi fortè in poteſtatem redigere poſſet. Tādem, quō diu continuata obſidio intus & extra omnia cōſumpſiſſet, appareretque in difficiliori anni tempeſtate non minus diſcriminis à cœli, & terræ rigore, quàm ab hoſte affuturū: tumultuario opere inſtaurauit, quicquid munitionum hoſtis circa arcem labefactauerat, moxque Budam redijt. Eodem tempore Poloni, voluntaria manus, nulloque ſtipendio publico adiuta, duce Petro Odrouanſano, in Hungariam tranſcenſuri, arcebantur à Boëmis, qui anguſtias in montium iugis occupauerant. Itaque illi die frigidiſſima, tum lenta, ſed iugi pluuia caliginoſa, atque, ob id, minimè ſuſpecta, præmiſſis impigris, robuſtiſque quibuſque iuuenibus, à quibus reſiſtentes, ſi qui fortè affuiſſent, obtruncarentur, per ſolutas Boëmorū cuſtodias, nemine omnino aduerſante,

Tyrnaviensium

uerſante,ſaltum ſuperauêre. Mox quõ adorti eſſent expugnare Capuſcanum, quod oppidum non longè ſitum eſt à Bardeiouio,accerſente eos rege,ſtatim, vt par erat,omiſſo incepto,Budam ſe receperunt, non ſine laude atque admiratione Hungarorum, & quod multi, & quod opulenter inſtructi, ſed inprimis, quod indefeſſi opitulando regi ſuo viderentur. VVladiſlaus vbi omnes, & ſingulos, pro cuiusque dignitate, ac meritis laudãdo bene de ſe ſperare iuſſit, Caſſouiam miſit oppugnatum. Ex quo oppido frequentes, & magnæ clades in ea regione quotidie inferebãtur perſeuerantibus in fide regijs. Poloni commiſſum ſibi negotium breui abſoluerunt, &, vt cæteris qui in præſidijs erant trepidatio incuteretur, Boëmos qui in manus venerant ad vnum omnes trucidauêre. Interea nũtiatur, Tartaros prædabundos in Podoliam incurſuros. Itaque Ladiſlaus, qui, poſt reginæ fugam, ſatis ab ea parte omnia tuta arbitrabatur, bellum verò, quod Iſcra inferebat, ab regionis indigenis ſtrenuè propulſari videbat: ne defenſoribus vacuam barbarorum incurſus Poloniam inueniret, Odrouãſanum cum ſuis retro in patriam dimiſit. Quibus, honoris gratia, deducendis ad regni fines nõnullos proceres Hungaros adiecit. Quõ itaq; Agriam perueniſſent, liberaliterque ab Epiſcopo accepti, licẽtius, quàm ratio temporis, & vicini hoſtis ſolertia patiebatur conuiuijs hilaritatique indulgerent, ſeu quia numero, ac viribus fidentes periculum contemnebant, ſeu quia ſecundis rebus negligentia familiarior eſt, quàm aduerſis: Teleſus, qui per id tempus præſidio Caſſouiæ præerat, ratus bene gerendę rei ſibi oblatam occaſionem, cum manu expedita profectus contentiſſimo gradu, per ſilentium noctis, illuc ſe recepit. Quomq; omnes cuſtodias, velut media pace, ſolutas inueniſſet: ab ea parte, qua facilius, ac tutius rem agi poſſe arbitrabatur, murum nullo vſquam obſiſtente tranſcendit, excitatoque, ad terrorem, nonnullis in locis incendio, canentibus ſignis, &, velut in capta vrbe, clamore ſublato, inermes ſopitosque adoritur. Et primo ſtatim impetu domos cõplures, & Polonorum fere omnes currus tumultuariè diripit. Cumque hoſtes inter clamorem, cædem, populationem, ignem, trepidi, ac ſemiſomnes vix arma expedirent: cum ingenti præda cæterarum rerum, ſed & iumentorum, atque hominum retro abijt. Hungari verò, ac Poloni tandẽ ſomno, & trepidatione diſcuſſa, quom ſimul armati cõueniſſent, nec difficile videretur, fugientem hoſtem aſſequi, & abactam prædam recuperare: curſu effuſiſſimo, ægrè, propter impedimenta, & laſſitudinem properãtes, inſequuntur. Itaque prius multò, quã inclinare ſol cœperat in occaſum, quom inſtans à tergo exaudiretur hominum ſimul, & equorum fremitus: Teleſus, qui ſuos nocturni itineris celeritate, ac labore fatigatos ſciret, tum præda onuſtos, atque impeditos, deſperata fuga, ad vires ſe cõuertit, & in quo, propterea quod Leopolienſis Palatinus erat, plurimum reponebat, ſeu redimi cogeretur, ſeu permutatio captiuorum fieri aliquando contingeret, Petrum Odrouanſanum, quem cum alijs multis captum abducebat, familiari cuidam ſuo Solomæ nuncupato, cuius fidem ſatis, vt arbitrabatur, cognitã perſpectamq; habebat in propinquum oppidum perducendum, cuſtodiendũque commiſit. Nec mora, vltima experienda percipiens, impedimentis in viam præmiſſis, ſuos monet, qui à tergo inſtarẽt, tumultuariam manũ eſſe, inermes, incõpoſitos & adhuc præteritæ noctis inopinato pauore fluctuantes, ac trepidos: nonnullos etiam ſaucios debilitatosq;, qui cùm ad tuendos ſe domi vires, atque animi defuiſſent, temerè poſtea proſiliendo, arma cepiſſent: quaſi facilius foret in aperto campo res ſuas pugnando recuperare, quã fuiſſet clauſas intra vrbem parietibus tueri. Quicquid aut periculi fuerit, aut laboris iam eſſet exhauſtum, & celeriter eundo, & inopinantes inuadendo: prædã eſſe in manibus, quam vtique multò faciliùs foret inter pares vires defendere, quàm fuiſſet rapere: ſed & multos ex hoſtibus teneri vinctos, & eoſdẽ magis ſtrenuos, quos nõ ſomnus, nõ metus, non ſubitarius tumultus à cõferenda manu auertiſſet: qui ſupereſſent, vino adhuc ſomnoq; graues, aut vulneribus afflictos eſſe, regendiſq; tantummodo equis vix ſatis aut animorum, aut virium habere: qui, etiam ſi paria eſſent cætera, inter tam diſpari cauſa pugnantes, fortiores eſſe debere, qui ſine ſpe veniæ de vita dimicarent, quàm illi, quos modicæ abactæ prædæ dolor armauiſſet. Meminiſſent eorum, quæ in ſuæ gentis præſidiarios, paucis ante diebus, ad Caſſouiam fœdè, ac crudeliter commiſſa fuiſſent: anniterenturque pugnando acriter, virorum fortium exitu, vitam relinquere potius, quàm capi per ignauiam,

nauiã, & trepidationem paterentur veluti pecora per ludibrium postea trucidarentur: quò maiori impetu in hostẽ ferrentur, eò minori discrimine partam prædam retenturos, multoque incolumiores abituros. Superuenerant iam hostes: itaque conuersus in eos Boëmus, magnis animis, ac viribus impetum, quo in se ferebantur, excipit, propulsatque tam acriter, vt neque in equis, neque in hominibus præteriti laboris lassitudo appareret. Suggerebat vires cùm veniæ desperatio, tum retinendæ prædæ cupiditas. Polonos autem & Hungaros non iactura solùm rerum suarum, sed verecundia etiam stimulabat: turpiter se deprehensos putantes, & à paucioribus, inter vinum somnumq́ue, rebus suis exutos: vnicamque esse illius abolendæ maculæ rationem, si vincerent. Pugnatum igitur aliquandiu ancipiti Marte. Cumq́ue vtrinque multi, & vulnerarentur, & caderent: tandem lassitudo peruicit vt Telesiani loco cederent, in fugamque verterentur. In qua multi trucidati, multi equorum pedibus obtriti, præda omnis recuperata, Telesus autem cum plerisque Australibus Boëmisque viuus in potestatem venit, ductusque est Agriam, & custodię tradit⁹. At Soloma suorum fortunæ ignarus, & commissi sibi Odrouansani cura sollicitus; vt quàm celerrimè se in tutum reciperet Nicolai Zuderis, quæ proxima erat, arcem petijt. Is paulò antè ad reginam defecerat. Itaque putans oblatam sibi occasionem reconciliandi se VVladislao, cuius auctoritati, & opibus, post reginę in Austriam commigrationem videbat plurimùm accessisse: captiuum, quem, propter generis nobilitatem, auctoritatemque inter suos non iniuria magni faciendum putabat, paulò post Budam perduxit ad regem, atque eo munere, defectionis veniam impetrauit. In tam præcipiti, & diuersa fortunæ commutatione, nox, casus, trepidatio, impetus, multa tulit aut inusitato genere mortis, aut rapiendi, obsistendique conatu variè memorabilia. Inter quę, id vt maximè literis prodendum, ita etiam maximè miserabile. Ex media sorte populi forma, & iuuenta florens Agriensis, suæ conditionis, atque ætatis iuuenculam perditè amabat, mutuoque, fœlici sorte, amabatur. Cõsueuerat verò, obseruatis occasionibus, se ad eam noctu recipere, desideriumque suum non tam fructu amoris satiare, quàm nouis semper alimentis augere. Quom itaq; direptio ciuitatis, apud amores suos ipsum deprehendisset: ratus forsan, discurrentium ad prædam, atque cædem, tumultũ esse ebriorũ, propterea quod largius, quàm sobrios deceret, eos, pridie vino indulgere viderat, non statim ad primum clamorem exilijt. Deinde quom non solùm clamor, & strepitus armatorum augeretur, sed mulierum quoque eiulatio, puerorumque vndique ploratus maior, quàm pro compotantium rixa, & iurgio discriminis, & mali grauioris trepidationem incuteret: quo euocabat conturbatio, propere re se voluit: sed, retinente amica, & ne recta properaret admonente, ne si domesticos quoque alios idem tumultus exciuisset, casu in eorum aliquem ageretur, per fenestram in vestibulum domus se dimisit. Quem vt foras emitteret, illa ex diuerso per scalas propere subsecuta, ostium reserauit, quom superuenissent iam hostes ex parte altera, mox fores demoliti irrupturi. Egrediẽtem igitur armati, gladijs vulneribusq́ue excipiunt, eò etiam acrius, quod ipse cum ferro iampridem per cęcam trepidationem districto prosilierat: non tamen statim concidit, & si multis magnisque vulneribus petitus: sed acriter se defendens duos prius obtruncauit. Ibi mulier dolore, ac desperatione plus quàm viriliter elata, cùm nollet amanti suo superuiuere, viribus quantas amor, iraque & desperatio dabat, vni ex militibus, qui exanime corpus circumstabant, gladium extorsit, furiosеque insultans, antequam cohiberi posset, plerosque vulnerauit, viris ex diuerso turpe ducentibus, si ferro cum fœmina decertarent. Tandem comprehensa, vbi ferociæ, qua concita debacchabatur, stimulum indicauit, gladio, quem vltura amantem arripuerat, pectus suum transfodit, & vt super cadauer vita sibi carius occumberet, in partem, in qua iacebat se præcipitem dedit, tanta militarium animorum admiratione, vt, cęteris commilitonibus cum præda discedentibus, illi, quos ad eam domum fortuna congregauerat, vacui, & mirabundi pene in manibus hostium remanserint. Similem ac Telesus casum perpessi sunt eisdem diebus Caica, & Comorocensis: quorum ille Brosouiciam, hic Podolinum pręsidio tenebat. Nã quom explorando comperissent oppidum Eperiessum negligenter asseruari, vacuumq́ue esse defensoribus: eductis secum ex præsidiarijs, quibus præerant, fortibus expeditisque quibusque militibus, quàm

quàm occultissimè, silētio noctis illuc se receperunt, scalisque muro admotis, velut in suas munitiones, nemine repugnante, in oppidum penetrauêre. Nec mora, vbi clamor primùm, deinde cędes non tam excitasset hostem, quàm sensibus alienatū, nec ad arma discurrere nec prouidere quicquam sineret: quasi per otium, & licētiam, omnis generis præda suos onerauêre. Fortè die præcedenti quinquaginta Boëmi profecturi ad Iscram copias cōgregantem, vt Richnouam obsideret, substiterant Eperiessi. Ab his, vt fit in re trepida, dū saluti quisque suæ non, quo debet, sed quo maximè potest modo cōsulit, turris, quę egregiè munita erat, dum Poloni oppidum diripiunt, occupata strenuè defendebatur. Itaque quom eius expugnatio difficilis appareret, timerēt que Poloni Iscram, qui in propinquo erat, cum exercitu suis accursurū, nec suffecturos se putarent tuendo oppido, quod non totum haberent in potestate: contenti præda retro, qua venerant abiêre. Non segnius, quàm cogitauerāt, Iscra, vbi ad eum suorum clades perlata, præparato instructoque iampridem milite, illuc accurrit, ex improuiso, vt assolet, victores oppressurus, solutis negligentia animis, ob rei bene gestæ hilaritatem. Cæterùm cognita festinatione, qua retro prædam agebant, breui à tergo eos assecutus, non solùm quia superior copiarum numero, sed etiam quia recentes ducebat, atque integros, facile omnes fudit fugauitque. Nec obluctatio, cædesúe fuit. Nam fessi, ac prędæ onere laborantes Poloni vix primum clamorem hostis sustinuêre. Capti Caica, & Comorocensis cum paucis alijs, quos subita fuga eripere ab hostiū manibus minimè potuit. Iscra verò, vt erat dux belli acer, victoriam persecutus, ad Brosouiciam castra mouit. Capto enim à se præsidij illius præfecto, subitæ deditionis spem non frustra conce perat: sed quom inuenisset oppidanos ad se tuendum paratiores, quàm crediderat: cum suis abiturus, re minimè tētata, apparebat. Verùm casu, aut humana fraude in altera arce (nam illic duæ sunt) incendium exortum, cōpulit defensores ad alteram confugere: moxq; ne quid tale in ea quoq; contingeret, imperium hostis penè vltro suscepêre. Quo ex euentu visum est, fortunā iusta lance partis vtriusque gaudiū, & mœrorem adæquare eodē tempore voluisse. Poloni deinde nouum præsidiū submisêre Podolinū, & Luboliam. Iscra verò ab ea victoria Richnouām oppugnatū profectus, ex omnibus ciuitatibus, quæ postumo fauebant, exciuit auxilia: & quō Poloni repugnarent, mœniaq; acriter defenderent: obsidione expugnaturus circumfudit exercitum, murosque, tormentis, & machinis admotis quassare cœpit, ac diruere. Sed quicquid inter diu solo ęquabatur, noctu operę tumultuario instaurabant obsessi: distractaq; in menses aliquot oppugnatio. Tandē quō vrgerent humanę necessitates non minus, quàm hostis, nec quicquam aliūd necessariam deditionem remoraretur, quàm quod Agriensis episcopus affuturus cū auxilio ferebatur, cessante illo diutius, quàm aut fames iā, aut acerrima oppugnatio ferri posset, pacti, vt cum armis rebusq; alijs suis incolumes abirent, vacuam arcem tradidêre. Fides Polonis seruata. Post quorum deditionē illico Agriensis cum exercitu superuenit, & non procul ab Iscra castra cōmuniuit, quasi mox totis viribus decertaturus. Sed licet per occasionem, vterque alter alterius copias plerumq; carperet, descendere tamen in certamen totis viribus, & signa conferre non audebat. Nam & Iscra fœlicitatē aliquot annorum vnius diei fortunæ committere nolebat; & Agriensis haud quaquā suis fidēs, quòd maiori ex parte erat tumultuaria manus, & militaris disciplinę rudis, tutius credebatur, cūctando in locis iampridē vastatis, diuturna obsidione redigere hostem ad inopiam rerum omniū, quàm vires experiri. Itaque quom neque lentius, neque tardius quàm sperau erat Agriensis, Iscra, & sui penuria alimentorū premi inciperent, futurumq; planè constaret, vt aut nullo modo, aut sine summo discrimine perseuerare in eo loco haud possent: nulla insigni pugna commissa, redière Cassouiam. Nec multo post cœptū est inter Iscrā, & Agriensem agi de concordi, multique hinc inde variatis prius conditionibus, tantundem coniuncta Iscræ, per matrimonium, episcopi nepte, nō solùm pax, sed affinitas etiam inter eos inita est. Id bonane fide factum fuerit, vulgò addubitatum: tum quod reginæ, vt oportuit, approbatio subinde non accessit, tum quod relaxandis vtrinque captiuis fidem Boëmi violauêre. Ceteris enim ad suos dimissis, Caicam, & Comorocensem, de quorū etiam libertate trāsactum in pace fuerat, retinuêre. Sed & post concordiā, Iscra intercepit oppidum, quod in Scepusio à socero suo tenebatur, prædasq;, & captiuos

tiuos ex illis, qui regi fauebāt, per occasiones, atq; insidias abigere perseuerauit. Disceptabatur, per id tempus, de sacrorum summo antistite à Christianis. Et erant qui Eugeniū in Italia à Collegio cardinalium electū, & qui Fœlicem in Germania, quem Basiliense conciliū designauerat, pro summo pontifice cōprobarent sequerenturq;. Multi etiam principes regesq;, & natiōes, inter quas Hungari, & Poloni tam ancipitis controuersiæ finē expectantes, sententiam suam dissimulabant, cærimonias interim, ritusq;, quales à maioribus suis acceperant, religiosè obeundis sacris continuando. Quom itaq; non solùm eos, qui ex diuerso stabāt, sed etiam, qui ambigua deliberatione suspensi, & studia sua occultantes neutrum alteri præferebant, tam Fœlix, quàm Eugenius diuersis artibus sollicitaret, sibiq; cōciliare niteretur: ab vtroq; legatio diuersa, eodem tēpore, venit ad regem. Et Fœlix quidem fretus vinculo sanguinis, quo Tridentinus episcopus Alexāder à ducibus Masouię oriūdus, VVladislao cōiunctus erat, illum iampridem à se cardinalem designatum potissimè idoneum duxerat, cui partes suas cōmitteret: vt si parū causa valuisset, propter propinquitatem saltem, non aspernaretur. Ab Eugenio aūt venerat Iulianus Cæsarinus etiam cardinalis. Et hic quidē vrbem Romam, non solùm diuinitùs electum locum, sed Petri, & Pauli aliorumq; innumerabilium religionis fundatorum sanguine cōsecratum, in quo crearetur pręsideretq; maxim⁹ pontificum, sacrosanctum cardinalium Collegium, legitimam iugemq; successionē, tum de more habitam & ab alijs, quorū res esset, electionem, pręterea totius Italiæ consensum, & Gręcorum iudicium volūtatemq; pro Eugenio allegabat: nihil aliud ex parte altera esse dicens, pręter tumultum perditorum quorundā, quos, fortunis suis profligatis, abiectaq; Dei, atq; hominum verecūdia, spes nouarum rerum, sine auctoritate, sine ordine, sine causa, velut ad nundinandū sacra congregasset. Ille autem ex diuerso: non locum, sed puritatem animorū vitæq; sanctimoniam pertinere ad religionem dicebat. Non referre vbi esset, diceretur'ue summus pontifex, sed quis, & à quibus. Nimis in arcto circumscribi columen Christianæ professionis, si eius caput non nisi Roma, & creare posset, & capere. Quid futurum si ea vrbs possideatur à barbaris, vt aliâs cōtigit, aut omnino deleatur? Si fortuna loci ad rem, quæ tota in animis est, momentum aliquod habere posset, Hierosolyma sanctiori multò quàm Petri, & Pauli sanguine consecrata. Illic religionis nostræ verissimum caput, immortalitatis nostræ omnia mysteria cōstituisse, illic summi sacerdotij prima successionis initia & tradita, & suscepta: non humano aliquo casu (vt in Petro factū, & Paulo: quorū hic tanquam reus Romam perductus, ille Simonis magicis vanitatibus attractus) sed voluntate electioneq; diuina. Quod ad cardinales attineret; non animaduertendos ex titulo, & nomine, quæ lasciuientis fortunæ fauor etiam immeritò cuiq; conferre posse. Eos, etiam si vrbem Romam nunquam viderint, nunquā titulo cardinalis insigniti sint, tamen veros esse apud deum religionis nostræ cardines, & fundamenta, quorum doctrina, vita, mores, actiones deniq; omnes cum religione consentiant. Nihil interesse, qua quis sit fortuna, & dignitate: deū enim, non quæ extra hominem sint, verùm animos ipsos intueri, atq; expendere, deque his, quæ ad sacra pertinent, non fortunati, sed optimi cuiusq; iudicium cōprobare. Sed neq; multum consuetam cærimoniam eligendi in vrbe, aut possessione Romanæ sedis, ad veram diuini vicariatus successionem attinere: vbicumq; bonorum cœtus conuenisset, diuini spiritus sensum adesse intelligi debere, & quę dicta, acta cōnstitutaq; illic essent, vt ab eodem spiritu manātia accipienda. Præter quàm quod temerarium, etiam periculosum esse, perpaucorum obstinatis animis, quos nihil aliud, quàm mala cōscientia cōtumaces redderet, publico Christianæ reipublicę concilio non adhærere. Non dubitare aut Eugenium, aut qui illum sequerentur, vel de sua, vel de concilij auctoritate, sed intelligere, non posse, se & in religione eminere, & ab ea animo, & vita maximè abhorrere. Si pro religione modò solliciti essent: nequaquam aduersaturos concilio: cuius non alius finis esset, quàm religionis sanctitatem, dignitatemq; conseruare, & augere. Verè sanctos pōtifices, qui ad id locorum ecclesiæ pręfuissent, nunquam tantam rationem habituros fuisse de concilijs, nisi intellexissent, id quod ad omnes ex ęquo pertineret, omniū iudicio, & consensu moderandum, longeq; altius posse prospici ea, quæ verissima salutariáque essent in rebus diuinis, ab vniuersali Christianorum iudicio, quàm à paucis Romanis sacerdotibus, aut metropolis

polis eiusdem episcopis. Hinc non minus fere, quàm quatuor euangelistis tributũ semper, & tribui ab ecclesia quatuor concilijs, Niceno scilicet, Cõstantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi: in quibus, præter alia multa, diuinitus ad decus amplitudinemq; religionis constituta, confutatæ essent, & explosæ hæreses nefariæ, ac perniciosissimę, quib⁹ professionis nostræ vera fundamenta subuertebantur: si quidẽ Nicęę Arrij, Constantinopoli Macedonij, Ephesi Nestorij, Chalcedone Eutychis, impietatis conuictę damnatęque. Reliquorum quoque conciliorum subinde omnia decreta suũ semper pondus suã maiestatem tenuisse. Nõ postulare, qui præsiderẽt Basileæ, vt de vniuersorum salute, deq; singulis emẽdãdis, vel inprimo, vel in quocunque alio modo religionis nostræ, sibi crederetur, ꝙ temerarium esset, atq; improbum, sed ad disceptationem iudiciumq; illorum, omnes, quorum interesset, aduocare. Quibus sæpe iactatis vtrinque, & à rege, ac suis auditis, in horum altero summo pontifice agnoscẽdo, neutri legatorum est assensum. Cæterùm, quia Iulianus, ad ea, quæ ad rem diuinam spectabant adiecerat, intestina certamina, quib⁹ arx, & præsidium Christiani nominis Hungaria vastabatur, malè habere Eugenium, cæterosq; qui rem christianam saluam vellent, suaseratq; deponenda arma per concordiam, cuius æquas conditiones inuẽturum se speraret, si, cum bona vtriusq; partis venia, tẽtare licuisset: vbi planum factum est ei, nihil omissum à rege esse, quod ad pacem facere videri posset, multasq; legationes de compositione frustra ad reginam commeasse: concessum est, vt, quãtum in ea re posset, experiretur. Ille postquam regis animum à quietis consilijs minimè abhorrentem vidit: profectus ad reginam, quom de vtilitate pacis, deque incommodis belli, discriminibusq; disseruisset ea, quæ putauit ad id quod intendebat pertinere: sexus illam cõditionisque suæ admonuit; & quàm facilè, & temere populorum studia cum fortuna mutarentur. Nõ esse eius, quę pauloante experta foret, quid paucorum tumultus posset contra penè vniuersorũ consensum, in eo bello perseuerare, in quo viribus multò, & facultatibus esset inferior. Stare ex parte altera omnem vim Polonorum, & cum illis maiorem partem ex Hungaris: quorum opes, & autoritas in regno emineret: hominum, & armorum, iumentorumque satis esse reparando exercitui, si quid aduersi cõtigisset: partibus autem eius adesse paucos, præter militem conductitium, cuius fides nõ ex animi studio, sed ex pretio penderet. Præterquã quod inita affinitas inter Iscrã, & Agriensem meritò ei suspecta esse posset, ea quoq; quæ satis ei firma, & apparata viderẽtur, in vnius ꝑlij fortuna pẽdere: vixq; sperare posse reparaturã se rursus ad pugnã vires, si semel acie vinceretur. Vt speraret victurũ postumũ diutissimè: considerare oportere, ꝙ innumerabilibus casibus humana vita subiaceret, & quo minus roboris in ea ætate esset aduersus malam valetudinem, & morborum vim, eò facilius extingui solere. Magisq; timendũ, quàm subinde sibi, quàm adultis iã duabus filiabus suis fortunam sponderet: quom etiam quos spes, & gratificatio postumi tunc in fide retineret, orbitas regni esset in contrarium auersura. Satius multò, præcauere, ne, si præmatura fata filiũ regno subduxissent, filiæ quoque excluderentur: cùm danda opera esset, vt saltem altera, matris veluti loco, regnaret. Inter marem & fœminam quo ad parentes, nihil interesse, præter sexum. In VVladislao esse illa omnia, per quæ (quoniam filiæ vtique aliquando cõiugandæ) meritò ab ea gener esset expetendus. Temporis verò, & rerum conditionem vtrosq; ad affinitatem nõ solùm inuitare, verùm etiam quadam veluti necessitate mouere. Ad extremũ meminisse debere viri, patrisq; sui, quibus, prçter diuinos honores, cętera omnia cum summa fide tribuisset ea gens, quæ periclitatura erat, nisi ad pacem animum adiecisset. Indulgendum fortasse aliquãdo viris, vt, pro tuenda, aut augenda dignitate vnius, populorum multorum salutem in discrimẽ ne adducerent: muliebris certè verecundiæ non esse, opportunitati, ac saluti tot de se bene meritarum ciuitatum, & populorum, præferre incertas spes vnius infantuli. Famam homini extimescendã, sed & dei immortalis vltionẽ, si per eã staret, quo min⁹ à nefario bello, & Christianis rebus maximè periculoso absistetur. Ad ea, regina, satis se suas hostisque facultates nosse, inquit, & quantũ vel vires, vel fortuna posset in bello nõ ignorare. Cæterùm minus flagitiosum, dolendumq; esse, resistendo exturbari, quàm per ignauiam, & vanum metum, regno excedere. Iustã esse causam suã, neque absuturũ vindicem iustitiæ deũ. Filium verò incolumem esse, ac, Deo propitio, fore. Quod si malũ fatum cõ-

tra spem quicquam afferret: nouam rē noua consilia præbituram. Hungarorū quidem merita in se, ac suos ingētia esse: sed quò maiora essent, eò magis sibi annitendum, ne cogerentur in ditionem ipsis inuisam degenerare: si tamen sine cæde, & sanguine id fieri posset, nihil esse quod mallet. Sub hæc verba Iulianus, collaudato reginæ animo, & qd muliebriter bellū non expauesceret, si necessariò gerendum foret, & quod concordiam, si modò æqua offerretur, non aspernaretur, de pacificationis forma cœpit cum ipsa agitare. Cæterùm, multis vtrinque conditionibus in medium adductis prius, ac repudiatis, quom maternū animum æquè adulta filiarum ætas, atq; infantis cura sollicitū haberet; tandem eò adacta est regina, vt consentiret has simul leges, & stabilimenta concordię ad VVladislaū perferri. Ante omnia vti alteram filiā ipse, alteram Casimirus, qui tum Lituaniæ præerat, vxorem duceret. Et Casimiro quidē despondere se, dotis nomine, centū, & viginti millia aureorum, VVladislao verò ducenta millia in terra Slesia, cessuramq; iam tū illi possessionē, reseruato sibi redemptionis iure, quandocumq; cōmodum fuisset. Quod aūt ad Hūgariam attineret, VVladislaus mox sese regio titulo abdicaret; ꝓcurationem, & tutelam, vsq; ad integrā postumi ætatem retineret: vbi ille adoleuisset, procurationem dimitteret. Quod si intra pubertatē, aut quādocunque postea sine liberis postumū decedere cōtingeret: cū regio titulo, ius quoq;, & arbitriū regni ad VVladislaum reuerteretur. Cæterùm cōpensandis impendijs ea in expeditione factis, terra Scepusiensis ꝑpetuo iure addiceretur Polonię regno: Hungari verò sua sponte, ac bona fide antiquarent quamcunq; actionem, & ius, ꝙ aut in Podolia, aut in Valachia habere se crederēt. Accepisset VVladislaus sine dubio conditiones tam sibi, q̄ regno suo commodas. Et erant ex Hungaris multi, qui aut externū bellum timentes, aut intestinū execrantes, nō fortiter sententiam reginæ impugnabant. Quō tamē agi appareret de facultatibꝰ, atq; amplitudine regni: placuit aut per nuntios aut ꝑ literas, eorum quoq; procerum, qui præsentes non erant, voluntates exquiri. A quibus, vt fit, pro cuiusque ingenio, allatæ sunt literæ non solū sentētia variæ, sed omnino etiā diuersæ: quom essent, qui iniquiores quoq; conditiones domi ꝑferendas censerent, dū modò foris tuti essent: & qui nullā omnino concordiam habendam dicerent, nisi quam arma constituissent. Itaq; quò magis aut timidè nimiū aut periculosè alij censebāt, eò, postq̄ cognita est sententia Huniadiani, maiori assēsu omnium accepta est, quom nihil in vtramuis partem affectatum cōtineret. Scribebat enim, videri sibi, propter imminens à Turco negotium, neq; repudiendā pacem temere, neq; tamen amplexandam cupidè, & si natura sua, pax semper bello sit anteferenda, neq; omnino, aliā ob causā gerātur bella, q̄ vt pace frui liceat. Concordiæ tantummodo conditiones rectè animaduertendas: & si iniquæ offerrentur, cōmodiores exigendas. Quæ si impetrarentur, nihil satius, q̄ inuicem domi in gratiam redire, &, depositis intestinis armis, pugnare foris. Sin verò regina perseueraret inire id fœdus, in quo, sui suorumq; habita ratione, mēbra regni non solùm ad tēpus possidenda exteris traderet, verùm etiā à corpore suo ꝑpetuo alienaret, omni ope resistendū censere. Non animum, non vires defuturas ad extorquēdam æquā pacē, minori etiam sumptu, quàm foret impendendum, ꝓ concordia, quę tunc offerebatur. Itaq; Iulianus rursus ad reginā ꝓfectus, pauca quædā in prioribus cōditionibus commutata retulit. Sed quom neq; illa Hungari probarent, modò hac modò illa cautione variata, vltro citroq; multotiēs frustra commeauit. Tandē verò, vt, ꝙ vltimum erat experiretur, vtrinq; impetrauit, vt Iaurinū VVladislaus ad reginam proficisceretur, si fortè præsentia, & mutuū colloquium, ad concordiā inter eos esset efficacius, q̄ alienæ persuasiones. Postquam conuenêre, post mutuam admirationem, quō in alterius ætate tam tenera, procurationi, & tutelæ amplissimorū regnorum par indoles emineret; alteram verò, ꝑter ætatem iam grauem, animi magnitudo in periculis, maximisq; quibusq; actionibus explicādis venerabilē redderet: primi congressus, vt par erat, q̄relas purgationesq; mutuas habuêre, asseuerantibus vtrisq; ex diuerso, cōtra ius fasq; se ab altero violari, armaq; à se sumpta necessariò, non sua spōte. Tandē quom dies aliquot, de cōcordia colloquendo, cōsumpsissent: sic discessêre, vt conciliatos appareret, idq; propter ditissima munera, quibꝰ se mutuo benignissimè sunt discedendo prosecuti. Qua tamen conditione arma deponenda essent, non est vulgatum. Id planè constitit, reginam paulo post Budam vēturam. Quod cùm fecisset, emisso prius Ciliæ Comite è custodia, in qua fere ab initio belli seruatus fuerat, pax firmata

firmata est,& expressa. De cuius ineũdæ ratione dum disceptaretur, VVladislai virtus, ac dexteritas in agendo mirè sibi conciliauerat reginę animũ,manauitq; rumor datę in id mutuo fidei,VVladislaum liberè in Hungaria regnaturum,si modò aut pcario impetraret, aut armis extorqueret sacrã Hungariæ coronã,& postumũ à Friderico Cæsare, q,post Alberti mortẽ, fretus reginæ viduitate, infantis patrimonio in Austria abuti ferebatur. Cæterùm regina, vbi Iaurinũ redijt, leuiter ægrotare cœpit, ac triduo post,torminibus interijt,nõ sine veneni suspicione, propter moriẽdi celeritatẽ. Sed vt de veneno addubitatum:ita,quãtum exterioribus signis licuit deprehendere,id maximè cõpertum, VVladislaũ scilicet ægerrimo animo mortẽ eius tulisse,frequẽterq; asseuerasse, sublato velut obside,ac stabilimẽto pacis, Boëmis rerũ nouarũ cupidis, nõ defuturas causas machinãdi cõtra fœdus, vt bellũ instauraretur.Nec sec⁹ accidit:paulo enim post,cum oppidis simul omnibus,q̃ prę sidijs eorum tenebantur,ad Cæsarẽ defecêre,rursusq;,non ex insidijs,sed vi aperta cœperũt regijs partibus insultare.Eodem tẽpore apparatu,& numero hominum insignis legatio venit à Turco,magis,vt fama tenuit,exploratum, quis status esset rerũ in Hungaria,propter intestinum bellũ, de cuius euentu maximè sollicitus erat, q̃, quod crederet ea,quæ postulabat impetrare. Quandoquidem Huniadianus,cui,cohibendarũ populationum Turci, curã commissam fuisse diximus,non solùm incurrentis impetũ sæpe submouerat,sed fœlicitate etiã, & virtutẽ sua fretus,in agrũ hostilẽ populabũdus ipse irrumpẽs, occurrẽtibus Turcis sibi, haud sanè ignobiles clades intulerat;& fortuna sapienter vtendo, paulatim extorserat, vt non tã vincere, q̃ vinci se posse sentirent. Itaq; quom fere eisdem verbis,quibus ad Belgradum legati regij dimissi,tunc etiã offerretur fœdus, eiusq; velut obses postularetur aut Belgradum, aut annuũ tributum:superueniente nuntio ab Huniadiano, q asserebat, per eos dies cũ Turcis bis fœliciter pugnatum, multosq; in prœlio captos, plures in fuga trucidatos; inter quos cecidissẽt duces duo maximè insignes:prę terea signa militaria pleraq; illis adẽpta, & cum victoria, ingẽtem quoq;prędam à militibus reportatã: haud sanè mitius respõsum est,quàm inflata legatio exigebat.Inquit enim rex, relaturũ se de his, quæ petebãtur, ad Huniadianum, & secũdum fortunã,quę aut illi, aut Turcis proximis dieb⁹ fauisset, per legatos suo ad postulata responsurum. Cæterùm quom post reginæ mortẽ, regni omnes proceres in fidem VVladislai redijssent, nihilque hostile iam in regno superesse videretur, præter Cassouiam cum appẽdicibus; & illinc quoq; affinitas inter Iscram, & Agriensem inita renouandæ cõcordiæ spem faceret, videreturq; Cæsar,ad quem factio illa defecerat, etiam vt cætera parum essent apud eum efficacia,tamen, propter quietis ingenio eius insitum studium, omnino pacem bello prælaturus:Iulianus ratus commodum tempus suadendæ cõtra Turcos expeditionis,& publicè apud regẽ, & priuatim apud primores regni cœpit eam rem agere. Et VVladislaũ quidẽ admonebat spei,quã sibi ꝓposuissent oẽs Christiani principes,vbi eũ accitũ esse,vt in Hungaria regnaret,intellexissent,fœlix faustũque id Christiano nomini visum iri.Pro fœlicitate ipsius vota solẽnia ab omnib⁹ nuncupata. Quod pacatum regnũ prope totum iam possideret, nõ minus precationibus aliorũ Christianorũ, quàm suis armis effectum. Dãdam esse operã, vt tam ingenti de se expectationi respõderet. Experi id etiam à religione,quam profiteretur,sed nec minus à necessitate regni pſentis status, & illorum, quos in fidem susceperat, securitate. Non posse ab se negligi eam expeditionem ,aut salua fide præstita Hungaris,aut incolumi non solùm Hũgaria,sed etiam Polonia, cuius salus ab Hungariæ salute dependeret. Vindicandam indignitatẽ postulati ab se tributi in tanta regni sui fœlicitate;indicandumq;,prope negligenter, ad id locorũ,rem gestam, quidue interesset inter expeditionem, q̃ tantummodo regis auspicijs,& illam,quę non auspicijs solùm, sed ductu etiam regio susciperetur.De victoria dubitare nõ sinere res fœliciter ab Huniadiano gestas cũ parua manu, si cum ijs copijs conferretur,quas ipse esset eductutus.Apud Hũgaros verò proceres,asserebat,diuinitùs contigisse,vt VVladislao regnum committerent.Eam mentẽ,coniungendi inter se vires duorum potentissimorũ regnorum Deum eis dedisse,vt imperium finesq; suos nõ solùm tuerẽtur, verùmetiam Hellespontum,& Aegeum vsque mare propagarent.Non prætermitterẽt opportunitatẽ,cui etiam fatum,& fortuna fauisset,illata per reginę obitũ veluti necessitate,imponendi finem seditionibus intestinis. Ad fœlicitatẽ publicã expediendam, non in præsens modò, sed etiam in perpetuũ,nihil eis deesse posse,

præter rectã mentem. Non deessent ipsi occasioni suæ; quãdo reliqua omnia ad victoriam, ratio, fortuna, fatum abundè accõmodassent. Accedebãt ad hæc preces miserabiles, & lacrymæ Despoti: qui non solùm ad regem orando adibat, sed quosq; etiam sortis mediocris supplex prensabat, rogabatq; flẽdo, vt non omitteretur tempus, & facultas vlciscẽdi calamitates Christianis inflictas, & pleraque omni cruciatus genere fœda supplicia, de alijs multis ꝑ summam crudelitatem à Turco sumpta. Hinc indignando, filiorũ suorum erutos oculos, nefarieque abscissa pudibunda, supra quàm humanæ aures pati possent, miserabiliter deflebat. Ad extremum regi simul, & purpuratis alijs, memorãdo q̃ fœlix, potensq; paulo ante imperio liberis, & cæteris benignæ fortunæ blandimentis visus esset, qui tunc aliena misericordia aleretur, obtestabatur, ne se, ne filios, ne Christianum nomen inultũ sineret. Ad Hungariæ fines tempestatem iam peruenisse. Potius alienę calamitatis vindices se præbere vellent, q̃ expectare, dum sua quoq; simul cum ipsis eodẽ naufragio obruerentur. Non tamẽ aut huius iustæ preces, aut Iuliani prudentes asseueratio nes vltra valuẽre, q̃ vt, qui aberant, proceres, de ea re Budam accirẽtur. Ibi maiori ambitu maiorique asseueratione omnia hęc repetita, atq; etiam aucta, quõ ad superiora hortamẽta Iulianus adijceret, multorũ quoq; aliorũ Christianorũ principum auxilia in tempore affutura. Constitutum igitur omnium miro consensu, vt veris statim initio, rex q̃ maximè fieri posset, numerosum, instructum que exercitum educeret, moueretq; in Bulgariam. Interim verò cũ Cæsare aut de pace, aut de fœdere transigi placuit, & vt, ad publicam Christianorum omnium causam vel aduocaretur ipse, vel auxilia ab eo expeterentur. Legationes præterea decretæ, quæ non solùm Polonos, sociã cõiunctamq; iam gentem, sed Prutenos etiam, & Valachos adirent, atque ad eam expeditionem hortarentur. Cæsar inducias dedit in biennium. Quo verò minus in expeditionem Christianis reb⁹ adeo necessariã nec venire ipse, nec subsidium mittere posset, Boëmiæ tumultuantẽ statum in excusationẽ adduxit. Magister quoq; Prussiæ, causatus vastitatem, qua, proximis temporibus, continua bella eã ꝓuinciam afflixissent, nihil tale, quale petebatur ab se sperandum renũtiauit. A Polonis, & Valachis missæ sunt cum semestri stipendio equitum peditumq; auxiliares copiæ. Quas ingens armatorum multitudo subsecuta, quibus domos, coniuges, liberos, patriam cæteraq; humanæ vitæ aut præsidia, aut ornamenta ꝓpter eiusmodi militiam relinquere non consiliũ, aut stipendium publicum, sed priuata in Deũ pietas, & studium Christiani nominis simul tuendi, simul propagandi persuaserat. Quod gen⁹ militum, cruce signatũ, ex alijs quoq; nationibus, ad famam religiosæ expeditionis ingẽti numero cõfluxit. Igitur, præmissis supplicibus precationibus, rebusq; diuinis dies aliquot per omnia fana solenni ritu, & cerimonia pactis, circiter Kalendas Maias rex Buda mouit, transmissoq; Danubium exercitu, paruis itinerib⁹ ingrediebatur, suos, qui nõdum conuenissent, expectabund⁹. Superato deinde Tibisco rursus ad Danubium se conuertit, copiasq; ad Salsum lapidem traiecit in Bulgariam. Mox rectà progressus est Sophiã oppugnatum. Quo in loco Despotus cum suis regio exercitui se coniunxit. Vrbs ea naturali situ haud sanè egregiè munita est. Sed Regis subitus aduẽtus etiam improuisam deprehenderat. Itaq; breui tempore, nec difficili conatu capta. Cæterũ quia plus operæ seruanda ea, insumendum, quàm capienda insumptum apparebat, direptã prius à militibus, rex succendi iussit. Pari subinde fœlicitate quõ pleraque ignobiliora oppida expugnasset, diripuissetq;: non procul à Morana fluuio castra posuit, in loco, qui, vt non rectè collis, ita nec planicies queat appellari, sed medi⁹ inter vtrũq;, quantũ à colle submittitur, tantũ à planitie turgescit. Illinc missi equites quingẽti simul prædatum trans flumen, simul speculatum, qua tutius, & minori cum vexatione ꝓgredi exercitus posset. Illi, exoriente sole profecti, sub meridiem in speculatoriam Turcorum manum inuecti, quatuor quom cepissent, cognoscunt duo millia hostium per proximam siluã aduentare. Itaq; impares se pugnæ intelligentes, qua propius ad flumen iter arbitrabantur, in fugam se vertunt. Nec mora, Turci visi à tergo trepidationẽ simul, & fugandi studium auxêre. Erat inter refugiẽtes & fluuium, collis editior, ex cuius vertice, quom pateat longè lateq; prospectus in Cismoranam regionem, allabentis tamẽ fluminis alueus nõ apparet, visu supra vallẽ, seu per extensam planitiem, lõgissimè in oppositos tumulos procurrente. Itaq; quom refugiẽtes ad flumen regij per collem transcendissent, & propter altitudinẽ prærupte ripe in citeriore partẽ ad suos euadere posse de-

desperarēt:pars quidem in aquam, stratis equorum tenus se immiserat:reliqui verò in extremo margine fluminis substiterāt,animo,quo sunt illi,q,sine alicuius, aut defensionis,aut effugij spe, mox ab hoste immanissimo trucidari expectāt.Nec vanus forsan eorū met⁹ fuisset: sed rex venatū magno cū numero armatorū casu cis flumen profectus,Turcorū oculis tūc maximè in summitatē aduersi collis puenientiū quō occurreret,insidiarū metū illis incussit:quō & lōgius distare,& maior appareret multitudo,quā ꝓ modo eorū, quibus à tergo institissent. Quæ res fecit,vt cursum paulisper cohiberēt.At rex vbi hostes adesse perpēdit,à venatione in pugnæ studiū cōuersus, ingēti alacritate suos ad flumē dirigit.Nec procul aberat, quō qui illic medij inter hostē,ripāq; insuperabilē creditā,derelicti à se,ac desperati,iā tum mortis maximā partē in corpus admiserāt, cōspectu suorū velut ad cælitus demissam opē recreati,animos simul, & clamorē extulēre,versiq; per accliuū retro cōmissæ fugę pudore stimulante,ad montē magno conatu ferebantur.Interim verò rex quoq; cū suis ad ripā puenerat, &, sine delectu placidioris descēsus, per abrupta,& pcipitia omnia ad flumē prosiliebat,tā cęca omniū festinatione,vt multi vorticibus impliciti,ab aquæ violētia secundo amne agerētur,multi etiā, inter luctādum, ab equis excussi, armorū pōdere pessundāte,subitò in aliorū conspectu submergerētur.Sed Turci redeūtes cōtra se Christianos minimè expectauēre, nec pugna fuit,sed vicissim fuga,& trepidatio.Progressus erat deinde rex trās flumē duorū dierum iter,præmissis speculatoribus, ꝑ quos numerū hostium cōsiliaq;, & incepta exploraret.Ex his duo trepidè renunciauēre,Turcos nō lōgè cum valida manu in insidijs occasionē intercipiendi regis captare. Qua re audita VVladislaus, statim, habito ex omni multitudine delectu, cum decē millibus armatorū Huniadianum misit, vt per silentiū noctis, nihil tale opinātes hostes adoriretur. Ille à meridiē ad primā vigiliā speculatores subsecutus,vbi Turcos haud ꝓcul esse cōperit,quō luna pernox esset,ad ea loca,per q̃ maximè fuga patere illis poterat,agmē tacitè circūduxit, &, clamore sublato,torpētes,sopitosq;, vtpote,quos nulla cogitatio affuturi certaminis teneret,adoritur.Primoq; statim impetu, tātum terrorē vulgò incussit, vt fugā magis,q̃ arma pro se quisq; spectare inciperet. Sed vbi ad effugium pręclusas vias oēs percepēre,velut in vltimo discrimine,per trepidationē alienatis sensibus, equorū fræna ægrè,atq; arma expediebāt. Quō ex parte altera Huniadian⁹ suos adhortaretur,vt inermē adhuc hostē,somnoq;,& inopinato pauore fluctuantē inuaderent,ac cæderent. Frequentes iampridem victoriæ,nomen viri apud Turcos non solùm celebre,verùm etiam formidabile reddiderant. Itaq; à principio quidem, quom haud quaquam strenuè à trepidantibus,hostemq; ignorantibus resisteretur:tumultus,& cęca cōflictatio verius,quàm pugna fuit:deinde, vbi Huniadianum adesse percepēre,suosq; vbique ab obuijs ꝓsterni,integrosq; cū saucijs,semianimes cum vegetis, & recentibus varia, fœdaq; pereuntium imagine volutari:vt quemq; nox,& timor præcipites agebat, per loca inuia, vepribusq;, ac virgultis implicita euadere tentātes, facilè instans victor consequebatur,maiorq; lōgè cædes,quàm,pro numero eorum,qui vicerūt, cōmissa est.Siquidem ad triginta millia Turcorū ea nocte cæsa dicuntur,& supra quatuor millia capta cum nouē signis militaribus:adeo improuisus hostiū impetus iādudum vinci assuetis, oēm sensum abstulerat,nec patiebatur aut multitudinē suorum,aut fugantium cædētiumq; se paucitatem sentire.Sed & castra multa præda referta in manus victoris venēre : quibus direptis, incensisq;,Huniadianus, haud satis magna suorum facta iactura, cum non minori laude eorum, à quibus expectabatur,q̃ suo gaudio ad regē redijt.Fuit(fortè inter captiuos) Mamacus sacerdos doctrina,& religione apud suos clarus. A quo super his, quæ in religiosa Musormanorum historia vulgò feruntur aut improba, aut obscena quō multa Sanoceus (vt erat morum rituumq; peregrinorum vestigator curiosus) exquireret, ille nec sortis suæ, nec professionis oblitus,nō licere, inquit, de secta sua vinctū disputare. Cæterùm Sanoceo instāte,vt vel fateretur, vel purgaret religioni suæ obiectas * laudes,propriumq; id esse munus sacerdotis asseuerante,ille præfatus, Turcos quoq; homines,esse ab eisdemq; principijs,q̃ mortales alij sua profiterentur,corpus simul,atq; animū ducere,subintulit, quoniam in his,quæ percipiuntur tractanturq; sensibus, cum reliquo humano genere cōsentirēt,maximè verisimile esse, in illis quoq;, quæ aut opinio aut intellectus suggereret,sine probabilibus rationibus minimè se habere. Post eam victoriam pleraque Bulgarorum oppida simul odio Musormanicæ impietatis, simul studio Christianæ pro-

NB Mamacus

* labes

fessionis pellecta, tum etiam linguæ cõmercio, & quod eadẽ cum Polonis primordia generis haberent, eiectis Turcorũ præsidijs, ad regẽ defecêre. Nonnulla etiã, in ipsa trepidatione, expugnata, partim per regios milites, partim per Polonos cruce signatos, q̃ ductu Iuliani multa egregia facinora quotidiè edebant. Et iã cum victoria peruentũ erat sub ipsum Thraciæ aditũ. Cæterùm licet multum bello q̃situm videretur, nõ minus amissum credebant in militũ vexatione, qua toto itinere cõflictati illuc peruenerant. Quõ enim propè à fonte Ciabri amnis, q̃ à Mœsis olim Triballos disterminabat, Bulgaria ꝑ dorsum Aemi montis in vulturnũ, aquilonemq́; porrigatur: à meridiè in Thraciã declinat, à septẽtrione verò in Danubiũ deuexa, inferioris partem Mœsiæ occupat. Itaq; media eius regionis inuiæ rupes, & ꝑrupta saxa tenẽt. Decliuiora aũt, etsi qua in planitiẽ protenduntur, profundis ferè siluis vastisq; solitudinibus occupãtur. Ideo ager haud sanè egregiè frugũ fertilis, sed neq; alendo pecori satis fœcũdus. Ac proinde, ad cætera mala, quibus itinerũ difficultas, in ipso iã hiemis initio, exercitũ mulctauerat, magna hominũ iumentorumq́; vis rigore intolerabili, aut lassitudine absumpta: cõmeatus etiã inopia maximè vrgebat. Et licet pecunia suppeteret abũdè, nõ erat vnde frumenta coëmerẽtur, ex eoq́; ad famẽ desperatio quoq; accedebat. Nec quicq̃ aliud, victũ iam malis suis exercitũ, ne dissolueretur, retinebat quàm crebræ Huniadiani adhortationes, cuius asseueratio, quò peritior earũ regionũ rerumq́; habebatur, eò veluti solidiori spe ab omnibus accipiebatur. Ille quidquid malorũ exhaustũ erat, frigus, famẽ, lassitudinẽ, desperationẽ repetenda, rursusq; perpetienda dicere si regrediendũ foret, tãto hominũ iumentorũq́; vexatione maiori, quãto magis regionis naturalẽ vastitatem bellum etiã exhauxerat. Longè plus solitudinis, difficultatumq́; à tergo relictum, q̃ emetiendũ superesset, si progredi ꝑseuerarent: multo etiã altiora montiũ iuga superata, quàm per q̃ in Thraciã transcendendũ. Stare eos in limine horrei fœlicioris iã agri, biduoq́; peruenturos nõ ad amœniora solùm loca, sed rerũ etiam omniũ feraciora. In quibus præterq̃ quod reficiẽdo exercitui abundè omnia superfutura essẽt, tantũ etiam prædę passim expositũ, quantum referre fastidirent. Vnicũ, atq; eundẽ vltimũ laborẽ instare. Subinde nõ bellum fore, sed populationẽ. Meminissẽt, qua alacritate, ꝑ inaccessas cotes, & saltus inuios, etiã inuita natura, paulò ante properassent. Qua virtute nihil actũ foret, si victoriã non prosequerẽtur. Cęsos quidẽ ab se ad satietatẽ hostes, sed facilè instauraturos exercitum; veriusq; irritatos, q̃ victos dici posse. Rursus occupaturos ea, q̃ ipsi deseruissent oppida, & à patria, penatibusq́;, & laribus postea ꝓpulsandum iterũ bellum, quod in agrũ hostilẽ vincendo cõuertissent. Incertũ esse, an eadẽ fœlicitate arma semper sumerent. Dum Deus, ac fortuna cœptis fauerent, nõ temerè omittendã debellandi Europã opportunitatẽ; vt omitteret, q̃ flagitiosum ijs esset futurũ, si fœlicitati suæ, atq; occasioni defuisse viderentur, Deum ijs etiam iratũ fore. Hæc, & plura eiusmodi sæpè vulgò, & in concionibus iactata ab Huniadiano, interdũ etiam à Despoto, cuius vnica spes erat rerũ suarum iterũ potiũdi, si bellum nõ intermitteretur, succumbẽtes aduersis nõ solùm militũ animos, sed ducum etiã sæpe firmauerãt. Quomq́; illi audirentur, videbatur vnusquisq; extrema quæq; toleraturus, sed, premẽte subindè fame, cæterisq; tẽporis, ac locorum difficultatibus, rursus in pristinam desperationẽ recidebãt, vicissentq́; humanæ necessitates (vt cõtigit sæpè) verecundiã, nisi aduẽtus hostium renuntiatus, ne temerè dilaberentur, cohibuisset, magis ne dissipatis, ac dispersis ꝑ loca incognita trucidari cõtingeret, q̃ spe in tantis malis hostibus insultãtibus resistẽdi. Sed iuuabat etiã vtcũq; cum suis vitæ virtutisq́; supremũ opus obire. Itaq; vbi mox affuturũ hostẽ cognouêre, lætari pro se quisq;, & gratias immortali Deo agere, propter oblatã occasionẽ honestè in prælio, atq; in acie cadẽdi. Pauloantè, non mortẽ, sed genus ipsum mortis grauissimũ fuisse, quõ, veluti enectis bestijs fame, in deserto esset extabescendũ. Tantoq́; ardore animorum arma vbiq; in castris expediebãtur, vt facilè intellectu foret, eos, sine ordine, sine imperio, si appropinquasset hostis, erupturos. Interea Huniadianꝰ, q̃ cum paucis montẽ subierat, refert, hostes summa iuga insedisse, vt q̃ non acie dimicaturi venissent, sed regẽ tantũmodo trãsitu prohibituri. Posuisse enim illic castra, lapidesq́;, & ligna cõportando, tumultuario opere aditum ad se vndiq; communisse. Nec fefellerat eum cõiectura. Namq; vbi Amoratus suorum cladẽ acceperat, veritus, id quod futurũ fuit, ne bellũ in Thraciã, & Macedoniã trãsferretur, nisi propere misisset, qui arcerent: accitis ad se copijs, quas in Asia habebat, cum reliquijs paulò ante profligati exercitus

eas coniūxerat, eo consilio, vt per nullā occasionē fortunæ se cōmittēdo, insessis montiū angustijs, transitu arcēdo VVladislaum sub montibus retineret. Satis superq; hiemē, famemq;, & cętera mala, quib⁹ hostes vexari cōstabat, cōtra illos pugnatura. Sed quē consilij sui exequendi principē fecerat, Phrigiæ p̄fectus Carambus vir manu, & ingenio promptus, quō, ex loco edito, animaduerteret tumultuātes regios in exercitu, & plerosq; diuersis in locis non legitimo imperio, sed perturbatè, ac temerè ad pugnā erūpentes, alacriusq;, q̄ par erat, propter loci iniquitatē, p̄ accliuū niti: simul se contemni impatiēs, simul, & loco, & numero militū superior, victoriā in manibus se habere ratus, quasi rei bene gestæ decus, p̄uaricationis culpā dilutura mox esset, etiā contra id, quod in mādatis acceperat pugnare cōstituit. Itaq;, explicatis ordinib⁹, signa in hostē deferri iussit. Id vbi rex animaduertit, ad suos, quos magis honestæ mortis, quā victoriæ spes temerè ad montem agebat, cōuersus, ad uocatisq; Huniadiano, ac Despoto, & cæteris primoribus. Deus inquit, Deus adest fauetq;. Ille hostibus, quō insidentes mōtis fauces, p̄ otiū satiare possent oculos interitu nostrorū, fame malisq; alijs passim pereuntiū, mentē illic manendi abstulit, & nūc præcipites in eos agit, qui sic armati prosiliēre, vt certamini superesse nolint. Rapiam⁹ occasionē, animisque, & alacritate, q̄ nostri, vt honestè occūbant, extulēre, vtamur ad victoriam. Ad quam nihil efficacius esse solet, quā si sine metu mortis pugnatur. Quo maiori desperatione in hostē feretur quisq;, eò violentius cædet, ac prosternet obuios. Et dū mori nō recusat, victor euadet. Nec mora, producturus ipse cū Despoto & Iuliano reliquos in aciē, Huniadianū misit, qui temerè sparsos colligeret, & quantū res subita properātiumq; ad vltimū discrimen non ardor, sed propemodū rabies sineret, p̄uideret, nec cæca eorū temeritas plus hosti ad victoriā conferret, q̄ ipsius aut virtus, aut fœlicitas. Ille properè incōpositæ multitudinis primos assecut⁹, vt quemq; pleniori gradu ad montem festinare intuebatur, admonendo ne cæco impetu veluti paratū iugulū hostibus offerret, (cuiq; enim nō in sua morte, sed in hostiū cæde laborū periculorumq; omniū terminū positū) rogabat vt se in acie locari paterentur, etsi, tanq̄ victurus nollet, saltē in vltionē suę quisq; mortis, acriter pugnare inducerent animū, nō temerè, quod pecudum esset, sed vt viros fortes deceret, atque ex militari disciplina. Pertinere ad futurā famā, ne incruētam de se victoriā hosti permitteret. Hæc cū diceret, simul ordini, qualem casus, & tumultus p̄stare poterat quemq; applicabat, simul benignè retro agebat in proximā tumulis planitiē, ex qua placidi⁹ colles accliues haud difficillimū ad se aditū præbituri videbātur. Quō interim rex quoq; cū cæteris copijs accurrisset, & Turci nihilo segni⁹ ex superiori loco decurrentes, eò iā peruenissent, vt missilib⁹ ex interuallo præliū committerēt. Quorū eò minus vani ictus intercidebant, quò densius regiorū agmen ardentioriq; studio ad excipiendū hostis impetū sursum nitebatur. Multi priusq̄ cominus cōgrederētur, vulnerati. Sed vbi ad manū ventum, & gladijs res agi cœpta est, ante alios Poloni desperatione, atq; ira occæcatis animis, inuadūt hostē, & prosternūt, tā obstinato impetu vt locis aliquot minimè sustineri posset. Cœpitq; aduersa acies, cōturbatis ordinibus, nutare. Sed accurrens ad omnia discrimina Carambus, & plerosq; ex suis gladio, & vulneribus, alios voce, & maledictis increpitās, quod ab lassitudine, inedia, frigoribusq; enectis, p̄ inanē trepidationē vinci se paterētur: certamē redintegrauit ordinesq; restituit, identidemq;, vbi acrius pugnari animaduertebat, circū clamitans, Cæcū scilicet desperatione hostē sponte in vulnera agi: tela tantūmodo intēdenda; ipsum se sua spōte iugulaturū: per oēs militis ducisq; optimi conatus, tā periculosæ sibi pugnæ euentū distrahebat. Quō interea multi vtrinq; aut caderēt subitò, aut tā grauiter vulnerarētur, vt delapsis in terram vires minimè ad cōsurgendū suppeterēt, conculcātibusq; equorū pedibus, quanto lētius tanto miserabilius interirēt. Sed maximè insigni, atq; horribili aspectu patebant vulnera equorū per Polonos cruce signatos inflicta. Erat ferè pedestre agmē lāceasq; gestabat, in eo modo à venatorijs distātes, quod non punctim solū, sed cæsim etiā, ferro p̄lato, & oblōgo, infestē vtroq; modo feriebāt. Itaq; illi inter eqtes excursantes p̄ loca modicis virgultis implicita, nō tantū latera equorum mucronibus aperiebant, sed crura plerunq; tota à corporib⁹ detruncātes, ceruicesq; altissimis vulneribus incidentes magna ex parte ad pedestre p̄liū Turcos redegerāt. Qui eo genere pugnādi tāto facilius superabantur, cedebantq; sensim retro, quanto equestribus assueti insultibus peditū laborē minus ferre cōsueuēre. Cęterū vbi equus, quo Carābus vehebatur, p̄ ventrē lancea trāsuerberatus, dolore sæ-

uiens inter hostes equitem profudit in caput, vulgatūq; est, ducem aut cæsum, aut certè captum esse: multitudo ad mō tem conuersa, quod reliquum præsidij erat, fugæ se cōmisit, insequentibus Christianis, & fugiētium terga passim cædentibus, tāto ardore animorum, vt ad summa vsq; iuga, per omnia aspera, atq; inuia euasuri viderentur. Sed quom plus negocij ab locorum iniquitate, quàm ab hostibus futurum appareret, & iam dies in noctem inclinaret, quo tempore etiam in planis æquisq; locis errabunda obluctātium vestigia periclitantur: rex prohibens vlterius insuperabilibus vim afferri, signum receptui suis dedit. Ex aduersa autem acie, qui cędem effugerant, pauore, ac festinatione amentes, per saxa præcipitia rupesq; abruptas, proiectis armis, & manibus cotes innataque illis virgulta prehensantes, ægrè nitebantur, euadebantq; ad suos, qui munitiones, castraq; verticibus imposita seruabant. Inter pugnandum Carambus, alijque viri multi genere, ac factis insignes capti. Plures tamen cæsi in fuga. Itaq; amisso duce, & roboris penè quantum fuerat in exercitu, quom appareret, Turcos minimè toleraturos impetum, si ad eos infestum agmen ire pergeret: postero die rex sub aditum, quem insederāt hostes, castra posuit. Extulerat suorum animos pugna prospera, nec minus stimulabat cupiditas transcendēdi in loca commoda leuandis malis, quibus miserè affligebantur. Exindeq; aut victorię, aut necessitati nihil imperuium arbitrati, contra ardua quæq; per accliuum obluctabantur. Nec segnius ab hoste desuper petiti, missilibus penè obruebantur. Videns itaq; rex naturæ difficultatem obiectam suis, & quod suo ingenti, hostium verò nullo discrimine ad montis verticem peruenire conabantur, temerè effusum agmen in castra reducturus properabat. Moxq; præter quàm quod satis in ea expeditione actum credebat, animatis suis vincere, & vinci desuetis, hiemi locorūque asperitati cedere instituerat. Cæterùm Huniadianus obstinatus cūcta prius experiri, quàm desistere à prosequenda victoria, quom animaduertisset, obliqua mōtis nuda vepribus, & ad ascensum clementer accliuia: illac euadere in summum iugum posse arbitratus, suos circumegit. Prominebat in abruptū vertex editissimus, & Turcis, ascendentium sub se mōtem aspectum adimebat. Eoq; non facilè solùm, sed etiam tutò miles ingrediebatur. Quod vbi rex percepit, mutata sententia, subsequi Huniadianū cœpit cū reliquis copijs. Peruenerat iam prima militum manus in iugum æquè editum, atq; id quod insederant Turci. Sed in immensum hians saxum progredi vlterius non sinebat. Quò quom Huniadianus quoq; ascendisset, videretque hiatum, propter magnitudinem, neq; tumultuaria materia impleri posse, neque pōte coniungi, quom haud plus stadijs duobus ab hoste distaret: submisit impigram expeditamq; militum manum occupaturam recto itinere aditum in mōtem, si Turcos paululum submoueri cōtingeret: cōfestimq;, obuersis firmatisq; in illos machinis, haud mediocris magnitudinis lapides contorquebat. Quorum præter consternationem, quam insuetus horrendusq; fragor animis incutiebat, vis improuisa minimeq; tolerabilis, propter lapidum magnitudinē multos in principio obtriuit: parūq; abfuit, quin nouæ fœdæq; stragis subito terrore, & clade perculsi, oēs locum desererent: quippe quod vnius lapidis impetu, cōplures sæpè diuerso genere mortis ab summi intuerentur. Nec mali illius euitandi alia, præterquā fugæ ratio succurrebat. Sed Alibecus, post captum Carambum militari cōsensu dux à suis creatus, admonens eam pestē vitatu facilem, si, fragore audito, post eminentes cotes illico procūberent, non modò ab incepta iam fuga eos retinuit, verùm etiā ad resistendum animauit. Quō itaq; semel, atq; iterum emissa in se tormentis saxa fœliciter elusissent: intrepidè inde arcebant deturbabantq; regios, qui aditum occupare conabātur. Quod vbi VVladislaus animaduertit, veluti, securis hostibus, absistentium suorū eminus conatus oēs non hominibus sed locis expugnādis irritos fore iam crederet, desperata cominus congrediēdi facultate, quom rigor hiemis, &, ob quā, transcendendorū mōtium spes maximè pellexerat, commeatuum inopia premeret, vltra quàm sustineri iam posset: retro agendi copias rursus consilia cœpit agitare. At Despotus, cui omnia ęquiora toleratuq; minus dura apparebant, quàm belli eius intermissio, per quod fortunā dignitatemq; pristinam recuperaturū se credebat: ignominiosum fore asseuerabat, si, capto duce, debilitatoq; hostium exercitu, q. victi iam non armis, sed, vt pauidæ feræ, cotibus, ac speluncis se tegerent, terga verterent. Eadem illos cum rerum omnium penuria, tum aëris intemperie, qua & regij laborare, moxq; humanis necessitatibus cessuros, si paululum perseuerarentur. Non committendum, vt fluentia

luxu Asiana corpora, tolerandis difficultatibus superasse viderentur Germanorum, Hungarorumq; iam tum ab infantia, cœli, terræq; rigoribus duratos artus. Daturum se pecuniæ, quantum foret opus, frumentis coëmendis, quorum copia circum omnia loca abundarent. Iulianus quoq; haud fermè his dissimilia iactando, ab instituto regem auertere conabatur: sed fame, ac frigore extabescentibus hominibus, iumētisq;, quō paterentur vulgò grauiora vtiq;, quàm quæ ancipitis spei consolatione leniri possent: peruicit in desperatis animis necessitas (vt fit) honesti rationem, &, conuerso agmine, in planitiem descendere. Mox collectis impedimentis, præmissisque, retro qua venerant subsequebantur. Turci verò vbi vinci se posse, hostē desperasse percepēre, læti secum, & inflati noua spe, iuga montium deseruēre, subsequendoq; abeuntes crebris à tergo impressionibus vexabant. Et licet non magnas, frequentes tamen clades inferebant. Sed plerumq; accipiebant. Conuersis enim in eos expeditissimis quibusque manumq; conserentibus, multi ex illis cædebantur. Et si regiorum quoq; impetus plerumq; frustrabatur, refugiētibus statim Turcis, qui mox conglobati rursus infesti aderāt. Quandoquidem multa præda impedimentisq; grauis exercitus, minimè properare poterat. Silua est densa non tam frequenti, & procera arbore, quàm ramosa, & ad radicem fruticante, prætereа implicita vndique sinuosis quibusdam, & stagnanti cœno voraginosis anfractibus: quales obsoleti fluuiorum meatus, vbi aut humana arte, aut vi naturæ cursum aqua immutauit: eamq; ob rem ferè tota imperuia, &, sicubi transitum præbet, angusta est admodum via, & frequentibus commissa ponticulis. Ad eam ventum quom esset: præmissa cum sarcinis leui armatura, in postremo agmine, quod veluti murus, antecedentium terga protegerent, hastatos equites collocarunt, progrediebanturq; ad iter. At Turci, quotidiana insultandi cōsuetudine superuenientes, quō magna pars equitatus in siluā progressa foret, impetum faciunt in vltimos, quorum clamor præcedentes subitò ad se conuertit. Et vt quemq; succurrendi suis studium, & festinatio inconsulta rapiebat, ita extra viam egit in loca cœnosa, & palustria. Ex quibus diu luctati in pedesq; recepti, ægerrimè, quom se, atque equos expedirent, propterea quod vliginosa terra, hominum iumētorumque vestigia altissimè in se recipiens difficilius remittebat: datum est Turcis spatium capiendi ex postremis equites circiter octuaginta. Sed cœno tandem regij, atque vligine expliciti, refugientesque assecuti, suos liberauēre, nec minus sexaginta supra centum ex hostibus captos iugulauēre illico, reliquis fusis fugatisque. Multoque difficilior eis cum natura loci luctatio fuerat, quàm fuit postea pugna in patentibus campis, cum hoste commissa. Cæterùm quom & fames quotidiè grauius vrgeret, & tam frequens Turcorum insultus, ad cętera mala, per lassitudinem tandem penè ad internecionem exercitum mulctaturus appareret: placuit comportari simul, succendiq; quicquid erat inter sarcinas, quod exercitui magis tunc oneri esset, quàm vsui postea futurum, tùm iumenta debilia, aut superuacua interfici, & arma, quæ aut ex defunctis militibus, aut ex præda supererant, terræ infodi. Quibus diligenter peractis, exercitus subindè, velut ex purgatione redundantium rerum, nouum quendam vigorem cùm accepisset; maioribus itineribus, quàm vt otiosè insultando insequi Turcus posset, ad Belgradum se recepit. Ibique, diebus aliquot militi ad quietem datis, rex, vnde mouerat, Budam contendit. Vbi postquam cognitum est, eum ciuitati appropinquare, præcedentibus in sacro ornatu, & solemni cærimonia sacerdotibus, ingenti numero, populus omnis generis promiscuè effusus cum gratulatione reducem salutauit excepitque. Ingrediebatur ipse pedes ex voto, templum prius, quàm regiam aditurus. Præibant verò captiui insignes, cum Carambo: tum militaria signa hostibus adempta, cum parte prædæ, quæ supererat, præferebantur, subsequentibus militibus, ante omnes, Polonis cruce signatis, laudesque, & nomen regis militari alacritate in cœlum ferentibus. Ipsum vnum esse, qui regias artes, virtutesque non nosset solùm, verùm etiam impleret: Cęteros per ignauiam, & socordiam ætatem agere in domestico luxu, prodita, ac deserta re Christiana. Quæ tum primùm caput attollere incipiens, breui ad pristinum decus amplitudinemq; esset peruentura. Sed & iuxta regium decus, Huniadiani nomen celebre apud multitudinem audiebatur. Cuius maximè ingenio, ac virtute in rebus bellicis victoriam adeptam credebant. Cæterùm multo insignius futurum fuit spectaculum, si necessitas expediendi exercitum, magnam pompæ partem non ademisset, rebus multis vltrò concrematis

tis in itinere, alijs sub terram relictis. Postquam verò laudes gratesq;, ob rem bene gestam, Deo actę, signa tholis suffixa, & repetitis egregiè factis, dictisq; cuiusq; ex ducibus, pro meritis singuli præmio affecti: mox, vt eorum virtus ad posteros quoque testatior redderetur, insignia cuiusque cum titulis, in conspectiore parte templi, ditissima, diligentique pictura effigiata.

PHILIPPI CALLIMACHI DE REBVS GESTIS A VVLADISLAO POLONORVM ATQVE HVNGARORVM REGE

LIBER TERTIVS.



VLGATVS reditus, ac victoria VVladislai omnium ferè Christianorum Principum legatos se exciuit: sed inprimis frequentes cõuenêre ab vniuersa Italia, quam ea tantummodo fiducia tenebat, minimè se vexatum iri à Turcis, si eos Poloni, & Hungari aut subijcerent sibi, aut certè non absistendo à bello iugiter oppugnarent. Vno omnes ore, ac consensu, affuisse Deum affuturumque asseuerabant pio, & iusto bello, &, quæ ad id locorum gesta erant efferentes, ad reliqua exequenda exhortabantur, sed ante alios, Pontifex maximus Eugenius, Venetiq;, & Genuenses cum Philippo Burgundionum duce. Hi ad laudes partæ victoriæ, adhortationesq, nouæ expeditionis instaurandæ, adijciebant etiam pollicitationes subsidiorum, seq; ingentem classem in Hellespontum missuros spondebant, per quam Turci ex Asia transmittere, seque cum Europæis coniungere prohiberentur. Qua ratione facillimum foret in Europa debellare: in qua pauci admodum superessent hostes, & hi trepidi, ac perculsi, & non nisi vinci assueti. Modò paulūlum rex anniti vellet, exterminari omnino tota Europa impiam execrandamq; Musurmanorum superstitionem posse, re Christiana in perpetuum aucta, & stabilita. Ioannem etiam Palæologum Græcorum imperatorem, cuius fortunam maiestatemq;ue Turci non modò labefecerant, sed penè etiã euerterant, successus VVladislai extulerant in spem rei dignitatisque suæ in integrum restituendæ. Missique sunt etiam ab ipso oratores, qui præfati ea, quæ facere visa sunt ad tanti euẽtus gratulationem, diuina humanis cõmiscendo, religiosa asseueratione nunciauerunt, visum esse à plerisq; Constantinopoli, ante portam, quæ in Macedoniam fert, equestrem iuuenem candida veste ornatum, per speciem letitiæ, hac illac excursare, eadem hora, vt postea compertum fuerat, qua res à Christianis contra Carambum prosperè gerebatur, moxq; euanuisse. Id visum omnium animos primò sollicitos habuisse, subinde, cognita regis victoria, illius nuntiũ vulgò existimatum. Cęterùm prudentiores, & quos aut vitæ sanctimonia, aut profundæ alicuius disciplinæ cognitio peritos futurorum reddidisset, non tam credere VVladislai successum diuinitus Græcis nuntiatum, quàm eos admonitos temporis, & occasionis suæ: Turcorum in Europa rem penè profligatam, in Asia etiam fluctuare, molientibus res nouas circum adiacentibus Tetrarchis. Ideoque non cunctandum vlterius, sed trepidos suaq; imbecillitate, ac vi aliena laborantes subitò opprimendos. Qua persuasione eorum Imperator excitus, cum suis quidem armatus ex parte altera esset affuturus, si modò regi cordi esset primo quoque tempore eam victoriam prosequi, quam, Deo duce, atque auctore, vel exinde adeptum esse constabat, quod diuinis etiam nuntijs fuisset peruulgata. Accedebat ad hæc supplex Despoti ambitus, & quotidianæ preces obtestationesq; cum lacrymis, tum instans Iuliani adhortatio vocesque assiduæ multoque iam efficatiores apud animos, primæ expeditionis successu elatos. Quibus ne magno animo rex subitò assentiretur, res Polona continuit. Venerat enim eodem quoque tempore legatio à Polonis gratulatum & ipsa quidẽ regiæ fœlicitati. Cæterùm tentari iterũ fortunam non prius oportere admonebat, quàm cum proceribus Polonis, vel in finibus regni consilio inito, prius rex expediret, qua ratione rebus domi consti-

sti-

stitutis,ac firmatis,externum bellum regni sui securus prosequeretur. Non videri rationi consentaneum, sollicitum esse quenquam de rebus alienis, antequam sua in tuto collocasset. Recensebat deinde,in qua deformitate Polonia esset,quid licentiæ vbique insolesceret, quis in priuatis cupiditatibus ardor,quę in publicis opportunitatibus negligentia.Ex his nactos occasionem Tartaros, magnam Russiæ,ac Podoliæ partem depopulatos.Sed & præterquam quod priuatæ procerum simultates ad vulnera, & cædes iam peruenerant; à finitimis per latrocinia tanquam iusto bello etiam prædas abigi, in primisq; à Boleslao duce Opoliæ. Ad ea vulgari, Casimirũ ex Lituania bellum Masouiæ propediem illaturum.Quibus malis succubiturum omninò regnum, nisi subitò succurreretur,affirmabant. Quæ regis animum eò mouebant magis, quò verius dici nuntiariq; sciebat. Tamen ne regni vnius priuata necessitas, publicæ omnium Christianorum rei apud mentem suam pręponderare appareret:prius collaudato singulorum, quorum legationes aderant in se officio, ac beniuolentia,nec minus pietate in religionem, ac Deum immortalem, cæteros omnes oratores sic ab se dimisit, vt qui sperare possent facturum ipsum postulata. Polonis verò dixit conuocaturum se illico Budam Hungarorum optimates, daturumq; enixè operam,constitutis omnibus, quæ ad pacem bellumq; eius anni attinere viderentur, vt mox ea, quæ ipsi petierant exequeretur. Constituta subinde Hungaris conueniendi die, vt si communi iterum consensu educenda conferetur in Turcos expeditio, stabilior quies domi relinqui posset,data fide, absoluto conuentu, ad sua quemq; inuiolatum remissum iri, Iscram etiam, magistratusq; ciuitatum,quæ ab illo dependebant, placuit per literas accersiri, licet,aduersante Iuliano, qui præsentibus Boëmis,nihil,quod quidem ad religionem pertineret,ritè transigi posse arbitrabatur. Sed confirmauerat regem in sententia Franco Banus, dicens, non esse eius temporis, quærere, quid sentirent,vellentve Boëmi de cærimonijs institutisq; Christianæ professionis,deque Romani pontificis,aut ritibus, aut præceptionibus in sacris tradendis suscipiendisq;.Aliam esse eorum causam, quibus satis esset verbotenus de religione disceptare:aliam verò eorum, quorum cum religione simul vita,& libertas periclitaretur, & manu non lingua tueri se cogerentur.Si quid in Boëmorũ mentibus foret aut à sacra Christi historia, aut ab eiusdem mysterijs alienum, non defuturos postea emendandi occasiones,& tempora illis,quorum interesset. Interea nihil satius in adeo ingenti non eius tãtum regni,sed totius quoq; Christiani nominis opportunitate,quàm vti opera quorũcunq;,& in primis Boëmorum,qui & ad manum essent,& in priori expeditione(quo ad tuendam religionem pertineret) non solùm pij, sed etiã constantes cogniti essent.Nec totidẽ Polonos cruce signatos ex reliquis omnibus Christianis nationibus accurrisse, quot ex vnica,& haud sanè numerosa ipsorum gente.Ad extremum adhiberẽtur, nec ne ad eiusmodi consultationẽ, magis quàm alterius cuiusquam, interesse eorũ,qui illos erant vocaturi.Quandoquidem eo blandimento illecti, maiorumq; gerendorum gloria incitati, si nihil aliud,saltem domesticam securitatem pręstare possent;spreti,pręterquam quod certi hostes, etiã irati in regni gremio essent remansuri. Igitur postquam omnes conuenerant,dies aliquot extracti extinguendo intestino bello. Verùm vbi nulla iniri ratio potuit eius ex toto abolendi,consensum est in biennales indutias. Quibus durantibus, captiuos vtrinq; dimitti placuit,ea condirione,vt, indutijs exactis,reuerterentur in vincula,& custodiam, si de pace interim non conueniret. Lætis subindè omnibus, quod,datis acceptisq; indutijs, domi nihil, quod inter suos magnoperè timeri posset,relictum videbatur:proposita est belli externi cõsultatio, & plerisq; alijs, sed Despoto,& Iuliano in primis instantibus,publiceq;, ac priuatim asserẽtibus pręparari,affuturaq; in tempore auxilia à Pontifice maximo, cæterisq; principibus Christianis,facilè,recenti adhuc victoria elatis,fidentibusq; animis,persuasum,vt redintegrandam expeditionem censerent. Apparebat enim, accedentibus terra mariq; tot potentissimorum principum nationumq; auxilijs, facillimè deleri posse eum hostem, quem paulò antè,præter haud sanè multos Polonos cruce signatos, nemine omnino opitulante, suis tantummodo armis, ac viribus fudissent,fugassentq; . In eum itaque sumptum, decretum est extra ordinarium tributum,subitò ab indigenis exigendum, quæstoresq; ad id designati : bellici autem apparatus tota cura Huniadiano delegata. Sed & nuntij decreti, qui ea, quæ apud Hungaros, & VVladislaum constituta erant, ad quos

maximè oportebat, principes, nationesque perferrēt. Venerat Budam ad eum conuentum Pancratius Sāctonicolaus, partium quidē VVladislai assertor, sed qui oēm regionem, quæ à præterfluente Vago abluitur, latrocinio infestam tenebat. In quem quia domesticam quietem turbare videbatur, publicum plus odium valuit, quàm liberi conuētus reuerentia. Captus enim est à multitudine tumultuosius id efflagitante, pręcipiteq; impetu in vincula coniectus, & subitarium de ijs, qui sceleris participes erant, sumptum est supplicium. Nec temperatū foret ab Iscra, in tam prępropero ardore animorum contra publicę fidei sanctitatem: nisi VVladislaus, vbi multitudinem vehementius concitatam vidit, quàm vt monendo hortandoq;, verecundia æqui boniq; cohibere posset, nonnullos Polonos cōfestim submisisset, qui, per posticum eductum, mutatis vestimentis, Iaurinum perduxêre. Quo facto rex ab Iscra postea nunquam nominatus est, sine reuerentia, & præfatione honoris, cùm vindicem suum, seruatoremq; appellaret. Rebus igitur sic administratis in Hūgaria, VVladislaus ad fluctuātem paterni regni statum, & molitionem Casimiri in Masouios, animū conuerterat, volebatq;, dum tributa exigerentur, dum gerendo bello vsui futura pararentur, transcendere in Poloniam, factiones intestinas illic quoq; sedaturus, consultaturusq;, quo pacto licentia latrocinantium ex Slesia, & Lituanicus motus supprimeretur. Sed & magnoperè gestiebat, secum, post tot tātasque res fœliciter gestas, sese matri, ac suis ostentare. Cæterùm, præter id quod apparebat, Polonos omnia facturos, vt non dimitterent ab se regem, nisi quæ ad pacem suam facere crederent rectè prius constitutis: Hungari etiam veriti, ne aut iuuenilis animus, dulcedine quietis in paterno regno remolliretur, aut à matre cæterisq; necessarijs auerteretur à periculis in bello Turcico subeundis: Despotum, & Iulianum tanq̄ duas machinas ad eam cogitationem expugnandam, regemq; in Hungaria retinēdum admouêre. Illi satis superq;, ad id per se prompti, nec minus ab alijs stimulati, hortando, rogandoq; peruicerunt, vt Polonis rex in præsens per legatos excusaret necessitatem, ac magnitudinem suscepti negotij: à quo sine insigni nota ignominiæ, proditis illis, quos ad belli societatem exciuerat, sine summo etiam periculo abesse non posset: cùm quidem Turcus cognitis quæ à Christianis parabantur ingentem congregasset exercitum, impetiturus vltrò Hungariā, nisi sua defendendi necessitas ei prius obijceretur. Quibus adiectum est etiam negotium impetrandi, propter nouam expeditionem, auxilia, nec à Polonis solùm, verùm etiam à Prutenis, à quibus præterquam quod, ex professione sua, deberentur, apparebat etiam eò iustius peti, quò à priore bello otiosius abstinuissent. Cæterùm vti ea postulatio irrita apud Prutenos fuit, ita dilatus regis aduentus magno malo Polonis stetit. Quom enim vniuersorum animi erecti in expeditionem illius, quieta secū, & ciuilia agitare cœpissent: vbi intellectum est regem minimè affuturum, illico veluti certam impunitatem, & licentiam nacti, sese ad consuetas artes conuertêre. Et præter id quod mutuis simultatibus, multa inter se fœda committebant, facilè etiam exterorum tollerabant. Sed & finitimi, eādem ob causam, impunè latrocinabantur: captique sunt, & rebus suis exuti ab illis, multi negotiatores homines honestissimi. Prædæ etiam ex agris propemodum licentius, quàm si bellum indictum esset, abactæ. Sed ante omnes insignis fuit rapina ducis Opoliensis, interceptis per insidias quàm plurimis negotiatoribus Cracouiensibus, dum Vratislauiam ad nundinas proficiscerentur: quam iniuriam, cùm publico sumptu, ac viribus vindicanda censeretur, placuit tamen prius ad regem perferri. Ille, ne quid, se absente, vi tentaretur edixit, sed vt iure res repeterentur, seq;, opportunè, si minus restituerentur, affuturum spopondit. Dum ea cum Polonis agerentur, satisq; ad bellum prouisa, & constituta essent omnia in Hūgaria: visū est denuò significare Constantinopolitano imperatori, vt se cum suis prępararet moturus ex parte altera, vbi VVladislaus ad Thraciæ Macedoniæq; fines cum exercitu peruenisset. Nec minus admonere etiam fidei, ac temporis pontificem maximum desistebat, cæterosq;, qui paulò antè obsidendi Hellesponti vltrò negotium curamq; susceperant. Itaq; illi nihil dissimulantes, congregata, instructaque ad Caietam septuaginta triremium classe, iusserunt illico Franciscum Albertum cardinalem Florentinum nauigare in Hellespontum, obsessisq; illic litoribus opportunis, obsistere, ne quid subsidiorū à Turco ex Asia posset accersiri. Ad quam rem summo studio maturandā, præter VVladislao datam fidem, & religionis curam, q̄ principes intētos facie-

faciebat: fama, qua vulgabatur, Caramaniæ regem cum validissimo exercitu in Pontum & Bithyniam, Turcos oppugnatum venire, etiam promptiores fecit. Quom viderentur omnia, veluti quodam diuino nutu, ad id præparari, vt superstitio impia, & fœda pessundaretur: perculerat & Turci animum moles instantis à Caramano belli, cui sustinendo imparem se fore sciebat, nisi integer illuc se conuerteret; & videbat, dispertitis viribus eodem tempore Polonis, atq; Hũgaris terra, Italis verò etiam mari esse occurrendum: quom nihil ignoraret eorum, quæ contra se summo consensu, summoq; conatu ab vtraq; gente parabantur. Et proximo etiam bello, cũ magna suorum clade, VVladislai vires, ac fœlicitatem expertus, eò timebat magis, quò intelligebat certiora, & validiora subsidia illi affutura. Igitur, ne copias suas distrahere in diuersum, & propemodum, sine spe resistendi, separatim eas summis discriminibus obijcere cogeretur: ratus cæterorum animos facilè posse ad pacem inclinare, si Despoto prius persuaderetur, nuntios ad eum clam submisit, qui veluti de Carambi redemptione agentes, per occasionem proponerent illi, cum libertate filiorũ, pristinæ fortunæ decus, atq; amplitudinem, si æquabilis concordiæ cum rege ineundi auctor ipse fieri vellet. Ille se dolo, atq; astu à perfido hoste tẽtari primùm ratus, oratorum verba diffidenter audiebat. Cæterùm vbi instando agendoq; vt crederetur extorsêre, cœpitque illius animus ab incerta spe victoriæ ad præsentem certamq; principatus sui possessionem conuerti, quom non ignoraret, filios interim fœdo in carcere cathenis vinctos, & iampridem crudeliter oculis mulctatos, ludibrijs quibusq; esse expositos, & vltra quàm paternus animus pati posset, diutius indignis, atq; acerbis modis iactatos per opprobrium, & calamitatem in sorde, ac squalore vexari, eaq; res non minus, q̃ euersa status sui fortuna sollicitum haberet: rem, prout offerebatur, ad Huniadianum pertulit. Qui, & si pristinæ fœlicitati viribusq; fidebat, ad eaq; auxiliares etiam copias terra mariq; accessuras sciebat; tamen cùm intestinum bellum in Hungaria non extinctum, sed dilatum, Fridericumq; in propinquo diuitijs, & auctoritate præpotentem hostem videret: reputans quàm varij, inopinatique casus in bello dominentur, ne, si quid aduersi mala fortuna obiecisset, VVladislaũ subinde facili negotio regno eijci cõtingeret: illatã à Turco pacis mentionẽ haud quaq̃ aspernandã censuit, præsertimq; etiam, quod Despotus, per concordiã, penè plura assequenda proponebat, q̃ posset bellũ etiam fœlicissimũ repromittere. Sed ante omnia, quibus tandẽ conditionibus, re vera, pacẽ firmare vellet, à Turco exquirẽdum putauit. Quomq; nuntiata sibi per Despotũ tam de redimẽdo Carambo, q̃ de restituendis ijs, quæ bello repetebantur, vera esse comperisset: transegit ante omnia de pretio captiui: ꝓ quo quinquaginta aureorum millibus acceptis, nihil interim prætermittendo ex his, quæ ad acerrimi belli motum præparanda fuerãt, monet regẽ, vt quàm maximè fieri posset numeroso instructoq; exercitu, Idibus Iunijs, ad Segedinũ moueret. Ibi legatos Turci petentes pacẽ affuturos. Offerri quidẽ vltrò cõditiones haud incõmodas tempori, & rebus regni: cæterũ vim paratã in cõspectu multo meliores extorturam. Sollicitus adhuc secum VVladislaus de statu Poloniæ periclitãte, mentionẽ pacis lætus audiuit, haud ignarus, facilè fore, vt ijs viribus, quas ad externũ bellum cõparauerat, domi vtriusq; regni sui res in perpetuũ stabiliret, sublatis omninò, aut eiectis iniuriarũ seditionumq; principibus. Sed & cæteri omnes, post tot annorum nõ intermissum bellũ, cessationẽ quietemq; aliquã à Turcis desiderabãt. Venit itaq; rex cũ suis, præstituta die, in Segedinum, quo Despotus Huniadianusq; antecesserant cum Turcis oratoribus. Quorum princeps Grecæ nationis homo, sed Musurmanorũ sectam professus, vbi in cõspectum regis venêre, ita verba fecit. Si, cõmisso inter nos belli discrimine, rex inclite, nũc demum ad petendã pacem veniretur: videri forsan posset Amoratus imperator noster, viribus suis diffidere: sed quom multò ante, quieta consilia proposuerit tibi, quàm manum cõserendi aliquando tecum cogitatio quępiam subijsset, inq; meliori fortuna sua iam tum egerit apud te de amicitia ineunda: non debes existimare, noua potius aliqua necessitate nũc permotum, quàm consilio eodem, quod à principio sibi persuasit, te fœderis, ac pacis mentione prouocandum. Neque enim semestri victoria tua credere oportet, fractos abiectosq; esse animos nostros, continua fœlicitate iam tot annos, supra omne fortunæ discrimen, elatos. Quos etiam si nihil aliud erigeret firmaretque, vtique vidisse, nos toties à vobis effusissimè fugatos, victosq;, repa-

rare subitò copias, victoribusq; vltrò insultare, satis efficax exemplum foret, ne, mediocri clade accepta, & quæ tota ducum nostrorum temeritati queat imputari, de fortuna viribusq; nostris subitò desperaremus. Atq; ideo non tanquam aut necessitati, aut desperationi cedentes nos audiendos putes, sed vt qui minimè contrà alienam fœlicitatem tendentes, modum terminumque nostræ constituimus. Quomq; gloriam partæ nuper abs te victoriæ, præsentisq; apparatus magnitudinem oculis, atq; animo metiris, quantum vtriq; credere oporteat, tibi documento nos simus, toties prius victores, eisdemq;, quibus tu modò humanæ fœlicitatis blandimentis inflati. Nullius magis interest, casibus se subtrahere, quàm cuius fœlicia initia nondum sortem alteram sunt experta. Paulo antè, vix pubescente ætate, quom paterno regno administrando minimè satis par credi posses, accitus es ad alterum pariter regendum, præterquam quod, magnitudine sua, fortiori ætati intolerabile, externis bellis, ciuilibusq; factionibus etiam implicitum. Magno animo susceptæ à te cōditioni adeo successus affuit, vt, bello domi statim penè extincto, arma in nos conuerteris, &, quorum nomen prius vix sustinebatur, facilè posse vinci docueris. Quo benignius ausus tuos fortuna confirmauit, eo, ne destituat, præcauendum est magis. Præsertim, quod non qui plurima, sed qui quàm gratissima, & firmissima quæque possidet, iure fœlix appellatur. Porrò quid tibi gratius esse potest, aut debet quàm paternum regnum? Quid firmius, quàm adiecta illi, cum pace nostra, Hungaria? Sed blandiaris cœptis tuis, & quantumuis de successu stabilitateq; fortunæ tibi pollicearis: nempè vt Despotum in sedem suam restitueres, celeberrima duo tua regna in discrimen seruitutis adduxeris, haud sanè æqua laborum periculorumque mercede illectus. Quod si id quod tanta belli mole quæritur, minimè tanti est, vt tā magno discrimine peti debeat, quantum sentimus, non minus tua, quàm nostra interest, videre, ne de alienis sollicitè nostra labefactemus. Concordiæ, ac pacis, multæ vtrinq; dici, accipique honestæ conditiones possunt: belli vnicus futurus exitus, euersio scilicet patriæ, diuinarumque, & humanarum rerum omnium, apud eos qui victi fuerint. Si præteritorum meminisse placet, habemus & nos quid arma nobis, & vires polliceantur. Cæterùm cedere casibus, quàm obluctari humanæ imbecillitati magis conuenire censemus: tuum est, reputare cum tuis, malitis ne capere exemplum instabilitatis fortunæ, ex rebus nostris, an in vestris eam experiri. Inclinati in eam sententiam iamdudum animi facilè permoti sunt, vt de pace ageretur. Disceptatio maior fuit in conditionibus approbandis, agente Turco de reseruanda sibi Bulgaria, fodinisq; argenti, cum plerisq; oppidis in Seruia: V Vladislao legitimis dominis singula restitui volente. Tandem in id conuentum, vt Bulgaria tantummodo in ditione Turci remaneret: cætera omnia quomodocunque occupata ab eo, ijs restituerentur quorum iuris fuerant ante bellum: captiui, qui supererant, vtrinq; soluerentur, inprimisq; Despoti filij. Dies deinde constituta, in qua oppida ciuitatesque, prout pactum erat, traderentur, paxq; in decennium conclusa, non aduersante etiam Iuliano, non tam, quod non ex animo rem improbaret, quàm quia aut non succurrebat quid spei proponeret tot tantisque vtilitatibus compensandis, si in præsens negligerentur, aut, quia in tam constanti consensu omnium, clausas mentes admittendæ rationi intuebatur, expectabatque admonendi tempus opportunius: sed miserè interim animo cruciabatur, reputans, suis maximè factum adhortationibus, vt Veneti, Burgundusq;, & pontifex maximus classem ad Hellespontum mitterent: seq; exinde aut vanitatis, aut perfidiæ ab illis arguendum videbat, si pax, vt conuenerat, seruaretur. Cęterùm quàm grata ea pax Hungaris fuerit, memoria veterum cladium, sanguinisq; effusi recuperandis illis, quæ vltrò tunc restituebātur, vel exinde licebit æstimare, quod eius, vt videbatur auctori Huniadiano, virtutis & honoris ergo data sunt oppida, & loca omnia, quæ alendo in Hungaria Despoto fuerant prius assignata. Et quom Turci peterēt, vt in confirmandis pacis conditionibus, prolata in mediū sacra eucharistia rex iuraret: haud quaq̄ fortiter contra tendebant, ne si id iurandi genus deprecarentur, suspicari posset parum sincero animo trāsactum de concordia: cuius adeo vehementi studio tenebantur, vt vitarent etiam suspitiones singulas, quibus perturbari posse apparebat. Sed Gregorius Sanoceus, vbi regis quoque animum à tam improbo facto haud omnino abhorrentem vidit; religioso veluti furore percitus, Deus, inquit, Deus tam execrabile scelus auertat, vt qui paulò antè contra

tra impios pugnantes,omnia tristia,difficiliaque perpessi sumus,dum vinceremus:nunc rursus pro religione armati, & propemodum victoriam manu tenẽtes,sacrosanctum diuini mysterij arcanum sub profanorum oculis spõte proferamus.Quid prima,quid hac secunda expeditione à nobis petitum?quid adeo ingentem belli molem ex tam diuersis inter se regionibus Italia, Burgundia, Thracia euocare, quid denuò arma induere, quid hucusque progredi oportuit, si sacra nostra prodenda erãt? minori nostro facinore per ignauiam domi inermes sedendo,pati potuimus illa profanari,quàm nũc simus armati prodituri. Pudeat nos gratulationum quibus nuper victores accepti ; pudeat laudum, quibus, vt Christianæ rei seruatores propè in cœlum modò elati sumus; pudeat denique obnoxios adeo nefarijs cogitationibus, nos dignos haberi, aut in quibus totius Europæ reges, & principes spes suas collocauerint,aut ꝑ quibus innumerabiles populi, & nationes, omnibus in templis ad Deum supplices manus tendant, pro victoria nostra vota nuncupando. Quanto sanctius prisci Romani,qui,capta à Gallis vrbe, ne sacra sua conspici possent, terræ infodere?Nos victores,nostra vltrò impijs prodere cogitamus,committemusque, vt religiosius ab illis inanes quædam diuinorum persuasiones seruatæ dicantur, quàm à nobis sacrosanctum immortalitatis nostræ pignus, ac mysterium; & publicè nos eo facinore contaminabimus, quod si vnus quispiam sacrilega audacia perpetraret, seuerissimè vindicaremus. Omitto quantum piaculi apud Deum contrahemus, qui non modò ab ipsius causa defecerimus, sed ipsum etiam testem, ac pignus defectionis nostræ impijs exhibuerimꝰ:quid de nobis hostes sentire poterunt, videntes nos tanti pacem æstimasse,vt nõ minus sacrilegè iurauerimus, quàm ipsi impudenter postulauerint?Sed, vt hæc, pacis vtilitas leuiora videri faciat ; omnia, quæ aut in nostra, aut aliorum secta,religiosa altius elata sunt,quàm quę humanis sensibus attingi queant, cærimoniarum velamento, sanctoq; arcano mortaliũ animis infunduntur. Quæ si nuda in medium protrahantur, quia nullo humanæ rationis argumento subsistunt; & temerè asseuerari, & impudenter peti,vt credantur,apparet.Audiuere dudum hostes, Deum à nobis præsentem coli, asseruarique in sacrariorũ penetralibus : & quia ignorant, quo id pacto contingat, quom de eo cogitant, nihil simile his,quæ terrena,& momentanea cognoscunt, sed quicquid extra mortalitatis sortem positum putant, mentibus eorum occurrit, & id, quod quale sit nesciunt,tantæ nostræ de eo asseuerationi par figurant. Nos hanc ipsorum persuasionem , patefactis arcanis nostris,corrumpemus, elatasque ad diuina, & cœlestia de sacris nostris mentes,ad caduca, & terrena reuocabimus, specie panis in cõspectum exhibita, qua verum corpus Christi contineri, vt nos quidem scienter credamus, efficit diuina institutio, gratiaq; in qua nati sumꝰ. Quibus illi orbati quom res per se fidẽ non faciat,restat vt nos irrideant, veluti minimè possibilia credamus. Nolite per Deum committere,vt aboleatur sacer ille horror,quo ipsorum animi perstringuntur in bello,quom secum reputant,inituros se pręlium contra nos,quibus adeo propitius sit Deus,vt propemodum videndus nobis coram pariter inter nos versetur.Quantum de nostra deque religionis nostræ maiestate hoc facto minuetur,tantum crescet apud illos audaciæ, credituros subinde, vt ipsis quidem videbatur, ex specie, quam intuebuntur, nos non modò in veri Dei tuitione non esse,sed nec in alterius cuiuspiam. Multis modis stabilitati conuentorum caueri potest (quamuis ad fidei pignus, regium verbum satis esse deberet)aliæque inter priuatos cautiones, aliæ inter principes exhibentur.Ad extremum ; relicturum se profanata castra asserebat, si eo modo rex iurare pergeret. Itaq; quom videretur tam verè,quã è religionis æquè ipsorum, quos alloquebatur vsu, & maiestate dixisse: constitutum est , in confirmanda pace vt quisque proferret in medium sacram historiam suam,quod Euangelium nostri;Alcoranum illi vocant: quibus vbi suæ quisq; dextram admouit, religiosè iuratum est,conuenta seruata iri & sancta,atq, inuiolata permansura.Hoc maximè modo, datis, acceptisq; pacis conditionibus,quõ Turci digressi essent promissa impleturi:venit à Francisco cardinali nuntius cum literis, in quibus continebatur, Turcum aduersus Caramanum cum ingẽti copiarum numero traiecisse in Asiã,inermiaq;, & vacua, quæ possideret omnia cis Hellespontum reliquisse. Ab se verò cum classe,litoribus vbique occupatis, iam tum ademptam hosti facultatem reportandi exercitum in Europam . Non prætermittendã in tantam occasionem , propè sine armis,

aut certamine aliquo exterminandi, propellendique ad origines suas diram gentem, execrandamque superstitionem. Meminisset rex fidei sponsionisq; principibus Christianis factæ, &, quàm maximè fieri posset, properaret suos in promissam expeditionē educere, quando fœderati quoque principes, quod suum erat, auxilia præmisissent. Ad ea, similibus penè asseuerationibus ab Græco quoq; per literas significata, addebatur etiā, elatū se spe belli maiori conatu à rege, vt pollicit⁹ erat, renouādi, quom tentaretur à Turco de fœdere, non solū repudiasse cōditionē, verùm etiā hostilia cōtra vltrò intulisse, & in armis esse cum suis, vt regi sub ipsum motium descensum, vel occurreret, vel alibi expectaret, si id magis ex vsu fore videretur. Instandum, agendumque, dum distractus ille multiplici bello tam diuersis in locis mari terraque suis adesse non posset, dum nuper cæsus, fusus, fugatusque nondum satis animum viresq; collegisset, & proximis cladibus afflictus, nedum impetum, sed nec nomen quidem regium laturus videretur. Omnia per dolum fraudemq; ab oratore Turco in fœdere trānsacta. Non committēdum, vt gloriosa initia, vecordi negligentia fœdarentur, sed rapiendam opportunitatem delendæ ignominiæ, religioni nostræ inustæ. Non vno, atq; altero oppido, sed multis regionibus Christiani nominis partim direptis, partim ab execranda gente sub ditionem suam missis, Turcū adeo festinato itinere per Hellespontum copias traiecisse: vt verius dici posset, fugisse bellum, quod à tergo affore sciebat, quā profectum ad propulsandum id, quod ex Asia nuntiabatur. Ad extremū rogabat, ne, veluti sub cultro, & prædæ relinqueretur crudelissimo hosti, qui proculdubio exercitum reportaturus esset in Europam, vbi aduentus VVladislai metum deposuisset. Non aliundè magis id discrimen, sibi imminere, quàm è regijs pollicitationibus & fide data, cui credidisset. Recitatis vtriusq; literis in regis, ac procerū conspectu, quidam subito quasi lāguor omnium animos occupauit, memoria eorū, quæ de se sperare principes Christianos iussissent. Cœpitque regis, aliorumque velut oculis obuersari species gratulationum, quibus tot regum populorumq;, veluti publico consensu, paulò ante, tanquā Christiani nominis seruatores excepti fuissent, & pudebat, pigebatq;, ob præsentem vtilitatem, perpetuum decus, veluti cōtempsisse: securamq; exinde ignominiam intuebantur, & vt meminerant, obligatam ab se fidem Græcis, Latinisq;, sic ab vtrisque implorata auxilia præsto esse audiebāt. Quæ, nisi per summum scelus, in discrimine relinquere, quo ipsi pellexissent, non poterant. Quibus adeo contrario affectu omnium ferè mentes distrahebātur, vt qui paulò ante pacem vltrò elegissent, bellum malle appareret. Et videbatur etiam quædam quasi opportunitas, & causa concordiæ repudiandæ, quādoquidem Turcus ad constitutam diem neque captiuos omnes soluerat, nec dum oppidis ciuitatibusq;, quibus oportuit ex fœdere cesserat. Itaq; Iulianus apud tam suspensos animos, desideriumq; inter, & pœnitentiam initæ concordiæ fluctuantes, occasionem agēdæ rei adesse ratus, quom multis, magnisq; actionibus antea expertus esset, Sanocēsem persuadendi vi, & facultate velut habere hominum mentes in potestate, conatus est sibi illum adiungere in negotio pacis improbandæ, suadendiq; instaurandum bellum. Quod quom ab eo minimè impetraret, propterea quod ille Despoti Huniadianiq; sententiā probans, nec temerè dandam fidem hosti, & datam minimè violandam contēdebat: conuersus ipse ad circumstantes, A fœdere, inquit, de quo cum Turcis trāsactum videtur, quamquam inane irritumque, fore, spero mallem abstinuissemus. Non quod ius, religionemve illius aliquam (si bellum prosequemur) violatā intelligi oporteat, sed quia dandis, accipiendisque conditionibus, bonam partem temporis prosequendæ expeditioni aptissimi frustra consumpsimus. Contradixissem iam tum ab initio; sed acclinatiores animos vestros ad concordiam vidi, quàm, vt credere possem, oratione mea ad rem gerendam erigi. Præterea sciebam, hæc omnia, quæ vobis hodie nuntiata sunt, de facilitate debellandi in Europa, Turcis implicitis detentisq; bello Asiatico, fore vti paulò post nuntiarētur: maluiq; expectare donec ea crederetis alijs, q̄ intēpestiuè prædicendo, cōmittere, vt fingi à me, & per vanam spem iactari arbitraremini. Nūc quando, vt volui, asseueratio victoriæ vestræ ad vos aliundè, q̄ à me peruenit, & ita esse, vt scribitur, non minus, quàm optabam, credere vos indicat, incepti pœnitentia: nō gerēdum ne sit bellum, quod oēs necessarium intelligitis, si cū decoris prius partis, salutē libertatemq; vestram retinere vultis, sed liceat nec ne geri, post qualemcunq; hanc vtrinq;

foe-

fœderis transactionem, explicādum, à me sentio. Video enim plerosq; inanibus fidei, ac fœderis nominibus suspensos, intra se non tam quid facere velint, quàm quod æquū sit deliberantes: quasi verba quædam inconsulta per spem metumque mutuo iactata, nomen sanctitatemque fœderis obtineant: quom id demum iure sit fœdus, quod ab illis, quorum res est, initum, non verborum sponsio, sed conuentorum expleta fides confirmauerit. Huic neq; paciscentium affuit auctoritas, neq; pactorum subinde accessit executio: sed nomē tantū fœderis, & cærimonia temere iactata sunt: quæ nō prius sancta sunt, quàm promissa vtrinque, cum fide absoluantur. Atq;, vt incipiam ab eo quod spōsionis caput esse videretur, tādiu forsan liberum regi fuerat de fœderibus, & pace cum Turcis agere, quoad incliti huius regni viribus, & fœlicitate bellū gessit; quoad nulla externa ope adiutus, priuato sui regni discrimine, ac sumptu publicā Christianæ rei salutem maiestatemque tutatus est: vbi verò cum alijs quoque Christianis principibus consilia totamq; gerendi huius belli rationem communicare placuit: eorundē consensu bellum intermitti oportuit, quorum opibus auspicijsq; geri susceptum oportebat. Sed vt res tota, non secus, atque ante adiunctam sibi aliorum principum manum, regis tantummodo fuisset: nedum fœdus cum eiusmodi hominū genere, sed nullius omnino rei commercium inire licuit, & initum non tenet iniussu pōtificis maximi. Huc adde susceptas ab hoste conditiones minimè expletas esse: ex qua re, etiam si nihil aliud, omnia, quæ dicta factaúe dicuntur, inania redderentur. Tamen quia cōuentorum fides, quę ab illis frustrata est, minimè cōfirmauit sanctitatem religionemque fœderis: intelligendum est, ab sponsione sua, si qua ea fuit: nō solùm absolutum regem, verùm etiam, per dolum, & simulationem proposita, transactaque esse singula, ab oratoribus, qui pacem petitum ad nos venêre. An si hostis initurus fuisset, id fœdus, quod stabile, & ratum vellet; si eiusmodi postulatio, & sponsio fraude omnino vacua futura erat; non habuit, quem de pace acturum mitteret alium, quàm hominē lingua, genere, moribus, & denique, præter simulatam religionem, tota vitę ratione ab ipso alienum, qui nihil verè, religiosè & sanctè à Turcis promittere, neq;, ex diuerso, stipulari posset, cæterùm, cuius pacta promissaque omnia, si ex vsu videretur, sine verecundia reijci, atque improbari liberum foret? Sed & pudebat eum tam supplicis actionis simulationē explicare per hominem suæ gētis, cauitque verecundiæ, ne quid submisse, ne quid infra vulgatā animi viriumque suarum magnitudinem ageretur à suis: & noluit regem gloriari posse supplicantem Turcum sibi aliquando audiuisse. Præterea, quom tota actione multa simulanda forent, non alterius artibus facilius decipi nos posse arbitratus est, quàm ei⁹, qui nobiscum de religione pauloante sensisset. Vt quæ per se non satis fidem facerent, religionis velamēto inuoluta in animum nostrum descenderēt. Cæterùm si quæ placuissent impetrata forent, cogitauit se pactis staturum; sin minus, simulatione concordiæ se id saltē commodum percepturum, vt ad gerendum bellum posset sibi interim cōsulere. Quæ ita esse iudicat frustratus terminus eorum omnium, quæ per fœdus ab ipso fieri oportebat. Scio Despoti, sed in primis Huniadi ani, tantam esse rerum hostilium peritiam, tantum experimentum, vt nefas sit dicere, non omnia sic se habere, vt sit eis persuasum. Sed illum, cupiditatem simul liberandorum filiorum, simul recipiēdi amissum decus, & fortunas; hunc verò diffidentiā auxilij à socijs belli affuturi, adegisse crediderim, vt non tam acriter, quàm poterant, animum intenderent, & blandis pollicitis dissimulatam fraudem statim non deprehenderent. Cæterùm non debet cuiusquam gratia, aut auctoritas apud animum vestrum plus valere, quàm veritas: quom intelligatis, tali fœdere neminem teneri, vel quod sine auctoritate ictum, vel quod ꝑ fraudē ab hoste, minimè impletis conditionibus, sit dissolutū. Sed vt omnia legitimè à rege, nihil insidiosè ab hoste actum constaret: meminisse fidei debetis, quam Christianis vocatis, admissisque in partem belli, paulo prius quàm Turcis obstrinxisse vos constat. Et quō deliberatio vestra ijs angustijs inclusa sit, vt data fides minimè possit vtrinque subsistere, sintque alterutri deserendi: neminem dubitare conuenit, quin eò quisque potius vobis sit seruandus, quò arctiore coniunctione vos contingit. Porrò quid vobis cum hoc genere hostium conuenit, à quibus professione, moribus, totiusque vitæ instituto, ac ratione distatis? Quid cum Christianis non coniunctissimum est? Atque, vt omittamus cōmunia immortalitatis initia, fana, sacrificia, sepulchra eadem, tunc cærimonias, & sacrorum ritus, quibus animi

nimi vestri multò arctiori necessitudine inter se coniuncti sunt, quàm si natura ipsa, ijsdem parentibus orta corpora coniunxisset: nonne qui paulo ante in Hellespōtum classem suam misêre pro salute, pro gloria vestra, cōmunicando vobiscum vires, suscipiendoque belli vnà gerendi negotium, indissolubili omnino vinculo vos sibi deuinxêre, quodque nisi per æternam labem, atque infamiam ingratorum animorum, violare non possitis? Atque ideo (quom ex parte altera ij sint, qui ad humana diuinaque omnia, quæ vobiscum habent communia, addidêre recētissimum beneficium submissorum vobis auxiliorum, quique, vt nulla noua spōsio intercedat, tot humanis diuinisque propinquitatibus vos contingunt, vt sine inexpiabili scelere deseri nequeant; ex altera verò hostis immanis, perfidus, qui non per bellū tantummodo à vobis discrepat, sed religiones alias cultusque diuinos professus, omnia quæ vobis sacra sunt, veluti profana contemnat, &, si possit, violet, cuiq; nec dari fides potuit, absq; nefario crimine, nec, postquā data creditur, potest sine grauiori culpa seruari (non debet esse magna deliberatio, cum hoc ne, an cum illis conuenta sint exequenda. Si perseueratur in suscepta concordia, præterquàm quod elusi estis, frustratis ex parte altera conditionibus, contaminati inexpiabili facinore, amissaq; gloria priore bello parta, sub quotidiana bonorum omnium exercitatione infamem vitam agetis: sin verò, quod per se etiam vanum irritumque est, repudiato impio fœdere, bene de vobis meritis aderitis eo in discrimine, in quod ꝑ vos adductos non ignoratis: ad securitatem, qua subinde vestra possidebitis, cū immortali gloria, non modò ea, de quibus in concordia mentio est, sed cætera omnia, quæ à dira gente possidentur, in Europa recuperabitis. De cuius rei facilitate dicerem, nisi perpenderem, satis per literas suas persuasisse vobis Græcū imperatorem, & Franciscum cardinalem: quorum auctoritas in eo tanto grauior sit oportet, quanto propinquiores sunt hosti, & iudicant ex re præsenti. Sed & maior trepidatio hostis, quàm vt satis ab ipsius oratore dissimularetur, supra omnem orationem, stimulare vos debet ad occasionem vestram capessendā. Quam si prętermittetis, cogemini tandē postea despecti, ac destituti ab omnibus (dubiū dedecore, an periculo maiore) intra fines vestros eam dimicationem subire, cui vos impares esse, implorādo externa auxilia iampridē profitemini. Ad hęc, multa de iure pontificio, deque illius potestate, ac vi præfatus, subdidit tandem, pontificis se maximi auctoritate id fœdus, qualecunq; esset, rescindere & abrogare, regemque, & cæteros, quorum intererat, à iuramento, & spōsione, quam Turcis fecerant absoluere. Adeo à paucis Iuliani oratio non est probata, vt ex cōcione tota exaudiretur fremitus deposcentiū bellū, asserentiumq;, succurrendū esse ijs, quos in belli societatem attraxissent: quādo non aliam ob causam periclitarentur, q̄ quod armati concurrerāt ad propulsanda pericula, propter quæ Hūgari simul, & Poloni paulo ante coacti fuerant, ipsos implorare. Fortunarum omnium potius, ac vitæ iacturā faciendā, quàm fidei fidelibus obligatæ. Pe[illegible]re id nō ad famam solùm, spemqu[illegible]e apud cæteros Christianos excitatam, sed ad conseruationem etiam, & tutelam rerum suarum. Et vt nihil aliud stimularet, satius pro religione honestè occumbere, quàm, deserta illa, & prodita, Deoq;, & hominibus violatis in sensisque, indecoram vitam extrahere. Decreta itaque fœderis, ac pacis abrogatio, & vt cum Christianis alijs suscepta expeditio continuaretur. Cui sententiæ nec Despotus quidē, aut Huniadianus tandem fortiter obsistebant; ille inuitatus facilitate, quæ in debellando apparebat, hic regia spōsione pellectus: quom VVladislaus promisisset ei Bulgariæ regnum post victoriam, & literas, quibus id continebatur, etiam quorundā procerum subscriptione firmatas ei in fidē dedisset. Decretum igitur, quod erat cōtra pacem, promulgatum, Frācisco cardinali ad classem missum, simulq; Græco imperatori, & principibus cæteris, ad quos initi cum Turco fœderis iampridē fama peruaserat. Raro aliâs Poloni tam lætum nuncium acceperant, quàm vbi intellexerunt, regem de pace cum Turco transegisse. Nam quom Casimirus, indicto Masouijs bello, totis Lituanorum viribus Droicinū oppugnaret, Masouijque, iunctis pene castris, ex diuerso in armis starent: non tam virium inter vtrosq; discrimē apparebat, quàm suspicio erat, si committi prœlium contingeret, magnam partem copiarum Casimiri defecturam ad Michaëlem, Sigismūdi ducis paulo ante interfecti filium, qui apud Boleslaū inter Masouios militabat. Ingens spes animos ipsorum ceperat, regē ab ea pacificatione in Poloniam subitò, id quod maximè cupiebāt, profecturum. Anxij enim inter Boleslaum

um Casimirumq; de euentu, sperabant, interuentum regis id bellum diremptu-rum,& ab armis partes vtrinq; abscessu-ras. Quō enim tam Lituani, quàm Ma-souij sub tutela regis agitarent: Polonis, neutros vinci expediebat.Itaq; vbi dissolutum fœdus accepêre: iterùm consternati animo, vt consilium caperent, ad Petricouiam conuenêre. Ibi VVladislauiensis episcopus, & Ioãnes Pilsanus designati oratores in Hungariam:qui premonitum regem pactionis, ac fidei etiã hosti seruandæ, suadendo agendoq; animarẽt, ad paternum regnum reuisendũ,in quo multa, eo absente, essent perturbata,sed inprimis, ad sedandum bellum, quo à Lituanis Masouia premebatur. Præsenserat VVladislaus Casimiri motum, & futurum conuentum Polonorum; atq; ideo,nequid exinde nuntiaretur sibi, quod parum conduceret rebus,quas parabat, vtq; sui cordi se ei esse intelligeret,misit illico in Poloniã Ioannem Gruscinensem, qui diceret, regem nullomodo,salua famæ verecũdia, posse susceptam denuo expeditionẽ intermittere,statimque moturum Segedino. Cogi necessario illis adesse, quos,in bellum,implorando,attraxisset. Cæterùm, excitis,paratisq; tot maximorum principum auxilijs,victoriam paratam esse de ea gente, quam superiore anno, paucis admodum Polonis cruce signatis adiutus, fudisset, fugasset que, & quam, nisi hiemis montiumq; asperitas niuibus, ac speluncis abditam, victoriæ suæ subtraxisset,omnino subegisset. Inter redeundum, quod, propitio Deo,breui futurũ esset, conuersurum se iter in Poloniam. Interim viderent ipsi,ne quid detrimenti regnum caperet, inprimisq; Boleslao duci adessent, contra Lituanorum conatus. Ea significatio, quia præter spem venerat, gratissima Polonis fuit, perfecitque,vti rex videretur esse tam sollicitus de quiete, & statu regni, quàm ipsi volebant. Sed intercepta est exinde causa mittendæ in Hungariam legationis, atque ideo singula, quæ regi domi, forisq; ex vsu fore credebant,per epistolas significauêre. Interea(licet minimè seruata die) Turcus loca omnia, de quibus in fœdere cauebatur, præsidijs suis euacuata iustis dominis restituerat, solutis etiã magno numero captiuis, dimissisq; cum Despoti filijs. VVladislaus autem, licet æger animo, quasi euentum presagiret, stimulãte Iuliano, vndecimo Kalendas Octobris,vt constitutum fuerat, mouit Segedino, sed copijs aliquanto paucioribus, quàm anno superiore. Nã & Volonum minor numerus accurrerat, propter vulgatum fœdus cum Turcis,& multi etiam,inter agẽdum de concordia,dimissi Poloni,& Valachi, quos futura pax parum necessarios redditura videbatur. Vbi ad Orsauam peruentum, pridie Nonas Nouembres, Danubium cũ suis traiecit, expositoq; in Bulgaria exercitu, primò ad Florentinum, deinde ad Bidinũ progressus, licet vndiq; circa iter oppida pleraque arcesq;, Turcorum præsidijs tenerentur,non ad prædam milites discurrere, nõ hostibus insultare, non bellicæ quicquam cladis inferre agris patiebatur.Constituerat enim,minimè tempus,aut vires suas preconsumere expugnãdis munitionibus; serendisq; certaminibus, prius quã coniungeret se cũ naualibus copijs ad Hellespontum.Atque ideo ne in planis & apertis locis,vel inuitus pugnare cogeretur:quom duæ ad Gallipolim viæ ducerent,altera per extremam Thraciæ orã, qua Macedoniæ coniungitur, campestris, & breuior inter Rhodopem, ac Bistoniam paludem: qua si progredi voluisset, curr⁹ relinquere oportebat, propter viæ difficultatem in Aemum rectã transcendendo;altera verò,per inferiora Bulgariæ, prius ad solis ortum, deinde prope Pontum ad meridiẽ per Thraciam,vt obliqua, ita lõgior, sed per quã (licet montanam in plerisq; locis, & salebrosam) currus tamẽ haud ægerrimè euaderent: maluit illac exercitum circumagere, quàm se nudare currũ munimentis: quibus septus contra hostiles impetus, se ac suos facile tueri poterat, & quàm maximè integris copijs Gallipolim peruenire.Conuersus itaq; in Põtum inter Danubiũ atq; AEmum haud magnis, sed cõtinuis itineribus ad institutũ festinabat. Vbi verò ventum est ad Nicopolim Bulgarorum metropolim, cuius vrbis pars altera àDanubio abluitur, altera in collem erecta est:quia fama erat,totius regionis diuitias illuc cõportatas,miles cohiberi nõ potuit,quin per suburbana discurrẽs ad prædam,etiam in ipsas portas faceret impressionẽ. Quicquid ædificiorum circumadiacebat direptum incensumque. Quom verò portæ,ac mœnia strenuè defenderentur : à prosequenda oppugnatione iussum est abstineri. Cæterùm quia, quantum fert regio, vberes circum campi, & colles, videbãtur affatim necessaria suppeditaturi,reficiendis militibus,iumentisq;, biduum triduumúe illic perseuerare placuit.In eo loco percensenti suos regi,& veluti totius belli apparatum re-

cognos-

Dracula

cognoscenti, dum miles non tam se reficit, quã studiosè præparat omnia, quæ opportuna fore credebat, ad viam & natura sua magis difficilem, propter angustias salebrosiores; &, propter frequentiam præsidiorum hostilium in oppidis, castellisque vndique imminentibus multo maioris discriminis, occurrit, nunquam sine præfatione magni, & fortissimi imperatoris nominandus, VVladislaus Dracula Valachiæ, quàm Montanam vocant, princeps. Qui quom iãpridem pacem à Turco accepisset, factũ suum in necessitatem relecit: quod haud numerosissimè gentis princeps, nullaque externa ope adiutus, bellum Christianis simul omnib⁹ intolerabile, sustinuisset, magnitudine animi, & virtute suorum, diutius quàm sperari de tam imparibus viribus posset; plusq; ab se interim hominum amissum, quàm agris suis frequentandis colendisque superesset, quom euentus quotidie admoneret, contra hostium multitudinem, paucorum suorum virtutem magis admirandam esse, quàm efficacem. Tandẽ eò peruentum fuisse, non vt in seruitutem venire oporteret, quæ forsan tolerabilis, modò æquasit, & contigisset antea multis, magnisque populis, & nationibus, sed vt cum patria, & laribus familiaribus, cũ altrice terra, & cœlo relinquenda essent sacra, religiones, aræ, degenerandumque in obscenos mores, ritusque impiarum superstitionum, nisi conditionem accepisset, per quam, citra profanationem diuinorum humanorumque omnium, reliquias suorum seruaret in occasionem dignam, in qua tanta virtus periclitaretur. Ad hæc cùm eorum, qui regem sequebantur paucitatem animaduertisset: rogare obtestarique cœpit, vt retro iter verteret: se malis suis satis superque doctum, quanta esset Turci potentia: qui ad venationem propemodum, plures seruos producere solitus esset, quàm illic ad bellum armati conuenissent. Abstinendum omnino à tam audaci, periculosoq; incepto, communicandaque cõsilia, & rationes, quo pacto res ęquis viribus geri posset. Interea nihil salubrius, quàm in occasionem meliorem eas copias conseruare. Quæ etiam si sufficerent bello, quod tunc cũ hostibus esset gerendũ, cæteraq; omnia votis responderent: tamẽ eo tẽpore productæ, instãtis hiemis tempestati, & malis omnino essent succubituræ. Audiebantur ea, tanquam Dracula non ex animi sententia loqueretur, propter fœdus, quod illi cum Turcis erat. Tamen, re ipsa per se fidem faciente, moti sunt complures: nec tantum suspicio simulatæ ab illo orationis, quantum rei veritas vrgebat. Cæterùm, rapiente regem fato ad destinatum propinquumq; iam finem, Iulianoq; ad superioris anni fortunam, identidem iactante, Nusquam stringendum fore gladium, vacua omnia defensoribus reperturos: Amoratũ cum suis trans Hellespontum vix Caramani impetum sustinere: neque posse, etiã vt ociosus à bello esset, propter Venetorum, Burgundiq;, & pontificis classem, suppetias suis ferre; Gręcum præterea, cum nõ mediocribus copijs, sub ipsis montibus occursurum: Draculæ quidẽ officium, ac sermonem magno assensu omnes commendabant, veluti benignæ in se voluntatis testimonium: nec mirũ de eorum victoria desperare, ignorantem, quo apparatu, quibusque auxilijs freti pergerent ire ad bellum. Cæterùm nullo modo, ea sibi vt diceret, in mentem venturum fuisse, si sciuisset, quanta classis, quantisq; Italorum, Burgundionumque copijs instructa, quàm multi etiam equites, peditesque Græcorum in armis eos pręstolarentur. Non regem, non suos adeo inconsideratæ audaciæ esse, vt bellum, quod conficere nõ possent, vltrò inferrent: bono esset animo. Quantum ab vires attineret, satis prouisa esse omnia, & præparata: fœlicitatem, Deum ipsum, cuius causa ageretur, & præbuisse antea, & in posterum prębiturum. Conuersus itaque rursus ad regem Dracula: Quando, inquit, aut fortuna, quæ audentem magna quæque, nusquã hactenus te decepit, aut spes alienę opis, quam ratam velim, aut occulta fatorũ necessitas in diuersum te trahit à sententia mea: consilium tuum, quod ratione immutare non potui, quantum tempus, & improuisa res sinit, virib⁹ adiuuabo: & cum dicto quatuor millia equitum, duce filio suo, copijs regijs adiecit, orãs, obtestansque immortalem Deum, vt quicquid rex cæterique de belli totius successu animis suis promitterent, fœlicissimo euentu confirmaret. Ad extremum dimissurus regẽ, duos ex suis impigerrimos iuuenes, regionisque, & viarum peritissimos, duosque item equos insuitatæ admirandæque pernicitatis in conspectum dedit, & vix lacrymis tẽperans: Habes, inquit, quo confugias, si casus aliquis malaue sors (quod abominor dicere) viribus te diffidere coegerit. Malim equidem fore, vt frustra dederim, si vota, & preces meæ non vanæ erunt. Verùm si necessitas vti coegerit, saluberri-

saluberrimum munus experieris. Vtile sanè consilium Dracula attulerat, si tam fideliter auditum, seruatumque fuisset, quàm dabatur. Vulgatum est postea, virum ingentis spiritus, natumq; ad bellicas actiones, vbi apparatum Burgundi, Italorumq; percepit, variè, ac multum secum agitasse, inter pœnitentiam fidei Turco per fœdus datæ, & religionem eius violandæ, propter euentum, & futuram hominum famam, siue ad tam gloriosam expeditionem cum VVladislao progrederetur, siue remaneret: plusque omnino valiturum fuisse apud militare ingenium belli decus, quàm laudē seruatæ fidei: sed suapte natura ominibus, diuinationibusq; quibuscunq; obnoxium, muliebre vaticinium retinuit. Pridie enim quàm in regia castra perueherat, Phecusa mulier Bulgara, senio quidem confecta, sed cognitione futurorū multis experimentis clara, ad vicū Sullonum de exitu, & fine belli ab ipso interrogata prædixerat: Regem haud fœlici euentu pugnaturum, plusque momenti contra eum hostem profligati exercitus reliquias habituras: foreq; subinde, vt res fœlicius gererentur. Atque ideo in se, ac suos vaticiniū deriuare volens, prosperioribusq; actionibus superesse, periculo, quod in præsens nuntiabatur fertur, se subtraxisse: filium verò quom à se dimitteret, magnopere monuisse, ne fortunæ obluctaretur temere in acie, si res Christiana inclinaret. Conuertit deinde VVladislaus se in Thraciā; ingentemq; multitudinem fluuialium scapharum in Pamiso amne compertā incēdit. Oritur autem Pamisus in monte Aemo, & inter Messembriam, Odessumq; Euxino illabitur. Creditum verò eiusmodi nauigia, infestandę Hungarię gratia, illic à Turcis prępara ta, vt demissa in Pontum, per occasionem tranquilli maris iuxta litus sursum agerentur in Danubium: cuius maximè meridionale ostiū haud plus triginta millibus passuum distat ab Odesso. Ab eo incendio, qua placidiorem ascensum Aemus ad se dabat, erecturus agmen, quia via vtique angusta, & confragosa, diuisit copias, vt contra improuisos hostium incursus firmior esset, & paratior. Huniadiano igitur cum auxiliaribus Valachis, & tribus Hūgarorum millibus præmisso, sequebatur ipse magno interuallo cū cruce signatis, reliquaq; multitudine: nam currus in medio agi placuerat, tam præcedentis, quàm subsequentis agminis præsidio tutos. Inter progrediendū, ne quid à tergo relinqueretur, quod muniri in locis adeo angustis posset, nonnulla oppida hinc inde direpta, & prope funditus diruta: vici complures incendio deleti: grassatumque est à militibus per summam licentiam etiam in sacra Bulgarorum, Græcorumque, quorum templa, veluti profana, manu, ferro, igne, cæteroque omnium scelerum instrumento, violabant. Id verò impium (vt certè erat) visum VVladislao. Edixit itaq; vulgo inquiri, ac restitui desiderantibus, quicquid religione inuiolatum esse oportuerat; nullius magis, quàm ipsorum interesse asseuerans, abstinere manus à sacris, pro quibus arma sumpsissent. Multum quidem in armis reponēdum esse, sed in Deo plurimum. Qui postmodum in bello non modò opem non laturus esset contaminatis sacrilegio, sed etiam pro templis, pro aris, pro sacris suis contra staturus, nisi à tam execrabili rapina abstinuissent. Dimissi exinde nōnulli ex captiuis Turcis cum literis in quibus spondebatur omnibus, qui ex præsidijs suis elaberentur, liberū fore, aut stipendia facere apud regem, aut abire quò mallent. Cuius sponsionis fides est integerrimè seruata, quom multa loca in deditionem venisēt, quæ acerrimè prius defendebantur: timentibus Turcis, qui in illis erant, aut iniquā seruitutem, aut mortem cum cruciatu. Qui tum Sumium, ac Pesechium tenebant in rupibus paulo editioribus, freti naturali locorum munitione, maluêre experiri quid se tuendo possent, quā se fidei hostium credere. Contra quos, quia, propter opportunitatem situs, apparebat posse ab hoste facile reditum præcludi, si casus aliquis necessariò illac redire cogisset: visum est omnibus, vim oppugnando experiri. Itaque non sine multorum clade, quom difficultas nitendi sursum, longè plus negocij, quàm hostis armato militi exhiberet, vtrumque oppidum expugnatum. In ea victoria multorum industria, multorum opera claruit, sed in primis Tarnouij Ioannis, & Lesconis Bobricij: quorum ille, dum portas refringit, duo vulnera accepit, hic Pesechij murum primus ascendit, & multis alijs ascendendi opportunitatem præbuit. Feruntad quinq; millia ex hostibus illic interijsse, quorum magnam partem, dum præda diriperetur gladius absumpsit. Cæteri ad terrorem aliorum, è rupibus, per quas se tutos putabant, præcipites acti. Dum hæc à rege agerentur, afferuntur Frācisci cardinalis literæ, nuntiantes Amoratum, aut elusis arte, aut corruptis pretio specula-

Edictum regis de tēplis non prophanandis.

Nota.

culatoribus,qui litora seruabant, infra Gallipolim,qua fauces Hellesponti arctissimæ sunt,ingẽti multitudine militẽ reportasse in Europam, & coniunxisse cũ suis,qui non procul ab Isthmo Thracij Cherrhonesi haud sanè memorabili numero pauloante se congregauerant. Qua re cognita, regis deliberationem immutari oportuit:præsertim quod plurimi ex suis hortabantur regredi,aut saltem in tuto alicubi subsistere,donec certus numerus hostium, & quò se primũ conuerterent intelligeretur. Tamen à Pesechio,vbi facilè per montana muniretueriqúe se poterat, rex in planum descendit, adeo est ineuitabile quicquid id est, quod fatum appellatur. Deinde obliquam in Rhodopem vallem biduo emẽsus, ad Pontum rursus sinistrorsum sub Aemum declinauit, decimisque castris Cauarnam assecutus in deditionem accepit. Turci enim qui illic fuerant in præsidio,auditis,quæ per eos dies ad Pesechium,ac Sumium gesta erãt, aduentum regis minimè expectauerãt. Eodemque modo Macropolis, Callacrium, Galata, Varna, & pleraque alia circum litus oppida deserta ab hostibus, recepta sunt, & Christianorum firmata præsidijs. Aemus initium capit ferè à Messembria, perpetuoque dorso ad Macedoniam, & superiorem Mœsiam porrectus, diuersis in locis ab vtroque latere, velut cubitos,genuaque modicè extendit. Et primò quidem non admodum longè ab origine sua in dextram reflexus, atque in Pontum recurrens, paulatim in minora iuga decrescit, donec per colles modicè tumentes, tandemq; euanidos, desinat in planitiem. In eo tractu, pro natura loci, plurimæ quidem sunt valles, agrestes partim, & infœcundæ, partim pecoribus hominibusque alendis & natura fertiles, & accolarum diligentia more suo consitæ, ac subactæ. Earum nonnullæ vndique intra colles clausæ, aliæ ad mare conuersæ litoribus excipiuntur. Sed inprimis illa, quæ Varnæ adiacet, humana cura, &, quantum fert regio, naturali situ amœna est, & spectabilis. Varna verò ipsa in sinu angusto,&haud sanè profundo admittendis ferendisque nauigijs grauioribus, posita est ad litus inter duo promontoria. In quorum altero Galata, in altero Macropolis sita, Litoralia omnia circa oppidum,vineta, frugiferæque aliæ arbores tenent. Interiora vallis ad dextram modicis, infrequẽtibusque vicis agrestes tum habitant, tum colunt. In sinistra, qua eminet Galata, palustris est sub collibus lacuna, quæ ad occasum, in alteram vsque vallem, restagnanti vnda protenditur. Inuitante igitur non tam loci opportunitate, propterea quod aquatio lignatioque,& cetera necessaria in promptu militi erant, quàm valetudine regis, cuius in sinistro crure, qua femori committitur, enatus furunculus inflammationem doloremque maiorem, quàm pro magnitudine tumoris, excitasset: visum est illic subsistere, adhibitisque fomentis, expectare, donec id vlceris in pus verteret, atq; exiret; quo sumendis tractandisque equo armis subinde rex foret expeditior, si quid violentum in itinere casus attulisset. Interea Turci ab Isthmo Hadrianopolim profecti, qua hostis aduentare nuntiabatur, citato agmine obuiam prodeunt, & septimo tandem die,haud amplius quatuor millibus passuum à castris regijs consedêre. Quorum aduentum& speculatores nũtiabant, & nocturni ignes,quamuis collium interuentu prospectui eriperentur. Tamen sereno cœlo, cùm luna à coitu modici luminis adhuc esset, nox sic ea ex parte inalbescebat, vt non propinquitas modò, sed etiam multitudo ipsorum indicaretur. Duplicatæ igitur vigiliæ, nocturnæque stationes toto exercitu, edictumque vt arma expedirentur. Vbi autem lux appetere visa est, Huniadianus, Iulianusque, & Despotus cum cæteris, quorum aut consilium, aut auctoritas requirebatur, frequentes ad regem coeunt, cœptaque est consultatio super futuro certamine. Iuliano muniri castra intra currus placebat, dispositis circum machinis,tormentisque, quorum aut fragor terreret,aut impetus arceret hostẽ,si munitionibus insultare voluisset. Nihil prius in aperto aggrediendum,quàm præcognitæ,prætentatęque essent hostium vires:verisimile videri maritimas copias, quarum nullus iam vsus in classe esset, secuturas à tergo Turcos, daturasque operam vt aut cõiungerent se suis,aut distraherent hostem, ex parte altera lacessendo. In eoque omne momentum rationemque vincendi reponebat. Quam sententiam Franco Banus, Agriensisque episcopus, & plerique alij ex Hungaris, & Polonis sequebantur, rege non tam probante, quam non reprehendente dimicationis moram: quom lenito interim dolore,quo fortè eo die grauius quà m vnquam alias premebatur, speraret fore, vt suis integer adesse posset. Huniadianus verò, & Despotus præposterum

id dicebant: includi enim vallo, non esse inferentium vltrò bellum, sed vltimum perfugium eorum, qui essent acie victi. Quod consilium, si rogaretur, hostem aliud daturum, quàm vt, positis armis, obsidendos se traderent? Omnium rerum (sed inprimis bellorum) exitum, à principio auspicari: prout primus congressus foret, ita toto bello aut audaciam, aut formidinem hos, vel illos in aciem afferre. Atque ideo nullum trepidationis signum aut suis, aut hostibus indicandum esse. In celeritate transigendæ rei salutem consistere: agendo, audendoq; id genus hostium terreri, non artibus. Quid futurum, si clausos munitionibus Turci circumstetissent, neque pugnandi copiam facerent, quom tolerandæ illic obsidioni nihil omninò foret præparatum? Nam quod de naualibus copijs diceretur, ridiculū omninò esse. Quo enim gentium visum, auditumve aliquando, mediterranea bella, classiarijs peditibus geri, quorum non alius vsus in terra esse posset, quàm equitum in mari. Quibusque suas artes, suamque esse disciplinam; eaque in re valere quosque plurimum, ad quam studium exercitationemque adhibuissent. Quod si etiam, contra institutum, & certum suum munus, de classe descenderent: præter quàm quod vix possent, nisi per longum tempus, tam longum terræ spatium pedibus emetiri: ad terrestre certamen, contra equites in peditatu, eodemque naualibus armis instructo, paruum omninò, aut potius nullum vsum fore: atque ideo & serum, & vanum esse, quicquid è classe subsidij speraretur. In qua si quid momēti esse posset terrestribus pugnis committendis, totum impensum in id oportuisse, vt postquam hostis in Europam transfretaret, saltem circa litora retineretur, dū rex eò peruenisset. Omissa inani spe, prodeundum in aciem contra eundem illum hostem, quem ad satietatem superiore anno fugassent concidissentque: qui trepidus confususque animo inceptaret omnia, & in nullo persisteret; sed modò in Asiam, modò in Europam se transferens, temerè ad minimum quēque famæ strepitum, per sollicitudinē, & terrorem se circumferret. Non quàm multi ex diuerso essent referre, sed quo animo, & audacia. Quantumlibet innumerabiles, in prœlium nihil aliud allaturos, quàm qui victi essent conscientiam, & formidinem. Non assuefaciendos milites tuendis se vallo, & curribus, quæ diffidentium armis præsidia sint, quorumque vt nullus vsus eueniat, in primis adeo sit expetendum, tunc quando integrum sit aut vi atque armis hostem inuadere, aut imbellis multitudinis more, septis, ac munitionibus se includere. Flagitiosissimum fore, viros fortes plus in curribus, & vallo, quàm in armis ad se tuendum præsidij positum credidisse. Intelligebat Huniadianus vltimi rem discriminis esse, quam suadebat: sed maioris animi viro, quàm vt ferre posset obsessorum tædia morasque, dum vinceret, quom eò ventum appareret, vt neque progredi, neque regredi, nisi victores possent, promptissimam ad victoriam viam aggredi placebat, militemque tum proximi anni fœlicitate, tum rebus per eos dies prosperè gestis alacrem, antequam casus aliquis animos, spemque ipsius refringeret, quàm celerrimè ad pugnam producere gestiebat. Sed etiam vt vim hostium non sustinuissent: integrum fore videbatur, quid vallo, & curribus tuendo se possent, experiri. Mouerat cunctos Despoti, & Huniadiani sententia, rexque ipse, supra dolorem iuueniliter elato animo, nullam pugnandi moram vltra laturus videbatur, quom trepidè speculatores nuntiant, amari hostes, atque ad inuadenda castra animis præparari. Itaq; dato Huniadiano instruendi aciē negotio, cæteri ad suos quisq; ordines aduolāt. Ille ante omnia circumspectis locis, per quæ aut apertè insultare, aut clàm erumpere adueniens hostis posset; ne quid discriminis oboriretur per insidias à tergo: ex valle, in quam refundi lacunam diximus, inter colles, & palustria, fauces, per quas erumpendum erat sic prȩclusit, curribus retroactis, vt facilè ad eos receptus foret à loco pugnæ destinato; à tergo autē minimè vlla vis timeri posset, obstructo aditu, & conuersis illuc machinis, tormētisq;, aut terrendis hostibus, auertēdisq; eminus, aut obterēdis, si cominus insultarent. Deinde aciebus ordinandis, mediā vallem regi tuendā cum curialibus Polonis atq; Hūgaris assignauit. Penes lacū, ad paludē, vnde minus timoris erat, tū quia palus ꝑ se imperuia, tū quia prærupti montes desuper impenderēt, quinq; tantū vexilla Hungarorū collocauit. Dextrū verò latus, qua Varna castris obiecta erat, reliquo robore exercitus firmandū ratus, cū, propter accessum, qui inter litus paludēq; patet, quicquid laboris, ac discriminis futurū erat, venturū inde appareret, vexillum magnum Hūgarorum, ducibus Franco Bano, Agriensique Episco-

armari

ſcopo illic potiſſimum ſtatuit, Deſpotumque cum ſuis, & Iulianum cum cruceſignatis, illorum ordinibus inſeruit. Nec procul à tergo penes currus, & munitiones, veluti ſubſidiariam aciem, conſtituit vexillum diui Ladiſlai ſub Varadienſi epiſcopo, adiecto ei Leſcone Bobricio, cum parua manu Polonorum: ſibi autem cum Valachis nullum certum locum deſignauit, vt minimè turbatis ordinibus, quocunque res, & periculum vocaret, accurreret, & nullum deſtinatum locum tuendo, omnia tueretur. Amoratus autem cum peditibus, reliquoque equitatu ſubſequens, præmiſerat expeditiſſimorum equitum circiter ſex millia, qui à principio minimè ſe apertis locis committentes, hoſtium vires magis inſpicerēt, quàm tentarent. Oſtendêre itaque ſe illi primùm ad dextram in collibus, vnde totum exercitū, ordinemq; facilè æſtimare poſſent. Cæterùm ſeu pugnæ auidi, ſeu Chriſtianorum paucitate contempta, ex interuallo ſagittis hoſtem irritabant. Sed quom Franco Agrienſiſque ſuos continerent, ne fracto per accliuium primo impetu, languidi ad hoſtem in collem peruenirent: Turci timorē id rati, paulatim deſcendere in æqua, inq; ipſos ordines impreſſionem facere cœperunt. Tum Fráco id verò minimè ferendum præfatus, hoſtes ſcilicet qui, paucis ante diebus, ſuppliciter pacem petendo, ad decertandum ferro, nullum eſſe in ſe momentum confeſſi forent, quique ſuperiori anno toties ex acie fugiſſent, & ſcopulorum inuijs latebris veluti precariam vitam deberent, vltrò victoribus inſultare: ſignum dedit ſuis identidem iactans, vt virtutis fœlicitatiſque ſuæ memores in aciem prodirent. Non ſuſtinuit irruentes Turcus, retroq; per accliuum collem verſus, celeritate equorum ſe vulneribus eripiebat. Superuenit interim reliqua equitatus multitudo, cuius pars in deſinentē iam vallem ſe recipit, pars inuecta in regios ſubeuntes cliuum deturbat eos, agitque in præceps. Illi rurſus in plano congregati aciem reſtituunt, pugnandoque acriter, quantum hoſtium ex collibus in æqua deſcenderat per vallem ipſam, in fugam vertunt, atque inſequuntur. Itaq; Varadienſis non tam militarium artium, quàm ſacrorū peritus, quom videret terga dari à Turcis: relicta iampridem ſtatione ſua, cum magna militum manu, veluti ad partam victoriam accurrit, fugientibuſque inſtando temerè, vnà cum Deſpoto, & Agrienſi peruenerat ad confertiſſimum agmen in poſtremam partem vallis, vnde à multitudine reiecti in ſiniſtram, Deſpotus quidem ad ordines ſuorum, qui pauci adhuc ſtabant, ſe tranſtulit; Varadienſis autem eadem locorum inſcitia, qua acies turbauerat, per paludem ad montes euaſurum ſe ratus, in aquam ſe immiſit, fœdaque equi, ac ſua luctatione diu prius in cœno vexatus, tandem ſummerſus eſt. Agrienſis ad lacunam circumuectus Galatam petere inſtituerat, mox tamen mutato cōſilio, ad ſuos in pugnam redijt, nec poſtea vſquam comparuit. Proceſſerat vincēdo Turcus iam ad diui Ladiſlai vexillum. Nam Deſpotus cum Franco, & Iuliano, ſuperabundante hoſtium multitudine, à collibus, vltra quàm ferri poſſet, cum ſuis retro ad munitiones ceſſerant. Ibi diu ancipiti Marte pugnatum. Sed vbi Leſco, qui audendo hortandoque certamen extraxerat, multis vulneribus confoſſus moribundus ex equo cecidit, haud dubiè res Turcorum ſuperior habebatur: nec iam milites tantū, ſed currus etiam oppugnabantur. Quorum nonnullos impetu primo euerſos vt diripi rex vidit, cū Huniadiano properè illuc contendit, ne, quod aduerſæ pugnæ vnicum præſidium ſuis futurum erat, ab hoſte præriperetur. Eius aduentu fortuna ſubitò mutata eſt. Verſi enim in fugam Turci vltra duo millia paſſuum cæſi fugatique ſunt, tantus erat ardor inſequentis à tergo regis. Qui, reuocante impenſius Huniadiano, tandem, omiſſis fugientibus, rurſus Iuliano, & Franco laborantibus auxilio accurrit. Redintegrauerant enim prœlium Turci, ex tota illuc valle conuerſi. Superuentu regis acrius iterum certamen vtrinque exortum, variaque adhortatio: hinc, ſacra, religiones, aræ, templa, victoriæ cum decoris prius partis, fœdæque hoſtium fugæ, gratulationes præterea, & laudes à tot principibus nationibuſque adeptæ, ad extremum Chriſtianæ rei ſpes ab eius diei fortuna pendentes iactabantur: illinc non tam imperij, quàm etiam nominis Turcici finis, niſi vincerent, oſtendebatur. Aſiam, & mare illi obiectum ab hoſtibus teneri. Quæ in Europa ad id locorum habuiſſent, in euentu eius pugnæ periclitari. Non fore, quo reuerterentur victi. Quacunque declinaſſent, mortem cruciatumque iampridem præparatum incurſuros. Ad neceſſitatem pugnandi accedere, quod non tantùm viribus, & numero, ſed cauſa etiam ſuperiores eſſent. Nam con-

contra ius fasque, se, per speciem pacis lacessitos. Insisterent acriter: Deum fœderis testem, formidinem fugamque, & cędem in pacis fideique violatores conuersurum. Cæterùm non segnioribus animis viribusque pugnantibus militibus, quàm duces adhortabantur, magna vtrinque cædes edebatur. Sed ingens Turcorum numerus suorum stragem sentiri non sinebat, stetitque diu anceps prœlium: tandem ab illis fuga incepta multo cruentior fuisset, si non à cæde ad prædam Christianos auertisset; cameli onerarij casu eis oblati, qua hostibus instabant: vbi equi etiam odore aspectuq; insuetorum animalium consternati haud facilè sessoris arbitrio se dirigi patiebantur. Huniadianum in diuersum fortuna suorũ abstulerat. Namque vndique intentus, & laborantibus vbique propere accurrens, ad mediam vallem processerat, vbi sinistra acies impressionem hostis vix sustinebat. Cæterùm restituto illic prœlio, de rege sollicitus, cuius iuuenilis animus periculo sæ audaciæ suspitionem faciebat, inuenit eum ad Ianizaros pedestre militum genus penetrasse, ibique pugnantem substitisse. Magna vis nõ hominum modò, sed equorum etiam ceciderat. Alijs gladio confossis, alijs detruncatis cruribus ad terram prouolutis. Nec iam solum, sed cadauerum strages pugnando calcabatur, adeoque concitatis animis instabant, vrgebantque vicissim, vt rabies, non studium vincendi videretur. Perrupit tamen VVladislaus aduersam aciem, ablatusque inter hostes longè à suis, creditus est iam tum aut cæsus, aut captus. Itaque haud multo post quom Turci terga iam verterent: Christiani quoque, ex diuerso, veluti, rege amisso, fugæ se committunt: atq; eodem tempore pars vtraque cedere inceperat, adeo fortuna sua cuique erat ignota, in tam varia frequentique victoriæ inclinatione. Sed vbi Ianizari Christianorum motum animaduertêre, sistunt ipsi pedem pugnamque instaurant. Huniadianus autem, qui videret trepidatione, ac formidine in suos conuersa, vbique ordines turbatos, fœdeque à multis aciem deseri: concitato equo, per confertissimos hostes ad regem peruenit, patefactaque suorum fuga, & pauore, vt retro se ageret obtestabatur, minimè de rerũ summa desperandum dicens, quippe adeo raros in acie perijsse, vt iactura vix apparitura foret, si prius quàm superstites fugiendo dissiparentur, ad munitiones, & currus se cum illis reciperet. In vita ipsius non modò regna, quibus pręerat, sed vniuersam quoq; Europã Christianumq; nomẽ periclitari. Quõ interea nihilominus acriter ille in hostẽ ferretur, cædẽ, & fugam, quacunq; se verteret, ingentem faciendo, equus ingenti in latus vulnere accepto, præcipitẽ per armum dextrum effudit. Nec mora superuenientibus Ianizaris, telorum multitudine non tam confossus est, quã obrutus. Substitit paulisper Huniadianꝰ, corpus regiũ (si fieri posset) recuperaturus. Sed quõ, reliquis effusissimè diffugientibus, paucos admodũ Valachos, qui remãserant, tam multorũ impetum secũ minimè laturos intelligeret: vbi vnũ, atque alterũ conatũ frustrari vidit, haud quaquã nefas ducens superesse aliquem post regis interitũ, qui acceptam cladẽ vlcisci posset, ignominiamq; eã delere, ad suos retro se recepit. Indeq;, quõ post fugam iampridẽ à Despoto initam, Iulianus, desperatis omnino rebus, cedendũ suaderet: sub ipsum crepusculum, per montes in vastã siluam se recepit. Multique alij, quos nulla prius aut trepidatio, aut fuga suorũ à pugna auerterat, subsecuti sunt illũ ad deserta & montes: inter quos Frãco & Iulianus. Toties eo in prælio & fugere, & fugare vtrinq; cõtigit, vt victoria tandẽ non sit à victoribus intellecta. Nam Turci, quorũ fugã rex à primo cõgressu fuerat insecutus, trepidationẽ in ciuitates circũtulerant, quasi debellato exercitu, victor hostis ad eas oppugnãdas, statim copias foret admoturꝰ: Et qui pugnare ad noctẽ vsq; perseuerauerãt, haud se vsquequaq; vicisse credẽtes, incertiq; quò se Christiani recepissẽt dum silentium, quod erat intra currus, insidias credunt, biduo à direptione prędæ abstinuêre. In tota pugna regis virtus inprimis enituit, vtpote in vltimo mortalium operum, quod esset obiturus. Omnia tum constantis ducis, tum fortissimi militis munera impleuit, occursando pauentibus, retinendo cedentes, atque, vbi plurimum laboraretur, spem aliquam semper afferendo, consilio, manu, voce, tam hosti insignis, quã suis conspicuus. Mortis eius signa præcesserunt. Dum armaretur, delapsa manu armigeri galea, & equi, cùm in censuro admouebatur, fera insolitaq; obluctatio. Præterea, instructis iam aciebus, inter expectandum hostis aduentum, sereno tranquilloque cœlo, atrox subitò ventorum vis oborta pleraque vexilla regiumque inprimis dilacerauit, ab hastaque detraxit, & mox conquieuit. Et paulò post dimissum conuẽ-

tum, in quo decreta in Turcos secunda expeditio, cùm qui conuenerãt se quisque ad se præparandos digressi essent: mota est adeo vehementer terra, vt nõ priuatim tantùm ædificiorum partes, vt assolet, deiecerit, sed pleraq; oppida penè tota, in prodigium vsq;, ad solũ excusserit, fluuiorum etiam quorundam cursus, alueosq; commutauerit, tenueritq; fama vulgò, propter subsecutam frugũ caritatem, vel semina, vel agros exinde degenerasse. Quot ex vtraq; acie ceciderint, haud facilè numerus iniri potuit. Nam per vallem, perq; omnes colles circum, multiplex, & varia fuga magis, quàm cædes fuit. Multi in lacunam, & paludem delapsi, mersiq;, multi latè in siluis vepribusq; occisi. Turci, regio corpore inuento, modicæ altitudinis columnam, quæ hodie quoq; visitur, cum inscriptione rei gestæ in eodẽ loco statuerunt. Hungari verò, & qui cum illis deserta petierant, præter Valachos, locorum inscitia ægrè ad Danubium peruenêre. Si quos tamen fortuna illuc egit, fame, vigilia, siti, frigore, lassitudine cæterisq; malis adeo prius afflixit, vt sæpè doluerint, quod non hosti potius iugulandos se præbuissent. Errantes per solitudinem aut inedia dissoluit, aut ad terras hostiles perlatos seruitus excepit, maiorq; multò fuit erroris clades, quàm pugnæ aduersæ. Iuliano inter fugiendum vis illata, seu prædæ cupiditate, seu quia vulgò quasi auctor patronusque perfidiæ inuisus erat. Id constat, saucium seminudumq; in deuio saltu exhalantem animam, ab Sanocco obequitante inspectum, admonitumq;, id quod euentus tandem planum fecisset, non fuisse Deo cordi, ea, quæ contra fœdus, & iusiurandum, more magis argutorũ hominũ, quàm ex æquo, & bono disputasset, cum execratione relictum. Huniadianus, superato Danubio, cum paucis citatissimo itinere in Hungariam properauit, ne rei malè gestæ fama seditionem tumultumve aliquem domi excitare, aut Friderico, & Boëmis, nouandarum rerum in orbitate regni, occasionem simul, & consilium suggereret.

STANISLAI KARNKOVII EPISCOPI VVLADISLAVIENSIS AD REVERENDISSIMVM DOMINVM MARTINVM CROMERVM COADIVTOREM, ET

designatum Episcopum Varmiensem, de modo & ordine electionis noui Regis apud Varssouiam habitæ 1573.

Epistola.



REVERENDISSIME Domine. Cogitãti mihi, & vetera memoria repetenti, ex omnibus beneficijs Regno à Deo Opt. datis & concessis, nullum nec ad gloriam illustrius, nec ad vtilitatem maius, nec ad perfectionem pulcherrimi operis magis absolutum, nobis & Regno huic cõtigisse videtur, quàm quòd eius gratia negotium electionis promouente, consensu omniũ Serenissimum Principem Henricum, fratrem Christianissimi Regis Galliarum, Andium Ducem, in Regem nostrum elegerimus. Verè enim iudicando, nemo mortalium facilè credebat, vt tot nationes, lingua, moribus, legibus, studijs, voluntatibus, religionibus, inter se dissidentes in vnum, eumq; externum, terra mariq; disiunctissimum cõuenirent. Ex tam enim Senatorum & equestris ordinis conuentu frequentissimo, iam tum cùm in suffragia itum esset, vix quarta pars aliò voluntates suas contulerat, ita vt nulli iam dubium foret, eum & non alium quenquam nobis regnaturum fuisse. In quo eligendo quoniam cessarunt omnia impedimenta & difficultates, rediitque in summa licentia charitas, prudentia, ordo, modus, obsequium: à domino factum credimus, & est mirabile in oculis omnium. Quo magis tam inusitatam & inauditam clementiam silentio præterire nos minimè oportet: quinimò omnes immensas Deo Optimo gratias agere decet, qui non solùm nos Regnũque hoc ab interitu & opprobrio vindicauit, sed etiam salutem Reipub. nostræ, libertatemq; Regni, qua præ cæteris gentibus gloriamur, sartam, tectam repræsentauit. Vt igitur tale & tantum be-

beneficium in animis & memoria hominum non solùm vigeat,sed etiam ad posteros transmittatur,eisq; exemplum ad imitandum prodatur,confeci Commentarium interregni quem Do.vestrę Reuerendissimę mitto:& ab ea(quę primas, vt olim Salustius in Romana, sic illa in historia nostra, summa cum laude nominis per vniuersum orbem obtinet) maiorem in modum peto, vt eum colophonem historiæ addat. Et inicia quidem, progressus, quid quoquo loco actum sit, ex eo ipso commentario deprehendes, cæterùm de ratione consiliorum & progressu electionis,nonnulla Reuerendissimæ P. Vestræ scribenda decreui.

Equidem in omni electione hæc tria à directoribus prouidēda esse existimo. Primum vt ij qui eligunt, sine vllo metu, eligendi potestate vtantur. Deinde, vt recto iudicio, ordine debito, & modo legitimo. Postremò, quod est omnium maximum, vt cum summo timore domini ad electionem accedāt. Ea omnia in electione Regis nostri,summa fide, cura,& diligētia à Senatorib⁹ prouisa & facta esse reperies. Principio enim confinia Regni præsidijs firmanda: deinde pacem domesticam,constitutis iudicijs extraordinarijs astringendam decreuerunt. Postremò, modum & rationem eligēdi Regis tam popularem adinuenerunt, à qua nullus eques exclusus, nullus circumuētus esse videretur. Diem & locum comitiorum,habito de more & lege inter se consilio edixerūt. Sed quia omnes vnū oppidum capere nō poterat, de mādato Senatus per officiales Regni singulis Palatinatibus opida & pagi adiacentes pro diuersorijs distributi sunt. Ad communia verò consilia capienda designatus est ager prope Ciuitatem pace publica sacratus. Erat campus latè patens, in quo extensum erat tentorium ingentis amplitudinis, circumquaque ambiebant tentoria Palatinatuum siue terrarum.Cōuenit frequentissimus Senatus,& numerosissim⁹ equitum exercitus. Postquam igitur externorum Principum in maiori tentorio auditę sunt legationes,& ab vniuersis conclamatum esset, vt declarante & proponente Archiepiscopo Gnesnensi, velut Primate Regni ad eligendum Regem procederetur, factū est,vt decernēte eo ex sentētia Senatus, vnusquisq; se ad tentoriū terræ siue Palatinatus sui iuxta præscriptū reciperit. Iuêre quoq; Episcopi & Senatores:ac quem quisque locum de more & consuetudine in terris & Palatinatibus viuente Rege habebat, eundem tum defuncto obtinebat. Hymno itaque ad inuocādam spiritus sancti gratiam in singulis Palatinatibus decātato: videret Paternitas vestra Reuerēdissima mirifica hominum studia in Henricum Regis Galliarum fratrem propendentia: videret alios lachrimas fundere, & vota pro eo Deo nuncupare,alios hastas lilijs insignire:audiret diuersis in locis voces postulantium eum resonare:alios ita in suffragia ruere, vt actum esse putarent de Republica, nisi is eligeretur. Tantus inerat animis ardor, cum incredibili cupiditate coniunctus, tanta vis amoris mentes hominū accenderat. Postquam igitur Senatores cum ijs qui erant ab equestri ordine ad audiendas legationes deputati,postulata & capita earundem retulerunt: equites suo quisque loco sententiam liberè, nullo eos impediente, aut sermonem interrumpente,à maximo vsque ad minimum, cum causarum etiam explicatione, dixerunt: præeuntibus & informantibus Senatoribus, à quibus conciliabantur sentētiæ, & ad minimum numerus candidatorum redigebatur. Tādem finitis sententijs, nomen candidati & nomina equitum,ac numerus suffragiorum in scripturam redigebatur, & sigillis eorum,quò cum maiore fide Senatui exhiberetur, obsignabatur. Manebat tamen cuique potestas mutandi sententiam.Relatę sunt deinde scripturæ sigillis obsignatæ ad maius tentorium in consessum Senatus:lecta & recitata sunt nomina candidatorum, itemque numerus & nomina suffragatorū vniuscuiusque. Si numerus suffragiorum spectetur, vicit Henricus omnes,& adeò quidem vicit, vt cæteri omnes pariter eum non adæquarent.Sed cùm in electionibus liberis id maximè cauendum esse videatur, vt non ferrum, non aurum,non acclamatio,sed recta ratio, publica vtilitas, & persuasio locum habeat:res deducta est ad iudicium & ad calculum examenque rectæ rationis. Ego autem id factum esse reor ad amplificandam & eo magis illustrandam Regis electi laudem & gloriam: quò manifestè constaret, eum non casu & fortuna, non vulgari aut iuuenili impetu, aut temeritate, vel fauore: Sed interposita autoritate & iudicio grauissimo, Regem esse creatum.Cùm multum diu que deliberaret Senatus,quæ ratio esset ineunda examinis, nulla melior visa

ea, qua Græci & Romani olim, ac vt audio, nunc Veneti in deliberationibus grauissimis tam actionum publicarum, quàm causarum forensium vtuntur. Editi sunt Aduocati, singulis candidatis Senatores tres, (ex quorum numero ego quoque eram) qui eorum partes, seruato cuique suo honore, tutati sunt. Res acta est eisdem iudicibus quibus & testibus. Non erat illud certamen adulationis, sed veritatis: certabat ratio cum ratione, argumentum cum argumento, causa cum causa. Expendebantur rationes honestatis, commodorum, incommodorum, & periculorum. Nihil ibi intentatum relictum est, quod ad hoc negocium spectare quoquomodo videretur. Rigidum sanè & acre examen, sed nobis ac Reipublicæ nostræ necessarium, quo libertas, salus, & securitas Reipublicæ Regni fundabatur. Erant nonnulli Primores Regni, viri claritate familiarum præstantes, & omni genere laudis conspicui ad gubernacula Regni nominati, & multos habebant suæ causæ fautores. Quamuis autem ij virtuti suæ confiderent, sed vt ne censura de absentibus haberetur, & quòd imperaturus omnibus nō solùm ex nostris, sed ex omnibus eligendus esse videretur, vltrò & sponte sua ante incæptum examen suffragiorum prærogatiua sese abdicarunt. Porrò post conflictum rationum & argumentorum, ex his qui Henrico suffragabantur, nemo: qui verò alijs candidatis, pleriq; de sententia sua decesserunt, & suffragia sua in electum transtulerunt. Qui autem ex his tenatiores sui propositi erant, (vide singulare exemplum fraternæ charitatis) cùm assurrexisset Senatus, precesque & authoritatem interposuisset, factum est, vt ij fraternæ charitati honorem haberent, & mutatis sentētijs suis, Gallorum Regis fratri adstipularentur. Sic illa die concordia, Regis nostri virtute, nostro consilio quæsita est. Post talem consensum postulatum est ab Archiepiscopo, vt electum de more renunciaret Regem: ad quod is paratus erat. Sed quia ea die sol vergebat ad occasum, ne quid ea res mali ominis haberet, petentibus alijs, renunciatio in diem perendinum dilata est. Actum est id pridie Pentecostes, intercesserunt dies sacri Pentecostes, quibus tuba euangelij per vniuersum mundum intonuit. Stuporis sanè & admirationis res plena est: quis enim vnquam audiuit & legit prorogari non solùm in dies aliquot, sed in horam consensum electionis, cùm vnum punctum & momentum temporis magnam conuersionem animorum afferre soleat? Sed voluit Deus Optimus Maximus prædestinationis suæ immutabilem voluntatem hac constantia voluntatis nostræ clarescere. Die Lunæ sequenti nihil de voluntate & ardore animi imminutum: quamobrem nulla interposita mora, cum de alijs inter nos non conueniret, de Henrico in Regem renunciando nihil controuersiæ erat. Itaque Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus & electo Regi & Reipublicæ, totique Christiano orbi fausta præfatus, Henricum Andium Ducem solenni ritu Regem renunciauit. Quam renunciationem quæ & quales acclamationes, egregiæ voluntatis significatrices subsecutæ sint, res est ita nota, vt non indigeat longiori sermone. Totus ille campus resonabat gratiarum actionibus, clãgore & sonitu tubarum, omnes priuatim & publicè, domi & foris vehementer lætati, fausta & fœlicia Regi suo ex animo precabamur. Eadem die acciti sunt Gallici oratores, ad tractandum de conditionibus oblatis: quæ licet luculentæ esse viderentur, non tamen tantæ, vt prius de ijs verbum faceremus, quàm in personam Regis conuentum fuisset. Ex quo apparet, nostros in Rege eligendo non spectasse commoda quæ offerebantur, sed solam virtutem, non quid daret aut secum afferret, sed qualis Princeps futurus esset. Conuentum de conditionibus. Die demum quarto, de more & consuetudine, Marschalci Regni renunciatum in consilio à Primate, de omnium sententia Regem publicarunt cum promulgatione edictorum per vniuersum Regnum. Quantum iterum ea die lætati sumus, quantas Deo patri omnium misericordiarum, & publicè, magnoque ad templum concursu, & priuatim per omnes domos gratias egimus, omnes norunt qui adfuerunt. Decebat nimirum, vt vltima primis responderent, vt hoc negocium desineret in gratiarum actione, cùm initium cepisset ab inuocatione spiritus sancti. Flere magis libet præ gaudio quàm dicere, cogitanti mihi de ardenti deuotione nostrorum. Multi Senatorij & equestris ordinis viri, antiquo more, sacramento corporis & sanguinis Domini se procurarunt, multi cōdonatis offensionibus & iniurijs suis Reipublicæ, in gratiam redierunt. Hic

ego

ego Reuerendissimæ Paternitati vestræ mirabilem & inusitatam, ac planè diuinam electionis huius rationem, quantum verbis consequi potero, ostendam. Si Deus specie visibili in terras delatus, ab hominibus dignè excipiendus esset, rem necessariam omnes iudicarent, vt præparentur animi hominum ad pietatem, reconciliarentur inter se dissidentes, pax priuatim & publicè coleretur, sacerdos & omnis clerus oraret, turba infantum ac multitudinis ieiunijs se affligeret, Duces populi & reliqui sacramentis se procurarent, quo castis mentibus, vestiti charitatis luce, iustitiæ margaritis ornati, nitidi honestate, Deũ dignè exciperent. Simili certè ratione & studio ad electionem Regis à nobis processum est: hac mira varietate virtutum repurgati ad eligendum Regem accessimus, vasa nostra sordibus vitiorum exhausimus, offensas mutuas & odia deposuimus, sacrificia contriti & humiliati cordis obtulimus. Non iudicauimus nos idoneos, vt ipsi ex nobis faceremus electionem, eoque cupiebamus aliquo signo doceri de voluntate Dei, qui summa hæc dirigit, qui nouit omnia vtiliter dispensare, à quo solo proficiscitur omne donum optimum, & omne datum perfectum. Exaudiuit Dominus preces nostras, & voluntatem suam nobis declarauit, primùm excitando foris famam nominis electi nostri, deinde amorem illius nobis inflammando. Vide miraculum. Qua hora de eligendo Rege agi cœptum est, eo ipso temporis puncto & momento, tot nationes, lingua, moribus, & locis inter se disiunctissimæ in vnius personam voluntates suas contulerunt. Quid? poteratne diuinæ voluntatis certius edi testimonium, quàm quòd vno & eodem tempore corda & voluntates hominum in vnum conuerteret? Non erat hæc res humani consilij, sed Dei opus: ad cuius nutum & mandatum repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum.

Libeat ex his intueri diuinæ benignitatis erga nos clementiam. Duo mala maximè omnium post mortem Regis metuebamus, bella ab hostibus, ac motus domesticos inter ciues. Corrupta enim morum & artis militaris disciplina, contumacia & dedignatio parendi in eorum locum successerat. Sustulerant ergo tum animos hostes, nec iam nobiscum de sua libertate, sed de nostra seruitute certabant. At nunc melius quàm sperabamus gratia Dei omnia euenisse videmus. Redijt terror & metus hostibus, obedientia, obsequium nostris Moschus se tenet: Valachus pacem petit: Turca nusquam aliàs legationem magis amicam cum delatione auxiliorum, quàm nunc, misit. Quid mirer magis? prudentiamne, fidem, curam, diligentiam Senatus: an verò obsequium & moderationem equestris ordinis? Statim enim audita morte Principis, quasi conspiratione facta, Conuentibus actis in Palatinatibus quique suis, constitutis extraordinarijs iudicijs, vt ne qua vis aut cædes fieret, pacem domesticam firmarunt, & finibus Regni milite stipendiario, qui arte militari & viribus pollerent, prospexerunt: quorum plerique amore patriæ voluntariè militarunt: alij verò qui ingenio & consilio præstarent, ad Comitia Regni profecti sunt: quorum tanta reuerentia erga Senatum enituit, vt in eligendo Rege nullum consilium separatim, nec per submissas aliquas personas agerent, sed communia consilia haberent. Adde, quod ad electionem procedere noluerint, nisi declarante id ex Senatus sententia Archiepiscopo tanquam Primate Regni, cui propriè competit, consilij ordinem & processum electionis proponere. Constabat Marschalcis suum officium: nam præter ius rogandi sententias, mandante Senatu distribuebant hospicia, & pacis publicæ custodes erant. Quæ quidem ita sanctè ab omnibus culta est, vt ante & post edictum de mandato Senatus promulgatum, nulla cædes, nullum iurgium commissum esse diceretur. Libet hic commemorare insigne factum duorum equitum, qui antiquas inter se inimicitias gerebant, cùm alter alterum in campo patenti conspexisset, paucis id animaduertentibus, strictis gladijs ad se concurrerunt. Et cùm iam manus conserturi essent, substitit vterque, tali sermone ad se vsi: Nisi me reuocasset temporis huius ratio, & amor pacis publicæ, ferrum inter me & te finem inimicitiarum hac hora fecisset. His dictis vterque nullo accepto vel inflicto vulnere recessit. Videt Reuerendissima Paternitas Vestra in ipso calore iracundiæ magnam moderationem animorum. Constabat etiam in eo actu cuique sua libertas, nam vniuscuiusque nomen & suffra-

gium in scripturam redigebatur: vt nec candidatus fraudaretur suffragio, nec is qui suffragium ferebat, inani libertatis nomine gauderet. Neque verò quisquam satis dignè laudare potest, quòd in territorijs siue Palatinatibus iuncti fuerint Equestri ordini Senatores, quibus hæc prouincia iniuncta erat, vt in suo quisque territorio siue Palatinatu omnes rationes honestatis & commodorum ad informandos aliorum animos exponeret, sentẽtiasq; conciliaret. Viderat enim prudentissimus Senatus, nulla ratione facilius posse conciliari diuersitatem & contrarietatem sententiarum, quàm prudentia & autoritate Senatorum, qui melius cognitas habent rationes status Reipublicæ, necessitatis, periculorum, & commodorum, secutus autoritatem cuiusdam asserentis. In populari statu Rerumpublicarum ita demùm à vulgo ritè mandari Magistratus & officia, cùm iunioribus intersunt Seniores, quorum illi reguntur consilio. Ac mea quidem sententia hoc consilium Reipublicæ nostræ salutem peperit. Cui autem verius competit directio siue moderatio omnium actionum tempore interregni, quàm Senatui? dico vnito. Necesse est enim ad hoc, vt sit ordinata multitudo, vnum aliquem eminere. Sed quis potius emineat, quàm is, qui ætate, consilio, prudentia, loco, & dignitate cæteros vincit? Natura hoc ita fert & constitutio Reipublicæ nostræ. Constat enim Rege, Senatu, & equestri ordine. Et alia quidem officia sunt senatorum, viuentibus Regibus, alia equestris ordinis. Sanè mortuo Rege, tribunalia & iudicia quæ nomine Regis vigorem obtinent, cessant & silent: autoritas certè Senatoria, si vnquã certè eo tempore difficili ac periculoso in repræsentanda salute, & in dandis sanis & salubribus consilijs elucescere, & pro ratione iurisiurandi præ cæteris eminere debet. Sanè tam Reuerendissimi Primatis, quàm Senatorum Regni tanta vigilãtia emicuit, vt septimo post mortem Regis die, triginta plus minus Senatores Louicium veteri more conuenirent ad consultandum de Republica, alij vltrò, alij literis inuitati. Cernit Reuerendissima Paternitas Vestra corpus Reipub. nostræ capite quidem, hoc est, Rege carens, viuum tamen nõ mortuum: videt quomodo in salute Reipublicæ tuenda omnia membra conuenirent, suum quodque negocium agit, non se in alterius officium ingerit. Miles à finibus hostem arcet: Officiales siue Magistratus Regni mandante Senatu officia obeunt: Senatus lancem, libram, & regulam agendorum tenet: Primas Regni omnibus actionibus è sententia Senatus moderatur & dirigit: Reliqui parent. Ex quibus omnibus superius commemoratis manifestissimè cõstat, quod nos eum Regem elegimus suo loco, suo tempore, ad normam & præscriptum omnium ordinum Regni, summo iudicio, non tumultuariè: elegimus sine vlla difficultate, non inuiti nec coacti, non pauci sed vniuersi, non vnius status, sed omnium ordinum cõsensu, non necessitate, sed voluntariè, sine fraude & dolo. Dolus enim & fraus cum timore domini, fictio cum veritate & charitate, temeritas cum consilio, non commiscetur. Elegimus ex abundantia amoris, cum summa hilaritate, instinctu, vt credere par est, spiritus sancti.

Fuerit sanè quispiam detractor actionum spiritus sancti, & diuinæ voluntati non obtemperans, honoris Regij atque laudis nostræ inuidus, qui dicat rem fuisse instructam. Quamuis & recens memoria facti, & hæc tota ratio eligendi Regis apertam calumniam facilè refutat: tamen augeamus suspicionem, vt diligens inquisitio adhibeatur: excutiamus recessus & latebras animorum. Quæram ex eo, à nostris, an ab extraneis res instructa est? Si ab extraneis, quomodo verisimile est, quenquam tot nationes, spatio terrarum disiunctissimas, linguis & moribus inter se dissidentes, non solùm obire, sed etiam ad voluntatem suam pertrahere potuisse? Sin à nostris, absit, vt hoc de fratribus credamus. Nõnulli extranei homines, cursibus suis ac literis scriptis leuiusculos rumores & suspiciones inter nos sparserant: Deus bone, quàm acriter inquisitum est in scripta, facta & dicta hominum? Graue erat, acerbum, & oculis non ferendum spectaculum, cùm in consessu & conspectu vniuersorum viri nobiles & optimè de Republica meriti nullo teste, nullo argumento, nullo iudice, alieno loco & tempore, ex sola suspitione in crimen vocarentur. Nec tamen inquisitiones & vexationes huiusmodi, quas nostri Rug appellant, fructu suo caruerunt: nam cùm non modò nullum crimen, sed nec suspicio quidem in aliquo ex his hæsisset, factum est, vt alius de alio bene sentiret & confide-

sideret. Ac mea quidem sentētia, si quis diligentius rem inspexerit, reperiet, nihil plus momenti ad expediēdum hoc negocium attulisse, quàm quòd mitigatis affectibus, resecatis suspicionibus, vacui præiudicatis, sine dolo & fraude, purè, cum timore domini ad eum actum accessimus, ac veluti turbata aqua oculus nihil videre, postquam lutum resederit omnia penetrare potest, ita nos summotis suspicionibus veritatem tanquam lucem aspeximus.

Hæc est vera & simplex rei gestæ narratio, hæc consiliorum ratio. Hic actus, mea quidem sententia, æterna memoria dignissimus est, quo nihil illustrius, nihil vtilius, nihil pulchri⁹ & perfectius esse potest. Nihil in eo abfuit, quod adesse debuit. Abfuit metus, & quælibet vis, abfuit confusio, abfuit dolus & fraus: adfuit libertas suffragiorum, adfuit deliberatio & iudicium rectum, adfuit ardens studium & summa concordia, adfuit pietas & deuotio. Magnum nos certè fructum cum incredibili gaudio in theatro totius orbis cœpimus libertatis nostræ, cùm eum optimum ex optimis Christiani orbis Principibus Regem & moderatorem Reipub. nostræ elegim⁹. Alijs populis Reges edit successio, casus, fortuna, sors: nobis eum cōsilium sanū, iudicium rectum, libera voluntas, & chara vnitas, opus verè spiritus sancti, electam gēmam totius Christiani orbis (pace aliorum dixerim) edidit. Non hic sanguinis coniunctio, non vicinitas, nō fœdera, non officiorū ratio valuit. Non quæsiuimus etiam Regem domi, & in gremio gentis nationisque nostræ: hic nobis optimus & coniunctissimus, qui optimus Reip. nostræ præ cœteris vtilissimus esse videbatur. Quod Henrico Andium Duci meritò contigit. Quis enim eo est splēdore familiæ clarior, nobilitate virtutum præstantior, vsu & experientia rerum exercitatior? qui maiora ætate sua magnarum virtutum edidit specimina. Regnum Galliæ vicaria potestate Christianissimi Regis Galliarum fratris, fœlicissimè administrauit, rebelles fortissimè pugnans vicit, pacem publicam cōstabiliuit: disciplinam rei militaris restituit. In quo modestia, iustitia, pietas, & omnis chorus virtutum sedem & domicilium fixisse perhibetur. Cumque habeamus hos sponsores & fideiussores, atque adeò pignora, speramus diuina freti benignitate benè cœpta ad optatum exitum deductū, & omnia nostra atque illius consilia actionesque cœlitus gubernatum iri. Nihil iam restare videtur, nisi vt Deus Opt. saluum & incolumem ad nos deducat. Ego certè pro aduentu illius, quemadmodum ipse orare non desisto, ita clerus per diœcesim meam iuxta formulam à Paternitate V. Reuerendissima conscriptam continuè orat: & confido in domino, eum fore Ducem itineris, qui author fuit honoris.

Hæc prolixius quàm institueram Paternitati V. Reuerendissimæ scripsi, & eidē fortasse molestus fui, quòd cùm Paternitatem Vestram Reuerendissimā patriæ ac Reipub. cognouerim amantissimam, nota eidem omnia consilia nostra esse volui, vt à me haberet veritatem historiæ. Ego enim omnibus his interfui, & statim post mortem Regis ad Reuerendissimum Do. Archiepiscopum Primatem Regni, tāquam ad moderatorem harum actionum accurri, eumque præsens consilio & opera iuui. Maioremq; in modum Reuerendissimam P. vestram rogo, vt in eo actu posteris transmittendo elaborandum sibi omnino putet. Quo nomine nos omnes, tota Polonia, & posteritas Reuerendissimæ P. V. plurimum debere profitebimur. Datum VVladislauiæ 21. Septembris 1573.

STA-

STANISLAI KARNKOVII EPISCOPI VVLADISLAVIENSIS, AD HENRICVM VALESIVM POLONIARVM REGEM DESIGNATVM PANEGYRICVS.



I aut res ipsa id desideraret, aut verò per rationes regni publicas licitum nobis id fuisset, Serenissime Rex, profectò nihil libentius hoc tempore fecisset tum Senatus ipse amplissimus, tū Equester ordo vniuersus, quàm, vt frequentes admodum hunc in locum, honoris tui gratulationisq; causa, confluerent, & lætitiam, quam ex hoc fœlici tuo ad se aduētu capiunt, præsentes pro se quisq; testarentur. Verùm quoniam & rei quidem ipsi aliter satisfieri posse videbatur, & præsens status temporum Reipub. nostræ, tantum concursum in hoc loco, quantus ex omnium ordinū hominumq; conuentu futurus erat, nō ferebat: idcirco nos vice omnium ablegati sumus, qui his partibus apud te pro omnibus defungeremur. Quod sanè, pro eo ac debemus, facimus, teque Regem à nobis prius expetitum, mox electum, nunc verò tandem ad nos fœlicibus auspicijs aduentantem, omnium nomine, summa cum veneratione excipimus, & exceptum optimis omnibus ominibus prosequimur, aduentumque hunc tuum verè & ex animo, cùm tibi, tum reipub. nostræ gratulamur. At quāta quæso alacritate animorum? Equidē si nos spectas, quos coràm intueris, tanta alacritate, quantam maximam capere animi nostri possunt: sin eos, à quibus tibi obuiam prodire iussi sumus, profectò nulla est tāta dicendi copia, quæ incredibilia illorum erga te studia verbis cōsequi, nulla tāta ingenij vbertas, quæ immensam illam lætitiæ vim, quam ex omnibus tuis rebus bonis capiunt, satis comprehēdere posse videatur. In quo campum mehercule illum Varsouiensem, qui electioni tuæ dicatus fuit & consecratus, appellamus: qui quidem donec præterlabentis Vistulæ fluctibus alluetur, testis erit locupletissimus egregiæ nostræ erga te familiamq; tuam regiam voluntatis. Appellamus etiam in eo cùm vniuersum illud electionis tēpus, quod consiliorum actionumq; nostrarum ad tuam gloriā destinatarū fuit conscium, tum verò inprimis faustam illam, & in omnem posteritatem Gallici Polonicique nominis memorādam diem, qua te, concordibus admodum omnium non solùm ordinum, sed etiam hominum suffragijs, Regem nōstrū renunciauimus: quæ quidem dies testis est eritq; in perpetuum, nostræ nō modò de tua virtute, industria, sapientia, felicitate, præclarissimæ opinionis: verùm etiam de rebus tuis prosperis & ad voluntatem fluentibus singularis gratulationis. Etenim cùm primùm in ipso electionis nostræ initio, sanctū Dei Spiritum solenni hymno supplices de more venerati essemus, vidisses confestim, alios præ gaudio & iam tum erga te studio singulari, lachrymas fundere, ac pro te Deo Opt. & Max. vota nūcupare, alios hastas suas lilijs tuis cadētibus insignire: audisses verò deinde alios extra suffragia, suis vocibus tuum nomen assiduè ingeminantes: alios autem in media ferendorum suffragiorum religione, ita nomini deuotos & ad dictos tuo, vt, nisi tu Rex noster eligereris, actū esse propemodū putarent de repub. ipsa vniuersa. Quid dicam te Rege electo & renunciato? Muta medius fidius ipsa & inanima, cāpi, syluæ, prata, nemora, agri, fluuij, ripæ, laudes tuas, permisto tū hominum applausu, tum auium concentu, tum equorum hinnitu, personare quodammodo videbantur. Atque hæc quidem, etiam tum absente te, & Rupellana obsidione ita in Gallia occupato, vt in illo strepitu armorum, vix Poloniæ nostræ meminisse posses, apud nos sic fiebant: quid nūc censes, cùm te, opem, salutem, præsidiū, &, vt vno verbo dicam, Regem nostrum, saluum & incolumem, ad regnū tibi diuinitus decretum, & à nobis delatum aduenisse, cæteri passim omnes audiunt, nos verò, quos hic publico nomine coràm adesse vides, etiam præsentes intuemur? Equidem vt gustum iam nūc aliquem habere possis eius lætitiæ, qua omnes regni ordines, sacri, profani, summi, medij, infimi, ex aduentu isto tuo prospero & salutari perfunduntur, recensebo tibi breuiter totius electionis nostræ rationem.

Sic

Sic enim te ipsum, & paulo antè diuinitus ad inclyti huius regni gubernacula, summa nostra volūtate electum ac vocatum esse intelliges, & nunc aduentantem, singulari cum studio excipi à nobis & regno inuitari perspicies & cognosces.

Ac mihi quidem tribus potissimum temporibus eluxisse videntur in hac electione singularia tum Dei Opt. Max. de te iudicia, tū gentis quoq; ac nationis nostræ erga te studia. Nam & renuntiationem ipsam electionis, antecesserunt nonnulla eiusmodi, quæ iam tum nostrorum hominum erga te studia nō ob scurè præ se ferre videbantur: & deinde, tam in renūtiatione ipsa electionis, quā post renuntiationē etiam ipsam, ea consecuta sunt, quæ maximo tibi argumento esse debeant ardentissimæ nostræ erga te voluntatis. Quæ tu sanè hoc loco dum breuiter cognoscis, debebis profectò & honorem quidem Domino Deo debitum tribuere, & nos quoq; eiusmodi nostro merito, pro singulari tua humanitate adamare.

Nam cū respublica nostra tribus maximè hominum ordinibus cōtineatur, Regia potestate, quæ imperat, Equestri ordine, qui paret, & Senatorio, inter hos interiecto, qui consulit: profectò exempto ex rebus humanis Rege Sigismūdo Augusto; ita vt nullus tum alius nobis superesset Rex, siue natura factus, quod est prorsus à legibus & moribus nostris alienum, siue electione nostra designatus: constabat in vniuersum, omnem regendę & administrandę reipub. rationē ad Senatum & ad patres necessariò redijsse, vtpote quorum ætas, dignitas, cōditio, alteri⁹ illius in repub. alioqui honestissimi ordinis ętatē, dignitatem, conditionem, sine dubio antecellat. Cumque adeò inter patres ipsos, magna quædam & præcipua excellentia ac præstantia singularis, Archiepiscopis Gnesnensib. legibus ac moribus regni nostri sit attributa: qui & Rege ipso viuo primas partes secundum eum in regno obtinēt, & eo vita functo, omnia publica consilia moderantur more maiorum: hoc quidem in omnes partes tutius, quòd, cùm inter ecclesiasticos homines, quibus persona regia rectè imponi non potest, censeantur, à suspicione regni affectati prorsus sint remoti. Inde factum est, vt redacta sanè repub. rege mortuo in Senatus potestatem, vt diximus, confestim data sit à nobis opera, vt conuentus Senatorum, cùm alibi, tum Louicij inprimis septimo ferè post regis obitum die, & deinde aliquanto pòst Varsouiæ, per nos haberentur. Quibus quidem vtrisque in conuentibus cùm Archiepiscopus ipse non solùm interesset, verùm etiā, vti oportuit, pręesset, prouisum est diligenter præter cætera quæ ad futuri regis electionem pertinebant, vt modus quoque & ratio inuestigaretur, atque etiam de sentētia omnium præscriberetur, tum regni finium milite firmandorum, tum iudiciorum deniq; domi constituēdorum per tempus interregni. Vt ita duo firmamenta duobus illis malis opponerentur, quæ tum temporis regno ipsi maximè impendere, & maximū periculum creare posse videbantur. Nā & mores profectò ipsi impunitate superiorum temporum corrupti, licentiam magnam in populo generauerant, quæ necessariò videbatur esse rigore iudiciorum astringenda: & desuetudo præterea rei militaris in animis nostris, quos non mediocriter ocio illo diuturno elanguisse, hostes ipsi persuasum habebant, facile, per hanc occasionem regis mortui, incursiones, eorum in hoc regnum potuit excitare: quæ sanè, nisi terrore armorum & præsidiorum nostrorum opposito, rectè reprimi non potuerunt. Itaque duabus his rebus perfecimus, Rex, vt per totum hoc Interregni tempus, quod fuit, vt scis, plusquam annuum, regnum ipsum primò integrum, nec quicquam ex eo statu, in quo à moriente rege relictum fuit, per hostes externos diminutum, deinde verò nullis nouis difficultatibus domesticis implicatum, per Dei gratiam cōseruauerimus. Quę res si fortè olim non vsque adeò ad te pertinuit, cùm tu necdum Rex noster creatus esses, nec inter competitores regni nostri solus numerarēre, nunc planè diuinitus tota cessit in beneficiū tuum: cùm regnum ipsum per Dei gratiam in is incolume, & nullis recēns excitatis difficultatibus impeditū. Sed quid postea factum est? Dicā, vt iam propius res ipsas tuas contēplari incipias. Quę.n. hactenus dicta sunt, ea magis ad cōstituendas interregni rationes, ante noui regis electionē q̄ ad electionē ipsam vidētur pertinuisse. Cęterū cōstituto iam ex S.C. die & loco eiusmodi electionis, cōstituto autem ad Varsouiam in campo Camionensi, ad diem Aprilis quintam, conuentum est magno Senatorum & infinito Equitum numero: qui quidem conuentus eiusmodi, omnium intuentium oculis, delectus cuiuspiam frequētissimi, vel potius centuriatorum Romanorum comitiorum speciem re-

5 Aprilis Translatio S. Venceslai martyris

præ-

præsētare videbatur. Vbi exauditis ante omnia, in maximo tabernaculo, quod de industria cōmunibus omnium Palatinatuum negocijs militariter positum ac præparatum fuit, externis legationibus, quæ sanè nec paucæ numero, nec dignitate mediocres erant: à plerisque enim summis orbis terrarum principibus & monarchis missę & ablegatæ fuerūt: posteaquam à Nobilitate ad electionem conclamatum, & ab Archiepiscopo Gnesnēsi, qui semper habitus est princeps & os Senatus, decretum ac pronunciatum esset, vt in singulorum Palatinatuum tentoria, quæ maximo illi tabernaculo vicina, circumcircà fixa fortè ac locata erant, veluti in tribus quasdam & classes discederetur: tū repetitis summatim capitibus singularum legationū externarum in singulis Palatinatibus, propter eos, qui exponēdis illis aut adesse ipsi tam frequenti numero, aut verò, etiam cùm adessent, exaudire fortè eas non potuerunt: & repetitis quidem per Senatores ipsos, ac eos prætercà, quos Nobilitas ipsa ex se, ad exaudiendas & sibi referendas legationes eiusmodi, iam antea designarat, itum est in suffragia. In quibus ferendis (libenter enim ea persequimur, quæ ad demonstrandam singularem huius istius electionis nostræ cautionem videntur pertinere) ea moderatiōe vsi sumus, vt neque quisquam nostrûm suffragio excludi, neque idem ex aduerso libertate sua abuti videretur. Dixit enim qui voluit, & quod voluit, & quādiu voluit, Senatoribus tamē præeuntibus, & varietatē sententiarū conciliantibus, & candidatorū numerum ad minimū, quo ad eius fieri potuit, redigentibus, & deniq; nomina tum cādidatorum tum suffragatorum in scriptum referentibus, & sigillis prætereà cuiusque obsignantibus: sic tamē, vt mutandæ suæ cuique sententiæ potestas ad extremum remaneret. Quid tum postea? O singularem & planè diuinam sortem tuam. Referuntur tabellæ suffragiorum scriptæ & obsignatæ, in maximum illud tabernaculum, & in conspectum Senatus vniuersi. Leguntur & recitantur nomina tam candidatorum, quàm suffragatorum. Ecce autem primam honoris tui prerogatiuā. Vincis enim, Henrice, iam tum quoq;, & superas suffragiorum numero competitores omnes: & vincis quidem sic, vt, si numero solo standum esset, tu reliquos omnes, illo iam ipso tēpore, longo post te interuallo relinqueres, & ipse sine mora Rex euaderes. Verùm id quoq; ad maiorem laudis & gloriæ tuæ materiam ac segetem, aliquantisper dilatum fuit. Nā cùm Deo inprimis Optimo & Max. qui tui capitis tuique honoris singularem curam gerit, deinde nobis etiam ipsis, qui te Regem habituri eramus, parum visum esset, te numero solo suffragiorum Regem designari, nisi etiam ponderibus ipsis & momentis suffragiorū à nobis designarêre, inita est altera quoque Regis eligendi ratio, à moribus planè aliarum cùm veterum tum recentium bene ordinatarū Rerumpublicarum minimè aliena, vt nimirum sui cuique candidato veluti patroni & aduocati ex Senatoribus cōstituerentur, viri non magis auctoritate quàm prudentia & eloquentia insignes, qui causam candidati cuiusque ita cum omni verborum honore tuerentur, vt acerbitati quidem verborū in alienum candidatum parceretur, momēta autem honestatis, vtilitatis, & aliarū rerum ac rationum omniū, quæ in hominum deliberationibus versari consueuerunt, diligētissimè excuterentur. Vt ad eum iam modum non tam fauor cum fauore, aut studium cum studio, quàm res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione, argumentum cum argumento, ex propinquo confligere videretur. Seuerum & graue disceptandi genus, addo etiam fortassis rigidum: sed quo rigidius, hoc & nostris sanè rebus conducibilius, & tibi, Rex, qui hoc etiā contentionis genere superior, Deo fauente, euasisti, honorificentius. Quid enim factum est? Principio, nostratium plerique, viri & claritate familiarum præstantes, & meritis in Rempub. insignes, qui inter competitores, fauore nōnullorum ex Equestri ordine erant nominati, vltro se eo fauore abdicarunt: vel quòd iam tunc tibi ac dignitati tuæ excellenti, volentes concederent, vel quòd omninò videri nollent, suo se siue iussu, siue conatu, siue adeò voluntate, inter competitores regiæ dignitatis fuisse nominatos. Deinde illorum quoque magna pars, qui alijs candidatis (vti accidere necesse fuit, in tam ampla & libera republica) studere non obscurè videbantur, exaudita illa ac perpensa conflictione rationum, non inuiti de priore sententia decesserunt, & in te suffragia contulerunt. Ita cùm cæteri quidem sententias suas desererent, tui autem suffragatores in sententia permanerent, factum est, vt sicut prius numero, ita tunc pondere quoque suffragiorum, reliquos omnes competitores anteires,

teires,& re ipſa Rex iam propemodum fieres. Reſtabant enim pauci parti um contrariarũ:quibus cùm odioſa illa ac permoleſta cauſarum conflictione iterum pugnare, cùm ex mutuo amore eſſe non videretur,neq; ſuadendo quicquam amplius proficeretur,gratia & rogando in partes ſunt pertracti. Dederunt enim hoc precibus & auctoritati Senatus,qui id ab eis aſſurgens poſtulauit, dederunt modeſtiæ ſuæ, dederunt denique communi concordiæ, vt in te non inuiti quoq; ipſi conſentirent. Ita iam ex eo tempore Rex noſter electus & deſignatus es,& regnum,quod antea, partim diſpoſitis per confinia præſidijs integrum,partim conſtitutis per Palatinatus iudicijs expeditum conſeruabatur, in incertum tum adhuc quidem, quem regnare velit hera, quemúe ferat fors,id tibi deinde potiſſimum decretũ à nobis,& quaſi diuinitus adiudicatum eſt,ſumma cum noſtri erga te amoris, ſumma etiam cum diuinæ beneuolentiæ teſtificatione. Quid enim ſiue à nobis,ſiue à Deo etiam ipſo immortali, in hac mortali vita tua illuſtrius ad tuam laudem excogitari potuit, quàm te vnum,ex tot gratioſiſſimis ac potentiſſimis competitoribus, tanta varietate & copia ſuffragiorum bis, concorditer, non ab vna aliqua prouinciarum, ſed ab omnibus prouincijs,nec à prouincijs tantùm, verùm etiam à ſingulis propemodum hominibus (quæ res non tantum effectu eſt admirabilis, ſed etiam ratione ipſa) tanti & tam latè patentis regni dominum,ac regem denique noſtrum eſſe deſignatum? Quæ cùm ita ſe habeant, eritne adhuc obſecro quiſpiam,qui ea,quæ in hac tam exquiſita electionis ratione, tam accuratè & tam diligenter geſta ſunt,aut ad temeritatem fortunæ referat,aut,quod etiam multò faciat impudentius,vel fraudi alicui occultæ, vel deniq; apertæ ipſi vi tribuenda exiſtimet? Quid habet, quæſo,fortuna cõmune cum ſuffragio libero? quid rei eſt temeritati cũ ratione? quid fraudi cum conſilio? quid vi cum precibus? Quod ſi quid etiam eſſet,agè referat mihi ſaltem quiſq; oculos paulisper ad illas tum noſtras inter nos acres admodum & nimium ſeueras in hoc genere inquiſitiones. Deus bone quid prætermiſſum eſt ad inueſtigandas, ſi quæ eſſent,latebras talium conſiliorum? quid in ijs non quæſitum? quid non productum in medium? quid non excuſſum ab omnibus? quid non ad faſtidium vſq; examinatum ac expenſum eſt? & tamen nihil repertum eſt eiuſmodi, quod non modò rem,ſed ſuſpicionem ſaltem aliquam veriſimilem venditi cuiquam aut promiſſi, aut etiam vi expreſſi ſuffragij habere videretur. Atque hæc ſunt quidem primi temporis, noſtræ erga te obſeruantiæ, & diuinæ denique beneuolentiæ non obſcura argumenta.

Sequitur tempus alterum,in quo ſingularia noſtra erga te ſtudia, & multo etiam magis diuina ipſa beneficia eluxerunt. Eſt autem tempus renunciationis ipſius:quam ego ſanè breuiter ſic exponam. Electio & deſignatio tua, de qua modò loquuti ſumus,in diem eam incidit,quæ fuit pridie Pentecoſtes,diei ſolenniſſimæ & apud Chriſtianos omnes religioſiſſimę.Incidit autem in tempus veſpertinum. Nihil vetabat amplius, quominus iam ita non modò electus ac deſignatus, ſed etiam omnibus rationibus euictus,& ab reliquis omnibus competitoribus ſolus defenſus ac vindicatus, Rex eueſtigiò ꝓmulgarêre & renunciarêre: & certè,vt id ita fieret, multa ſimul non ſolùm deſiderare,ſed etiam poſcere ac contendere videbantur. Quid igitur obſtitit, quominus fieret? Num tribuum fortaſſe fauor repentè commutatus? Minimè. Fremebant enim vno ore omnes,& renunciationem tui ſumma cum contentione flagitabant. Num igitur aduerſariorum competitorum potentia? Nequaquam. Hi enim aut nulli iam tum fuerant, aut omnem profectò contentionem abiecerant. Num igitur Archiepiſcopi Primatis, cuius illud renunciandi munus fuit proprium atque legitimum, aut alienus, aut alioqui minus promptus animus? Ne id quidem. Is enim non modò ad promulgandum & renunciãdum ex officio ſuo, ſed etiam ex ſingulari ſtudio, ad refutandum, ſi quis fortè moram afferat, paratũ ſe eſſe oſtendebat. Quid igitur? Equidem nihil planè eiuſmodi, quod iuſta aliqua ex cauſa rem impedire potuiſſe videretur:illud potius,quod non ſolùm impedire aut morari nõ debebat, ſed etiam, quod maximè mirum eſt,tanto magis vrgere rem & accelerare debebat: Sol occaſus & ſerum ipſum diei: cum videlicet homines non ſolùm publica, ſed etiam priuata ſua, nec ſolùm iam facta & finita, verùm etiam inchoata & imperfecta,ad exitum tanto celeriorem ſtudent deducere. Sed nimirum ominis neſcio cuius leuiſſimi metus ob oculos verſabatur hominibus

tui studiosis,ne esset deinde,qui te,vt est his nostris temporibus admodum dicax sæculum,ex caligine & tenebris erutum,& obscurum nescio quem in hanc lucem regni subitò protractum Regem esse conuiciari possit. Res igitur dilata est in diem perendinum. Si aut exemplum quæras, aut rem ad rationem reuoces,nihil alienius:sin exitum spectes, nihil admirabilius. Quæ enim ratio reperiri potest,cur certa iam res,& omnibus suis numeris absoluta & confecta à calce denuò ad carceres reuocari,& infinitis rursus casibus, ac nouis rerum conuersionibus fieri debuerit obnoxia? aut verò quàm multa tãdem, ex omni omnium annalium memoria exempla proferas,differendæ,non dico in diem, sed vel in horam saltem eiusmodi promulgationis?vbi præsertim electio ipsa omnibus in rebus rectè atque ordine gesta & administrata fuerit? Et tamen, quod aliàs non ferè solet euenire, id, cùm de tuo honore ageretur, euenit, promulgatio ipsa & renunciatio electionis perfectæ tuæ, vt in diem perendinum differretur. Quid igitur? Num quis nos casus aduersus interpellauit? num quæ vel leuissima saltem conuersio remorata est diuinam siue electionem,siue adeò renunciationem tuam? Minimè id quidem. Nam cùm deinde, vno pòst interiecto die, ad comitia intermissa redijssemus, etsi alijs quibusdam de rebus controuersiæ non deessent,de te tamen Rege cõtrouersia nulla prorsus extitit. O diuinam in rebus mortalium curam & prouidentiam immutabilem & æternam. O diuini & singularis fauoris erga te specimen diuinum & admirabile. O insigne testimonium ad perpetuitatem,eos qui Deo fidunt, in medijs etiam rerum motibus & concussionibus,elusum non iri.Itaq; sanè nulla interposita mora, Gnesnensis Archiepiscopus iure & prærogatiua sua, QVOD TIBIQVE, NOBISQVE, REIQVE PVBLICAE NOSTRAE, GALLICOQVE ET POLONICO NOMINI, TOTIQVE ADEO ORBI CHRISTIANO, BONVM, FAVSTVM, FELIXQVE SIT, præfatus cùm esset, te Regem nostrum verbis solennibus de more renunciauit. Quem ipsum deinde aliquot diebus interiectis Marsalci regni sequuti sunt: qui more & consuetudine maiorum, renunciatum per tribus publicarunt. O faustos ac felices dies illos. O lætas nostras acclamationes. O gratissimas tum Deo immortali supplicationes nostras,cùm renunciatione per Archiepiscopum facta, e uestigiò inde moti,magno concursu ex campo in vrbem facto, templum vrbis primarium certatim adiuissemus, & eidem illi præpotenti Deo, cui olim suffragia inituri sanctè ac religiosè supplicaueramus, gratias de te tuo nomine supplices atque gaudio lachrymabundi egissemus. Nunc quoque Serenissime Rex, apud te hæc mihi memoranti, vis ingens lachrymarum prorumpere ex oculis videtur, monumentum gaudij lætitiæq; nostræ & supplicis ac gratæ nostræ erga diuinam maiestatem voluntatis. Quo quidem in loco tu quoq; ipse, maximè vellem, vt intimis in præcordijs conceptam gratiarum actionem tuam reddas nobiscum Deo Opt. & immortali: qui tibi in hoc quasi secundo actu electionis tuæ, manifestissimis indicijs præsentem admodum sui numinis vim declarauit,& nostram quoque singularem erga te deuotionem nutu suo approbauit, eamque tibi in perpetuum commendauit. Omnibus enim lætitijs profectò tum incessimus,& Henricum Regem iterumq; iterũq; nominari, dici,cieri,promulgari iussimus. Iuuabat vsque Henricum, iuuabat Galliam,iuuabat denique lilia iterari: & Henricum ipsum quasi oculis, Galliam auribus, lilia deniq; ipsa naribus quodammodo nostris admoueri. Cùm interea temporis accersuntur tui oratores ad constituendum nobiscum de propositis olim nomine tuo conditionibus. Vt hoc etiam tibi maximo argumento esse queat, non tam conditiones vllas, aut vlla promissa tua tuorumúe, specta ta fuisse à nobis in te eligẽdo, quàm virtutem modò & industriam ipsam tuam,quæ sunt veræ tuæ, vnicè à nobis in te adamatæ dotes: illud, inquam, tibi maximo argumento esse debeat, cùm audias, prius te & electum, & designatum,& renunciatum à nobis fuisse Regem, quàm de conditionibus ipsis electionis, designationis, renunciationis tuæ,cum tuis oratoribus per nos transigeretur.

Restat actus veluti tertius & postremus, eorum quæ hãc istam gloriosam, & ad omnem posteritatem memorandam renunciationem tuã fuerunt consecuta. In quibus quidem recensendis hoc erimus etiam breuiores,quòd & oratio sanè ipsa ad exitum iam properat, & res ipsę,quas cõmemoraturi eramus, tibi quoq; ipsi non multò minus quàm nobis,

nobis, notæ sunt & perspectæ. Etenim cùm iam diutius gaudium lætitiamq; nostram, quàm eo illa non magis tui q̃ nostri honoris accessione capiebamus, continere quasi in animis nostris non possemus, duo euestigiò fecimus: vnũ, quòd eius rei nuncium subitò ad te, per literas & celeres admodũ tabellarios, varijs itineribus misimus: alterũ, quòd statim pòst, oratores quoq; ipsos ac legatos nostros, ex primoribus Senatorij & Equestris ordinis delectos, inuitandi ac postulandi tui causa, publico nomine, cum decreto electionis factæ, ex Polonia in Gallias vsq; ablegauimus. Quorũ vtrumq; quale fuerit, nõ necesse habeo apud te dicere. Nam & literæ ipsæ nostræ, quod scimus, in manus tuas peruenerunt, & oratores quoq; nostri tecum hic reduces comparent: iactati illi quidem, vnà cùm literis, per varios casus, per tot discrimina rerum, vt ait poëta: sed certè & nostræ quidem erga te singularis obseruantiæ tanta vis fuit, vt nihilominus in illa variorum casuum discrimina, mittendos esse tot & tantos viros, talesq; & eiusmodi literas arbitraremur: & simul hãc nostram erga te obseruantiam illud diuinæ gratiæ ac beneuolentiæ manifestum indicium est consecutum, vt non solùm literæ ipsæ redditæ tibi fuerint, sed etiam ipsum XIII. Legatorum nostrorũ collegium, inter tot externas, &, cùm spacijs ipsis terrarum à nobis disiũctas, tum verò lingua etiam ac moribus abhorrentes nationes; in tãtis maris & terrarum interuallis, vniuersum propemodum vltrò citroq; saluum atq; incolume commeare, & legationem conficere, & ad nos deinde redire potuerit.

Quæ quidẽ, Rex, omnia cùm ita sint, debes profectò, quod toties dicimus, tũ officia studiaq; hæc nostra, tum multò etiam magis diuinas illas gratiæ & beneuolentiæ erga te significationes, gratissima vicissim tua beneuolentia prosequi: ita planè, vt & ea, quãtum maximè potes, sarta & tecta conserues, quæ sunt Dei immortalis, qui te sua propemodũ cœlitus demissa voce, ex medijs belli periculis ereptum, & ad hunc regium honorem accersitum, suis etiam manibus, in regio ipso solio iamiam collocabit: & rursus, vt quæ nostra sunt, ea nobis, qui singularia Dei ipsius de honore tuo decreta atque iudicia, votis etiam ac studijs nostris libentes atque volentes prosecuti sumus, virtute tua conficias ac repræsentes. Et cùm vna iustitia duæ eæ res, quas dixi, vberrimè contineantur, iustitiam assiduè præ oculis habeas, eaque semper actiones tuas, in tribuendo tum Deo quod Dei est, tum nobis quod nostrum est, moderêre. Quid est autem quod Deo debeas? illud equidem, vt arbitror, vt, cùm is vno eodemque tempore non magis in Gallia salutis tuæ, quàm honoris in Polonia, paternam curam gesserit, neque minus potẽter ibi te à periculis defenderit, quàm hic ad dignitatem regiam prouexerit, & ames eum tu quidem, vt patrem, & metuas vt dominum. Quæ vtraq; si ita coniunxeris, vt & priuatim ipse, quod tamen enixissimè facere te audimus, caste eum & religiosè semper colueris, & publicè honorem ipsius nauiter vbiq; tutatus fueris, tum & ipsi illi abundè quod suum est reddideris, & soliũ præterea ac sedem tuã regiam mirificè firmaueris. Nobis autem, qui secundum Deum honorem tuũ honore regio auximus, quiq; te nobis Regẽ ac dominũ præfecimus, quidnã est quod potissimũ debeas? Equidem id opinor, quod nos præcipuè à te expectamus. Quid est aũt quod tantoperè expectemus, nisi fortè id, quod dudum etiam in te eligẽdo secuti fuimus? Quid est igitur quod secuti fuimus? Num vt regem haberemus longa serie atauos reges numerantem? atqui alij etiam æquè clari nõ defuerũt nobis aliũdè. Num vt eum haberemus, qui accessionem nouę alicuius ditionis regno nostro adiungeret? atqui possessionum abundè nobis est: & earum sanè accessiones per se non faciunt regnum beatum. Num igitur vt haberemus, qui cæteros omnes orbis Christiani reges ac principes, vigore ætatis, formæ principatu, diuitiarum copijs, & reliquis id genus naturæ atque fortunæ blandimentis anteiret? Multò minus, nec enim ea sunt propriè regia. Quid igitur potissimum spectauimus? Nihil planè aliud, quàm idem illud, cuius ipsius gratia, pro salute incolumitateque tua, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, tum hucusque ad Deum, magna cum animi nostri summissione, fudimus, tum deinceps etiam, quoad vixeris, semper fundemus: vt videlicet tuis auspicijs quietam & tranquillam vitam degamus in omni pietate & honestate: quorum altero securitas ab externis hostibus continetur, vt tranquillè scilicet & sine eorum metu viuamus: altero, vt viuamus scilicet piè & honestè, securitas continetur à domesticis inimicis. Quæ duo quò sunt difficiliora, hoc magis

nobis dux eiusmodi & auctor opus fuit, de quo hæc rectè sperari, & à quo etiam certò expectari posse viderentur. Non vereor, ne quis hæc tui aut excitandi, quod minimè est opus, aut multò etiam minus, quod fieri non potest, deterrendi causa, à nobis dici existimet. Quis enim aut deterrere queat pectus tuum generosissimum, & ad omnes labores ac pericula pro Republica excipienda natum? aut verò excitare necesse habeat viuidam virtutem tuam, & ad omnem laudem & gloriam à natura ferè ipsa procreatam? Nihil hic oratoriè agimus: id quod res est loquimur, & quæ tui muneris sunt, ea tibi quàm breuissimè ob oculos ponimus. Quæ ipsa tu præstabis sanè non difficulter nobis, vbi voles: hoc facilius autem nobis quàm alijs, quòd ei genti imperaturus es, quæ regum ac principum suorum dicto audiens, quæque præscripto rectæ rationis & virtutis ita natura addicta est, vt huius quidem studio ipso & ardore, facilè in omni officio contineatur, illorum autem reuerentia & amore, libentius & efficacius quàm pœnis aut imperio vllo seueriore, in omne honestum inducatur. Aderit tibi adhæc & suscipienda, & gerenda, & perficienda, aderit inquam, non solùm corporibus, sed etiam multò magis animis, Senatus ipse, numero frequens, promptus studio, auctoritate verò & gratia ita pollens, vt propter gratiam, nomen fratrum maiorum, propter auctoritatem verò nomen patrum & custodum Reipublicæ, communi omnium appellatione meruerit. Quos tu si in propria ordinis ipsorum auctoritate & gratia conseruaueris, habebis profectò, qui conatus omnes tuos pro Republica salutares, studio, consilijs, conatibus denique suis prosequentur: vel, quoniam illi in hoc corpore Reipub. sub te capite, cordis locum obtinent, vitam proculdubiò omnibus tuis in republica honestis institutis affatim largientur. Aderit etiam non minùs libenter quàm diligēter Equester ordo ipse, qui in corpore hoc reipub. manuum tuarum instar habet: cuius tu quidem ordinis si vires inspicias, vnicum regni tui robur atq; firmamentum, sin splendorem & libertatem, insigne eiusdem decus & ornamētum iure appellaueris: vtroq; autem nomine thesaurum rectissimè dixeris, ac opes regni tui incomparabiles atq; inexhaustas. Et alterius sanè ordinis prudentia atq; consilio nunquam à recto aberrabis, alterius studio & obedientia, domi eris amabilis, foris admirabilis: vtrorumq; autem virtute & concordia, vbique omnia quæ voles facillimè consequêre. Tunc autem, quæso, adolescens, regnum Galliæ, fraternum potius quàm tuum, difficillimis temporibus, vnius propemodum tua virtute, ita administrare potuisti, vt tumultus ibi maximos compressisse, regiam maiestatem vindicasse, populos illos æquo iure continuisse, disciplinam veterem reduxisse, pacem & ocium desideratū regno restituisse perhibeare: & dubitabis nunc iam factus maturior, ac rebus illis gerendis etiam exercitatior, in tuo ipsius regno, minimè desperatis, & certè non pessimis temporibus, auctore Senatu, adiutore Equestri ordine, ea te posse in animis Polonorum obsequentissimis, & ad omnem ductum rectæ rationis admodum morigeris, imprimere, quorum vestigia admodum illustria in Gallorum non solùm mentibus, sed etiam vrbibus, singulari tua virtute posuisti? Equidem, quod verè dicendum est, tum demum Gallicis illis tuis rebus gestis plenam fidem conciliaueris, cùm illarum similitudinē in hoc quoq; tuo Polonico imperio ad viuum expresseris ac repræsentaueris. Tum demum te ratione potius & consilio quàm casu & fortuna, res illas gessisse homines sibi persuadebunt, cùm eiusdemmodi res tuas gestas hic apud nos intuebuntur. Tum demum nos fructum electionis tuæ exoptatum consecutos esse fatebuntur, cùm res nostras tua virtute in meliorem statum esse adductas non poterunt inficiari. Qua profectò in re si & officio tuo, Rex, & expectationi omnium nostrum satisfeceris, tum & apud nos quidem eum tibi amorem conciliabis, vt libenti animo non solùm fortunas & facultates nostras, iubente te exponere, sed etiam pectora & latera nostra hostibus pro te opponere, & vitam denique ac sanguinem nostrum pro vita & sanguine tuo profundere parati futuri simus: & foris præterea apud vicinas omnes & externas gentes atque nationes, Rex eris per Dei gratiam clarus, honoratus, potens, inuictus.

Atque nos ea quidem spe freti, vti te antea expetiuimus, deinde elegimus, mox renunciauimus, tum promulgauimus, denique per literas & oratores ac Legatos nostros ex Gallia ad hoc regnum inuitauimus ac postulauimus, ita nunc iam præsentem & intra regni nostri

ſtri fines conſtitutum, omni non ſolùm verborum honore, ſed etiam animorũ cultu & veneratione, iterum atq; iterũ ſalutamus, tibiq́; hunc primum in hoc regnum ingreſſum bene atq; feliciter euenire cupimus, teq; adeò vti magnum quendam angelum, ad regimen & cuſtodiam populi Dei cœlitus demiſſum, excipimus, atq; tibi iam nunc non ſolùm honorem regium exhibemus, ſed etiam ipſa regni inſignia regiæ inaugurationis propria, promptiſſimis animis deſpondemus, omniumq́; ordinum & ſtatuum ſtudia atque officia, totumque adeò regnum ipſum, cum omnibus eius prouincijs, ad te deferimus, & tibi etiam atque etiam commendamus, vtque nos omnes, exemplo anteceſſorum tuorum regum noſtrorum, gratia atque beneuolẽtia tua proſequaris, rogamus.

I tua Rex quò te virtus vocat, i pede fauſto.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Syon tueatur te. Intellectum tibi det, & inſtruat te in via qua gradiaris, & firmet ſuper te oculos ſuos. Teneat manu dexteram tuam, & deducat te in voluntate ſua.

IN FVNERE D. SIGISMVNDI AVGVSTI POLONIÆ REGIS, MAGNI DVCIS LITHVANIAE, &c. ORATIO

REVERENDISSIMI DOMINI IOANNIS DEMETRII SOLICOVII ARCHIEPISCOPI LEOPOLIENSIS, TVNC AVTEM EIVSDEM REGIS POLONIAE SECRETARII.



VELLEM Deus immortalis, eam mentẽ, eum animum alijs, q me conſilio, ingenio, ſapientia abundantiores ſunt dediſſet, patres ampliſſimi, & nobiles fortiſſimi, vt quemadmodum me his rebus antecellunt, ita etiã hoc dicendi munus, in hoc REGIS noſtri mortui SIGISMVNDI AVGVSTI funere & parentalijs, aſſumpſiſſent. At quocunq; oculos & animum aduerto, luctus quidem & lachrymarum plena omnia, ſed & plena ſilentij intueor. Video veſtem atram, video lachrymas, audio gemitus & ſuſpiria, cerno regalis funeris pompam: cæterùm, quòd in tanta ingeniorum & doctrinæ vbertate, in tanta copia lectiſſimorum & clariſſimorum hominum, in tanta fruge laudis & virtutum omnium, ad dicendum ſurrexerit nemo, non immeritò mirum videri debet. Ac ne res hæc tota, cùm ab ijs, qui dicendi principes ſunt, videatur omiſſa: & à nobis, qui primas in ea facultate nobis non vẽdicamus deſeratur: Prodeo in conſpectum veſtrum, is quem videtis, etſi iuuenis ætate, & non tanta quanta alij eruditione, is tamen, cuius in Republica fidẽ & non iuuenilia merita (abſit dicto inuidia) cognoſcitis: prodeo inquam, non audacia vlla vel temeritate, ſed veſtra humanitate fretus, & vt clientem erga dominum decuit, vera pietate ductus, apud vos, de Rege mortuo verba facturus. Cui quãtum hoc facultatis adimit; quòd cliens illius, tantum addit libertatis, quòd fidelis eius patriæ ciuis. Quæſo autem, vt ad ea quæ dicturus ſum, benignos animos, ac attentas aures, pro veſtra humanitate adferatis. De Rege benemerito dicam: res ipſas dicam: & ſtatum Reipublicæ illius temporis oſtendam: non eo quidem ſplendore & apparatu verborum, quem fortaſsè à me expectetis: ſed eo animo, qui huic rei & tẽpori conuenit: cæteris, ſi qui fortè poſt me dicturi ſunt, & orationis elegãtiam, dicendi laudem relinquens.

Magna ſunt & illuſtria merita, præclaræ & ſingulares virtutes, Regis noſtri Sigiſmundi Auguſti, patres ampliſſimi, ac Equites clariſſimi: quæ eo maiores & clariores ſunt, quo in maiorem iniquitatem ac difficilia Reipublicæ tempora inciderunt. Tranquillo mari ignauiſſimus quiſq; nauem gubernare poteſt: ſed in graui tempeſtate, non niſi prudentiſſimus & peritiſſimus nauclerus adhibetur. Quis enim & qualis iſte fuit Rex? nũ

Tyrannus? num crudelis & impatiens? num ignauus? num præceps & temerarius? num rapax? absit. Ergò Rex mitissimus, patientissimus, moderatus, vigilãs, sapiens & iustus: & plusquàm vellem clemens & liberalis. At in qua tandem fuit Republica? num in illa fælici, florẽti & beata, extra omnes casus & humanam sortem posita: & quam vel inuitã oẽs fælicitates & gratiæ amplexæ sint: quamq; nullum genus calamitatis domi forisue attigerit? Minimè. An rursum nulla penitus: quæ neq; legibus fundata, neq; ordine distincta, neq; vllis iustitiæ præsidijs munita, neq; virtute ac robore militum septa, sed iam conuulsa, euersa, ac prostrata sit: & cuius ordinis ac disciplinæ vestigium nullum extet amplius? ne hoc quidẽ profectò. Ergo præclaris quidem legibus, & singulari moderatione instituta, summa constantia conseruata, maxima virtute defensa: sed veluti necessitate quadam eò iam adducta, vt inter tot hostes, tot vulnera, tot morbos & corruptelas, toto eã corpore regnante hoc Rege nutare, ac ruinam minari videremus. In quibus malis & periculis, quòd nulla eam pernicies, nulla calamitas tanta, quæ in foribus esse videbatur, afflixerit: magnum Regis nostri meritum, magnam laudẽ esse mox perspicietis.

Nemo est ita in Polonia hospes, q̃ nesciat, quàm ea grauibus, quàm rapacib⁹ hostibus vndiq; sit circumsepta. Incumbit Turca ab vna parte, qui inuictæ potentiæ suæ brachijs totam ferè Europã circumplectitur. *TVRCAE.* Qui nobis tantò est grauior, quantò propinquior: & qui iã propediem, non iam pactis aut fœderibus, quæ tam potenti & auaro hosti parum firma sunt retinendæ pacis vincula, sed sanguine ac pectoribus nostris erit ab ingressu finium Sarmaticorum prohibendus. Quis huius vulpeculæ fraudes, eludere ingenio, consilio intercapere, celeritate præuenire? quis huius ferocissimi vrsi violentiam, virtute comprimere, cõstantia peruincere, robore possit prosternere? Iam verò Scythas seu Tataros, *TATARY.* & morum barbarie, & naturæ feritate infame genus hominum, & nobis ob assiduos incursus & populationes ferè domesticum, quis non tygres potius quàm homines, pãtheras quàm vicinos, lupos quàm socios, harpiyas quàm seruos esse dixerit? Quibus cùm nec leges imperẽt: nec pudor aut pietas vlla moderetur: non illis sint domus, non vrbes, non agriculturæ, non artes vllæ bonæ quibus victum quærant, præter efferam illam vicina inuolandi, rapiendi, fœdandi cõsuetudinem, & infidum militandi morem: cùm interdum nobis sua præsidia gloriosè profiteantur: interdum verò, & sępius fines nostros ingressi, rapinis & flamma pagos nostros depopulentur, quid tutum aut integrum nobis ab illis esse potest? Cum Moldauis & Valachis quàm sit constans amicitia, quàm firma pax, nolo dicere. *VALACHY.* Vos ipsi, qua sorte, quo loco illæ Prouinciæ sint cogitare potestis. Hoc tacere nullo modo possũ: duobus aut tribus iam locis Turcas vicinos vobis esse, in Vngaria Moldauia & Valachia. Quæ quidẽ Valachia, quoties memoria nostra mutarit dominos: quàm varium aduersus nos animũ habuerit, vt vetera taceam, declarant abũdè recentia. Quid Moschũ, an nõ ipsa feritate magis ferum hostẽ, & non nisi coactũ, viribusq; nostris cõpressum, tyrannum arma deponere solitũ experimur? *MOSCHUS.* cum quo bellorũ nostrorũ fama ita longè & latè deuagatur, vt ferè oẽs angulos orbis impleuerit. Hostis quidem maiorib⁹ nostris vilis & abiectus semper: sed iam eò superbiæ & insolẽtiæ peruenit: vt hoc regnum iam pridẽ spe & animo deuorarit: ac imperium orientis & occidentis sibi deberi propemodũ autumet. Natura me infantem, nunc propè elinguem dolor reddit: si quàm horridum, quàm fœdum genus illud hominum, apud Germanos amicos nostros, ante paucos annos habitum sit: quàm detestandum nomen, quàm plena immanitatis vox Moschus semper ei genti visa sit, intelligeretis. Nunc autem, quæ amicitia: quæ societas cum eo colatur, quæ fœdera sanciantur: si compertum haberetis, fieri non posset, quin hac tanta antiqui nominis & famæ vestræ iactura vehementer doleretis. Minor est Polosci iactura: minor Ozeriscorum: hoc veteris famæ & fortitudinis, vestræ antiquæ gloriæ, damnum est inæstimabile. Quid autem mare ipsum Sarmaticum, cuius *MARIS iactura.* proprietas ad neminem profectò aliũ, quàm ad nos pertinet: an non nudatur nostris, occupatur alienis armis & præsidijs? Rex ille, qui ob illas maris angustias, quas possidet totius maris dominatum sibi vendicat, cuius maiores opẽ & auxilia regum nostrorũ cùm implorassent, non semel ea sibi submissa liberalissimè senserunt: ita lenitate nostra abutitur, vt præterq̃ quòd inconsultis fœderatis leges maritimis negociationibus imponat, ac cursus maritimos quãdo lubet impediat: sed etiã armata classe è mari suo euectus, quod ipsius littorib⁹

& in-

& insulis terminatur, mare nostrum totum nauigationibus infestum reddat: & è portubus nostris speculatores nostros aliquoties apprehenderit, ac eos crudelissimis supplicijs affecerit: & negociatores nostros quamplurimos nauibus & mercibus exuerit. Nihil odiosè dico, res certa & plana, proponi mitius non potest.

SVECIA. An & Sueciæ Rex Ericus potuit hoc tempore nobiscum quiescere? cùm Liuonia vbique opem & auxilium imploraret: ac nemo fere Christianorũ Principum esset, qui à Moscho duro illo tẽpore eam vindicare, aut saltim ei subuenire vellet: aut etiam fortasse posset: postremò diui Ferdinandi Imp. prudentissimi consilio, ad Regem hunc nostrũ supplex, cuius paulò ante offensam cæso legato incurrerat, confugit. Quam Rex noster, ægrè quidem, quum non in acquisitione nouarum prouinciarum, sed recta & sapienti gubernatione, fœlicitatem regni collocatam esse arbitraretur, & rectè, victus tamen & miseria vicinorum, & ipsa necessitate spõte sibi in manus oblata, eam tuendã suscepit. Rex Sueciæ Ericus vbi hoc animaduertit, ad prædas etiam agendas animum adiecit: & aliquot vrbes portubus ac emporijs insignes subitò occupauit. Non sum adeò rerum ignarus, vt nesciã, quo consilio, qua fiducia ille Rex qui nunc captiuus detinetur, Liuoniam iam Regi nostro addictã, infestis armis ingressus sit, non vt eam à Moscho tueretur, sed regi nostro eriperet, & defensionẽ eius ab immani illo hoste interturbaret.

GERMANIA. Quid Germania? quæ etsi ita firmam & diuturnam beneuolentiam nobiscũ semper coluit: ac gentes hę duę Polonica & Germanica ob eam propinquitatem ac necessitudines commercia, & negociationes, amicitia mutua nihil antiquius habuerunt: tamen illic non defuerunt interdum qui sanctissimum illud ius amicitię, & mutuam pacem, prętextu Prussiæ, quæ semper omni iure nostra est, sollicitationibus suis conuellere voluerint. Sed Imperatorum iam indeà Maximiliani primi tempore, prudentia fuit tanta: vt conatus eiusmodi semper reprimere, ac ad moderationẽ reuocare, quàm indulgendo alienis affectibus, Rempublicam Christianam funesto bello implicare maluerint.

Hi sunt hostes: hæc pericula: inter quę nunc Polonia nostra, prudentia Regis nostri Augusti, salua & incolumis permansit.

Sed ne quis dicat: veterem hanc querelam esse: hostes antiquos: vsitata pericula, cum quibus nobis res fuerit sẽper. Huic ego responsum esse velim: vetera quidem esse: verùm tempora iam esse eiusmodi: vt alium fecerint rerum istarum omnium statum, & disparem conditionem, & causam nostram deteriorem, quàm fuerit vnquàm aliorum Regum tempore.

Nam vt à Turcis incipiam: sub alijs Regibus nostris somnium erat imperium Turcicum, & tanquam alterius orbis fabula: tanta adhuc terrarum spacia, gentem illam ferocissimam à nostris finibus disterminabant. Nunc ita Turca propinquus nobis est: ita ceruici nostræ impendet: vt ad nos venienti non totum triduum, sit sumendum. Et sicut in corpore humano, vbi cancer morbus aliquot membrum occupat, nullo non tempore in vlteriora penetrat, & reliquas partes continuè irrependo inficit: ita Turcica potentia, & infinita illa regna possidendi auiditas, nullo tempore quiescit: quin, vrbes, arces, oppida, prouincias & regna sensim semper progrediendo, nunquàm verò retrocedendo, inuadat, occupet, ac opprimat. An non videtis, quãtis viribus, quanto impetu se iam in Vngariam, & Valachiam infuderit? quantas copias vtrobiq; reliquerit, & quantam opportunitatem reliquã Europã, nos autẽ inprimis, inuadendi habeat? Cuius rei non leuia sunt initia. Iam enim vtrinque inuasiones, furta, spolia, rapinæ, mercatorum cædes perpetrantur. Meministis, quid elapso biennio apud Kiouiam euenerit: & quid sperandũ erat, nisi facinus paucorum sanguine vindicatum fuisset. Non primum illud est, nec vltimum factum: plura talia pariet propinquitas: quę fortasse erunt fax, & seminarium proximi & tristissimi belli.

Videte & Tataros ipsos. Olim vbi Russiam ipsis accolam, bellicosissimi illi Boleslai armis suis domuissent, ac suis ditionibus adiecissent: Tatarorum vires continuis bellis ita accisæ fuerunt: vt iam eorum reliquijs vltra pontum Euxinum ac Mæotidem paludem migrandum esset. Sed aliorum Regum ocio ac indulgentia: ita vires suas illi redintegrarunt: vt & numero & multitudine hominum breui in nostras etiam prouincias redundarent. Quamobrem in obscuris illis finibus, ita cum nostris hominibus viuunt: ita secum fœderati sunt quodammodo: secum mercantur: secum prædas agunt: vt plus ferè nobis sit interdum periculi à nostris, quàm ab

hostibus. Mitto vetera, proxima dico. Ante biennium, aut paulò plus, & hoc meministis: cùm Tatari Moschouiam depopulati, opima præda onusti redirent: & tantum impedimentorum haberent, vt omni confligendi commoditate viderentur esse destituti: poterantque facilè ab exercitu nostro, qui tum cũ duce suo Georgio Iazlouiecio Russiæ Palatino, viro in re militari præstanti, non procul aberat, opprimi: & tam captiua illa imbellis multitudo liberari, quàm Polocenses opes oblatæ resarciri. Finitimi proditores, aliò Tataros præmonitione sua auerterunt, eosque instanti prælio & cladi suæ, nostrę verò victoriæ subduxerunt. Tam cæca est in hominibus breuis lucri cupiditas, vt se eius causa perpetuæ seruituti addicant: ac seipsos volentes ac viuentes eant per ditũ. Cæterùm olim Tatari, nihil quod allegarent habebant, nunc fœdera quædam & promissa, literis & sigillis firmata, ostentant: ita quod beneuolentia quondam obtinebant, nunc quasi iure quodam sibi deberi existimant, & extorquent.

Geor. Iazlovuieczki Palatinus Russiæ.

Iam & Moschi ipsius, videte, quàm dispar sit ratio. Olim omnes vicinæ nobis gentes, vt barbarum exosi, indignũ sua amicitia esse ducebant: nunc passim clarum & celebre nomen habet. Olim cum solo Moscho res gerebãtur: nunc cum pluribus, qui in illam barbari hominis societatem descendunt. Olim sola terra belligerandum erat: nũc toto etiam mari vigilandum, ne subsidia illi mittantur, armisque & bellico apparatu instruatur: homines nauigationum periti, ex inferiore Germania, Britãnia, Gallia ad eum confluant. Quãtum enim ei virium bello terrestri adimebatur: tantum è vestigio maritima nauigatiõe restituebatur. Olim prætereà vos omnes eum, coniunctis viribus & animis persecuti estis: & superbum ac impotentem eius dominatum, ac intolerabilem fastum fastidiebatis: nunc ob Regis nostri sterilitatem, & studia quorundam in Moschum, tot occultis periculis, tot latrocinijs, tot proditionibus regnum patebat. Quid? an nõ & maris ipsius conditio nunc est quàm antea longè diuersissima? Num antea portus vestros præternauigare? num leges, fœdera maritima, & iura gentium omnium violare ausus erat quisquam? Olim Moschi cum Lituanis & Liuonibus, illi nobiscum, nos cum Germanis, illi cum Flandris, Brabantis, Britannis, Gallis, omnium nationum antiqua consuetudine, commercia exercuimus: & vicinã negociandi societatem retinuimus, ac coluimus. At nunc nulla iuris gẽtium, nulla moris diutissimè seruati, nullo periculorum ac incommodorum metu, socij & fœderati nostri ducuntur: vt & portus antiquos, stationesque vsitatas, nauigando præteruolare, & desertis ac proditis socijs & vicinis, cum hostibus nouas pactiones contra socios facere æterno etiam suo damno & calamitate, nihil vereantur. Ita, vt & pudoris, famę, fidei, & salutis publicæ, & suimet planè, præ hac infœlici cupiditate, obliti esse videantur. Vt neque nobis quisquam hoc vitio vertere debeat, quòd & nos in hac conuersarum societatum fortuna noua fœdera & pacta cum remotissimis Gallis, salutis nostræ causa, inire cogamur. Non sumus facti autores: sed alienum exemplum sumus secuti.

Nonne cum Dania, Suecia & Noruegia, Scandia illa priscis appellata, olim propè à ducentis annis nobis & fœdera & amicitia firma & constans intercedebat: tam eo tempore cùm regna illa vni parerent, quàm cùm diuersos Reges haberent? Ita est certè. At iam non ita pridem adeò & amicitiæ, & fœderũ ratio perturbata fuit tota: vt cum Dano fœdera sancienda, cum Sueco bellum gerendum fuerit: & rursum, qui fœderatus erat, plus damni socio quàm hostis dederit: qui hostis regno exciderit & amicum nobis regem post se reliquerit.

An & Germania ipsa non est nunc diuersæ conditionis quàm olim? Nunc est secura, tranquilla, quieta: à ciuilibus enim bellis, quibus per tot annos, propter infælices de religione controuersias distinebatur, & domesticis armis recessit. Atque vtinã diu ac ex animo non solùm à patriæ parricidio quiescat; verùm etiam causas ipsas, ac fomitem talium dissidiorum è visceribus euellat, pro Dei gloria, ac salute totius Reipublicæ Christianæ optandum esset. Nunc ergò potentior, atque vtinam nobis non magis infestior sit. Multæ fuerunt priscis Regibus nostris in Germania affinitates: multæ necessitudines, ad Sigismundum vsq; Regem: nunc ea vincula obliuione lentescunt: neglectu corrumpuntur: & ipsa vetustate corruunt. Vnde etsi facilè aliqua pernicies, inuidia quorũdam, in Republica nostra, ob illã quam superius dixi causã, exoriri poterat: ita tamen prudentissimorum Principum moderatione retinebatur, vt nullũ incommodum, nullam perturbationem in Republica videremus.

Hæc

Hæc ſunt vulnera, hæc pericula, hæ ruinæ, inter quas Rempublicam noſtram, Rex iſte noſter, cui has exequias adornamus, ſartam & tectam conſeruauit: & incolumem, mortuus reliquit. Singularis prudentiæ, eximiæ dexteritatis, ac fœlicitatis maximæ fuit profectò: in tam difficilibus rebus Reipublicæ, in tantis procellis & tempeſtatibus & in tot occaſionibus occaſus patriæ, ita moderari rempublicam, ita tueri, conſeruare ac relinquere: vt neq; Turcarum torrẽtis more ſæuiens poteſtas, neq; Tartaricarum cohortium rapacitas, neque impetus Moſchouitici neq; Valachiæ caſus & mutationes, neque Regum maritimorum parum tuta ſocietas, ac fatales conuerſiones, neq; in Germania quorũdam machinationes, noſtram Rempublicam ego regnante, aliquo inſigni damno, vel detrimento affecerint.

Oſtendi, patres ampliſſimi, & fortiſſimi Equites, in quantis fluctibus & turbine rerum ac temporum, Rex noſter, reipublicæ ſalutẽ conſeruarit: ac quàm in tranquillo ſtatu nos omnes, vnà cum ea, moriens reliquerit.

Morbi Reipub. Venio ad morbos, vlcera, peſtes, venena & planè funera reipublicæ. In quibus, non hoc mirandum eſt, quòd aliqua oculis noſtris ingrata conſpiciamus: Sed hoc potius, quòd nõ funditus euerſam, & collapſam rempublicã intueamur. Concordia eſt mater omnis fœlicitatis reipublicæ. Hæc à finibus depellit hoſtem: auget opibus regnũ, ornamentis illuſtrat, præſidijs firmat. Cũ autem duæ ſint res, quæ mutuam concordiam ciuium inter ſe retinent & tuentur: Religio, & Iuſtitia: videte obſecrò per immortalem Deũ quę ſit apud nos eiusvtriuſq; ratio. Nulla fuit vnquã tam gens barbara, nulla tam natio ferox: quæ non Deorum aliqua religione moueretur: & quæ ſtatus ſui ſtabilitatẽ, non religionis integritate cõtineri putaret. Quam ſi aliquam retinere voluit, cõcordibus eam ſtatisque ritibus & cæremonijs firmandum putauit: vt eam rem, quæ vnita animos hominum vnire & conciliare, varia verò & inconſtãs eoſdem diſtrahere, ac ciuilis ſocietatis vincula perrumpere ſoleat. Quòd ſi nationes barbaræ phanaticorum numinum cultrices hoc agunt: multò magis nos certiſſima veri Dei cognitione illuſtratos, deceret: vt in ea re, quę nobis nõ opinione, ſed vera certitudine cõtigit, minus diſſenſionum, minus varietatis eſſet: procul enim dubiò veram illam a-

Religio.

nimorum concordiam generis humani, conſeruatricem & firmiſſimum Reipublicæ munimentum cõſeruaremus, & tueremur. At iam nulla de re inter nos maiores controuerſiæ ſunt, quàm de religione: & in qua re maximam cõiunctionem & concordiam fieri expediebat: in ea diſſenſionum & diſcordiarum ſeges & infinita. Vidimus ruinas, & clades alienas: vidimus excidia: ob vnã tantum, aut alteram ea de re excitatam opinionem. Apud nos tot ſunt opiniones, tot ſententiæ, tot etiam ſcandala, & tanta diſparitas: vt de vera illa concordia, & animorum, quos vna religio conciliare debebat, coniunctione, iam pridẽ deſperatum eſſe oporteat. Qua ſublata, quid ſaluum, quid ſtabile, quid diuturnum in Republica poterit eſſe? Licet autem aliqua remedia concordię exteriori adhibere velitis: fieri tamẽ vix poteſt, vt hæc, tam atrocia ſcelera, hęc blaſphemiæ & ſcandala, à quibus commemorandis, etiam viri boni mens meritò abhorret, à Deo impunita prętereantur. Quod regnum, quæ prouincia eſt, quæ ciuitas adeò fœlix, vt in apoſtaſia & Iulianiſmo diu perſiſtere potuerit, quin prius omnia gloriæ & ſtabilitatis ſuæ ornamenta turpiſſimè amiſerit: poſtea verò & ipſa funditus euerſa corruerit? *Iulianiſmus.*

Iuſtitia. Iam autem iuſtitia, quæ mihi è priore videtur pendere, & cuius trãſgreſſio omnem ſtatum Reipublicæ conuellit & cõfundit, qualis apud nos ſit, & quàm rectè fungatur munere ſuo, vos ipſi videtis. Vnde enim tãta licentia? vnde tãta morum corruptio in totam Rẽpublicam emanauit: ac eã tanquã peſte certiſſima infecit? Quid aliud omnem Reipublicæ ordinem, harmoniam, & concentum perturbauit: quàm quòd tota diſtributiua: & commutatiua Iuſtitia, visque eius tota, è finibus noſtris, quaſi in exilium quoddam pulſa, ac eiecta eſſe videtur? Hinc enim mota ſuis locis officia, hinc virtutum ſtudia proiecta: cũ quod virtute debuit, id paretur pecunia. Inde quòd ſinguli ſuas ſtationes deſerunt, & in alienas functiones violẽter inuadunt: alij ad ſe omnem principatum Reipublicæ ac iura officiorum pertrahunt. Inde quòd in Republica nihil ſanum nihil certum: non rectum conſilium, non ratio: ſed vis quædam cæca, furor ac impetus, ſtultitiæ miniſter, omnia peruertit ac proſternit. Inde quòd tota conſilia publica, & comitia non alio medius fidius fine terminantur, quàm vt quiſque ſecum domum aliquid

liquid auferat, & auctior, potentior, atque suis admirabilior redeat. Quid est hoc? sciuntné, quid inde Reipublicæ de trahant? sciuntné quid debeant? sciuntné grande hoc sacrilegium nõ tantum peculatum esse, ita agere cum Republica? Quod ærarium exhaustum: quod Respublica necessarijs destituta, nec ab hostilibus armis vindicari, nec statũ & dignitatem Regis tueri, nec officiorum integritatem, è quibus iura dicuntur conseruare, nec fines regni defendere, nec arces ac earum mœnia labentia restaurare, nec oppida reficere, neq; militem alere, neque legatos peregrè cum dignitate fouere, neq; vlla publica munera, quantum expedit, implere possit. Ecce fructus perturbatæ ac ferè sublatæ Iustitiæ, proceres. videamus reliqua. Vbi nunc est illa moderatio? vbi frugalitas? vbi illa magnanimitas? vbi armorum vsus? vbi reliquæ virtutes, quæ gẽtis Polonæ imperium, ita longè & latè propagarunt? vbi illa laudis & gloriæ cupiditas? vbi timor ille ignominiæ? vbi contemptus mortis & periculorum? vbi est illa publica, & quasi propria gẽtis nostræ honestas, fundamentum libertatis nostræ? omnia hæc immani vitiorum colluuie cõmutata habemus.

Honestas fundamentum libertatis publicæ.

Successit enim luxus, ignauia, gloriæ cõtemptus, pusillanimitas, & alia deterrima vitia: quæ maximum dedecus genti nostræ inurunt, & statum Reipublicæ conuellunt. Magnum vlcus est in Republica, veritatis contemptus: at propter ambitionis & auaritiæ studium, adulationum studia crescunt: quibus innocentum & piorum regum ac principũ non solùm aures, sed etiam animi, tanquam pestifero quodam veneno inficiuntur: vt veritatem audire desuescant, & rectæ rationis lumen, ac solidum de rebus iudicium amittant. Maxima pestis est auaritia, & honorum immoderata cupiditas. Quid enim est tam sancto iure vallatum: quid tanta religione munitum, quo non penetret auaritia: quod non perturbet & cõtaminet ambitio? Ingẽs paralysis Reipublicæ, quod impunè facultates eius diripiantur, ac in priuatorũ domos conuersę deliquescant. Maxima corruptela, cũ quod virtuti debetur, tribuitur ignauiæ: cumq; publica flagitia non solùm non vindicantur, sed etiam sæpe amplissimis honoribus, & præmijs afficiuntur. Ac vt in corpore humano, cùm non ea est temperamenti ratio, quæ in sanis corporibus solet esse, sed humorum quædam disconuenientia exoritur: ita vt noxij, oppressis salutaribus dominentur, hominem de salute periclitari oportet. Ita cùm officia publica, non semper publico virtutis testimonio, dignis & optimis viris, sed precio & prauis artibꝰ sæpius ad homines ignauos, & Reipublicę gerendæ imperitos, ignarósque negotiorum deferuntur: digni verò, ac virtute præstantes viri opprimuntur, & honorum aditu prohibentur: plerumq; cõmpagem, & connexionem Reipublicæ dissolui, ac labascere necesse est. Et vt magis de ægroti salute dubitatur, cùm is non solùm omnem medicinam respuit, sed etiam salutaria medici præcepta & consilia abominatur: ita cùm in Republica non solùm non audiuntur vtilia cõsilia, sed etiam succensetur ijs, qui vera patrię charitate, publica vitia, & morbos Reipublicæ reprehendunt: quæ etsi in omnium conspectu versantur, tamẽ ab ijs, à quibus minimè oporteat, excusantur & proteguntur: salutem vniuersam Reipublicæ desperari oportet.

His morbis hactenus Respublica laborabat, hoc veneno ac peste infecta lãguebat. Mors erat proxima: ruina certissima: nisi & summi Dei beneficio, qui expectat à nobis omnibus aliam mentem, alios mores, & Regis nostri in omni sæculorum memoria celebrãda prudentia, & animi moderatione seruati fuissemus.

Ostendi maximum hoc & generale Regis nostri meritum: ostendi prudentiam: ostendi fœlicitatem, qui in tantis fluctibus, in tam nouis, ac insolitis tempestatibus, tanquam rector nauis prudentissimus, Rempublicam nostram, in tot externa, tot domestica mala, veluti scopulos & salebrosa vada illisã, ita gubernauit: ita rexit: ita accommodauit: vt saluam & incolumem in tutissimo portu reliquerit. Cesset iam inuidia: desistat ingratitudo: quæ non omniũ sed quorundam fuit: qui si ipsi boni fuissent, Regem optimum habuissent.

De cuius quidem Regis genere, natali, vita, moribus, gestis, & virtutibus singularibus, tẽpus est, vt iam dicamus: vt cognosci ab omnibus & perspici possit, quæ sint illæ artes, quæ virtutes, quibus has res tantas, tamque Reipublicæ nostræ salutares, confecerit: quod quidem quàm breuissimè faciemus. Adulari nolo mortuo, cui non sum adulatus viuo: vera dicam omnia: neque si qua sunt vitia prorsus tacebo: vt ex ijs in posterum alij sua corrigant.

Natus est Sigismundus Augustus patre

Parentes Sigismundi Augusti.

patre Sigismundo: auo Casimiro Iagellonis filio:& BOna SFortia Duce,quondam MEdiolani, post autem BAri ac Rossani domina, ex sanguine Regum Arragoniæ, Ioannis SFortiæ optimi & clarissimi Principis filia : celeberrimis toto orbe familijs. Quis enim est, qui nesciat:aut quæ tam remota regio, quæ de virtutibus, moderatione, iustitia, & fœlicitate principũ domus Iagelloniæ non audierit? Fuerunt Iagellones, vt apud exteras nationes semper, moribus, comitate,beneficentia, & ob bella contra barbaros fœliciter gesta laudatissimi : ita apud suos, propter singularem clementiam, iustitiam, & sapientiam, & ob Lithuaniæ prouinciam latissimè patentem & bellicosam, regno adiunctam,in summa veneratione, charitate & beneuolentia habiti. Tale enim eorũ fuit imperiũ, vt non tantùm apud suos, sed etiam apud externos eorum nomẽ & memoria, omni laudis commendatione vigeret. Non commemorabo fœlicitatem illã Poloniæ, Proceres, quæ tamẽ non magis est Poloniæ, quàm totius Reipublicæ Christianæ: cùm post acerrima & continua bella Iagello Lituanorum Princeps, & idolorum cultum religione Christi suscepta, & morum feritatem, admiranda humanitate ascita commutauit :ac hoc vtrunque in totam illam prouinciam propagauit: & eam quæ paulò ante, tot tam crebris & vehemẽtibus populationibus ab armis Poloniam respirare non sinebat, virgine Regiæ styrpis cõiugio suo copulata, non solùm amicam, sociam, sed etiam perpetuis vinculis beneuolentiæ nobis astrictam effecit. Nihil hic dicã de Cruciferis Prussiæ : qui cùm determinatis fundis & finibus sese non continerent, sed nostros fines reuellẽdo, in regnum totum vires suas infundere vellent: æternum memorabili prælio ab eo superati, victi, ac totæ vires eorum fractæ in dies languescere ceperunt . Nihil dicã de alijs beneficijs , quibus rem Polonam auxit & locupletauit. Quid filij eius Casimiri, paruané extãt merita? Cuius filij Ioannes Albertus, & Alexander, etsi nonnulla bella parum prosperè cum hostibus gesserunt: tamen Sigismundus eorũ frater, huius, de quo nũc agimus, pater, infœlices casus eorum, sua dexteritate, & fœlicitate ita vindicauit: vt & præteritas clades egregiè vlcisceretur, & tot victorijs, ac triumphis, non solùm earum memoriam deleuerit: sed nomẽ etiam Polonum, tot & tãtis trophæis illustrauerit: ac ipsam Poloniam, tenuem, exhaustãm, ac tot malis vexatam, florentem opibus, viris & armis potentem, claram, fœlicem, & beatam reddiderit. Quę cùm sint vobis quã mihi penè notiora: cùm ea, quę ego fortassis audierim tantum, aut etiam legerim : vos oculis ipsis videritis, & magnã partem gerendis illis non sine gloria vestra interfueritis : non est me necesse in his diutius immorari.

Sigismundus Casimiriades.

Bona SFortia.

SFOrtiarum, & Regum Arragoniæ familia, quàm sit non solùm tota Italia, sed etiam toto orbe clarissima, nemo sanè vel maxima inuidia præditus, inficiari potest: Loquitur hoc regnum Neapolitanum : loquitur Mediolanum: loquuntur tot, & tantæ cum tot Imperatoribus, Regibus, ac Principibus necessitudines, & affinitates. Quæ etsi ad nos pertinent : magis tamen ea, quæ ad honorem, vsum, ac vtilitatẽ nostram fortuna ipsa transtulit. Cum Bona Principe, Francisci SFortiæ, & Isabellæ Ducis Mediolanensis fœminæ prudentissimæ filia, matte Sigismundi Augusti Regis nostri, quantum glorię, splendoris ac celebritatis nomini Polono accesserit: quis nisi expers iudicij, ac rerum imperitus negare possit? Si percensere vellẽ singula : scio ac sentio mihi cũ multis, grauem disceptationem esse propositã: ijs præsertim, quibus cũ nihil sit quod agant, tantum est otij, semper vt alienæ negotia curent. Dicam tamen quod res est. Auxit Bona bonis Poloniã: ornauit ingenijs : excitauit industria. Post cuius aduentum in Poloniam, nomen Polonum etsi antea satis clarum fuit: tamen deinceps apud eas gentes, quæ propter ingeniorum laudem, ac artium studia & industriam, toto orbe principem locum obtinent, ita inclaruit : ita celebre extitit: vt cum illis ipsis certare posset: ac illis, omnibus veræ laudis & ornamentis, nihilo concedere ab omnibus cognosceretur. Paruumné hoc beneficium est, quòd virtutes illæ, gentis nostræ, præstantissimæ quidem & pulcherrimæ, quos ignorauit orbis, inuidia vicinorum pressit: fastus hostium contẽpsit: quas domi diuites vt inutiles negligebãt: egẽtes vt difficiles nõ assequebantur ita vt vigere ceperunt: vt & toto orbe celebrentur: & vicinis charæ, & hostibus terribiles existant: à diuitibus colantur : ab egentibus summa contentione apprehendantur. Inferte oculos in arces, in oppida, prædia, in opes Poloniæ: omnia hæc cura, & industria Reginæ Bonæ constiterunt: aucta, restaurata & confirmata sunt. Omnia certè præ-

clara

clara in fœmina illa prudentissima fuerunt: magnanimitas, sedulitas, vigilantia, constantia, liberalitas, publici ordinis & decoris amor, vsq; ad extremum illũ eius ex Polonia discessum. Sed nemo tam beatus vixit, qui non aliquãdo lapsus fuerit.

Natiuitas. His tam claris parentibus natus est Sigismundus Augustus, anno redempti orbis 1520. Cal. Augusti: quæ dies augusto nomini eius auspitium non ambitiosum dederat. Natus Cracouiæ, in his summo Ioue dignis palatijs: maximo gaudio, & lętitia Polonorum, cùm pòst Isabellam postea Hungariæ Reginam, masculam prolem, propter summa & eximia in Rempublicam patris merita, ceu ad successionem regni, iam fauore & animis hominum quodãmodo designatam, viderent.

Educatio. Naturam talibus ortam parentibus, excepit diligens illa quidem, accurata & liberalis, & quam de vnico, in tanta regni spe, regio filio fieri expediebat ingenua, sed nonnihil amantior & indulgentior materna educatio: quæ puerũ illum ad lentitudinem, & grauitatem natura inclinatum, in mollicie & teneritudine quadam confirmauit. Tam cæcus & imprudens solet esse parẽtum, præsertim matrum, in liberos amor, tã impotens charitas: vt cùm illis omnia fœlicia euenire cupiant, nimia indulgẽtia teneram eorum ætatem corrumpant, emolliant, & in reliqua vita effœtam & imbecillam reddant. Et plerunque fit, vt ea de causa et se, & liberos suos, in miseras animi molestias & angustias, quas postea vtrique dolenter ferunt, conijciant. Nihil profectò miserius his hominibus potest esse, quorũ corpora, in pueritia mulieres in iuuẽtute animum adulatores emolliũt. Quod si in omni statu hominum indecens & Reipublicæ pernitiosum est: tum maximè in Rege, in quem omnium oculi coniecti sunt: ad cuius vitam & mores, velut vnicum exemplar: se omnes cõponunt, accommodant: & de cuius persona vniuersi regni salus, dignitas, & omnis fortuna dependet. Nõ erat hoc vitium Regis nostri, sed eorũ qui eius educandi munus & curam assumpserant. Tantus erat certè Polonorum erga Sigismundum patrem amor, tantũ studium: vt cùm sperarent filium pater narum virtutum certissimum fore imitatorem, institutionis eius non nimis arcti & seueri obseruatores essent. Quæ quidem virtutes postea tantæ in eo emicuerunt: vt blandiorem illam educationem in eo perfregerint: quam & ille ipse in matura iam ętate, cùm se valetudine infirma, & proinde minus quàm ipse volebat laborum patiente, praeditum esse sentiret, non sine lachrimis apud quosdam accusabat.

Indoles. Posteaquam autem ad eam ætatẽ peruenit, qua poterat puer iuuenisque videri: summa virtutis & probitatis indoles in vultu eius elucebat: in oculis & ore, incredibilis humanitas & modestia fulgebat: adeò, vt in elegãti illo corpore, omnium virtutum, & gratiarum sedem, à Deo immortali fixam esse diceres.

Pietas. Pietatem, vt ab ea incipiam, quæ est regum ornamentum, & à qua cætera omnia, quę rectè & laudabiliter geri solent, sumunt originem ac incrementũ, pietatem inquam, à parente ipso, Christianę legis, & diuini cultus diligentissimo obseruatore edoctus est. Sacra semper audienti, & oranti adstitit: & omnium cæremoniarum ordinem, & rationem ita memoriæ mandauit, vt si quid in publicis adorationibus obmissum vel erratum esset, ab eo notari, & reprehendi non semel animaduerteremus.

Coronatio. Tulit autem hunc puerilis suæ pietatis primum fructum, & eum quidem non vulgarem: quòd parente ipsius pro eo rogante, & fidem meritaq; sua in Rempublicam commemorante: viuo patre, puer nouennis sine magna difficultate Regio diademate insignitus est. Etsi non defuerunt aliqui, qui recto in patriam studio, metuentes ne ea coronatio tam iuuenis Regis, superstite patre, aliquam occasionem factionib⁹ ac diuisioni regni præberet: rem eã in maturiorem eius ætatem differri volebant. Obtinuit tamẽ sententia prior, & puer regium diadema consecutus est

Præceptores. Præceptores habuit viros, vt audio, eruditos, Italos, quos ad eius institutionem mater adhibuerat: à quibus linguam latinam & Italicam didicit. A Petro verò Opalẽscio curię suæ pfecto, huius Andreæ Opalẽscij præstantis viri cu riæ Regiæ Mareschalli patruo, germanicam. *Opalẽski curiæ Magister.* *Studia.* Profectò in litterarum studijs, & liberalibus scientijs, in illa cœlestis penè ingenij & memoriæ fœlicitate, paucis annis ita profecit: vt omnium maiorũ hac in re gloriam facile superarit. Post annum vigesimum & tertium, Elizabetam Imperatoris Ferdinandi, tunc Regis Rom. filiã & summa pietate, & singulari morum probitate ac elegantia, & præstantia formæ nobilissimam virginem, vxorem duxit. *Elizabeth vxor 1.* Nec multum

post

post Lituaniæ proceres, cùm patrem Sigismundum & senio & curis confectum, ac proinde laborum ac profectionum molestias diutius non ferentem perspicerent, ab eo impetrarunt, vt filio, iam ad eam ætatem prouecto, & in quo tanta prudentia, & rerum gerendarum tanta dexteritas, tantumq; studium eluceret: & qui tanti Principis filiam matrimonio suo iam copulauerit, Lituaniæ possessionem concederet. Conuersi iam omnium oculi in eum spectabāt: & omnes in magnam longæ fœlicitatis & diuturnę letitię spem erecti fuerunt: sed vix biennium tulerunt inuida fata, cū Elizabetam apud omnes homines, ob singularem modestiā ac humanitatem, maximasque illas ac penè diuinas animi ac corporis dotes, in maxima veneratione & honore habitam, publico omnium luctu, & acerbissimo dolore è medio sustulerūt. Lenierat tempus dolorem amissæ lectissimæ vxoris Regi nostro: lenierant curæ causæ iudiciorum & alia negotia Reipublicæ, quæ in Lituania per seipsū obibat, & administrabat. Sed, quod in tam lubrica ætate vsu venire solet: dum genio, voluptatibus, venationi, alijsque oblectamentis illius ætatis aliquid indulgeret: Barbarę Radzivvilæ, cum elegantia formæ, tum morum eius suauitate captus & delinitus est: quam ardentius cùm amaret, & coniugio sibi copulauit: & postea Cracouiæ mortuo patre regia corona insigniuit. Quæso ignoscite patres: dicendum enim est, quod in ore & oculis omnium erat. Si tum rex deliquit: vt fortasse aliquibus videtur: quare nō vna ac eadem fuit sententia Senatus? cur non eadem voluntas? Quæ si fuisset, sine dubio ille & authoritati vestræ, & concordi consilio cessisset. Multas & magnas patitur ætas iuuenilis insidias: multas peccandi occasiones habet: multæ & variæ sunt voluptatum illecebræ: præsertim apud eos, qui sunt claro loco nati: in magnis opibus educati: in summis delicijs enutriti: & qui se in illa summa potentia ferè exemptos esse legibus arbitrantur. Quæ tanto magis in eam ætatem sæuiunt: cùm vel nemo est, qui consilio, qui authoritate, qui disciplina furorem illum adolescentiæ, & immanem illam rabiem libidinis comprimat & coerceat: vel multò magis, cùm non desint, qui blandimentis suis accendant & augeant. Nihil hic cū iniuria vestra, clarissimi Radziuili, dictum esse volo. Magna fuerūt maiorum vestrorum erga cōmunem hanc rempublicam nostram merita: magna iam & vestra, magnæ virtutes vestrę, summum cōsilium, summa prudentia. Etsi enim vos sanguinis vestri charitas afficit: magis tamen Reipublicæ vos debere, maiore cognatione patriæ deuinctos esse vos semper ostendistis. Sed nō diuturna siue voluptas, siue dolor ille fuit vester. Barbara enim eodē anno, quo regiam coronam acceperat, ex hac vita excessit. Cui⁹ funere Vilnam deducto & procurato: Rex in Poloniam reuersus, vt iura, causas & vrbes Prussiæ cognosceret, eam totā peragrauit: ciuitatum priuilegia confirmauit, & noua contulit. Vbi qualem ei honorē habuerint, illi duo præstanti sapientia senes, Duces: alter Barnimus Pomeraniæ, alter Albertus Marchio Brandeburgensis, Prussię Ducalis Princeps, qui ad eum Gedani conuenerant, vos ipsi meministis. Albertus ipse, & obsequio suo, & hospitalitate, qua eū in ditionibus suis acceperat, ita se erga eū gessit: vt non tanquam dominum, sed patrē ac numen aliquod veneraretur, ac cęteris, honorandi & colēdi Regis, illustre exemplum ostenderit. Ostendit hoc in omni vita sua, ac filio, Alberto Friderico, summa probitate & virtute iuueni, fidei amoris & obseruātię suę erga, non tantum Sigismundum Augustū, sed etiam quemuis alium Regem Polonum, documentum reliquit. Eodem anno, cum regem proceres sine vxore nollēt esse, actum est cum Ferdinando iā Imperatore designato, de altera filia Catharina fęmina sanctissima & laudatissima, vidua Duce Mantuæ: missum & ad Pontificem, vt coniugium illud alterius sororis, Apostolica dispensatione, ratum fore iuberet. Inter priuatos homines affinitates, eorū tantùm proprię vtilitatis, & ciuilis societatis causa, inter paucos ineuntur. Inter Reges autē ac summos Principes in nuptijs & necessitudinibus, nō tam eorum propria, quàm totius Reipublicæ vtilitas, & publica orbis terrarum salus quæritur. Quæ Cracouiam cùm anno sequenti, post eum annum, qui fuit & graui pestilentia & caritate annonæ notatus, à fratre Ferdinando Archiduce Austrię adducta esset: & nuptiæ summa lætitia, & sumptibus, in tot principū externorum ac procerum regni præsentia confectę: nō parua erat spes sobolis futuræ. Sed aliter visum est Deo, neq; enim non solùm vlla soboles ex ea suscepta, sed etiā coniugium ipsum alio, quàm expediebat

Mors Elizabetæ.

Barbara Radzivvila vxor 2.

Barbaræ mors.

Barnimus Dux Pomeraniæ.

Albertus Marchio Brādeburgen. in Prussia Dux.

Catarina vxor 3.

bat fine, maximè regni totius dolore, ac molestia, terminatum fuit. Seu enim offensione quapiam, siue alia de causa, soli Deo ac Principibus ipsis nota, aliquot annos vbi coniunctissimè secũ vixissent: ita separati deinde ab inuicem fuerunt: vt postea Catharina à Maximiliano fratre Imperatore moderatissimo reuocaretur: Archiepiscopo Gnesnensi Iacobo Vchanio, in omni fortuna Reipub. vigilante senatore, ac toto senatu, vt meministis, apud Regẽ, ne id fieri permitteret, summoperè sed incassum laborante. Nõ paruũ hoc fuit vulnus Reipublicæ: sed non nisi communi totius regni delicto tribuendum. Sed nolo refricare hæc vulnera: nec annales hic vllos recito. Institutum meum est, hoc tantum ostendere, quanta fœlicitas Regis illius fuerit: quanta authoritas apud exteros Principes: vt in tãtis occasionibus perturbandæ Reipublicæ, nulla nos calamitas, nullũ infortunium attigerit. Nã, vt hoc quod res est dicã: hos errores muliebres in illo Rege optimo, seu potius quædam fata, vt excusare ac defendere nec scio, nec possum: cũ in Rege præsertim castitas propter honestatis publicæ exemplum, sit etiam virtus pulcherrima: ita in tanta segete clarissimarũ virtutum ipsius, tan torũ meritorum, quæ iam ostẽdi, & adhuc ostẽdam, & tantæ laudis vberrima copia: non tanti hæc facio, quæ in fortissimos ac sapientissimos etiam cadere solent: & quæ hominis vitia non Regis sunt: vt ijs magnitudinẽ beneficiorum illius, quæ in hanc Rempub. contulit, deleri ac obliterari, sine summa ingratitudinis nota, posse existimẽ. Bonorum enim est virorum, vitia non laudare, & beneficiorum memoriã non extinguere: improborum verò, vno errato alieno, omnes hominis virtutes obterere. Cogitate illos Hercules, Samsonas, Dauidas, Salomones: cogitate & cæteros fortissimos & optimos Principes: & Regi defuncto suos næuos cõdonate. Beatus ille putandus est, qui minimis vrgetur. Nemo enim ita vixit insons, vt non grauissimè impegerit. Nemo est nostrũ: nemo ex infima etiam plebe: qui, si remoto affectu, se ac sua facta introspiciat, & in illa Platonica trutina expẽdat: plus in se errorũ, quã integritatis, plus vituperio, quàm laude dignũ inueniat. Sed ita sumus in alienis Lynces, in nostris talpę: nec videmus manticæ quid à tergo sit: prẽsertim in Regũ actis, & moribus, in quibus minima etiã quæq; propter altitudinem dignitatis, & fortunæ splendorem, facilius conspiciuntur? quàm in alijs grauissima etiam flagitia: Ait enim verè Satyricus.

Catarinæ discessus.

Maximilianus Imp. moderatissimus.

Iacobi Vchanij Archiepiscopi studiũ.

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet: quantò maior, qui peccat habetur.

Et maiore audacia reprehendũtur, cũ vt Rex apum caret aculeo, ita Reges sola se maiestate tuentur. Miserrima certè Regũ est conditio, si attendamus negocij difficultatẽ: prouinciæ magnitudinẽ: oneris grauitatẽ: vigilantiæ necessitatẽ. Quod si pro tantis suis ærumnis, pro tantis laboribus, ingratitudinẽ & conuitia reportant, & omniũ maledictis, ac reprehensioni obiecti sunt: nullũ genus vitæ magis afflictũ, miserum, magisq; seruum inuenias, vt nõ immeritò quidã conqueratur: cùm, ô nobilem, inquit, magis & speciosum, quã fœlicem pannũ: & alius quidam, ô diadema caput adurens: ô palliũ spinis refertum. Et profectò, si in rege nostro, isti illepidi correctores, & vigilantiã, & sollicitudinẽ, & studiũ, tot comitiorũ molestias, tot expeditiones bellicas, tantos sumpt⁹ effusos, tantos labores exhaustos consideret, minus otij haberent, tã diligenter in ea, quæ fortè humanitus illi acciderunt, animaduertendi.

An paruum hoc illius est beneficiũ? an parua fœlicitas? ea Reipub. tranquillitas, hoc otium, ea pax, quod domi, in tanta varietate opinionũ de religione in pace viximus: cùm ea de causa, cęterę prẽstantissimę ꝓuincię, & regna florentissima, ciuilibus bellis deflagrarint: & parricidialibus armis, templa, domos, cubicula, thalamos cruẽtarint: vrbes euerterint: postremò, libertatẽ omnem plerisq; in locis amiserint. Nos ita coniunctè, ita placidè & suauiter inter nos viximus: vt ea res maximè in hoc interregno nostro, orbi terrarum miraculo fuerit. Quo Rege, minora dãna regno, ab hostibus nostris illata sunt? Quo Rege, plus regno adiunctum est? Nihil est Liuonia: quæ se sine ferro, & sanguine, cùm ob cæsum legatũ, & Archiepiscopum Rigensem, Vilhelmũ Marchionẽ Brand. ac Christophorũ Ducẽ Mechelburgensem in vincula coniectũ: bellũ, ac exercitus regios in conspectu haberet: supplex ad pedes Regis mitissimi abiecit? Liuonia illa tãta, non ꝓuincia, sed regnũ: tot vrbibus potens, tot portubus commoda, tot arcibus munita: quę etiamnũ florem pristinum ac opes suas retinuisset: neq; partes eius nobilissimę, hosti barbarissimo & crudelissimo, cui simile monstrũ nullæ historię vnquam ꝓdiderunt, cessissent: si Ferdinandi pijssimi

Beneficia Regis.

Pax domestica.

Liuonia victa.

ßimi Imperatoris interceßiões, ac Principum Romani Imperij preces, Regem placidißimum, ne intra fines illius prouinciæ exercitus suos ire pateretur, ab instituto nõ reuocassent. Eorum enim legati, magistrũ Liuoniæ, Vilhelmum Firstembergiũ oblatas conditiones suscipere, potius quàm arma experiri, iusserũt. Qui eas suscepit: iureiurãdo confirmauit: Archiepiscopũ Rigensem, cũ Duce Mechelburgico liberè dimisit: atque ea ratione Regem placauit: ab eoq; veniã impetrauit: ita, vt nostri exercit⁹, quos tunc maximos, & instructißimos habuimus, domũ sine sanguine Liuoniæ reducerẽtur. Qui tamen magister, cùm vires Moschi se ferre posse existimaret, ita infeliciter eas expertus est, vt hostis in Liuoniam à Rege intactã summis viribus ingressus, magnã eius partem deuastarit: & Derpatense vrbe occupata Episcopũ exturbarit. Tũc enim Liuonia in angustum redacta: permissu Imperatoris pleno iure sese Regiæ potestati subiecit: quã vt is tuendã susce pit, nihil à Moscho detrimẽti passa est amplius: præter Firstembergium, qui se & Felinũ arcem, in qua se imprudẽtius incluserat, tyrãno dedidit. Et tum iam Rex noster iure suo vsus, cernens Liuoniæ statum immutatum esse, religionẽ Catholicã profligatã, ac ordinẽ abiectũ (quæ res tantæ direptioni & calamitati caussã sine dubio præbuit) vt eius vires sparsas, ad neruum aliquẽ colligeret, Gottardum Ketlerum, quod pater Alberto Brãdeburgico in Prussia fecerat, Curlãdiæ, & Semigalliæ Ducẽ creauit: & postea Ioanni Chodkeuicio viro tã belli artibus, ac scientia militari, quàm multiplici eruditione, ac rerũ experientia insigni, Liuoniæ administrationem commisit. Nihil est illa fœlicitas, & gloria, tã incruentæ victoriæ: qua permotæ omnes ciuitates Ansiatici fœderis, Regi, ex illa expeditione reuerso, sui protectionem, & ius defensionis, & auspitij, per legatos suos permittebant? Quid obstitit? aut quis tantam acceßionem Polonico nomini spontè oblatam, è manibus eripuit? Quid? consilia. Aut enimnulla fuerunt: aut mala. Cùm enim negotium ad regni comitia dilatum esset, quod celeritate indigebat, in irritum & ventos abijt. Nolite accusare Regem, proceres. Nihil est facilius, quàm in Reges erratorum nostrorum reijcere culpam: cùm ita institutam Rempublicam habeamus, vt quanto plures sunt, qui de ea, vnà cum Rege consulant, tanto minus obnoxium culpæ Regem esse oporteat: cùm non absoluta potestate nobis imperet, sed ex consilijs & authoritate Senatus dependeat. Dependeret autem semper, si concordes ac constantes sententias eius esse cognosceret. Cõstantia patres, constantia ac fide opus est: fide inquam maxima, quam genibus in terram abiectis in amplißimo Comitiorum regni theatro Deo, & Reipublicę iuratis. Quę si tanta esset, quantum iureiurando recipitis, non ita laboraremus: quamuis hæc non ad omnes. Sed redeo ad alia merita Regis nostri. An paruum illud meritum? quod accisas opes, & vectigalia Reipublicę, authoritate quidem vestra, & ordinis equestris flagitationibus recuperarit: quod de suis prouentibus, magnam partem in vsum defensionis publicæ deciderit atq; donarit? In qua re, in Senatu hoc vestro amplißimo, Vchanius hic Archiepiscopus, ad curas ferè perpetuas natus Senator, in ordine verò equestri Hieronimus Ossolinius, publicæ & suæ libertatis custos, & assertor animosus, nunc Castellanus Sandomiriensis, multum operę, & laboris posuerunt. Cuius rei apud Ioannem Borucouium, Præpositum Lanciciensem, Regium Secretarium, virum integræ fidei, & singularis probitatis acta, & volumina in quibus elaborauit, extant. Quæ recuperatio, etsi nonnullis permolesta accidit: tamen, nisi morbus ille rerum publicarum ambitio, eam rursum eluxet, & labefactet: multum profectò incommodi è Republica sustulisse videtur. Primùm Regios reditus, qui perpetuis donationibus, & fundorum distributionibus distracti, & exhausti fuerũt: collegit. Deinde, viam multis ad benemerendum de Republica aperuit: hoc enim reddidit Regibus, quo virtutem hominum ad Reipublicæ studia excitarent & prouocarent: quod tum fieri nõ poterat, cùm vniuersę opes, & patrimonia tota Reipublicæ in paucorum domos coactæ, & conclusæ iure hæreditario fuerũt. Vnde virtutis officia negligebãtur: & Respublica, nec militẽ in finibus: nec domi viros litteratos, habebat, cũ parentes, tã amplas reipub. posseßiones, ad otiũ, luxum, & libidinẽ, filijs priuato nomine, posſidẽdas relinquerent. Vnde nec functiones publicæ illis officijs adiunctæ, cũ ab vno tot, & tanta, ac tã diuersis locis tenerẽtur, rectè adimpleri poterãt. In ordinẽ iam suũ ea omnia, cura, studio, & vigilantia Regis nostri redacta sunt: dummodò ne nouis cuniculis ea pertur-

Se Regi Polon. subiecit.

Gottardus creatur Dux Curlãd. & Semigalliæ.

Ioãnes Chodkievvicz administrator Liuoniæ.

Ciuitates Ansæ Regi se subdere volunt.

Exequutio statuti Alexandrini.

Iac. Vchãn. Archiepiscõpus.

Hieron. Ossolinius castellan. Sandomir.

Ioannes Borukovvius.

perturbet auarities istorum, qui nō intelligunt, in hoc semel ab eo cōstituto ordine salutem, & dignitatē totius Reipublicæ, & fortunarum priuatarū stabilitatem sitam esse. Non sua causa, fecit hoc Rex ille. Nam quid in nostra Republica sua causa Rex facere velit: in qua, nihil propriū, nihil à publico statu seiunctum habeat: sed & sua & seipsum Reipublicę debeat? Sed fecit hoc vestrę omniū vtilitatis, & vestri cōmodi causa: in quorū gratiam nō solùm ingenij, & industriæ, sed etiam salutis suæ vires vniuersas, tot comitijs, tot profectionibus effudit.

Vnio Lituanorum cum regno. Venio ad Lituaniam, quam & si semper nobis amicā, & fœdere antiquæ amicitiæ, & communium vinculorū integra fide persistētem habuimus: tamē arctioribus multo vinculis nobis deuinxit, & in vnum regni, ac Reipub. corpus vniuit. Quo quidē in negotio, quantum difficultatis fuerit: & quàm sollicitè de ea re conficienda, tam apud patrē Sigismundum, quàm apud eius filium Sigismundum Augustum, nuntij ordinis equestris, nullis ferè nō comitijs laborarint, & contenderint, vos ipsi meministis. Fecit itaq; ille, quod bonum Regem decuit, ac verū patrem patriæ: qui vniuersam eius salutē, & fœlicitatē hac vna re niti perspiciebat: & quā, nisi eo fine terminasset, quem videmus, fortasse in hoc interregno res nō ita tranquillas, nec animos ita ad concordiam propensos habuissemus. Quibus incōmodis ille prudentissimè occurrit: & assiduis profectionibus, curis, laboribus, admonitionibus, precibus, imò & liberalitate sua maxima, erga quamplurimos, rem eam; tanta & sua laude, quàm vnus ferè omnium regum propriā suam iure ducere potest, & nostra fœlicitate confecit, conclusit, ac sempiternis fœderum & beneuolentiæ vinculis ratam, firmam, ac perpetuam fecit. Ita vt Polonam & Lituanam gentem, iam vnum populum, vna comitia, vnum senatum, vna consilia, vnam Rempublicam, & vtrāq; fortunam communem, magno decore & ornamento vtriusq; nationis, magno præsidio stabilitatis suæ, habentē, agnoscas. Magnum hoc beneficium est, quod ea copulatione viriū, ac opum & cōsiliorū communione salutem ac immortalitatem Reipublicę comparauerit ac reliquerit, vtque nos maiore beneficio obstringeret, quicquid iuris in Lituaniā, à maioribus suis habebat: hoc totum sibi ipsi ademit: & vtriq; nationi donauit.

Vnio Prussorum. Iam Prussos, qui propria quædam cōsilia, & priuatos terrarum suarum conuentus suis temporibus concessos habebant: quia periculum Reipublicæ aliquod creari posse, inde aliquādo metuebat, si quid separatum à corpore regni habere viderentur, maioris firmitatis causa, ijsdē vnionis nexibus, ad vnū regni statum aggregauit. Quæ vtraq; vnio, si prioribus Regibus visa est difficilior, Regis nostri fœlicitatem & prudētiam: sin autem eam illi noluerunt, bonitatē, & verè Regium in Republica animū huius nostri apertissimè declarat. Sed nō desunt, qui non pari gratitudine ea merita prosequuntur: & quod, cùm nō haberent, ardenter expetiuerūt, hoc adepti nō tāti facere videntur. Cùm Liuonia abesset, desiderarunt: cū adest, onerosam sibi esse querūtur. Recuperationem, quā vos executionem vocatis, maximis votis requirebāt: nūc aūt tantū non execrātur. Vnionem optabant: nunc perfectā colere videntur remissius. Quorum ego instabili sententia nihil moueor. Maius est totius Reipub. iudiciū, maior authoritas. Ingratitudo paucorū, quę cū passim bonis omnibus insidietur, etiā in præclarè gestis Regis nostri quî potuit esse otiosa? Quę vt nō debuit eū deterrere à benefaciendo: ita neq; nunc memoriam beneficiorum eius abolere poterit reprehendendo. Regium est, cùm rectè feceris malè audire.

Ducalis Prussia pacata. Iam quantum illud est, quòd Prussia Ducalis, cùm sub Alberto Seniore domesticis dissensionibus æstuaret: ac externi Principes, præsertim qui minus debebant, conspiratione cū nouis quibusdam hominibus Principi seni adhęrentibus facta, primùm arces aliquot, deinde totam Prussiā specie tutelæ iunioris Ducis occupare vellent: ac iam hoc nomine, & Prussia armis plena esset, & grauissima rerum omnium perturbatio in oculis versaretur: Cardinali Varmiēsi Stanislao Hosio, viro, & vitæ integritate, & doctrinæ laude clarissimo, authore & hortatore: eam, Rex noster prudentissimus, suis cōsilijs ita pacauit, & tranquillitati restituit: vt & Alberti Principis Senioris extremam illam ætatem, ab instanti molestia vindicauerit, & iuniorem ab imminenti exitio liberauerit. Cùm enim te Ioannes Slzeui, Palatine Brestensis, cum Petro Zborouio, tunc Castellano Biecensi, nunc verò Palatino Sandomiriensi, Ioanne Kostka Gedanēsi Castellano, & Nicolao Firleo à Dambrouica, nunc

Stanislaus Hosius, Car. Varmiensis.

Cōmissarij in Prussiam. Petrus à Zborovv. Ioannes à Sluzevvo. Ioannes Kostka.

Nicolaus Firlei.

nunc Castellano Vislicienſi, viros prudentes & magnanimos, eo ſua & totius regni authoritate cum ſumma poteſtate & imperio delegaſſet: vos ſumma prudentia veſtra, & cauſas excitati illius periculi, quæ antea latebant, inquiſitione veſtra diligenti eruiſtis: & authores turbulentos, cubiculares conſiliarios, delegatorum à vobis iudicum ſententia, publicæ condemnauiſtis: & commune periculum, ac incendium, trium ſanguine, duorum proſcriptione, reſtinxiſtis. Cuius tam eximij, ac memorabilis facti veſtri gloriam, publico veſtro in Senatu teſtimonio, pro veſtra humanitate mecum communicaſtis: cum eò à Rege, antequam vos ſumma autoritate veniretis, ad remorandum illud tum primùm emergens malum, voſq; in illo diſcrimine expectandos, ſtatusq; Pruſſiæ animandos miſſus eſſem. Quo nomine vobis Reſpublica plurimum debet: & non deerunt fortaſſe, qui actum illũ memorabilem nõ parua nominis veſtri commendatione, ad poſteritatem tranſmittant.

Commiſſarij Gedanum miſsi.

Huc pertinet, vt in Pruſſia regali (etſi tota regalis eſt: ſed ita nunc eam appellare libet, vt differat ab ea parte, quæ Duci eſt ſubiecta) in vrbe Gedano actus ille celeberrimus Staniſlai Carncouij Epiſcopi VVladiſlauiæ, cum Ioanne Sieracouio Palatino Lãcicienſi, Ioãne Koſtka, Nicolao Firleio, Simone Subſcio, Staniſlao Vyſocio regni Senatoribꝰ, cuius vos certè nunq̃ obliuiſci debẽtis. Cùm enim, populus ciuitatis Gedanẽſis, dominatum paucorũ in vrbe illa, regiam ſibi poteſtatem vendicantium non ferens, crebras ad Regem querelas deferret: ac onera, iniuriasque publicas & priuatas Regi oſtenderet, quæ ſtatum ciuitatis illius non mediocriter perturbarant: Epiſcopus prudentiſſimus cum collegis egregiam nõ ſolùm ciuitati illi, ſed etiam toti Reipublicæ operam nauauit. Cognitis enim illius perturbationis cauſis, & nimiam illam quorũdam poteſtatem in ordinem redegit: & ius Regium à ciuili diſcreuit: & poteſtatem Regis & regni, à quibuſdam obſcuratam erexit: & libertatem populi vindicauit, & commoda regni auxit: & quicquid controuerſiarum in vrbe fuit, placidè ſopiuit: ac ne quid ad fœlicem ciuitatis ſtatum deſiderari poſſet, vendicati dominatus, ac onerum publicorum authoribus, vt coram Rege cauſam diceret, diem dixit. Quo nomine illi cum collegis à Rege, & ordinibus regni publicæ actæ ſunt

Sta. Karnkovuski Episcopus VVladiſla. Ioa. Siracouius Pal. Lancic. Ioa. Koſtka. Caſtella. Gedanen. Nic. Firlei Caſt. Viſlicienſis. Stan. Vyſoczki Caſt. Biechovv.

gratiæ: & decreto comitiorum publico acta confirmata: & ijs, qui cauſam dixerant, poſtea ſupplicibus venia data. Ac Ferberus quidem & Clefeldus cùm ſpopondiſſet Ciuitatem vniuerſam tranſactionem ſuſcepturam, Ioannem Sluzeuium Palatinũ Breſtenſem, cum Caſtellano Gdanenſi, Staniſlao Sandiuogio Czarncouio, Regni Referendario, & Caſpare Geſcauio Abbate Oliuenſi, eò miſſum fuiſſe meminiſtis: in quibus recitandis tantò breuior eſſe volui, quantò ea accuratius deſcripta, ac typis publicis edita, omnes in manibus habetis: atque vtinam ita habeatis, vt ea quæ ſalubriter cœpta ſunt, ad ſuum finem adducatis: & rerum earum fructum vberrimum capiatis.

Nota

Belli fortuna.

Quòd ſi autem & belli fortunam in Rege noſtro expendatis, eam ſemper illi fauentem fuiſſe memoria tenetis. Reuocate vobis in memoriam pugnas illas, & victorias memorabiles, quę etiam iã poëmatis & ſcriptis celebrantur, Neulenſem & Vlenſem: in quarum prima, duce Floriano Zebrzidouio, Caſtellano Lublinenſi, per delegatos Ioannem Leſnouolium, Staniſlaum Zamoſcium, Iacobum Secigniouium, Ioannem Zborouium, & multos alios, Moſchicos exercitus quadraginta & amplius millium, mille & quingenti noſtri Equites ſuſtinuerunt: ac vim eorum, cæſis aliquot millibus, paucis ſuis deſideratis, repreſſerunt. In altera quinque & viginti millia armatorum Moſchorum, quæ dicebatur acies ferrea, duce Nicolao Radziuilo Palatino Vilnẽſi viro præſtanti & Ioanne Chodkeuicio Capitaneo Samogitiæ, Korecio, Tiskouicio, maximo conflictu cęſa, fugata, diſperſa, cum ſumma laude virtutis Sarmaticæ fuerunt. Reuocate prælium illud ad Boriſtenem cum Tataris, & fortaſſe non vnum, duce Nicolao Sieniauio Palatino Ruſſiæ, partamque toties victoriam. In quibus reprimendis, quanta ſemper Sieniauiorum virtus, quorum nunc duos, nimirum Hieronimum Sieniauium Caſtellanũ Camenecenſem, & Nicolaum cohortium regiarum multoties pręfectum (vt nũc fratres eorum ſtrenuos taceam magnæ ſpei iuuenes) viros ſtrenuos, & præclarè de Repub. noſtra meritos intuemur: quãta felicitas fuerit, hoc me etiam tacẽte vos ipſi agnoſcitis. Quid Albertus Laſki Palatinus Siradienſis: vir animi magnitudine, & artibus militiæ præſtantiſſimus? inquam, cũ ſæpe aliàs, tum apud Oczakouiam egerit? vbi non ſolùm

Nic. Radziuilus Pal. Viln.

Ad Boriſtenem.

Nic. Sieniavvski Pala Ruſſiæ.

Hier. Sieniavvski: Caſt. Camenecen.

Alb Laski Pal. Siradienſis.

lum Tataros intra mœnia cōpulit:ſed etiam per pontū Euxinum turpi fuga terga dare coëgit. Quid non ita pridem cæteri milites ſtipēdiarij, duce Nicolao Mielecio Palatino Podoliæ, ingenio, & animo excellenti, ad Tyram fluuiū ſub arce Chocimo in Valachia fecerint rē eā recenti memoria tenetis. Vt antiqua illa, Bernardi Pretuicij, p̄fecti Trēbovvlieſis, viri tota Polonia & Germania celebratiſſimi, contra Tataros, Turcas & Valachos geſta, & victorias interim p̄teream: notiora enim sūt, quàm vt nūc me de ijs verba facere oporteat. Reuocate & victoriam illā de Suecis in Liuonia partā: cùm ad villam Kirempe, non procul à Reualia, auſpitijs viri clariſſimi Ioānis Chodkieuitij Capitanei Samogitiæ, duce Nicolao Taluoſſio, viro ſtrenuo, nūc Caſtellano Samogitiæ, ſex millia Suecorū cęſi, fuſi, & capti fuerūt. Vt nihil hic commemorē, de arce Vla: q̄ ſumma fortitudine Ducis Romani Sāguſcouicij Palatini Braſlauiēſis, quē etiamnū Polonia & Ruſſia tota immatura morte ſublatū magnoperè dolet, ac robore p̄ſtantiſſimorū militū, inter quos fuerūt non poſtremi Ioānes Gizicius, & Staniſlaus frater meus, Moſcho ereptā eſſe conſtat. Multa alia dicendo recenſere poſſem: ſed ne longior ſit noſtra oratio, multa conſultò prætereo: quę alijs principibus interdum euenire ſolent, ea Regi noſtro propemodum perpetua fuerunt. Quantum verò ei externi Principes, & ſummi Monarchæ tribuerint, hoc rebus ipſis declararunt. Declarauit hoc Carol. V. Imp. fœliciſſimus multis rebus. Declarauit Ferdinandus frater eius, cum ei duas filias daret vxores: & aliquoties tranſactionem Vngarici belli, quòd cùm Ioanne Sigiſmūdo electo Vngariæ, nepote Regis noſtri, paucis annis varia fortuna gerebatur, ad eū deferret. Summū honorem ipſi⁹ iudicio, integritati, & ſingulari erga ſe beneuolentiæ Maximil. iſte Imp. laudatiſſimus, habuit: cùm ſępè alias, tum verò maximè, cùm bellū illud toti Reip. Chriſtianæ, funeſtum ac exitiale cū electo Vngariæ arbitrio, & authoritate illius componendū ac finiendum permiſiſſet. Quod ante triennium opera Regis noſtri p̄ Adamum Conarſcium Epiſcopum Poſnanienſem, ſingulari virtute præditum, & in rebus externis apprimè verſatū, cui etiā nunc prouincia Regis electi ex Gallia adducēdi eſt cōmiſſa, ita fuit compoſitum: vt non ſolū certa amicitia, ſed etiā noua neceſſitudine & affinitate, Ducis Cliuenſis filia, Cæſarea nepte, in vxorē Ioanni Sigiſmundo promiſſa confirmari debuerit: niſi aliter viſum eſſet Deo, qui in apparatu nouæ lętitiæ illius, iuuenem clariſſimum, in ipſo ætatis flore, ex hac mortali vita ad cæleſtem euocauit: magno cū optimi Imperatoris, tū Regis noſtri ac omniū ferè Principum dolore ac deſiderio. Quæ quidē amicitia, & mutua beneuolentia, inter Cęſarem & Regem noſtrum tanta fuit, vt nihil in ea amplius deſideraretur, niſi qd̄ fortuna ambobus mutuum congreſſum, quem bis ſollicitè inſtituerant, illis quodammodo inuidit.

Nic Mielecius Pal. Podoliæ.
Bernardus Pretvvitz.
Nicolaus Talvvoß Castella. Samogit.
Vla arx.
Pax inter Cæsarem & Ioannem Sigis. Elect. Vngariæ.
Adam Conarski Episc. Posn.

Nihil hic dicam, de pace inter Reges Daniæ & Sueciæ facta: quorum alterū ſibi fœderibus, alterum neceſſitudine coniunctū, cùm haberet: ita rē omnem moderatus eſt: vt neque neceſſitudinē ſequendo, à fœderibus receſſerit: neq; prorſus inſiſtendo pactis, ſanguinis neceſſitudinem offenderit. Plurimū ſanè difficultatis illud negotium habuit: cū primum Ioannes Dux Finlandiæ, nunc Rex Sueciæ, de cuius virtutibus & caſibus nulla vnquā ætas conticeſcet, è fraterna captiuitate liberatus, omnis Sueciæ cōſenſu Rex depoſceretur: ac Ericus ob tyrannidem regno priuatus, in cuſtodiam cōijceretur. Rex noſter, vt affinē in illa ſubita fortunæ cōuerſione, & initijs regni iuuaret: ad Regem Daniæ, Petrū Kloczeuium, nunc capitaneum Malogoſtenſem, & me miſit: præmiſſo Andrea Taranouio, qui Regē Daniæ, à bello inferēdo Regi Sueciæ, donec aduenir emus, ac inter eos de pace ageremus, retineret. Quam rem ita diligēter Rex noſter egit: tanto ſtudio & conatu, vt nos etiā alieno anni tēpore iter ſuſcipere iuberet, in quo q̄dem itinere nos ob mare glacie concretum, quod nobis apud Roſtochium traijciendum erat, extremo periculo nō procul abfuimus. Quod nobis in tanto Regis noſtri ad pacem conciliandam propendentis ardore, & ob noſtrum erga Regem Sueciæ ſtudium, non erat formidabile. Neque autem prius ab incepto Rex noſter deſtitit: donec poſt multas alias legationes, poſtremò in Stetinēſi cōuentu, per Martinum Cromerū, virum iudicio ac ſolida doctrina clariſſimum, coadiutorem Epiſcopiæ Varmienſis, me & alios, vnà cum Cęſareæ Maieſtatis, Gallico, & Saxonicis Oratorib⁹, rem ad optatum finem adduxiſſet. Pro quo facto, plurimum Regi noſtro debet Rex vterq;: & debuit iam prid em in ea ipſa concordia maiorem gratitudinē,

Pax inter Reges Daniæ, & Sueciæ.
Ioan. Dux Finlandiæ Rex Sueciæ.
Petr. Kloczevvski & Ioa. Demetrius Solikovuski.
Pax Stetinen. inter Reges Daniæ & Sueciæ, per Martinum Cromerū Episcopum Varmiensem & Soliconium.

qui

qui inter [illegible]facta pace, Regis nostri res, quæ à nobis proponebantur, posthabitas in ambiguo ad extremum reliquerunt: licet nobis reclamantibus & protestantibus. In qua re illud singularis eius animi moderationis præclarū est indicium, quod eam concordiam, etiam aliquo suo incommodo cōiectam, quàm sua propria causa interturbatā esse maluerit. Pauci sunt admodū, ò proceres, qui eam charitatem toti Reipublicæ, eam fidem præstent, quæ fuit in Rege nostro. Sua tantum cæteri quærunt: & cum alijs perniciem moliuntur: seipsos tandem, maximo infortunio obijciunt.

Turcarum certè Imperator Selimus, à patre Solimanno, qui cum Rege nostro constanter pacē coluit, in imperio relictus, tanti fecit semper Regem nostrum iam inde ab imperij primordio, cùm Petrus à Zborovv, tū Castellanus Voinicen. nunc Palatinus Sandomirię, vir magnanimus, amplissima illa legatione Turcica, fœderum confirmandorum causa functus est: vt & iniurias non paucas, quæ in finibus vltrò citroq; incidebant, & dissimularet semper, & nunquam alia ratione, quàm literis & accusatione vindicaret: & ne quid hostile in finibus à suis subditis, ppetraretur, Bassis suis seriò ediceret. Quærite ex his qui nunc ibi in Turcia fuerunt, cùm Rex noster mortuus esset: quàm doluerit Imperator, & Bassæ, morte illius quanta cum laude prudētiam eius commemorarint: ac orbis terrarum quassationē, tumultum, & insignem fore mutationem morte eius sperauerint. Vnde apparet quàm præclarè, non solùm Christiani Principes, sed etiam barbari de eius virtutibus, sapientia, consilijs & moderatione senserint.

Petrus à Zborovv legatus in Turciam.

Sed non tantùm in amicos beneficus erat: benefecit & hostibus: & non tantū singularē bonitatem, sed & summā prudentiam in eo declarauit. Cùm enim ante triennium Turcarum Imperator, ab eò per Podolienses campos transitū suis exercitibus in Moschouiam, terrā suam hostilem, per Imbraimbecū Strassum peteret: hoc ita denegauit: vt si ducendos eò vellet suos exercitus, hoc nō per suos fines faceret. Sciebat enim Rex noster, si id prohiberet, in Moschouiam Turcicos exercitus peruenire, aut omninò nō posse, aut ęgerrimè, & maximo suo incommodo posse. Atq; ea de causa Andream Taranouium in Turciam allegauit: qui hoc ab Imperatore contenderet. Fecit Imperator: & cùm, ne fines nostri Regis attingeret, per Asiā in Astrachanum longis itineribus circunduci exercitus mandaret, ac Taranouiū ideò illis pręsentem adesse vellet: victus & aquę inopia, & locorū incommoditate ad triginta millia Turcarum cum equis, per campos illos amisit: quorum aliqua pars fame, morbis, & pestilentia confecta, rebus pœnitus infectis reuersa est. Ita tum Regis nostri bonitas, non solum Moschum hæreditarium hostē, cùm posset, alienis armis reprimere noluit: sed etiam à bello illo imminenti, & viribus Turcicis, eum propemodū sua prudentia subduxit.

Moschouia à Turcis defensa.

Andreas Taranouius.

Testantur eius bonitatem, & clementiā, & isti plurimi ex Moschouia & Tataria transfugæ. Inter quos Dux Korupski facilè primas habet, qui cùm olim Moschicos exercitus duxisset: ab immanis, & feri Tyranni crudelitate ad moderatum, clemens, & iustum placidissimi Regis imperium confugit: & præclaras possessiones ab eo adeptus, fidei suæ non vile specimen exhibuit. Taceo Volodimirum, virum strenuum, & nō solum animo, sed & corporis eximio robore præstantem: taceo reliquos, quos omnes ad se Regis nostri bonitas nō secus, quàm Magnes ferrū pertraxit. Sed in his nolo diutius immorari. Si quid verò ad laudē, & fœlicitatē eius & hoc facere existimatis, vti plurimum facere meritò existimare debetis: sub nullo vnquam Rege tanta copia doctissimorum virorum, in Polonia, & Lituania extitit, quàm sub hoc. Videte Hosium, Cromerum, Orichouium, Socolouiū, Rotundum, Patricium, Kochanouium, VVarszouicios, Pouodouios, Herburtum, Zamoscium, Ioannem Lesniouium, Iacobum Gorscium, Stanislaū Ilouium, Franciscum Maslouium, Petrum Kostka, Iacobum Ponetouium, Lysacouium, Cossobucium, Pudlouium, Goslicium, Lucam Gornicium, & reliquos innumerabiles, quos breuitatis causa prætereo, doctissimos & ornatissimos viros: tot Theologos, Iureconsultos, Philosophos, Oratores, Poëtas, Medicos, Astrologos, Musicos. quorum ingenij monumenta pulcherrima vel iam extant, vel adhuc sperantur. Hæc certè ornamenta Reipublicæ sunt præstantissima: quæ hoc Rege floruerunt, & adhuc florent.

Transfugæ.

Korupski.

Iam si mores, si proprias virtutes excellentes in Rege nostro animo reuoluatis: multis superioribus Regibus ingenio, sapientia, iudicio præstantiorem, & ad honestatē, grauitatem, tēperantiam,

Mores & virtutes.

æquitatem, misericordiam, omnes deniq; virtutes, magnum hominem & excelsum à natura ipsa habuistis. Fuit in eo tanta modestia & humanitas: vt non tantum domesticis, sed etiam exteris ad mirationi fuerit: affectuum summa cōpositio, & maximus in summa illa pote state, rerum omnium modus.

Humanitas & modestia.

In querimonijs hominum audiēdis, hunc morem seruabat: quod omnibus etiam infimæ conditionis hominibus ad se patere aditum volebat: qui ne cibum quidem sumēti pepercère vnquā. Quos tamen ille nec abigi, nec remoueri passus est: sed eorum querelas patienter audijt, & libellos supplices ad eos quorum erat officium remittebat. Tardior tamē earum rerum expeditio, laudes eius non mediocriter, quod sanè dolendum est, imminuebat. In iudicando fuit grauis, & seuerus: alloquio blandus & placidus. Nemo ab eo discessit, quin magna signa lætitiæ præ se ferret. Ita enim, omnibus satisfacere volebat: & talem spei sementem in animis omnium iaciebat: vt multi ab eo digressi, non spem, sed rem ipsam manibus compressam tenere viderentur. Licet autem fuerit conniuentia maxima: tamen & vigilantis tanta, quæ cum priore certaret.

Bonæ spei sator.

Conniuentia vigilantia.

Obseruabamus autem & hoc in eo: quòd de rectè factis libenter audiebat, & gaudebat: flagitijs aūt offendebatur, sed ipse medelam non adhibebat, quod publicas turbationes plus æquo pertimesceret. At quis non pertimesceret? an nō vidimus eum statum Reipub. quod instantibus procellis & fluctibus obruentibus nauem, omnes clamabāt: Rex volebat, nemo autem fuit, qui suppetias ferret. Consilia ipsa tota Reipub. nostrę quid fuerunt, quàm exclamationes, & lamenta continua? omnes clamabant, perimus: nemo salutem dare volebat: vt hoc dici verè potuerit, ita actū fuisse cum Repub. vt cum lumine: quod extinguatur necesse est, cùm omnes lychnū emungūt, nemo verò infundit oleum. Fit autem plerunq;, vt ignorantes, cùm velint seruare lumen, emūgendo extinguant. Sed in nostra Repub. cùm id consilijs humanis vix effici potuisse videatur, ipse Deus clementer & damna auertit, & lumen, id est, pacem Reipublicæ, melioribus, vt spero, occasionibus conseruauit.

Rectè & malè facta.

Medela verbalis.

Erat comis & facundus, non eloquētia quidem illa elaborata, & quæ magis oratorum, quàm Regum solet esse: sed viua illa, graui, matura, & verè Regia, quæ non verba auribus, sed res ipsas oculis proponere videbatur. magnā autem gratiam conciliabat orationi, vox illa clara & articulata: in qua propria vocum ac pronunciationis expressio apparebat. Sæpè in dicenda sententia, qua omnium sententias concludebat, expectationem omnium superauit: & cùm omnes applaudentes ac ceu pedibus in sua verba euntes videret, tāta modestia vtebatur, vt iterum ea de re Senatum dicere sententiam iuberet.

Comitas. Facundia.

Musicæ harmonię, concentus, ac modulationū, iudex erat peritissimus. Vnde ipsam ingenij bonitatem, cognoscere possitis. Tota quidē orbis machina, numeris, harmonia, cōcentu & proportione constat: neq; vel in Repub. vel in vllis hominum actionibus, decenter ac honestè quicquam geri potest, quod nō sit mira quadam numerorum connexione & elegantia compositum. Adeò, vt mihi humanitate carere videantur eiusmodi concētuum ac numerorum imperiti: & non solū ad functiones publicas minus idonei, sed etiam à societate hominum sæpenumerò alienissimi.

Musica.

Linguas norat, latinam, ita vt eam non solùm intelligeret, verùm etiam & genus dicendi, ac pōdera verborum acutissimè perspiceret. Testis es mihi Valentine Dembinsci Regni Cancellarie, mi patrone: testis Petre Myscoui, Pręsul doctissime: testis Ioannes Herburte Castellane Sanocensis, Ioannes Zamosci, & cæteri, qui ad studium latinæ linguæ, & aliarum præclarissimarum artiū scientiam adiunxistis. Quęrat qui volet ex hoc Andrea Patricio Nidecio viro præclara eruditione, & Tullianæ eloquentiæ excellenti, qui tēporibus eius in Cancellaria regni complures annos pro Secretario externarū expeditionum magna fide & dexteritate est versatus: intelliget, quantus ille & quàm propemodum curiosus, cùm verborum obseruator, tum sententiarum censor, ac iudex mirificus in oratione latina extiterit. In qua quidem si quid affectatum, si putidum, si tumidum, si inane reperiebat, id confestim natura ipsa respuebat: cōtra aūt, si purum, si simplex, si temperatum animaduertebat, id vnicè amplectebatur: necessariorum vltrò submonēs, decentia laudans, omnia autem audiendo (nam legebat non æquè libēter) non solùm intelligēs, sed etiam limatissimo suo iudicio, tanquam ponderibus examinans. Atq; hæc quidem in latina, cæterum populares illas, Italicam, Germanicam, Slauonicas linguas oēs, in ijsq; adeò, vt ne hoc etiam taceam, nostram

Linguæ.

Val. Dembinscius, Regni Cancellarius.

Petr. Miscouius, Episco. Plocensis.

Ioa. Herburtus.

Ioan. Zamoscius.

Andreas Patricius.

in

in primis Polonicam ita calluit, vt nesciás, cùm loquentem audires, cuiatem esse potissimum existimes.

Geometria. Geometricam, opticam, rerum ponderationes, numeros, proportiones, diuisiones, precia, architecturam tormentariam ita calluit, ac si in tota vita nulli alteri studio vacasset. Acies instruendi, collocandi, currus ordinandi, ducendi exercitus, & omnium artiū & necessitatum belli ita gnarus, ita peritus, vt ij, qui in re bellica non mediocriter versati sunt, hoc de eo summa cum admiratione prædicarint.

Naturæ obseruationes. In naturæ opificio, & naturis animaliū plurima obseruauit: quæ multi philosophorum non attigerunt: & multa refutauit, quæ alij scribendo pro rebus certis tradiderunt.

Tempestatū item. Tempestates futuras, & aëris affectiones, ex vsu & propria experientia miran dū in modū obseruabat. *Mechanicæ artes.* In omnib^9 mechanicis artibus vocabula, nomenclaturas, proprietates ita tenebat, vt vix vllū artificium esset, de quo non egregiè disserere, ac quæ ad artē necessaria sint, exactè tenere & commemorare posset.

Liberalitas. Liberalis certè ita fuit, ac ferè formatus ad benefaciendum, vt plurimos locupletando, ipse & fiscum exhauserit: & nunq̄ magnas diuitias habuerit: & ære alieno non paruo inuolutus sit. Auariciæ radicem profectò non solùm habuit nullam, sed etiam sæpe de suo decedebat: & sua negligētius habebat. Ostendūt hoc cū pleraq; alia, tū Ducatus ipsius Barēsis in regno Neapolitano hæreditas, in qua repetenda, totos decē & septem annos laborabat: quæ vno anno, quantū intelligo, recuperari potuisset.

Frugalitas. Frugalitatem in vestitu, cibis, & cultu corporis in priuata sua vita qualem seruauerit, vos ipsi vidistis: à splendore certè superiorum nostrorum Regum tantum abfuit, vt à mediocris sortis hominum parsimonia non multū distare videretur. In publicis alioquin tractandis splēdidus fuit & magnificus. Luxū certè gentis nostræ, & molliciē, non solùm reprehendebat sæpe, sed etiam leges aliquas vestiarias, & cibarias sanciri cupiebat. Sed nos & in eo liberi esse maluim^9.

Perscrutator humorum. Ferunt: qui multis præest, nisi multorum humores cognoscat, in multis eū hallucinari oportere. Rex noster, ita eō gnoscebat omnes: ita naturam, mores, studia, & propemodum cogitationes ipsas omnium in vultu tanquam in speculo aspiciebat: vt nihil ferè esset, quod illum latere potuerit. Quod vt certum est, ita rursum facies & vultus ipsius erat viua animi eius imago. De quo hoc dici poterat: sæpe tacens vultus verba loquentis habet.

Cunctatio. Cunctationem nimiam in eo quidā reprehendere solebant. Fuit quidē cunctator: sed ego dū in eā cogitatione diutius versor, sæpe hoc mihi ante oculos ponere, idq; libēter crebris sermonibus soleo vsurpare: eam fuisse rerum nostrarum, & temporum illorū cōditionem, vt eiusmodi ingenium, quali eum præditum esse cognoscebamus, vix aliter, si ne salutis publicæ detrimento se gerere potuisse videretur.

Patientia. Quid de patientia dicam? quæ nō tantum suis, sed etiā orbi terrarum fuit admirationi. Passus est sibi vera dici: Vitia Reipublicæ scriptis & orationibus perstringi ferebat, neq; cuiusquam in ea re libertate offendi videbatur. Meretur hic laudē maximam Stanislaus Carnco- *Stanislaus Carncouius Episcopus Vlad.* uius Episcopus & Senator Reipub. nostræ dignissimus: qui vltimis comitijs ante mortem Regis nonnullis senatoribus adstantibus, & illius verba repetentibus, non Regis quidem malignitatem quæ in eo nulla fuit, sed potius lenitatē, qua quidam abusi temere sese in Reip. munia ingerentes, & Reipub. maiestatē labefactarāt, & ordinem rerum in multis peruerterant, & Regis ipsius dignitatem eleuarant, animo excelso ac imperterrito ita reprehendit: vt eum, qui adessent Sbigneo illi Olesnicio, acerrimo principum suæ ætatis monitori comparare non dubitarent. Et profectò, Senatores clarissimi, ea demum est officij vestri ratio, hoc munus in Republica vestrum: nec spe cōmodorum, aut praua ambitione in dicēda sentētia blandiri: neq; metu à recto & honesto deterreri.

Sed non tantum vera dici, quantumuis acerba, Rex noster passus est: passus & falsa: sustinuit contumelias. Verùm eas non sibi vindicandas sumebat, sed tempori refutandas relinquebat. Qui vsq; adeo obliuiscebatur iniuriarum, & ita diligebat inimicos: vt eos, à quibus offenderetur, breui, maximis beneficijs ornaret. Fuit hæc quodammodo propria eius vindicta, quod hostes beneficijs suis obrutos ac oppressos vellet esse. Quod si quando vltionem ex aliquo sibi sumendam esse putaret: non vlterius ferè progrediebatur, quàm vt is qui offendisset, intelligeret, se offendisse, neque tamen cuiquam dixit se offensum esse. Vt autem non facilè offendebatur, ita ipse in eo maximè laborabat, ne quenquam offenderet. Atque ea de causa multorum stultitiam perpessus

est, arrogantiam pertulit, morositatem exorbuit: & cùm aliorum sæpè, tum & ministrorum interdum, quorum culpa boni Reges damnum, & malam existimationem sibi sæpenumerò accessunt. In quorum moribus tolerandis, ita erat patiens, vt potius mallet ab illis iniuria affici, quàm illis officere. Dixit quidam, quod virtutis opus? cùm possis nolle nocere, optarem in hac re, nō ita benignus fuisset: vlciscēdis enim malis, bonis plurimum profuisset.

Nulla re magis dolebat: quàm quòd ius omnibus dicere semper nō poterat. Audiebat quidem quātum poterat causas, & cognoscebat: iusteq; & prudenter iudicabat: vidistis iudicium, agnoscebatis prudentiam summam: vidistis in eo legum patriarū exactam scientiam: sed valetudo imbecilla à sedentarijs laboribus abhorrebat, & horas consilijs commodiores, valetudinis curatio requirebat. *Viduæ: Pupilli.* Viduæ profectò & pupilli sempiternam eius iustitiæ, clementiæ & misericordiæ memoriā retinebūt. Is enim effecit, vt leges illæ, de solido iure vxoris cum viro, & de rationibus à tutoribus pupillo postquam ad maturam ætatem peruenerit, reddendis, ferrentur ac sancirentur. Is & legem illam, qua de homicidio commisso, vir bonæ famæ iureiurando veteribus nostris legibus euadebat, abrogauit: & scrutinium, seu inquisitionem iuratoriam in Palatinatu fieri sanxit. *Vir bonæ famæ.* Atq; vtinam tandem, ô mei Sauromatæ, nō humanis, sed diuinis pœnis hæc tam nefanda homicidia vindicetis. *De Homicidiis*

Vidit hoc Rex noster: & correctū esse plenè voluit. Vidit & alia pleraq;, in quibus emendatione fuit opus. Sed runcandi sunt sensim, non violenter euellendi errores publici: quale ferè erat studium, qualis animus Regis nostri: qui omnia in Reipublicæ negotijs mansuetè, moderatè, cautè, pedetentimque agebat. Vt autem prudens nauclerus, non semper eò dirigit nauem, quò cursum instituit: sed quò præsens tempestas illi concedit: ita prudentes in Republica viri, semper idem spectant, non semper idem agunt & dicunt: & vela consiliorū suorum, ad flatum temporum, & occasionum componunt, & moderantur.

Successor. Tantum verò etiam sua persona Reipub. satisfacere volebat, vt etiam se viuo, liberam de successore designando dicendi sententiā, omnibus esse voluerit: non alio certè cōsilio, quàm vt eam salutem, & pacem, cuius ipse in nostra Repub. dux fuit, & autor: quasi per manus successori suo tuendam, & conseruandam traderet. Sed vt alia nō pauca, etiam hoc eius institutum, non solùm tum non successit, sed etiam in meliorē statum nunc conuersum est.

Corporis lineamenta. Corporis eius lineamenta, & illā singularē vultus, oculorū, & oris suauitatē, corporis ipsius, brachiorū, & manuū decentem habitū, ac proportionē, teneritudini tamē cuidā magis obnoxiam, nolo hic oratione mea persequi. Decentia omnia, & placida in eo fuerūt. *Pudicitia.* Pudicitia externa tanta: vt nullū verbum obscœnū aut turpe, nec in cubiculo quidē pœnitiori, ex ore eius auditū sit vnq̄: & semper cauebat, ne se induēdo, aut exuendo, aliqua nudatione dehonestaret. Vno hoc nimius fuit & immoderatus: *Indefessus etiam suo incommodo.* quod sibi parcebat nunq̄: non nox curis soluta: nō dies à laboribus liber: nō mensa aliqua molestia vacabat. Sæpenumero aliqui pēdebant ab aure: qui vesparū fungerentur officio. Adeò verum hoc fuit in Rege nostro, ꝙ quidam dixit: asinorum multò meliorē esse conditionē, q̄ Regum: quibus parcitur cibū sumentibus: at Regibus ne tum quidem. Cuius rei, & si Rex noster neminē propter molestiā admonuit: tamen priuatim sæpè conquestus est: eò se redactū esse, vt nulla in re agnoscat se Regem esse, nisi in sola reuerentia subditorū. Et quò grauior ætas accedebat, eò magis laboribus defatigabatur: & nō solùm regni, sed vitæ etiā pertæsus, multa remittebat. Solebat que dicere, nisi alia ratione sibi consulere: tāquam vectoricio equo, sub ipsis oneribus sibi moriendū esse. Ideoq; sæpè & sollicitè ea de re cogitabat, quo pacto se à regni gerēdi molestijs retraheret: & alteri tradens lampada, regno se abdicaret: ac exemplo Caroli V. Imperatoris fœlicissimi mūdo relicto, Deo, & sibi viuēs priuata cōditione vitā terminaret. *Carolus V*

Religio. Ad finē orationis rem præcipuā seruaui, quā fortassè iam dudū à me expectabatis: hanc nimirū, q̄ religionē & retinuerit semper, & in qua ex hac vita discesserit. Religionē itaq;, qua ab ineūte ætate imbutus erat, Catholicā, & ne q̄d dubitare possitis Romanā, tenuit, coluit & obseruauit. *Catholicam Romanam* Etsi in hoc rerū turbine & totius orbis miserāda tēpestate, q̄ & nostrā patriā nō mediocriter affecit, nō erat valdè mirandum, si & ipse aliquid eiusmodi in animū admisisset. Tamē cū aduersæ partis dissidentes, & in dies nouas ac mutabiles sententias, nostrā verò constantem concordiam, in eorū dogmatibus summam omniū rerum licentiam, in nostra aūt religione maiorē pudoris, & disciplinæ rationē, ibi perniciē

ac euersionem regnorum, ac rerum publicarum, hic pacem & salutem Reip. contineri perspiceret: in ea fide, quam à maiorib⁹ suis Poloniæ Regibus, per manus traditam nascens acceperat, toto vitæ suæ tempore ad extremum spiritum permansit: quod & in ipsa morte declarauit. Non enim nisi sacris Christianè procuratus, & peractis omnibus, quæ fideles solent, & debent, obijt. Ostendit & testamento suo, quanta erga Deum pietate fuerit: quali animo & amore in Rēpub. & nos oẽs. Cùm enim omnia sibi à Deo data fuisse agnosceret, animā, corpus, regnum & officium suum: hęc omnia, quibus competebat, reddidit. Animam Deo, à quo eam habebat, & quam infirmitate humana multoties peccatis obnoxiam se fecisse fassus est, per filium Dei cōmendauit, & testamento legauit, ac eius misericordiæ permisit: corpus è terra natum, terræ & cineri reddi mandauit: officium suum Reipub. reddidit. Sororibus verò suis tribus, quarum primam Sophiam Henrico Duci Braunsuicensi: Catharinam Ioanni Duci Finlandiæ, nūc Regi Suecię, in matrimonium collocauerat: & Annæ, quam virginem moriens reliquit, id quod illarū esse ducebat, assignauit. Præclarissima aūt monilia tria, nempè, vnionē, pacem, & charitatē, nobis omnibus reliquit. Quo dono nihil carius, nihil præstantius, nō solùm ab homine relinqui, sed etiā à Deo Opt. Max. generi hominum dari potuit. Quid nobis reliquit? nū res vanas? nū ea, quæ fortuna rotat, quæ sunt fluxa, caduca, & instabilia, & quorum memoria cū sonitu ipso deperire solet? non certè. In his profectò monilibus nobilissimi Sarmatæ, reliquit nobis salutē, quid salute melius? reliquit gloriā, quid gloria pstabilius? reliquit libertatē, quid libertate dulcius? quid nostræ gēti gloriosius? Reliquit nō solum integritatem Reipub. sed etiam stabilitatem fortunarum nostrarū, decoris, & honestatis nostræ sempiternū incrementum. Quid eo clarius? quid maius? quid vtilius? verba me certè deficiūt, quibus magnitudinem eius beneficij dicendo explicare possim. Ac ne vel ambitione, vel imprudentia, vel casu aliquo ea vincula inter nos vnquā violemus, addidit iusiurãdum, quo nos per immortalem Deum obstrinxit: vt vnionem hanc, pacem hanc, & charitatem hanc, nobis ab eo relictam, tanquā summum excelsi Dei donarium, sanctissimè colamus & tueamur. Hoc eodem testamento, vobis Senatores, & curam interregni commendauit: vobis

Sophia Dux Braunsuicensis,
Catharina Regina Sueciæ,
Anna Virgo sorores.
Vnio.
Pax.
Charitas.
Cura Interregni.

Consiliarijs, vestram fidem implorando, sororem suam Annam, iam omnibus amicis, & consanguineis in hac repub. orbam, quam quanti semper fecerit, & viuus multis ipse rebus ostendit, & in morte sua hoc ipso testamento abundè declarauit: eam, inquam, ac fortunas eius, vestræ fidei, vestro patrocinio, tanq̃ patribus & tutorib⁹, reliquit & cōmendauit. Et sic, vbi & Deo & hominibus satisfecit: postq̃ cum patre quadraginta tribus, post patrē verò viginti quatuor annis imperasset: post longū & diuturnū morbū, viribus omnibus exhaustus, Francisco Crasinio, Episcopo Cracouiensi, eū & officij illius ac debiti extremi, & vltimę ordinationis, admonēte, & sacris eū procurante, Knisini, vt scitis, die 7. Iulij, anno superiore, ex huius vitæ calamitatibus, ad æternā beatitudinem, ac domum illam propriam, è qua pclarissimos illos spirit⁹, & virtutes pulcherrimas traxerat, nobis spectantibus, & complorantibus emigrauit: cœloq; consedit: vbi æterna fœlicitate & præmijs, pro administrato hoc regno, ac Repub. in pace, & tranquillitate relicta, fruetur in sempiternum.

Franciscus Crasinski Episcopus Cracouien.
Mors.

Habetis genus, vitam, mores, beneficia, in Rempub. singularia merita, Sigismūdi Augusti, Regis nostri pientissimi, Patres optimi, ac Equites clarissimi: quę vigebunt memoria sæculorū omnium, quæ posteritas alet, quæ ipsa æternitas semper intuebitur, quo promiserā ordine, vobis ob oculos posita. Audiuistis, & in qua Repub. quam is languidā, ægrā, tot cuneis hostiū obiectā, tot morbis ac corruptelis domi scatentem, ac vi sua quodāmodo nutantē, ita prudentia sua rexit: ingenio gubernauit: vigilantia tenuit: authoritate gessit: patientia moderatus est: vt eius rei fructus etiā hoc interregno retulerim⁹ maximos, & vberrimos. Quid enim causæ obsecro est? cū anni continui aliquot, fame, graui pestilentia, & varijs detrimentis Sarmatiam vexassent: cùm propter quorundā infinitā cupiditatē, & repentinā quandam publici ordinis cōturbationem, ac proborū indignitatē, extrema quædā pernicies, ac euersio rerum indies metueretur: cùm in acerbissima odia & factiones, tam potentes quàm tenuiores, morbo quodam & peccato communi Reip. discerperentur: cùm Valachia, nouam mutationem & vulnus accepisset: cùm Turcarū potentissimæ copiæ in finibus essent: ꝙ in hoc tanto discrimine Reip. illo mortuo, nulla nos calamitas attigit: nulla perturbatio afflixit. Domi

Interregnū tranquillū.

ita

ita amanter, ita placidè, & dulci quadã cõsensione omnia constituta sunt, quæ in interregno pacem, & eius æquabilitatem retinerent: & dissidijs Reipub. occurrerent: & hostium conatus, si non frangerent, quod sine capite difficile videbatur, at saltem frenarent: & morarẽtur. Nihil sunt illæ dissensiones primæ prouinciarũ, & diuersæ sententiæ: quas ego magis ex ambitione illa salutari & necessaria, iuuandi Rempub. apud eos præsertim, qui suæ virtuti & dexteritati confidebant, quàm praua illa & perniciosa, quæ est Reipub. pestis, profecta esse existimabam. Agitatione enim illa consiliorum, conuentuum, & sententiarum, ita res componebantur, conferebantur, & ad quandam moderationem reuocatæ fuerunt: vt & sensus, studia, ac voluntates omnium, ad pacem & salutem patriæ congruerent: & Rex clarissimus, & præstãtissimis dotibus ornatus, concordibus omnium prouinciarum sententijs electus: & finis interregno exoptatissimus impositus sit. Cuius quidẽ rei, prima laus est, penes Regem nostrũ mortuum: quòd ita tranquillũ & beatũ regnum, ita prudentes rectores & naucleros, ita pacis & concordię studiosam nobilitatem reliquerit. Proxima vestra, prudentissimi Senatores: qui à priuatis inimicitijs, & odijs domesticis recedendo, & tanquam in ara Iouis positorij ea relinquendo: vestris sapiẽtibus iudicijs, in eum portum Remp. adduxistis. Non postrema & vestra omnium gloria, nobiles constantissimi: qui etsi à libertate vestra non recessistis: tamen Senatus autoritatem ita seruastis incolumem: vt eam sequendo, nauem hãc in qua oẽs nauigabamus, ex his procellis, quæ imminebant, eriperetis: ac res totius Reip. ad eum finem, quem oculis videmus, & quo nobis meliorem optare non potuimus, adduceretis.

Rex electus.

Nunc hoc vnum restat: quandoquidem oratio nostra iam finem habet, ac id quod voluimus, dicendo, nostra quidem sententia, vtinam & fauore vestro, assequuti sumus: vt Deo immortali gratias agamus: quòd hoc regnum, tot, tam feris & barbaris hostibus circumdatũ, & tot rapinis obiectum, prouidẽtia sua diuina, ita ex alto regat, & tueatur: Regesq; nobis, tam fœlices, pios, iustos, clementes, domiq; & foris, summam fortitudinis, prudentiæ, & moderationis laudem habentes, largitus sit hactenus, ex hac clarissima Iagellonum familia, quę in SIGISMVNDO AVGVSTO finem accepit: & cuius familiæ adhuc ANNAM Principem, virginem sanctissimam, vt reliquũ in regno hoc surculum agnoscimus. Cui quidem virgini, parem hanc gratiã referre debemus: quod maiores eius, quod proauus, quod auus, quòd pater, quòd frater, hãc Rem publicam, & saluam retinuerunt: & innumeris beneficijs ornarunt: amplificarunt: illustrarunt: & quæ ipsa tot annos, pro vobis & Repub. in Deo immortali placando occupata fuit: & quæ vltra fraterna beneficia, etiam proprio nomine, fide, & fauore suo erga Rempublicam, animos vestros perpetuo beneuolentię & gratitudinis debito, tã fratri suo mortuo, quã sibijpsi deuinxit. Deprecemurque ab ipso optimo, maximo Deo, vt & Regem hunc, quem sola virtutum illius fama elegimus: quemq; Deus, veluti exerta è cœlo manu, nobis in eo loco, quo minimè sperabamus, ostendit ac exhibuit: & cuius electio, tam prosperè perfecta, minuere nobis dolorem amissi Regis debet, seruet: & gubernet: nosq; vnà cum eo, & Republica nostra, totius Europæ propugnaculo, & laudis eius domicilio, fœlices, & beatos reddere perpetuis temporibus velit.

DIXI.

IN OBITVM SIGISMVNDI AVGVSTI POloniæ Regis carmen Iacobi Heliæ Galli.

SI Mars iura suo violat legesq; tumultu,
Nec dici quisquam Rex sine lege potest:
Si sæuas acies odit chorus ille sororum,
Qui solus Regem condere iura docet:
Si dantur populis diuino numine Reges,
Vt pacem salua relligione colant:
Quis neget Augustum perfunctum munere Regis,
Regis, quem superum numina sancta regunt?
Crimina qui belli fugit clarißimus armis,
Contentusq; sui finibus imperij:
Qui musas coluit, pacemq;, & prisca deorum
Sacra pius tenuit funeris vsq; diem.

PROBI, ET GALLIAE AC POLONIÆ AMANTIS VIRI, AD GALLOS ET SARMATAS ORATIO.



I quod vnquam fuit tẽpus,fortissimi Galli & Sarmatæ, quo ego & pietati erga vos meæ, & rebus pernecessarijs vestris satisfacere debui: nũc illud profectò est, cùm Rex vester communis Henricus Francus Valesius, primùm ex Andium Duce Rex Sarmatiæ creatus, mox & Galliæ Rex hæreditate factus, ita subitò è Sarmatia in Galliam excessit. Qua re cùm vestrûm alteri nimis animum despondisse, alteri nõ mediocriter sustulisse videamini: putaui me hoc debere & gloriæ Dei, ne, cùm is princeps diuino munere ac prouidẽtia vobis contigit, si quid ea ex re vobis periculi aliqua imprudentia vestra acciderit Deo imputetis: putaui & nationibus deberi vestris, quibus sum deditissimus: putaui conscientiæ & virtuti meæ; vt vobis animi mei sententiam aperirem. Verebar enim, ne si è diuersitate consiliorum, in contraria studia incumbatis, regna hæc quibus continemini, in his acerbitatibus, quibus abundãt, grauioribus adhuc malis inuoluatis: è quibus aut nunquam aut serò & maximo negotio vestro, vos extricare poteritis. Non quod consilijs meis, qui vtrique & prudentia & iudicio polletis, opus habeatis, sed quia tam impotens amor in Rempub. & vos meus est, volui etiam mihi aliquid sumere, vt illi qui malè valentibus, etiam ignari artis medicæ, quæ possunt solatia adferunt: & sæpè euenit vt maximi morbi, & nullis pharmacis curabiles, olusculis curentur. Quod vt ne ingratum vobis sit, sed vt æquo animo ea auscultare velitis, magnoperè peto. Hoc enim vobis vtrisque demonstrabo, Regem hunc nõ exitio sed saluti & gloriæ vestræ, à Deo datum esse: ac ideò his gradibus duci, vt & ille clarissimus esset, & vos ex eo maiora ornamenta & vtilitates perciperetis; cùm iam his regnis imperet, quæ ita inter se coniuncta, mutuò maxima emolumenta capere possunt. Sed has res tantas, cùm plerique non ita consideratis, in duos maximos errores vtrique impegistis: Galli quidem, quòd hunc principem, in maxima gloria, in summis õpibus, & in omnibus vitæ cum voluptate degendæ commoditatibus, in proxima spe successionis Regni Galliæ, ad Sarmatiam inconsideratè animum adiecisse existimatis: hoc est, regnum adeò remotum, tantoperè onerosum, & ex quo nihil commodi, sed laborum & solicitudinis plurimum ad eum redundet. Inde fit, vt qui illius è Gallia in Poloniæ regnum abitionis autores fuerunt, ijs grauiter succenseatis; quod eorum causa Franciæ salutem lubrico loco fuisse positam arbitremini. Sarmatæ verò, quòd vobiscum malè actum esse existimatis, quòd Regem eum elegeritis, qui Regnum summo studio prius expetitum, & incredibili vestra beneuolentia eiusq; maxima gloria, ad se delatum, breui spreuerit, ac illud tanti apud se non esse, vel hoc suo discessu ostenderit, imò in pericula coniecerit. Vnde nunc omnes accusatis, qui eius principis laudes vobis primi aperuerunt, & ignaram, vt aitis, multitudinem in sua suffragia pellexerunt. Quos duos maximos non totius vtriusq; nationis errores, (non desunt enim vtrimq; qui rem non affectu sed ratione vti est considerant) sed plurimorum vtriusq; gentis refutare, atq; animos in contrarium nitentes ad saluberrima consilia, reuocare, in animum induxi.

Ac primùm quidem vobiscum, ô Galli, agam: Ad quorum sermones refutandos, vel constantia Regis ipsius mihi sufficere posset: qui non tantùm apud Sarmatas, verùm etiam externos Principes ac populos, & regni illius amplitudinem & nobilitatem, & hominũ bonitatem ac fidẽ prædicauit, & curę sibi fore, ne illud derelinquat, sed retineat, ac de illo bene mereatur, declarauit. Sed ne me ita debilem esse existimetis, vt me necessario testimonio & autoritate principis fulcire velim: non implorabo eius testimonium, non allegabo constantiam. Sed quæram à vobis, vnde hoc intellexistis, ei regnum illud nõ ita charum esse, vt Sarmatæ cupiunt, & vt etiam fortasse merentur? An is vobis dixit? Dixisse eum dicere non potestis. Nam aliud ex eo audiunt ij, quibus cũ

de Republica agere consueuit. Nihil autem repugnans eum consuesse dicere constat apud omnes, neque solùm amicos, sed etiam hostes. Ex vobis igitur habetis. Quod si certum est, aut hoc certò scitis: aut opinamini. Scire nõ potestis: vnde enim sciretis, si is, vnde hoc vos exhaurire oportebat, in animo id suo habuit nunquam. Opinamini igitur. sed cùm opiniones opinionibus refutentur, vt venti ventis, & nebulæ nubibus, non est necesse vllis argumentis. Aut aliqui rem eam finxerunt, & fictã vobis communicarunt. Figmenta, vt sunt per se inhonesta, & plerumq; præsertim in rebus magnis periculosa, ita tempore ipso refutantur, & tanquam nix radijs solis, ita veritate deliquescunt. Itaque neque cum figmentis confligam. Sed tamen vnum telum adhuc expediam. Si certum est, Regnum hoc Regi minus charum esse. Si antequam illud haberet, quare ambiuit? Si dum illud ingressus esset, quare nõ cõtẽpsit, sed summa alacritate diadema postulauit? Si posteaq̃ ex eo profectus est, quare nihil curę, nihil laboris omittit: vt illud retineat? Quid appeteret nõ ignorauit, qđ sperauit inuenit: qđ assequutus est non deserit. Tribus temporibus, id est, omnibus rebus euinco, huic principi regnum Sarmatiæ charissimũ esse, neque ei dolere, sed eo magnopere lætari, quòd eius regni Rex effectus sit: in cuius adeptione maxima gloria circũfluxit: non ea solùm de causa, quod de eo cum maximis principibus certarit: sed etiam quod ipsum eo conatu dignum fuerit. Nam si eos spectetis, qui ambiuerunt, de ijs nihil paruum cogitare potestis. Quid enim ijs maius orbis habet? Quibus si tanti erat Sarmatia, vt in conspectu orbis terrarum, de ea certando, existimationis suę periculum facere non dubitarint: quid est, quod vobis non satisfaciat? Magni principes res magnas appetunt. An & illi Sarmatiæ statum ignorabant? vt vos ignorasse dicitis, & ignorare vos adhuc certũ est? aut igitur perinde imprudentes fuerunt, quòd rem sibi prius ignotam, & quàm reipsa est opinione maiorem appetiuerint: aut in Sarmatia adipiscenda, maximã gloriam (quæ dos est principum) collocabant. Potentia autem cùm sit mater glorię: Quî Sarmatia minùs potens sit, cuius fines à Carpato monte vsque ad mare Goticum, & à mari Balthico vsque ad pontum Euxinum porrigantur? quæ tot millia nobiliũ in aciem producat, quot nullũm aliud Regnum, nullus princeps? cuius eæ vires sunt, vt etiamsi tot acerrimis populis vndique circumfusa sit, cum quibus nunquam aut rarò extra bellum est: tamen suos fines vndiquaque longè & latè extenderit, non compresserit? At vrbes sunt ligneæ, & paucæ mœnibus & muris firmatæ. An nescitis esse leones intra ligneos crates? in petra erinaceos? Scythas sine domibus, quis vnquam domuit? quis suæ potestati subiecit? Sarmatas, nec antiqui illi domitores orbis lacessendos sibi esse putauerunt. Ergone antehac Sarmatę potentes & terribiles, cùm adhuc illis res angusta domi esset, & vna prouincia continerentur: ac mucro gladij in manu fines regni essent: nunc impotentiores erunt, cùm, Polonijs duabus, ampla Lituania, Masouia bellicosa, Russia fertilis, Prussia diues, Podolia opima, Volinia ferox, Kiouia, ferax, Liuonia portuosa accessit? Quorũ vos in Sarmatia hæc omnia cõplectente nihil vidistis: nisi autem trium dierum sæculo omnia per videre potuistis. Sed audio quid dicatis: neque enim fingere quicquam volo. Aurum non habet Polonia, vino caret, frigida & horrida est, nullas dilitias præbet? Aurum quidem domi non effodit, vt & Gallia, neque fodinas præter plumbum, argentum, salem lasurum, & ferri ac sulphuris mineras habet. Sed si fertile solùm, si frumenti maximam vbertatem, si lina, canabes, ceram, sebum, resinam, cinerem, picem, trabes, ligna, pelles, si boues, equos, armenta, maxima copia, nõ solùm ipsa habeat, sed etiam cæteris nationibus ad se terra marique commeantibus suppeditet ac sufficiat? quomodo aurum non habeat, si aurum habentibus imperat? quî vino careat? splendida non sit? atque vtinam minus sit, quàm est, & minor sit in apparatu equorum, pilentorum, rhedarum, vestium, ciborum, potus, aromatum, seruorum, luxus & superfluitas, non inopem sed opulentissimam esse Sarmatiam constaret. At Rex fortasse, in abundantia omnium & rerum, & hominũ, vnicus est indigens? An ea non habet, quæ priores Reges habuerunt? At sunt etiam leges, quæ ea reuocant. Quòd si non tanti sunt prouentus, quanti alibi, cogitare debetis in tanta vbertate & vilitate omnium non opus esse vt tantos habeat, quantos alibi. omnia enim ferè domi nascũtur, quibus non tantùm vita sed etiam Maiestas indiget, præter serica & illecebras:

bras: quibus facili⁹ humana vita caret, quàm his prę sidijs, sine quibus consistere nequit. Et si prudentes, non eos diuites, qui multa possideant, sed qui minimis indigeant esse censent: Sarmatia, quod alienis non valde indigeat, neque ægrè carere possit, quàm sit opulenta vel hoc ostendit. Sufficiunt itaque illi suæ opes: suffecerunt prioribus regibus, Boleslais, Audaci, Criuousto, Loctico, Casimiris, Sigismundis, & multis ante eos: qui non tantùm suis opibus domi natis bella gesserunt, & suā hanc Spartam conseruârunt & ornârunt: sed etiam plurimis extra Sarmatiam præsidio fuerunt? Vnde tot sumptus & domi & foris? vnde tantæ stipatorum & aulicorum cateruæ, tanta equorum stabula, si nullæ essent Sarmatiæ opes? At si nunc exacto hoc interregno, & rege constituto, non omnia suo in flore vidisti, quomodo tam subitò omnia ad hos numeros reuocari potuerunt, post vacationem Regiæ sedis integro biennio, præsertim in eo regno, in eo populo, qui se liberum esse agnoscit, & non nisi iudicio, legum & comitiorum decretis astringitur? Itaque si ad comitia ventum fuisset: Omnes capitanei, Quæstores, redemptores vectigalium, montium magistri, publicani, ac quorumuis prouētuum regiorum administratores conferendā de more pecuniam, decreto comitiorum vocati venissent. Quod si factum fuisset, iam vos neque de hac regni tenuitate, neq; de regio statu ita queri oportuisset? Cōseruauit senatus regi regnum, conseruauit & omnia quæ sunt in regno. Maior erat in interregno salutis omnium cura, quę statim periclitari poterat, quā prouentuum, qui perire non poterant, & quorum in seruando ab omni parte regno plurimum abscessit. Quod cùm integrum & non lacerum inuenit Rex, non magnopere iactura biennalium prouentuum afficitur, qui in rebus suis eius causa, magnam iacturam nihili fecit. Sed quàm ineptè regem defendatis, (at quæ eius defensio, qui ipse defendi nolit?) quòd illi regno tenuitatē, quod onus & difficultatem obijciatis: iam videte: Gloriam enim eius non mediocriter obscuratis. Nam si tenue regnum est, aliud quàm opes in eo quæsiuit? Si onerosum, in subterfugiēdo eo inertiæ suspitio, in appetendo fortitudinis & magni animi argumētum patet? Si difficile? minor esset eius gloria eo deterreri, quod Sarmatici Reges, & prudenter rexerunt, & strenuè gesserūt, & huc usque incolume conseruarunt. Quod si is, ad beatissimum & opulētissimum regnum aspirasset: quod summis voluptatibus afflueret, nullos hostes haberet, & ita ab omni parte beatum esset, vt ipsum à seipso quodammodo sine vlla Regis cura & cogitatione regeretur: quid ex eo gloriæ, quid laudis habuisset? quid tam vulgare, tam minus admiratione dignum, quàm ocij, quàm voluptatum appetentem esse? Fugiunt hæc magni animi, & excelsa pectora: sequuntur inertes, & humo defixi homunciones. Itaque si non vidit tantas opes quantas fortasse alibi: vidit profectò esse pulchrū, eius populi regnatorem esse, quē tot hostiles exercitus circumhaberent, qui non tantùm Sarmatiæ, sed etiā toti Europæ inhiant: ei populo imperare, qui in campis, frigore, niuibus, sæpe ac pene assiduè, nō de sua tantùm causa, sed etiam totius propè orbis Christiani, cum crudelissima barbarie armis decernat. Qui liber sit, liberè & non seruiliter viuat: sola honestate vinciatur, verbi sponsionem instar vinculi durissimi habeat, solius amore virtutis omnia agat, quæ cæteri multi pœnis & metu adacti. Si non vidit tantas delicias, at principe digniores delicias esse duxit, magis armis quā ludis, hinnitu equorū quàm mollissimis cantibus, & cursu confligentium copiarū, quàm ludicris saltationibus delectari. Si hoc inquam quæsiuit, hoc expetijt, hoc desiderauit, vti nihil aliud cùm Polonorum Rex esse voluit: quis hoc nō laudet? quis eum è vulgo huius sæculi principum non segreget? nō eum magnis illis heroibus & orbis domitoribus exæquet? non eius indolem ac virtutes, nunc raras, omni posteritati commendet? Et hoc quidem vos si in eo reprehenditis, si eum imprudēter cura Sarmatici regni implicatum esse dicitis, rē omnium præstantissimam, nempè, veram gloriam illi inuidetis. Et estis similes illis parentibus, qui cùm suis liberis omnia fœlicia optent: vt omni molestia vacent, ociosos esse volunt. sed eā re ita illis officiunt, vt deinceps omnē eorum vitam, omnibus molestijs & difficultatibus exponant. An in labore & actionibus virtutum, non omnis beatæ vitæ ratio collocanda est? An hoc laudes clarissimi eius principis, non magis illustrat? quòd in laboris & curarum campum se eduxerit: quòd non minùs ille tale regnum, in quo virtutes suæ elucescere possent, expetijt, quàm Sarmatia talem Regem? qui in ea antiquam

bellicæ virtutis laudem excitaret: & mores ocio & inertia fluxos, ad veterem disciplinam reuocaret? Quæ res vtraque sanè, maxima prouidentia diuina, & fortunæ, si fortuna est, fauore incredibili instructa esse & cōparata planissimè videtur. Nam & Henricus dotibus & virtutibus suis accommodum regnum Sarmatiam; & Sarmatia Henricum sibi aptissimum, & maximè idoneum Regem inuenit. IAM si hęc maximo diuino consilio facta cōiunctio, vobis ingrata est: si eam reprehenditis: an non regij nominis clarissimo splendori densam nebulam offunditis? An enim eius nomen, etsi satis antea clarū, tamen ea electione Sarmatica, nō magis percrebuit? nonne omnium ore ferri cepit? non eius virtutes, quasi perruptis domesticæ laudis aggeribus, tanquā deriuatione gratissimi alicuius fontis, in totum orbem dimanârunt? An cùm ob egregias animi & corporis dotes, & bellicas virtutes, quouis regno dignus haberetur, non prima Sarmatia in eius complexus irruit? non prima ei sceptrū & diadema detulit? An is errauit, cùm Regnum tam amplum, & tam viris quàm equis potens, ita rerum bello gestarum laudibus percelebre desiderauit: cùm nominis sui fama Riphæos montes attigit, & vtrumque solis cardinem impleuit? cùm à nullis molestijs abhorrere, nullos labores defugere, qui essent cum laude & dignitate coniuncti, voluit? cùm se clarissimo magnorū regum sanguine ortū esse declarauit? cùm hoc petijt: quod si viuo patre suo Henrico illo secundo, magno & strenuo principe, quem Gallię mors immatura inuidit, petijsset: hoc proculdubio à gestiente & præ gaudio lachrymante patre audiuisset: quod quondam Alexander Macedo à patre Philippo. Quære alia regna fili, nō te tua Macedonia, tua hæc Gallia capit? Num hoc ei inuidetis, quod prius quàm regnaret, dignissimus regno declaratus est? An nihil debebitis Sarmatiæ, quòd Gallum principem multis alijs præposuerit? quem à vobis euocatum, ad remotissimum regnum venientem, Germania omnis venerata sit? quòd eū Italia & tot clarissimi populi cognouerint, & maxima laude vestra, humeris suis penè vobis attulerint? quòd ipsa inquam Sarmatia quem Ducem acceperat, duorum potentissimorum regnorum Regē vobis reddiderit? quòd ipse tot prouincias perlustrarit? quòd tot amicos sibi & vobis, quot homines obuios habuit, comparauerit? quòd nomen vestrū cladibus vestris, ac ea dolenda calamitate domestica, non mediocriter inquinatū, à probris vindicârit: ac omnibus palàm fecerit, vobis ne in extrema quidē sorte vestra, virtutes ac principes laudatissimos deesse? quod amici vestri mirantur, id vos contēnetis? quod timent hostes, id negligetis? quod vobis felix & faustū ac in omnē ęternitatem memorandū accidit, id vos molestè feretis? Prudēter itaque Rex vester fecit, quod regnū illud expetiuit, & fœlicissimus putādus, quòd illud assecutus est. Quā eius prudentiā suspicere, magnanimitatē mirari, fœlicitatem amare: Sarmatiā verò tāquam honoris vestri renouatricē ac vindicē diligere, & magnifacere meritò debetis. E qua si eum periculum vestrum, si grauis fortuna Gallię, & nihil aliud ad vos euocauit: quomodo & Regē non plurimum amare, & de Poloniæ statu soliciti non esse, ac ne quid eam ob rem detrimēti capiat, curare debeatis? IAM verò ad vos & Sarmatæ venio. Sed quibus verbis vobiscum agam? quomodo vos compellē, vnde petam argumenta causæ necessaria? Ego verò cùm vestrū dolorem hac abitione Regis excitatū considero: condolēdum perturbationi vestrę: cùm vestras querelas de eius discessu ita audio, vt eum à vobis vnquam electum esse vos pœniteat: atq; ideò in eius laudum præcones tanquam fatales reipubl. ciues, omnia ferè tela vndique conijciantur: succurrendū imbecillitati iudicij vestri, ac vobis hanc nebulam ex animis dimouendam esse putaui. Etenim si ita discessu Regio queri mini, vt & electioni eius succēseatis: duas res omniū præclarissimas consequutos esse vos, non solùm iniquo, sed etiam ingrato animo fertis: Salutem nimirū ipsam, & libertatem. Quę quidem vtraq; tāto maiore beneficio diuino vobis cōstitit, quāto maius erat periculū, ne vel salutem tuendo de libertate, vel libertatē de salute periclitaremini. Quid? non meministis, in quantis reip. difficultatibus, omni ex parte, hoc interregnū vos occupauerit? in quanta rerum omniū trepidatione, & incertitudine, vos distinuerit? Quid vobis tum salutē peperit de qua à multis desperatum erat? cōcordia. Quid concordiam? periculorū externorum propinquitas & gloria, quā ex studijs pręclarissimorum regni competitorum animis præcipiebatis? Itaque eius concordiæ præclaris fundamentis iactis, & mutuis offensionibus patriæ condonatis, inter spem candidato-

datorum ac illis cohærentium, & salutem vobis comparastis: & libertatem eligendi conseruastis: & principem eũ, quem maximè ei vtrique tuendæ idoneum esse iudicastis, Regem vobis delegistis. atque eo pacto, Rempublicam vestram, ad suum portum, in quo placidè conquiesceret, fœliciter adduxistis: ac vobis vestroq; nomini summã gloriam conciliastis: ac in vestræ prudentiæ admirationem, omnes orbis terrarum populos conuertistis. In quo actu maximo & clarissimo, hęc duo pręcipuè spectauistis: qualem Regem eligeretis, & quomodo eligeretis. Ac modum vos optimum inuenistis: Regem optatissimum elegistis. Quomodo? non enim pauci, sed omnes: non armis, sed rationibus: non potentia aliquorum, sed omnium spontaneo & beneuolo assensu: non coactis aut extortis suffragijs, sed seruata cuique sua libertate eum elegistis. Qui etiamsi non omni ex parte perfectissimus quali opus habere tis, fuisset: tamen vel ea re diuinus apud vos habendus esset, quia tam salutaris, vt sine vllo sanguine ac tumultu vobis obtigerit. Quòd si autem & talem elegistis, qualem optare magis quàm sperare poteratis, quid est, quòd vobis mutuò indignemini? Cuius electio luculentius gloriam vestram illustrare, & quod domi veluti compressum manibus tot sæculis tenebatis, nimirum, libertatis vestræ prærogatiuam, id omnibus populis & nationibus amicis & hostibus clarius demonstrare potuit, quàm cùm eum eligeretis, quem vix à vobis eligi posse omnes sperabant. elegistis remotum: at pericula erant proxima: elegistis ignotum, at vos veram virtutem non oculis metiendam esse putauistis: elegistis peregrinum: elegistis talem, à quo magis tarda, quàm ab alijs præsidia. Quid ita verò? nempe sic vos gloriam vestram, sic libertatem vestram charam habuistis, vt remotum vicinis, ignotum notis, peregrinum vestris præposueritis: & tam alienis præsidijs vos non indigere, quàm vim hostilem non extimescere ostenderitis. Et consilium verò Dei, in his quale fuerit, attendite. Rege vobis opus erat, qui vestræ libertatis non oppressor sed conseruator & auctor esset. at quis eam minùs opprimere potest, magis tueri & augere debet eo, qui ita remotus est, vt se vobis imperare posse, nonnisi volentibus vobis videat? Rege opus erat, qui vestram laudem, otio sepultam, rebus gerendis & armis excitaret: quis eo ad eam rem aptior, quàm qui in castris educatus, inter arma versatus, ac totum adolescentię suę florem in bello, contriuerit? Rege opus erat, qui ad regnandum apud vos, non animum cupiditate accensum, sed studio veræ gloriæ ardentem adferret. Quid is verò aliud ad vos attulit? quid aliud spectauit, quàm gloriam, cùm Sarmaticas oras Gallicis præposuit? cùm nihil non vestra causa reliquit? Rege opus erat, qui non sua apud vos, sed vestra apud se quæreret: & non tam sua quàm vestra causa apud vos regnare vellet. quis eo vtilior, qui non vestra rapere, sed sua vobiscum communicare decreuit? Rege tali, qui omnia pericula contemneret, dum sua regna tueretur. Rege tali, qui non mortem, sed ignominiam solam metueret. Rege tali, qui sapiẽs, qui iustus, qui clemens esset: qui religione nihil sanctius, pietate nihil charius, virtute nihil amabilius haberet. Qui non armorũ præsidijs, sed beneuolentia subditorum cingi & muniri didicisset. Quæ quidem omnia, si vobis cum eo contigerunt, si salui estis, si libertatem sartam & tectam retinetis, si in eo eligendo, in eo vocando, adducẽdo, excipiendo, summa gloria cumulati estis, ac vos multis gentibus fælicio res esse declarastis: quid causæ est, cur de eo electo conqueramini? cur eius electionem prius diuinam, nunc funestam vobis & Reipublicæ vestræ arbitremini? cur eum antehac à vobis omnibus electum esse dicebatis, nũc à quibusdam? cur cùm vosipsi eum videretis, ac in eius oculis & vultu, veluti in speculo clarissimo, omnes virtutes ac probitatem notaretis, diuinitùs vobis esse oblatum & datũ affirmauistis: nũc vobis ab alijs impositum esse confirmatis? ineptum est omninò ac puerile, si quid ex animi sententia successerit, eius laudem sibi ducere propriam: si quid malè ciciderit, eius rei culpam in alios transferre. Sed quid etiam hic malè cecidit? Quòd enim in regno Galliæ fratri mortuo successit, num hoc humanis cõsilijs imputatis? num quid technarum hìc est? quid in eo culpæ, si eum & Deus & sors, etiam & tabulis publicis ante declarata, patrij regni regem esse voluit? Sed iam dicetis, & opinor: non tam id vos queri, quod is rex à vobis sit electus, sed quòd à vobis difficili & alieno reipublicæ tempore discesserit, vobis in incerto relictis, in tãta animorum inter vos offensione, inter tot hostes, tot pericula: nullis cum ex-

traneis fœderibus vel constitutis vel renouatis. Vnde in republica incredibiles tempestates exoriri, eamque vt nauem è tranquillo portu abreptam, turbulentis & seditionum, & armorum externorum fluctibus obruere poterunt. Ad quam ego querimoniam vestram facilè respondebo, & hoc vobis ostendam: eum hoc tempore à vobis nulla nec vestra nec sua indignitate, & nullo vestro incommodo discessisse: cùm non discedere sine summa ignominia & iactura sua & vestra non potuisset. Quæro enim à vobis ô nobilissimi Sarmatę, num iam Regni Gallię fortuna communis vobis nō est? num fratres, amici & confęderati non estis? rege iam vno ac eodē, magis quàm cùm duorum fratrū subditi essetis? At iam vestram quietem & fælicitatem considerate, quòd vos domi auream pacem habetis: foris nemo vos lacessit: aut si quis est qui hoc audeat, nemo impunè lacessit. Regni verò Galliæ quæ fortuna est? Quintumdecimum iam annum ciuili incendio ardet, & ita æstuat flammis furentibus, vt nisi rex ad eam eo silentio accurrisset, aut saltem à vobis excurrisset, iam vltimum dicere, ac funesto gemitu Maronianum illud lamentari potuisset: Fuimus Troës, fuit Ilium: fuimus Galli, fuit Francia. Si enim quid Gallia in flore suo fuerit cognitum habetis, si opes illius, si maiestatem, si humanitatem, si cultum, si elegantiam vnquam vidistis: aut si è monumentis veterum, quid Gallia à duobus millibus annorum fuerit, didicistis: et si nunc qui status illius sit, quæ sors, quæ ruinæ, quę vastitas paucorum annorum furoribus comparata, videtis: & in media Gallia Galliam ipsam requiritis: fieri nequaquā potest, quin vehementer commoueamini: ac ipsam præsenti calamitate subleuatam esse velitis. O Francia flos Europæ nobilis, ingeniorum mater, schola bonarum artium, alumna humanitatis, vbi nunc est tua gloria? Tua antehac arma barbaris & crudelibus nationibus terrori fuerunt: tum illis frena imponebas: tu è tyrannide Christiani nominis hostiū regna & prouincias amplissimas recuperaueras. Tu nulli deesse occasioni, vt omnibꝰ adesses, vnquā volebas. Quæ regio in terris tuorū non plena laborum? nō plena meritorum? vbi nūc est salus tua? Quis nūc tua fata sine lachrymis intueri, quæ nemo sine lachrymis audire potest? Etsi enim omnis belli ratio miseranda est, tamē multo miserabilior est, quæ domi ac inter suos est: cū non tantum vitę & fortunarum, sed etiam iuris, legum, sanctimoniæ & humanitatis, omnis certitudo debilitatur: ac fundamenta societatis humanæ conuelluntur: quibus conuulsis & euersis, quid salui in republica esse poterit? quid, cur viuere non pigeat ac tædeat? Hæc omnia in Gallia propè iam spectanda fuerant, præsertim absente eo, qui regni hæres, & iure & beneuolentia fratris tanquam non nescij mortis proximæ, erat designatus. Quibus extremis malis, cùm Princeps vester sola celeritate subuenire se posse intelligeret, maluit vos ad tempus relinquere, quàm intempestiua deliberatione, patrium regnum, in vnica sua spe requiescens amittere. Quod nisi fecisset, non solùm de regno suo amplissimo periclitari, sed etiam multis Christianis regnis: quæ de fortuna regni Galliæ pendent, plurimum detrimenti inferre potuisset. Poterat autem & apud vos sempiternam inertis principis notam obtinere, si regnum orbis Christiani summum, sibi proprium, hæreditarium, patrium, auitum, tam fœdè amisisset: & periculum vobis esse poterat in eius esse potestate, qui sua propria sibi cōseruare & tueri nesciuisset. Quod cùm ille fecit, cùm à vobis recessit, cùm tot prouincias securus transijt, cùm tam maturè & opportunè peruenit, vt manum salutarem labenti suo regno subiecerit, non meritò de se dicet, veni, vidi, vici? à quibus aberam, eos seruaui: quos reliqui, non dereliqui? Quòd si hoc nullo vestro incommodo, aut saltem breui admodū & non periculoso fecit: quis hoc eius factum meritò reprehendet? quis tam impatiens, vt eius absentiam exitialem Reipublicæ vestræ dicere iure possit? Quod autem duo hæc mala Rerumpublicarum discordiam domesticam & pericula externa attinet: etsi ea in tam fælici & beata Republica vestra, non ita vobis grauia, non ita infesta fuerūt; vt virtute vestra non semper ea compresseritis: num tamen ijs & ille nunc non occurrit? an vos sine lege & ordine reliquit? & vos, vt impatientius quidam perhibetis, prædæ hostium obiecit? Nequaquam. Cū enim à vobis recederet, an non illustria documenta præclaræ erga vos voluntatis suæ reliquit? cùm causas profectionis suæ tam necessariæ scripto relicto exposuit? cū vos ad charitatem patriæ, & concordiam mutuam exhortatus est? cùm vos fidei

fidei vestræ sibi & patriæ debitæ, & quā semper inuiolatam conseruastis, admonuit, ac vt in ea perseueretis, vos obtestatus est? cùm vos ad iustitiam colēdam, & iudicia exercenda excitauit? cùm se vos non esse relicturum, sed ad vos reuersurum, ope lata alteri regno, pollicitus est? cùm se vestræ beneuolentiæ erga se perpetuò memorē fore declarauit? cùm se muneris ac officij sui rationes tenere confirmauit? cùm hoc denuò tot epistolis repetijt? cùm hostes vestros nulla interposita mora, ne quid detrimenti regnum suum, patria verò vestra, suo discessu caperet, admonuit? cùm & omnes amicos reges, ac principes, vt nō vestro tantùm, sed suo nomine vobis magis deuincti & beneuoli essent, compellauit? cùm se vestra ac reipublicæ vestræ causa, nullis laboribus nec sumptibus parsurum esse recepit? Quæ omnia, si iam reipsa cognoscitis: si res vestræ deteriore loco nō sunt: si hostes se continent: si amici, quorum animi immutari poterant, fauent: si nemo vos oppugnat: cur tantopere de eius discessu queri, ac animis turbari debeatis? At de iustitio fortasse res est, quòd fora iudiciorum silent. quis illud confecit? quis hoc malum reipublicæ creauit? non rex profectò, sed dissentientes vestræ sententiæ. plerisq; enim in locis iudicia detrectastis, donec prius ea, quæ requirebatis vobis concederentur, inuitis & reclamantibus alijs. Quæ res tot vos difficultatibus implicauit, & tot molestias vobis peperit, vt earum pertæsi non tantū Regem accusetis, sed etiam senatum persequamini, & cæteros omnes affligatis. Ac si credibile est, omnia facta infecta reddere velle, & alium animis Regem propè concipere videamini. Quod si verum est, vt ego falsissimum esse cuperem, quid aliud quæritis, quàm ruinam & exitium vestrum? quod vultis in naufragiū, è quo salua naue & mercibus tantū enatastis præcipitari? Quid rex fecit, quod non factū esse oportuit? quid nō fecit, quod in hoc tam breui tēpore præsertim debuit? Confirmationem, aitis, non dedit. Quibus daret, discordibus ne, alijs nouā, alijs veterem, alijs neutram poscētibus? certè si hoc tum fecisset, pestem immisisset, & luctuosissima discordiæ seminainter vos iecisset. Maluit hoc cōcordię vestræ dare, vestro amori mutuo, & tempori fæliciori. In qua expectatione vestra, an eum iniuratum vidistis? an non omnia iura & libertates vestras vobis fore saluas toties declarantem, audiuistis? quid adhuc restabat? Peccata vestra, ô Sarmatæ, peccata, vos & Remp. vestrā vexant. His imputate, & diuturnæ paci & longo ocio vestro, quod sublatis externis periculis, ad muliebrē altercationē ciues incitare solet, si non omnia ex animo cadere videantur; nō regi beneuolo, Regi benigno, Regi diuinitùs electo: & qui suā hanc Sarmatiā tanti apud se facit, vt preciosū aliquod ad immortalitatem consequendā deorum immortalium donarium. Et non immeritò. Quis enim nunc est clarior Hērico? cui debet? Poloniæ: q̄ nūc vicissim regio illustrior Polonia? cui debet? Henrico. Suspirant nūc cætera regna, vel quadā infælicitate cōmuni, vel quadā iniustitia pub. oppressa, cùm de Polonia audiūt: & beatā ac fęlicem eā aiunt, seipsa deplorant. O Sarmatæ, Sarmatæ, ô fortunatos bona si sua nossent agricolas: (ut ait poëta) ô vos fælices, si vestra bona, vestram libertatem cognoscitis. Quid vobis deest ea incolumi? quod tantum commodum quod vobis non accedere, vel incommodū quod euenire, aut si euenerit, vobis vehemēter officere possit? Summum hoc priuilegiū est, immortalis hæreditas, quā vos perpetuā vobis efficietis, si ea vtamini non abutamini, ne in vobis verum sit quod dicitur, Libertas libertate perit. si iustitiam colatis, æqualitatem conseruetis, cōcordiam mutuam inter vos retineatis, atque ea agatis, quæ non aliquibus sed omnibus expediant: & si nūc huius tam clarè & splendidè electi Regis retinendi non relinquendi saluberrima cōsilia retineatis. Ita vestri maiores Regibus suis fecerunt: ita & vos hucusque fecistis, summo libertatum emolumento. Quòd si ipsi liberi estis: finite vt & amici vestri, ex seruitute bellorum ciuilium emergant: si salui estis, non inuidete illis salutem: agnoscant hoc non inuitis sed volētibus vobis sibi cōtigisse quod iam contingere videtis. Debere se vobis sentiāt, non inuidia vobiscum certent, gratias vobis agant, non vos auersentur. Hæc res efficiet, vt vicissim ipsis fauentibus & annuentibus, & Regem vestrum habeatis, & habeatis vtilem, res vestras amantem, vestrarum libertatum & commodorum studiosum. Hoc modo, non tantum vos Regi & Regem vobis, sed etiā vos vobisipsis, & tam patriam vobis, q̄ vos patriæ, cū summa prudentiæ & moderationis vestræ laude conseruabitis. Hæc est ratio, hęc via, q̄ vos vobis, nō tātùm vtilē, sed etiam necessariā & salutarē, si mihi ob-

temperaueritis, experiemini. Finem faciam, si hoc addidero: quis iam dubitare possit, vos in eo Rege eligendo non errasse: cùm iam eundem ad Franciæ gubernacula à Deo collocatum esse videatis? adeò vt possim dicere, iudicium vestrum in eo eligẽdo, iudicio Dei paulò post approbatum esse.

Sed iam ad vos coniunctim, ô nobilissimi Galli & Sarmatæ nostra oratio redit. Iam vtriq; animaduertitis, maximo errore vos vtrinq; implicari, si de eo principe, eiusq; electione, aliud q̃ res ipsa postulat, quàm Dei consiliũ, quàm necessitas rerũ, statuere velitis. Ac iam satis conuictam esse vestrarum rationũ imbecillitatem, mea quidem sententia constat. Reliquum est, vt vos moneam & horter, vt vos ita componatis, vestros animos ita comparetis, vt ea ex re, id est, tam electione Sarmatica, quàm regni Galliæ ad ipsum deuolutione: nõ dedecus sed gloriam, non dolorem sed voluptatem, non detrimentum sed vtilitatem capiatis. Quod ita facietis, si vos Galli Sarmaticam electionem ad vos pertinere; vos Sarmatæ Gallici regni hæreditatem regi vestro oblatam, vobis non incommodam sed fructuosam & vtilem fore statuatis. Electio quidem Sarmatica, qua is princeps à populis illis rex depostus & renunciatus est, vtrisque perhonorifica, vtrisq; gloriosa accidit. vobis quidem Gallis, quod nec, vt ante ostendi, in bellorum ciuilium miseranda calamitate ac suprema fortuna vestra egregij vobis principes desint, quib⁹ sceptra & regna dignè deferri possint. Vobis Sarmatis, quòd eum regẽ vobis creaueritis, in quo nihil præter vestram libertatem, ac virtutem illius spectaueritis: idque ea cõcordia, vt omnes: ea prudentia, vt sine tumultu: ea magnanimitate, vt eam ob rem omnia pericula contempseritis. Quæ res tanta quidem est, vt etiam si in ea aliqua conuersio (vt sunt res humanæ) quod absit, eueniret: abunde magnos fructus ex ea retuleritis, quòd hucusq; salui permansistis: & omnibus terrarum ac ætatum omnium hominibus testatum reliquistis vos solos propemodum esse populos, quibus nemo imperet, nisi quem vos ipsi imperare velitis. Secuta fuit hæc electio rationem, sequuta consiliũ Dei, quid vultis amplius? Secuta proportionem quandam & harmoniam orbis terrarum. Cùm enim omnes nationes proximæ, propter secundæ similitudinem nescio quo pacto à se dissideant: remotiores verò, & veluti per tertiam à se distantes maiore sui beneuolentia ducantur: ea vos tertia & dulcedo illius, non ad dissonantiã sed consonantiam, non ad dissidium sed ad amorem mutuum coniunxit, & copulauit. Quæ harmonia non nunc primùm reperta, sed antiqua est. Cum qua enim natione vos Sarmatæ libentius versamini, quàm cum Gallis? quò & literarum & morum causa plures commeatis, quàm in Galliam? vnde plures reges, si externa videatis, habuistis, quàm è Gallia? Iam enim hunc, non tertium, vt putatis vtrique, ex Gallia regem, sed quartum habetis. Habuistis Casimirũ, ex vmbra Cluniacensis monasterij eductum. Habuistis VVladislaum quendam Album Poloniæ Ducem, qui cùm ad regnum Poloniæ veniret, vocatus è monasterio Dijonis Metropolis Burgundiæ, in itinere Argentinæ animam exhalauit, & Dijonem relatus est. Quod etsi vestri annales taceant vel nesciant: tamen Dijoni illustre eius sepulti monumentum extat. Habuistis Ludouicum auctorem libertatum vestrarum ex Vngaria, è Ducibus Andegauensibus descendentem. Habetis hunc Henricum, atque vtinam vobis Ludouico tantò vtiliorem, quantò potentiorem. At si & conditionem horum regnorum, cum amicis pariter & hostibus cõsideretis: eosdem hostes, eosdem amicos vtrique habetis. Quodque Turcas attinet, an cum his ita fortiter & strenuè à vestris maioribus dimicatum non est, vt vos Galli pulcerrimas prouincias eis ademeritis: vos Sarmatæ cum eis fortiter pugnando, Reges aliquot amiseritis? & prouinciæ autem retineri, & clades nulla accipi poterat, si fides in his fuisset, in quibus maximè oportebat. Quas res, si seorsum gessistis, an nũc non commodius, non fœlicius, & non maiori orbis Christiani emolumento, gerere poteritis, cùm vnum Principem vnum, Regem vtrique habeatis? & si in cæteris ea constantia, ea fides, quæ ad eam belluam edomandam frangendamque adferenda est, fuerit? Videtis quæ ruina toti instet Europæ, atque adeò Reipublicæ Christianæ: quod exitium, qui occasus. Veniunt rerum metæ & temporum, quibus eas barbarorum vires ad summum auctas ac euectas, his tam nouis, raris & inusitatis societatibus Deus euersurus videtur esse. O vtinam has res tantas, cæteri principes seriò ac verè cogitarent, & bella, quæ inter se sua & vestra omnium iactura serunt, aliò concordes trans-

De Monacho Vladislao NB Vide Bielski folio 246 Anno Domini 1374 Ergo [illegible] tacent [illegible] nesciunt.

transferrent: citò finem harum orbis Christiani calamitatum videremus. Iā verò si huius coniunctionis vestræ mutuæ difficultatem perhorrescitis, quòd longo vos terrarum spatio dissiti estis, neque hoc ad causam facit. Interfuerunt maioribus vestris, ô Galli, inter prouincias vestras in Asia, & vestram hanc Galliam, maxima maris & terrarum interualla. Interfuit Carolo Quinto Imperatori, Gallia hæc vestra, terra tum hostilis, inter Germaniam & Hispaniam: neque tamen vtrique defuit. Interiacet nunc vos Germania non hostis, sed amica, & tam Galliæ quàm Poloniæ, multis vinculis & modis obligata. Habetis Reges amicos; mare Occidentale & Orientale commune: sunt communia commercia: erunt vnæ ac copulatæ vires: quis contra vos arma sumere audebit? quis vobis obsistet? quis vestram societatem violabit? quæ non commoda ex ista amicitia & vnitate vestra, hac cognatione vestra (quæ enim maior esse poterit, quàm vnius regis esse populos) sperare possitis?


Quæ cùm ita sint, ô Galli & Sarmatæ fortissimi, vos hortor & moneo, vt hāc fœlicitatem maximam, tanquam materiam salutis & gloriæ vestræ sempiternæ, vobis sponte diuinitus oblatam, ambabus manibus amplectamini, & mutuis officijs & studijs, mutua beneuolentia vestra, vobis & posteris vestris conseruetis. Abigite à vobis ista prodigia & portenta Reipub. qui hanc amicitiam & vnitatem vestram, rumoribus, fabulis, malè feriatis scriptis labefactare & diuellere conantur: relinquite ignauis ista, qui scribendo & pingendo bella & res magnas gerant. vos totis animis ad veram virtutem & gloriam incumbite. Regem talem habetis: talem vobis Sarmatis fortuna prouidit: vobis Gallis natura edidit: vt omnia vobis de eo, quæ de optimo, fortissimo, & constantissimo principe polliceri iure & possitis & debeatis. non deerit vtrisque vobis: modò vos ipsi vobis ne desitis: ac pulcerrimum hunc tam virtutū quàm fortunæ eius cursum, ne impediatis. Ea est iustitia ac æquitate instructus, vt quid vtrisque vobis debeat, probè agnoscat, ea fortitudine & animi constantia firmatus: vt eas habenas rectè moderaturus, & oneri regendi vtriusque regni satisfacturus esse videatur. Ea prudentia pollens, vt omnibus ætatis suæ principibus hāc laudem præripuerit: maturiorem aūt assequutus sit. Eo iudicio ac moderatione animi, vt omnia in eo temperata, omnia placida, & tranquilla: nihil aūt violentum, nihil temerarium, quod eius ætatis vitium solet esse, videatis. Adeò vt & sciat, & possit, & velit, tam saluti præsidia, q̄ honori vestro ornamēta comparare, omnibus his, quæcunq; à suis quisq; proprijs regibus laudatissimis expectare possitis. Sic visum est Deo, vt Hēricus Francus Valesius ex Andium Duce Rex Sarmatiæ seu Poloniæ crearetur: ex Rege Sarmatiæ, Francorū Rex vtriusq; nationis vestræ, summa gloria fieret. vtrūq; nunq̄ euenit: vtrūq; orbis stupet vniuersus. Cedit & ipsa inuidia fatis. Hæc vobis vt sunt, magna esse debent: hæc tanti, vt pro hac gloria Regis vestri & vestra, pro his vinculis & necessitudine, tuenda & conseruanda, nullos non labores suscipere debeatis. An quod alijs, nullis armis, nullis opibus, vnquam assequi datum est, vos solo numine diuûm assecutos esse non gaudebitis? Quæ si chara esse deberent, etiam sanguine & maximo labore parta & retenta: quomodo non cara esse debent ita sponte oblata? vnicus hic labor vester, hæc vnica cura vobis esse debet: vt ne eos audiatis, qui vobis eam amicitiam inuident, & vt vos mutuorum odiorum venenis inficiant, multa dicunt & scribunt. Polonis luxum, fastum, barbariem: Gallis insolentiam, leuitatem, temeritatem obijcientes. Non hæc Polonis Galli, non Gallis Poloni obijciunt, sed homines malitiosi & petulantes, & qui cùm tranquillis rebus humi serpant in Reipub. incendijs suas fortunas venantur. Sunt araneæ non apes: hæ enim mella stipant ex quibuslibet & herbis: illæ & ex salutaribus hauriant venena. Sunt fuci furaces, qui dulcia cōcordiæ mella diripiunt, & nō congregationem, sed dispersionē quærunt. Obseruant probi, prudentes, & in Respub. benefici homines non vitia, sed virtutes; nō quod reprehendant, sed quod laudent, atq; ad publicam salutem conferant. Obseruant in Gallis, acres & generosos animos, liberos, humanos, obsequentes. In Polonis, candorem, veritatem, simplicitatem, magnanimitatē, aperta & fraudis nescia pectora. Qui mores alij facilius coalescunt, quàm eorū qui ita à natura formati ac educti sunt. At si in eorum moribus quid à vetere integritate deflexum & aberratū est: id non malignitati naturæ vtriusq; gentis, quæ nulla est, adscribunt: sed in altera bello huic ciuili: quod secum non tantùm fortunarum iacturam, sed etiam morum trahere solet: in altera lon-

gæ & diuturnæ paci, in qua militaris disciplina obsoleuit,& vigor ille naturę animorũ obtorpuit. Quantũ enim Gallis humanissimis,bellum hoc funestissimũ, mutuæ diffidẽtiæ & ferociæ ingessit:tantũ Sarmatis antea tẽperatis,fortib⁹ & ingenuis,licẽtię,temeritatis,& morum dissolutionis,ocium conflauit: vt verè dici possit, Galliam nimio bello, Poloniam nimio ocio,vtroq; malo domestico, dilapsam esse. Neque hæc res diuersa facit, quòd Gallica nobilitas, nonnisi Regis & Principum obsequijs sese addicit: Polona verò pubes, nõ solùm in Regis & procerum, sed etiã potentiorum nobilium familia esse gaudet. Hoc enim vtile est Gallis propter eas gentes, inter quas siti sunt, & cum quibus assiduò versantur :hoc & status Reipublicæ requirit, & mores antiqui. Sarmatis verò, propter celeritatem & multitudinem vicinarum & barbararum nationum,cum quibus inexpectatum bellum geri solet,magis salubre & necessariũ est gregatim versari: & cùm milites omnes sint,ac semper in armis, honestum sibi ducunt in clariorum domibus tanquam scholis virtutum educari. & consulitur autẽ hoc modo concordiæ & charitati mutuæ. Vnde Polonia instar magnę cognationis est,quam Plato ille diuinus si viueret,vnicam cęterarum rerumpublicarum vt florentissimam & fœlicissimam calculo suo probaret. Iam neq; hoc cõtrarios mores arguit, (in quo iocari liceat) quòd Galli domi nascente vino, moderatiores: Sarmatæ alieno vtentes, largiores sint:facit hoc cœli natura,fert vtrorum que necessitas: illi enim cùm aëre pascantur calidiore, refrigerandi: hi cùm gelidiore,tepefaciẽdi sunt. Sunt & alia, sed eiusmodi vt non maximã disparitatem nationum vestrarum faciant. Neque autem vitia vestra, quæ tantùm liuor obseruat,sed virtutes & mores perfectiores confero. Illæ sunt veræ, naturales,& certissimę similitudines vestrę, quòd vtrique generosi estis, vtrique contumeliæ & iniuriæ impatientes; vtrique mortis contemptores : vtrique dedecus per mortẽ & vulnera fugientes: vtrique laudis amantes : vtrique non mœnibus vrbium, sed pagis, prædijs, & arcibus vestris continemini: vtrique non mercatores sed milites : vtrique equitatu præstantissimi : etsi Poloni equitatu, Galli peditatu vos mutuò vincitis:vtrique libertatum vestrarum propugnatores acerrimi: vtrique magis ingenua virtute,quàm legũ seueritate: minus metu quàm beneuolẽtia in officio ꝑmanetis:vtriq;humanitatis cultores. Apud vtrosq; præ cęteris in orbe nationib⁹, Regũ aulę,splẽdore, numero & multitudine nobiliũ frequẽtissimæ & celeberrimæ sunt. Apud vtrosque sui reges, & diuino propè cultu coluntur, & tanquam patres amantur. Neque res est, quod ignari dicunt, in Gallia reges pro libidine imperare, in Polonia seruos esse: vtrobique enim Regum sors, ius & potestas eadem est. Nam, etsi in Gallia nascuntur: tamen non quod eis libet, sed quod iura dictant,sibi sumere solent. Etsi in Polonia eliguntur: tamen eorum autoritas & maiestas, non tam est legibus circumscripta,quàm septa & munita: vt tantò magis colantur, quantò magis à potestatis absolutæ suspicione abesse videantur. Hinc sunt apud vos Gallos Parlamenta, Consiliarij magni & sanctioris consilij, quod priuatum dicitis. Apud vos Polonos Senatores Ecclesiastici & Sæculares, Officiales Regni, Curiarum & Terrestres: vtrobique ad Reges colendos, iustitiam procurandam, ordinem politicum, libertatem, & salutem publicam conseruandam constituti. Hę sunt verę, hæ genuinæ similitudines, quas in vobis ac moribus vestris, homines non excordes, non malitiosi contuentur: è quibus de aptitudine eius coniunctionis vestræ ac fœlicitate, sapienter iudicant ac decernũt. Quæ quidem coniunctio vestra, si non nunc tantùm cæpit, sed & ante multos annos fuit inter vos; cùm vos Galli cũ Sarmatis & Slauis, plurima orbis regna occuparetis(vt hoc vetustissimi quidam annales tradunt)& inter vos partiremini: Cui valdè mirum esse debeat, si denuò ad studia & amicitiam antiquam, ad societatem veterem colendam reuertamini, præsertim & Dei nutu,& consilio (nam quid sine eo in hoc tanto actu gestum est?)ac ordine & reuolutione rerum vos ad eam reuocante: ac eam inter vos stabiliente firmis fundamentis. Neque autem fieri vllo modò posse,ô Galli, putetis: quin si post eum regis vestri è Sarmatia ad vos aduentum, hîc consistendum, atque ab amicitia & cõiunctione mutua vestra, hoc iam fine recedendum, sociosque ita in incerto deserendos vobis esse existimetis : non leui iniuria vosmetipsos ac nomen vestrum afficiatis, & varijs incommodis res vestras inuoluatis. Neque vos Sarmatæ aliud speretis: si ea tã fatali profectione Regis vestri & ab

ſentia non perpetua ſed temporanea, ita offendi velitis: vt nec ſtatum alterius fœderati vobis regni adeò afflicti & in ruinam procumbentis, cui neceſſariè hoc tali aduentu ſubuentum eſt, attendatis: nec admonitiones ac poſtulata regis paterna, non ſurda aure prætereatis. Verendum enim, ne non ſolùm regem, ſed etiam Dei ipſius qui vos actenus tuetur, gratiam, & conſilium, quod humanis conſilijs ſapientius eſt, à vobis excludentes, vos & rempublicam veſtram in ſummas difficultates & miſerias deturbetis. Portus qualis qualis eſt, quem tenetis, melior & tutior eſt quàm is quem ignoratis: & quo quærendo, in omnes tempeſtates incurrendum eſſet. Præſtat vel ægram ducere vitam, & ſperare meliora cum hoc quàm cum alio ſubitò extingui & interire.

Quod ne vtrique faciatis: ſed voluntati diuinæ, ac moderatiſſimis conſilijs veſtris innixi, non tantùm res veſtras proprias, ſed etiam communes: cùm iam alterutrorum vtrorumque propriæ ſint: procuretis & componatis, ratione nō affectu, cōſilio nō cupiditate: per vos ipſos vos rogo, moneo & obteſtor, per veſtram ſalutem & famam nominis veſtri, per charitatem liberorum & ſanguinis veſtri, per fidem veſtram, quam Deo, Regi, patriæ, & vobis ipſis debetis. Hoc nunc à vobis, Gallia & Polonia, tanquam à liberis ſuis matres lachrymabundæ, petunt & contendunt. Hic enim iam eſt terminus: hæc periodus: vt aut de his omnibus breui in ſempiternum periclitemini: aut ea omnia, & vos ipſos vobis & Reipub. Chriſtianæ, perpetuò conſeruetis.


REI-



REINOLDI HEIDENSTEINII SECR. REGII, DE BELLO MOSCOVITICO COMMENTARIORVM LIBRI SEX.

SIGISMVNDO BATTORI DE SOMLIO, PRINCIPI TRANSYLVANIAE,

REINOLDVS HEIDENSTEINIVS.



ISTORIAM *suis legibus scribere, Sigismunde Princeps Illustrissime, & maiorem vtilitatem communi hominum vitæ affert, quàm cuiusquam oratione explicari potest; & maius quiddam esse videtur, quàm non modò ab eo expectari debeat, qui inter continua negocia in aula versetur; verùm etiam quàm vulgò homines opinantur. Quae enim in re singulis ætatibus plurimi homines doctissimi, ac non modò doctrina atq; ingenio, verùm ocio etiam abundantes elaborarint, quod tamen paucissimi in ea præstiterint; quis non summam difficultatem in caussa esse dicat? sed tamen historiarum non vnum idemq; genus est: diuersitas in sola tractandi ratione, ac orationis ornatu posita videtur; ab eadem autem re difficultas omnis esse. cæteris enim rebus omnibus ferè inter se conueniunt; hac sola summus historicus à mediocri, seu, vt rectius dicam, historicus à narratore differt. Nam & res dignas cognitione hominum quælibet historia scribere se profitetur; & eas ad veritatem quàm maximè scribere existimari vult: easdem verò sententiarum grauitate, & verborum luminibus exornare, ac non modò rebus ipsis, verùm sententijs etiam & verbis magistrum vitæ agere, præclarum quiddam est; nec tamen omnis historiæ proprium. Nam vt de cæteris taceam, ei, quam commẽtarios vocari iam obtinuit, quæ iustæ historiæ quasi subseruiens, ea quæ illa exornet, simpliciter ac nudè scribit; quis nescit iure ab omnibus propemodum concessum iam esse, vt etiam sine vllo orationis ac præceptorum ornatu, quàm verissimè saltem quæ gesta sint, narret. Hoc igitur scriptionis genere, bellum, quod à patruo tuo Stephano Poloniæ Rege, cum Ioanne magno Moscouiæ Duce gestum est, à me pertextum, non tam vt ab historico, quàm à qualicunq; narratore, ad te nunc mitto. Quanquam minimè hic quidem me fugit, huius etiam generis commentariorum propriam quandam esse elegantiam ac dignam homine erudito puritatem. quæ nisi maxima difficilimaq; essent, minimè, qui princeps in hoc genere est, Cæsar tantam laudem consecutus commentarijs suis fuisset, vt ne imitatione quidem à quoquam exprimi posse iudicentur. Verùm hæc quoq;, quæ ego quidem ipse in me requiro, si quis alius præterea in commentarijs hisce requirenda putabit; is vellem perspiceret, quàm non modò breui tempore, sed quàm alieno etiam ac impedito, interq; quot aliarum rerum occupationes in aula non solùm negociosissima, sed & quæ nullo certo in loco consistens perpetuis quodammodo profectionibus circumfertur, scribendi mihi fuerint. Id certè consequar, vt quò minùs à me ad hasce res scribendas studij allatum videbitur; eò libentiùs alij, qui possunt, ad easdem ornandas se conferant. Reliquis duabus rebus, quas historiæ propositas esse supra ostendi, rerũ grauitatem, ac narrationis veritatem, videor mihi non debere dubitare, cumulatè*

omnibus eos satisfacturos. Non enim indignā eius belli cognitionem iudicaturos homines opinor: quod cum eo hoste gestum est, cuius potentia non vicinis modò nationibus, verùm remotioribus nonnullis formidolosa iā erat; quemq; qui etiam non metuebant, antequā victus esset, vix tamen vinci posse iudicabant. Tibi quidē Sigismunde Illustrißime vel iucundißimam futuram certò iam mihi promitto. Accedunt ad bellicas, domesticæ res: quæ vt tempore ac natura ferè cum bellicis coniunctæ fuerunt; ita à me etiam disiunctæ non sunt. Verùm potißima ac propria cuiuscunq; historiæ laus veritas est: de hac nihil necesse est me dicere. Primùm enim minimè de remotis à memoria nostra rebus scribo, in quibus vel errare facilè poßim, vel fingere, si quid velim, nullius memoria iam refellente: sed edo hæc ijs cognoscenda, qui ijs ipsis rebus, de quibus scribo, interfuerunt; vt res per huius belli tempus gestas, ijs, qui ab illis absfuerunt, eorum, à quibus administratæ sunt, viuorum & præsentium memoria teste commendem. qua in re vtrunque fuit, vt & ego facillimè ea à multis, qui ijs interfuerunt, cognoscere potuerim, à veritate autem vlla in re recedere non potuerim, tot hominum conscientia constrictus. Accedit huc, vt publicorum actorum, quibus res, quæ hisce libris compræhenduntur, magnam partem testatæ sunt, pro eo loco, in quo sum, summam facultatem habuerim. Ita quæ singula, si alicui obtigerint, magnum momentum ad cognoscendam veritatem attulisse ei videantur, ea mihi vniuersa ferè fuerunt. Habes de re nunc cur ad te potißimum eos mittā. Primùm Sigismunde Illustrißime, cùm de rebus à patruo tuo clarißimo Rege gestis scriberem, cui rectius dicare eos deberem quàm tibi, nullum reperiebam: ad quem nimirum nō modò magna pars gloriæ huius propinquitatis iure, ac quasi hæreditate pertinere videbatur; verùm quem ad similium rerum gloriam iam incensum non minori contentione ipsum etiam olim aspiraturum omnes exspectarent. Itaq; iam ante mea sponte tui obseruantißimum, ad hanc tamen voluntatem meam non minus summa quoq; de virtute tua exspectatio me adduxit: qua caue existimes quicquam illustrius esse. Tantum enim in omni optimarum artium genere studium, tantaq; indoles, quanta ea in te esse nouimus minimè vel obscura cuiquam esse possunt, vel Transiluaniæ tantùm finibus se tenere. Ab hoc igitur tuarum laudum fonte, vt aliquam meo etiam huic labori laudem hominem illarum studiosißimum haurire non molestè me feras: singularis verò erga te obseruantiæ meæ qualemcunque hanc significationem vt gratam tibi esse patiaris, ita te rogo; vt quamuis pro summa tua humanitate tua sponte id facturum te non dubitem, ego tamen maximi beneficij loco accepturus id sim.

REI-

REINOLDI HEIDENSTEINII SECR. REGII, DE BELLO MOSCOVITICO COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.



STEPHANVS Rex, quò confirmata foris cum finitimis omnibus pace ac amicitia, dissidia ex electiõis studijs inter partes exorta facilius cõponeret, ac in tranquillo statu Remp. collocaret; ad plerosq; vicinos Principes literas dedit; quibus more inter principes recepto regnum sibi delatũ, suamque & in illos beneuolentiam, & cum omnibus pacis studium declarabat. In hisce ad Ioannem Basilij filium, magnum Moscouiæ Ducem, Stephanum Grudsenscium Polonum, & Leonem Bukouiecium Lituanum cum literis mittit: se prouidentia diuina ac ordinum studijs ad regnum ascitum: id ita gerere instituisse; vt cum omnibus principibus Christianis pacem & amicitiam coleret: eodem animo erga illum quoq;, vt finitimum & christiani nominis principem esse: si quæ inter ipsum ac regnum Poloniæ magnumque Ducatum Lituaniæ à maioribus vtriusque traditæ controuersiæ intercederent; de ijs ex æquo & bono amicè inter eos agi posse. Respondit Moscus: & si audierit Maximilianum Imperatorem in Regem electum: quò minus tamen cum ipso quoque gratia ac amicitia sibi essent, non se recusare: placere sibi, vt maiores legati more maiorum mitterentur: interim ab iniuria & maleficio vtrinq; abstineretur. Rex respon so hoc accepto, ad domesticas res componendas, maximeque Gedanensium motus sedandos totus conuersus, Thoruniæ conuentum habet: in eodem legatos etiam in Moscouiam pacis tractandæ causa mittendos ex Senatus authoritate decernit. Fuêre ij Stanislaus Kriscius Masouiæ, Nicolaus Sapieha Minscensis Palatini, Theodorus Skuminus Palatij Lituanici quæstor. Quibus rebus perfectis, dissensionibus ac in ijsdem perseuerantia Gedanensiũ permotus, armisq; ciuitatem persequi coactus, primùm copijs illorum vrbe egredi ausis per Ioãnem Sborouium au-lici militis præfectum, quem ad exercitũ cum imperio reliquerat, ad Dirsauiã fusis, ad vrbem castra promouet. Quo tempore Moscus occupandæ Liuoniæ tum maximè oportunitatem se nactũ ratus, ad vim atq; arma astum adiũgit. Regebatur Liuonia sub nomine administratoris à Ioanne Chodkeuicio: in præsidijs pauci Poloni, pleriq; Lituanici nominis præfecti erant. à quibus immoderatius indigenæ habiti, simulque non satis in illis præsidij contra potentiam Moscouiticam existimantes, ad res nouas ferè spectabant. Non ignarus harum rerum Moscus miserat in Liuoniam Magnum Holsatiæ Ducem, quem cùm iam antè ad se transisset, pro missis, ac affinitate deuinctum tenebat. Rumorem de eo tradit, fore, vt si vltro Liuones se dedant, ad exemplum Ducis in Prussia beneficiario iure Liuoniã regendam ei traderet; vt authoritas ac administratio omnis penes Magnum, penes se nomen collati beneficij ac maiestas Imperij essent. quibus rebus adducti prouinciales, hinc odio seu tædio externi imperij, illinc spe & nimia cupiditate eiusdem linguæ ac nationis magistratus, simul à factiosis quibusdam ac nouarum rerũ cupidis impulsi, præsidia ex arcibus & opidis ferè omnibus eijciunt: ipsi Vendam, vbi tum Magnus erat, confluunt: nomen insigniaq; regia illi circumdant: inq; verba eius sacramento se adigunt. Moscus interim maximo exercitu coacto, in Liuoniam nul lo impediente, præsidijs omnibus pulsis, ac plerisq; arcibus à Magno occupatis penetrat: acceptisque in deditionem Marienhausio, Rosittenio, Ludsenio, Duneburgio, Kokenhausio, Ascherotum vsq; sine maleficio, vt initio rerum gerendarum clementiæ fama colligeretur, progreditur. Confluxerat Ascherotum magnus vtriusq; sexus, ac omnis conditionis hominum, maximè autem matronarum ac virginum, numerus: erat ibidem Landmarschalcus, vir ætate, & summis olim in prouincia ea gestis honoribus venerabilis. Moscus omnibus, qui arma ferrent, promiscuè trucidatis, imbellem sexum Tartaris constuprandum obijcit. Inde Vendam re-

ctà proficiſcitur:qui ibi erant fama tantæ immanitatis perterriti portas clauſerant. Egreſſus pro illis deprecator Magnus, compoſito ad humilitatem habitu, ac genibus illius ſupplex in genua prouolutus adrepens,conuicio ac verbere ab ipſo Duce in os ingeſto excipitur.Cùm tantùm abeſſe ab eo intelligerēt,vt Magni authoritate ſalui eſſe poſſent, vt ne ipſe quidē periculo vacaret, hoſtili fraude circũuentos ſe videntes, ira,metu & deſperatione incenſi,puluerem tormentarium fundamentis ſubdunt; quo ſuccenſo magna vtriuſq; ſexus,omniſq; ætatis & cōditionis hominũ multitudo,ac flos ferè eius, quæ reliqua adhuc erat nobilitatis Liuonica, abſumptus fuit. Accepta ita in poteſtatē Venda ac Rumburgo, quod Vendæ imminet, codē tempore per deditionē potitus iam vniuerſam Liuoniam, Reualia & Riga, paucisq; circa eas caſtris exceptis,in poteſtate habebat.Parnauiã ſiquidem poſt diſceſſum Henrici interregni eo tempore interceperat: Veiſſenſteinum nobile caſtellũ opere ac natura munitiſſimum de Suecis: Naruam verò,Derpatum,Felinum, ac Mariemburgum,aliaq;nonnulla iam multò ante partim de Epiſcopo Derpatenſi, partim de Marianis Liuonicis ceperat; ab ijsq; primùm initijs profectus,cùm continuas deinde impreſſiones in prouinciam faceret, vt in Sigiſmundi Aug. ac regũ Poloniæ fidem ac ditionē prouinciales tum ſe conferrent,plurimis detrimentis eos adegerat. Eaq; res, cùm ad ſuperiores controuerſias, quas de Ruſſiæ locis quibuſdam cum Magnis Ducibus Lituaniæ habebat,acceſſiſſet,perpetua deinde inter ipſum ac Reges Poloniæ belli cauſa fuit:quod aliquãdo quidem per inducias poſitum, vt plurimũ tamen varia fortuna, tam in Liuonia, quàm Lituania geſtum, in hunc vſque Regem tranſmiſſum fuerat. Cæterùm Moſcus abducto ſecum Alexandro Polubenſcio Chodkeuicij legato, cæteriſque præfectis, in Moſcouiam ſe recepit.Ex itinere literas ad Regem dat:quibus vt à Liuonia omninò abſtineat,Regi præſcribit. ijſdem ad Pruſſum quendam Auguſti Cæſaris fratrem,nulli ante hac cognitum,qui Koinicij & Mariēburgi quondam,& in reliqua Pruſſia latè imperitaſſet, genus ſuum referebat, quo ad ipſos Pruſſiç fines ius Imperij extenderet. Legati,qui ad tractãdas pacis conditiones mittebantur,iter cœptum nihilominus proſequebantur:nouis in itinere mandatis acceptis; vt de iniurijs induciarum oſtentatione factis quererentur:ſatisfactionemque poſtularent. Dum ad Gedanum Rex caſtra facit,exercitum in Liuonia Lituaniaq; per oſtentatam pacem, maximè autem propter difficultates ærarij, quæ initia regni eius exceperant, nullum parauerat: ſub ingruentis tamen hoſtis famam,nobilitatem Lituanicam literis euocauerat,militareq; per ducatum eum imperium Nicolao Radiuilo Palatino Vilnenſi,Gregorio Chodkeuicio qui antè illi præfuerat defuncto, tradiderat. Hic non exigua cum voluntarij militis manu, Seelburgum peruenerat. Interim verò & Gedanenſes ad humiliores æquioresq; conditiones multis malis victi, & maiora timentes deſcendere cœperant:cumq; electores duo, alijq; Germaniæ Principes quidam ſuas pro illis preces per legatos interponerent, recepit Rex in fidē ciuitatem; tum verò ad bellum Moſcouiticum,quod iam multò antè animo agitarat, totum ſe conuertit. Ad quod ſuſcipiendum, ſecundùm acceptas iniurias, ac Liuoniæ recuperationem multæ cauſæ illum hortabantur: quarum hæc vel iuſtiſſima, quòd egregio aliquo facinore,non modò de ſui regni hominibus, verùm tot alijs, quibus Imperium Moſcouiticum ſumma cum immanitate coniunctum, vel formidoloſum erat,vel graue,bene mereri; eamq; ad poſteros nominis ſui famam propagare ſtudebat, ex qua omnes nō modò Regem,ſed dignum etiam regno fuiſſe cognoſcerent. Præterea verò ad maiores res, quas cogitãdas ſuſceperat,& de quibus miſſo in vrbem Paulo Saionskouio cũ Gregorio XIII. Summo Pontifice cōmunicârat,ſi prius Moſci potētiam fregiſſet, aditum ſe habiturũ ſperabat. Hoc animi propoſito, in menſem Ianuarium Varſauiã comitia edixit. Agebatur autem tũ annus ſeptuageſim⁹ ſeptimus, ſupra Milleſimũ Quingēteſimum.Redijt interim in poteſtatem Duneburgum à Boriſſio Saua, ac Vilhelmo Platero receptum. Hi in omnes occaſiones intenti, cùm cōmeatus inopia laborare præſidiarium militem animaduerterent,per ſpeciem officij ac comitatis militaris eſculentorũ, ac poculentorum nonnihil,ac in his vini cremati, quod inopia veri maximò apud Moſcos in honore eſt, vas ei miſerant: de quo cùm ad ebrietatem Moſci bibiſſent,illi, qui id futurum cogitârant, noctu ſcalis admotis, in vallum, quo ſolo caſtrum cinctum eſt, & in ipſum caſtrum euadunt: Moſcos ex ſomno

no & mero vix se colligentes deturbãt: castro potiuntur. Non multo inde tempore interiecto, Venda etiam huiusmodi ratione recuperata fuit. Erat sub Matthia Dembinio ex rusticis Lotfinis fabrilis artis peritus quidam, qui sororem Vendæ in Moscorum potestate habebat; per cuius visendæ speciem & rusticorum commerciorum libertatem cùm sæpius Vendã venisset, opportunitatem nactus, cerã clauibus opidi impresserat, adque eiusdem exemplum alias parauerat. rem ita instructam ad Dembinium detulit. Cùmque is die constituto, quem festum Mosci agebãt, sub opidi portas cum Ioanne Buringio, ac tumultuaria militum manu accessisset, ab vna parte scalas Buringio admouente, ac à Lotfinis ipsis, qui Vendæ erant, concursu facto, reliquos portis reclusis in opidum immisit. Dum Varsauiam ad comitia Rex contendit, nuncium in itinere accepit, ab ijs rebus, quas tum agitabat, alienum. Limes regni Polonici & magni Ducatus Lituanici magna ex parte Borysthenes est; qui in Moscouia ortus modico in occidentem flexu, in meridiem deinde & pontum Euxinum magnam aquarum vim trahens fertur: superior fluminis pars, ad Lituaniam pertinet: ad inferiorem diuersarum gentium confinia concurrunt: præter Moscos & Polonicæ ditionis Russos, nonnullæ Turcicæ præfecturæ attingunt: non longo etiam interuallo Valachi ei imminent. In hac tot nationum nec satis pacatarum colluuie, non potest adhuc quamuis à tot sæculis pax consistere. Itaque immensa ibi camporum spacia, multi agri inculti, ac deserti ob latrocinia vel metum iacent. Confluere huc ad prędas ex hostico agendas solent; cùm ex alijs gentibus, tum Polonis quoque & Lituanis, vt quisque est egentissimus, vel rerum capitalium damnatus, quosque vel fortuna eorum, vel leges in patria esse non sinunt. superioribus tamen temporibus, cùm publicè bellum non esset, etiam ex primaria iuuentute quidam loca ea petebant, odio quietis, ac ne situ, ac ocio torperent, virtutis exercẽdæ causa. Magnam partem in aquis ac flumine piscatu ac latrocinijs viuunt: hostemque vt ex quoque plurimùm prædæ sperant, ducentes, barbaris tamen, vt maiori inter eos Christianorum numero, ac Tartaris præsertim infestiores sunt, magisque Poloniæ regibus operam nauant. quòd infimã Poloniæ parte, quæ ad flumen pertinet, tenent, à loco Nisouij appellantur: interque reliquos Kosakkos: ita enim communi nomine vocantur omnes tam equites, quàm pedites, qui ad latrocinia in finibus exercẽda, incursionibusque hostiles ditiones vexandas priuato instituto, ac voluntaria militia coeunt: hi & numero & virtute plurimũ ferè valent. Inter hos cùm vixisset aliquandiu Ioannes Podkoua, natione Valachus obscuro alioquin loco nat9; sed corporis viribus præstans, & qui soleis equorum ferreis manu disrumpẽdis nomen inuenisset; partim vitæ ac studiorũ similitudine, partim promissis facilè homines ex præda viuentes ad inuadendam vnà secum Valachiam, imperiumq; eius sibi tradendũ adduxit. Petrum Palatinum Valachię nihil tale expectantem occupant, & prius sede Imperij exuunt, quàm ille vlla arma imminere sibi suspicari potuisset. Quod cũ Rex intellexisset, & præterquàm, quod sine authoritate sua alieni fines bello tẽtati essent; Petrum, cuius dignitati fauebat, restitutum vellet, cùm per Poloniam, tum in Trãsiluaniam ad fratrem Christophorum principem, vt auxilio suo Petrum iuuaret, literas misit. qui cùm alas aliquot equitum & peditum cohortes Stephano Battoreo Andreę fratris filio duce auxilio ei misisset; Podkoua Nimirouam Polonicum opidum recipere se coactus in Nicolai Sienauij Castellani Kamenecensis, qui finitimæ in Russia militiæ præerat, potestatem venit: ab eo que ad Regem missus fuit. Postquam ad Comitia ventum fuit, primo die solenni sacro peracto, altero de rep. sigillatim de Mosci & Tartari iniurijs ad ordines Rex fert: bellumque ne cum his, aut cum vtro horum velint, rogat. Cum Mosco bellum iussum, cum Tartaro in præsens dilatum. Hic sub discessum Regis Henrici, solicita ac in omnia alia intenta Republica fines incursârat, populationibusque ac rapinis, omnique immanitatis genere vexârat: obsidionis Gedanensis tempore magna manu facta prædas egerat: illis ipsis comitiorum diebus, fama nuptiarum, quas Constantinus Ostrogię Dux Palatinus Kiouiensis, propinquæ suæ faciebat, excitus, in Voliniam excurrerat: Ducemque Ostrogię obsederat. Pacato tumultu Gedanensi, exercitum, quem sub Gedano habuerat, in Russiam rex ad fines tuendos miserat; iamque aliquot turmæ in Voliniam peruenerant. quarum imperium cùm de Tartarorum excursione rumor interim allatus

eſſet, Ioanni Sbaraſio Palatino Braſlauienſi, extra ordinem tradiderat. Ex ijs quidam non longè Torcino in agmen hoſtium, vt aduentu exercitus nondum cognito, incurioſius prædas agentium inciderant, prçlioque ſubito contracto ſuperiores diſceſſerant. vnde de appropinquantibus copijs certior Tartarus factus, cùm delectos ab exercitu cõtra Sbaraſium miſiſſet, qui ex inſtituto eorũ, quid viriũ, ac animi hoſtis haberet, explorarent: Iiq; ad Saſlauiam in noſtros incurriſſent; fortiter impetu eorum à noſtris excepto, mox ſe receperant; Tartarusque pactus inter cætera à Duce, vt de amouendis à finibus Niſouijs apud Regem laboraret, quorum latrocinia ſolam bello cauſam ob tendebat, receſſerat. in præſens tamen hæc diſſimulari placuit. Ex hoſte enim inope & vago quemnam magnopere fructum expectari? Cùm arma potius Turcica ad ipſius iniurias prouocarentur: qui ſolùm in quo inſiſterẽt, ſuum: ipſos fiduciarios poſſeſſores eſſe diceret. Ex Moſco quò maior eius potentiæ fama, eò maiorem gloriam in præſens, nomen ad poſteros parari: vrbibus ac opibus florentiſſimam olim prouinciam Liuoniam & cùm alijs opportunitatibus; tum maris commodis affluentem victoriæ præmium peti. Ita contra Moſcum ſuſceptum bellum, ſimulque vt in hoſtico exercitus haberetur, ſcitum, priori intra fines continendi militis, ac propulſandi hoſtis ratione domeſticis incommodis, ac ſuperioris ætatis exemplis refutata. Proxima huic cura de pecunijs fuit. Delecti fuerunt è Senatu primores, qui quanto in bellum milite, quanto in militem ſtipẽdio opus eſſet, diſpicerent. ſcitum tributum in ſingula iugera floreni vnius: cereuiſiale item in opidis & vrbibus, quo in ſingulas tonnas duo de vigeſima cuiuſque precij pars exigeretur. Maius id fuit, quàm vllum ante hac quiſquam meminiſſet: conſensère tamen omnes præterquàm Cracouiẽſis, Sandomirienſis, & Siradienſis Palatinatuum legati; quòd nulla eius tributi ſciſcendi mandata ſe à ſuis habere dicerent. Noluerat nobilitas vel bellum vel tributum ſciſcere; niſi de iudicijs ſimul, quæ iam Sigiſmundi Auguſti temporibus poſtulare cœperat, in interregnis autem ipſa ſibi ſanxerat, perfeciſſet. Antiquitus à iudicijs municipalibus ad cõuentus Palatinatuum, ad quos quodque municipium pertineret, inde ad Regẽ in comitia prouocatio erat. Cùm à Sigiſmundo Auguſto propter tenuiorem valetudinem infrequentiùs iudicia haberentur, vt ex ſuo corpore conſtituere ſibi iudices liceret, nobilitas petierat: Reſtitit Auguſtus, dum vixit. vnde illa à Rege id impetrãdi ſpe deiecta, tempore interregni priuſquàm in Regem Henricum eligeret, inter alias hãc quoq; de translatione iudiciorum con ditionem ei tulerat, iſq; acceperat. Poſt diſceſſum igitur Henrici, nobilitas per ſingulos Palatinatus, vt cuique maximè expedire viſum fuerat, ex ſuo ordine, qui cauſas appellationis iudicarent delegerat. qua ex re cùm, quod euenire neceſſe erat, magnam omnium rerum perturbationem cõſequi Rex animaduerteret, in cauſa minimè amplius ſibi integra, pro re nata optimum ratus, ſi ad vnam formulam omnia reuocaret, ſanxit hic; vt non per ſingulos Palatinatus iudicia haberẽtur; ſed in ſingulis Palatinatibus maioribus bini, minoribus quibuſdam ſinguli è nobilitate quotannis delecti primùm à Martini vſque ad Paſcatos Poloniç maioris nobilitati Petricouiæ: minoris deinde à Paſcatos vſque ad meſſem Lublini ius dicerent; itaque omnia priuatarum rerum iudicia penes nobilitatem deinceps eſſent; publica, iuris item Regij atque fiſci iudicia, in eo quo antea ſtatu fuerant, penes Reges manerent. quemadmodum & earum terrarum, quæ ſuis legibus, ac diuerſo à cæteris iure vterentur. Moram huic rei nonnullã afferebat, quod nobilitas à munere iudicandi ſenatorium ordinem excluſum volebat: hi contra tenderent, iniquum eſſe, dignitatem ſuam, quæ commodo ſibi eſſe debebat, in iniuriam ſuam verti; & qui alios in nobilitate, honore anteirent, à communi nobilitatis corpore in re publici iuris, & ad omnes pertinente ſeiungi. obtentum tandem, vt tam ex Senatoribus, quã reliqua nobilitate, pro arbitrio nobilitatis rebus iudicandis præficerentur. Inter Regem quoque & nobilitatem controuerſię nõnihil fuit, quòd nobilitas regias quoque vrbes rebus à ſe iudicatis teneri vellet, ſuperioribus etiam temporibus quaſdam cauſas earum iudicaſſet. remiſit nobilitas: inuentaque ratio fuit, vt quia iam cauſas aliquas huiuſmodi iudicaſſet, eaſdem in iudicium vocatas denuo in iiſdem comitijs Rex cognoſceret. Cùmque magiſtratus quoque ac præfectos regios ad iuriſdictionem ſuam pertinere nobilitas vellet, quòd cũ ij fere res iudicatas exequerẽtur; fruſtra ſibi iudicia tribui-

tribui diceret, sine vlla in eos,qui res à se iudicatas exequerētur,iurisdictione. assensit Rex,vt quatenus rerū iudicatarum executio à magistratibus cæterisq; officijs peteretur, authoritati iudicum parerent. supererat certamen inter ecclesiasticum & ciuilem ordinem: cùm hic eodē,quo reliquam nobilitatem,ec clesiasticos iure vti vellet:illi iudicia hæc nobilitatis,quæ cū diuersæ religionis hominib⁹ cōmunicari intelligebāt multis nominibus suspecta sibi esse,obligariq; se illis nolle confirmarent. Ostendit his Ioannes Samoscius Cancellarius, non maius periculū eos suscipere, si in iurisdictionē consentiāt, quàm si cū obtemperare ei nolint, pœnis deserti vadimonij, & contumaciæ coërce ri se patiantur: quod in Palatinatuum iudicijs eò vsq; factum antea fuerat, vt præter alios Archiepiscopus in maiorē fere centum quinquaginta millium cō demnaretur: Addidit cōsilium,vt quoties ecclesiastica res in iudicium veniret,ad sex ex nobilitate ecclesiastici ordinis totidem ,qui pari authoritate de ea cognoscerent, adiungerentur. quorū si pares sententiæ extitissent, ad Regem in comitia ampliaretur. Res per aliquot dies ducta, eum tandem ad modum composita fuit. Agitatum in hisce comitijs & de proscriptionibus fuit. Moribus gentis Polonicæ, qui creditarum cæterarumúe priuatarum rerum condemnantur, ijs si sententiæ iudicis non pareant, multa dicitur:quæ si spreta fuerit, priori triplo maior dicitur: si ne tum quidem obtemperatur, manu militari in bona missio decernitur;con tra quam si quis se opponat, à præfectis proscribitur. Quod olim acerrimū cōtra decoctores telū fuerat,luxuria tem porum, per eamque multitudo obæratorum labefactauerat. Itaque vulgo contemnebatur, resque magis multorum sermonibus iactata fuit,quàm noua remedia vlla ei allata. Auditis deinde externorum principum legatis Georgius Fridericus Marchio Brandebur gensis ad valetudinarij agnati sui Alberti Friderici, Alberti Prussiæ Ducis filij curam admissus fuit. inuestitura, quam vocant,accepta,solenne iuramētum Regi præstitit. Adfuêre ei in cærimonijs ijs Saxoniæ Electoris, & Virtembergici principū legati.Brandeburgēsis Electoris legati cū principis sui no mine tanquam ad simultanæ inuestituræ ius pertinentis vexillū contingerent, nobilitatis nūcij cōtra protestati, quòd primis illis inter D.Sigismundū & gentem Brandeburgicam conuentionibus ea Marchionum Brandeburgensium stirps feudo compræhensa non esset, quę postea priuata authoritate & ordinibus inscijs acta essent, rata se non habere ostendebant. Aderant & Pomeraniæ Ducum legati, principumque suorum nomine in Bithouiensem Leobur gensemque tractum ius maiestatemq; regni agnoscebāt, literasq; inuestiturę accipiebāt. Legati interea,quos ad Moscum missos supra demonstrauimus in Moscouiam peruenerant;àque Mosco suoipsius ingenio feroci, tum ob rem in Liuonia prosperè gestam multò etiam superbiore, contumelijs ludibrioque excepti indignissimè habebantur: multa in nomen Polonicum & Lituanicum contumeliosè ab eo dicta factaque fuêre: cumque ex instituto vtriusque gentis lautia vtrinque legatis, qui missi fuerint,prębeātur:emere victum, nec moris sit,nec si velint,in Moscouia possint:nō nisi sordida ac vilissima quę que cibaria per summā indignitatem ijs ministrari iussit. In colloquijs deinde cū legati non nisi de inducijs agēdi mandata se habere significassent, triū annorum inducias ijs dat:literas autem quas legati obsignare debebāt,sine vlla cōditione purè perscribi iubet: alias deinde, quas ipse legatis traderet, sub signo suo subijcit: in ijs hasce cōditiones adiecerat; vt vniuersa Liuonia vnà cū Riga & Churlādia,quæ in potestate Regis adhuc erant, & quidquid vsq; ad fines Prussię pertineret,Rex sibi cederet: Liuonē nullum præsidium suū implo rantem, multò minus ciuitatem vllam reciperet, vllaúe ope auxilio suo iuuaret.Hasce cùm ex more iureiurādo pla cita confirmare deberet, amotis ijs, in quas legati antè iurauerant, solas profert: iureiurandoque in eas se obstringit:atq; ita nullo amplius de his tractandi loco relicto,ex Moscouia abire legatos iubet, nouisque eodem tempore in Liuoniam copijs missis acerrimè Vendam oppugnat.quæ sub exitum comitiorum audita omnium animos ad bellum Moscouiticum iam conuersos ira, ac indignatione eò magis accenderunt. Venda tamen à Moscis frustra oppugnata fuit. Nam cum per aliquot dies tormentis vehementer muros ver berassent, aliquam etiam partem muri diruissent; Dembinius ob exiguitatem præsidij vrbi metuens, cohortatus suos,vt eam secum ingrederentur,cùm tenere non potuisset, quod illi propter inopiam commeatuū & nō exoluta sti-

pendia minus prompti ad pericula suscipienda essent; & quia magna ex parte equites erant, minus etiam virtuti suę locum in præsidio fore putarēt;tandem vt propius saltem secum accederent,si fortè excubias & castra hostium turbare possent contendit. quod cùm impetrasset, noctu silenti agmine eos ducens,paulò antè lucem sub portis vrbis sistit: ostenditq; quòd ab hostibus iam videri cœpissent, à tanta hostium multitudine facilè circumueniri posse:itaque potius vt viros fortes ac militares deceret,vrbem ingrederentur,virtuteq; sua vrbem contra hostem, & vrbe se tuerentur. ita vrbem ingressi eidem saluti ac præsidio fuerunt. Muris enim qui diruti ab hostibus erant, magna cura subitario opere noctu expletis, omnibus in locis fortissimè hosti occursum fuit. Itaque vere iam imminente Mosci soluta obsidione, præmissis primùm tormētis discesserunt. quos Alexander Chodkeuicius præfectus Grodnensis, cuius Ioannes Chodkeuicius patruelis vicaria in administranda reliqua Liuonia opera vtebatur, quamuis minus commoda valetudine esset,contractis tamen vndique ad Seeualdum copijs aliquandiu persecutus, adipisci tamen haud potuit .Sub idem ferè tempus Magnus Dux Regis fidem secutus à Mosco discessit. Adolescens hic summo genere natus cùm Churoniæ & Osiliæ Episcopatum in Liuonia teneret, perditis quorundam consilijs, ac promissis Mosci & adolescentia adductus, cùm per ætatem ipse rebus suis consulere nō posset,ad Moscum trāsierat.Ab eo fratris patruelis filia in matrimonium ei tradita,speq; iniecta fore,vt suo beneficio totius Liuoniæ regno potiretur,ad Reualiam obsidendam magno cum exercitu missus fuerat.à qua infecta re discedere coactus, tempore obsidionis Gedanensis ijsdem cum promissis in Liuoniam, quemadmodum supra dictum est,remissus fuit. vbi territus crudelitate Mosci, quodq; ademptis ei, quæ tenebat in Liuonia castellis ad fines Scythiæ deportare eum in animo haberet,per indiciū cognito, cùm quanto in periculo versaretur cogitaret: transeundi ab eo consilium cepit: paulatimq; è potestate eius se subducēs Lempsaliam,inde propius Rigam ac fines regios se recepit: Regemq; per Ducem Churlandiæ crebrosq; internuncios ac literas, vt in fidem se reciperet solicitabat.Rex in earum rerum incertitudine,cùm & varia de discessu eius iactaretur, vt neq; an fratri eius Regi Daniæ, cæterisúe propinquis ipsius consilium id eius probaretur, aut fortunæ eius curę omninò essent perspectum habere posset,de deditione nihil quidem tum cum illo constituit:fide tamen publica versari eum in Liuonia se passurum ostendit. Postea profecto in Liuoniam Nicolao Radiuilo Palatino Vilnēsi,eidem vt cum Duce Magno, quod in re præsenti è Repub. esse perspexisset,ibidem constitueret, permisit. Hic cùm in Churlandiam venisset,ad eumque Magnus accessisset, in fidem illum cum omnibus ditionibus eius regio nomine recepit,inq; verba regis sacramento adegit. conditiones deditionis hæ fuerunt;vt quas teneret possessiones,eo quo alij beneficiarij principes sua possiderent iure, à Rege ei permitterentur: aut pro illis aliæ non deteriori cōditione pro amplitudine generis & familiæ eius aliquo alio in loco darentur. Vbi de euentu legationis Rex certior factus fuit, mittit statim ad Moscum Georgium Haraburdam, qui non aliter inducijs ijs teneri se velle Mosco renūciaret, quàm si de Liuonia conditionem, quæ nec à legatis accepta esset, remisisset. Moscus retento Haraburda, legationē interea ad Regem, quæ ad rata habenda pacta induciarum, iuramentoque confirmanda eum adduceret, destinat. ac pręcipitante iam æstate exercitum alium multò priore validiorem, maioriq; apparatu instructum, ad Vendam, quam à nostris interceptam,ab eoq; postea obsessam supra ostendimus,mittit. Prius quàm vlterius progrediar, pauca hoc loco de principum Moscorum origine, potentia, moribus gentis,totiusque imperij statu præmittere placet. Antiquissima Imperij Russici sedes primùm Nouogardiæ,inde Kiouiæ,posterioribus verò temporibus priusquàm Moscouiam transferretur,Vlodimiriæ etiam fuit:cuius hanc ob causam hodie adhuc titulos Moscouiæ titulis Dux anteponit. Genus principum ad Varagos annales Russici referunt:gentem vt pleræq; priscæ,nunc obscuram: sed tamen quam vltra marinam fuisse ijdem annales testentur.Ex ea tres fratres ascitos primò à Nouogardiensibus, qui Slaui iam tum fuerint receptos, imperium Nouogardiæ condidisse, eiq; Ruricum natu maiorem fratrem præfuisse, reliquis duobus alias Russiæ partes Bialoieserensem , & Isboriensem obtigisse tradunt: Ruricus ex Olga Plescouiensi Suentoslaum deinde filium habuit.Hic

magno

magno cum exercitu in Bulgariam ad Danubiũ vſq; progreſſus, deuictis Bulgaris & Græcis, quibus tum Bulgari parebant, cùm agros & cultum, & copias prouinciæ adamaſſet, ſedem imperij in ea ſibi delegit, Iaropolcho filio Kiouiã, alteri Olego. Dreulanos adminiſtrãdos reliquit; Nouogardiã Vlodimiro Malci cuiuſdam Lubkani, vt annales habẽt, filio ex ancilla Olgæ, Pleſcouienſis ſuſcepto conceſſit. qui cùm à Iaropolcho regno pulſus trans mare fugiſſet, auxilijs maritimis cõparatis reuerſus, cùm quæ primæ obiectæ ei fuerant ditiones, tum Kiouiam deiecto Iaropolcho occupauit, tenuitq;. Ab hoc omnes deinde principes Ruſſiæ, profecti tradũtur. Nã cùm duodecim filios reliqſſet, diuiſa inter eos omni Ruſſia imperiũ ac domiciliũ imperij Kiouiam maiori natu Suẽtopolcho tradidit. Huic ſine liberis mortuo, duo alij fratres Iaroſlaus, & Iſoſlaus ordine in regno ſucceſſerunt; Poſt eos Vlodimirus Monomachus Vſeulodi Vlodimiriæ Ducis filius, cuius hodie adhuc magnum apud Ruſſos nomen eſt, ex eadem ſtirpe potitus imperio fuit. quod interpellatum quidem interim ab Vſeulodo Suentoſlai ex Olgo nepote, & Igoro pronepote qui auitum regnum recuperare conatus fuerat, penes Vlodimiri poſteritatem nihilominùs remanſit; ſequentibusque temporibus Andreas Dux Suſdalienſis ab eadem Vlodimiri ſtirpe profectus, fœdere cum vndecim alijs cognatis Ducibus inito, deiecto Miciſlao, qui ex Monomachi poſteris regnum Kiouiæ tenebat, Miciſlaum filium ei impoſuit. hic primus ſedem imperij Volodimiriam, principatumque in Suſdalienſium domum tranſtulit. quem qui tenebat, etſi imperium in reliquos agnatos Duces non habebat; magni tamen Ducis nomine vtebatur, dignitateq; ac honore cæteris, qui comiter quaſi maieſtatẽ eius colebant, antecedebat. cumque honor is antea vel ſucceſſione, vel reliquorum omnium ſtudijs vni deferretur, nonnunquam vi ac armis occuparetur; poſteaquam in Tartari poteſtatem conceſſerunt, ab eo peti cœpit. Imperij autem Tartarici circa annum ab orbe condito VI. M.DCC.XXXII. quemadmodum Ruſſi annos numerant, à nato autem Chriſto ducenteſimo viceſimo quarto, ſupra milleſimum in annalibus eorum mentio fit. quo Tartari contra Cottianem Ducem Polouſciorum cum exercitu progreſſi, Ruſſiam vaſtarunt. cumque Cottian Miciſlaum Romani filium Ducem Siernouienſem ſeu Kiouienſem: vtroque enim nomine in annalibus appellatur: qui filiam eius in matrimonio habebat, & cõplures alios Ruſſicos Duces in auxilium euocaſſet, die xvij. Menſis Iulij ad Kalkã magno prælio eos Tartari ſuperãrunt: vndecim Ruſſicos Duces: Heroës, vt annales appellãt, equitum fortè genus quoddam, ad ſeptuaginta interfecerũt: multos captos egerunt: Reuerſi deinde Batti duce tredecimo anno poſt, quadrageſimo quinto nimirũ ſupra VI.M. DCC. ſubiugatis primũ Roſanẽſibus & Vlodimirienſibus, cæteriſq; ferè omnibus Ducibus, vniuerſam Ruſſiam ſibi ſubiecerunt: & quãuis non raro deinceps quoque bello cum ijs Ruſſi contenderent; tributariam tamen ſemper ferè inde habuerunt. Ab eo igitur tempore magni etiã Duces à Tartaris Ruſſiæ dari cœperunt. Dabantur autem ferè quemadmodum oſtendimus è Suſdalienſibus. Moſcorum Ducum, atque ipſius adeò ciuitatis ęqualis temporum Batti ac vaſtationis, quæ ab illo Ruſſiæ illata eſt, memoria in annalibus eorum extat. Inter alias enim vrbes Moſcouiam quoque à Batti expugnatam, ibidemque Philippum quendam Palatinum & Vlodimirum Georgij magni Ducis filium captum à Tartaris tradunt. Anno ab orbe condito XII. S. VI. M. DCCC. Andrea Alexandri filio magno Duce mortuo inter Michaëlem Iaroſlai filium Tuerenſem, & Georgium Danielis filium Moſcouiæ Ducem, de principatu magnoque Vlodimiriæ Ducatu contentio fuit: quem cùm vterque à Tartaro peteret, Tartarus primò Michaëlem retento penes ſe Georgio, inde aliquo tempore interiecto XXV. anno ſupra VI. M. DCCC. Georgium regno confirmauit: indeque ad hoc vſque tempus, quamuis aliquando Ruſſi vniuerſi Suſdalienſem iterùm dari ſibi à Tartaro peterent, perpetuò tamen in Moſcouiæ Ducum familia honor is permanſit. ex quibus cùm proauus huius, qui nunc rerum potitur, Baſilius Baſilij filius poſt patrem & patruum Conſtantinum imperaſſet, conſpiratione à Demetrio Georgij filio cognomento Siemacha Duce Seuerienſi, Ioanne Andreæ filio Moſaiſcenſe, Boriſſo Alexandri filio Tuerenſe Ducibus contra eum facta; regno ab ijs exutus, luminibuſque à Georgio Seuerienſe orbatus fuit: verùm à Nouogardienſibus adiutus regnum recuperauit, pacateq; deinde id

obti-

obtinuit. Successit huic Ioannes filius; qui primus eam ad quam nunc excreuerunt, potentiam fundauit. Ducem Tuerensem, quamuis vxorem ex ea domo haberet, regno pepulit, principatumq; obtinuit haud multò post & Nouogardia magna per fraudem capta, in seruitutem eam redegit, & alios principatus tentare cœpit; eoq; potentiæ peruenit; vt cæteris ducibus metu concedentibus, nemo qui cupiditati eius resistere auderet, reperiretur. Idem Tartarorum iugum primus excussit, coniugis Sophiæ Græcæ è Palæologorum genere, quam mortua Tuerense super induxerat, ingentis spiritus mulieris vocibus impulsus. Haud dissimili deinde ratione filius eius Basilius potentiam, cuius pater fundamenta iecerat, in immensum ferè auxit. Ad ea quæ pater pepererat, Smolenscēsem Ducatū maximum, ac quicquid Seueriensis ditionis reliquum erat, adiecit: Kasanos mari & terra tentauit; principes omnes agnatos ditionibus suis exutos, tum Plescouiensem ciuitatem maximam in seruitutem redegit. Successit ei in imperio hic, qui nunc rerum potitur, Ioannes. qui & ipse regnum amplissimum à patre acceptum, fortuna ac industria adiutus multò id fecit amplius. Kasanense & Astrakanense regna à patre summis viribus oppugnata cuniculorū & puluerum maximè; quos cuniculis in vrbium oppugnationibus subiecerat, nouo ijs temporibus apud illas gentes artificio adiutus, in ditionem redegit: marique omni Caspio vnà cum ijs in potestatem accepto, ad Persidem ferè imperium protulit: Liuoniæ maximam partem per dissensiones Liuonum occupauit: Suecos multis sæpè cladibus affecit: Polotiam temporibus Sigismundi Augusti cepit; cumq; Selymus Turcarum imperator Tanaim flumen cum Rha flumine maximo, quem Russi Volgam sua lingua hodie appellant coniungere statuisset, vt classe ex Ponto Euxino aduerso Tanai in Rha inuect⁹, Astrakanu in ostio fluminis Rha, quo in mare Caspiū influit, sitū, ac per id vniuersum mare Caspiū potestatis suæ faceret, Turcæ quoque victi fama ei quæsita fuit. Nam cùm Selymus à Sigismundo Augusto per Ibraimum Chausium, qui ex nobili Strassorum familia in Polonia natus, à pueritia impietate Turcica imbutus, ac maximis deinde præmijs ob ingenij elegantiam affectus fuerat, per ditiones eius transitum exercitui postulasset, is verò à Sigismūdo Augusto negatus ei fuisset, Selymus nihilominus per Tartariam ad perfodiendum spacium Isthmi, quod inter duo hęc flumina angustissimum est, iamq; Moscouitico solo continetur, exercitum misit. qui cùm per vastissimas solitudines iuisset, Tartaris ipsis inuitis negocium administrantibus, ac antè viarum incōmodis attritus Moscis obiectus fuisset, nullo operæpretio perfecto discedere coactus fuit. Ita repentè collecta potentia non finitimis modò omnibus, sed remotioribus etiam quibusq; nationibus terrori Moscus iam erat; eoq; fastus in tanta finium, ac rerum gestarum amplitudine processerat, vt omnes alios principes præ se contemneret; nullamque gētem esse existimaret, quæ opibus ac potentia contendere secum posset. Cùm ante hac Knesiorum, Ducum scilicet nomine, magni cognomēto, quo eos, qui ipsis parebant, præirent addito, vsi essent; Pater huius Basilius repetito ex interpretibus Slauicis sacrarum literarum nomine, primus Ciarium, quod Regem eorum lingua significat, appellari se voluit: eoq; à Maximiliano eius nominis primo Imperatore appellatū se iactabat. Ad religionem Christianā à Basilio quodam Archiepiscopo Constantinopolitano nomen Russicū perductum, sacrisque Christianorum initiatum ipsorum annales, ac Byzantina etiam historia habet. Itaque vt primo religionis authore Græco, ac frequentib⁹ deinde inter Græcos & Russos per Mæsiam ac Illyrium, quæ à Slauonicis eiusdemque linguæ gentibus tenebantur, tum Kiouiam, quæ per Borysthenē cum Ponto Euxino coniungitur, commercijs, cùm literas Græcas tum ritus à Romanæ ecclesiæ institutis diuersos magna ex parte retinent; vt non pauca tamen ex illis ipsis cùm tempus, tum Metropolitarum ac aliorum Episcoporum principi suo obsequendi studium deprauarit. Leges quibus vtantur, paucas admodum habent: eamq; ferè solam, vt principis voluntatem pro lege obseruent. De eo ita illis persuasum est, Metropolitis maximè opinionē hanc eorum iuuantibus, per Principem tamquam interpretem Deum secum coniungi: ac prout de Deo meriti sint, ita principem vel benignum in se vel asperum esse. Itaq; voluntati eius non secus ac diuinæ, seu turpia, seu honesta, seu mala, seu bona iubeat omnib⁹ in rebus parendum pro fidei decreto habent: illeq; vitæ ac necis omniumq; rerū summā in suos potestatem obtinet. Quod

vt ad potentiam comparandam conficiendaq; bella maximum habet momentum: vnum omnibus rebus summa cum authoritate præesse: omnia imperia solùm administrare: eundem & consiliorum dominum, & rerum omnium authorem esse: exiguo temporis spacio copias quàm maximas cogere posse: fortunis ciuium ad potentiam suam stabiliendam pro suis vti: & quemadmodum ijs rebus maximè authoritas ac opes Mosci creuerunt; ita crudelitas quoque eius ac dominandi asperitas vehementer confirmata est. Itaq; cùm infinitos penè varijs cædibus sustulit: tum maximè Andream fratrē patruelem, ob nouarum rerum suspiciones quasdam cum liberis omnibus ac vniuersa familia, vna sola filiola quam Duci Magno deinde locauit, relicta exquisitissimis cruciatibus necauit: nobilitatem Nouogardiensem amplissimam, quam fratris rebus studuisse suspicatus fuerat, funditus penè excidit: popularium quacumque incederet sæpè magnam stragem fecit; cùm vt turbæ hominum miserorum gratiam ac misericordiam eius implorantes illi sese obtulissent, à satellitibus minutim eos concidi; vel maximo numero sub glaciem, qua magnam partem anni lacus ac flumina consistunt, mergi iuberet. de quo cogitanti eò magis mirum videri necesse est, quomodo quæ à cæteris principibus indulgentia ac obsequio in suos vix parari soleant, in tanta nihilominus immanitate singularis erga eum populorum charitas atque incredibilis, quæ eorundem in principes suos est fides, existere possint; ac non modò seditiosè nihil ferè contra cum ab ijs suscipi, sed & in præsidijs tuēdis incredibilem constantiam præstari: paucosque omninò ab eo transfugere: non raros autem repertos hoc ipso bello, qui vel maximis prēmijs propositis fidem tamen erga principem vel cum periculo suo ijs antepofuerint. Huius rei cùm aliæ nonnullæ causæ sunt, tum maximè præter eam, de qua supra dictum est, duplex religionis opinio. Nam & omnes, qui in religione ab ijs dissentiunt, etiam eos, qui Romanæ ecclesiæ ritu vtuntur, barbarorum loco habent, ac tamquam pestem aliquā detestantur; nihilque omninò cum ijs commune habere fas ducunt. ex qua existimatione illud quoq; profectum est, vt Princeps quoties externos legatos audit, in pelui aq admotā habeat, qua manus quasi illorū contagio pollutas subitò abluat. Et suæ religionis institutis eandē, quam Deo, principi suo fidem se debere edocti, non minus vel constantiam eorum laudant, vel relictis corporibus animos in cœlum protinus emigrare, ac cœlesti beatitudine frui prædicant, qui fidem erga principem suum ad extremum vsque spiritum retinuerint, quàm qui ex discipulis seruatoris nostri in singulari erga illum pietate atque fide ad mortē vsque perstiterunt. Superstitionē alunt imperio suo principes; dum ad nullas exteras nationes, nisi si quos in legatione atque ita quidem mittant, vt singulis legatis singulos custodes ponant, nec cuiquam remoto custode cum aliquo colloqui liceat, quemquam commeare: aut exteros etiam promiscuè commercia cum suis agitare patiuntur. Ita fit, vt quasi perpetuis ignorationis tenebris oppressi aliarum gentium humanitate non perspecta nec percepta omninò dulcedine libertatis, præsentia melioribus, cognita dubijs anteponant. Accedit ad hæc metus amorq; ac cura cuiusque suorum, quę magnos etiam animos, libertatique assuetos facilè debilitant. Quos enim exercitibus aut præsidijs præficit, aut vlli omninò muneri adhibet, eorum coniuges, liberos, ꝓpinquos, & quæ charissima quisque habet, obsidum loco semper retinet: in eosque omnia cruciatus exempla edit, si quis illorum ab eo desciuerit, aut si qua res non ad nutum, aut voluntatem eius facta sit. De rebus tamē creditis, contractibus, alijsue priuatis rebus pauca quædam apud ipsos iura scripta sunt. Pœnarum tria omninò genera ijs nota sunt. Mortis, cuius infinita fœdaque genera: multarum & fustiūū; quæ tamen in immensa principis potestate, non minùs frequēter, quemadmodum dictum est, pro libitu eius, quàm pro merito plerisque irrogantur: carcerem ad custodiam magis quā pœnam habent: exilia planè ijs ignota sunt. senatū, cùm pro libidine omnia administret, in speciem magis habet. Magnam is partem, ex Knesijs constat; quo nomine Duces, vt ostensum est, appellant, primæuorum Ducū à Moscouiæ principibus oppressorum posteritatem, aut quos Princeps pro cuiusque meritis, aut sua in quenque gratia in nomen vel ordinem eum legit. Nobiliores cùm alijs insignibus à vulgo distinguuntur, tum quod patris nomē titulis alijs ad exemplum Principis soli præscribant. magnificum hoc apud illos:

bruta canaille vt itali dicunt nihil audet generosum et sublime

illos:eoque ad æquales, ant inferiores solùm vtuntur:ad principem non modò patris nomine vsurpando abstinēt, sed ne suum quidem nisi propria linguæ eius enunciatione quodammodo corruptum, quo non modò seruos eius, sed quasi homunciones non homines cum illo comparatos se significēt, ponunt.in exercitu paruum tympanū ad ephippia singuli item suspensum gerunt; quo quoties agmen sisti vsus est, à primo impulso, sonoque à proximis excepto & cæteris deinceps tradito, exiguo temporis momento totus exercitus consistit. Metropolites senatū non ingreditur: consilio tamen eius quoque nonnunquam vtitur; aut quo maiorem sibi apud populares venerationem cōciliet, vti saltem se simulat. Militiam more cęterarum gentium ex equitatu & peditatu compositā habet: equitibus tamen Tartaris Nohaiensibus maximè vtitur: Nulli sanè rei magis quàm munitionibus fidit. Itaque & oportunissimis locis intra lacuum aut fluminū ambitus plerasq; sitas habet; præsidijsque, apparatu, commeatuque & omnibus rebus necessarijs diligentiùs ferè quàm quisquam alius princeps eas instruit. Ei rei iam ab eo tempore studere cœpisse videntur, quo humilibus adhuc rebus eorum non multum viribus contra potentiores vicinos poterant: sed locorum vt plurimùm oportunitatibus sese tuebantur; ijsdemque intercipiendis crescebant: postea quòd semper, quoties prælio cum vicinis maximeq; Polonis decertassent, inferiores suos discedere animaduerterent, nec multum in prælio virtuti suorum credere se posse re ipsa edocti essent, necessariò retinuisse. Castella ferè omnia, vt in magna lignationum copia ex materia multis ingentibusque trabibus congestis extructa apud ipsos sunt: quę eadem cespite nonnunquam vestire: omnia autē crebris ꝓpugnaculis ac turribus distinguere, fossis præterea, quibus natiuæ desunt, manu factis, valloq; ac ceruis circumdare solent. quæ res efficit, vt non solùm opus ad speciem inelegans nō sit, sed ante hoc bellum, quo pleraque can dentium globorum incendijs à Rege expugnata fuerunt, ad defensionem etiam tutiùs, maioremque quàm lapis oportunitatem habere crederetur; quòd tormentorum ictibus faciliùs & resistat materia, et si quando ijs pateat, non tamen, quod in saxo accidere solet, magnam muri stragem secum ferat.quæ tamen ad Liuoniam pertinēt, ex lapide etiam muros habent. Præsidia nobilitati singulis annis pro arbitrio indicit. Ex ea descriptos per q; munitiones distributos non longiùs anno in vno pręsidio continet. Adiungit his pixidarios ex plebe stipendiarium militem. Pręfecturę item annuæ sunt. Præfectos ternos plerumque designat, primum qui præcipuam curam munitionum gerat; cuique nullum omnino in casum extra munitionem egredi, ne dum pernoctare licet: reliquos duos primo custodes ponit. quorum alteri, si id vsus postulet, in eamquē rem mandata à principe habeant, excursiones facere, munitionesque excedere permissum. Eos sua lingua ad Polonicorū Palatinorum exemplum, quāuis nec perpetuus is honor sit, & vnius saltem castri imperio, eoque inter plures communicato terminetur, Voieuodas tamen quasi belli Duces appellant. Aurum, argentum, cæteraque metalla naturáne an quærendarum rerum earum inscitia illorum ijs negarit, non facilè affirmarim: vtuntur sanè omnibus hisce importatis. è Perside sericum, vestem pictam, gemmas, vnionesque habent: cum Germania alijsque remotioribus occidentis oris arma, tormenta, puluerem tormentarium, argentum etiam atq; aurum suis mercibus, pellibus pretiosis, quibus maximè abundant, lino præterea, cera & corio magnam partem permutāt. eius negotiationis Naruam, postea quàm in potestatem eius peruenerat, posterioribus temporibus sedem Moscus constituerat. Angli etiam Noruegiam, Lappiamque ac totum quasi septentrionē circumuecti per mare glaciale viam sibi patefecerunt, qua Voloda fluuius ex penitiori Moscouia se effundens, portum D. Nicolai eo in mari efficit. In moribus gentis pręter fidē in principem, laborum, inedię cęterorumque incommodorum, quorum est tolerātissima, patientiam, mortisque ipsius contemtum probes. homines cęteroquin in libidinem proni sunt, nec fœminarum solùm amoribus dediti, quam ob causam & impuberes ferè matrimonia cō trahunt, sed & puerorum: ingenio fallaci, adq; dolos ac fraudem praua consuetudine versutissimo: non minùs fortassis ad bonas artes prompto futuro, si qui ijs imbuat, extiterit. Rex Varsauiæ digressus ad Russicas res componendas Leopolim contendit. Antequàm discederet Cracouiensis, Sandomiriensis

ſis & Siradienſis Palatinatuum, quos in ſciſcendo tributo à reliquorum omnium conſenſu ſe ſeiunxiſſe ſuprà oſtendimus, conuentus edixerat. In itinere cognoſcit Siradiēſem Palatinatū mox aſſenſum: reliquos duos in recuſando tributo perſtare. Subſiſtit hanc ob cauſam Sandomirię: eoq; minoris Polonię ſenatores omnes euocat. Ex horum ſententia Palatinatuum eorundem denuò communem conuentum Korcini habet. Aſſenſi hic tandem & ij fuerunt, remittente Rege de tributo cereuiſiali, vt vbi duodeuigeſima à regijs, & eccleſiaſticis, viceſima quarta à nobilitatis ſubditis exigeretur. Leopoli Tartaricas legationes Rex audijt: ad eas rogatū Tartari Turcarum Imperator ſuum legatū adiunxerat. Facta cum Tartaro pax fuit ijs conditionibus, quibus ſub prioribus regibus eam habuiſſet. attulerat literas à principe ſuo ſcriptas, in quas pacem poſtulabat: in ijs de finibus non nihil adiecerat, & de Niſouijs accuratiùs ſibi cauerat. Rex non receptis literis, iiſdem quibus maiores ſui legibus eam coluiſſent, ſe quoque pacem cum eo obſeruaturum, donatiuaque ab illis dari ſolita daturum verbo reſpondit. Ita per totum Moſcouitici belli tempus pax à Tartaro fuit. Ne verò à Niſouijs quoque per abſentiam ſuam quid turbaretur, exemplo & metu continendos exiſtimans de Podkoua capitis ſupplicium ſumit: Amurathe Turcarum Imperatore vt ſibi dederetur, per legatos depoſcente. Illud autem vt faceret, eò grauiores cauſas habere ſe videbat, quòd Koſakki prioris expeditionis ſucceſſu nondum ab inſtituto deiecti, eiuſdem Podkouæ minori natu fratre Alexandro in Valachiam reducto, Petrum Palatinum denuò nō ſine proprio periculo deturbârant. Alexander enim cùm viuus in hoſtium poteſtatē veniſſet, palo ſuffixus: Niſouiorum pars à Turcis intercepta Conſtantinopolim in catenis miſſa fuit. Idem tamen Petro quoque tamquam per ignauiam ac ſocordiam toties deiecto calamitoſum poſtea fuit. Etenim ſublato è medio Mahomete Baſſa, qui principem inter purpuratos locum tenuerat, Achmetis, qui in eius locum ſucceſſit, ſtudio de principatu amotus, inque eius locum Iancola quidam è Saxonibus Tranſiluanicis oriundus; ſed qui non modò nationem Valachicam, verùm genus etiam principum Valachiæ ementitus fuerat, prouinciæ impoſitus deinde fuit. Compoſitis hunc in modū rebus Ruſſiæ, Craconiam Rex proficiſcitur. Venit eòdem Moſcouitica legatio. eius ætate atque dignitate princeps in itinere morbo extinctus fuerat. Reliqui, miſſis obuiam qui exciperent, ex more in vrbem atque hoſpitium, inde ad Regem deducti, verbum ſe facturos negarunt, niſi prius Rex aperto capite aſſurgens de valetudine & ſtatu principis ſui percontatus ſe eſſet. Rex cùm præter rei indignitatem non committendum ſibi arbitraretur, vt ad hoſtis barbaro faſtu elati, & qui tantos iam ſpiritus atq; arrogantiam ſibi ſumpſiſſet, vt vix ferri poſſet; ſuperbiam obſequio aliquo ſuo quid adderet: illi verò in ſententia perſtarent, ac potiùs infecta re diſceſſuros ſe confirmarent; permiſit vt inauditi in hoſpitium, inde in Lituaniam lentis agminibus ſe reciperent. Animaduerſum inde fuit, tributum quod in Comitijs Varſauienſibus ſancitum fuerat, non modò prædicatione nonnullorum inferius, ſed ipſi bello in cuius vſus ab ordinibus deputatum fuerat, par non fore. Rex quòd nec comitia eo tempore habenda ſibi cenſeret, ne ſi nihil rerum geſſiſſet, inani belli ſimulatione pecuniæ quàm maximæ cogendæ rationes quærere à nonnullis iactaretur; nec priuatos nobilitatis conuentus cogendos; ne illud toties præter inſtituta maiorum vſurpari à ſe nobilitas queri poſſet; cùm iudicia tùm à nobilitate obirentur, per eos interim conuentus, quid de tributo illo polliceri ſibi poſſet, neceſſariò nobilitati proponendum exiſtimabat; quòd non deeſſent, qui magnitudinem tributi eius in immenſum oratione augerent. Inde ad omnes vicinos principes legatos deſignat; qui & amicorum erga ſe beneuolentiam magis, firmiùſque ſibi adiungerent; vel maleuolorum conſilia diſtinerent. Præcipuè cùm Auguſto Saxoniæ ac Ioanne Friderico Brandeburgenſi principibus Electoribus conſilia belli communicat. Hi indignè ferentes barbara crudelitate tandiu in nomen Germanicum à Moſco ſæuiri, ad bellum pro Liuonibus ſuſcipiendum, quibus illi tanto terrarum interuallo ab illis oris diſiuncti minus adeſſe poſſent, amicè eum hortabantur. à Brandeburgenſi bellica etiam tormenta quædam dono ei miſſa fuerūt. Ad Turcam vbi legati veniſſent, Mahometes prudentiſſimus trium orientis Imperatorum conſiliarius, & in Regē haud malè animatus, cùm de inſtituto Regis intellexiſſet, fauere ſe conatibus

cius dixit, faustaq; ac felicia ei precari: magnam tamen rem suscipi: magnas vires esse Moscouiticas: neq; secundū suū principē vllū in orbe terrarū potentiorē eo principē se existimare. Dimissis legatis ad domesticarum rerum curam Rex conuersus fuit. Institutis regni non posse prorex creari dicebatur: itaq; si quid per suam absentiam in hostico accidisset, cum primoribus è sena tu se communicaturum pronunciauit. pacem publicā seuerè sanxit; maximè Kracouiæ; ne quod alijs temporibus acciderat, inter dissentientes de religione tumultus aliquis oriretur. Edixit si quis in vrbe opidoue insolentiùs quid fecisset, præsertim si dubitationem iuris cognitio habitura esset, ad suum aduentum in custodia haberetur: cùm aliâs ordinaria iuris publici ratione in recentibus criminibus vis vnà cum præfectis, magistratus vrbani cognoscere, interq; eos si non conueniat, Rex consuli soleat. Dum Kracouiæ Rex est, nuncius partæ à nostris ad Vendam victoriæ allatus tanquam totius belli omen secum attulit. Obsederant eam denuò, quemadmodum suprà demonstrauimus, Mosci longè maioribus quàm antea copijs & quatuor præcipuæ authoritatis Palatinis, Petro Tatouo, Basilio Voroncio, Petro Choroscino, Andrea Scholkanouo ad eam missis. Dum per aliquot dies frustra vrbem oppugnant, nostris sui colligendi, & cum Sueciæ militiæ præfecto Georgio Boije consilia communicandi spatium dederunt. Confluūt Stropam, vbi Buringius tum erat, Andreas Sapieha earum, quæ tum in Liuonia erant, copiarum legatus, Matthias Dembinius; ex Liuonibus præter Buringium, Nicolaus Korffius, Platerus, ac alij nonnulli cum equitum aliquot manu. ijs ad Gouiam flumen medio inter Volmariam & Vendam loco Suecicæ copiæ se adiungunt. Indè digressi hostem instructa acie sub signis ad Vendam expectantem adoriuntur. Cùm acerrimè à nostris pugnaretur, Polonis, Lituanis, ac Suecis ad vlciscendas hostis iniurias: Liuonibus ad libertatem: omnibus ad laudem & gloriam inter se cohortantibus, hostium equitatus pellitur; Tartaris maximè in fugam effusis. sub noctem Palatini militem ex fuga colligere; castrisq; continere cœperunt: hortariq; vt pro inueterata gentis gloria, & ratione sacramenti militaris extremam potiùs fortunam experirentur, quàm castra apparatumq; bellicum à principe suo fidei eorum commissum desererent: verùm augente periculo ac nocte metum, eademq; pudorem ac flagitium tegente, ob eaq; nō patiente se cōtineri multitudine, Palatini duo Petrus Chorossinus & Andreas Scholkanous, qui equitibus præerant, vnà cum equitatu in fugam se eiecerunt: reliqui duo, quibus tormenta cōmissa fuerant, soli ferè in castris relicti insigniora tormenta bellica amplexi, vt castra & instrumentum militare, fidemq; erga principem suum ad extremum spiritum retenta à se testarentur: itaq; à nostris postridiè summo mane castra ac munitiones irrumpentibus inuenti, viui in potestatem cum castris munitionibusq; ac tormentis ad triginta deuenerunt. Aliud documentum fidei non minùs insigne, qui onerandis tormentis præerant, pixidarij dederūt. Apud Moscos hæc administrandorum tormentorum ratio est. tormenta terra defodiunt, ante ea atq; os adeo tubi iustę altitudinis fossam ducunt. in hac qui onerandorum curam habent, delitescunt. ad os tubi funis aptatur: hoc cùm implenda sunt in fossam deprimuntur, cùm exoneranda rursum laxantur. Erāt tormenta maximè insignia vnum lupi: alterum accipitris: virginum duo: totidem falconum imaginibus atq; nomine: quædam præterea Sueco adempta cum eiusdem insignibus. Horum qui administrationi præerant, cùm plerisq; suis interfectis, cæteris dilapsis nostros tantùm non castrorum potitos viderent, cùm spe tuendorum tormentorū vitæ simul amore abiecto, collo funib9, quos à summitate tuborum dependere ostendimus, inserto, vltrò mortem sibi consciuerant. Insignis ea victoria fuit: hostium multi cæsi, capti non pauci fuerunt, exigua omninò nostrorum iactura. Tormentis, quæ diximus, amissis, ijsdem insignibus & nominibus alia & complura præterea conflari mox Moscus iussit; ad potentiam suam ostendendam pertinere existimans, nihil à fortuna ademptum sibi videri, quod non breui à facultatibus suis insigni cum accessione expleri posset. Sub idem tempus Reualienses opem ac misericordiam Regis implorantes, vt aliquo numero frumenti se iuuaret, à Rege petierunt: in maximas angustias tot annorum bello ab hoste redactos: commercijs ferè omnibus exclusos: intra mœnia compulsos ab agricultura longo iam tempore se prohiberi. His centum frumenti onera donat. Priusquam Cracouia Rex discederet de Duce exercitui præficien-

ficiendo cum senatoribus deliberat; qui cùm ostenderent, vel in perpetuum munus hoc alicui eum deferre posse, vel extra ordinem vnum aut plura bella mandare; plerisque tamen, vt in id saltem bellum aliquem legeret, placeret, Cracouia Varsauiam discedens Nicolaum Mieletium Palatinum Podoliæ, eò ad se euocat. Hic cùm paulò ante excessum Sigismundi Augusti Bochdanum in Valachiam reduceret, ac præter opinionem à Valachorum Turcarumque maximis copijs circumuentus fuisset, exercitum magna cum laude incolumem in Poloniam reduxerat, indeque magnam virtutis & scientiæ rei militaris gloriam sibi parârat. Milecius valetudine, qua tenui vteretur, & alijs quibusdam difficultatibus se excusabat: tandem in eam saltem expeditionem imperium accepit. Itaq; constituto cum eo, quos quotque turmarum præfectos ac centuriones scribi vellet, domum vt se pararet, Rex eum dimisit. Indè Grodnam mouit. maxima autem afficiebatur Rex difficultate, quòd & pro magnitudine suscepti belli paucæ omninò pecuniæ ex tributo collectę adhuc erant, & vt maximè integræ con ferrentur, minimè tamen tanto bello pares fore videbat. Ijs omnibus rebus quanto potest studio occurrit: pecunias partim mutuo sumit, partim quas in fisco habebat priuatim suas, exponit. Militem passim per Poloniam scribi iubet: mittit ad fratrem Christophorum Principem Transiluaniæ, vt Vngarorum veteranorum cohortes aliquot & alas equitum scribat. Christophoro Rosdraseuio & Ernesto Veiero in Germania militis conquirendi negotium dat. Lituanici proceres, cùm de difficultatibus ijs cum illis communicaret, prout quisq; opibus maximè valebat, voluntarium militem offerebant; quotque singuli adducturi essent, edebant. quorum numerus cùm ad decem millium ferè accederet, non parum ea re, atque alacritate Lituanorum recreatus, eò maiori animo ad reliquas res administrandas aggressus fuit: constitutisque ita pro tempore rebus ijs Vilnam accessit. Palatinus Vilnensis, Nicolaus Radiuilus, cui imperium militare in Lituania à Rege traditum antea fuerat, post ea etiam abdicata à Ioanne Chódkeuicio Leopoli administratione Liuoniæ, eiusdem prouinciæ cura ad tempus demandata, Christophoro filio pocillatori regio, & aulicæ militiæ per Lituaniam præfecto exercitum, qui in Liuonia fuerat, tradiderat. Is cùm ad Derpatum excursione facta, agrumq; hostiũ longè lateq; populatus, Kirempesium per excursionem cepisset, euertissetque; sub hoc tempus ad Regem & patrem Vilnam venit. venientem exercitus emerita stipēdia flagitans sequutus fuit. Ibidem alia, quæ vsui bello essent, apparare Rex instituit: tormenta bellica ad modum quendam, quem ipse vsũ atq; experientia accommodatissimum cognouerat, fundi iussit. Kaunæ pontem fieri imperat, quo in sequentibus expeditionibus vtatur. Is ex singulis nauibus componebatur; quæ deinde tabulatis ita inter se coniungebantur, vt quoties opus esset, separari, curribusq; singulis vnà cum tabulatis impositæ, binis iumentorum iugis non incommodè in quemcunq; locum transferri possent. simul quod neq; copiæ omnes conuenissent, nec frigora, quæ in regione Trionibus exposita eo anno vltra solitum ad Ioãnis permanserant, vt nec vllæ herbæ ad id tempus se effunderent, recessissent. Lituanicis causis, quæ in lõgiorem iam diem prolatæ erant, cognoscendis operam dedit. Inde Basilium Lopatinscium cum literis ad Moscum mittit: ijs iustum bellum illi indicit: causas belli hasce denunciat; quòd ostentatione pacis prouinciam Liuoniam bello ac incēdio vastasset: legatos suos contumeliosè habitos, ad extremùm dupli cibus induciarum literis elusisset: eodē tempore nouis in Liuoniam copijs missis Vendam oppugnasset: sua legatione ad priores iniurias nouam contumeliā ac ludibrium adiunxisset. Remisit sub idem tēpus Moscus Haraburdam, quē hactenus retinuerat, nullo alio responso, quàm quod paulò pòst suum hominem ad Regem missurus esset, qui ijs de rebus ageret. Itaq; sequutus eum mox cum literis quidā fuit. Postulabat hic, vt inducias, quæ antè perscriptæ essent, Rex obseruaret: de Liuoniā si quid controuersiæ superesset, de ea amicè per arbitratores, quos vtrinq; nominassent, secum conueniret. Negabat Rex, quemadmodum iam antè fecerat, posse se huiusmodi inducias vlla ratione admittere. Nam de Liuonia quod adijceretur, amicè de ea inter ipsos disceptari posse, frustrà & ridiculè adijci: semel enim receptis iuramentoque firmatis inducijs, in quibus omni Liuoniæ iure cederet, nihilque amplius petiturum se eius profiteretur, si postmodùm de ea ageret, cui dubium esse posset, contra proprium iuramentum se ven-

venturum: & vel eam ipsam ob rem causa cadere debere. Quòd si in Lituania Russiaque pacem sibi cum Rege esse vellet: in Liuonia armis de iure disceptari: nouam quidem hanc induciarum rationem sibi videri: ac etsi intelligeret temporibus Sigismundi Augusti atque interregnorum obtrusas aliquando huiusmodi ab eo inducias fuisse; se tamen cùm faciendæ nouæ sibi sint nō nisi iustas facere velle: neminem tam barbarum aut imperitum rerum esse, qui non videat, si constitutis melius rebus suis per Liuoniam, in Lituania bellum redintegrare velit, per huiusmodi inducias, quandocunq; illi integrum id futurum, quibus de cessione Liuoniæ conditionem adiecisset; qua bello in Liuonia gerendo à Rege violata, nunquam illi belli in Lituania instaurandi causa deesse posset. Nuncio hoc dimisso Tartari postulata cognita fuerunt. Hic sub idem tempus ad Regem legatos miserat, quòd bellum contra Moscum suscipi intellexisset, ex fœdere, quo Regibus Poloniæ operam suam cōtra quosuis hostes, vnico Turcarum imperatore excepto nauare tenetur, ab altera parte irruptionem in Moscouiam facturum se ostendebat: petebat donatiua: Nisouiorum iniurias coërceri postulabat. Respōsum huic fuit, quòd operam suam contra Moscum polliceretur, facere eum officium suum: donatiuum datum iri: Dantur autem aliquot aureorum millia & certus vestimentorū numerus: Nisouios colluuiem ex varijs nationibus collectam nec in potestate Regis esse: atq; ex ipsis Tartaris & Turcis non raros sese illis aggregare: datum nihilominus operam iri, quantum eius fieri possit, vt iniuriæ illorum prohibeantur. à bello tamen contra Moscum contrà quàm promiserat omninò abfuit, alio contra Persam, quod à Turcarum imperatore tum gerebatur, auocatus. Aderat & Gottardus Churlandiæ & Semigalliæ Dux, confirmationemq; feudi sui & inuestituram petebat. Eum Rex Disnæ sistere se iussit. interim ad senatum ea de re retulit. Exercitus inde vt sub principium mensis Iulij Suirum cōueniret edixit. Venerat iam Vilnam Vngaricus peditatus Christophori Trāsiluaniæ Principis Regis fratris missu: eiusdemque delectus iusta equitum ala. Polonicum militem Milecius, qui & ipse sub idem tempus ad Regem redierat, cùm segnius à quæstoribus ac exactoribus expedita re pecuniaria, ob auctoramenta tardiùs accepta morę nonnihil à milite interponeretur, vt quàm primùm ad edictum conueniret, acriter vrgebat.

REINOLDI HEIDENSTEINII SECR. REGII, DE BELLO MOSCOVITICO COMMENTARIORVM

LIBER SECVNDVS.



VILNA pridie calen. Iulij Rex profect⁹ Suirum indè venit. Ibi Lituanici equitatus partem vidit; qui cùm vniuersus omnibus rebus esset ornatissim⁹, tùm maximè, q à gente Radiuila, & Ioanne Kiska structore regio adducebatur. Ibidem de summa belli constituendum ratus, quas potissimum partes cum exercitu peteret, ad consilium retulit. Lituani omnes ferè Plescouiam per Liuoniam eundum arbitrabantur; quòd & propter vrbis amplitudinem atq; nomen dignam iudicarent, quæ etiam maximo cum labore, ac periculo peteretur: & quòd minùs contra vim munita putaretur: muri vetustate neglecti: nihil vt loco tutissimo ac à metu belli remoto in ea prouisum, non magno labore ac periculo potiturum ea Regem sperarent. Rex contrà existimabat. Nam cùm vnum id potissimùm bello hoc agendum sibi proposuisset, vt Liuoniam ab hoste in libertatem vindicaret; intelligebat, si in terram Liuoniam bellum transtulisset, præterquam quòd in regione crebris vrbibus & castellis munita, eademque tot annos vastata propter commeatus inopiam ac frequentes obsidiones, difficiliores tardioresque progressus belli futuri essent, non modò prouinciam, cuius liberandæ causa bellum suscepisset, hosti ac suis denuò vastandam se obiecturum: verùm Lituaniam etiam, quæ ad Borysthenem pertinet, in ea loca omni vi belli conuersa, præsidio nudatam hostilibus incursionibus interim se expositurum. Alia etiam via per hosticum Plescouiam si iret,

si iret, contra rationem rei militaris iudicabat, tot hostilibus præsidijs à tergo relictis per infesta omnia atque inuia tã longè in hosticũ progredi; vbi nec si quid offensum esset, facilem receptum, nec è propinquo subsidium habiturus esset. Polotia oppugnanda vtrunq; consecuturum se præuidebat, vt, cùm ea ad Dunam flumen posita esset, proximosque ad Liuoniam & Lituaniam aditus haberet, & ordinem seriemque rerum gerendarum secutus vlteriùs deinceps in Moscouiam promotis armis ac quasi circumita Liuonia, omni ab ea hoste intercluso, integra potiretur: nec simul à Lituania longius discederet; ac vtrique tam Liuoniæ quàm Lituanię contra excursiones hostium prę sidio esset. Accedebat huc, quod cùm secundum Liuoniæ recuperationem vel maximè animo Rex agitaret, vt Dunæ fluminis nauigationem, qua sola portus Rigensis continetur: quæque & ad tuendam Liuoniam, excludendumque ab ea hostem magnam opportunitatem, & commerciorum negociorumque exercendorum facultatem insignem habet, Lituanis Liuonibusque expediret; id si Polotia potiretur, magna ex parte effecturum se videbat: ab eius præsidio maximam partem Dunæ infestari: inde auxilia commeatusque Kokenhausium aliaque in Liuonię castella summitti: excursiones fieri: Vilnã Rigamq; mercatura prohiberi. Quod denique nuperrimè ab hoste Polotia capta esset, quò recentior in animis hominum cladis eius memoria obuersaretur, eò ex commutatione rerum præsentiorem lætitiã, maioremq; gloriam recuperatæ fore. Alij Polotiensem oppugnationem difficiliorẽ prædicabant, quàm vt initio rerum gerendarum suscipi debere videretur: esse eam & loci natura ac opere munitissimam: commeatu, tormentis, puluere, omnique bellico apparatu vt arcem finitimam, & quam primos belli impetus excepturam hostis non dubitasset diligentissimè prouisam: Plescouiam nec ad resistendum vires eas habere, & quò à me tu belli remotior esset, eò omnia in illa neglectiora. Multum autem in ipsis initijs momenti esse, quibus in vtramuis partem facilè homines impellantur: plurimumque ad totius belli opinionem, & futurarum rerum spem pertinere ab initio non offendere. Rex nihil cũ existimaret esse quod nõ virtute superari posset; quò maiores difficultates propositas intelligebat, eò & bene gesta re ad cætera belli persequenda alacriò res omnes futuros confidebat: et si quæ incidissent difficultates, longè tamen minoribus ijs, omnibus à tergo pacatis, & domesticis opibus propinquis, se occursurum. quibus de causis cùm prius consilium omittendum non existimaret, intelligeretque famam susceptę expeditionis longè lateq; ad diuersas nationes perlatam; exercitum præterea ex varijs gentibus collectum haberet; ac verò non bellum modò, sed causam etiam belli omnibus probatam vellet, edictum, latinè prius scriptum, inq; Polonicam, Vngaricam & Germanicam linguas translatum, quòd ex ijs ferè gentibus exercitus cõstabat, proponit; quo Mosci in se iniurias, quibusque causis permotus bellum aduersus eum susciperet commemorat. quod diuersis in locis typis deinde editum vulgo extat. Præmittere indè aliquem cum parte copiarum placuit, qui ex instituto rei militaris, quòad reliquus exercitus subsequeretur, hostem compulsum intra muros contineret, viamque reliquo agmini patefaceret: quòd autem præcipua auctoritas ac vis imperij penes Polonicum Ducem in castris esset: nequedum omnes copię Polonicę conuenissent; retento ad exercitum Milecio, Radiuilum cum filio Christophoro ac Lituanicis copijs quibusdam Polotiam præmisit. cum eodem Gasparem Bekesium cum equitatu Vngarico & cohortibus aliquot ire iussit. Suiro deinde Disnam mouit: ea agminis ratione, vt cũ imminerent viæ à dextra Krasna, Susa, Turoulia hostilia præsidia ab ea parte Milecius cũ exercitu Polonico: in primò agmine Ioanne Sbarasio ire iusso, tenderet: Rex lęua iter faceret. In itinere, aliorũ Lituanorũ procerũ Stephani Sbarasij maximè Trocensis, Nicolai Dorohostaiscij Polotiensis Palatinorũ, Georgij itẽ Senouicij Castellani Polotiensis, quorundamq; priuatorũ elegantissimè ornatæ copiæ Regem assecutæ, cęsę ab eo fuerunt. Fuerãt per aliquot dies continuos profusæ pluuię: eæ tantam grauioris belli instrumenti, ac tormentorum præcipuè ducendorum difficultatem attulerant, vt iumenta quibus in proprijs curribus Rex vtebatur, remittere necesse haberet; quò celeriùs promouerentur. quæ res initio expeditionis oblata illorum, qui Plescouiam tam longo itinere eundum censuissent, opinionem vel tacitè refutabat. Disnæ equitem ac militem Polonicum, qui tum ferè omnis

conuenerat Milecius elegantissimè in speciem instructum, & in turmas cohortesque distributum sub signis decurrentem Regi ostendit. Equites thorace & galea ferrea tecti, præterque hastam, acinace, veruto, ac binis sclopppetis ad ephippia aptis omnes armati erant; ita vt decurrentes non minorem quàm ipsi pedites, quorum propria arma sclopppeti sunt, fragorem ederent. Eodem quæ nondum conuenerant, Lituanicæ copiæ venerunt: in his Ioannis Chodkeuicij Castellani Vilnensis, qui grauissimo morbo tum tenebatur, quo non multis diebus pòst extinctus est, nongenti lectissimi equites: Ioannis item Chlebouicij Castellani Minscensis & aliorum. venit sub idem tempus cum Christophoro Rosdrafeuio, & Ernesto Veiero Germanus etiam miles; cuius & si publicè scribendi facultatē non habuissent, ac raptim saltē nomina dantes quosdam adduxissent; erant tamen ij & animo omnibus pares: & genere armorum atque vsu rei militaris reliquis non multò inferiores. Erant omninò vniuersæ copiæ cùm genere & numero hominū, tum exercitatione armorum eæ, vt Milecius pro ratione suscepti belli aptiùs ferè compositum, meliusque instructum exercitum eum confirmare non dubitaret, quàm quenquam alium vidisset eorum, in quibus vel imperitandi, vel domi, ac foris parendi stipendia fecisset; ac ab vna aliqua parte vel equitatu vel peditatu plerunq; laboratū animaduertisset. Censis copijs Churlandiæ Duci, quem Disnam dilatū suprà ostendimus, possessio Churlādiæ Semigalliæq; Ducatus solenni more cōfirmata, ipseq; in clientelam & fidem receptus fuit. Consulti de eo senatores Lituani, quorum magna pars aderat, & qui ex Polonicis præsentes erant, omnes vt correctis conditionibus, quæ cum Sigismundo Augusto Rege pro eius temporis ratione non satis cōmodè tractatæ existimabantur, res finiretur, censebant. In eandem sententiā à maioris Poloniæ, Russiæ item, Prussiæ, ac Masouiæ senatoribus absentibus per literas responsum fuerat. Minoris Poloniæ senatores plerique, qui tum fortè Lublini iudiciorū causa conuenerant, quòd eo tempore appellationum iudicia, de quibus suprà dictum est, prima tum ibi habebantur, in comitia rē differendam censuerāt; veriti, vt videbatur, ne in Polonorum senatorū paucitate contra Lituanos iuri in eum Ducatū regni satis caueretur. sed & indignum Regi videbatur, diutius eum ducere, cuius post semel datam fidem nunquam dubium animū: semper eximium studiū, obseruantiamq; erga se perspexisset: neque principis hostibus finitimi in illo Liuoniæ statu ius, suumq; beneficium in suspenso relinquere satis tutum arbitrabatur. Itaq; perfecta res ijs potissimùm conditionibus fuit, vt illo fidem obsequiumque suum Regi pollicente, iusque iurandum in verba Regis præstante, quo nulli⁹ alterius quàm Regū Poloniæ maiestatem se culturum profiteretur: Rex è contra patrocinium ac tutelam eius contra omnes illi reciperet. de iurisdictione, quā in suos habet, vt ad conuentum Liuoniæ, quem si reliquam Liuoniam Rex adiungeret, instituturus in ea esset, prouocatio ab eo esset, cautum fuit. Tendenti ad castra Milecius obuiam misit, qui intra tentorium eius illum deduceret: apud quem aliquantisper dum vocatur, moratus, indè ad tribunal adductus, signis militarib⁹ ac vniuerso exercitu circum fuso, solenne iusiurandum Cācellario Regni in verba ei præeunte Regi præstitit. Hostis interim Plescouiam cum exercitu progressus partem copiarū in Liuoniam præmiserat. Hæ Duna flumine ad Kokenhausium, quo vt suprà osten dimus, potitus fuerat, raptim transmisso, ac centū quinquaginta circiter Ducis Churlādiæ equitibus, qui cis Dunā in statione erant, repentina excursione reiectis; Seelburgensiq; Ducis Churlandiæ, ac Birsensi Christophori Radiuili agro vastato properè trans Dunam se receperunt. exercitum qui in Liuonia fuerat, Christophorum Radiuilum Vilnam stipendiorum causa secutum suprà demonstrauimus. Interim Ioannem Taluossium Castellanum Samogitiæ, cum ijs, quas raptim contrahere poterat, copijs in Liuoniam Rex misit. Philonem Kmitam, qui Orsæ præerat, ad Borysthenem, ne quid ex ea parte ab hoste detrimenti acciperetur curare iussit. Iam exercitus cum Palatino Vilnensi Polotiam præmissus Dunam ponte Kaunæ ex nauibus, ea, qua dictum est, ratione facto ad Disnam transmiserat; nihil hoste contrà suscipiente, quo trāsitu eum prohiberet; vel quòd ex instituto disciplinę Moscouiticę sine mādato principis ex præsidio miles egredi non audeat: vel quod superiorum temporum successu elatus, exercitus, qui Suirū conuenire dicebatur, famam contempserat. Duna paulùm progrēsū continuę siluæ aliquandiu moratæ fuerunt,

runt. Nam ex quo Polotiam Moſcus ceperat, ſedecim ferè annorum ſpatio, quo in poteſtate eius fuit, eam partem agri, quæ à Duna flumine atque Diſna Polotiam tendentibus prima occurrit, deſertam ac incultam reliquerat; vnde frequentes denſiſſimæque arbores vt in ſolo fertili interea temporis enatæ fuerant. Verùm peditatu Vngarico ſecuribus ſiluas cædere inſtituente, ac celeriter opus perficiente, exiguo temporis ſpatio difficultates eas ſuperauit. Polotia antiquitus ſuos Duces habuit, ſubque annum à nato Christo DCCCC. LXXX. vel vt Ruſſi tempora numerant, à condito mundo CCCCLXXXVIII. S. VI. M. Rochuoldo Duci paruit; qui à Vlodimiro magno ob negatam ei in matrimonium filiam Rochmedam, vt Moſcorum annales habent, bello petitus, vitam pariter cum duobus filijs ac imperio amiſit. Indè in Monarcharum & principum gentis Ruſſicæ poteſtatem conceſſit; quorum extincta ſtirpe ea, quæ in Auſtrali Ruſſia regnabat; Lituanis, vt quædam aliæ ditiones Ruſſiæ ceſſit. Iagellone apud Lituanos primùm, indè apud Polonos regnante, cùm Andreas frater eius Polotiæ dominatum, ſub idem ferè tempus, quo Iagello Cracouiæ inſignia regni accipiebat, arripuiſſet, copijs aliquibus miſſis recepta mox fuit: continueq; indè in fide Regum Poloniæ, magnorum que Ducũ Lituaniæ ad annum LXIII. S. clↄ. Iↄ. permanſit. quo à Ioanne Baſilij filio Moſcouiæ Duce capta expugnataq; fuit. Regio Polotienſis ad centum quinquaginta circiter millia paſſuum in longitudinem, totidem in latitudinem patens cùm vbertate glebæ, tum fluminum atque lacuum copia nulli cedit. Fluuios nauigabiles complures habet, præcipuè Dunam; qui in Moſcouia non procul à Turopecia ortus Rigenſem portum efficit, omniumq; Septentrionis fluminum amœniſſimus ferè ac pulcherrimus eſt. ſecundùm eum Dryſſam, Vſuiatam, è Moſcouia: Diſnam, Vlam è Lituania: à Smolenſco Caſplam in eundem Dunam omnes influentes. Plerorumque Lituanicorum & Ruſſicorum caſtellorum is ferè poſitus eſt, vt ad oſtium aliquod humilioris fluminis, quo cum maiori coniungitur, ſita ſint. quæ ita ſita ſunt, quòd maioris fluminis propinquitas pluribus communis eſt, à minoribus fluminibus ferè omnia nomina indita habet. Hinc Polota non magnus alioquin fluuius arci atque vrbi: vrbs regioni nomen dedit. Antequàm in Moſci poteſtatem veniret, vna arce atque vrbe Polotia & caſtrò Ieſeriſcia tota illa regio continebatur; cæteroquin opidis & pagis non infrequens. Polotiæ opes propter ſummam oportunitatem Dunæ fluminis euſque excreuerant, vt Vilnam caput Lituaniæ diuitijs antecederet. Ieſeriſcia verſus Moſcouiam in lacu, ex quo fluuius Obola oritur, ſita, ab vna ſola parte anguſtiſſimum aditum, & quo vix expedito iter ſit, habet. Poſtquàm à Moſco occupata fuit, vtrinque caſtella aliquot excitata, præſidiaque conſtituta fuerunt. partim agri fluminiſque ac nauigationis vel retinendæ vel turbandæ hoſti cauſa; partim ad excurſiones, quæ vt in dubia vtrinque poſſeſſione frequentes fiebant, prohibendas. A Rege Sigiſmundo Auguſto Diſna ad eiuſdem nominis fluuij ac Dunæ confluentem: Voronecium ad flumen Vſaciam: Lepelium in inſula lacus, qui à Lepelio fluuio efficitur, verſus Lituaniam cõditum fuit. Quoniam aũt ad hunc locum ventum eſt, non alienum videtur, pauca de natura ſituq; eius narrare. Tendunt per eam Lituaniæ partem duo diuerſa flumina: quorum vtrunque nauigabile eſt; ita inter ſe coniuncta, vt non plus millium paſſuum quinque interuallo diſtent; eademque in duo maxima ac longiſſimè diſtantia maria exitum habent. Lepel, de quo diximus, in Vlam fluuium itidem nauigabilem exonerans, cum eo in Dunam indeque ad Rigam in mare Balticum effunditur: alter Bereſina in diuerſam partem raptus cum Boryſtene in pontum Euxinum deinde erumpit; ita vt ſi pacatæ gentes eſſent, in quarum poteſtate fluminum horum curſus ſunt, in tanta eorum propinquitate, transportandarumque ex vno in alterum mercium, coniungendorum denique eorundem facultate, Septentrio vniuerſusque Occidens facilimè cum Oriente commercijs iungi poſſet. ſed Dunam Moſci antehac: Boryſtenem ijdem Moſci ac Tartari cæterique de quibus ſuprà dictum eſt, infeſtum nunc faciunt. Cæterùm Sigiſmundus Auguſtus Vlæ quoq; oſtium caſtello munire aggreſſus, Veneto architecto quodam vnà cum operis ab hoſtibus interfecto, non ſine detrimento deiectus fuerat; cùmque hoſtis eundem locum munire inſtituiſſet, ac Auguſtus magnis à Radoſouicio ſummiſſis copijs, ac ſumma vi diu fruſtra eum oppugnaſſet, tandem ſequenti æſtate per Romanum

Lepel

Beresina

porody obstavent

Sangusconem Palatinum Braslauiensem, dum Moscus vetus præsidium noui inducendi causa deducit, receperat: superiorem verò eius partem Lepelique fluminis cum Vla confluentem im posito castello Ciasnicia iam antè communierat. simili ratione Moscus vltra Dunam quinque castellis exstructis, totius oræ eius possessionem sibi firmauerat. Sokolum in via Plescouiensi in fluminum Dryssæ & Nisciæ peninsula quadam Lituanicis castellis Disnæ & Dryssæ opposuerat. Niscerdam ad lacum cognominem triginta à Sauolocia passuum millibus: Sitnum in Lucensi via ad superiorem Polotæ partem. Kossianum deinde loco ab Obola flumine velut circino circunducto: Vsuiatam ad fluuium itidem cognominem ac nauigabilem in Dunam ad Surassum ex aduerso Casplæ fluminis influentem: illud contra Vlam; hanc contra Vitepscium & Surassum excitârat. Cis Dunam Turouliam, ad cognominis amnis caput, quo in Dunam influit. Sussam verò singulari consilio Lituaniam versus in lacu, qui Turouliam emittit, loco munitissimo, aquisque vndique circundato, agitans iam animo bellum Lituanicum, Vilnamque opinione præcipiens sedem bello futuro posuerat: itaque natura antè munitissimam opere communierat, omnique apparatus bellici genere instruxerat; pauca, vt præsidia instructiora eo haberet. His Krasnam superad. iunxerat, superiori in loco itidem ad Lituaniam spectante. Kosakki igitur Lituanici Francisco Sukoduce ad belli suscepti famam in finibus globo facto Krasnam noctu repente scalis admotis adorti præsidio munitionibusque ac satis magna commeatus copia vnà cum castello potiuntur. Ab altera parte Kossianum vltradunana arx simili euentu repentina excursione Kosakkorum capitur & deletur. Palatinus interim Vilnensis Polotiam cum ijs, quas circa se habebat, copijs peruenerat. quas hostes conspicati subitò copias suas extra munitiones productas sub portis instructas ostendunt; nullaque iusta pugnandi facultate data intra munitiones se recipiũt. eques tamen pugnandi auidus sub ipsa mœnia in eas prouectus vnum atque alterum hastis transfixit. Eodem tempore Vngari & Lituani Sitnum, via quæ Plescouiam ducit, subitò Polotia excurrentes, vt re improuisa & repentina eam incendunt. Cùm Polotiam Rex iret, à læuaque Sokolam castrum hostile haberet, veritus ne maioribus à Plescouia subsidijs summissis, commeatui ac subuectionibus nostris incommodi aliquid ex eo hostis afferret, an ad id oppugnandum ex itinere diuerteret, cum Milecio deliberabat: verùm postea sæpè maiorum rerum gerendarum opportunitatem in minutioribus oppugnationibus consumi cogitans; ac ad Polotiã caput prouinciæ ꝓperans celeriter consilium omisit: ternisque castris, quemadmodum Milecius cum expedito equite præcurrens ea designârat, Disna Polotiam peruenit. Dum Polotiam exercitus contendit, Mosci Polonos & Lituanos, quos à multis annis in squalore & compedibus habuerant, cũ cruciatu interfectos, adque trabes alligatos secundo Duna terrorem venientibus id allaturum rati, obuiam demittunt. Rex Ioanne Samoscio Cancellario & Gaspare Bekesio solis assumptis, Milecio interim exercitum curante priuato cultu, subsidijsque contra eruptiones loco oportuno dispositis, vrbem circumuectus situm loci cũ iisdem cognoscit; simulque eodem in loco, à qua potissimum parte oppugnatio instituenda sit, deliberat. Constabat Polotia duabus arcibus, vna in editiori loco posita, eademque media: altera quam scloppetariorum sua lingua Mosci appellabant: & opido Sapolotta: A meridie Dunam habet, qui modico versus Occidentem flexu, rectà indè Rigam tendit, ad eamque mare influit. Polotta recto è Septentrione cursu paulùm versus Orientem sub arce scloppetariorum, inde rursum in septentrionem declinans, radicesque collis, in quo superior arx posita est, complexus, eandemque ab opido separans in meridiem versus paulò infra eum locum cum, Duna commiscetur. Media, quam diximus, arx in colle altissimos despectus habente posita, à meridie, vt ostensum est, Duna flumine: à septentrione & ortu Polotta fluuio opidoq; Sapolotta: ab occidente sole scloppetariorum arce, vndiq; monte, cui imminet prærupto, altissimisque fossis ac vallo, quouis ferè artificio factis firmioribus continebatur: muros & propugnacula ex aliquot inter se deuinctis validissimorum roborum ordinibus firmissima habebat. scloppetariorum arx inferiori loco occasum versus in colle tamen modicè accliui posita ab oriente breui ponte cum superiori arce coniungebatur. Opidum cùm olim

cis

cis Polottam sub colle, quem sclop-petariorum postea arce Moscus communiuit, fuisset; deletum in oppugnatione ab hoste fuerat. postea cùm confirmata iam possessione propter commerciorum vsum, quorum loco tam oportuno summa facultas est, restaurare id institueret; quòd ab illa parte maximè oportuna oppugnatio ei fuerat, veritus ne indè rursùm nostris pateret, trans Polottam fluuium atque summã arcem in locum inter vtrunq; flumen medium transtulerat: vt positu eius quasi triangulari, vnum latus Duna, alterum versus summam arcem Polotta fluuius, tertium fossæ turresque tuerentur. Regi dubitandum non videbatur, quin à media eademque summa ac muniti ssima arce ordienda oppugnatio esset; ꝑpterea, quòd quicquid in reliquis oppugnandis laboris ac temporis sumeretur, suprema salua, nec receptu hostibus nec obsidionis ex ea sustinendæ spe defutura nulla de causa sumptũ iri appareret: ea verò expugnata occupato loco superiori, eodemque munito, ac in quem omnis commeatus apparatusque bellicus collatus ab hoste esset, opidum quoq; ac alteram scloppetariorum nullo negocio in potestatem peruentura. Accedebat huc, quod ab opido difficiliorem deinde arcis oppugnationem transitus fluminis Polottæ, qui radices collis, in quo arx posita erat, complecteretur, facturus videretur. Bekesius nihilominus opidum Sapolottam, quod secundùm Dunam flumen euntibus primo loco occurrerat, prius tentandum censebat; quo expugnato, & si in arcẽ deinde hostes se reciperent: tamen præterquam quod incõmoda obsidionis omnibus in vnum locum cõpulsis ea res auctura esset; spem præterea illis, nostris laborem minuturam, animosque additurum: nec difficiliorem multò, quàm ab ijs partibus futura esset, ab opido oppugnationem futuram; cùm flumẽ Polotta, quod impeditam eam facturus videretur, omnibus ferè locis vado vix crurum tenus transiri posset; atque erat sanè ea humilitas fluuij id temporis. Regem vt in sententia perstaret, Samoscius cùm primis vrgebat; quod cùm iterum cognoscendi situs causa solus propius sub eum locum, in quo opidum antea fuerat, & quem Posar illi sua lingua ab incenso opido tanquam bustum vocabant, successisset; longè indè faciliorem ascensum, neque fossarum & collis eam altitudinem, quæ ab alijs partibus erat, esse animaduerterat; arcemque scloppetariorum in colle ab imo accliui ita positã, vt à summitate collis, quæ ad exteriorẽ partẽ pertinebat, tanquã gibbus aliquis enatus telorum commodè adijciendorum ijs, qui in arce erant, facultatem prępediret. Dum cum Milecio, & senatoribus reliquis amplius deliberare Rex vult, Germanus miles priuato consilio Polottam transgressus, locum ab opido auersùm contra summã ac scloppetariorum arces ad Dunam castris capit. Veritus hinc Rex, ne ex ęmulatione nationum dissidij aliquid oriretur, vt ad opidum, quo loco Bekesius cum Vngaris constiterat, munitiones agerentur, permisit. Inde regijs castris trans Polottam flumen medio inter eum & lacum quendam spatio, infra locum, quem à Germanis occupatum diximus, locus deligitur. eoque binis castris exercitus à Milecio traducitur. Vniuersorum castrorum totiusq; obsidionis hæc ferè erat facies. secundum flumen à Disna Polotiam euntibus versus opidum Sapolottam ad Dunam flumen primi Vngari consederãt, loco ad commeatus excipiendos, cùm primis oportuno; quòd inferior fluminis pars pacata erat, omnesque subuectiones in eum ferè locum concurrerent, tũ Duna etiam ponte nota ratione ex nauibus composito ibidẽ stratus esset. Infra Vngaros cis Polottam Nicolaus Radiuilus Palatinus Vilnensis cũ Christophoro filio, subque eorum imperio stipendiariæ copiæ Lituanicę, indè diuersæ voluntariorũ, quicquid reliqui erat spatij Polottam vsque diuersis castris compleuerãt. Vltra Polottam inter flumen & lacum quẽdam, quẽadmodum ostẽdimus, regia castra erant. In his senatores ac equites Poloni magna ex parte erant: ꝑter hos Nicolaꝰ Christophorus Radiuilus Marschalcus palatij Lituanici, quique tũ per absentiam Marschalci Polonici comitatui vniuerso regio præerat. Medium castrorum locum principia senatorumq; tentoria amplexa erant; quorum vt quisq; potẽstate & honore antecedebat, ita locum Regi proximum ceperat. Hæc cùm terni tentoriorum ordines ambientes binorum vicorum paribus inter se spatijs distantium seriem efficerent: bini etiã ad eosdem aditus portæque relictæ fuẽrant. totidẽ castrorum portę erãt excubijs stationibusq; militum firmatæ. Exteriorẽ castrorũ partẽ currus circumiecti, catenisq; ferreis inter se deuincti more gentis Polonicę muniebant. ad quos

in maioris impetus aut periculi expectatione fossam etiam ducere, egestumque aggerem curribus obijcere, atque ita munitissimi opidi faciem castris circumdare solent. Supra regia castra Germani loco, quo antè ostendimus consederant. Ad Polotiam exercitu iam existente à Marchione Georgio Friderico in Prussia duce quingenti lectissimi pedites superuenêre; qui quemadmodum ipsi voluerāt, inter Germanos loco ijs assignato, ijsdem cum Germanis castris recepti fuerunt. In eadem causa alij quoq; fuerūt, è Podolia alijsque extremis regni finibus; qui cū propter locorum longinquitatem maturiùs adesse non potuissent, ad Polotiam reliquum exercitum assecuti sunt; in his è voluntarijs, Constantinus Constātini Ostrogiæ Ducis filius cum lecta equitum ala; ac alij quidam. Bekesius interim Sapolottam opidum oppugnare cœperat, actisque ad mœnia vineis, tormentis iam quatiebat. Mosci desperata opidi defensione, & quòd in omnes casus hæc à principe suo, qui in præsidijs sunt, mandata accipiunt, omnibus rebus exportatis opidum incendunt, ac in summam arcem se recipiunt. Proferuntur munitiones ad arcem flumenque Polottam, quod radices montis, in quo arx posita est, ambire supra ostendimus, magna Vngari militis virtute; vt est summi genus laboris ac tolerantiæ; cùm per partem opidi opus institueretur, ac sæpè in sepulchra atq; cloacas, aliaque fœdissima quæque incurreret. Ita instituta oppugnatio erat, vt Vngari ad dextram ab ea parte, qua opidū fuerat; modico ab his interuallo Poloni: indè Lituani pedites, quos Stephanus Sbarasius Palatinus, Eustachius Volouicius Castellanus Trocenses ac alij quidam voluntarij adduxerant, oppugnarent. medio inter hos loco inferiùs aliquantò non longè à flumine Polotta ducenti lectissimi Vngari pedites à Samoscio scripti excubabant, eo fere positu, vt reliquo Polonico & Vngarico peditatu suprà eos duobus locis inter se oppositis collocato, ducēti hi tanq̃ summum angulū trianguli tenere viderentur. ab altera arcis parte trans Polottā, quā scloppetariorum arci coniungitur, Germani, quos eo loco consedisse dictum est, è suis castris munitiones versus arcem agebāt. Bekesius primò tormētis quatere arcē instituit; quod vbi minus succederet, propterea, quia cùm ex materia constarent: potiùs perforarentur aliquibus in locis muri, quàm sternerentur; candentes globos iacere cœpit. Genus id est incendiorum in superiorum temporum dissensionibus ciuilibus Vngariæ à Rege ipso institutum: cùm ea, quæ ab alijs ex diuersis incendiorū nutrimentis excogitata essent, magis ad speciem & terrorem comparata, quàm magnā ad inflammandum vim habere videret. Globi igni excocti dum planè eum imbiberint, ita in tormenta mittuntur, vt inter eos & puluerem tormentariū, iustum spatium arena aut cinere primùm, indè recenti ac humida herba cōpleatur, ne puluis ignem ex globis rapere, ab ijsque inflammari possit: itaq; in aduersos muros eijciuntur. quæ res qđ globi lignis impacti diutius lateant, eandemque ob causam non tam facilè, atque flamma opprimi possint, magnum ad incendia excitanda vsum habet: eaque ratione Pharum Gedanensium Rex exusserat. Hic tamen hac etiam minus proficiebatur, propterea quòd cùm altiùs aliquantò iacti essent, eadem ratione muros tantùm peruaderent: cùm in inferiorem locum ad fundamenta murorum, vt hærere possent, adigerentur, in cliuum ferè, qui arcem sustinebat, quique ita prominebat, vt aduersus locus, in quo tormenta regia erant, & si & ipse non humilis, inferior illo tamen esset, impingebant, soloque accipiebantur. Simul Zephyro vento per complures dies flante continui ac effusissimi imbres erant. ex his Polotta amnis tantum aquarum conceperat, vt qui antea pedibus non incommodè transiretur, tum ab equite sine periculo transmitti non posset: pontes autem omnes fere, qui inter bina castra erant, interrumperet. Vnus tamen ab initio statim, postquàm accessum ad Polotiam fuisset, à Ioanne Bornemissa ad molendinum quoddam exustum sublicis aliquot sub aqua repertis, trabibusque alijs super eas iniectis, inter munitiones ipsas ac propugnaculum, quòd oppugnabatur subitario opere factus perstiterat. Cùmque per vnum pontem non satis commodè miles ad oppugnationem iturus videretur, Bekesius cymbis aliquot piscatorijs depressis nouū in eo pontem effecit. Verū eo etiā paulò post continuis tormentorum ictibus in eum directis ab hostibus merso, vnus relinquebatur is, de quo dictū est. quem & pars aliqua molēdini ab incendio relicta à tormentis hostilib⁹ tutabatur. Bekesius igitur cū & tormēta & globos cādentes frustra admoueri

ueri animaduerteret, vt quisq; maximè impiger in proximo constiterat, præmijs maximis propositis, vt facibus ignem muris subijcerent, hortatur; perq; pontem ac aduersum collem rectà ad arcem mittit: ijs ex Polonorum Lituanorumque munitionib9 alij mox summittuntur. Occurrebat singulari militum nostrorum virtuti omnibus locis eximium hostium in defendenda arce studium. In primis magno incommodo nostros afficiebant ingētis molis trabes in superiore parte muri, cuius latior ambitus, quàm inferioris erat, iam ante in eum casum ab hostibus constitutę; quę leui impulsu in nostros deturbatæ, ac per cliuum prouolutæ magna cum strage, vt quosque arripuerant, secum ferebant. tantus verò in restinguēdis ignibus omnium ardor erat, vt non ætate confecti, non mulieres, non pueri, vel laborem vel periculum recusarent; quò minùs & magna copia aquam aliaq; opprimendæ flammæ suis supportarent, & in succedentes nostros profunderent. cumq; omnibus ex partibus, directis in arcem ac propugnacula tormentis, à nostris peterentur; accidit, quód dignum admiratione visum est, vt non pauci extra muros funibus demitti se paterentur, aquasque ab alijs subministratas superiori ex loco pendentes ad restinguendos ignes, qui foris admouebantur, defunderent: ijsque certissimis nostrorum tormentorum ictibus sublatis, non deessent toto illo tempore oppugnationis, qui priorum in contemnendo periculo virtutem imitarentur, inque locum eorū, qui exanimati fuerant, succederent. Inter hæc pluuiæ ac tempestates, de quibus dictum est, adeò obsessis erant secundæ, vt vulgus militum carminibus, quibus alias gens ea praua superstitione dedita existimatur, motas crederet; quæ & incendia morabantur, itaque fossas omnes compleuerant, ac solum inundauerant, vt nusquam ferè consistendi locus militi daretur. Desiderati in oppugnatione hac sunt aliquot viri fortes, ac in ijs Michaël Vadasius, qui multis in prælijs fortiter versatus, ac ob virtutem militi Vngaro præfectus fuerat; dum ad tormenta Polonicarum munitionum cum Stanislao Penkoslauio ac alijs præfectis Polonis consilia communicat, globo traiectus fuit. Non leue tamen hostes etiam incommodum acceperunt. cùm quoties ad restinguendum incendium conferti vnū in locum concurrissent, tormentis, quem admodum dictū est, in eum directis, crebræ in illos eiaculationes fierent; ac nō globis modò frequentes interimerentur, sed fragmentis etiam lignorum ac trabium, quæ globi secum rapiebant; quæque maiorem ferè quàm globi ipsi stragem edebant, non pauci opprimerentur. Ad oppugnationis difficultates accedebat summa commeatus & subuectionum angustia: quæ à sola ferè Disna, & ab inferiori parte fluminis sustētabantur. Vilnam enim versus, quæ amplius ducētorum viginti quinque millium passuum spatio indè distat, Postouam vsque quæ paribus inter Vilnam & Polotiam ab vtraque interuallis sita est, omnia hostis vastârat. tū verò propterea etiā minùs cōmodè subuehi indè poterat, quòd Susa in potestate hostiū adhuc erat; cuius in præsidio qui erāt, superioribus diebus Kosakkos Lituanicos, quos Krasnam intercepisse supra ostendimus, securiùs agentes noctu oppresserant, castrumque incensum solo æquârant: & tum vias subuectoresque nostros Vilna venientes infestabant. A superiore parte fluminis propter Turouliense pręsidiū nullam etiam inpartem liberæ frumentationes pabulationesúe erant. Excurrerat cum leuioribus tormentis aliquot eò Franciscus Sukus, spe magis terrore, quàm vi eius potiundæ: sed Polotia integra satis fiduciæ spirituumque hoste habente re infecta discesserat. Ex alijs partibus versus Plescouiam & Lukos per centum ferè millia passuum densissimæ ac inuię siluę erant. Ad hęc Moscus, quem cum exercitu ad Plescouiam peruenisse suprà demonstrauimus, cùm obsideri Polotiam intellexisset, lectissimam totius exercitus partem Borisso Seino, & Theodoro Seremeto ducibus subsidio obsessis miserat. qui cùm tutò Polotiam in omnes vias hostris intentis peruenire se non posse existimarent, Sokolæ substiterant; ac & si Polotiam non accederent, ad Disnensem tamen viam excurrebant, frumentatoresq; ac pabulatores nostros excipiebant. Miserat initio cōtra eas copias Rex Christophorum Radiuilum cū lectis aliquot equitum alis; ei Ioannes Chlebouicius Castellanus Minscensis se adiunxerat; cùmque hostis aut intra munitiones, aut suo loco se contineret, nec iustam pugnandi facultatē daret; nostri tamē in eos inuecti sub mœnibus equestrē prælium cum ijs fecerunt. quo vtrinq; aliquot cæsis, ac ex nostris Nicolao Kamenscio nobili equite interfecto, capti-

captiuis aliquot Moscis abductis, ad Regem reuerterunt. qui ibi quoq; maioribus copijs rem gerendam ratus finem oppugnationis Polotiensis expectandum statuit: in præsentiâ equitum stationibus aliquot contra eas collocatis. Augebantur incōmoda hæc, quòd viæ largissimis continuisque imbribus ita corruptæ erant, vt iumenta cùm eluctari è luto non possent, pleraque labori immorerentur, omnesq; viæ cadaueribus equorum complerentur. Ita enim solum pingue ac per se humidum, omniaque adeò aquæ penetrarant, vt ne sub pellibus quidem in ipsis procerum tentorijs locus, in quo cōsisti posset, relinqueretur. Quibus rebus fiebat, vt cùm vndiq; à commeatu interclusi nostri essent, nec mercatores etiam initio hoc rerum in eam vastitatem castra frequentes secuti essent, eò vsq; annona ac pabulum potissimùm excresceret, vt quod inauditum antea in Polonia maximè fuerat, singuli modij auenæ denis taleris emerentur, qua generosiores saltem equi sustentarentur; re perirenturque ex Polonis & Vngaris, qui mortuorum equorū carnibus vesci non dubitarent. quod per se nouum & insolitum, non tamen tam mirum videbatur; quàm quòd corpora eorū morbo ex ea causâ tentari non animaduerterentur. In communibus omnium angustijs maximè premebatur Germani; non modò quòd inter frequentes vrbes bellū gerere assueti min⁹ à necessarijs reb⁹ ad eas difficultates parati accesserant; sed quòd eo etiam loco castra faciebant, ad quem vltimò commeatus perueniebat; in frōte Vngaris, inde Lituanis, ab ijs regijs castris positis. ad quos vt propius Disnam versus quique horum consederant, commeatum indè venientem primo loco peruenire necesse erat. Prussici tamē, qui à Marchione missi fuerant, vt in maiori earum regionum necessitatumq; peritia cùm curribus, tum commeatu alijsque necessarijs rebus optimè à principe suo instructi erant. In hac omnium rerum difficultate summa tamen erat constantia Vngari præsertim militis. ante alios Bekesius, qui alioquin grauibus articulorum doloribus, ac ventriculi imbecillitate vehementer conflictabatur, minimè ob hęc animo fract⁹, nunquàm melius se valuisse iactabat: semper apud tormenta esse: ibi cibum sumere: ibi quiescere: itaque inter pericula se versabat, vt qui proximè circa illum obuersabantur, ac in his Ioannes Kurossius, tā propinquo è loco, vt sanguine suo illum aspergerent, non pauci interimerentur. Polonicus etiā peditatus & si nuper admodum scriptus erat, nihilò seciùs tamen animo nec ipse se demittebat. Cùm tantum vndiq; difficultatum circumstaret, eamque ob causam ad consiliū, quid deinceps facto opus esset, Rex retulisset, huiusmodi plerәq; sententiæ dicebatur, vt quod iā antè sermonibus à plerisq; agitatum fuerat, corona facta omnibus expartibus vniuersi exercit⁹ omnib⁹ virib⁹ oppugnatio tētaretur. Id ea de causa Rex non probabat, quòd si id frustra susceptum esset, in quo summam spem omnes ponerent, vt deinde tanquam omni ea consumpta, præter discessum nihil reliquum haberent, verebatur. Itaque alia priùs omnia tentanda existimabat. Vngarum militē maximis præmijs propositis, vt muros denuò subeat, excitat: equitem vt quisque maximè manu strenuus erat, vt vnà cum pedite, misso equo muros succederet, hortatur: cùm primis eius rationem habēdam docet, ne quemadmodum antea fecerant, priusquàm vires planè incendia sumerent, se reciperent: sub muris denique telisq; hostium mortem pro gloria gentis opinioneq; fortitudinis militaris oppetere prętare, quàm infecta re ab oppugnatione discedere, con tumeliamque hanc accipere. Ita miles magno ardore sub mœnia arcis tædas, quæque in eos vsus iam antè præparata erant, alia præ se ferens succedit. Et cùm tanquam inclinante fortuna pluuię sub id tempus paulùm quieuissent, ignis fundamentis illatus, murorum latus id mox corripuit: idemq; longè lateq; amplexus, totum eū diem cùm extingui non posset, populabatur. Erat hic Augusti vicesimus nonus. Interim cùm incendium excitatum latissimè colluceret, vereretur que Rex, ne ex vicinis locis, maximè autem Sokala, vbi lectissimam partem exercitus Plescouiam à Mosco coacti consedisse suprà ostendimus, hostes ipsis ignibus exciti, ad liberandam ab incendio arcem atque suos concurrerēt: ac ex arce simul eruptio tentaretur, exercitum vniuersum castris productum, iusta peditum manu pręsidio castris relicta, sub signis in campo constituit. Ipse aulico equitatu præsidio assumpto, quò meli⁹ in omnes partes animo occurreret, Polottam transgreditur; quòd & Sokolensis via illac duceret, & eruptio si qua tentaretur, ab illa parte maximè timenda

da esset. Territi his rebus Mosci de deditione agitare cœperũt: decemq; de muris se deijcientes ad nostros transfugiunt. Eos dũ Bekesius ad Regem mittit, Vngarus miles, vt cæteros à deditione deterreret, ne per eam expugnatæ arcis gloria victoriæque fructu ac omni laborum suorum præmio priuaretur, trucidat. Præter cætera enim, cùm arcis tam famosæ, tùm præcipuè ædis D. Sophiæ, quæ in illa est, vetustissimarum opum, argentearum statuarum, amplissimorumque priscorum Russiæ principum donariorum, quæ in illa fuisse dicebantur, fama ingentis prædæ spe militum animos compleuerat; qua illi incensi omnes acerbitates, quò ea potirẽtur, æquissimo animo perferebant. Cùm iam aduesperasceret, magni & laboris & periculi videbatur, in tam præruptum collem per flammas euadere: durabat enim adhuc incendium, nec nisi per id vlla alia via militi in arcẽ patebat; hanc ob causam in sequẽtem diem rem differri placebat. Interim dũ in castra Rex se reciperet, ex Vngaricis stationibus nõnulli inter se ipsi cohortati globo facto, per põtem, de quo dictum est, in aduersum collem contendunt, perq; flammas nondũ restinctas semiambusti in arcem euadũt. His Poloni pedites non pauci exẽplo inuitati se adiungunt. cõtra eam partem, in qua incendium excitatũ erat, subitario opere fossam Mosci duxerant, per eamq; minoribus tormẽtis dispositis in omnes casus se cõmuniuerant. à quibus nostris reiectis, perque flammas indè, quò temerè progressi erant, recedere coactis, Mosci hoc successu elati, longiùs eos insecuti sagittis à tergo feriebant. Interim ducenti Samoscij pedites, qui præsidio, vt dictum est, ponti erant, per quem in arcem ibatur, repulsos conspicati, auxilio nostris accurrunt, Moscosque se recipere cogunt. Rex cùm paulùm versus castra progressus fuisset, ac interim irruptionem hanc militis conspexisset, ad ferendam munitionibus opem, in Sokolensem potissimũ viam intẽtus, quæ vsui sint, disponit. Idem Milecius facit: equoq; descẽdens, ac multos è nobilitate, qui idem fecerant, secum trahens, munitionibus tormentisque præsidio accurrit. Non deerant sibi eo tempore hostes, exque altioribus turribus, præsertim verò mediæ arcis vt longè cæteris altioris, creberrimas in omnes partes eiaculationes faciebant. ab ijs dum Rex cum Samoscio fortè colloqueretur, vterque non leue periculum adijt. Nam cùm fortè Samoscius à colloquio eo equi mutandi causa se conuertisset, ac eques quidã in ipsius locum incautiùs se intulisset, globo penes ipsum Regem exanimatus concidit. Motũ hunc nox suppressit, insignemque simul animorum mutationem attulit, vt de maxima spe, quam ex diei illius incendio conceperant, in aduersum casum deiectorum. querebantur omnes hostium animos hoc successu auctos, nostrorum imminutos. indè inter nationes quoq; dissensiones oriebantur, cùm Poloni in Vngaros culpã temeritatis conferrẽt, ab ijsq; initium factum dicerent: & postquàm in arcẽ perruptum fuisset, nõ satis animosè altera ab altera rẽ gestam diceret. Has ob res sequentis diei antemeridiano tempore solo ad cõfirmandos militum animos dato, iterum oppugnatio cœpta fuit. Pridie Mosci, quemadmodum ostensum est, ex propugnaculo, quod conflagrârat, se subduxerant: cumq; is positus eius esset, vt in summo duorum coniunctorum laterum, quæ vtrinque quasi tutabatur, angulo collocatum esset: Mosci angulo, & quod inter duo proxima opposita inter se propugnacula, ad quæ ignis nondum peruenerat spatij intererat, omni deserto, propugnacula eadẽ inter se coniunxerãt: interim verò spatium ad eũdem locum, quẽ antea reliquerant, recipiendum nactos se rati, repetere eum cœperãt. Hac re ad Regem delata, qui nullum sui rursum ibi communiendi tempus ijs dari volebat, mox militem sub vallum rursum succedere, hosteque deiecto locum occupare iubet. Ita pars ea montis subito Vngarorum impetu capitur. ab ea deinde quemadmodum iussi erant, secundùm proximum latus munitiones proferũt: Petroque Racio nobili equite Vngaro ijs præeunte, propugnaculo, in quod primum incurrerant, ignem inijciunt. ex quo cùm incendium ortum per totam noctem duraret, nostri maioribus etiam aliquot scloppetis, quibus hostes infestabant à fronte dispositis, eousque per totam noctem continuo opere fossas perduxerant, vt sub auroram ab hostium munitionibus non multùm abessent, adque inferiorem loci eius angulum, in quem nimirum fossa ab hostibus pridie ducta desinebat, ferè pertingerent: latera autem hostium ita nudarentur, vt ne intra præsidia quidem sua tutò consistere possent. His rebus ab omni defensionis spe hostes inter clusi ad deditionis conditionem rede-

 unt:

unt:mittuntur communi omnium Boiarici generis, ac militum nomine legati, qui vitam ijs, qui in arce sint, paciscantur. Impetrant, vt singulis cum vestimentis, quò quisque velit se recipere posset. Episcopus, quem Vladicam illi vocant, Cyprianus, & Palatini, qui in arce erant, soli deditionem dissuaserant; mortemque subire præstare, quàm viui in potestatem hostium se traderent, contendebant. iamque antè pulueri tormentario ignem subijcere, communique incendio arcem seque & omnes, qui in arce essent, absumere conati, à militibus prohibiti fuerant: & tum sententia eorum communi reliquorum omnium metu repudiata, illi tamen in D. Sophiæ se contulerant, non priùs quàm vi inde abstraherentur, decessuri. Rex retentis apud se legatis, mittit qui Episcopum & Palatinos ad se adducerent. Adducti in faciem procidentes more suo Regem salutant; vnus præterea Petrus Volinscius alterum ex ijs Basilium Mikolinscium accusabat, quòd opera eius ad principem suum delatus, inque vinculis habitus fuisset. Rex non cognitionis tempus hoc esse ostendens Laurentio Voinæ quæstori Lituaniæ, qui curam eorum haberet, tradi eos iubet. Mittit inde, qui arcem accipiant, partim Polonos partim Vngaros. Altero die cùm rei diuinæ operam dare ante omnia Rex vellet, proque obtenta victoria grates Deo agere, fætore proiectorum passim cadauerum, quæ insepulta hactenus Mosci reliquerant, arcem ingre di prohibitus, Moscos, qui in arce ad hoc tempus remanserant, educi iussit. Ei rei præponuntur, qui ab iniurijs militis eos defendant. decedentibus duplex locus assignatus fuit. in alterum, qui in regis ditionem atque fidem veni re: in alterum, qui in Moscouiam redire vellent, concedebant. Vtrisque liberum de se commodisque suis statuēdi arbitrium permittebatur. maior pars reditum in patriam & ad principem suum eligebat; insigni in vtrunque fide ac perseuerantia; cùm eorum nemo esset, qui non ad certissimā mortem, & exquisitos cruciatus proficisci se existimaret. Pepercit tamen ijs Moscus; seu quòd extrema necessitate adactos existimaret; seu ꝙ aduersis reb⁹, vt de animo, ita de crudelitate remiserat: perque vicina præsidia Lukos, Sauolotiam, Neuelam, Vsuiatam, eos distribuit; in quibus deditionis Polotiēsis ignominiam virtute delerent. Ne à milite iniuriam acciperent, summā Rex curam adhibuit; itaque accidit, vt cùm inspectante Rege ex arce digredientes, quidam in tanta multitudine facilè latiturum se ratus, aliquos spoliaret, eum Rex ipse claua in illum inuectus, notaret. Ea res tantam illi venerationem in animis hostium faciebat, vt quò magis clementia atque fides ignota hominibus durissima seruitute oppressis essent, eò magis in illo virtutes hasce admirarentur. Reperiebantur per aream arcis dispersa corpora nonnullorum militum nostrorum; quos illi, quod in tanta victus atque omnium rerum inopia euenire necesse erat, in subiectis arci scloppetariorum hortis herbas, quibus extremam famem tolerarent, legentes oppresserant; ac intra munitiones suas abstractos im mani cruciatu lacerârant. Maximè in Germanorum vnum atque alterum crudeliùs, quàm in cæteros sæuitum ab illis animaduertebatur. Cruretenus lebeti impositos igni circumiecto feruenti aqua viuos coxerant, manibusque eorum fune per lacertos traiecto à tergo reuinctis ventrem totumque corpus, eorum crebris in longitudinem per id factis vulneribus ad scissi thoracis modum fœdissimè laniarant. Fremebatur passim hanc ob causam à militibus. Rex tamen fidem semel hosti datam nulla ratione violandam ratus, ijs qui in Moscouiam redibant, duas alas equitum, qui ab iniuria eos tuerentur, adiunxit. Postridie supplicationes ob rem prosperè gestam, cùm in arce eam, quam diximus, ob causam haberi non potuissent, in castris habitæ fuerunt. in Poloniam etiam de ijsdem habendis edicta missa. Præda minor expectatione ac fama tam opulentæ arcis reperta fuit. Repererat in ea Moscus auri argentique non modò publici ac sacri, sed priuati etiam maximam vim; quam nobilitas mercatoresque Polotienses sub periculum oppugnationis in ędē ad summum congesserant; sed capta vrbe gazam omnem paucis donarijs relictis in Moscouiā secum auexerat. Omnis militi concessa, minimè tamen spei eius satisfecit. Non minori ferè in pretio, quàm reliqua præda, bibliotheca ibidē inuenta apud homines literatos habebatur. Erant in ea præter annalium libros, pleriq; Doctores ecclesiastici Græci, ac in ijs Dionysij Arcopagitæ de hierarchia cœlesti & ecclesiasti-

ſiaſtica libri Slauica omnes lingua; quo rum pleroſque à Methodio & Conſtantino in eam linguam è Græca traductos ipſorum annales tradunt. In eccleſiaſticis enim inſtitutis à cæteris ferè eiuſdem etiam ritus gentibus hoc vel maximè Moſci differunt; quòd conciones apud populum, quibus is erudiatur à Sacerdotibus nullas haberi patiuntur; ſed quæ à veteribus doctoribus Græcis tradita ſunt, in ſuam linguam hanc ob cauſam traducta, ſtudioſeque conquiſita è ſcripto publicè pronunciant; ſeu quòd homines nullis literis eruditi ſuo ingenio minus confidant; ſeu verò, quod propius vero videtur, ne pro curioſitate ingenij humani noua inueniendi ſtudio ab antiquitate ac veritate recedatur. Apparatus bellici maximè autẽ pulueris tormentarij tantum reliquũ fuit, vt licet per omne id obſidionis tempus magna eius pars abſumpta fuiſſet, nihil tamen adhuc ad longiſſimam quamuis obſidionem tolerandam defuturum ijs fuiſſe videretur. cõmeatus etiam atque pabuli ſatis magna copia inuenta ex labore & inopia exercitum breui refecit. Sed dum è tot incommodis ſibi quiſque primò proſpicere contẽdit, iurgia inter nationes Polonicam & Vngaricam orta eò vſq; proruperunt, vt cuneo facto ſtrictis vtrinque gladijs mutuò in ſe irruituri cõſiſterent. Iam antè miles Polonus circulari: fremere totis caſtris: contemni virtutem ſuam ab Vngaris: eos omnibus ſe anteferre: fructus victoriæ prædãque omnem ſolos interuertere: pro illorum laude & commodis bella ſuſcipi. Inter quas gregarij militis diſſenſiones, ſenatorij etiam ordinis, ducumq; ipſorum offenſiones nonnullæ exiſtebãt. Nam & Milecio cum Palatino Vilnenſi etſi arctiſſima neceſſitudine coniuncti inter ſe eſſent, ex communione muneris alienationis nonnihil interceſſiſſe videbatur: interque eundem & Samoſcium, & ſi non minor neceſſitudo inter eos intercederet, ne ſatis tamẽ alter ab altero amaretur, dubitatio ſub orta videbatur; cùm hic ſi quid ad rationem muneris eius ſpectans attingeret, offenſum eum iri exiſtimaret: Milecius pro mutua neceſſitudine non ſatis authoritatem muneris ſui iuuari à Samoſcio arbitraretur. Angebatur maximè animo ea dignitate atque authoritate vir, quòd à Bekeſio alijſque exteris non ſatis maieſtas tãti magiſtratus, cuius in regno hoc ſumma ſemper authoritas fuiſſet, obſeruari putaretur: im perijque militaris maieſtatẽ in ſe imminutam videri moleſtè ferebat. Acuebantur diſſenſiones hæ à magiſtratuũ, qui defuncto Ioanne Chodkeuicio ampliſſimi vacabant, petitoribus; qui vt à quoque vel iuuari vel deſtitui ſe exiſtimabant, ita alios in eum animabant. Militi quò diſſidia inter eum tolleret, ꝙ præda expectationi eius non reſponderat, donatiuũ Rex dedit. Tenebãtur adhuc in agro Polotienſi præſidijs hoſtium Sokola, Turoulia, Suſa, aliaque caſtella quedã; quæ niſi prius ꝗ indè diſcederet, deieciſſet, pacatam ſe regionẽ eam obtinere non poſſe Rex intelligebat. Maximè à Sokola & Turoulia timebat: quarum cùm illa à læua ad Pleſcouienſem viam pertineret, & iam antè ſummiſſis indè copijs firmata fuiſſet, ne id poſthac rurſum fieret, maioribusq; copijs indè aliquid tentaretur, verebatur. hanc quòd ad Dunam flumen poſita eſſet, itidem magnam totius eius regionis infeſtandæ oportunitatem habere videbat. Sokolam Milecium mittit. Hic equitatum peditatumque Polonicum, & militem Germanum ſecum ſumit. Turouliam Bekeſium cum Vngaris mittere in animo habebat: interim cùm Martinus Kurcius cum Koſakkorum manu Palatino Vilnenſi operam ſuam detuliſſet, is adiuncto ei Conſtantino Lukomſcio præfecto Vlenſi miſſus eo fuit. Moſci, qui in pręſidio erant, quòd per eos dies tormenta atque ignes ceſſare animaduertiſſent, id quod erat, Polotiam in poteſtate Regis eſſe coniectura exiſtimantes, nequicquam retinentibus eos præfectis per auerſam portam ſe eijciunt, fugaque caſtrum deſerunt. Palatini qui in eo remanſerant, ad Regem adducuntur. Suſſam, quòd omnium eſſet munitiſſima, in eaque Moſcus maximum apparatũ belli, commeatusque haberet: & tamen citeriùs Dunam in ſolo Lituanico poſita præſidijs alijs excíſis, omnique commeatu intercluſo, vltrò in poteſtatem ventura videretur, in præſentia tẽtare nõ placebat. quibus reb⁹ perfectis, quæ ad ſtatũ prouinciæ ſtabiliendum, diuinarumque rerum curã pertinerent, administrare Rex inſtituit. Templum arcis & ſi ſatis amplum eſſet, pro captu etiam loci magnificè ex lapide conſtructum, quòd tamen à Græci ritus hominibus teneretur, quorũ & magna multitudo eſſet, in eoque ius ac poſſeſſio antiquiſſima videretur, eius formulę Epiſcopo Ruſſico, qui antè iã templi eius titulũ Vitepſcię ipſe agẽs vſurpabat, permi-

misit; maximè verò quòd eius quoque rei rationem habendam sibi existimaret, vt cùm longiùs bellum in Moscouiam proferre in animo haberet, intelligeretq; quantum ad animos hominum in omnes partes permouēdos religio posset, ne religionis amore, si eam relinquendam existimarent, à deditionibus absterrerentur. Ad Romanæ ecclesiæ vsus nouū designat. Huic agros & possessiones, ex ijs quæ maximè vicinæ erant, amplissimas addicit: certisque prouentibus annuis ad perficiendam fabricam ac sacerdotū vsus, dum ager è vastitate ad culturam perduceretur, è portorio interim assignatis, Societatis Iesu sacerdotes in eo collocat: quorum & pietatem, & in reducendis ab errore hominibus diligentiam probabat; quamque eò magis ne cessariam futuram ibi iudicabat; quò maior in hominibus illis ac maximè agrestibus non modò diuinarum rerum omnium ignorantia, sed impietas tanta esset; vt cùm ad colendos agros hominibus non abundarent, plebs rustica na moribus suis ad proprias vxores, communes alias filijs infantibus duceret; cum his, quò pluribus liberis domum complerent, interim concumbebant, filijsque deinde, postquam ad iustam ætatem ij peruenissent, eas tradebant. fossas munitionesque ab exercitu institutas Vngarum militem complere iubet. Murorum partem deiectam, quomodò restitui velit, arcemque ipsam qua ratione muniri, demonstrat. Pecuniam, quæque alia vsui sint ad eam rem designat: præfectos constituit. Regebatur Polotia antiquitus, quemadmodum & Kiouia à legatis regijs: Palatinorum honore ac dignitate, cùm per vniuersam Lituaniam non plures quàm duo Palatini, Vilnensis ac Trocensis, totidem Castellani essent, carebat. Postea amplificato senatu Lituanico, non modò Polotiæ & Kiouiæ ducatus, sed & Vitepscia digna visa est, quæ à Palatino administraretur. Polotiæ Palatinus erat, cùm à Mosco caperetur, Stanisslaus Douoina; qui cū vxore Petronia è domo Radiuilorum in Moscouiam abductus, cùm per aliquot annos in seruitute & compedibus vitam traxisset, nō prius indè redijt, quàm ab Sigismundo Augusto, vxore eius in captiuitate mortua, aliquot aureorum millibus redimeretur. Cùm de coniunctione inter Polonos ac Lituanos sub Sigismundo Augusto conuenisset, ac quò Lituanicorum senatorum numerus Polonicum æquaret, cùm plures per Lituaniā Palatini ac Castellani creati fuissent; quia agri Polotiensis nonnihil in potestate adhuc erat, ad Palatinum Castellanus etiam adiectus fuit. quo tempore in illa Mosci ex eorum temporum successu non in factis modò, verùm dictis, etiam insolentia id quoque non irridiculè ab eo dictū percrebuit: nihil Augustum Regem ex capto Palatino incommodi accepisse, qui pro vno quinque iam haberet: decem pro duobus habiturum, si ad priorem palatinatum alterum ei auferret. Douoina quòad vixit, titulo ac dignitate Palatini vsus interregni tempore decesserat. Cùm in regnum Rex venisset, annitentibus Lituanis, ne suorum senatorum numerus minueretur, Nicolaum Dorohostaisium Palatinum Polotiensem creârat. Eidem Polotiam administrandam commisit: Horodnicium quem illi magistratum vocant: quique arcis munitionum curā habet, Francisco Suko tradit. præsidium ex equitatu peditatuque qui quotq; permanere debeāt, describit. Sigismundus Augustus nobilitati Ducatus Polotiensis, quæ bonis exuta à Mosco fuerat, alijs in locis bona possidenda ea lege dederat, vt si quando recuperatus ager is ab hoste foret, ijs rursùm cederent: Rex bonis eorum illis restitutis, hæc ad sexennium nihilominùs, dum sua ab hoste vastata rursùm excolerent, permisit. Milecius interim Sokolam cum exercitu, vt dictum est, contendens in itinere cùm viarum proximis pluuijs inundatarum, tum commeatus maximis difficultatibus afficiebatur. Tormenta Rex Dunam secundo flumine Dryssam vsque ad cognominis castello illi fluminis cum Duna confluētem demiserat; ab eo loco per Dryssam Sokolam vsque trahebantur. Cùm ad Sokolam fluuius Dryssa etiam nonnihil exercitum moraretur; quòd ponte, quē Kaunæ ex nauibus factum suprà ostendimus, alter ad Polotiam exercitus in transuehendis commeatibus vteretur, nec alterius tam subitò expediendi ratio iniri posset, Ioannes Sbarasius Palatinus Braslauiensis cum parte equitatus flumen tranat, auersaque à Sokola parte Plescouiam versus in excubijs cōsidet. ad reliquum exercitum traducendum Nicolaus Vrouecius claro loco natus equitum præfectus operam suam Milecio detulit, rateque ex robustissimis trabibus, ijsque catenis ferreis alijsque firmissimis vinculis inter se deuinctis ab eo effecta, exercitꝰ trāsductus fuit;

fuit; nihil aliud hoste moliente, cùm non difficulter transitu impeditos prohibere potuisset, quàm quòd excubiæ eorum more suo ad terrorem nostris faciendum obequitantes diuersarum gẽtium, quæ sub imperio Mosci sunt, Kasanorum, Astrakanorum, aliarumque nationum copias suo quasque nomine citarent. Propter viarum malignitatem & iumentorum proximis ad Polotiam incommodis amissorum inopiam currus miles nullos secum deuehere potuerat. Itaque non metatis castris, fixis tantùm secundùm Dryssam flumen tentorijs consedit. Germanicus peditatus secũdùm Dryssam, Polonicus versus Nisciam fossas munitionesque, quæ diuersis locis cœptæ deinde committerentur, ad castrum agere instituit. Hostis, quòd nostrorum nõ adeò magnum numerum videret, & cùm superioris obsidionis tum itineris incommodis debilitatos: suos omnibus rebus integros, simulato metu, quẽadmodum ex captiuis postea cognitũ fuit, intrà munitiones per noctem se continere, curatisque interim corporibus omnibusque rebus ad eruptionem paratis ante lucem eos adoriri in animo habebat. Fortè accidit, vt Dobrossolouius, qui tormentis à Milecio præpositus fuerat, tres globos candentes, quorum suprà rationem demonstrauimus, experiretur. Ex his duo cùm incendium feciſſent, ab hostibus suppressi fuerunt: vnus cùm imo fundamento adhæsisset, non animaduersus haud multò pòst, quòd muri ex abiete & arida materia facti essent, latissimũ incendium sustulit. Quod cùm Milecius conspicatus signum tuba, quo ad arma capienda omnes conuocarentur, mox dedisset, Mosci inopina re turbati, simulq; nostros irrupturos existimantes, cùm restinguere incendium non possent, ac tantùm repentini periculi obiectum esset, diuersis portis trepidi se effundunt. Seremetus cum parte equitatus Plescouiam versus se recipiens in Ioannem Sbarasium Palatinum Braslauiensem, qui ab ea parte hostem obseruabat, incidit, viuusq; cum ijs, qui circa illum erant, in potestatẽ eius peruenit. Qui ab altera parte cum Borissouo Seino se eiecerãt, in Germanos inciderunt. Hi cupiditate vlciscendi tot annorum iniurias, quibus in nomen Germanicum crudelissimè Moscus sæuisset, cuiusq; recens exemplum nuper capta Polotia vidissent, omnes in ijsq; Seinum interficiunt. Qui reliqui in arce erant, supplices vita rogare cœperunt: sed irrumpente milite Germanico ac omnes promiscuè cædente, desperata salute cataractam, quæ ex superiori loco portæ imminebat, demittunt: conclusosq; in arce ad quingentos milites Germanos interficiunt. Interim Rosdrasceuius Germanique quidam ac Poloni impigrè portam effringunt, qua patefacta tum verò pars cæsa fuit, pars rerum omnium desperatione adducta vltrò in ignem se præcipitãs conflagrauit. Magna vbique cędes fit; vt multi, ac pręter cæteros Veierus veteranus præfectus, cùm se multis prælijs interfuisse dicerent, nusquam in vllius prælij loco densiùs strata constipataq; inter se cadauera se vidisse confirmare non dubitarent. Multi inter occisos obeso corpore erãt: ijs focariæ Germanorũ aper tis corporib⁹ ad notas vulnerũ medicationes, ac in his Seino quoq; adipem detraxerunt. Hinc Moscus epistola quadam sua, de qua infrà dicemus, ad Regem scripta, inter alia cùm hoc, tum quòd candentibus globis in oppugnãdo se vsus esset: alterum tanquam immane crudelitatis facinus, alterum qua si non virtute atque acie, sed artificio quodam contra se niteretur, Regi exprobrat. Etiam in præda operæpretium factum fuit; argentiq; signati apud plerosque Boiarici generis referti loculi reperti, militem superioribus incommodis attritum non refecerunt modò, sed & locupletãrunt. Milecius cum exercitu ad Regẽ reuersus magnum captiuorum numerum, quorum partem publicè Regi, partem amicis donauit secum attulit. Rex prefectis plerisq, centurionibusq; ac militibus etiam, quorũ paulò insignius facinus extitisset, cùm præfecturis, quæ tum vacabant, tum alijs militaribus donis ob virtutem donatis, quæ in quæque statiua copiæ ducendæ essent, præscribit. Indè Disnam proficiscitur. Hic quod vlteriùs in Moscouiam proximo anno bellum promouere constituerat, tormenta omnia, pręter ea, quæ refectione opus haberent, relinquit. Inde literas ad Moscum mittit; quibus ipsius instituto, quo ille post Liuoniam vastatam vsus fuerat, de suc cessu expeditionis certiorem eum facit. Hæc eo tamen argumento scriptę erãt; vt non tam successu rerum secundarum efferri, quàm tot hominum innocentium clade commoueri se testaretur, eiusque rei causam omnem in Moscum ac illius in se iniurias conferret. Dum ad Polotiam Rex erat, legatio

ab Henrico ordinis Teutonici magistro cum conuenit. Initio regni cùm huiusmodi nonnullæ difficultates Regem excepissent; quæ quominùs in tēpore bello Liuonico occurreret, prohibituræ cū viderentur; Radiuilus Palatinus Vilnensis, qui tot annos tanto cum sumptu ac periculo sine vllo fructu in Liuonia bellum geri videret, Adolphum Holsatiæ Ducem excitârat, qui fiduciario seu feudi iure Liuoniam à Rege peteret, defensurumq; se in ea bellum contra Moscum polliceretur. Huius æmulatione Ioannes Chodkeuicius Castellanus Vilnēsis Magistro ac ordini militiæ Marianæ Teutonicæ idem ostētarat; missusq; ab eo Ioannes Taubius Liuo illi persuaserat, si peteret, traductis in sententiam per largitiones primarijs aliquot senatoribus, nō magno negotio eum assecuturum. Rex primò Vilnam legatis reiectis, in comitijs hisce de rebus agendum ostendit: mutui interim mētione extra cōditiones iniecta, quod in bellum hoc princeps eorū conferret: qua de re cùm illi mandata nulla se habere dicerēt, ad principē aūt suum relaturos se recepissent, Varsauiæ deinde missione flagitata, nulla alia re acta discesserūt. Rex conscēso Disnæ nauigio, secundo Duna nō parū fluminis eius amœnitate delectatus Druiam: indè terrestri itinere p Braslauiam Lituanicam Vilnam venit. Accedenti Andreas Caligarius legatus Pōtificius tum complures ex nobilitate obuiam profecti fuerunt. Ciuitas Vilnēsis tota in gratulationē effusa, compositaq; oratione illum excipiēs, duobus è locis maximè ante hac securitatē ac negotia sua interpellata commemorabat; vno à Polotia, altero à Kokenhausio. illud incommodum benignitate diuina, ac virtute sua Regē amouisse: alterum quoq; vt à ceruicibus suis remoueret, se illi precari. Inter alios Mosci quoque deditiçij obuiam ei progressi panē ac salem, quibus suum principē venerari in more habent, ei offerebant. Moscus nūcio amissæ Polotiæ ac præsidij Sokolēsis cæsi accepto, Plescouiā in interiorem Moscouiam se recepit; ac re ipsa fortè tum per spiciēs, vnicum regni robur fortes ac fideles populos esse, ex itinere ad eos, qui Susæ in præsidio erāt, literas præter morē eius scriptas misit, easq; diuersis perferendas dedit: Intellexisse se Polotiam ac Sokolam Dei permissu in hostium potestatem peruenisse: qua re cùm vndiq; eis interclusis non facilè subsidio veniri possit; hortari vt tormentis præsertim ac puluere reliquoq; belli instrumento, quod secum deferre non possent, corrupto: imaginibus & sacris, ne à barbaris: eo enim ille numero omnes, qui in religione ab eo dissident, habet: ludibrio habeantur, in terram defossis, quacunq; tuta ratione se recipiant; non quòd de fide eorū dubitaret, sed ne virtutem eorum, quam ad maiora superstitem esse velit, fortunæ ac hostium crudelitati obijciat. Peruenerunt hæ literæ ad Milecium, qui de tormentis potissimùm ac apparatu bellico sollicitus, qui ad deditionem hostes hortaretur, misit. Eædem autem cùm in Palatinum Polotiensem etiam incidissent, ipse quoque eò accurrit. Hostes pacti, vt singulis cū vestimentis discedere sibi liceret, castrū tormentaq;, & quicquid in eo apparatus bellici erat, tradiderūt. quibus rebus perfectis Milecius in tres partes exercitum distributum in hiberna deduxit. Primis Christophorum Niscicium legatum: alteris Martinum Kasanouium: tertijs Sigismundum Rosnium præfecit. Iam antè Constantino Ostrogiæ Duce excursionē in ditiones hostiles, quæ ad Borysthenem pertinent parante, Nicolao Seniauio stationum Russicarum præfecto, Rex mandârat, vt cum ijs copijs, quæ in Russiæ finibus sub imperio eius excubabant, cum illo se coniungeret; inque hosticum à Kiouia transgrederetur: verùm Seniauio longinquitate locorum impedito, & adulto iam autumno, non prętermittendum id gerendæ rei tēpus Dux ratus, collectis ex clientibus suis, quorum satis magnam copiam habet, aliquot millibus hominum, alijsq; ex iuuentute compluribus se ei adiungentibus, cum filio Ianusio & Michaële Visnouecio Castellano Braslauiense Borysthenem transgressus fuerat: expeditissimisque quibusque turmis præmissis, ac his longè lateque vagari, & terrorem in omnes partes circumferre iussis: ipse cum reliquis copijs Cernihouiam vsq; excurrerat: quam castris metatis magna vi oppugnare aggressus, cum præsidio firmo eam teneri, idque & animis & omnibus rebus alijs ad defendendum locum paratum esse videret, se à peditatu tormentisque imparatiorem accessisse: reliquas copias maximis itinerum & tēpestatum incommodis afflictas, missa obsidione vicina circum loca omnia diripuerat, totaque Seueriensi ditione vastata, ac populationibus ad Starodubam, Radehostiam, Pociopouiam vsque per leuiores equitum turmas factis, præda ingenti acta discesserat. Simili successu Ioannes

nes Solomirecius, qui post mortem patris extra ordinem Micislauiensem pręfecturam administrabat, Iaroslauũ opidum, pagosque complures diripuerat. Philo etiam Kmita præfectus Orsanẽsis, cui turmæ aliquot equitum assignatæ erant, coacta ad eas non mediocri finitimis è locis cuiusq; generis hominũ manu in ditiones hostiles transgresfus, duobusq; circiter millib⁹ pagorũ incensis, ac ad Smolenscã populationibus ꝓuectus, ꝑter agri solũ nihil ijs in locis reliquũ fecerat: indeq; magna cũ omnis generis ꝑda, nullo detrimento accepto suos reduxerat. Rex cùm alijs necessarijs de causis, maximè verò vt bellũ ꝓsequeretur, comitia habenda sibi intelligeret, eaq; iã ante diẽ 23. Nouẽbris Varsauiã indixisset: interim, q̃ ad Lituaniæ securitatẽ ptinerent, quæq; in oẽs casus contra hostiũ impressiones opponẽda iudicabat, cũ senatorib⁹ Lituaniæ constituit. q eorũ pręsidio ꝓuincię domi remaneant, qui comitia obeãt, inter eos cõparat. Vilnæ Radiuilũ Palatinũ Vilnensẽ, q cum imperio militari erat, relinquit. simul magistratus, q vocabant, distribuit. Quib⁹ Radiuilos prę cęteris cõplexus ad Episcopã Vilnensem, quæ Georgio Radiuilo designata iam antè erat, Palatinatumq; ac imperium summũ militare, alterũ item ꝑtorij militis, quorũ illud Nicolaus pater, hoc Christophorus fili⁹ obtinebãt, Christophoro Castellanatũ Trocensem, & sigillũ minus adijcit: Nouogrodecensẽ Palatinatũ alteri Palatini filio Nicolao: vtrũque præterea Marschalchatũ, Nicolao Christophoro maiorẽ, minorẽ Alberto alterius Nicolai, qui ante hunc Palatinus Vilnẽsis fuerat filijs: Castellanatũ Vilnensẽ Eustachio Volouicio, qui Castellanus Trocẽsis fuerat vnà cũ sigillo maiori dat: abdicãte se eo Palatino Vilnẽsi, vt minus ꝙ Volouicius habuerat, filio Christophoro traderetur. Præfecturã Samogitię q̃ ardentibus multorũ studijs ambiebatur, Ioãni Kiskę cõfert. Vilna inde Grodnã mouet: vbi venationibus, quo vno voluptario labore ex alijs laborib⁹ maximè reficere se solet, dies aliquot dat. Moritur ibidẽ Gaspar Bekesius, de quo suprà dictũ est, nõ minus inimicitijs, quas cũ Rege acerrimè olim exercuit, q̃ virtute sua clarus. Natus hic in Trãsiluania, ac in familia Petrouicij nobilis Baronis educatus, adulta postea ætate Ioãni Sigismundo Trãsiluaniæ principi adeò gratus extitit, vt cùm sine hærede decederet, hunc successorẽ designare non dubitaret. Cùm Rex populariũ studijs, prælatus ei fuisset, æmulatione inter eos orta, dũ statũ Transiluaniæ turbat, Fugarassio atq; alijs castellis à Rege exutus ad Maximilianũ Imperatorem in Germaniã se cõtulerat: vbi copijs aliquot coactis vi deinde ac armis inuadere principatũ conatus fuerat. Verùm ꝓfligatus à Rege iterũ in Germaniã se receperat. Postea cùm ad Regnum Poloniæ æmulũ ascitum, iamq; extra omnẽ inuidiam altiorem in locũ virtute conscendisse intellexisset, conscius sibi magnitudinis animi eius, vnum elegerat: cui & maximè se crederet, & à quo cõmoda ornamentaq; omnia expectanda sibi statueret: suamq; illi fidẽ atq; operam vltrò detulerat. Rexq; non modò omnẽ erga illũ offensionẽ ex animo deposuerat, sed benignè susceptum, opibus etiã ac dignitate amplificauerat. Moriẽs cõiugẽ & duos impuberes filios Regi ac Samoscio cõmendauit. Dum hæc geruntur in Polonia, non ijdẽ omnium sensus, varijq; ac diuersi animorum motus esse. Erant non pauci, q cùm amplissima quæq; à Rege polliciti sibi fuissent, ac verò in tãta publicarũ rerum difficultate nõ posset vel effusissima Regis liberalitas omniũ expectationi satisfacere, ꝙ quæ sperauerant, non cõsequerentur, alieniori ferè animo ab eo erant. Cumq; q libet è nobililitate in electionibus Regũ suffragiũ ferat, magna erat multitudo eorum, qui ꝙ suffragio suo in adipiscendo regno Regẽ subleuassent, ipsum Regnũ debere eum sibi arbitrabãtur: vidẽtesq; Radiuilos tot honoribus auctos: Milecio summæ authoritatis magistratũ traditum: ijs Samosciũ necessitudine coniunctũ: tot honores ac dignitates cõiunctis inter se affinitate hominibus congestas, angebantur animo, eaque in suam perniciẽ cõparata interpretabantur: & ꝙ beneficio nõ afficerẽtur, iniuriã rati, sũma in ea rep. facultate, in qua quæ quisq; sentit, pari libertate dicere possit, omnia suspecta facere, cunctaq; vel ꝑclara facta Regis sinistrè interpretando corrrumpere conabãtur. Iã ab initio cùm Leopolim Russicarũ rerum causa proficisceretur, non deerant, qui collecta gaza à Sigismundo Augusto relicta tędio præsentiũ in Trãsiluaniã recipere se eũ in vulg⁹ fingerẽt: postq̃ Suirũ diẽ exercitui edixisse eũ intellexisset, nihil horũ gerẽdi quicq̃ cõtra hostẽ animo suscipi, cui⁹ potẽtia maior esset, q̃ vt vllius virib⁹ labefactari posset: sed queri colorẽ tributarias pecunias, quas in immensum oratione tollebant, in-

teruertendi iactabant. Nonnulli altiùs prouecti Reginæ animum tentare cœperant: ostendere sperni ætatem eius à Rege: diuortium ab eò agitari: missum ea causa Petrum Volsciu̅m Episcopum Plocensem ad summum Pontificem: non minùs eius regnum esse, quàm Regis, vt quæ & ipsa tanquam vetustæ Iagellonicæ stirpis ac de regno optimè meritæ prosapia iisdem comitijs Regina appellata, iisdemque regni sacris initiata fuerit; quò illa in partes traducta gratiosum ad vulgus nomen nacti, eò maiorem facultatem Rempub. turbandi, ac consilia regis impediendi haberent. Querebantur fere, non satis fieri conditionibus à Rege, cùm regnum ei deferretur, in Transiluania acceptis: homines aduenticios in honoribus & præfecturis collocari; Bekesium potissimũ, cui Landskoronensem præfecturam Rex contulerat, notantes. Ad hæc Ducem Churlandiæ non suo loco & tempore deterioribusq; è republica conditionibus quàm antea, possessioni Ducatus eius confirmatum traducebant. Quæ cùm pleraque tempus refutasset: maximeque Leopoliensem profectionem, Suirensemque expeditionem falsissimè in inuidiam vocatas aperuisset, literis de comitijs allatis, iurgia inter nationes Polonicã & Vngaricã exorta in maius exaggerabãt: externos homines induci: à quibus contẽni impe riũ militare: vim summi magistratus eneruari: Iã capta Polotia noua tributa Rege in conuentibus & comitijs petitum: sed vt omnis Moscouia in potestatem ditionemque veniret, in tanta amplitudine finium, quam tantæ molis administrandæ rationem, quam vtilitatem fore, cùm interim longè magis necessariam præstabilioremque reip. vulnera curationem requirerent? Quidam vt tres partes prouentuum capitanealium à præfectis exigeret, Augustanæ cuiusdam constitutionis, quam illi in eam sententiam interpretabantur, autoritate postulandum censebãt; cùm si id fieret, perpetuò finem tributis id allaturum dicerent. quæ cùm in vulgus moueri Rex animaduertisset, ac liberiùs omnibus, quàm antea occurrẽdum arbitraretur, primò, quo agi de rep. poterat, comitiorum die Ioannes Samoscius Cancellarius, accommodata ad rem præsentem oratione: si vllum tempus fuisset, quo pro maximis in remp. beneficijs numini diuino gratias agerent, id hoc potissimum esse docet, quo tam præclaram victoriam ab eo hoste adepti sint, quem propter summam potentiæ, virtutis bellicæ, victarumque ab eo gentium opinionem, formidassent omnes: nemo vinci potuisse existimasset. Contigisse id tamen singulari benignitate diuina: hostem non modò victum: sed prouincia Polotia, quę victoriæ huius perpetuũ monumẽ tum futura sit, ac superiorũ victoriarũ eius dignitate spoliatum penè esse: omnes ei⁹ triumphos, quos ꝑ tot annos de Liuonibus & Suecis, quos de Kasanis & Astrakanis subactis, quos de Tartaris, de Turcis deniq; Tanaim & Volgã iũgere Caspiumq; mare in Euxinũ Pontum immittere tentantibus, deq; tot alijs bellicosis & barbaris nationibus habuerit, hac victoria ei detractos in hoc de illo triũpho prælatum iri. Quæ cùm quãta sint, inquit, erga nos Dei beneficia intelligamus oẽs, eadem nisi cõstantia ac virtute tueamur, inertia nostra fruct⁹ ex ijs ꝑcipiemus nullos, ex quib⁹ si rectè benignitate hac diuina vtamur, maximos ꝑcipere possimus. Magnũ est, quodq; superioribus tẽporibus vix sperandum nobis videbatur, amplissimũ agrũ ab hostibus tot annorũ spatio possessum, & quo maxima ex parte opes Lituanicę quondã niterentur, receptũ: hostem tot ꝓsperarum rerũ successu elatũ in ꝑpetuo victoriarũ cursu repressum: auersa arma eius in vastitatem ac perniciẽ ditionũ harum intẽta. Omnia hæc nisi reliqua, quæ restant, belli eius perficiamus, vereor, vt non modò vtilitatis nihil nobis attulisse, sed ne optanda quidem tanto cum labore ac sumptu fuisse videatur. Hostẽ habemus potentissimũ: cui⁹ quę quantæq; opes sint, & nemo ignorat nostrũ, & tot deuictæ ab eo nationes testatur. Hunc moderaténe vel hãc amissę ꝓuincię contumeliam ferre vel q̃eturũ putamus? Fremit ille iã, & tamq̃ fera aliqua intra septa cõclusa omnes amissa recuperandi, & acceptas iniurias vlciscẽdi exitus ac rationes quærit. Demus huic vel cũctatione nostra vel pace cum eo facta, colligendi sui, acceptaq; incommoda ac domestica vulnera, atq; inscitiam eius, quæ hoc bellum nudauit, sanandi spatium; quis omnium tam securo est animo, qui non multò maioribus viribus ad sarcienda incommoda irruiturum in nos prospiciat: quem nec propter potentiam difficultas vlla à bello reuocare: nec in pace propter perfidiam vlla iurisiurandi religio retinere possit? Serò nimirũ resistendi ei rationes tũ q̃remus, quem iam trepidum & perculsum

ſum ſi non leui momento impellere, facilius certè ſuperare poſſimus. Quod vt non eſſet nobis verendum, illumq́; accepta iniuria vel omninò quieturum, vel nihil ab eo periculi expectādum nobis eſſe Deus nobis fidem faceret: Quis enim alius tantæ rei idoneus author exiſtat? at nónne tanta gloria bello hoc parta, quæ deinceps de nobis hominū exiſtimatio futura ſit, cōmouebimur? aut vlla ratione opinionem bello hoc collectam tueri nos poſſe, ſi in tantas res gerendas ingreſſi in medio earum curſu deſtituere eas videamur: quenquam deniq; futurum exiſtimabimus, qui nō fortunæ potiùs ſucceſſus hoſce, quàm virtuti tributurus ſit? Sunt enim quæ virtute ac ratione adminiſtrantur, cùm exigua ijs fortuna interueniat, eorum & media primis & exitus vtriſque conſentanei: fortunæ vt cæci ſunt impetus, ita vltima raro primis reſpondentia. Quòd ſunt, qui in tanta ditionum amplitudine difficultatem earum adminiſtrandarum verentur, nec expetendum latius imperium putent, quod ſumptu ac labore magno partum, Reipub. vſui nulli eſſe poſſit; mirum ſanè videri debet, eo in Rep. animo quenquam eſſe, quo in ſua ſit nemo. Quis enim omninò eſt, qui non decē poſſeſſiones, quàm vnam malit? grauiora ſunt onera amplæ rei familiaris: eadē maioribus commodis oportunitatibusque penſantur. Reipub. verò noſtræ ego hanc rationē eſſe video, vt ſi neruos rerum gerendarum habere, ſi ſtatum hunc ciuitatis tueri velimus, nouum omninò regnum neceſſariò ei adiungendum ſit. Nam cùm ditiones omnes, quę ad eam acceſſerunt, in ciuitatem iiſdem legibus receptæ ſint omnes: nulla in prouinciæ formam redacta: nulla tributaria facta: itaque in pari omnium libertate, onera etiam exæquata ſint inter omnes; ijs ſi leuari volumus, quàm eius rei facultatem habebimus, niſi in ſtituto maximorum quorumcumq; imperiorum, nos etiam nouum ei imperium adijciamus in quod tributis vectigalibusque in eo conſtitutis, grauior communium onerum pars deriuari poſſit. Erat Ruſſia antè, cùm primùm armis victa eſſet, tributaria: non parum tum ſubſidio eius ſubleuata Reſpub. fuit: Lituaniæ quoq; magnum Ducatum, cùm antiquis legibus à Regibus Poloniæ regeretur, plurimū perſe ipſum ad ſubmouendum Moſcū, Tartarumq́; valuiſſe meminimus: coniuncto eo cum regno, quantum ad publica onera acceſſerit, ſentiendo vnuſquiſq; experitur. Quòd ſi qui inopiam ac familiaris rei anguſtias inertiæ ſuæ prætendendas exiſtimant; ij ſi voluptatibus, luxuriæq́; modū faciant, ac quos in inanes vel perditas res ſumptus prodigunt, in meliores vſus cōuertant, vel præclariſſimarum quarumcumque rerum gerendarum neceſſarijs adminiculis minimè ſe deſtitui re ipſa perſpicient. Alios, qui domeſticas res conſtituendas arbitrantur, non reprehendo: ſi tamen cogitent ijdem, præterquā quòd inteſtinorum incommodorum ſanatio ſemper poteſtatis eorum futura ſit, oportunitatē belli aduerſus Moſcum, qualem nunc habeamus, non ſemper nos habituros; potiorem etiam ſalutis quàm aliarum rerum curam eſſe debere. Sunt & qui minùs hactenus ſatisfactum ſibi exiſtiment. Habent ij nunc campum cùm virtutis ſuæ illuſtrandæ tum demerendi Regis: proficiſcantur in bellum: operam ſtudiumque ſuum Reipub. præſtent; àque virtutis amantiſſimo Rege ampliſſima quæque expectent: ſi vel ætas, vel valetudo, vel fortuna cuiuſquam id non permittunt, nō deſunt rationes in togata etiam ac ciuili vita bonis artibus emergendi: obtrectationibus, ac præpoſteris Remp. turbandi ſtudijs nemo, quæ virtuti, ac bonis artibus debentur, præmia conſecuturū ſe ſperet. Hac oratione habita, & ſi minimè nuncij dubitabant, quin & bellum & tributū vlteriùs ſciſcerent; quòd in priuatis conuentibus victoriæ hoc ſucceſſu læta, ac in ſpem futurorum erecta, frequens in eam ſententiam nobilitas inclinârat: tamen vt aliorum de ſe opinioni ſatisfacerent, ex ijs, quæ publicè iactari animaduertiſſent, cùm de alijs quibuſdam tum de conditionibus, quibus non ſatisfactum à Rege diceretur, & de ære præſertim alieno publico diſſoluendo mentionem inferunt. Docebatur, ſi quas antea in regnum pecunias ad tuendum, dum veniret, regnum Rex præmiſiſſet: quas ſecū attuliſſet: quas in militem, qui ante aduentum eius meruerat, erogaſſet: in ſedandos motus Gedanenſium: in hoc ipſum denique bellum de priuata ſua inſumpſiſſet, expenderent: ſi quid deinceps facere inſtitueret, conſiderarent, vt nihil nimirum priuatum, nihil à publico ſecretum haberet, verùm omnia ſua, ac vitam ipſam Reipub. impendere non dubitaret, facilè conſtituturū, rectè ne quid in illo Reſp. deſideraret. Nam quod ad vectigalium quorundā luitionē pertineret: ſi priuati cōmodi

ſui

ſui fructum aliquem ſequeretur, ſatis perſpici, longè maiori cũ emolumento eius futurum, ſi in eas res, quarum prouentus nõ exiguus ſit, redimẽdas, quàm in bellum pecunias conferret: verùm ita animo paratum eſſe, vt in præſenti reipub. periculo, priuatum emolumentum publicæ vtilitati ac dignitati poſtponere mallet. De tribus capitanealium prouentuum partibus ab initio cùm propoſuiſſent, reſponſum fuit, nõ contineri id verbis conſtitutionis Sigiſmundi Auguſti, nec contrà leges publicas, quibus à verbis conſtitutionum recedere prohiberemur, in eam ſententiam verba trahenda, quæ nobilitatem omnibus virtutum præmijs ſpoliatam in agros atque familiaris rei ſtudia cogeret. Quem enim poſthac fore, niſi ijs præmijs ad virtutem excitetur, qui operam ſuam in bello, in legationibus, in publicis muneribus obeundis reip. præſtare velit; qui nullis commodis propoſitis, dignitati ornamentiſque patriæ ſeruiat? Cùm & de militaris imperij imminutione exterorumque honoribus agitatum fuiſſet, oſtendit Rex, nulla ſe in re magiſtratus eius authoritati derogatum voluiſſe: præfeciſſe ſe Bekeſium Vngaris, non vt ſua authoritate bellicarum rerum quid adminiſtraret: ſed vt Ducis imperio ſubeſſet, interpretiſque munere ad militem Vngarum apud ipſum fungeretur: externo milite neceſſitate adductum in bello hoc vſum; quòd regnum hoc vt equitatu non modò comparari cum cæteris regnis poſſet, verùm pleriſque ferè præſtaret: ita à peditatu minus inſtructum adhuc eſſet: aliorum exterorum opera in Tranſiluanicis rebus, ac priuatis miniſterijs ſe vti. Multa de hoc genere, vtendúmne opera exterorum eſſet, cùm inter nuncios nobilitatis diſputata, tum à ſenatoribus ipſis multa in eam ſententiam dicta fuerunt, non eſſe improbandum, ſi qui pro aliena rep. periculum ac laborem ſuſcipere, ſanguinemque pro laude ac dignitate eius profundere velint: non eſſe ſapientis, quòd externorum periculo conſequi poſſit, ciuium ſanguine quærere velle: hac ratione maxima imperia primùm coaluiſſe: indeque ad ſummam amplitudinem prouecta eſſe: hoc ipſo in regno multas primarias familias ab exteris profectas eſſe: inter alias clariſſimã Tarnouiorum domũ ad exteros originẽ ſuã referre: alliciendos potiùs, qui ſuam virtutẽ ad reip. dignitatẽ aggregare velint, poſſeq; id cõmodo reip. fieri: modò id proſpiciatur, ne vel legibus vel magiſtratibus à ciuium corpore ſe ſeiungant, ſed ijs vtriſq; vnà cum reliquis ciuibus pareant; vel eò potentiæ excreſcant, vt ciues ipſos opprimere poſſint; vel honores ijs mandentur: ſed illi quidem in priuatis miniſterijs verſentur, publicis honoribus, ac magiſtratibus ſoli ciues præſint; quodq; in alijs reſpub. obſeruatum ſit, agris ac eius generis commodis virtus eorum interim remuneretur; in honoribus capiendis ciuium præcipua conditio ſit. Silentium indè ea de re fuit: peditem quidem externum nemo erat, qui neceſſarium eſſe negaret. De Churlando oſtenſum, Ducatum eum à Sigiſmundo Auguſto Rege: cùm Liuonia primùm ad regnum ſe adiungeret, longè grauioribus è repub. conditionibus Duci collatum fuiſſe: rectè atque ordine, quòd priorum regum authoritate iam antè affectum fuerit, meliori reip. legeà Rege tranſactum; quod diploma ipſum prolatum teſtaretur; itaque nihil alienum à moribus & exemplis maiorum factũ. quibus omnium temporum receptum fuiſſet, vt quæ à ſuperioribus regibus feuda conſtituta iam eſſent, ea poſterio res, ſi nihil in ijs mutarent vel adijcerent: noua etiam, ſi quæ ipſi adiunxiſſent iniuſſu ordinum ſenatus conſilio adhibito conferrent. Legationis Epiſcopi Plocenſis cùm in ſenatu mentio facta eſſet, cauſa eius vulgata, quæ iam in prioribus comitijs in ſenatu propoſita fuerat, ſuſpicionem diuortij agitati & ipſam ſuſtulit. Ita nullo repugnante, quod priori anno ſancitum fuerat, in hunc denuò tributum iubetur. Præfecti conſilio inter ſe habito redituum præfecturarum ſuarum alteram quartam, qualis Rauam in ærarium publicum inferretur, vltrò Regi detulerunt; conditione adiecta, ne authoritas perſcriberetur, vel in exemplum deinceps traheretur. Poſtulatũ inter alia à Rege fuerat, vt per legatos bellum gereret, ipſe à periculo armorum abeſſet; quod cùm animi ſui magnitudine indignum Rex iudicaret, oſtenſum præterea fuit, quò plures voluntarij, ſi in cõſpectu regis operã nanaturi eſſent, inuitarentur; ac ad minuendas controuerſias, quæ ex Polonicorum & Lituanicorum magiſtratum æmulatione exiſtere poſſent, præſentiam eius non modò vtilem, ſed penè etiam neceſſariam futuram. Leges in comitijs hiſce cum alijs de rebus, tũ q̃ ad feuda beneficiariorũ principũ, ad imperiũ militare, pœnaſq; ſcele-

ſcelerum pertinerent, à delectis ex vtroque ordine conſcriptæ quædam, non tamen perlatæ fuerunt. Id ſolùm Niſouiorum in officio continendorum cauſa, literis quibus tributum promulgabatur, adiectum fuit; vt vſq; ad futura comitia extra ordinem animaduertendi in eos poteſtas Regi eſſet. Conſtitutum ſuperioribus comitijs fuerat, vt qui Reipub. cauſa in bello abeſſent, iudicia interim in illos nulla redderentur; niſi contra quos vel rerum iudicatarũ executio peteretur: vel qui vim feciſſe dicerentur: aut qui ad certam diem de pecunijs non ſolutis iudicium ſe ſuſcepturos cauiſſent. Exceptiones haſce varijs calumnijs in perniciem reorum nõnulli conuertebant: modò maiorum lites in eos, quos arripuerant, torquendo: alias longiſſimi temporis ſpatio penè intermortuas ſuſcitando. Itaque interpretatio in hiſce comitijs adiecta fuit; eæ vt cauſæ rei iudicatæ atque vis ſolæ exceptæ intelligerentur, ſi quæ recens iudicata aut facta diceretur: obligationes autem in diem certum conceptæ, quæ intra proximum decennium interpoſitæ eſſent. A comitijs Rex Milecium, qui ab ijs abfuerat, vt ad ſequentẽ expeditionem ſe paret, operamque in bello eo nauet, per literas hortatur: ille excuſat. Dum Varſauiæ Rex eſt, nunciũ redactæ in poteſtatem Niſcerdæ, de qua ſuprà diximus, accipit. Moſcus cùm primò Polotiam cepiſſet, nobilitatem, atq; ex agris plebem omnem in Moſcouiam deportârat: poſtea inueterata iam agri eius poſſeſſione, ſpatio temporis amorẽ priſtini dominij exuiſſe eos ratus, nonnullos, ac in his Koſſonium quendam non corpore modò, verùm animo etiã vltra agreſtem valente, cum filijs fratribusq; itidem robuſtiſſimis hominibus priſtinis ſedibus reddiderat. Hic ſtatim ac in poteſtatem Regis Polotiã rediјſſe intellexiſſet, quomodo cum aliquo munere ad prius imperium rediret, cogitârat. Koſakkis Polotienſibus, quo ſtatu hoſtium res Niſcerdæ eſſent, oſtenderat. cumq; hi eo, quod illis cõſtituerat, tempore, miſſu Palatini Polotienſis Niſcerdam acceſſiſſent, munitionesque, quemadmodũ à Koſſonio acceperant, nec dum perfectas reperiſſent, ſine negotio potiti ea fuerant. Koſſonius nihil ominùs more ſuo inter Moſcos fortuitum Koſakkorum aduẽtum exiſtimantes, ſine vlla ſuſpicione verſatus, Sauolociam eadem ratione tradere noſtris voluerat. Iiſdem Koſakkis diem, quo ad Sauolociam accedant, præſcribit; ſeque turrim incenſurum, ac dum ei rei Moſci intenti ſint, in arcem eos inductu rum conſtituit. Sed re interim detecta cum duobus filijs in conſpectu Sauolociæ palo ſuffixus fuit. Sub idem tempus in Vſuiatæ repentina excurſione opprimendæ ſpem Koſakki adducti fuerunt. Iis Nicolaus Sebridouius Floriani, qui Caſtellanus Lublinenſis & prætorij exercitus præfect⁹ olim fuerat, filius, cùm hibernorum Vitepſcienſium otium ferre non poſſet, ſe adiunxerat, relictoque equite fallendi hoſtis cauſa, per notas ſemitas à Koſakkis ductus eò excurrerat: præſidium cuſtodijs & omnibus rebus firmatum repererunt. Hoſtes nihil ominùs ſubito aduentu eorum exterriti, ſubiectum arci opidum incenderunt.

REINOLDI HEIDENSTEINII SECR. REGII, DE BELLO MOSCOVITICO COMMENTARIORVM

LIBER TERTIVS.



VARSAVIA Grodnam proficiſcẽti Regi, ac in futuram expeditionem omni iam cura incumbenti duæ potiſſimùm difficultates occurrebant: rei pecuniariæ altera, quæ tardiùs expediebatur: altera delectus. prioris enim expeditionis incommodis afflicti, iumentisque ac inſtrumento omni per tempeſtatum & itineris iniurias priuati, difficultates tam longinquæ militiæ plerique præ oculis habebant, ac ob id pauci omninò nomina dabant. qui etiam ex his minùs à bello abhorrere ſe videri volebant, temporis tamen anguſtia, quo minùs ad id parare ſe poſſent, excludi ſe arbitrabantur. Pecunia vtitur partim priuata ſua, partim à priuatis mutuò ſumpta, quæ ad cer-

certam deinde diem solueretur. De delectu Samoscius sibi curæ futurum promisit. Hic quamuis in togato munere versaretur; tamen quòd patrem Castellanum Chelmensem Prætoriano exercitui præfuisse, reliquos etiam maiores suos plerosq; bellicis rebus claruisse meminisset, quò gloriam à maioribus traditam retineret, ac domestica hæc studia ipse quoq; non intermitteret, & antehac semper, & in superiore expeditione militem aluerat; fortesque viros aliquot circa se habuerat, & tunc communicata re cum Rege equitem peditemque scripturum se professus fuit. Re vulgata, magna multorum animis alacritas innata fuit: passimque à plurimis nomina data: Ad hos Vngarum militem à fratre Christophoro Transiluaniæ principe scribi curat. Cùm ante hac peditatu non multùm Polonia vteretur, propterea quòd nobilitas ferè omnis equis merebat; pedestrem militiam, quę laboris plus, dignitatis minùs haberet, negligeret: atque ita peditatus omnis ex opidana plebe, ac operis præsertim constaret, genere hominum non modò rei militaris imperito, verùm otio etiam opidano ad perferendum laborem belli corrupto: externus autem peditatus sine maximo sumptu ali non posset; superioribus comitijs ratio quædam parandi peditatus agitata fuerat, vt ex regiarum possessionum asscriptitijs vicesimus quisque in militiam reciperetur; qui ita in militiam venissent, ab oneribus operisque rusticanis ipsi posteriq; eorum immunes essent. Hoc delectu iam vti visum fuit, missique per agros centuriones præfectiq; passim fuerunt, qui robustissimum quemque ac labori militari ferendo aptissimum legerent. Grodnæ ex propinquo iam cōsilia belli agitare Rex instituit; ac Vilnæ interim tormenta, præter ea, quæ reparanda erant, noua suo modo alia fundi iubet. Propendebat iam Rex animo in magnorum Lukorum oppugnationē; quod tamen quò diutiùs hostem celaret, ex instituto Ciasniciam diem, quo conueniret, exercitui edixit. Nam cùm id opidum secundùm flumen Vlam in capite duarum Lucensis & Smolenscensis viarum ita situm sit, vt paribus ab vtraque vrbe spatijs distet, ac Lukos quidem indè tendentibus, Vsuiata flumen: Smolenscam euntibus Kaspla se offerat, ad hostem ancipiti cura distinendum cùm primis oportunum id videbatur. Suprà demonstrauimus missum à Rege cum literis, qui de euentu obsessionis Polotiensis certiorem Moscum faceret. Humanius hic acceptus ab illo, quàm quisquam ante eum, mensæ etiam adhibitus, ac bombycina veste donatus fuit. Eum autem priusquam dimitteret, à duobus legatis suis Ioanne Theodori F. Nouogrodiæ, Mikita Georgij F. Micislauiensi ducibus, & Romaniuicio Sacharino ad Nicolaum Radiuilum Palatinum Vilnensem, & Eustachiū Volouicium Castellanum tum Trocensem literas dari iubet: cùm controuersiæ duorum summorum principum eò progressæ sint, vt suscepto bello Poloniæ Rex Polotiam expugnarit: magnus Moscouiæ Dux vicissim ad vlciscendā hanc iniuriam toto animo exarserit; se cum reliquis primoribus ad principis sui pedes se proiecisse: omnibus precibus ab eo petijsse, ne in sanguinem Christianum sæuire velit: ijs illum permotum à bello adhuc sibi temperare: nunc idem ipsis atque alijs Regis Poloniæ cōsiliarijs apud suum Regem contendendum esse, vt ad pacē stabilem cum magno Moscouiæ Duce constituendā eum flectant: in primis ei persuadeant, vt & ipse cum milite regrediatur, & militi tam in Lituaniæ quàm Liuonię finibus imperet, ne maleficio aut iniuria vlla Moscos lacessat: eadem magnum suum Ducem recipere: reuersurum ad sedes suas, suosque à vi & iniuria vbique cohibiturum: interea vtrinque elaborandum, vt missis oratoribus, paceque & concordia constituta, depositis à principibus armis metu omnes liberentur. In extremo literarum excusant, quamobrem Basilius Lopatinscius, per quem bellum Rex Mosco denūciārat, adhuc detineatur: operam se daturos ostendunt, vt quàm primùm ad sedes suas vterque reuersus fuerit, cum mandatis de pace sine mora ad Regem remittatur. Fecerat hoc Moscus exemplo Sigismundi Augusti temporibus à Lituanis introducto; qui si quando legatos Rex ad Moscum mittere destinasset, ad Moscouiticos proceres literas priùs dabāt, quibus vt à suo principe fidei publicæ literas oratoribus, qui venturi essent, conficerent, postulabant. Re deliberata, in hanc sententiam ab senatoribus, quos diximus Lituanis, respondetur: diligenter se de pace Regem appellasse: illum vt Christianum principem pacem atque concordiam inter vicinos, ac Christiani præsertim nominis principes omnibus rebus potiorem habere: bellū tamen cùm id maximis illius in se iniurijs prouocatus non nisi pacis causa susce-

ceperit, tamdiu etiam dum æquæ pacis potestas à magno eorum Duce sibi fiat, gerendum sibi intelligere: legatos verò, vt quos ad principem eorum mittat causam nullam ei videri: potius non committendum sibi censere, vt quos ex suis quemadmodum antè fecerit, iniurijs atque ludibrio eius obijciat: si ille legatos ad Regem mittat, patienter Regem quæ dicant, auditurum, atque æquo cum responso eos dimissurum. Haud multò pòst Moscus ipse cũ eiusdem argumẽti literis alium ad Regem nuncium mittit. Dimittitur is cum eodem responso, quod prior à senatoribus antè acceperat. Mittit nihilominùs denuò aulicum suum IoannẽNasciokinum cum ijsdem postulatis; qui cùm & ipse in eandem sententiam publicè iam responsum accepisset, ostendit postea, alia se præter superiora mandata habere, quæ priuatim exponat. facta potestate commemorat, principem suum moueri plurimum clade hominum innocentium christianorum: qua de causa & si sciat contra suum maiorumque suorum morem id à se fieri: constituisse tamen de dignitate sua publicæ concordię id dimittere, vt de pace ipse legatos ad Regem mittat: id vnum postulare, vt induciæ interim sint, nec vlteriùs cum exercitu Rex progrediatur: legatos Vilnę expectet; quòd id à maioribus quoque ipsius magnorum Moscouiæ Ducum honori semper datum fuerit, vt non nisi in regni ipsius, aut magni Ducatus Lituaniæ sede oratores eorũ audirentur. Rex eodẽ omnia illa ꝑtinere intelligens, vt tempus gerendæ rei extraheret, respondit: si quos legatos mittere velit, dicendi quæ velint, potestatẽ libenter se ijs facturum, benigneque auditurũ. Quòd certo in loco expectari à se legatos velit, nullo id cæterorũ principũ Christianorum exemplo peti. qui quãdocumque vsus sit, quemcumque in locum legatos mittant: commune vbique esse ius legatorum, nec certo loco finiri: posse se vbicumq; futurus sit, vel in castris ipsis, in quibus inter strepitum armorum, vel maximè legatis opus sit, adiri. Detecta sub huius aduentum res fuit, quæ omnium animos vehementer in se conuertit. Gregorius Oscikus claro loco natus & antè iam sub interregni tempus consilia cum Mosco agitarat: & tum per literas communicare cum illo non intermittebat. Attulerat ad hunc literas à Mosco Nasciokinus, quas cùm ille per speciẽ pellium, aliorumque mercimoniorũ Moscouiticorum licitandorum aditu ad Nasciokinũ quæsito accepisset: frequẽs præterea eadem causa interposita, ac se creto nonnũquam petito cum eo fuerat. Enunciata hæc res à Mireuio quodam ministro Oscici Martino Ribinio fuit, qui Andreæ Sebridouio Pocillatori regio nomen in militiam dederat. Is rem ad magistratus, magistratus ad Regem detulit. Mireuius, quòd præsente Rege res accidisset, ad Albertum Radiuilum Palatij Marschalcum, statim vocatus, custodiæ traditus fuit; vltrò indicat, quæ cum Ribinio antea communicârat: eorum omnium Bartholomæũ quendam ministrum Oscici conscium ostendit. Rex quatuor solis primarijs consiliarijs adhibitis rem deliberat. Ex ijs Palatinus Vilnensis prehendendi eius, si in vrbe sit, negotium suscipit. Ille Trocis tum esse dicebatur. mittuntur mox eò frequentes aulici, qui comprehensum retrahant. adducto in Marschalci ædibus libera custodia circumdatur. Datur alijs negotium, qui diuersorium ac res eius perquirant. reperiunt in arca quadam alba diuersorum senatorum anulis signata, nominibusque scriptura eorum ementita, subscripta: plerorumque item signa senatorum ad verum expressa; quibus ille maioris fidei faciendæ causa, quò cũ alijs proceribus consilia ista miscere videretur, apud Moscum vtebatur. Alij Kouareskum in prædium ipsius duobꝰ à Vilna milliaribus, vbi tum Bartholomæus is erat, missi, materiam, malleos, ac cætera cudendæ monetæ instrumenta, referunt. Bartholomæus consilia cũ Mosco illum sociare, literasque ab eo accipere, & iam ante interregni tempore bis ad Moscum missitasse fatetur. His de rebus cùm senatores nonnulli ad eum missi essent, proditionem negabat signis alienis ad contractus subijciendos, & priuatum quæstum in iudicijs sẽ vsum fatebatur: monetæ crimen in Iudæum quendam, cuius opera & signa illa sculpta haberet, conferebat. Adductus in iudicium ipsisque proditionis & rei monetariæ instrumentis in iudicio exhibitis, respondere iussus fuit. Negabat defensor eius respõdere eum teneri communi nobilitatis iure, quo in quemquam ex nobilitate, nisi legitimè priùs in ius vocatum, quæri vetetur. Cùm variè res hæc à senatoribus acciperetur, ac quidam non minuendam exemplo libertatem nobilitatis cẽserent: apud plerosque plurimum tempus valuit, vt Rege in belli admini-

ſtratione, ac caſtris ferè verſante, non tam ordinarij quã militaris iuris cognitio videretur. ad hæc eos ſolos præſcriptione hac iuuari poſſe, qui integra famæ eſſent, oſtendebatur. quorum ſcelus in tot flagitijs & propria confeſſione manifeſtè teneretur, eos vita ſua priuilegio nobilitatis, ac ipſa adeò nobilitate ſe ipſos indignos feciſſe. Itaq; iuſſus reſpondere, libellum, quem ante in hũc caſum compoſuerat, publicè recitandũ dat. In eo conſilia ſe cum hoſte agitaſſe: eidem ſpem per occaſionem Regem interficiendi feciſſe faſſus eò decurrebat, vt egeſtate, ac æris alieni magnitudine impulſum id ſpectaſſe ſe diceret, vt ab hoſte pecuniam aliquam hac ratione emungeret: ſupplexq; veniam petebat. De confeſſo ſupplicium more maiorũ, ac de Iudæo item ſumptum fuit: miniſtris ob indicium vitæ gratia facta. Venerat interim Vilnam Vngaricus peditatus. Hunc Rex Poſtouam terreſtri itinere ire iuſſum, ibidem cum tormẽtis, & reliquo grauiore belli inſtrumento nauibus impoſitũ ſecundo flumine Diſnam; indè cũ alijs tormentis, quæ Polotia rediẽs antea ibi reliquerat, per aduerſum Dunam Vitepſciam præmiſit. Vilnę Paulus Vchanſcius, qui ad ſummum Pontificem à Rege miſſus fuerat, ad Regem reuerſus, enſem notis cærimonijs dedicatum à Summo Põtifice Regi obtulit. Profectus indè Vilna, ad Scidutũ villam quinque cis Ciaſniciam millibus paſſuum, octaua circiter Menſis Iulij die peruenit, reliquisq; copijs per vicinos agros ſparſis, ipſe eo, qui demonſtratus eſt, in loco, conſedit. Ibi dum copiæ aliæ, quæ expectabantur, conuenirent, de belli adminiſtrandi ratione, ac quò potiſſimum hac expeditione cum exercitu ſe cõuerteret, ad conſilium retulit. Tres potiſſimæ hac de re diuerſæ ſentẽtiæ erant; cùm alij Pleſcouiã: Smolenſcam alij: tertij Magnos Lukos eundum cenſerẽt. Prima quæ Pleſcouiam, iiſdem quibus antea, cùm ad Polotiam iretur, rationibus ducebat: iiſdem etiã, quibus tum impugnata fuerat: quòd iter in hoſticũ longinquius: quòd terga tot caſtellis hoſtilibus nullo in propinquo præſidio relictis nudarentur: quòd Lituania hoſtibus obijceretur: maximè quòd à Pleſcouienſi via longiùs iam receſſum eſſet; iterùm non tam repudiata quàm in aliud tẽpus dilata fuit. Qui Smolẽſcam eundum cenſebant, loci in primis celebritate, & amplitudine: rerum eo loco geſtarum fama: inſtituto deniq; belli res ablatas repetendi moue bantur; & quòd eo præſidio adiuncto, tota Seueriẽſis ditio longè ampliſſima vna in poteſtatem ventura eſſet. Dicebantur contra hæc ab ijs, qui Lukos petẽdos ſuadebant; à Duna flumine, atq; Liuonia, quorum liberandorum cauſa bellum hoc potiſſimùm ſuſceptum eſſet, Smolẽſcam eundo longiſſimè recedi: cùm Liuonia præterea Seuerienſem ditionem nec vrbium frequentia, nec loci atq; maris opportunitatibus, nec vicinarum gentium cultu, comparãdam: Lukos ſitos in præcordio quaſi Moſcouiæ, loco & ad hoſtiles ditiones quaſcũque poſtea petere viſum eſſet, infeſtandas: & ſiue per Smolẽſcam Lituaniam, ſeu per Pleſcouiam Liuoniam ingredi hoſtem volentẽ pari interuallo vno ſolo exercitu ibi collocato prohibendum opportuniſſimo: pares enim ad Smolẽſcam & Pleſcouiam aditus habere: vnde ipſum Ducem magnum huc plerũq; exercitus ſuos cogere ſolere; quòd in omnium circumiacentium ditionũ pari vicinitate eam deinde quæ opportuniſſima ei videretur cõmodiſſimè ex hoc loco inuadere poſſet. Rex, quemadmodum oſtenſum eſt, iam antè in hanc ſententiam inclinabat. quòd autem tanto ante temporis interuallo referendum publicè hac de re non exiſtimârat, ea de cauſa acciderat; quòd ne quã vel ad hoſtẽ conſilia interim emanarent, aut tempus vel res aliqua noua interueniret, quæ mutandi ei conſilij cauſam adferret, præcauẽdum ſibi intelligebat. Hinc ſtudioſè Ciaſniciam diem ad conueniendum exercitui edixerat; vt ibi & in re præſenti, loco ex quo tam Smolenſcam quàm Lukos commodiſſimè, ac parib⁹ ferè ſpatijs peruenire poſſet, cum conſilio conſtitueret: & hoſtem quàm poſſet maximè ab hac cogitatione auerteret. quam ob cauſam in literis etiam, quæ ad illum ſcribebantur, præter Liuoniæ ac Polotiæ, Smolenſcæ quoq; titulum, tanquam quæ regij olim iuris fuiſſet, ac curatè eximebat; vt dum ab ea parte hoſtis timeret, illam quam Rex potiſſimũ patere ſibi volebat, neglectam relinqueret. Dimiſſo conſilio eo, copijs recenſendis, operam dare Rex cœpit: primoq́ue equitum Polonorum, qui ad Gedanũ, ac Polotiam meruiſſent, atq; proximè in hibernis fuiſſent, turmis vocatis, cũ Rex præter ſuperiorum temporum cõſuetudinem, maiorem quàm ante hac in recenſendo milite diligentiam adhibuiſſet, perq; anguſtum pontem tranſgredientes in proximum collem ſubductus ſingulos ipſe ſpectaſſet; pauciſſimis

tamen

tamen equi adempti fuerunt; cùm vniuersæ,& militum,equorumq; & armorum genere essent ornatissimæ.Post hasce quæ tum primùm nouo delectu in militiam nomina dederant, productæ fuerunt.Inter eas,quæ à Samoscio,quēadmodum suprà ostēsum est, cùm equitum tum peditum copiæ scriptæ fuerāt. Erant in ijs senatorij ordinis nonnulli; alij euocati,qui militiam,cui magnam ætatis partem studuerant,longo iam tēpore intermissam repetierant:qui exercitus ipsi pro legatis rexissent: non pauci,qui magistratus,præfecturasque: alij qui officia ac honores in aula gererent: magna verò primariæ iuuentutis multitudo. Equitum duplex genus erat, alterum grauioris armaturæ Husarorū, ea qua supra ad Disnam vti illos ostendimus :Kosakkorum alterum leuioris. Hisce loco Coryti bicubitales scloppetos ad humeros aptârat, breuiores ex cinctu suspendendos dederat, acynace ad latus sinistrum & venabulo ex veteri instituto relictis.Peditem maxima ex parte è finitimis Vngariæ locis,nonnullum etiam Varadino remotioribusque locis,aliquem præterea ex Polonis, qui superioribus proximis bellis iam stipendia fecissent,plerosq; tamen nouo delectu contraxerat.Cumq; ad famam benignitatis, qua peditatum ex ijsdem locis Vngariæ superiore anno stipendijs suis scriptum ad Polotiam habuerat, sub idem tempus plures indies confluerent, separatim his quoq; per Ioannem Thomam Droieuium præfectum Premisliēsem necessarium suum stipendia descripsit.quæ cùm omnes copiæ cultu etiam à cæteris diuerso ac habitu armisq; atratis in duplici ducis luctu, qui ad vxorē Christinam Radiuilam vnica ex ea filiola orbatus fuerat, ab omnibus ijs veste mutata vterentur;fiebat vt hac quoque re pre cæteris conspicuæ essent.Pridiè quàm Ciasnicia Rex moueret,quòd eum diem legatis,qui Vilnæ apud eum fuerant, ad quem expectaturus illos esset, Rex præfinierat; summa celeritate nuncius à Mosco venit; nec expectato solenni ornatu,qui obeuntibus legationes ex thesauro Moscouitico præberi solet,quòd is cum impedimentis subsequeretur,ne dies antè exiret, communi cultu præter morem gentis eius legatio nū Rege salutato literas reddidit.Quando Regem adduci non posse intelligeret,vt legatos pacis causa ad se mittat:se de iure moreq; maiorum suorū & suo cōcordiæ causa discedere:Oratores primarios homines suos iam mittere:ante quintam aut summum sextam decimā Augusti diem affore:postulare,eos Rex Vilnæ expectet. Nā vt alio loco ,quàm in ipsa aut regni aut magni Ducatus Lituaniæ sede oratores sui Regem adeāt, recepto superiorum temporum omnium more refutari.Responsum,Regem legatos, quos alter superior nuncius q̄ primùm missum iri cōfirmasset, adhuc expectasse: vt Vilnæ audiantur, multis sibi nominibus integrum non esse,longiùs iam Vilna ad exercitus suos progresso;quibus cum, quod militem sine magno suorum detrimento intra fines suos habere non posset, quò videretur, moturum; si quo tamen loco oratores Mosci ad se peruenissent, quæ dicerent nō grauatè auditurum. Hoc nuncio tali cum responso dimisso, postridiè Rex è statiuis,quæ in agro Ciasniciensi habebat, Lepelam, indè Vlam castella propinqua excurrit: vt in re præsenti munienda néan delenda essent,statueret.Exercitum dimensis antè itineribus Vitepsciam mouere iubet; ad eumq; biduo post, in secunda à primis statiuis castra recurrit.Aliȩ eo die à Mosco ad Regem literæ afferuntur, eodem penè quo superior proxima epistola fuerat, argumento:legatos se summa cum potestate de pace agēdi mittere: postulare,vt pro more maiorum Vilnȩ audiantur;quòd si impetrari non possit, tamē intra fines vt expectentur.Responsum ad hanc etiam epistolam fuit:cùm oratores venissent,quæ dicerēt,Regem cogniturum: si iusta atq; ȩqua attulissent,neq; in ipso belli ardore fidæ iustæq; paci non locū relictum iri : Interea cum exercitu Regem progressurum ; ipse quid sibi de legatione sua faciendum esset videret : sē vnum præstiturum & oratoribus eius, & eorum orationi si iusta foret, quocūque in loco conueniretur, locum apud se fore. Adiuncta regijs literis altera ad nūcium, quem Ciasniciæ apud Regem habuerat, epistola à Mosco fuerat : quā cùm resignandam alij existimarēt, Rex integram ad hostem remisit.His castris ac deinceps plerisq; proximis cùm Rex de belli administrandi ratione quotidie ad consilium referret, & castra hostilia duo Velisium ad Dunam flumen, Vsuiata ad amnem cognominem sita ad Lukos hærenti à tergo in hostis potestate relinquenda regi non viderentur; eoq; magis,quòd iam antè Dunam omnem potestatis suæ facere cupiuerat;ante omnia Velisium, vt rebus omnibus firmius,& ad omnia momenti maioris oppugnandum ratus,Samoscium cum

iusta exercitus parte eò mittit. Huic ad copias,quas ab eo ipso adductas antè ex positum est,alias cùm Polonorum Vngarorumq; equitum ac peditum, tum Germanorum equitum scloppetariorum,ac in his GeorgiumFarensbekium Daniæ Regis Marschalcum, qui patriæ Liuoniæ operam nauandi studio cum aliquo equitum ac peditum Germanorum numero sub idem tempus ad Regem venerat,attribuit. Deposcebãt easdem sibi partes Lituani. Respondebatur ab altera parte,quod nullus esset Polonicus Dux, Lituanicum penes Regẽ manere oportere: quòd ad limitanei militis Ducem pertineret, ita moribus maiorum comparatum esse; vt militiæ imperium summum penes Ducem exercitus, domi iurisdictio omnis circa Regem penesMarschalcum regni esset: absente exercitus Duce partes eius Marschalcus in castris exciperet: Cancellarij munus in consilijs publicis, iudicijs legationibusq; introducendis,precibus ac meritis singulorum ad Regem referendis versaretur; ad eundem, quoties Marschalcus abesset,eius quoque potestas omnis rediret: limitaneæ militiæ præfecti non tale munus esse, vt cum illis magistratibus cõparari posset; quod ab initio priuatim à Ducibus introductum,deinceps etiam commendatione Ducum cõferatur.Diremit controuersiam; quòd res celeritate opus habebat: qui autem ex Lituanico exercitu ire eò debuerant,nondum aduenissent:Samoscius non modò copias suas instructas iam haberet, verùm ab omnibus alijs etiam rebus esset paratissimus. itinerũ enim ac locorum, in quæ iretur, difficultates animo prouidens, cùm fabrorum aliorumq; opificum, qui bello vsui essent,ac tormentorum campestriũ non exiguum numerum adduxerat: tũ pulueris tormentarij,commeatus ac pabuli maximam vim comparârat; iamq; antè è Præfectura Kniffinensi vnum in locum omnia comportata secũdo Memela fluuio Kaunam, atq; indè aduersò Vilia flumine Michaliscos: Michaliscis terrestri itinere Postouam,indèDisnam,& mox Duna flumineVitepsciam præmiserat. Ijsdem temporibus à Themesvariensi Bassa, qui quòd per totam Vngariam, fama belli peruagata erat, & in proximo Vngarorum delectus haberentur, ne aliò quàm fama ferret, id erumperet,subueritus fortè fuerat,legati nullis certis cum mandatis speculandi tantùm causa ad Regem venerunt. Vitepsciam Samoscius cùm venisset,biduum ibi commoratus, militem omnẽ eò contrahit. Interim quæ ad disciplinam militarem tuendam adq; itineris rationem pertinebant, constituit, edictisq; sanxit.Simul tormenta,quæ à Rege acceperat aduerso Duna flumine cũ reliquo grauiore belli instrumẽto præmittit. His præsidij causa Stephanũ Lazarum cum pedite,cui præerat,Vngarò læua ire iubet:tormentorum ac reliqui apparatus bellici Stanislao Kostkæ Succamerario Culmensi cura demandata. Primo agmini Lucam Dsialinum Koualensem,Brodnicensemq; præfectum affinem suum præficit.Huic Nicolaum Vrouecium,quem primò à patre suo disciplina militari imbutum in proxima expeditione Polotiensi sub Milecio cũ ala equitũ militare iusserat; nunc quòd non modò in periculis obeundis animi magnitudinem eius, sed & ad quosuis militares labores tolerandos promptitudinem perspexisset,circa se habere instituerat,adiũgit. ea itineris ratione præscripta, vt iusto interuallo reliquum agmen præcederent.cum reliquo exercitu medius ipse incedebat:Stanislao Solkeuio,posteaPalatino Belsense sibi legato; qui & antea in Podolia sub Nicolao Seniauio Palatino Russiæ contra Tartaros pro legato exercitus rexerat. Illum impedimenta sequebantur. quæ agminis pars maiorem ferè, quàm reliquæ difficultatem habebat; propterea quod si in tãta carrorum & seruitiorum multitudine,qua in regionibus vastis carere exercitus non poterat, mutuò ea inter se implicarentur, vehementer eam rẽ exercitum morari necesse erat. Huic rei ita occurrit,vt vniuersorum impedimentorum agmẽ in tres ordines distribueret:& quo quæq; turmæ aut cohortes ordine incederent, eodem impedimenta,vt quorumq; essent,incedere iuberet:singulis carrorum ordinibus à frõte & à tergo iusta peditum manu præsidio attributa,quod quò diligentius obseruaretur,nec inter se currus implicarentur, cùm procederent impedimenta,initio in pacato ad Vitepsciam à se facto, indè ordinum ductoribus tradito, per vices binos semper inspicere iubebat. Extremum carrorum ita incedentium agmen selectissimæ cohortes peditũ atq; vltimo loco alæ aliquot equitum claudebant. Matura iam in agris, quà exercitus iter faciebat,frumenta,ac maximè pabulum erat.cùm autem Regem Samoscius cum reliquo exercitu eadem via subsecuturum sciret, in partes certas vniuersum agrum eum, per

quę iter erat, descripsit; quarum vnam exercitui, qui cum illo erat metendam permisit: reliquas sequenti alij exercitui integras seruari iussit; quæ res diligentissimè à milite obseruata fuit. Regi eadem die, qua Samoscius mouerat, Vitepsciam venienti Lituanicæ copiæ tam stipendiariæ quàm voluntariæ se obtulerunt, eo & numero & ornatu, vt superioris anni detrimenta nemo agnosceret. simul Polonicæ copiæ nōnullæ quæ è longinquioribus regni locis tum primùm ad exercitum peruenerant, vtriusq; item generis tam volūtariæ quàm stipendiariæ censæ fuerunt. Samoscius Surassum interim, quod extremum regiæ ditionis opidum erat, subitario opere per Kasplam flumen ponte facto pue nit. Hic vt tormenta, quæ aduerso Duna tardiùs subsequebantur, expectaret, militemq; ex itinere reficeret, ac de reliquo itinere consilium caperet, diem vnum substitit. Velisium frequētissima olim vrbs fuisse, nomenq; à magnitudine, cuius hodie adhuc indicia amplarū fossarum vestigia quædam ab accolis ostendūtur, accepisse putatur. Sub Lituanorum imperio per pagos totus ille ager habitabatur; postquàm Moscouiæ Duces alibi occupatis Regibus Polonię ditionis suæ regionem eam fecissent, castro etiam Velisio veteri nomine retento, contra præsidium Vitepsciense eum cōmunierant. ex instituto præterea suo cùm ab alijs partibus, tum maximè cis Dunana, à qua tam Velisium quàm Vitepscia, & quod postea conditum fuit, Surassum sita sunt, quòd eam minimè patere vellent, inuiarum siluarum obiectu impediuerant. More enim suo agrum hosti proximum per aliquot millia passuum studiosè incultum ac desertum vt plurimùm Mosci relinquunt: quò crebrarum arborum, quas in solo vacuo enasci interim necesse est, densissimarumq; siluarum tamquam vallum hosti objiciant; ita se maximè tutos contra hostiles incursiones existimantes, si vndique quàm vastissimas solitudines sibi circumdederint. Surassum tempori bus Sigismundi Augusti Stephanus Sbarasius Palatinus tum Vitepsciensis, nunc Trocēsis, veritus ne Vsuiatæ & Kasplæ, quibus in Dunā influunt, capita ad coniungendam Smolenscensem & Lucensem ditionem munitione aliqua hostis occuparet, quòd ea flumina ita ex aduerso in Dunam exonerant, vt Vsuiata Lukos, Kaspla Smolenscam pertineat, præueniendum eum ratus subitario opere communierat. Hoc in ipsum quasi initium siluarum incurrit. Samoscius cùm duas omninò vias secundùm vtrāque Dunæ ripam propositas sibi videret, intelligeretque si vltradunana progrederetur, bis flumen transeundum: pontem alterum sub Velisio in conspectu quasi hostis faciendum; etsi de altera quærendo reperiebat, non difficilem modò transitu esse; sed vix singulari homini iter per eam esse: exercitum post Vitoldum Ducem centum sexaginta annis neminem ea duxisse; ea tamen ire constituit. In siluam ipse se infert: locisque per quæ patefacienda via erat, perlustratis, ac indè peditum aliquot cohortibus immissis, partim securibus siluas cædere, ferroque viam aperire: reliquos opere occupatis præsidio scloppetis expeditos esse, operisque & excubandi vices partiri inter se iubet. Erat magni laboris res, primùm arbores, quæ in solo vbere tot annorum spatio in immensum se effuderant, exscindere; easdem deinde de via, quæ instituebatur, comportare. Eum alius excipiebat non multò leuior, cùm præcipitia aut palustria loca pleraque essent, vel ponte ea sternendi, vel cratibus ac virgultis exæquandi. singulari tamen militum ac Nicolai præsertim Vrouecij studio, per viginti millia passuum ea die via patefacta, postridiè illac iter exercitus faciens, ad locum Verschouinum appellatum, in quo pagus olim fuerat, totidem à Velisio passuum millibus peruenit. Propinquum Verschouino locum Vitoldi pontem etiamnū Kosakki nominăt; quod fama acceperint, isthac ponte effecto Vitoldum aliquando copias duxisse; eodemque tum etiam per latissimam paludem, paucarum horarum spatio celeriter ponte effecto, postridiè minus emensus, quod montes crebri interiecti iter morabantur, decem à Velisio passuum millibus, summo silentio consedit; nulloque ne pabulandi quidem causa excurrere permisso, sequenti die oppugnandi præsidij consilium cepit. Objiciebatur hoc loco noua difficultas; quòd hostis, quò is locus castro propior erat, eò diligentius muniendum ratus, incisis arboribus, ijsque ex aduerso deiectis ac inter se commissis, alijsque insuper coaceruatis, per aliquot millium passuum spatium, omni muro firmiore munitione se sepserat; siluaque quæ ne perspici quidem posset, etiam media die nocturnum aliquem horrorem ingredientibus incutiebat. Dat iterum negotium peditì, vt iter explicet. Eodem die Mikitam & Birullam notos Kosakkorum

Duces, qui excursione in ditionē Smolenscensem superioribus dieb⁹ facta, ab ea ad exercitū venerant, longo ambitu trans Dunam flumen ad obsidendam viam, quæ ad Lukos pertinet, mittit. Excipitur ab his Kudrauus nobilis Moscus: qui cùm duobus comitibus egressus fuisset, vnus eorum à Kosakkis interfectus, alter elapsus fuerat. Ex hoc postridie in castra perducto quale præsidium Velisij sit, deque Kosakkorum manu aliqua allatam fuisse ad præsidium famam; tantum in propinquo exercitum ignorari cognoscit, quibus rebus cognitis, relictis in loco cum præsidio certarum turmarum & cohortium omnibus impedimentis, præmissisque peditibus atratis, & Vibranouiana cohorte, ac reliquo peditatu ipse ad extremum siluæ propinquo à Velisio interuallo subitò excurrit; quòd ea loci natura erat, vt si hostis aduentu eius cognito, aditu prohibere eum voluisset, exigua hominum manu intra siluam cum plerisque alijs, tùm eo maximè loco eum morandi summam facultatem haberet: simul si fortè fama aduentus sui ad hostem nondum perlata, per incustoditas portas irrumpere, ac repentè præsidium opprimere posset. Vix extra siluam eo egresso, hostes tormento exploso aduentus eius signum dant: eodemque momento accolis omnibus intra munitiones receptis, quicquid circa eas ædificiorum erat, incendunt. Samoscius militari nihilominùs clamore sublato, subita equitum peditumque excursione obiri munitiones iussit. Est Velisium spatio satis amplo, turribusque nouem munitum. ad meridiem atque orientem Duna flumine, à septentrione riuo quodam, qui per lacum in Dunam ibidē infra castrum illabitur, ab omnibus partibus, maximè verò ab occidente altissimis fossis ambitur. Castris à septentrione metatis, munitiones à superiori Dunæ parte Vngaros agere iubet; infra eos medio loco Polonos: Vrouecium cum atratis cohortibus ab occidente curare: Vltra Dunam Lukos versus Kosakkos in excubijs collocat. Perfecto paucis diebus magna celeritate opere, tormentis quatere muros instituit. Ea tum nostrorum tormentorum, quemadmodum ex captiuis & tormentis ipsis fractis cognitum postea est, felicitas fuit; vt nullus ferè globus mitteretur, quin ex illorum tormentis aliquod corrumperet. Indè ignitos globos Bornemissæ, quem Vngarorum munitionibus Samoscius præfecerat, periclitari placuit: incendioque ex Vngarorum munitionibus excitato, ac mox oppresso, idem Vrouecius cùm tentare cœpisset, pars pontis interscissi, quæ reliqua ad portam castelli erat, ab atratis exusta fuit. simul duabus diuersis è turribus altius fumus tolli conspiciebatur: re hac animaduersa hostes primùm repentino nostrorum aduentu, cùm à qua re maximè tutos se fore crediderant, tam inuias siluas exiguo temporis spatio superatas à nostris intelligentes, nihil deinceps sibi tutum, nihil nostris difficile futurum iudicarent: simul operis perfecti celeritate, tum verò præsenti periculo territi, deditionem fecerunt. Moscus Polotiensium præsidiorum expugnatione commotus, similem casum in alijs castellis, quæ Lituaniam versus ex materia omnia facta erant, veritus; cespite muros eorum tegere instituerat. qua re, quòd cùm per cespitem subitario opere non satis altè congestum ad parietem globi penetrassent, tanto & firmius hærerent, & restinguendi sui facultatem ferè nullam relinquerent, vel maximè tum lædebatur. Commeatus, pabuli, pulueris tormentarij apparatusque bellici tantum repertum fuit; vt recreato omnibus rebus his exercitu, quantum præsidio satis esset, nihilominùs relinqueretur. Rex Surassi, quò interim peruenerat, dum in Duna pons componeretur, & de euentu oppugnationis Velisiensis cognosceret, subsistere constituerat: nuncio hoc cum præfectis, qui in præsidio fuerant, à Samoscio accepto, eò lætior, quòd de ea gratulatione, castri, quod maximè integrum in potestatem suam peruenire cupiebat, detrimento nihil fortuna diminuerat, dum pons ex lintribus nota ratione componitur, ad videndum Velisium excurrit: moxque Surassum se recipit. sub idem tempus literæ à Mosco afferuntur, quibus demissius, quàm vt non simulata ab eo humilitas videretur, significabat, iam se legatos de pace cum idoneis mandatis, quibusque controuersias minui posse existimaret, contra & suam & maiorum suorum consuetudinem dimisisse. quia fieri tamen possit, vt minus adhuc mentem Regis perspexerit, ideoque nondum omni ex parte ea Regis satisfaciant: petere se, vt aut Rex suam de his sententiam planiùs per literas aperiat, aut legatis suis id facere permittat: cùm primis autem antequàm legatos audiat, intra fines

nes

nes exercitum reducat, abſque omni in ſuos iniuria prohibeat. ſub finem literarum à crudelitate, locorum ſcripturæ ſacræ nonnullorum authoritate, more ſuo ac ſolito maiori laudandæ, quàm obſeruandæ eius ſtudio Regem dehortabatur. Rex in eadem ſimulatione, qua antè vſus fuerat, perſiſtere eum videns, tribus pōtibus vniuerſum exercitum in vlteriorem Dunæ ripam mox traduxit. Poſtridie iter facienti iterum literæ à Moſco redditæ fuerunt: Legatos ſuos maximis itineribus progredi expectaret veniētes, ne tridui moram magno detrimento rebus ſuam futuram cogitaret. Regem nihil de celeritate conſueta remittere cupientem tardabat difficultas viarū; quòd Moſcus, eo, de quo antè diximus, inſtituto à Lukis etiam Lituaniam verſus centum & viginti ferè milliū paſſuum ſpatio denſiſſimas ſiluas ſaluerat. Itaq; hic quoque ſilueſtria erāt loca, vix ſingulis peruia: propter crebras autem paludes interiectas magna præterea ex parte cœnoſa, per quæ ægrè iumenta euaderent. Accedebat huc, quòd à primis omni pabulo, ſi quod fortè erat, conſumpto, apud maiorē exercitus partem magna eius quoque rei inopia laboraretur. Itineris is ordo obſeruabatur, vt in primo agmine Lituani ſub Palatino Vilnenſi Duce & Chriſtophoro filio limitanei militis præfecto proficiſcerentur: Hos Ioannes Sborouius Caſtellanus Gneſnenſis aulici militis præfectus, qui iam tum ad Regem venerat, ſequeretur. Poſt illū Vngaricus tam equitatus quā peditatus incedebat. Hos Rex cùm robore exercitus ſequebatur. Regem Ioànnes Sbaraſius Palatinus Braſlauienſis cum equitatu Polonico: Vltimum agmen Nicolaus Seniauius Ruſſicarum copiarum præfect⁹ claudebat. qui quòd pacatis tum Tartaris nihil tumultus ab illis expectaretur, itidem ad Regem ſe contulerat. tormenta aliusque bellicus apparatus omnis vnà cum eo, quem Samoſcius ab oppugnatione Veliſienſi ad Regem remiſerat, per Vſuiatam aduerſo flumine trahebantur. Cùm Lituani ferramentis ad ſiluas cædendas ac aperiendam viam idoneis deſtituti tardiùs procederent; Rex delectos ex Vngarico peditatu trecentos ad explicandam celerius cum Lituanis viam præmiſit. à quibus magna celeritate via expedita primùm Lituanorum agmen xviij. Kal. Septemb. ad Vſuiatam peruenit: Rex decem ab ea millibus paſſuū conſedit. Vſuiata in modico colle intra duos lacus ac flumen Vſuiatam ſita, ab occidente Vſmiana lacu, ab oriente altero Vſuiata, à meridie flumine eiuſdem nominis, qui per vtrumq; lacum decurrens ad Suraſſium in Dunam influit, clauditur. Cœperat ad arcem admouere munitiones iuſſu Palatini Vilnenſis cum Lituanis Georgius Sokolin ſcius. Huic cùm Vngari ſe adiunxiſſent, atque vna nocte admirando labore ad portam tam propè, vnde telum adijci poſſet, foſſa perducta, continenti ſclopetorum ictu neminem in aduerſa turri conſiſtere paterentur: nomine ſimul & aduentu regio, quem ex latis caſtrorum ſpatijs ab caſtello in omnes ſubiectos campos deſpectum habente cognouerant, territi, qui in præſidio erant, deditionem eodem die fecerunt. Rex ab Vſuiata Lukos verſus tendens principio eadem rurſum viarum aſperitate, perpetuis ſiluis denſiſſimè, quemadmodum antè oſtendimus, inter ſe implicatis, ad hæc ſolo cœnoſo & impeditiſſimo exceptus fuit. Pòſt commodiore aliquanto via vſus fuit, aridiore ac arenoſo penè ſolo. Vbique tamen vt per loca inculta ac deſerta magnam commeatus inopiam exercitus perpetiebatur. Reliquerat Rex ad tormenta, quæ ab Vſuiata terreſtri itinere tardiùs ſubſequebantur, Nicolaum Seniauium cum Ruſſicis copijs: apud haſce eò etiam vehementiùs laboratum fuit, quò eæ propter impedimenta tardiùs incedebant. Subleuatæ tamen deinde aliqua ex parte à priuatis Samoſcij nauibus fuerunt: quas cùm vlteriùs terreſtri itinere trahere ſecum non poſſet, Vſuiatam commeatus ac pabuli plenas dimiſerat. ſub idem tempus Volminſcius à Chriſtophoro Radiuilo Lukos præmiſſus, aliquot ab vrbe millibus cum ſtationibus hoſtiū prælio commiſſo, aliquotq; captis ceteros in fugam vertit. Samoſcius, quòd pōs, quo aliàs in trāſmittendis fluminibus exercitus vtebatur, penes Regem erat, rate, quali ad Sokalam exercitum traductum oſtendimus, ad Veliſium quas ſecum habebat copias traduxit. Accidebat autem, vt cum Veliſio, quemadmodum dictum eſt, naues, quibus commeatus exercitui ſupportabatur, Vſuiatam ab exercitu dimiſiſſet, tyrones plerique, qui nuper nomina in militiam dederant, nec magnum rei militaris vſum habebant, quòd ab eo præſidio quo maximè cōfidebant, relinqui ſe videbant, anguſtias itineris ac ſiluarum, per quas duci ſe audiebāt, magnitudinem veriti

animis ferè conciderent, compluresque passim diffugerent: in quorum vnum atque alterum desertorum grauiori pœna constituta, reliquos facilè Samoscius retinuit. Proficiscebatur via militari, quæ Smolensca Lukos ducit; vt dextrum latus Regis teneret. qua via cùm Moscus quoque exercitus suos ducere soleat, quos quemadmodum suprà dictum est, Lukis semper cogebat: omni ea pontes maximis ac robustissimis ex trabibus facti erant; quia tamen vetustate plerique vitium fecerant, nō exiguus in illos ipsos reficiendos labor militi impendendus erat. Excubabant ad Lukos & prata Oranensia Tartarorum Nohaiensium turmæ aliquot; quas Vlanecius è principum Tartarorum genere in Moscouia natus ductabat. Eas Chilchouus sub primam oppugnationis famam Velisium miserat. Cùm Bobroiedouum quinquaginta à Velisio passuum millibus accepto iam in potestatem à Samoscio castro, venissent, ac ab agrestibus, quo loco res esset, cognouissent, Toropeciam versus se recipientes, indè agmen nostrum ex itinere obseruare instituerunt. Scripserat Rex ad Samoscium, vt quàm primùm cum eo se coniungeret: qua de causa cùm à Smolenscensi via ad læuam Samoscius iter conuerteret, Tartarus interim, qui iam antea semel à fronte ad Polonam flumen reiectus fuerat, iterum recurrerat; si quos lentiùs insequentes extremum agmen obseruando excipere fortè posset. Sed præter quàm quòd ea ratione, quemadmodum antè ostensum est, copiæ incederent, vt extremum agmen lectissimæ cohortes, ac turmæ aliquot equitum clauderent, Kosakkos etiam, quoties eius rei facultas daretur, post agmen in insidijs considere Samoscius iusserat: quibus si qui vestigia exercitus legerent exciperent. Id cùm fortè ab ijs, qui sub Vincentio erant, factum fuisset, ac in campum quendam è siluis aciem agmen nostrum explicaret, Vlaneciusq; cùm Tartari signa conspicati retro cederent, ipse ante alios progressus, vt se sequerentur, suos hortaretur, in Kosakkos incidit; ab ijsdēq; circumuentus captus fuit; reliquos Tartaros fugientes siluæ texerunt. Samoscius cùm ad Oranensia prata quinque circiter millium passuum interuallo à reliquo exercitu consedisset, mox ad Regem indè accessit. Præmissi de exercitu Lituanico à Radiuilo antecursores Lukos versus fuerant; qui cùm ad Louatum fluuium progressi, itineris duce, qui vadum illis commonstraret, destituti ad arcem peruenire non potuissent, Mosci interim, qui in præsidio erant facultatem nacti Demetrium quendam, qui in Lituania diu versatus, tum ab exercitu Lukos transfugerat, cum literis ad principem suum mittunt: deque aduentu exercitus, & ꝙ pridie iam copiæ nonnullæ sub munitionibꝰ se oēstdissent, certiorem eum faciunt. Exercitu per angustias siluarum in aperta omni traducto, non parum iam ad summam rei profectum, ac quasi ad vniuersam Moscouiam aditus patefactus existimabatur. Constabat enim inter omnes, si Moscus ad prohibendum transitu exercitum se conuertisset; plerisque locis, vel exigua manu nullo negotio eum distinere, aque re frumentaria in tam inuijs siluis, per quas viginti dierum spatio hæsisset, interclusum incommodo etiam afficere potuisse. Rex cùm ad arcem rectà ducere constituisset, Samoscium, qui situm naturamque loci cognosceret, præmisit. Vielkoluki, ac si magna prata diceres, ab amplitudine ac frequentia vrbis, circūiacentis regionis totius amœnitate, atque cultu nomen acceperunt. Arcis in modicum tumulum subductæ, qui omnibus ferè ex partibus lacu, altissimaq; valle, quæ lacum vndique ambit, continetur, à meridie & oriente, à qua vna sola parte lacus nō coit, imam partem Louatus fluuius ambit: angusta omninò semita inter lacus & suas ripas relicta, quæ eodem, quo arx ac flumen ipsum, flexu in longitudinem sinuatur. Vallo tum circumdata erat altissimo, quod non modò priuatorum ædificiorum, sed templorum ipsorum, quę frequentia in ea sunt, pinnaculorum conspectum accedentibus eripiebat. Ad has munitiones, turres Germani cuiusdā artificis opera sciēter dimēsas complures: vnā verò à fronte, qua ab oriente inter lacum ac flumen patet, omnium firmissimā ac amplissimā adiecerat. Omnes autem cespite altissimo: maior quidem hæc viginti duos circiter pedes lato vestitæ erant. Louatus supra Ieserisciam ex lacu quodam deriuatus, à meridie, quemadmodum ostensum est, arcem perstringit: inde in septentrionem versus, relicta arce, vrbeque in duas partes scissa recto cursu per lacum Ilmenum sub Nouogardia, priori nomine in Volchouam cōmutato, in sinū Finlandicū se exonerat; nauigationisq; hac opportunitate maximè

mè Lukos locupletauerat. Vrbem amplam atque ab vtraque fluminis ripa latissimè arci circumiectam, quãuis mœnibus ac turribus ligneis, fossis etiam satis amplis munitam, quinto antè die, quàm castra Rex ei admoueret, instituto suo omnibus priùs rebus in arcem comportatis præsidiarius miles incenderat. Samoscius iusta equitũ peditumque manu ac militaribus aliquot viris assumptis in viam, quæ ad Toropeciam atque vlteriorem Moscouiam pertinet, prouectus, ab ea ad arcem rursus deflectens Moscis se ostendit. Hostes conspicati, primò suas copias Toropecia venientes rati, extra arcem progressi, mox signis agnitis summa celeritate se receperunt. quidam tamen ac in his Farensbekius subitò in eos inuecti aliquot assecuti interfecerunt. Samoscius ab omnibus partibus diligenter situ loci perlustrato, ad Regem se recepit. Iusserat sequi se ab exercitu alios quosdam, qui diuersa via excurrentes, ea qua venturus esset, sibi occurrerent, Hos à superiore arcis parte flumẽ trãsgressos Mosci conspicati, insidias ab ea parte posuerunt: itaque celeriter eç coortæ fuerunt, vt Ioannes Bornemissa summæ inter Vngaros virtutis præfectus, cùm in turba ab irruentibus manus iniectæ ei fuissent, equusque loco humido hæreret, veste relicta recipere se coactus fuerit. Moscus etsi suspicabatur Smolenscam potiùs Regem se conuersurum: in hanc tamen quoque partem præ cæteris intentus, ad Toropeciam exercitum Chilchovo Duce contraxerat: qui seu Smolensca seu Luki peterentur, quò opus esset, suppetias suis ferret. Mandata his in omnes casus dederat, vt à prælio omninò abstinerent: in singulos modò, si quos ab exercitu digressos, aut per agros palantes nancisci possent, intenti essent. Ipsis Lukis Knesium Theodorum Obalenscium Lichovum cum summa authoritate; secundũ eum Michaëlem Chassinum & Oxachovum præfecerat: quòdque ijs ipsis, quos constituerat, præfectis non satis salutem arcis exercitusque crederet, Ioannem Vieechovum primarium cubiculi ministrum, qui Lichovum cæterosque in præsidio: Dementium Ceremissam, vt Chilchovum, qui ad exercitum erat, obseruaret, per eos dies miserat. Perspecta loci, quemadmodum dictum est, natura, Rex qua à meridie fluuiꝰ arcem alluit, cum exercitu pulcherrimè instructo sub signis accessit: absque altera parte Samoscio reliquas copias item latissimè expansas adducẽte, horribilem speciem is vniuersi exercitus vno tempore accedentis, inque tot acies explicati despectus hostibus præbebat. Postridie legati Moscouitici, nullis adhuc versus arcem munitionibus directis, in castra venerunt. Hi cùm Smolensca Surassum venissent, quod Surassò regium imperiũ finiebatur, ijs qui deducendorũ causa pro more obuiam illis missi fuerant, nolle se vlteriùs progredi, nec in Principis sui ditione mandata sua exponere se posse ostenderant. Cùm illi id in ipsorum potestate fore respondissent: se quidem ad Regem redituros: ipsi si ad Principem suum reuerti vellent, neminem impediturum; tandem, vt ergo vi se pertraherent, hortati comites fuerant. risu excepti, neminemque vllam ijs vim allaturum edocti, ipsi sibi consilium caperent, ridiculè ad extremum vi tamen adactos se sequi attestati, secuti fuerant. Consilio pridie Calend. Septemb. ijs dato, eadem, quæ ante dixerant, iterarunt: negarunt posse se vlla de re agere, nisi prius Rex vniuersum exercitum intra fines reduxisset. Rex legatione tam absurda repudiata, eodem in consilio Samoscio, vt quæ cum illo de ordienda oppugnatione communicàrat, administraret, mãdat. Redijt sub idem tempus in castra Drobisius. Missus hic paulò ante à Radiuilo Toropeciam versus, in turmam equitum à reliquo exercitu digressam inciderat. quę cùm paucis excubitoribus aliquot collocatis, quieti se dedisset, tanta celeritate impetum Lituani in excubitores dederunt, vt vnà cum fugientibus ad cæteros quiescentes delati, priusquàm ab illis sentiri aut arma capi possent, eos occuparent, nonnullos cæderent: quosdam caperent: reliquos in fugam conuerterent. Samoscius militem, quem penes se habebat, primò per amnem non admodum altum, sed vligine valde impeditum, & ad Louatum restagnantem inter crebras hostium iaculationes, quæ eò pertingebant, ponte; inde Louatum infra arcem duobus vadis traduxit: adque riuum èregione arcis manantem castra more Polonico curribus circumiectis communijt. Ad eas, quas antè habebat, copias reliquum peditatum omnem tam Polonicũ quã Vngaricum Rex illi attribuit. Vngari cum Ioanne Bornemissa & Stephano Carolo, qui Michaëli Vadasio successerat, statim transiere: locoque occidentẽ versùs capto, quo ire se iuberet ad Samos-

moscium miserũt. Cùm ille exteris pre cæteris indulgendum ratus, ipsi sibi locum legerẽt, se permittere ostenderet: illi rursum ad eius arbitrium rẽ reijcerent: ratus eum, quẽ instituissent, locum maximè ab illis probari, eundẽ, vt retineret, munitionesq; ab eo ad arcẽ agerent, Bornemissa tormentariæ rei præposito, mandat. Interim, quòd Polonicum quoque peditatum citius subsecuturum arbitrabatur, ad inferiorẽ fluminis partem, qua vrbs antea fuerat, subitò nonnullos disponit, qui fossas munitionesq; ab ea quoque parte instituerent. Verùm cùm quòd alios viminum ad corbes militares petendorum causa dimisisset, impedimenta eo die omnia traducere non potuisset, atratos cohortes aliquot præsidio illis relinquere necesse habuerat: præterea reliquus etiam Polonicus peditatus tardauerat: qua rẽ fiebat, vt pauci omninò in opere essent; ijque cùm maius nihilominus pro numero suo opus ea nocte perfecissent, accidit, vt tyrones quidam ex ijs negligẽtiùs sub arce versarentur, in quos postri die Mosci eruptione facta, priusquam subsidium eis ferri potuisset, vnum interfecerunt, alterũ ceperunt: signoque militari, quod lentius signifer proferebat, abrepto, in arcem propere se receperunt. Haud multò post reliquæ cohortes cum impedimentis, vniuersusque Polonicus peditatus aduenit: opereque e summa celeritate pfecto, sequenti nocte & à Polonis & ab Vngaris tormenta constituta fuerunt. Eadem nocte interuallum, quod inter Louatum flumẽ atque lacum orientẽ versus exiguum intercedere diximus, perfodere Samoscio visum fuit. quod cùm lacus fossæ vicem arci præstaret, si deriuatus fuisset, multò cõmodiùs per siccas fossas ad oppugnationẽ iturum militẽ iudicabat. Peditatui vniuerso Polonico ac atratis cohortibus Nicolaum Vrouecium perfecerat: præterea verò inter primores quosdam comparârat, vt cũ ipse ad alia opera abesset, eorum aliqui in vices ad munitiones curarẽt. Euenerat tum sors ea Petro Kloceuio Castellano Sauichostensi: qui vt homo ad militaria munia promptus, dum ipse ad opus inter frequentes tormẽtorum ictus, qui continuò ex arce in intẽtos operi dirigebantur, contendit, globo traiectus interijt. Sub hęc Rex Louatũ ipse transgressus, vt oppugnationẽ inspiceret, quod per tam altum eumque recentẽ cespitem non posse penetrare globos videret, ne ijs iaciendis tẽpus eximi pateretur, Samoscium monebat. Itaque in pinnacula, è quibus sedilia tormẽtorum, quę per vallum disposita erant, dirigebantur, iaculationibus ab Vngaris conuersis, incensa mox ea fuerunt. Etsi autem vlteriùs ignis non progrederetur, quod sedilibus, quæ diximus, exustis, in aggerẽ mox desinebat: illi nihilominùs incendium conspicati, manu statim facta ad vallum successerunt: iustoque temporis spatio sub eo versati, cùm tandem hostis collecto animo ad repellendos concurreret, illique nihil eorum, quorum causa in eum locũ progressi fuerant, succedere sibi viderent; sub noctẽ ad munitiones suas per lacum se receperũt. Legati interim qui in castris erant, incẽdio hoc in metum adducti, iterum admitti se petebãt. cui⁹ rei altera die potestate ijs facta, quòd ignis iam conquieuerat, illique metu iã liberati videbantur, eadem qua antea simulatione vsi primò Churlandiã & Rigam Regi offerebant: his deinde Polotiã adijciebant: tandẽ pro captiuis Vsuiatam & Ieserisciam: ex quibus Ieserìscia sola in potestate Mosci tunc erat. multis vltro citroq; verbis factis summa hæc fuit, vt spem facerent, posse ad æquiores cõditiones pacis causa Principẽ suum adduci, si tabellarium cum literis hac de re ad illum mittendi potestas sibi fieret: Rexque ipse non acquiescere se conditionibus à legatis propositis per literas ei ostenderet: interim ab oppugnatione abstineret. id vt illis permitteretur, senatores quidam Lituani persuadere Regi conabantur. quòd cùm omnia tam diu frustra tentari viderentur: omnibus incommodis belli se potissimum, apud quos sedes eius esset, expositos, periculoque proximos cogitarent: ac si capta arx esset, defendendæ eius onus, quod in tot hostilium præsidiorum vicinitate, siluarum à Lituania interiectarum magnitudine maximam difficultatem habiturum intelligebant, ad se potissimum rediturum. Rex etsi ad omnia potiùs descendere paratus erat, quàm oppugnationem dimittere: vrgentibus tamẽ illis, Samoscium qui ad munitiones tum versabatur, assiduusque in opere erat, vt de statu oppugnationis, quemadmodũ postulatum à Lituanis fuerat, ex eo cognosceret, accersit. Duob⁹ primarijs senatorib⁹ Lituanis adhibitis, quid à legatis petatur ostẽdit: quærunt ex eo senatores ij, quid de suc-

succeſſu oppugnationis polliceatur:niſi certam ſpem potiundæ arcis afferat, ſatiùs eſſe petentibus iam dari, quod haud multò pòſt difficultatibus ipſis cogentibus maiori cum ignominia tribuendum foret. Reſpondet Samoſcius, vt in re, quemadmodum omnia ſint belli, incerta nihil certi promittere poſſit; ita bene tamen potiùs cùm conſilio atque fortuna Regis, tum virtute militum fretum ſperare: præſens verò oppugnationis tempus eximi pati, quem alium exitum habiturum quàm vt ſi qua nunc expugnandæ eius facultas ſit; ea poſtquàm anni tempore in autumnum iam vergente conſuetæ regionibus ijs tempeſtates, effuſique imbres ingruerint, nulla prorſus relinquatur? Rex quemadmodum antè in animo habebat, inducias dandas non iudicabat: vt ſuum interim negotium vtraque parte, ea qua antè ratione adminiſtrante, literas legati ad Principem ſuũ darent, permiſit: ijs ſuas addidit, quemadmodum petitum à legatis fuerat, quibus diem certam intra quam reſcriberet, illi præfiniebat: ſimul Vngaros vallum ſubire, abque ima parte eius, cuniculum aperire, huicque puluerem ſubijcere iubet. Itaque ponte ab eo loco, quo anguſtior lacus erat, ſubitario opere ſtrato, reliquoque opere vna nocte perfecto, puluis ſub crepuſculum ſubiectus, ac à meridie demum incenſus, turrim, quæ ab ea parte erat, corripuit; ceſpiteque diſiecto parietem propugnaculi nudauit. quem cùm Vngari mox incendiſſent, Moſci incendium, quod maximum exortum erat, reſtinguere conarentur; nec noſtri à continuis in Moſcos ex omni tormentorum genere iaculationibus, nec illi à conatu reſtinguendi ignis, magno cum incommodo ſuo, priùs ceſſarunt, quàm nox interueniens & noſtris ſcloppetorum vſum eriperet, & illis opprimendæ flammæ ſpatium daret. Ab altera parte munitiones hoſtium, quas per maius, quod demonſtratum eſt, propugnaculum egerant, vineæque, intra quas tormenta cõſtituerant, quàm maxima noſtrorum tormentorum vi de vallo proturbantur: cumque impigrè tormentis res adminiſtraretur, vineæ omnes ferè de vallo deiectæ fuerunt, hoſtesq; ſe ac tormenta ſubduxerunt. Pleriſq; cuniculum indè ad propugnaculum agẽdum exiſtimantibus, Samoſcio ea de cauſa minùs id probabatur, quòd in ſolo humido ac paluſtri, intra flumen atq; lacum medio vix cuniculo locum fore iudicabat. quòd verò propugnaculum id vlteriùs nõnihil quàm reliquę turres, ita prominere animaduerteret, vt nulla ab alijs propugnaculis tormenta rectis ictibus per frontem eius dirigi poſſe: omnesque qui à lateribus in eam partem accideret, tranſuerſi ferri viderentur, ſi ad eum locum miles ſuccederet, quòd à tormentis lædi non poſſet, vel per ipſum ceſpitem multò faciliore ac commodiore ratione ligonibus ac turrim viam patefieri poſſe ſibi videri oſtendebat. Itaq; foſſam verſus propugnaculum duci iubet. quam rem Luca Syrneo cum atratis cohortibus impigrè curante, cùm vlterius progredi vellet, palis quos iuſto ſpatio ante vallum ingentis magnitudinis confertiſſimos in terram defixos obiecerant, prohibitus fuit. Poſtridie vineis ac tormentis hoſtium, quemadmodum dictum eſt, iam antè ſummotis, nõnulli ex noſtris inter ſe cohortati nullo imperio ad propugnaculum excurrentes, ſcalis admotis, vallum ſcandere cœperunt. His à Moſcis partim à fronte deiectis, partim per auerſam portam, quæ ad Louatum ab oriente pertinebat, erũpentibus circumuentis, quidam ex ijs grauiſſimè vulnerati relicti fuerunt. Samoſcius, qui alia tum ad caſtra curabat, cùm de irruptione ea noſtrorum cognouiſſet; ſubitò ad eas munitiones ſe retulit: conſpicatusque vulneratos, quos diximus, aureis aliquot nummis depromptis, quos vt tyronum animos ad maturandum impigrè opus pręmijs inuitaret, ad tormenta ſemper expoſitos habebat; certam pecuniam ſi qui vulneratos retuliſſent, pronunciat: quibus relatis, vt leui initio ſucceſſum ei⁹ quod animo ꝓpoſuerat, periclitaretur, ligone vni dato, pręmioque propoſito, quid fieri velit, oſtendit: interim ſi primo ſucceſſiſſet, qui eum ſequerentur, paratos eſſe, ac ad foſſam inferiorem procurrere, ibique ſe continere & ſignum expectare iubet. Contra eruptiones hoſtium Vibranouium opponit: eũ cum ſcloppetarijs aliquot ſecundùm ripam fluminis propius verſus propugnaculum, atque auerſam portam, per quam erupturi hoſtes erant, ſuccedere: Veierum præterea ex munitionibus diligenter tormenta in erumpentes emittere iubet. Ille, quemadmodum iuſſus erat, accepto ligone, per foſsã intra munitiones noſtras ad palos vſque, quos oſtendim⁹, peruenit: indè ſumma celeritate per crebras hoſtium eiaculationes ad vallũ procurrit, eiq; ſe applicans iam

extra tormentorum hostilium ictum, cespitem ligone scalpere incipit. Hostes à diuersa parte circumueniendi eius causa se effundunt. His Vibranouius, qui ad ripam fluminis, quemadmodum dictum est, cum scloppetarijs aliquot col locatus fuerat, à tergo se ostendit; cumque creberrimis præterea tormentorũ ictibus, qui ab omnibus partibus ex mu nitionibus in eos dirigebantur, peteren tur, reiecti fuerunt: Vnus verò ex ijs Sabinus Nossouus strenuus manu inter Moscos, & qui è præsidio Susensi magnis incommodis nostros affecerat, duo bus globis frontem à Vibranouianis perstrictus, vnoq; à Veiero emisso sub pedibus eius transeunte perculsus ad stationes à nostris pertractus fuit. vbi se collegisset, interrogatus de statu præsidij omnia dicebat, quibus spem potiun di eius nostrorum minueret: non eius generis arcem esse, quæ cum superioribus à nostris expugnatis cõparari posset: vallo crassissimo cingi: turres latissimo cespite protectas nec tormẽtorum ictibus, nec incendijs patere: propugnaculum illud vnum munitissimæ arcis instar esse; ternis ingentis magnitudinis trabum ordinibus singula eius latera reuincta: altissimo cespite vestitum: ne cuniculis quidem tentari posse, cùm propter soli palustris humiditatem, tũ quòd fundamentum ex firmissimis palis, ac ingentibus solidisque saxis subiectum haberet. Hæc Samoscium omnia magis in sententia confirmabant. Nam & quòd cuniculo antè aggressus eam non fuisset, bene cecidisse intelligebat: & quò maior lignorum vis vnum in lo cum congesta esset, eò & citiùs incendium tolli posse, maioresque vires sumpturum iudicabat. Postridiè aliam fossam secundùm flumen, qua Vibranouius antea constiterat, duci iubet: subsidia in hac contra eruptiones collocat: tormenta item trans flumen contra auersam portam transducit: simul magnam materiæ vim comportatam, stupa inuolutam, sulphureque ac pice oblitam, Stanislai Kostkæ opera ad futurum incendium præparat: quibus rebus perfectis summo manè, eodem, quo antè modo ligone dato, alterum rursum immittit: ei mox alios summittit; vt crescente tandem multitudine concurrentium, vnâque cum ea opere, iam triginta circiter hominibus capien dis os in cespitem patefieret: ac ad turrim ipsam perueniretur. Fortè eo loco fenestra olim fuerat, priusquam terra obtegeretur. per hanc Mosci scloppetis nostros, nostri item Moscos mutuò arcebant, simulq; excussis ignibus, ligna, quæ secum attulerant, inferebant: Moscisque hastis tandem per fenestram gerere rem instituentibus, eas arreptas illis extorquebant. Samoscius interim ad alia castra paululum se receperat; veritusque ne perperam quid administraretur, ne se absente ignes inferrentur, vetuerat. Postquàm admoueri ignem sensit, statim accurrit; iamque eò rem progressam videns, vt strenuè eam vrgeret, militem hortatus, tædas iam antè eum in vsum præparatas, quàm frequentissimas subijci iubet. Multorum hic è nobilitate etiam cùm aliorum, tum præcipuè Christophori Rosdrasceuij præfecti Lanciciensis, qui sub ipsum illati ignis principium, absente Samoscio, ad extremam fossam ac palos procurrens, omniaque pericula magno animo excipiens, promptissimè rem adiuuabat, singulare studium enituit. Nõ deerant sibi tanto in periculo Mosci: corijsque madefactis, & quibuscunque alijs poterant rebus incendio occurrebant. Magna tædarum atque ignium vi toto die continuò in turrim coniecta, nullum tamen adhuc incendium erumpebat. qua de re varijs in consilio sententijs dictis, cùm quidam adhuc cu niculos tentandos arbitrarentur, Samo scius, etsi in ancipitem curam ex diei eius euentu coniectus erat, nondum tamen planè de suscepta incendij spe deiectum se ostendebat: posse & paruam scintillam in magnum incendium tolli: suspicari se tantum ignis atque tędarum huiusmodi lignorum ac aridorũ præsertim strui admotum non sic abiturum. quod si minùs tamen nunc successisset, sequenti nihilominus die denuò ignes inferri iussurum: omniaque interim maiori diligentia præparaturum. Ab altera parte Vngari eruptionem, quà ab ipsis aditus in vallum patẽ factus erat, flagitabãt. Samoscius, quòd arduus indeque præceps locus erat, ad Regem se relaturum ostendebat: interim in omnem casum, quis ordo irruptionis seruari deberet, si tentanda Regi videretur, disponebat. Mosci interim in tam ancipiti discrimine versari se videntes, contra os, per quod Vngaros irrupturos metuebant, crebra tormenta collocabant: ab altera parte incẽ dio quibuscumq; poterant modis contra veniebant. sed nulla omninò restin guendi eius ratio ostendebatur; quòd vt quisque ad opprimendam flammã turrim ingressus fuerat, fœtore atque fumo

fumo protinus exanimabatur. Cùm quò diutiꝰ ignis ſuppreſſus eſſet, eò maiores vires concepiſſet, de ſecunda vigilia magna flammarum vi per ceſpitem ſubitò erumpente incendium ſublatũ ædem ſaluatoris,quę proxima propugnaculo erat,corripuit;indeque per pinnacula peruagatũ reliqua priuata ędificia populari cœpit. Samoſcius,quòd exercitum hoſtiũ in propinquo eſſe ſciebat, excubias alijs nouis de exercitu adiectis mox firmat:præſidia equitum ſupra Vngarorum & Polonorum munitiões diſponit :in medijs caſtris in equis omnes conſiſtere iubet:ad eas que Staniſlao Solkeuio relicto, ipſe ad Vngarorum munitiones ſe confert. Interim vt & tot hominum vitę parceretur,nec munitiones, tormenta, ac apparatus bellicus reliquus, præda denique militi debita incendio corrumperetur,ad deditionem Moſcos hortabatur. Obſeſſi in extremo rem ſuam verſari videntes, primario ad illum ſacerdote miſſo conditiones nihilominùs, tamquam integris rebus, proponebant. Samoſcius retẽto penes ſe ſacerdote,Paulum Iulanum cum Ioanne Chriſtophoro Droiouio ad eos mittit, qui quo loco res eorum ſint doceant, vnamque deditionis conditionem eſſe,vt clemẽtiæ Regis ſe permittant. Inter hæc cùm illuxiſſet, ſimul Rex ac plerique ſenatores ex ſuperioribus caſtris acceſſerunt.Confluxit & lixarum ac calonum ad ſpem prædę non exiguus numerus; iamq; pars per vallum nitebatur. quod cõſpicatus Vngarus miles,fremens expertes laborum ac periculorum oppugnationis ad prædam conuolare: tandemque ab hoſte quoque crudelitatis ac ſæuitiæ pœnas expoſcendas, illiusq; etiam ſanguine tot commilitonũ mortibus,multorumque ſæuiſſimè ab illo excruciatorum ſupplicijs parentandũ dicens: dum inani clementiæ ſtudio iam toties illi parcitum ſit: dimiſſum ad Polotiam,Suſam, Veliſium, Vſuiatam,per alia pręſidia diſtributum:vires eius auctas, crudelitatemque magis confirmatam,in arcem irrumpit: promiſcuè omnes interficit. Idem Polonus miles facit. Miſerat iam antea Samoſcius, qui Palatinos primariosque pręfectos deducerent.Adducti ab ijs fuerunt præfecti tres, Ioannesq; Vieichovus,de quo ſuprà dictum eſt.de eo cùm vt homine magna apud Ducem gratia, ſecretorumque omnium conſcio diligentiùs Samoſcius interrogaſſet; ille more Moſcouitico ad ſupplicium & cruciatum ſe queri exiſtimans,longiùs è conſpectu Samoſcij verſus caſtra productus, conſpicatus in proximo Georgium Farensbekium, cum quo in Moſcouia notitia illi interceſſerat,ad eum vitæ deprecandæ cauſa ſe proripuit. Id fugam Vngarus miles interpretatus, ſubito in eum impetu facto, nullo opem ei ferre valente eum interfecit. Iam ignis ad fornices,in quibus pulueres tormentarij aſſeruabantur, peruenerat.quo periculo oblato pars ſe ſubducebat, nonnulli à præda & cæde nullo periculi metu auocari ſe paſſi in arce remanebant. Inter quæ ſubito ingenti fragore edito, puluis incenſus fuit; magnamq; cùm vicinorum ędificiorum, tum hominum tam noſtrorum, quàm captorum ſtragem fecit. Eo igne tormenta ſimul,& quicquid in arce armorum erat,quorum ex Liuonicis manubijs magnum numerum eò Moſcus congeſſerat, inſtrumentumque militare, ac reliqua præda omnis partim exuſta, partim corrupta fuit. Ex maioribus tormẽtis vnum ſolum accipitris imagine, ac circa id minora nonnulla, quæ loco inferiori dirutis ædificijs contra os, per quod Vngari irrupturi erant, diſpoſuerant, reliqua ignis fecit. Mortuos, quorum paſſim magni aceruí iacebant,à lixis ſepeliri : foſſas è quibus oppugnata arx fuerat,à milite ſuppleri Rex iuſſit. Indè arcis reſtaurandæ muniendęque, quòd ſine ea regionem agrumque ab hoſte captum nulla ratio ne retinere ſe poſſe videret, ſummam curam ſuſcipiendam ſibi intelligebat. Itaque adhibito architecto Italo Dominico Rodolphino Camerte, ſecundùm eam rationem,qua ipſe opus dimenſus erat,in Polonos, Vngaros & Lituanos, æmulatione nationum eò citiùs perfectũiri exiſtimãs,id partitur.Erat,quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt, exercitus hoſtium ad Toropeciam;qui,quem admodum iuſſus erat, prælio dimicare in animo non habebat : in ſingulos ſaltem, ſi quos fortè ab exercitu frumentandi, aut pabulandi cauſa digreſſos, excipere poſſet, intẽtus erat; Regeque obſeſſione ad Lukos occupato, quinquaginta circiter è noſtris ea ratione oppreſſerat. Huic rei cùm obſidione iam finita occurrendum Rex exiſtimaret, primùm Georgium Barbeliũ Vngarorum equitũ alæ præfectum,Polonis aliquot,ac Vngaris equitibus,ſclopetarijsq; ei attributis, contra hoſtem mittit. poſtea pręſtare ratus, ſi iuſtas copias mitteret,quæ pugnãdi poteſtate ab

hoste facta, occasione data fortunã tentarent, Ioannem Sbarasium Palatinum Braslauiensem cũ delectis ex omni Polonorum, Vngarorum, & Germanorũ equitum numero mittit. Huic mandat, vt assumpto Georgio Barbelio, & qui cum illo præcesserant equitibus, propius ad hostem accedat: ac si qua rei gerendæ opportunitas detur, præliũ cõmittat. Sbarasius sub vesperam castris egressus per totamque noctem itinere continuato, postero die Barbelium assequitur: communicatoque cum illo ac Farensbekio consilio, quem Samoscius tunc aduersa valetudine impeditus, cum præcipua iuuentute ex comitatu suo miserat, refectis eo die ex labore iumentis sub noctem Albertum Kiralium, cum certo equitum Polonorum & Vngarorum numero de secunda vigilia præire: eum vnius milliaris interuallo cum ala equitum Barbelium sequi iubet: cum reliquo agmine mox ipse subsequitur. Kiralius noctu progressus in hostiũ excubias incidit; quas ad pontem, circa quem scloppetarij aliquot hostium in insidijs consederãt, persecutus: ijs reiectis, quòd intempesta nocte non vlteriùs progrediendum sibi statueret, eo loco se continuit. Manè Barbelius, ac paulò pòst reliquus exercitus eum consequitur. Adiectis alijs nonnullis leuis armaturæ militibus denuò Kiralius præmittitur. Exercitus interim hostiũ, delectis ex omni suo numero quater mille circiter, qui nostros insequentes morarentur, ac demum ipsi quoque subsequerentur, Toropeciam versus, & in Moscouiam se recipiebat. Vltimi cùm de aduentu exercitus nostri cognouissent, territi, continenter & non minus celeriter ipsi quoque eundo faciebant, vt fugæ cõsimilis profectio videretur. Antecedebant exercitum ex nobilitate quadraginta circiter equites, & ad Kiralium iam peruenerant. Hostes flumen iam transgressi erant: instructaque acie, si nostri flumen transirent, vt prælio cum illis decertarent, expectare videbantur: mille equitibus cis flumẽ relictis, qui nostros distinerẽt, ac in suum locum pertraherent. Hi partim velitando, partim cedendo ad flumen eos pertrahunt. in cuius aduersa ripa scloppetarios lõgo ordine disposuerant. Illis à Stanislao *Sabocio*, ac equitibus Germanis, qui sub illo merebant, deiectis, nostri transmisso flumine, reiectisque hostium scloppetarijs, à latere in aciem hostium inuehuntur. Illi primùm ad resistendum se cõparantes, mox alia signa ac maiorẽ exercitum aduenire conspicati, ne vnum quidem impetum eorum tulerunt: pars Toropeciam fuga petiuit: nonnulli via regia Moscouiam versus fugerunt; alij in proximas paludes se abdiderunt. Nostri, etsi nox iam appetebat, per quindecim tamen ferè millia passuum vltra Toropeciam hostem insecuti, vltra quingentos in fuga ea conciderunt: ducentisq; captis, ac in his maximè insignibus Damiano Ceremessino, de quo supra dictum est, ac Ioanne Nassokino Offanasi filio, quem paulò ante discessum Regis Vilnam pro legato ad Regem missum fuisse ostensum est, paucis è suis desideratis aut vulneratis ad exercitum redierunt. Toropecienses præsidiarij cùm propiùs accedere nostros vidissent, rati ad obsidendos se venire, more suo statim opidum exusserant; omnibusque rebus comportatis in arcem se receperant. Interim Philo Kmita Palatinus Smolenscensis non exigua leuis armaturæ equitum manu coacta, in agrum Smolenscensem excurrerat, secundisque populationibus aliquot inuitatus Smolenscam longiùs progressus fuerat. Sed cùm ad decem millium exercitu coacto vehementer eum hostis premeret, captiuis, quos circa se habebat, interfectis, & leuioribus aliquot tormentis relictis recipere se Orsam coactus fuerat. Iam cùm Vsuiatæ Rex esset, Nicolaum Dorohostaiscium Palatinum Polotiensem ad Neuelam oppugnandam, miserat: quod ea via à Lukis regredi constituerat; Dorohostaisciusque ipse ac pro eo Lituani partes eas depoposcerent. Sita Neuela est supra Lukos Lituaniam versus in complexu lacus, ex quo eiusdem nominis fluuius se deriuat, iam antè sub Sigismundo Augusto Polonorũ cum Moscis pugna nobilitata. Cùm pro numero præsidij non satis multi milites, ijque in hoc genere belli nunquam ante hac versati conuenissent, ab eaque parte qua lacus castrum alluens difficiliorem oppugnationem faciebat, loco minùs opportuno obsidere eam instituissent; hostis etiam continentibus iaculationibus & eruptionibus paucitate eorum contempta, acriter se defenderet, hucusq; obsidio ducebatur. Lukis in potestatem redactis, primùm ex atratis quingentos eò Rex misit: haud multò pòst etiam Ioannem Bornemissam cum Vngarorum cohortibus, & maioribus tormentis aliquot: tandem solicitus de euentu obsidionis quod

iter,

iter, quemadmodum dictum est, facere illàc constituerat; Samoscium cum ijs quas habebat copijs ire eò iussit. Hic, cùm aliquot iam millia progressus fuisset, nuntium redacti in potestatem præsidij in itinere accepit. Bornemissa. n. postq̃ eò venisset, ex priori nostrorũ paucitatis cõtemptione hostibus erũpentibus, manu ipse cum ijs congressus, nonnullisque interfectis intra munitiones eos compulerat: Inde magna diligentia in oppugnationem incumbens, ab ea parte qua cum continente cõiungitur, proximè hostiũ munitiones maximo militis labore fossas promouerat: veteres, à Lituano milite propiùs institutas, auxerat. cumque continuo militis labore ad fossam, quæ à continente castrum ambiebat, opus promouisset, progressu in validas cõtignationes trãsuersis lignis confibulatas incurrerat; quibus decem pedes in latitudinem ab ima parte ad summum vsque superiniecta humo labrũ fossæ hostes munierant; indefessoque studio securibus materia tandem amota, tanto silentio ad munitiones hostium peruenerat; vt nõ priùs ab illis sentiretur, quàm miles ad incendendum parietem missus, mœnibus ignem subijceret. Qua re ita hostes perculsi fuerunt, vt subitò nequicquã reclamantibus præfectis deditionem facerent: Itaque oppresso mox incendio integra in potestatem venit. Tormentorum ac reliqui instrumenti militaris pro captu castelli iustus apparatus: pulueris tormentarij præter diligentiam Moscouiticam prouidendorum præsidiorũ, quod in nullo adhuc euenerat, non plus dimidiato vase repertum in eo fuerat. Rex nuncio hoc deditionis accepto iam de discessu suo ac de statu Prouinciæ captæ constituendo cogitãs, ex itinere Samoscium reuocat. Duo omninò è propinquo præsidia, Toropeciense, ac Sauolociẽse imminebant, quæ vniuersæ ditionis eius possessionẽ turbare ei poterant. Plebe præterea rustica na, vt in nouo imperio infida: Lituaniam versus maximis ac vastissimis solitudinibus interiectis, Toropecio & Sauolocia infestis relictis, præsidium ipsum vndique ab hostibus & difficultatibus obsessum, ab omnique subsidio interclusum nõ satis tutò ibi futurum intelligebat. Sauolocia præterquam quòd Lucensi præsidio maximo incommodo futura erat, cogitanti iam de futuri anni expeditione, necessariò etiam occurrebat. in insula enim lacus, ex quo Velika fluuius se deriuans primò Opockam, indè Ostrouiam, ac deinceps rectà Plescouiam, atque infrà eam in lacum Pelbam influit, tanquam in capite viæ Plescouiensis sita, Plescouiam, quod suscepti belli series postulare videbatur, eunti, non exiguam moram obiectura ei videbatur. Quod eò magis præcauendum illi erat, quòd si per continuas rursum siluas Polotia Plescouiam contendentem hostis, quod hactenus omisisset, itinere fortè prohibere instituerет, eum locum magnam ad eam rem facultatem illi præbere: eo verò si potitus fuisset, nihil Plescouiam ferè vsque præter Ostrouiam futurum intelligeret, quod iter eius morari posset. Occurrebat omnibus hisce rebus cùm oppugnationis difficultas, quæ summa proponebatur; quòd Sauolocia maximo lacu vndique circumfusa, nullos omninò è terra nisi per pontem vnum accessus habebat: tum anni tempus ipsum, quod ijs in locis mense iam Octobri aliàs pluuium eò maiores tempestates atque incommoda allaturum existimabatur, quò minùs imbriũ proxima æstas habuisset. Mittit nihilominùs Samosciũ huiusmodi cũ mandatis, vt consiliũ ipse pro tẽpore capiat: ac potiendæ quidẽ eius spe oblata, exercitũ ei admoueat; ab omni spe deiectus, itinere supra se à dextera capto Lituaniã versus se recipiat. Illi aucto tormentorum numero ad reliquas copias, quas habebat, quingentos pedites Vngaros, & alam equitum quam Gabriel Bekesius Gasparis defuncti frater ducta bat, attribuit. Perfecta interim munitione arcis Lucensis, cùm Rex consuetudine sua ipse semper ad opus esset, militesque, ne quod tempus ab opere intermitterent, hortaretur: eaque tormẽtis, commeatu, ac omnibus ad defensionem necessarijs rebus prouisa: descriptisque qui in præsidio manere debebant, tam equitib⁹, quàm peditibus ternis castris Neuelam inde Rex peruenit. Secuti Regem Neuelam fuerunt legati Moscici; qui excidij Lucensis ipsi spectatores fuerãt, & tum ad literas, quas scriptas suprà ostensum est, responsa à principe suo expectabant. Neuelæ per aliquot dies, vt Sauolociensis oppugnationis euentum expectaret, Rex substitit. Interim tabellarij & Regis & legatorum ab obsidione Lucensi in Moscouiam missi reuertuntur. Qui à Rege missus fuerat, longissimas literas attulit, in quibus superiorum literarum omnium argumento, more suo longa oratione repetito, quia Liuoniam à rege

 vni-

vniuersam repeti intelligeret, vt quo à se iure possideretur, ostenderet, à Suentoslao quodam Micislai filio, genus suum deducebat. Eum antequàm sacro baptismate Christiana religione initiatus fuisset, Iurg vocatum: ab eoque Iurgo Horodum, quam arcem & vrbē aliàs Derpatum Germani appellarent, cōditam: indè cunctam Liuoniam ad se vnicum Micislai eius hæredem longa successione pertinere. Priores Poloniæ reges fratres appellare solitus fuerat: hunc non nisi vicinum: Inter alias conditiones, quas ad Lukos à legatis eius propositas suprà ostēdimus, fraternum quoque nomen Regi detulerat. Respōderat tum Rex, fraternitatem eius se non morari: Liuoniam, pro qua bellū susceperit, solam petere. Iam hisce literis fraternam illi necessitudinem deferebat, ac etiam eo inuito nomē hoc ad illum vsurpaturum se ostendebat. summa hæc erat, vt publicæ cōcordiæ causa titulum Liuoniæ cum rege se communicaturum, quatuor præterea castellis eius; in quibus Kokenhausium præcipuum erat, cessurum se illi demonstraret, si Rex vicissim Lukos, Velisium & Neuelam vetustæ ditionis suę, nuper sibi adempta redderet: ampliora mandata se legatis suis perscripsisse. Hi postridie ad Regem adducti, cum senatoribus agendi potestatem dari sibi petierunt. ter cum ijs congressi tribus proximis diebus, alia sex ad priora quatuor castella adiecerunt; in quibus Runeburgum potissimum, cætera ignobilia castella erant. Nulla alia mandata deinceps ijs proferentibus, re infecta à colloquio recessum, permissumque illis fuit, vt in Lituaniam, indè in Poloniam Regem redeuntem sequerentur; dum noua à Principe suo mandata acciperent. quod ipsis vltrò petentibus eò libentiùs Rex permisit, quòd sibi quoque interim, quis ordinum de futuro bello animus futurus esset, cognoscendi spatium dari non molestè ferebat. Captis Lukis & Neuela, Ieseriscia, quindecim à Neuela millib⁹ passuum, tanquam sinu nostrorum præsidiorum vndique cincta relinquebatur. Qui in pręsidio erant ab omni defendendi sui spe interclusos se videntes, deditionis spem Regi fecerunt. Itaque missus eò Radiuilus Palatinus Vilnensis, antequàm Neuela Rex discederet, in deditionem eos accepit. Interim Sauolociam cum exercitu Samoscius peruenit. Totus autem ille tractus, cùm per apertos ac patentes campos frequentissimasque villas iretur, non mediocri voluptate omnes affecit. Moscouitica enim ditio vt finitima, quemadmodum ostensum est, siluestris pleraque est; ita mediterranea bonitate agri, glebæ vbertate, fluminū ac lacuum plerisque in locis opportunitate, villarumque frequentia nulli cedit. Lucensis verò ager rebus ijs cæteris ferè omnibus etiam præstat: vnde dum ad Lukos exercitus erat, in summa omnium rerum copia erat. Oppidum Sauolociam, quod ad Plescouiensem Lucensemque viam fuerat, sub primum Regis ad Lukos aduentum præsidiarius miles more suo deleuerat, pontemq; qui ab arce ad opidum pertinebat, interciderat. Arx sita, quemadmodum antè demonstratum est, in lacu est. qui à Velika fluuio effusus, abque omnib⁹ partib⁹ latissimè restagnās, latissimas tamē ab oriente & occasu aquas habet; quòd indè ex alio superiore lacu flumē erumpens, occasum versus exitum habet. quà angustissimus est; non minùs trecentos passus in latitudinem patet. Samoscius præmisso Christophoro Rosdraseuio cum alis alquot equitum in Plescouiensem viam, alteram quæ ad Neuelam pertinebat, Lucam Dsialinium, ac Nicolaum Vrouecium obsidere: ac si qui ex Neuelanis dediticijs ad præsidium id, quemadmodum facere solebant, adiungere se vellent, id ne faciant, ac in vlteriorem Moscouiam se recipiant, adigere eos iubet. Ipse ab exercitu Sauolociam præcurrens ambitu capto, abque omnibus partibus arce circumita, reperit notum versus, aliam eodem in lacu, contra castrum insulam esse; quæ à plerisque partibus lacu, ab alijs vliginoso amne ac natiua fossa defenderetur: eadem breuissimum ad arcem traiectum esse. Itaque cùm si eò exercitum traduceret, vtrumque se consecuturum intelligeret, vt & contra quasuis vel maximas copias hostium tutissimo loco consideret: & eodem ex loco maximam oppugnandæ arcis facultatem haberet, quàm latissimè ad maioris exercitus speciem hosti obijciendam signis explicatis sequenti die exercitu omni illum in locum traducto, castra communijt. Omnibus maximam difficultatem oppugnatio habitura videbatur, arce ab omnibus partibus propter aquas inaccessa, opere præterea munita, anni tempore incommodissimo, quo pluuijs, frigore, gelu, quæ in propinqua expectatione iam erant, continuò miles

transderetur: Samoscius non planè tamen desperandum putabat. Itaq; quæ ad oppugnationem pertinerent, administrare cœpit. Erant è regione castrorum nostrorum tria propugnacula ingentis magnitudinis: extrema duo ex maximis robustissimisq; trabibus contignata: medium minus aliquantò: fenestris ad tormentorum vsus, quemadmodum & reliquorum laterum propugnacula omnia apta. Hæc quòd non cespite vestita, sed veteri more argilla incrustata erant, magnam in spem Samoscium adducebant, fore, vt decussa argilla & facillimè, vt materia veteri & arida, nulloque humore nutrita incenderentur: & incensa propter tantam lignorum struem quàm latissimè incendium propagarent. Alebat spem eius Saburoui, magna ob virtutem inter Moscos & apud Ducem authoritate viri, arcisque huius præfecti institutum; qui quòd vel puluerem tormentarium frustra consumi, vel militem fatigari nolebat, summo silentio, quod non nisi in maximi metus significatione à Moscis fieri soleret, se suosque intra munitiones continebat. quàmuis sub primum exercitus aduentum decem circiter pabulatoribus nostris, quos oppresserant, minutim concisis, atque ex arce ijs præcipitatis, terrorem aduentanti militi incutere ea immanitate conatus fuerat. Samoscius ratis interim, quæ contis ad arcem adigeretur, militique ad oppugnationem tendenti transitum præberet, Nicolao Vrouecio iungendæ negotium dat. simul munitiones fossasque à castris contra arcem duci iubet. quibus postridie magno operæ perfectis, tormenta mox constituta fuerunt: rateque interea temporis ex altiore quodam ædificio, quod reliquis incensis solùm hostes reliquerant, ab Vrouecio perfecta, primùm tormenta complura, ab ea parte, qua angustissimus lacus erat disposuit: è quibus rectis à frõte icti bus, propugnacula, de quibus dictũ est, ferirentur: alia deinde à latere, quo meridiem arx spectat; ne & per auersam portam hostes erumpere, nostrosq; põtem transgressos, ac à fronte arcem oppugnantes, circumuenire possent; & simul, si qui in superioribus propugnaculis constitissent, vt directis secundùm latera ictibus tormentorum indè deijcerentur. quibus rebus administratis, oppugnationem ordiri constituit. Erat ab ima arcis radice accliuis versus eam ascensus, quem hostes vna altissimorum palorum sepe, binisque ingentium & acutissimorum ceruorum ordinibus, iusto inter singulos spatio relicto, obsepserant. Contra ea hæc Samoscius comparabat. quia lana destituebatur, centonibus stragulisque equorum per vniuersum exercitum conquisitis, quàm plurimos ex ijs saccos implet. Docet militem, quia loci natura à maiorum tormentorum vi, quòd ea deorsum mitti non possent, satis illum defenderet, contra scloppetos, postquam in aduersam ripam transijsset, saccos eos supra ceruos inijceret; sub ijsque delitescens, fossas mox ab ea parte sub arce ageret; ex quibus deinde & hostem extra munitiones suas progressum reijceret, & ignem in propugnacula inferret. His rebus ita constitutis, ratis ab eo loco, quo iusto à castris interuallo, instituta erat, contra arcem protracta; magnoque militum concursu certatim in id omnibus incumbentibus, inter creberrimas, quæ ex vtrisque munitionibus fiebant, eiaculationes, in aduersam ripam directa fuit: sed quòd breuior, quàm vt pertingere eò posset, reperiebatur, vtrinque tum ita discessum fuit. Christophori tamen Rosdraseui, præfecti Lanciciensis, magnæ virtutis & nominis viri casu non mediocre à nostris detrimentum acceptum. Hunc dum ratis applicaretur, ad tormenta, quò rectiùs ibi omnia administrarentur, curare Samoscius iusserat; ille cùm nihilominùs procurrisset, globo ex hostium munitionibus suprà dextrum oculum excepto concidit. indè ratis vt corrigatur, à peditibus Polonis retrahitur. quos dum hostes continentibus tormentorum ictibus ex arce petunt; qui funem regebant, perculsi eum dimittunt. Id conspicati tres alij è proximo pedites, cùm tenere illam aliter non possent, in ratem insiliunt; ventoque vehementiore abrepti ad hostium munitiones secundùm proxima propugnacula deferuntur. Videntes hos Mosci aquis ab exercitu omni ex parte interclusos, nauigijs plerisque quæ in arcem omnia subduxerant, inscensis, magno numero ad eos contendũt. Hi acriter primùm scloppetis, indè contis se defendunt, compluresque ex hostibus deturbant: tãdem cùm vndique circumuenirentur, proximis cymbis è quibus hostes deiecerant, arreptis, in eas desiliunt, rateque relicta euadunt.

Interim eodẽ vẽto in aduersam ripam ratis ferri cœpit.in quã cùm persequendæ eius finem nondum hostis faceret, Samoscius equitibus aliquot summissis eam recepit. Rate eodem die refecta cùm ex superioris temporis casu miles perterritus,quem antea præmijs ad promouendam eam Samoscius prouocârat, minùs promptus iam ad ministeria hæc cum periculo obeunda esset, Nicolaum Vrouecium necessariũ suum ratem conscendere,saccoque vno ex ijs,de quibus diximus, ante se collocato,dirigere in aduersam ripam eam iubet.Vrouecius impigrè imperata exequitur:aliquotque gregarijs militibus post se collocatis,ipse ab anteriore parte ea sola,quæ demonstrata est,ratione tectus,creberrimosque globos obiecto sacco excipiens , stationibus hostium, quæ in extrema ripa excubabant, fuga in arcem se recipientibus, ad ripam ratem adigit.Miles & inprimis Vngarus cõfertim, quemadmodum iussus erat, pontem transgressus,sepem à ripa obiectam securibus primùm scindebat: mox indè,quò celeri9 labore persungeretur, cùm alienissimo anni tempore omnia pericula frigoris ac aëris iniurijs leuiorà duceret,saccis in ceruos nõ iniectis,nullis fossis ductis, aut vlla re earum,quæ imperatæ erãt, administrata, argilla necdum decussa, ad ignem propugnaculis admouendum conuertitur . Non obscuram iam timoris & trepidationis significationem hostes dabant. verùm dum hi longo temporis spatio ceruos moliuntur; quorum cùm bini essent ordines , singulorum ordinum denùm ad minus pedum latitudo erat: dum Georgium Sussium, qui faces ac ignes adferat, trans lacum mittunt: dum alia, quæ ei rei vsui sint, administrãt, hostes recollectis interim animis, auersis omnibus portis erumpunt : integris curatisque corporibus nostros præ frigore & gelu ad rem gerendam penè inutiles circumueniunt: longissimis hastis,acutoque & falcato ferro armatis, bardeschos ipsi vocant, breuiore armorum genere, ac frameis saltem vtentes propellunt:pars cęditur pars in turba mutuò se impellens in lacum præcipitata aquis mergitur. Samoscius & si deliberatum iam habebat , omnes potiùs acerbitates perferre,quàm cœptam oppugnationem dimitteret : diei tamen huius successu territos plerorumq; animos ratus,consilio habito,quid in quoque ad futura pericula animi esset, explorare constituit.Consilio eo habito,vix vnus repertus fuit,qui habendam rationem temporis,fortunæque concedendũ,à quarum neutra iam subleuarentur, censeret.à reliquis omnibus vox nulla audita fuit,superioribus successibus suaque virtute indigna;principioque à Farensbekio facto, quiduis potiùs perferendum, quàm infecta re ab obsidione discederent,omnes statuerunt.Misit mox Samoscius Georgium Sibricum cum literis ad Regem : ne incommodo hoc in oppugnatione,nimia militis ꝓperatione accepto permoueatur: ne ab obsidione se reuocet: neu sua causa diutiùs Neuelæ subsistat,rogat;castra se potuisse ad obsidionem ducendam aptissima, cũ loci natura ac munitione,tum circumiacentium regionum fertilitate & abundantia:nihil sibi vel ad maximas quasque copias hostium sustinendas loco tutissimo,vel in agro frumentis,pecore, materia, aquis abundante, ad omnium rerum vsum deesse posse. Hærebat Rex adhuc Neuelæ loco, quòd superioribus stationibus & Kosakkorum direptionibus vastatus esset, quibus ex rebus commeatus ac pabuli inopiam existere necesse erat,inprimis incommodo. Sub idem verò tempus ab aëre etiam contagium quoddam, quod primùm ex Orientis partibus profectum, in Italiam indè ac Galliam , aliasque regiones perlatum fuerat, vniuersam quasi Europam peruagatum Cracouiam quoq; ac Vilnam,atq; indè ad exercitũ peruenerat. Erat id nõ tam lethali aliqua vi timendum , quàm progressu atque celeritate, qua proxima quæque loca complectebatur, admirabile.Primò inferiorem dorsi spinam horrore plerumque occupabat: indè in capitis grauedinem & languorem, quos corripuerat, resoluebat, pectori inprimis graue. quibus tamen intra quartum vel quintum diem non decessisset,eos in febrim degenerans interimebat.lethale ferè ijs, qui purgantibus medicamentis,aut venę sectione vtebantur.quod vtraque respirationem grauiorem efficiebant:illa quòd humorem omnem à capite in pectus magna vi trahebant: hæc, prætterquàm quòd corpus refrigeraret , debilitaret etiam vires, quibus ad respirationem opus esset . Nomen vt nouo morbo certum nullum inuentum fuit. Rex ad eas copias,quas antè Samoscius habebat,nongẽtos equites Polonos,ac mille cir-

circiter pedites Vngaros cum Stephano Carolo ei adiecit, moxque Vilnam mouit, Polotiæ eo, de quo dictum est, morbo, ipse etiam tentatus. Samoscius interim, quæ ad oppugnationem pertinerent, summo rursum studio apparare instituit: ratem quamuis ex satis magnis trabibus in latitudinem contabulatam, quò latior tamen & expeditior ad arcem accessus militi esset, duplicari iubet. Nauigia cimbasque, quò pluribus circumfusis omnibus ex partibus oppugnatio administretur, viresque præsidij quàm maximè distrahantur, per vicinas villas ac stagna magna diligentia conquirit. Reliquis omnibus nauigijs subductis, vnum solū hostes reliquerant. Id cùm Monachorum loci eius fuisset, ac ad maiorum retiorum vsus comparatum octuaginta ferè hominibus capiēdis idoneum esset, quia tamen vetustate vitium fecerat, rimarumque plenum esset, neglexerat. Samosci⁹ quà patebat partim recentib⁹ corijs bubulis, partim musco obstructo, vt commodè nauigari eo posset, effecit. Iisdem temporibus, cùm intellexisset, Ioannem Suiscium Petri F. Palatinum Plescouiensem cum exercitu ad Porchoviam cōsidere, Martinum Volscium veteranum præfectum cum expedito equitatu exploratum eò misit. Suiscius, quòd de discessu Regis audiuisset, neque per anni hoc tempus alium exercitum expectaret, dimisso exercitu Plescouiam se receperat. Itaque accidit, quod euenire necesse erat, vt in nulla periculi expectatione incuriosiùs omnibus agentibus, ac sine metu commeantibus cōplures Volscius opprimeret; missisque agrestibus, quibus parcere à Samoscio iussus erat, nobiles aliquot captiuos secum in castra adduxit. Rebus ijs, quas diximus ad oppugnationem comparatas, decem omninò diebus perfectis, Samoscius maiori nauigio, quod refectum ab eo ostēdimus, militaribus viris aliquot assumptis lacum inuectus, quibus partibus maximè opportuna oppugnatio futura esset, accuratiùs cognoscit. Tormentis tria, quę contra castra esse diximus, propugnacula, quò & argilla detersa magis incendio paterent, & materia dilacerata apertis quasi venis celeriùs ignem raperent, continuò quati iubet. Cùm peditatus propter tempestatum etiam iniurias, contra quas minus tectus erat, nec animorum nec virium satis habiturus videretur; nobilitas equis missis, coniuratione inter se facta, ad arcem duci se flagitabat. Coniungebant se cum his pari studio, qui sub Farensbekio militabant equites, nobiles nonnulli Germani. Samoscius in media acie, qui cum facibus ac tædis ad incendenda mœnia expediti essent, collocatis, à dextro cornu, contra quod superiùs propugnaculum oppositum esset, Polonos & Germanos: à sinistro ad alterum propugnaculum Vngaros, qui vtrinque à media parte ignes inferentibus, contra eruptiones præsidio essent, constituit: Polonis Vrouecium præfecit, illique in omnes casus Andream Orechouium substituit. Cum Germanis Ottonem Vxkelium Farensbekius misit. Ratem ab vtroq; latere saccis, de quibus ostensum est, contra transuersos minorum scloppetorum ictus muniri iubet. Ea adducta inter confertissimas hostium eiaculationes in aduersam ripam applicatur; tempestatéque sub idem tempus commutata, post continentes imbres cum serenitate maius pugnandi studium omnibus incessit. Iam primi ratem transierant: simul nauigia milite, tormentis ac facibus instructa, omnibus ex partibus prouolabant: interim ex vtrisque munitionibus: magno cum hostium detrimento crebrę ex nostris eiaculationes fiebant. Cùm subitò regias literas conclamare hostes cœperunt. Samoscius superioribus diebus propterea, quod cùm Lucensi expugnationi magna ex parte præfuisset, tanquam crudelitatis eius authoris nomen suum horrori esse hostibus intellexisset, regio nomine atq; signo, quod pro Cancellariatus munere penes illum erat, literas ad obsessos hoc argumento dederat. Iussisse Regem omni studio Samoscium in oppugnationem incumbere: quod si tamen vltrò in deditionem venirent, pro clementia sua conseruandos statuisse, abque omni iniuria prohibitos velle: quæ quò diligentiùs obseruentur, cubicularium suum se mittere. Literas hasce reiecerant primò. postquàm quid in illis esset, edocti fuerant, ad sua præsidia Regem scribere debere responderant: hoc non eius iuris esse, in quo regiæ literæ reciperentur. Eas literas tum primùm voce, indè præfectis aliquot scloppetariorum missis flagitabant. Datę illis fuerūt literę fidesq;. Misit simul Samoscius Ioannē Thomā Droievium, prępectum Prěmisliensē, qui arcē in fidem acciperet, Palatinosq; ad se adduceret. Hic pri

mò non Palatinos modò, verùm militum etiam magnæ partis animos dubios adhuc reperit: tandem cedentibus timori militibus, Palatini reluctantes ad Samosciū adducti fuerūt. Dediticijs fides seruata fuit. matronæ præterea aliquot, quæ Lukis captæ fuerant, quòd ne pudicitia earum in tanta itineris longinquitate ac militum multitudine negligentiùs haberetur, verebatur, à Samoscio condonatæ: mirātibusque Moscis, ac vltrò fatentibus, se eius ætatis atque formæ matronas nostris redituros non fuisse, postquàm causam, ob quam id à Samoscio fieret, intellexerunt, tùm verò minus etiam mirum videri debere dicebant, si in tanta morum diuersitate, fortuna quoque dissimilis esset. Ita arx & loci natura muni tissima, & ab omnibus rebus ad defensionem paratissima, anni tempore, con tinuis imbribus, ac gelu hostes iuuante integra recepta fuit. Globorum candentium ne in hac oppugnatione vsus esse posset, Saburovus excogitârat. Aliarum enim oppugnationum euentu monitus, parietem, quà crassior erat, in terciderat; ac vno solo trabum ordine, quibus contextus erat, relicto, interiorem partem eius satis latò aggere, quem cratibus continebat, vestierat. fiebat indè, vt globi per tenuem parietem subitò transeuntes in aggere hærerent, ibique sua sponte tandem supprimerentur. Memoria inde Samoscius tenens Regem proximo anno per ea loca in hosticum vlteriùs progredi in animo habere, tormenta & grauiorem militaris instrumenti partem Sauolociæ deponere constituit; Stephanumque Carolum cum Vngarico milite in arcem traducere omnia iussit. Hic veteri ponte, quemadmodum ostē dimus, ab hostibus interrupto: rate, quà in oppugnatione miles vsus fuerat, infirmiore, quàm vt tantæ molis tormen ta promoueri per eam possent, alterius etiam pontis tam exiguo tempore efficiendi summa difficultate proposita, tormenta firmissimis, ijsque pluribus rudentibus apta, quò vno rupto alij sub sidio essent, per lacum ipsum, quà durissimum solum & maximè argillosum explorarat, cohortibus aliquot Vngarorum in aduersa ripa collocatis, in arcem à munitionibus nostris traduxit. In præsidio Georgium Sibricum cum Vngari militis parte relinquit: Farensbekium cum mille circiter equitibus latiore circuitu capto Opockam versus proficisci, conuersoque ad sinistram per Nescerdam itinere ad Polotiam rursum occurrere sibi iubet. Nam quòd infra ad Velikam amnem sita ea esset, quæ natura fluminis esset, cognoscere: si etiam oppugnanda proximo anno foret, situm eius eò magis præceptum antè habere cupiebat, quòd eodem in loco sub Sigismundo rege incommodum acceptum memoria teneret. Eadem futuræ expeditionis cura itinera quoque reliqua omnia; flumina, item, si quæ nauigabilia essent, pleraque vt explorata antè haberet, operam dabat. maximè quòd lacum Vsciam esse accepisset, ex quo eiusdem nominis fluuius se deriuans in Vsiciam lacum influeret, indeque mutato nomine in Dryssam lacum effusus eiusdem nominis fluuium efficeret, earumque potissimum opportunitate Sokolam à Mosco commeatu, alijsque rebus necessarijs prouisam: diligentissimè omnes meatus exitusque eius cognoscebat. Itinere indè ob imbrium ac frigorum iniurias, siluarumq; , per quas ibatur, magnitudinē, ac pontium plerisque in locis inopiam aliquanto incommodiore, lue prę sertim de qua dictum est, exercitum affligente, vt pacatis tamen circumcirca locis omnibus tutò per Polotiam, Vilnam ad Regem venit. Dum Rex hoc rerum successu expeditione Lucensi perfecta in Lituaniam se recipit, Moscus, quò animi tristitiā aduersis rebus collectam discuteret, repudiata priore vxore; quod ipsius moribus toties ei licet, quoties libet, iam sextum tum maritus delectu puellarum publico indicto nouam induxit; idemque ex proceribus etiam, & consiliarijs suis quosdam facere coëgit. Delectus eius, quemadmodum ex nobili quadam captiua, quæ ipsa in delectu eo fuerat, cognitum est, hæc est ratio. Proceres nobilesq; omnes, qui filias aut propinquas nubiles aliqua formæ cōmendatione in potestate habeant, edicto proposito, certo tempore oēs adducere iubet. Ad diem præparata iam ante eum in vsum domo spatiosa & ampla, per singula cænacula duodenos lectos habentia totidem puellæ distribuuntur. ipse vno sene comitatus omnia ordine circumit: vt quodque ingressus est, solio iam antè instructo considet: puellæ in magno omniū principi suo placendi, ac ad eam fortunam perueniendi studio ele gātissimè omnes ornatę, ad genua eius ordi-

ordine singulæ aduolutæ, sudario auro ac vnionibus contexto in genua iniecto discedunt. quam ex his maximè probarit, ducit: cæteras vel agris, vel pecunia donatas dimittit. Rex Vilnæ paucis diebus commoratus, Grodnam proficiscitur. ac iam de futura expeditione cogitans, quòd tardiùs comitia sibi habenda, tributumque si quod in illis scisceretur, seriùs exactum iri intelligeret, ne quod gerendæ rei tempus dimittere cogeretur, priuatas interim rationes mutuæ sumendę pecuniæ iam tum inibat. Præter Marchionem Georgium Fridericum in Prussia Ducem, Augustum Saxoniæ, & Ioannem Fridericum Brandeburgensem princi pes Electores de mutuo in bellum hoc præstando appellat. quo facto, duas si mul res consecuturum se videbat, vt & suam erga illos omnibus in rebus fiduciam ostenderet: & eorum in re aliena studio ordines inuitatos ad perficiendi pro suis commodis belli voluntatem eò magis accenderet. Credita ab illis pecunia ad certum diem, exactisque iam comitijs allata, ac vlteriùs deinde die prolato, ad tempus soluta fuit. Interim Kosakki Nisouij cum Ioanne Orisouio ab altera parte in Moscouiam Starodubum vsque populationibus progressi, omni agro longè lateque vastato, opidum ac extimas munitiones arcis quasdam incenderunt; indeque ad Pociopouam excursione facta, ab arce repulsi, præda tamen magna acta se receperunt. Proficiscentem Grodna Regem, Rigensium nuncij secuti fuerunt. Ciuitas ea à Sigismundo Augusto in fidem ijs conditionibus recepta fuerat, quæ ius ac maiestatem imperij in eam regij ferè eneruare, magisque ad ipsius etiam ciuitatis splendorem quàm vtilitatem comparatę videbantur. Cùm Rex ijs legibus sociam eam, quam subiectam habere mallet, iam antè superioribus etiam expeditionibus, missis legatis, de certis subiectionis conditionibus cum Rege egerat: reque Drohicini tandem in hoc itinere transacta, missus à Rege Ioannes Demetrius Solikouius fuit, qui ciuitatem in fidem acceptam, iureiurando in verba Regis obstringeret. Cùm primis de portorio constituendo actum fuerat. Nã cùm omnis negotiatio Rigẽsis Dunæ fluminis nauigatione ferè contineatur, eaque iam magna ex parte superioribus victorijs Regis expedita esset: præterque Kokenhausium, Ascherotum, Lenouartum, quæ eo tempore in hostium potestate adhuc erãt, quod morari eam posset, nihil reliquum esset: summæ æquitatis Rex iudicabat, vt quę res tanto publico cum molimento, atque impendio perfecta, ad ciuitatis priuatorumque omnium fortunas maximam accessionem factura esset, eadem Reipublicę cõmodum aliquod afferret: nec alia conditione commercia eò transferri volebat. Homines prudentes cùm sine vectigalibus & tributis non posse subsistere Rempublicam intelligerent: rectissimè autem in ijs prouincijs ea constitui, quæ armis recuperentur, conuenerunt tandem, vt portorium maritimum omnium mercium constitueretur: eiusque prouentuum duæ partes Regi sine vlla conditione: tertia ciuitati in portus, ac stationum refectionẽ cederet. Relinquebatur in ambiguo de bonis, quę Archiepiscopalis quondã iuris fuissent. de vallo contra arcem à ciuitate obiecto: ac alijs rebus quibusdam. earum omnium definitio in regis in illa loca aduentũ reiecta fuit. Dum in Moscouia cum exercitu Rex erat, Ioannes Tertius eius nominis Sueciæ Rex ad Naruam classem miserat. verùm integris tũ adhuc ab ea parte rebus Moscouiticis piscatorijs aliquot ædificijs in litore exustis, re infecta recipere se coacta ea fuerat. Interim Varsauiam ad comitia Rex venit. Ordines vt hunc rerum successum omnibus modis vrgeant, ac non lætentur modò victoria, sed ea etiã vtantur hortatur: si vniuersam Moscouiam, ac amplissimum illud regnum vel appetendum vel sperandum non arbitrentur, cuius tamen maxima spes iam illis ostendatur, eousq; saltem in armis maneant, dũ Liuoniam vniuersam, quam ab initio iam præmium belli huius sibi proposuissent, dignam & laborũ suorũ mercedem, & ad posteros virtutis monumentum relaturi adiungant: magnum incommodum in eo esse docet, quòd ipse quotannis ad comitia tributi causa obeũda in regnum reuocetur: militẽ continuis itineribus confici: hosti respirandi suiq; colligendi spatium interim dari: quòdq; tributa tardiùs exigantur, multas rerum gerendarum occasiones mora hac corrũpi necesse esse. quibus incommodis quò obuiam eatur, vt biennale tributum sciscant, flagitat. Ordines tributũ nõ recusare, à tẽpore, in quod flagitabatur, alieni videbatur. Priusq; autem ad vllam aliam rẽ accederent, capita rerum quarundam, de quibus leges perferri vellent, scripto com-

comprehensa Regi offerebant; vtque sancirentur, petebant. ita responsum fuit, vt quæ concedi posse existimabantur, concederentur: quædam interpretatione lenirentur: pleraq; in aliud tempus conferrentur. Responso eo accepto, dierum aliquot spatio interiecto, idem quod antè iam scriptum tradiderant, nullis contra regiam declarationem rationibus alijs allatis, denuò tradunt. Rex ex senatu aliquot, parique ratione ex nunciorum collegio alijs delectis, vt ijs de rebus vtrinque moderatione adhibita dispiciant, negotiũ dat: quæ ab his communicatis sententijs proposita fuerunt, scripto comprehensa denuò nuntijs traduntur. ij diebus aliquot interpositis, idem quod antea fecerant, prius scriptum suum rursus Regi oblatum vrgent. Appetebat interim finis dierum comitialium legibus definitorum. itaq; certis conditionibus res tandẽ conuenit: constitutionesq; ijs de rebus promulgatę fuerunt. Tributũ indè primò simplex Regi permiserũt: postea Rege partim ijs, quas ostẽdimus de causis, tum ꝙ præterea militi stipendiũ omne nondum solutũ esset: apud Principes quos diximus, & alios priuatos noua nomina fierent: nouum ad hæc bellum administrandum esset, nulla ratione satisfieri eo sibi posse demonstrãte, duplex ea prius conditione sciuerunt; vt si pax interim cõuenisset, tributa quoque cessarent: deinde ijsdem argumentis à Rege illa refutata, vt collatis rationibus, quicquid stipendijs omnibus, ac ære alieno ob bellum hoc conflato, tum si quid deinceps in apparatus belli erogatum fuisset, exolutis, reliquum ex tributo eo futurum esset, in Rauense ęrarium inferretur. Venerant huc, quemadmodum suprà demonstratum est, legati Moscouitici, per vniuersam Poloniam tãquam in triũpho ducti. Hi nouis mandatis à Principe suo acceptis, denuò hîc ad colloquia admissi, primum Neuelenses conditiones vrgebant; quibus rei transigendæ à Lituanis Senatoribus certam spem factã sibi dicebant. quibus cùm alijs rationib⁹ refutatis, tũ quòd maioribus postea sumptibus à Rege factis, Sauolociaque capta non integra amplius res esset; tandem more suo diu prius licitati eò descenderunt, vt & alia, quæ antè obtulerant castella Liuoniæ, vrbibus ac castris potioribus Felino, Derpato, Mariemburgo, Parnauia, ac Narua, Principi suo receptis reliquis omnibus Regi decederẽt. Rex nisi omni Liuonia, hostis decederet, alia conditione pacem sibi faciendam cum eo non arbitrabatur. Hæc sententia ordinibus proposita, publicè quoq; omnibus placuit. Adhibiti colloquio cum Moscis huic ex nobilitatis nuncijs aliquot fuerunt, quò tergiuersatione Mosci perspecta, tota de re ipsi plenius collegas suos edocere possent. Vtrisque in sententia permanentibus, infecta re à colloquio recessum fuit. Rex ita à comitijs discessit, vt biẽnij tributo ab ordinibus sancito, non prius pacem se facturũ cum hoste polliceretur, quàm is vniuersa Liuonia excessisset. Sub finem comitiorum nuncij nobilitatis per Stanislaum Priemsciũ, quem à bello reuersum nobilitas maioris Poloniæ nuncium creârat, & tũ nunciorum illud nobilitatis collegium initio comitiorum Marschalcum è more prodiderat, rege adito, vt remotis, quibus in senatum ingrediendi ius non esset, dicendi potestas sibi fieret, petebãt; re impetrata, rogant operam dare Rex velit, vt ea expeditione bellum finiat: ita nobilitatem, maximè familias eius rusticas, quarum salutem sine suarum quisque fortunarum detrimento negligere non possit, tributis exhaustas, vt maioribus ferendis pares vix sint futuræ. Respondit Rex per Cancellarium; bellum pacis ac publicę vtilitatis causa à se susceptũ minimè ex instituto à se ali: hostem eò redactum, vt, si bellum continuetur, non adeò magno negotio confici possit: se tamen cõsentientibus ordinum studijs libenter cõcessurum: quamprimumque ad tradendam sibi Liuoniam hostem adduxerit, impetuque eius represso reipublicæ ocio ac securitati consuluerit, paci, quæ cum publica dignitate atque vtilitate coniuncta sit, nullam moram facturum. Publicè indè more maiorum Regi valedicentes, vt de domesticis etiam rebus, ac intestinis incommodis sanandis cogitationem suscipere velit, rogant: nominatim de Regum eligendorum stabili aliqua ratione constituenda petunt; vtque ijs de rebus, quàm primùm commodo reipublicæ id facere possit, comitia habere velit. quò maius antea discrimen respublica adierit, cùm partibus in diuersa studia scissis, in duos Principes Respublica distracta fuerit, eò nunc, postquàm metu hoc liberata sit, ne idem periculum denuò subeat diligẽtiùs prouidendũ se docent. Accedere huc controuersias, quæ inter sacrũ & profanũ ordinẽ intercedant; quarum & ipsarum non leuem ratio-

rationem sibi ducendam, vtque omnes tandem tollantur, plurimùm Reipub. interesse iudicent. Ostendit Rex per eundem Cancellarium, non minori studio ad domesticas res rectè constituendas, quàm ad perficiendum ex sententia bellum se ferri: & qui bellicarum rerum laudem non aspernetur, eò maiori tamen domi bene constitutæ Reipub. quàm maximè diuturnæ memoriæ relinquendæ studio se teneri, quod sine hac ne superiorem quidem gloriam stabilem perpetuamque esse posse perspiciat. De interregnorum ratione quoties cogitet, quanto in periculo superioribus temporibus Respub. fuerit, quibus electionum ac ambitionum studia ea tamquam fluctus quidam illam exagitarint; cùm nō minùs hanc, quàm in quā natus sit, omni studio sibi amplectendam, eò chariorem etiam habendam intelligat, quò maioribus honoribus atque ornamentis susceptum se affecerit, cohorrescere se animo, agnoscereque non nisi singulari benignitate diuina in commodiorem statum eam peruenisse. Iam vt de certa electionum ratione deliberatio suscipiatur, intelligere se: si id fiat, quantum & in re ipsa difficultatis futurum: & si quod veredum videatur, occulta aliqua Reipublicæ vulnera ea nudet, incommodi indè metuendum sit: suam quidem operam atque authoritatem Reipub. ac ordinum voluntati nō defuturam. Idem de concordia inter Ecclesiasticum & ciuilem ordinem sese iudicare: nihil ea posse suscipi vtilius, atque ad Reipub. stabilitatem magis necessarium: sed vtramque ad rem consensu animisque ab omni odio & affectione vacuis opus esse. Proinde sibi quidem summæ curæ ea fore: hortari autem ipsos quoque vt animos ad deliberationes rerum harum sedatos, nulliusque alterius rei, quàm patriæ ac publicæ salutis & dignitatis studio deditos afferant. Hortatus indè quemadmodum & superioribus temporibus fecerat, vt per absentiam suam otio & tranquillitati publicæ pro se quisq; studeret, ac animo ad quæuis pericula excipienda parato esset, fausta quæque ac felicia, vtque vtriq;, tam qui domi mãsuri essent, quàm qui in bellum ituri ita rem gereret, vt mox læta vtrinque gratulatione, in mutuos complexus ruerent, precatus ijs fuit: ad quam vocem plausu à circumfusis excitato, Cancellarius eum ipsum plausum lætum omen futuri successus, ac non diuturni belli Regem accipere intulit.

Sub idem comitiorum tempus Sueciæ Rex, quibus partibus hac expeditione bellum orsurus Rex esset, per literas à Rege quærebat. Rex pro eo, quòd antè ad bellum hoc maximè Sueciæ Rex hortatus se fuisset, ac mutua necessitudine celandum eum consilia sua non ratus, Plescouiam se eo anno ire in animo habere ei ostendit: petentique legato eius, vt militem quem in Germania intercipiendæ legationis Moscouiticæ ad Principes Christianos missæ causa scripturus Sueciæ Rex esset, voluntate Regis per ditiones ac portus eius ducere sibi liceret, literas quarum authoritate id facere posset, dedit. Ijsdem temporibus Philo Kmita qui Lucensi præsidio præfectus à Rege fuerat, ne miles otio ac desidia interim corrumperetur, Chelmam Moscouiticam, quod castrū supra Louatum fluuium situm est, Martinum Curtium & Gabrielem Holubkonem misit. qui cùm ex captiuis cognouissent, opidum iam ante Moscos more suo incendisse; ex eo vnam domum sub castro ad excubias agendas ab hoste relictam; noctu progressi, cùm antequàm illuxisset, eò peruenissent, Curtio domum præteruecto ac à tergo excubijs se obijciente, fugaque in castrum interclusa omnes concidente, Holubko castrum incendit. Ab alia parte Sibricus Sauolociensis præsidij præfectus homines agri eius omnes ad sacramentum euocārat. quinque autem antiquitùs territoria ad Sauolociam pertinent. Venerant in his Voronecienses aduocato, Polonico more sibi creato. Opidum autem Voronecia est supra Sauolociam ad Sovcam flumen situm; propterq; fluminis eius opportunitatem, quod in Velikam flumen, indeque sub Plescouia in lacum Pelbam ac sinum Finlandicum influit, commercijs ac habitatorum numero amplum olim fuit. Castrum quod adiunctum habuerat in tot vicinorum ac munitissimorum aliorum copia desertum à Moscis fuerat. Itaque cum opido nullo opere munito præsidium Sauolociense facilè potiturum cogitarent; quo id antè incenderent; maximè autem, quod opidani ad Sacramentum conuenerant, vt ad deterrendos alios omnia cruciatus exempla in eos ederent, copijs aliquot collectis repentina excursione opprimendi eius causa conuenerant. verùm re ab aduocato cognita, cùm ille in munere ac metu suo non inuigilans certiorem mox Sibricum fecisset, hic pfligatis Moscis, locū in quo castrum

castrum fuerat, cum Kiralio occupat; præsidioq; ei imposito, corbibus militaribus pro tempore communit; agrestibusque ipsis, quibus loca vicina nota erant, ducentibus, crebras inde ex hostico prædas egit. Philo Kmita Chelmensis excursionis prouentu inuitatus eodem Sibrico ac vicinis alijs præsidijs sibi adiunctis, Priscam Russam quæ ad magnam Nouogardiam spectat, excurrit. Magna hoc loco Moscouiæ Dux salinarum vectigalia habet: frequentia item ac ampla commercia sunt. Opidum magis in salinarum ac negotiorum vsus constitutum, vtq; loco à finibus remoto, nullo opere munitum sine negotio diripuit, repletumq; militem præda reduxit.

REINOLDI HEIDENSTEINII SECR. REGII, DE BELLO MOSCOVITICO COMMENTARIORVM

LIBER QVARTVS.



SOLVTIS ad eum, quem superiori libro ostendimus, modum comitijs, Rex militẽ, quanto in supplementum ad bellum opus erat, Samosciũ quàm celerrimè scribere, matureq; in Lituaniam adducere iubet. Ipse Grodnam rectà, indè Vilnam proficiscitur. Interim ad Christophorum fratrẽ Principem Transiluaniæ de nouo equitum ac peditum Vngarorum delectu scribit. Germani militis conquirendi Farensbekio per literas negotium datur; qui militis in inferioris Germaniæ bellis exercitati copiam se habere posse antè ostẽderat. Samoscius, quò lectiorem peditatum haberet, Vrouecium ala equitum, cui præerat, missa, peditem ex sola nobilitate scribere iubet. subleuabantur apparatus hi interim, dum tributariæ pecuniæ conferrentur, partim ea pecunia, quam à principib⁹ acceptam suprà ostendimus, quamque præter eam Marchio in Prussia Dux subsidij loco miserat; partim propria Regis ipsius, maximè tamen equitum studio, quorũ magnum numerum Samoscius euocârat; eaque ad bellum hoc alacritas erat, vt pleriq; nulla in auctoramentum accepta pecunia ad diẽ nihilominùs conuenirent: complures in ipsis castris demum stipendiorum partem acciperẽt. Grodnam iam Rege progresso, nũcius cum literis à Mosco ad eum venit: mox alios cum amplioribus mandatis, quibus conuenire pacem posse existimet, affore: Interim ne vllum exercitũ Rex cogat, néue vlteriùs progrediatur; posse eũ & impensæ & labori parcere. Veniunt legati: colloquium petentibus datur. Re diu more eorum ducta, atq; vtrinq; disputata, eò tandem descenderunt, vt Narua, Nevschlossio, Derpato, Adseuio, Nouogrodeco Liuonico, Nevhaus à Germanis dicto, exceptis, reliquam Liuoniam vniuersam vnà cum ijs locis, quæ antea receperant, Veissensteinio, Felinio, Parnauia, ac alijs omnibus Regi permitterent. Ostẽderat Rex, nullam se prius pacis mentionem fieri passurum, quàm vniuersa Liuonia Moscus cessisset. Vrgebant legati, vt cùm sui principis nomine ostẽderetur, quid præstiturus esset, sibi quoq; quid de ablatis principi suo restituẽdis animi Rex haberet, demonstraretur. Repetebant autem vno Polotiẽsi agro excepto, qui pristinæ ditionis regiæ fuerat, reliqua quæ superioribus annis bello capta erant, omnia. Demonstratum fuit, ita Regem principi eorum illa restituturum, si præter Velisium, quod nulla cõditione dimissurus Rex esset, castrum quoq; Sebesium quod id penitus intra ditiones regias situm esset, quò certior ac stabilior pax esset, vel tradidisset Regi, vel demolitus fuisset; quod quominùs recusaret, Regem vicissim Dryssam demoliturum; partis sumptus deinde in bellum facti nomine quadringenta aureorum millia Regi refudisset. Impetrârunt legati, vt ad principem suum referre ea sibi liceret; ac vt Regis nomine eadem ad illum scriberentur. Sub idem tempus Bochdanus Bilscius, cuius frater patruelis in amoribus Mosco erat, summamq; apud eum rerum omnium fidem obtinebat, ad Regem trãsijt. Miserat Moscus legatos ad Rodolphum Romanorum Imperatorem: ab eo vlterius deinde ad summum Pontificem Romam peruenerunt. Legatione ad summum Pontificem operam suam contra Turcam Christianitati pollicitus, & de Regis in se iniurijs questus perhibebatur; & vel secretò, vt ad pacem

pacem eum hortaretur, petijsse: aut ijs tamen querimonijs, vt suas partes summus Pontifex interponeret, non nolle se satis ostendisse. In Poloniam frequentibus nuncijs afferebatur: cùm Græcæ sectæ homines pedes summi Pontificis pro more deosculari diu recusassent, tandem tamen id vt facerent, adductos. summus Pontifex Antonium Posseuinum, qui vnà in Moscouiam cum illis iret, ijs adiunxerat. Hic Moscis per regias ditiones itinere intercluso, ideoque per Germaniam Lubecam, vt inde Naruam traijcerent, se recipientibus, de legatione sua per literas certiorem Regem fecit, ac si voluntate eius id sibi liceret, per Poloniam & Lituaniam iturum se ostendit. Rex non modò illi permisit: sed ipsius quoque Mosci legatis idem se permittere respondit. Hi tamen, ne quid præter præscriptum principis sui facerent, Lubecam se contulerunt: indeque eodem quo venerant itinere in Moscouiam ad principē suum reuersi fuerunt. Iisdem tēporibus nuncius mortis Christophori Transiluaniæ Principis Regis fratris allatus, cùm Regi ipsi non leuē dolorem attulit: tum Moscum, qui auocato Rege rebus Transiluanicis sui interim colligendi spatium sibi datum iri cogitaret, vt pacem atque eas ipsas conditiones, quas paulò antè ab eo propositas fuisse ostendimus, iterum reuocaret, maximè animauit. Verùm Transiluanicis rebus ne à cura belli auocaretur, iam antè à Rege prouisum erat. Cogitans enim vltra incertitudinem rerū humanarum ætatem fratris prouectā: ipsum continuis articulorum doloribus confectum: antequam Varsauiam ad comitia iret, author fratri ac prouincialibus fuerat: vt filium eius Sigismundum in omnes casus Principem designarent. Quibus de rebus cùm legati Alexander Kendius, & Vladislaus Somborius Varsauiam ad Regem venissent, ex eius authoritate, domum postea illis reuersis, communibus ordinum studijs Sigismundus in Principem electus fuerat: tristibus læta Christophoro Principi fortuna temperante, interque duo funera vxoris vnum, ac minoris natu filiæ alterum, principatum Sigismundi filij interijciente. Maximam in pacis spem omnium iam propè animi venerant. Nam nec propter quadringentorum illorum milliū conditionem, si Moscus eam non accepisset, communibus ordinum bellū finiri volentium studijs defuturus Rex fuerat: nec Moscus, qui vniuersam quasi Liuoniam pacis cupiditate dimiserat, illorum quæ exceperat, castrorum causa bellū accepturus existimabatur. Itaq; inducias etiam ad certam diem, intra quam denuò Moscus respōderet, Rex ei concesserat. Verùm intellectum mox fuit, iam tum legatos, quomodo à propositis conditionibus discederent, cogitare. Vincentius erat, de quo antè mentionē fecimus, in finibus Moscouiticis, qui ad Smolenscam pertinent, ductor Kosakkorum. Hic cùm transgressis fines legatis sese adiunxisset, posteaque eodē itinere Vilnam cum illis profectus, familiariùs inter eundum ad eos sese applicasset, solicitare hominē, vt ad principē suum transfugeret, cœperunt. Ille constanter primò pernegârat: cùm vrgeretur, tandem Vilnæ ad magistratum rem detulit: ex eius sententia simulat transitionem: quæ quò gratior principi eorū esset, nec sine pretio operæ ad illum veniret, vt aliquas magni momenti literas, quas ad eū deferret, sibi committerent, postulat. Illi polliciti, vt priùs tamē aliquo argumēto fidem eius exploratam haberent, vt in vna priùs re conficienda operam suam sibi nauet, rogant: tempusque quo profecturus Rex sit, quaq; iter facturus, exploret. Re ad magistratum delata, quò magis fides ei haberetur, iter regis ex fide descriptum datum illi fuit. quo à perfuga quasi pignore fidei accepto, literas ad principem suum perferēdas ei tradunt. In ijs vt magno animo sit, eum hortantur. Nam & paucas omnino à Rege copias cogi: & quod mortuo fratre Transiluanicæ res præsentiam eius desideraturæ sint, maximè cū Turca ijs imminere dicatur, minùs huic bello eum vacaturum. Per idem verò tempus, & quod Vilnæ Rex substitit, Plescouiam, quam hoc bello petitū iri sibi persuaserat, omnibus rebus Moscus firmat. muros vetustate neglectos magnis operibus reficit: nouas ad priores munitiones adijcit: præsidia ex alijs arcibus omnibus detracta vnū hūc in locum cogit. Ab altera parte Pontus Gardianus Gallus, quem Sueciæ Rex collocata ei in matrimonium filia naturali militiæ præfectum fecerat: extrema quædam Liuoniæ castella, quæ ad Osiliā & maritimam Liuoniam pertinent, occupat. Iam ab initio cùm primùm in Poloniam Rex venisset, Sueciæ Rex per oratorem suum vehementer Regem ad bellum contra Moscum hortatus, fœderis ac societa-

tis contra communem hostem mentionem intulerat. Miserat tum ijs de rebus ad eum Rex Ioannem Herbortum Castellanum Sanocensem: propositæq; ex vltro citroq; cōditiones fuerant, vt Reualiam quoq; regi traderet; vtq; quæ cis Naruam flumen essent, Poloniæ Regi cederent; quæ vltra Naruam Sueciæ finitima versus oceanum glacialem cōmunibus copijs occuparentur, ad Sueciæ Regem pertinerent. cumq; bellum interim differendum sibi Rex non iudicaret; quo tempore Polotiā ibat, denuò Laurentium Goslicium Vilna ad Sueciæ Regem miserat; per quem in armis iam se esse ei ostenderat, & vt ipse à suis quoq; finibus in Moscouiam cum exercitu irruptionē faceret, eum hortatus, auxiliorum & belli communicandi rationes quasdam proposuerat: ac ostendente tum Rege Sueciæ nolle se sibi prę scribi, quas in partes copias suas mitteret, omniaq; occupantis fore: Goslicius quemadmodum iussus fuerat, Liuonia tamen vt abstineret, postulârat; cuius causa & maximè bellum Rex suscepisset, & quam optimo iure pertinere ad se sciret: Regemq; ius in Liuonia Reip. & suum negligere non posse prædixerat. Nunc cùm id accederet, vt Liuoniā ferè omnem per legatos Moscus ei detulisset, quo in statu res essent, cùm Sueciæ Regem, tum militię pręfectum eius iterum per literas certiorem Rex fecit; vtq; Liuoniam non hostis, sed suam opinione iam præcipientes, omninò ab ea sibi temperarēt, ac alijs potius in partibus, si ita eis videretur, bellū cum hoste administrarēt, postulauit. Vilna tormentis ac instrumento militari omni Postauam pręmisso, ipse Disnam profectus fuit. Vbi de exercitu hostili ad Smolenscam coacto, eiusq; in Mohilouiensem, & Sclouensem agrum incursione cognouit. Erant in hibernis eorum locorum aliquot equitum turmæ. ex quibus cum Christophori Radiuili, & Martini Kasanouij turmæ, diuersis locis in palantes incidissent, secundisq; aliquot prælijs cum copijs ijs conflixissent, non diu in nostro commoratæ, mox intra suos fines se receperunt. Rex tamen nuntio hoc de incursionibus hostis allato, continuò Christophoro Radiuilo, qui tum Disnæ vnà erat, ad eas quas antea habebat, turmas equitum, alias Polonorum nonnullas, quæ ijs in locis ad Borysthenem in hibernis erant, peditatusq; ac leuium tormentorum quæ nauibus Vitepsciam præmitteret, certū numerum attribuit. Ei mandat, vt rectà contra hostem tendat: dataque facultate prælium committat. si hostis iam recesserit, capto per Velisium medio inter Bialam & Toropeciam itinere, ab ea quoque parte metū hosti ostendat. Eodem tēpore Ioannem Thomam Droiouium præfectum Præmislien. ad Turcarum Imperatorem misit. Causę legationis hæ erant; vt quia fato Christianitatis sicut reliqua Vngaria, ita Transiluania quoq; stipēdiaria Turcæ facta esset, vereretur q; Rex ne mortuo fratre Christophoro noui Principis imperiū grauioribus conditionibus Turca premeret; postularet, vt quib⁹ priores principes legibus principatū eum tenuisset, iisdem huic quoq; eū permitteret; nec si quid cōtra ea fieret, Regē patriæ suisq; ue deesse posse ostēderet. Præterea verò vt de Ianculę Valachię Palatini iniurijs, quas frequentes is regiarum ditionum hominibus afferebat, quereretur; vtq; illo amoto Petrus Prior Palatinus in pristinū dignitatis locum restitueretur, peteret: Regemq; nec Ianculæ vicinitatem ęquo animo ferre, nec suorum iniurias, vti nec deberet, neglecturum profiteretur. Pri⁹ legationis caput mox obtentum; alterum in aliud tempus dilatum fuit. Sub idem autem tempus in Tartaris quoq; tumultuatum fuit. Deuletes Chierei⁹, qui nouissimè apud Tartaros imperitârat, plures liberos reliquerat. successerat huic in imperio, qui nunc rerum apud illos potitur, Mahometes Chiereius; qui cùm præter alios fratrem haberet ætate proximum Adleum Chiereiū magni & ipsum animi & apud populares virtutis opinione, interficere eum non ausus; cùm aliàs instituto Turcico apud Tartaros etiam plerumq; eius, qui in principatu succedit, securitatis causa cæteri principum liberi è medio tollantur; quò minùs tamen cupiditati eius loci relinqueret, Galgam crearat. Is summus militiæ præfectus est, eaque authoritate, vt & viuo principe proximam secundùm eū potestatem obtineat; & mortuo in imperio succedat. Adleo à Persis capto, ac interfecto, eadem ratione Haliū Chereium alterum ab eo fratrem magistratu eo tradito, successionis spe sibi deuinxerat. Verùm confirmatus postea ætate filij Saditi, amoreq; paterno impulsus, deiecto fratre, filium eius in locum suffecerat; veritusque ne iniuria hac irritatus cum altero minore fratre Salomete Chereio contra se cōspiraret; ad parricidij crudelitatem, quā antè seu metū seu miseratione retentus intermiserat,

redierat;priusq; q̃ illi moliri quid cõtra se posset,interficere eos conatꝰ fuerat. Hoc periculi metu ꝓfugere illi coacti, cũ diu exagitati in finibus oberrarẽt, à Kosakkis excepti,adq; Michaëlem Visnoueciurn præfectum Cirkassiensem adducti fuerũt:à quo certior de ijs Rex factus, vt in suum reditum retinerentur,iussit.Ipse instrumento belli grauiore primò per Disnam in Dunam, indè vlterius per Dryssam flumen, nauigatione, quemadmodum ostẽdimus,iam antè explorata nauibus præmisso; Disnæque parte aliqua exercitus recensita Polotiam venit.Ibi dum alijs copijs recensendis operam dat, Christophorus Derssekus, qui petentibus legatis Moscouiticis, à Rege ad Moscum missus fuerat,cum literis ab eo redit.Longè alio eæ argumẽto, quàm superiores fuissent,scriptæ erant.quæ ab initio acta essent,multa & longa oratione repetita inuidiosè omnia interpretabatur: quæ per legatos antè Regi obtulerat, irrita rursum faciebat: maximè quòd Neuelensibus conditionibus stare Rex noluisset:quòd vt Sebesium demoliretur; bellicique sumptus nomine pecuniam ab se flagitasset,exagitabat.quòd non in eodem statu rem esse,quo Neuelæ fuerat,ac interim in oppugnanda Sauolocia maiores sumptus se fecisse Rex diceret, cuius coactu, aut rogatu Sauolociam cepisset, interrogabat.potuisse eũ supersedere labore hoc,non sua voluntate factum,vt eam occuparet: Pecuniam verò quòd flagitaret,scire eum, nolle se tributarium eius esse: impensas autem belli imputare,aut earum nomine pecuniam postulare inauditum inter principes esse.Sebesium se puero, dum Sigismundus Rex rerum in Polonia & Lituania potiretur,conditum, eiusque perpetuò postea, etiam cùm Polotiam in potestate Reges Poloniæ haberent, in possessione se fuisse: præterea vt maximè ille Sebesium,Rex Dryssam deleret:tamen cùm visum esset, Dryssam iterum Regem restauraturum:denique semper aliquid reperturum, quod nouum à se postularet.Nobilitatis nuncios ad colloquium cũ legatis adhibitos criminabatur; idq; in inuidiam suam factum ferebat.Indignabatur & oratores nullos à rege ad se mitti: Itaque se quoque nec post quinquagesimum aut quadragesimum annum oratores vllos missurum confirmabat. Multa de Liuonico iure suo aspergebat. In Regem autem ipsum acerbissimè inuehebatur;modò quòd non regio genere natus esset:modò crudelitatem in victos, adipis detracti argumento, de quo suprà dictum est, vsus:modò in eosdem indulgentiam,qua ad transitionem eos inuitaret, tum quòd globis candentibus inusitata ratione Sokolam incendisset, fraudem ac dolos ei exprobando.Rex literis hisce acceptis, ostendit legatis etsi iure gentium hostium loco habere eos posset, qui pacis petitione simulata,speculandi, circumueniendique sui causa ad se venissent;nolle se tamen ob eorum perfidiam à perpetua mansuetudine atque lenitate sua recedere; itaque ipsi ad suum principem reuerterentur:literis eius per suum hominem se respõsurum. Proficiscitur cum his Antonius Posseuinus; quem à Summo Pontifice ad Moscum missum suprà demonstrauimus.Ei præfectos, qui Velisij capti fuerant, Rex condonauit. Sauolociam indè, siluis vt in pacato nõ magna molestia superatis, pontibusque & latioribus vijs iam antè iussu regio Sauolociensium opera munitis, peruenit. Hîc & si omnium ferè aliorũ opinione Plescouiam sine vlla dubitatione hac expeditione eundum tamquam præiudicatum iam videbatur; quò rectiùs tamen in re pręsenti omnia statuerentur,ad consilium de eo Rex retulit. Valuit plurimũ apud omnes ferè cùm vetus persuasio, tum ipsa rerũ gerendarum series, bellique suscepti ratio, quòd ea vrbe in potestatem redacta, Liuoniam simul vniuersam, quæ tum vnica belli causa erat, ei accessurã inter omnes conueniret. Rex tamen,ac pauci cum eo an non magnam Nouogardiam rectiùs iretur, dubitabant:cuius etiam nobilitatis motus aliqui contra Moscum audiebantur. sed periculi plena res videbatur, relinquere à tergo vrbem amplissimam, in quam omnes quasi hostiles copiæ conuenissent: quæ magnam & bene ad Nouogardiã gesta re ad reliqua perficienda moram: & si non tam bello, quàm tẽpestatibus, contagio,alijsue incommodis in hostico offensum esset, grauem recipiẽtibus se metum allatura esset. Derpatum vnus Veierus eundum cẽsebat,cùm eadem ratione;quòd præsidij eius magna parte ad Plescouiæ defensionem deducta,facilior expugnatio eius futura videretur:tum quòd per eam ipsam ad reliquam Liuoniam vniuersam,quę vna bello eò petebatur,aditus futurus esset. Vicit plurium consensus, rerumq; ipsarum cõtinuus quasi ordo, qui primò Plescouiam objciebat, eò vt iretur. Et

si enim per Louatum flumen, quod à Lukis Nouogardiam tendens magna ex parte in nostra potestate erat, regressus exercitui dari videretur; quòd tamen naues omnes subtractæ ab hostib⁹ essent, nec aliarum fabricādarum tam exiguo temporis spatio in prouincia noua & dubia facultas data esset: flumen præterea Louatus non per omne anni tempus nauigabile esset; hac quoque re non multum iuuari posse exercitus videbatur. De castellis quæ à lateribus imminebant, diu Rex dubitabat, tentandáne oppugnatio eorum sibi esset, priùsquam Plescouiam iret, an in aliud tempus differenda. Ex ijs Krasnohorodam, cuius oppugnationem Sigismundi Augusti exercitus frustrà olim tentauerat, & alterum Veliam Moscus, quòd teneri ea posse diffideret, tormentis priùs apparatuque omni deportato, sub idem tempus ipse deleuit. Reliqua erant Sebesiū, Opocka, Ostroua. Sebesium & si ad læuam Dunam versus à tergo relinquebatur, nauigationemq; fluminis infestā reddere posse videretur: tamen quòd per siluas, locaque magna ex parte inuia, ac difficilia, iter illac esset, præstare visum fuit, vel in aliud tempus eam differre; vel si pax interim coiret, aliam quādam munitionem ei opponere, quàm nunc maiorum rerū gerendarum tempus, siluis, viarumq; difficultatibus superandis, ac ipsa tandem oppugnatione eximere. Opocka non ita viæ imminere videbatur, vt nō commodè declinari posset: præterea flumē Velika supra Opockam nondum eius altitudinis erat, vt tormēta apparatusque bellicus demitti per eum possent; quam commoditatem vel maximè qui dam spectabant; ac vt nauigabile esset, Plescouiensi tamen oppugnationi mora vlla minimè interponenda videbatur. Accedebat huc, quòd ex propinquis presidijs Sauolociensi & Voronecensi facilè excursiones eius prohiberi posse existimabantur. Interim opportunè accidit, vt sub idem tempus Kosakki Krasnohorodam à Mosco desertam, subitario opere cōmunirent, quò prædis ex hostico agendis sedem in ea collocarent. Mittit eò Rex mox copias nonnullas cum leuioribus tormentis aliquot, locumq; militaribus corbibus dispositis diligentiùs communiri, Sebesiensequé; & Opocense præsidia distineri indè iubet. Itaq; Krasnohoroda, Sauolocia & Voronecia occupatis, è quibus non difficulter Sebesienses, & Opocenses contineri posse viderentur, illis omissis, Ostrouia sola quæ in ipsam viā Plescouiensem incurreret, relinquebatur. Ad Christophorū Radiuilū, quem contra hostis ad Borysthenem excursiones missum suprà ostēdimus, sub idem tempus Philonem Kmitam etiā, ac Lituanicos Tartaros à Vitoldo quōdam Duce agris in Lituania donatos, Michaële Haraburda illis præfecto se coniungere, hostemque ancipiti metu distinere, mutuisq; populationibus priores excursiones ei⁹ vlcisci iubet. literasque ea de re ad Radiuilum dat. Priùs quam Sauolocia Rex moueret, tabellarium cum litteris ad Moscum mittit. ijs etsi nec illius criminationes quicquam de dignitate sua detrahere posse statueret: & armatum hosti maledicere infra animi sui magnitudinem iudicaret; ne tamen ille è silentio Regis, more suo maiores sibi spiritus sumeret, ad priores eius respondet. Quæ acta ante id in inuidiam à Mosco vocabantur, vt quæque gesta sint, ostendit: conditionibus Neuelensibus cur stare nō potuerit, demonstrat: nihil per iniuriam, aut præter morem aliorum principum Christianorum ab illo se postulasse docet: vt Sauolociam oppugnaret, nullius preci bus adductum se respōdet. sed id vt faceret, pertinacia & iniurijs eius se coactum; quæ nec se quiescere, donec armis ius suum consequatur, patiantur: nec ipsum nisi armorum metu admoto animū ad æquitatē aduertere. Quantum in se fuerit, se fecisse, vt per Oratores eius aliquoties testificatus ei sit, quò diutius causam duceret, quoq; ad maiores impensas tergiuersatione sua se prouocaret, eò grauiores postea conditiones se ei ferre necesse habiturū. Sumtus in bellum factos & aliorum principum Christianorum more ac exemplo se repetijsse: & nihil æquitati cōuenientiùs esse, quàm vt à quo iniuria profecta fuerit, ab eodem omnis iniurię causa præstetur. quod quoniam illi graue videretur, sciret posthac non de Liuonia, aut belli eius sumptib⁹, sed summa rerum se dimicaturum. Quòd Sebesiū puero se cōditum diceret, qua maximè ratione ius suum ostendere se confideret, ea malam fidem eius maximè detegi. Nam cùm regia Polotiensis ditio ad Dunam flumen semper pertinuerit, intraque eam nuper Sebesium excitatum fuerit, satis argumenti esse in alieno iniustè ædificatū fuisse. An autē ad priores cōditiones, nouas subinde Rex adiecturus fuerit, si priùs ijs cōditionibus, quas Rex tulisset, assentiendo periclitatus fuis-

tus fuisset, tum certi aliquid asseuerare eum potuisse. Nuncios nobilitatis ex ipsius vtilitate ad colloquium cum legatis eius adhibitos fuisse, quò quæ conuenissent, maiorem firmitudinem haberent. Quòd Oratores ad eum non mitteret, non esse, quod se accusaret; neque enim legem vllam de mittendis oratoribus cuiquam perlatam, præterquàm vel vsus, vel voluntas cuiusque vnicuique imponeret: omninoque iudicij potiùs quàm necessitatis rem esse. Quòd facturum se negaret, vt nec ipse post quadragesimum annum vllos ad se oratores mitteret, facilè ei credi: magnã hanc bono etiã viro ne dum Tyranno viuendi vsurã esse: non missurum igitur post quinquagesimũ aut quadragesimum annũ: at missurum fortassis citiùs: Regem quidem nihil hac in re temere sibi præscripturũ. Docet & de Liuonico iure. Ad conuitia eius respondet, neque se eum esse qui contumeliã vllam accipere possit; nec in Moscum, cuius turpitudo & crudelitas omnibus nota sint, rectè hãc aliòs insectandi personam cõuenire. Regẽ se non tam molestè ferre non natum esse, quàm gaudere, quòd virtute sua ad regnũ peruenerit: quòd ea ratione ad honorem hunc euocatus sit, qua summus Pontifex à Cardinalib⁹, Imperator qui principem inter Christianos principes dignitatem obtinet, ab Electoribus Germaniæ: qua multi alij reges ac Principes omnibus temporibus à sui quisque regni ordinibus. Interim præclarum sibi ducere priuato loco, nobilib⁹ maioribus ortum, qui rebus Christianis egregiam sæpè operam nauârint, amplissimos honores gesserint, prouincias administrârint, magnaque virtutis & pietatis laude floruerint, cùm maiores sui reges non fuerint, virtute tamen sua regnum se adeptũ esse; cùm illum, nisi ita, vt esset, natus fuisset, mores eius quemuis potiùs alium quã principẽ facturi fuissent: minimeq; illi inuidere, quòd non plurimorũ de eo hominũ iudicium, aut spectata virtus eius potiùs, quàm mulieris Glinscij Sigismundi quondam regis proditoris filiæ vterus, Moscouiæ dominum imposuisset. Crudelitatem in detrahendo è nonnullorum cadaueribus adipe primùm non à se profectam: deinde nihil in eo contra pietatis officium hominumque Christianorum more, qui vt viuis tanto rectiùs consulerent, ex medicorum disciplina, vel in minutissimas partes mortuos dissecarent, admisũ: ridiculam aũt misericordiã esse ipsius, qui cùm in viuos omnia cruciatus exempla edat, mortuorum cura se affici præ se ferat. Eiusdem generis esse, quòd clementiam & lenitatem erga victos suã criminaretur. Non satis enim sibi constare, qui modò crudelem, modò nimis lenem quereretur; indignareturque, quòd non omnes, quos in præsidijs expugnatis Rex cœpisset, excruciatos interfecisset. Quòd Sokolam inusitata ratione flammis à se deletam, vitio sibi verteret, in eo non tam fraudem aliquam illum arguere Regis, quàm detegere propriam inscitiam suam; quæ vt omnibus in rebus maxima esset, ita militaris rei multa pręclara inuenta adhuc eum fugere. Respondet & alijs de rebus quàm copiosissimè: quæ omnia accuratiùs hîc commemorare, prætęrquàm quòd epistola ipsa in manus hominum peruenit, nõ etiam nostri instituti est. Sub finem epistolę ad singulare certamen cum prouocat: eamque Russicè & Latinè scriptam ei transmittit. neúe nimis sibi placeret, quæque aliorum de se hominum iudicia essent, cognosceret, libros de immanitate eius passim per Germaniam editos vnà ei mittit. *Sauolocia Voroneciam* Rex progressus militarem disciplinam prioribus legibus partim emendatis, partim auctis accuratiùs eo loco sanxit; legesque de ea scriptas primùm senatoribus, deinde militi; præfectis omnibus disserendi de ijs facultate permissa publicè proposuit. Quibus ab omnibus probatis præfecti militares, vt ducem exercitus crearet, eumque magistratũ, qui solennis apud maiores in Repub. fuisset, restitueret, flagitârunt. Rex quòd partito in plures imperio militari, superiori anno nec satis disciplinam castrensem obseruatam, se rebus vel minutissimis quibusq; fatigatum, aliaq; incommoda nonnulla extitisse ex eo meminisset, vocato priuatim ad se Samóscio, cuius vtilem operam superioribus expeditionibus, multis maximisque rebus spectatã habebat, eum se magistratum hunc creaturum ostendebat. Samóscius magnitudinem eius, atq; onus demonstrando; seq; ab omnibus rebus, maximè autem muneris huius expectatione imparatum accessisse ostendendo, primò vt alij potiùs id traderet, aut ne sibi saltem tantum oneris imponeret, petere, postea vehementiùs etiam deprecari cœpit: vbi nihil Rex remitteret, obtempęraturum se tandem Deo, & illi seu ad gloriam seu periculum se vocanti recepit:

pit. Priuatim cum Samoscio re commu nicata, idem publicè deinde facit; consi lioque conuocato, quid suæ sit sententiæ, declarat. Re ab omnibus probata, per Andream Sborouium palatij Marschalcum, qua qui superioribus tempo ribus imperio militari præfuissent, nominatim verò Ioannes Tarnouius maxima potestate fuissent, generalem exercitus Ducem perpetuum Samoscium creat. Hic quemadmodum antea fecerat, ita tum in publico quoq; præter oneris eius magnitudinem, quod per se grauissimum, maxima etiam cum inui dia coniunctum esset; non eo etiam apparatu instructũ se venisse ostendebat; vt tantum munus sustinere posset, qui scriptis ijs, quas Rex iussisset, copijs, eo animo profectus domo esset, vt quemadmodum superioribus expeditionib⁹ fecisset, partẽ saltem aliquam belli susciperet: cui summa rerum administranda esset, oportuisse eum priùs omnium ad summam belli pertinentium rerum cogitationem suscepisse: omnia explorata, cognita, parata antè domo attulisse: ipsum inspexisse: legatos, ministrosque iam antè domi delegisse; quos etsi haberet, non haberet tamẽ plures, quã qui copijs tantùm, quas ipse scripsisset, ducendis administrandisque suppeterent. Tandem quemadmodum antea priuatim, ita tum publicè magistratum accepit. Constitutis rebus ijs, exercitum vniuersum recensere Rex instituit. Prę ceteris longè ornatissimę in lustratione hac Polonorum equitum turmæ comparebant. cùm longè plures ex amplissimis quibusque familijs, quàm vlla alia superiorum expeditionum ad bellum hoc conuenissent. inter alios Samoscius ad priores copias suas, quas superiori æstate à se conductas, hieme in Samogitia contra hostiles in Liuoniam irruptiones mandato Regis collocârat, aliquot ornatissimorum equitum millia adiecerat. omnes hi ad ducis exemplum vt superiori anno atrato habitu vsi fuerant, ita tùm cæruleum sumpserant. Par his suo genere peditatus erat: Vrouecianus præsertim ex sola nobilitate scriptus. Nec multũ de proximi anni studijs & apparatu Lituani quoque remiserant. Itineris ratione à Rege cum Samoscio constituta, à dextra Lituani iuerunt; ijs aulicus miles, qui ad Gedanũ fuerat, perq; absentiam Ioannis Sborouij à Christophoro Niscicio regebatur, attribut⁹ erat. partẽ copiarũ aliarũ cũ Stanislao Tarnouio cla rissimę familię, senatorij, q; ordinis viro, quę locũ castris deligerent, Ostrouiã versus Samoscius præmisit. cũ eodem Veierũ & Vrouecium ire iussit. Tarnouius, quemadmodũ iussus erat, castrũ præter uectus in Plescouiensi via, qua præsidia in castrũ ventura, nuntijq; exituri expectabâtur, consedit: quæq; ad oppugnationem pertinebant administrare cœpit. Interim Samoscius aduenit; castraq; ab inferiori parte ad Velikam flumen posuit. biduò pòst Rex ipse cõsecutus fuit. Sita Ostrouia est in insula Velikæ fluminis, qq; nullos à terra aditus habeat, indè nomen id quod insulam Slauica lingua significat, accepit. Muros ex lapide satis firmos: propugnacula item cõplura habet: vnum præcipuè in septentrionali castri angulo, à qua eadẽ parte porta atque aditus in castrum est, insignis magnitudinis, adque nostræ ætatis propugnaculorum formam diligenter dimensum, eo positu, vt duo castri latera, vnum quod ad septentrionem, alterum quod ad orientem spectat, defendat. Cùm de oppugnatione cum Samoscio Rex deliberaret, animaduertit, occidentale castri latus, ita modico flexu lunatum; vt nulli recta linea secundùm id latus tormentorum ictus dirigi possent, atque ita nihil ferè ab ea parte à tormentis periculi militi metuendum videretur. Itaque duo propugnacula altera, quæ in meridiem conuersa erant, tormentis verberare instituit; quòd ijs à defensoribus nudatis, occidentali parte iam antè, vt ostensum est, innoxia, sine periculo ad oppugnationem iturus miles videretur. Vngaris orientalis anguli propugnaculum, Polonis occidentale attribuitur; perfectisque biduo munitionibus, & tormentis intra eas constitutis, ex vtrisque muri quati cœpti fuerunt. Ab Vngaris propugnaculo, quod oppugnabant, indè proximo muro continuis tormentorum ictibus verberato, ruinis quibusdam, quæ tamen præcipitem aditum in castrum præberent, patefactus ab ijs murus fuit. Poloni, curante apud eos tormenta Veiero, in fundamenta propugnaculi, & inferiores fornices tormenta conuerterant. cùm quòd ab inferiori parte facilior in arcẽ aditus futurus videretur: tum ne superiore turris parte à se occupata quod facere destinauerant, vt per fenestras eius sclopetis indè rem gererent, exque interiore castri parte hostem propellerent, puluere fundamentis subiecto circumueniri ab hoste posset. Vngari perruinas, quib⁹ ab co-

ab eorum munitionibus murus apertus erat, irrumpere mox conabantur. Represso impetu illorum à Samoscio, qui militem, quò ad maiores res integrior accederet, sine causa vulnerari nolebat, cùm rursum ab vtrisq; munitionibus summa vi tormēta cōtra muros disploderentur, magisque murus ruinis aperiretur, hostes eodem die deditionem fecerūt. Iam nox appetebat. itaque cùm præsidijs adiunctis vlterius deduci non possent, atq; interim separatum in locum è castro traducerētur, plebs rusticana Lucensis cædis memoria perculsa, subitò magna voce vltrò in verba Regis se adigit. quo clamore aliquoties repetito, cū vim illis adferri Samoscius ratus accurrisset; narrabant iuratos se Regi, fidosque posthac fore; eòque clamorem tam altum sustulisse, quò vel ab ipsis Moscis exaudirentur. Cæteri, in ijsque Nascokinus præsidij præfectus, eius, quem legatione ad regē functum, posteaque captū suprà ostendimus, propinquus, dimissi fuerūt. Rex antecursoribus, præmissis Plescouiam mox ipse progressus fuit. In primo agmine Balthazar Andreæ fratris Regis filius cum Vngaricis, Palatinus Braslauiensis cum Polonicis aliquot copijs incedebant. Hi vbi ad Cerēcham flumen, quod ab oriente in Velikam influit, venerūt, ex Vngaris quidam flumen transgressi in tres partes copias suas distribuerunt. Prima ex ijs rectà Plescouiam contendit: duæ reliquæ diuersis locis in insidijs consederunt. Ex ijs primi cum hostium excubijs congressi, mox pedem referre cœperunt: hostes quod erat, insidias veriti, recedentes tamē secuti, postquàm secundi ex insidijs consurrexissent, nihil amplius veriti, quòd numero vtrosque superarent, effuseq; insecuti, ad tertios protracti fuerunt: à quibus reliqui in fugam coniecti: tres Boiarici generis capti, ac in castra adducti fuerunt. ex quibus, quantum in vrbe virium esset, quid præsidij animique hostes haberent, cognitum fuit. Simili euentu Sigism. Rosnius, qui cum veteranorum Polonorum copijs, quas Lituanis adiunctas suprà ostendimus, missus fuerat, ac deinde Germani aliquot equites, inter quos Rhederus Silesius voluntarius erat, excursione ad vrbem facta, captiuos aliquos adduxerūt. Samoscius ipse primùm Cerecha flumine, indè Plescouia amne transito, situs cognoscendi causa vrbem circūuectus fuit. accidit hîc, vt cum Vroucio vno assumpto, alijsq; subsequi se iussis, quò accuratiùs situm vrbis è propinquiori loco cognosceret, sub ipsos quasi muros contra portam quandam successisset, conspicati eum hostes, alā equitum contra eum emitterent; eaq; cùm intra teli iactū ad eum accessisset, Samosciusque etsi periculū videret, non tamen se cōmoueret, illa etiam insidias vereretur, iustum temporis spatiū ex aduerso neutris se cōmouentibꝰ constiterūt. Interim qui tardârant accurrentes, impetu in hostes facto, in vrbē eos reiecerūt. Rex vbi propius ad vrbem accessisset, cognoscendi loci causa ipse quoque cum Samoscio eam circumijt. Ciuitatis Plescouiensis in annalibus Plescouiensibus, qui in Polotiensi Bibliotheca inter alios reperti, in manus nostras peruenerunt, circa annum ab orbe condito VI. M. CCCC XII. antiquissima mentio est; quo Thorium filium Rurici principis Russiæ Olgam ex ciuitate ea in matrimonium accepisse, ex qua Suentoslaus filius natus ei sit, memorant. Indè varia cum vicinis gentibus bella ei intercessisse narrantur: maximè tamen Ikolos populos, quorum ab eo tempore cum imperio nomen quoque interijsse videtur, fœdere cū Nouogardiensibus inito debellasse: cum Sudetibus, qui ea quōdam loca tenuerunt, in quibus Derpatum nunc est, & cum Germanis Liuoniensibus prælijs contenderunt; cùm vel à suis finibus eos prohiberent, vel intra eorum fines bellum gererent. A Germanis capta etiam vrbs circa annum VI. M. DCC. L. traditur. Ab Alexandro autem filio Iaroslai ex stirpe Monomachi haud multò pòst in libertatem rursum vndicata. qui profectus à Batti principe Tartarorū, auxilijsque Tartaricis adiutus cùm prælio Liuonienses superasset, ex pacto deinde vrbem recepit. continentia tamen deinceps quoque bella cum iisdem ciuitati fuerunt. Illud satis apparet, eam & opibus plurimùm olim valuisse, & priusquàm à patre huius Basilio in seruitutem redigeretur, non modò proprijs legibus magistratibusque vsam, sed quod eo in loco magis fortassis mirandum fuerit, egregiè etiam ijs temperatam fuisse. cùm primis Posadniki, quod si verbum verbo interpreteris, assessores significat, ex quibus senatus cōstitutus fuerit, numerantur: in grauiorum rerum deliberationibus, legationibus audiendis, dimittendisque: fœderibus sanciendis: eligēdis principibus: pace deniq; ac bello suscipiēdo: legibus ferēdis, populi summa authoritas erat:

qui in comitijs, Viecis ab ijs dictis, quæ ad omnes pertinerent, vniuersus iubebat: Secundū Posadnikos nobilitas erat honore ijs proxima: tum verò diuersarum societatū mercatorum, quorum & magnam multitudinem eo in loco fuisse, eorumque, commercijs maximè ciuitatem creuisse apparet, præfecti: qui magistratus etiam ius ac authoritatem habuerunt. Ditionem possederunt amplissimam; ad eamque cùm Magni Luki, & Isborkum, tum quicquid intra eas est, pertinebat. Prouincias hasce per legatos Palatinos ab ipsis dictos regebant. His omnibus magistratibus finita cùm potestate princeps præerat. Eum seu ad vitandas factiones domesticas, seu quòd externo regnum occupare volenti, faciliùs restituros se existimarent, modò à Russiæ, modò à Lituaniæ magnis Ducibus certis conditionibus, ac vt secundùm leges suas ius sibi dicerent, petebant. A Lituanis Dummunthum, Timotheum nimirùm, postquàm Christianus factus esset, appellatum circa annum VI. M. DCC. LXXIIII. ac postea filium eius Dauidem accepisse memorantur: postērioribus etiam temporibus ab Olgerdo filium eius, qui sacris Christianorum initiari voluerit, Andreasque dictus sit. quosdam præter leges sibi imperantes ipsi remouebant. Tandem cùm Russiæ magnis Ducibus conuenerunt, vt certis deinceps legibus eorum maiestatem colerent, principesque non nisi ab illis, qui tamen secundùm patrias leges ciuitati imperarent, quique nominatim à ciuitate petiti essent, acciperent. A Basilij cæci filio Ioanne, primùm Basilius Suiscius legatus, deinde Basilius filius Plescouiensibus & Nouogardiensibus coniunctim princeps datus fuerat. Etenim sub idem tempus Nouogardienses subiugarat, Plescouiensium auxilijs adiutus; quæ illi partim ex fœdere, de quo dictum est, partim æmulatione Nouogardiensium miserant. cùm paulò antè à Liuoniensibus bello petiti, à Nouogardiensibus spreti atque destituti, ab Ioanne adiuti fuissent. Atque in eo quidem statu ad annum VII. M. XVIII. ciuitas permansit. quo à Basilio Ioannis filio, eius qui nunc rerū potitur, patre libertate spoliata fuit. Imposuerat eis principem Basilius Ioannem Michaëlis filium Repkam, quem Naidenum postea appellârunt: vt qui non petitus, sed vltro quodāmodo obtrusus eis esset. Contra hūc cùm Nouogardiæ fortè Basilius esse, mi sit ad eum ciuitas legatos, qui querelas quasdam ad eum deferrent. Cùm verò & Ioannes Nouogardiam ad Basilium accessisset, ipsius hortatu maiorem senatorum partem, quò præsentibus ijs controuersias eorum minueret, euocat: in vincula deinde omnes conijcit: Plescouiensibus denuntiat, vt consilium omne abrogent: campanam insignis magnitudinis, qua ad comitia obeunda ordines conuocabantur, ad se mittant: eaque vt facturos sciat, alios plures ex omnium ordinum hominibus obsides sibi dent. Plescouienses partim amore suorum inducti, partim ijs rebus præsenti periculo defuncturos se existimantes imperata faciunt: Obsides complures alios ad eū mittunt. Quibus acceptis, Plescouiam ipse Dux die mensis Ianuarij vicesimo quarto Oximæ sacro venit, cui in memoriam rei bene gestæ templum deinde ibi consecrauit: primoque in ædem saluatoris, inde Trinitatis, in cuius tutelam nominatim ciuitas se tradiderat, descendens, Vassiani Episcopi Columnensis, qui eò cum illo venerat, captamque tum vrbem pronuntiabat, oratione confirmatus, vrbem diripit: Senatum omnem, magnamq; nobilitatis partem in vincula conijcit: nouisque colonijs immissis in Moscouiam secum abducit; vt non pauci tum essent è nobilitate, qui ne patria mouerentur, religioni ac societati alicui religiosorum fratrum se manciparent. Ab eo verò tempore in durissima seruitute ciuitas permansit. Vrbs in longitudinem porrecta, qua ad occidētem spectat angustior, à meridie Velika flumine alluitur. qui eò loco nō modò nomine, sed tot alijs fluminibus receptis, re ipsa magnus, quinq; infra eum passuum millibus in Pelbam lacum influit: à Septentrione Plescouiam amnem habet, qui non magno à Nouogardia interuallo ortus, vrbem cui nomen dat mediā secans, in Velikam illabitur. Ipsa in tres partes diuiditur, quæ singulæ, diuersis interiectis muris inter se separātur. alterā, quæ occidentē spectat Sapskouā, tamquam vltra Plescouianā appellāt: tertia & media inter has arx est, quæ & ipsa in tres partes diuiditur: exteriorē, quæ ad meridiem, atque flumen Velikam pertinet Krsemnouiam: alteram Domantouam: tertiam mediam dictā, non ad arcem, sed ad vrbem ipsam, cuius quasi vmbilicum tenet, appellatione relata. Septentrionale latus omnium longissimum ad octo millia passuū in lon-

in longitudinem, muro omni ex lapide facto protenditur. Ad eum Moscus Polotia Lukisque captis, alium ab inte riori parte terra inter binos trabum or dines, quibus ea contineretur, latissima interiecta, adiecerat. Propugnacula ab omnibus partibus ex eodem lapidis ge nere firmissima habet. Cumque veteris operis propugnacula non satis æqualia inter se essent, indeq; fieret, quo minùs directis ex vno versus alterum tormen torum ictibus mutuò se protegerent, ex angulis eorum parietibus nouis pro iectis, iisdemque altissimo cespite vesti tis, fenestrisque per eas dispositis, vt pari inter se spatio prominerent, effecerat: ad eadē verò propugnacula, quòd partim angustiora, partim infirmiora viderentur, quàm vt maxima tormenta, eorumque vim, cū disploderentur, continere possent; turres alias itidem li gneas ex firmissimis trabibus magno itidem opere factas opportunis locis ab interiori parte interiecerat, magnaq; maiorum tormentorum vi compleuerat. Loci facies ab omnibus partibus amœnissima est, cùm duorum fluuiorum confluxu, & quà patentibus campis, quà crebris collibus leniter assurgē tibus, iisdemque frequenti iunipero ve stitis, quæ à Voronecia vsq; non secus ac si magna industria consita esset, huc excurrens, hortorum speciem loco circumdat: tum maximè monasteriorum vicinorum frequentia, quæ vltra quadraginta ex lapide omnia elegantissimè exstructa, passim per vicinum agrū constituta sunt. Celeberrimum ex ijs Svatohorense est, cùm religione, à qua sanctum montem locum eum appellant, tum loci munitiōe. In rupe enim durissima tribus circiter à Plescouia passuum millibus situm, firmissima pręterea turri, mœnibusque ad castelli modum munitum est. Moscus cùm, quem admodum antè ostēsum est, Lukis captis ad Plescouiam moturum Regem minimè dubitandum sibi iudicaret, omnibus rebus, quæ ad sustinendam obsessionem pertinerent, diligentissimè eam instruxerat; magnaque copia omnia comportari iusserat. Cuius rei vltra ea, quæ antiquitus ad defensionem vrbis comparata erant, hoc loco eò maio rem facultatem habet, quòd in eum locum per Naruam omnem è Germania alijsque occidentalibus regionibus bel licum apparatum conuenire necesse est. Itaque tantus omnium rerum ad bellum pertinentium apparatus in vrbe erat, vt superiori anno Moscus nec illi loco satis fidens maiorum tormentorum partem aliquā in vlteriorē Moscouiam deportare instituerét. quæ cùm grauitate sua tardius promouerē tur, Ilmeno lacu non procul à magna Nouogardia ea obruit. Præerat arci Basilius, & fratris eius Petri ad Vlam flumen à Nicolao Radiuilo sub Sigismūdo Augusto cæsi filius Ioannes Suiscij, è Susdaliensium Ducum familia oriundi. Andreas Choroscinus; & Plesceiovus, quorum Ioānes consilio, Choroscinus corporis ac animi robore ma gnam apud Moscum authoritatem ha bebant; indeque etsi ætate Basilius Ioannem antecederet, summam tamen rerum omnium huic commiserat. Equitum in vrbe vltra septem millia: pe ditum cum ijs, qui ex oppidanis militares operas inter milites obibant, ad quinquaginta millia fuisse constat: Vrbanæ multitudinis totidē. Inter peditatus ductores Kosetscius cùm animi ma gnitudine, tum procera corporis statura Duci gratissimus, authoritatis ac virtutis præcipuam ferè opinionem habe bat. Kosakki Nicolao Duce in regia ditione Circassij nato, sed qui diu Mosco operam nauârat, hoc consilio aliquot eò venerant; vt ex instituto militiæ suæ per agros palantibus excipiendis, prædisque agendis insidias ponerent. Ad id enim militiæ genus vsu assuefacti, nullis armorum vix contra cœli iniurias vestium indumentis tecti acinace & hastili vno, plerique tamen etiam scloppetis rem gerentes, ad singulos circumsistendos, opprimendosque: itinera, loca, res hostiles explorandas: flumina cymbis ac trabibus tranandas: densissimas siluas, ac inuia quæque penetranda cùm leuitate armorum, sitis, famis, ac laborum tolerantia, tum vsu atq; exercitatione plurimùm valent: cæterisque ferè omnibus præstant. verùm eos Suiscius conuiuio in vrbē acceptos intra mœnia retinuerat. Rex rebus ijs cognitis munitionibusque vrbis perspectis, facilè intellexit, non sine ratione ab initio iam plerisque eò potissimùm eundum contendentibus, assensum se non fuisse, longeque minora quàm presens ipse cognosceret, de statu vrbis eius atq; munitionib⁹ sibi renūtiata fuisse: se nec à peditatu, quem, si summa vi vrbē oppugnare vellet, triplo maiorem adducendū sibi fuisse intelligebat: nec à pulуere tormētario ad oppugnandā vrbē satis instructū accessisse videbat. Qui enim Susę depositus fuerat, negligentius igni

igni ab ijs, qui in præsidio erant, habito, conflagrarat: alterius autem vt præcepta iam opinione pacis nec ab initio satis magnam copiam quæstores parârat: accedenteque insigni subuectionum difficultate, qua à flumine relinquebâtur, vix eum ipsum, quem paratum habebant, aduehere potuerant. Itaque varia animo agitanti præstare aliquando videbatur, si Plescouia relicta, vel magnam Nouogardiam rectà contenderet, quam nonnulli minus munitam putabant: vel ad vicina castella Porchouam & Vdouam se conuerteret; ijsque in potestatem redactis, obsidione ex ijs vrbem premeret. quorum illud inter Nouogardiam & Plescouiam situm magnam ad intercludendam à subsidijs & commeatu Plescouiam facultatē habere putabatur: hoc Iuanogrodensi arci, quæ portum Naruensem efficit, imminebat; Priori consilio cùm eæ, quæ antè demonstratæ sunt, rationes, & à Plescouia metus, tum ipsius Nouogardiensis vrbis fama, quam & ipsam non exiguas ad resistendum vires habituram constabat, itineris denique longinquitas, præcipitante iam æstate, ac tempestatum expectatio locum non relinquebant. Alteram obsidionis rationem, ac viciniorum castellorum oppugnationem, præterquā quòd indignam susceptæ expeditionis famam futuram putaret, hosti etiam animos additurā iudicabat. Itaq; cùm animi magnitudine, ac virtute militis, qua pleraque alia consecutus esset, eas quoque difficultates superare se posse non desperaret, de loco castris capiendo dispicere cœpit. Constituerat ab initio à Nouogardiensi via, qua Plescouia fluuius in vrbem, indè infra eam in Velikam illabitur, quòd ad excludēda ab vrbe subsidia, subuectionesque arcendas cum primis opportunum videbatur, castra facere. sed id vt dimitteret consilium, longitudo lateris eius, quod quemadmodum ostensum est, ad octo millia passuum patet, latissimique ab ea parte ac patentes circum circa campi faciebant. In quibus cùm subsidia equitum nulla tutò collocari posse viderentur, nec verò propter continuas hostilium tormentorum eiaculationes propiùs castra admoueri; verebatur ne peditatus, qui in opere ac munitionibus futurus esset, si nullum illi è propinquo ab equitatu subsidium ferri posset, in tāta equitatus ac peditatus hostilis tot locis simul erumpētis multitudine, maximè si ancipiti prælio subsidijs à Nouogardia missis, & eruptione ex vrbe facta pugnandum ei foret, vndique circumueniretur. Ostendebat Samoscius, qui vt nihilominus in sententia permaneret, Regem hortabatur circa flumen Plescouiam sinus nō nullos sibi videri, in quibus iustæ equitum copiæ sub tentorijs collocari possent: quæ in tempore deinde contra excursiones hostiū auxilium nostris ferrent: hac ratione castris eo loco quàm latissimè Nouogardiam versus explicatis, ab omni subsidio & commeatu, sine frequentibus excubijs, quibus si ab altera parte castra ponerentur, continuis defatigari militem necesse esset, multò cō modiùs obsessos intercludi posse: accedere, quòd ab ea parte solum pene esset molle; ab alijs ferè omnibus rupes durissimæ id exciperent; quæ & opus moraturæ, cuniculos autem omnino exclusuræ essent. Rex tamen quòd priorem salutis, quàm victoriæ rationem habendam iudicaret, ab orientali latere oppugnare vrbem statuit. quo in loco & peditatus, qui in opere futurus esset, à sinistra Velika flumine defenderetur: & castra proximè munitiones hostium promoueri possent. quòd ab ea parte frequentes colles exurgentes ab hostilium tormentorum ictibus frōtem tutaturi essent: angulus præterea, in quem ab ea parte vrbs muris coibat, ipse etiam maiorem rei bene gerendæ facultatem dare videretur. Itaque trāsgressus flumen Cerecham, castrisque tum ibi metatis, ijsdem Lituanicas copias, & veteranum Polonum equitem, quos à dextra ire iussos diximꝰ, recepit. Eòdem Farensbekius Germanicū peditem, cum quo sub id tempus venerat, adduxit. in quibus etsi erant aliquot, qui in Belgio stipendia fecerant, propter tamen & temporis breuitatem, & quòd Lubecenses minus comes in concedendo delectu se præstiterant, plerique ex vicinioribus etiam Germaniæ locis, ijque tyrones, raptim scripti erant. Iisdem temporib. Bartholomæus Budlerus à Duce Churlandiæ cùm aliquo militum numero, qui superioribus expeditionibus cùm alijs in locis bellum Rex administraret, ad Liuoniē fines in stationibus contra hostes fuerant, in castra venit: Voluntarij præterea aliquot, cùm ex Prussia, inter quos inprimis Fabianus Dhonanus: tum prę ter Rhederum, de quo suprà dictū est, alij etiam ex externa iuuētute nonnulli fama expeditionis huius exciti. Rex cum vniuerso exercitu flumen transgres-

greſſus, ſub eos, de quibus dictum eſt, colles, caſtra poſuit. Vngari à ſiniſtra ad Velikam flumen, Lituani à ſuperiore parte ad Porchouienſem viam conſederunt: medio inter hos ſpatio Poloni triplici carrorum ordine circumiecto, ea de qua antè oſtenſum eſt, ratione, ab vtraque riui illhac labentis parte caſtra communiuerunt. qui inter hos & Lituanos tamquam angulus relinquebatur, Germanis attributus fuit. Venit ſub idem tempus in caſtra à Turcarum Imperatore legatus, grauis ætate homo. Hic Tartaros, quos ſuprà profugiſſe oſtendimus, ex fœdere, quo vtrinque perfugæ reddi iuberentur, repetebat. Oſtenſum fuit, quia nondum Rex eos vidiſſet, nec quid dicerent, audiuiſſet, vbi in Poloniam redijſſet, cauſa cognita Principi eius reſponſurum. Etſi minor peditatus erat, quàm pro amplitudine ſuſceptæ oppugnationis requirebatur: erat tamen & numero, & genere ipſo militum ac armorum non contemnendus: equitatus autem, quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt, ornatior ferè, ac inſtructior, quàm in vlla ante hac expeditione fuiſſet. Itaque per frequentiſſimam caſtrorum partem barbarus ductus, caſtrorum magnitudinē, equitum, quos obuios habebat, ornatum, equorumque prę ſtantiam, ac vniuerſi exercitus ſpeciem admiratus, faceret Deus inquit, vt iſti principes, Regē ac ſuum Principem deſignans, coniuncti inter ſe animis eſſent; ne orbis quidem terrarum conſenſui eorum reſiſteret. Interim Vngarum militem propius vrbem, vt locum munitionibus dirigendis caperet, progreſſum hoſtes conſpicati, eruptionem mox in eum fecerūt. ſed fortiſſimè ab Vngaris ad portas vſque eos inſequentibus, nonnullis vtrinque deſideratis, in vrbem reiecti fuerunt. Munitiones mox Vngari ab ea parte, qua caſtra habebant, contra Pochrouienſem, quam appellabant, turrim, penes Velikam flumen: Poloni nō longo ab his interuallo contra Suinienſem turrim agere inſtituunt; prius militaribus corbibus locis aliquot iuſto interuallo communitis, equitumque ac peditum ſtationibus in ijs collocatis; quæ militi in munitionibus occupato cōtra eruptiones hoſtium, ſi quas fortè facerent, propinquo è loco ſubſidium ferrent. Magno labore eo loco propter ſoli duritiem, quod intra cubiti altitudinem in rupem deſinebat, foſſæ ducebantur. Nihil tamen ea res Vngari militis impetum morabatur; qui ingentibus ſaxis ſecuribus exciſis; indefeſſo ſtudio opus perfecit; non tam multorum iactura, quàm inſigni vnius Petri Kendij iuuenis claro in Vngaria loco nati; qui cùm noctu more ſuo vigilias Moſcis citantibus, ad fremitum eorum procurriſſet, è maiori tormento traiectus, interijt. Cæterùm Vngari, quia ab ipſo flumine nullo ambitu capto breuiore ſpatio rectà verſus vrbem munitiones ſuas dirigebant, perfectis iam foſſis aduerſam turrim quatere cœperant; exiguoque tempore propugnaculo cōuulſo proximi muri partem aliquam ſtrauerant. Polonis magno impedimento erat, quòd ab eo, de quo dictum eſt, loco, longiore interuallo munitiones verſus vrbem inſtitutæ illis erant: latera quæ Vngaris ab vna parte Velika flumen, ab altera Polonorum munitiones tuta præſtabant, ne circumuenirentur, vineis & ſubſidijs contra hoſtium impreſſiones munienda: indè perfectis tandem munitionibus, curante apud eos tormenta Veiero, priùs ex plerisque turribus, ex quibus ab omnibus ferè partibus petebantur, defenſores deijciendi erant: quòd deniq; in fundamenta, ac imam partem muri, ijs quæ antè demonſtratæ ſunt, cauſis, tormenta cōuertebant. quas ob res cùm ab eorū parte tardiùs murus perruptus fuiſſet; Vngari nihilominus, quà ab ipſis murus ſtratus erat, irrumpere conabantur. Samoſcius cùm de eo ad Regem referret, oſtendebat, longè & ad ſecuritatem & ſpem victoriæ certius ſibi videri, ſi dum è Polonorum quoque munitionibus aditus in murum pateſieret, irruptio ſuſtineretur: interim & pluribus locis mœnia verberarentur; ruinæ, quibus contra Vngarorum munitiones murus apertus eſſet, ampliores fierent, qui per eas in vrbem aditus eſſet, cognoſceretur: omnibusque rebus diligenter exploratis, quæ ad oppugnationem pertinerent, antè præpararentur. Timebatur ab altera parte, ne tempore interpoſito, ſpatiū ſui muniendi, nouaſq; foſſas obijciendi hoſti daretur: maximè verò, quò minus conſilio huic locus eſſet, difficultas pulueris tormentarij faciebat; vt neceſſariò priùs tētandū aliquid videretur; quàm omni conſūpto vnà cū puluere vrbis ipſi⁹ potiūdæ ſpes decederet. Deſcenditur eò, vt mittantur, qui locū inſpiciant, ac an quæ tranſgreſſos foſſæ difficultateſve exceptura eſſent, explorent. Deliguntur ex Germanis quinquaginta circiter; quòd erant inter hos, qui

in

in aliarum vrbium oppugnationibus assiduè antea versati fuerant. Hortatur simul Samoscium Rex, vt quæ ad oppugnationẽ pertinerẽt, administraret. ne si de aditu non incommoda renunciata essent, vel minimum temporis spatium differretur. Interim Vngaricus Decurio quidam missu centurionis ad os, quod ab Vngaris, quemadmodum dictum est, in muro patefactum erat, profectus omnia facilia ac aperta renũciat: aditum latum: descensum expeditum: exiguas ab interiori parte fossas obiectas. Quo tempore cùm è primarijs Senatoribus quidam differri nonnihil adhuc irruptionem suaderet, ne inter Polonicam & Vngaricam nationes æmulatio aliqua oriretur, si Vngarus prior irrupisset, ostendissetque Samoscius, cur à Polonis aditus tam latus patefieri nondum potuisset, is vnamquamq; felem pro se venari respondit. Samoscius itaque ad munitiones profectus, Polonis Germanos adiungit; queque oppugnationi vsui sint, administrari iubet. Vngaris Bornemissa pręficitur. Rex sub ipsam fluminis ripam, ad quam Vngarorũ munitiones pertinebant, progressus, militemque ad irruptionem paratum, paucis, quæ tempus ferebat ad virtutem cohortatus, è propinquo euentũ oppugnationis expectare instituit. Iam antè autem tormenta aliquot Velikam translata fuerant, abque inferiori parte muri, per quẽ ad oppugnationem iturus miles erat, ita collocata; vt auerso muro à fronte deterso, rectis indè secundùm vniuersum id latus interius ictibus defensores peterentur. Eques ex instituto militari idoneis locis supra munitiones, circa vrbem, atque vias, in omnes casus disponitur. Non poterat, latere hostes, quid in castris pararetur; quòd in omnes partes latissimus ex vrbe despectus erat. Itaque ipsi quoq; muros frequentes complebant. Samoscius primùm ex Polonico poditatu viginti expeditissimos delectos per aduersam fossam muros succedere, quisque ab eo loco in vrbem aditus sit, explorare iubet. Renunciant illi fossam ab ea parte, esse, supraque eam pontem aliquantò depressiorem, per quem nõ difficulter tamen fossa superari possit. Mittit inde è Germanis quinquaginta eos: mandat his, vt quàm proximè muros subeant; si superare ruinas possint progrediãtur, signoque quod acceperant, dato, alios, quos quamprimùm ijs summissurus sit, expectent; si non patere per eas aditum intelligant, sine ignominia se recipiant. Interim si illis successisset, signumque quod conuenerat, datum ab ijs fuisset, quæ illis subsidia summittat, disponit: primò eiusdem nationis militẽ, quod qui præmissi fuerant, id postulârant: indè Polonum partim equitem, qui Gergio Mniscio præfecto Sanocense, Stanislao Stadnicio, Procopio Penonscio, Andrea Orsechouio, ac alijs quibusdã authoribus, equis missis, vltrò operam suam detulerat: partim peditem. Primo loco Penonscium & Orsechouiũ cum turmalibus eorum, qui hastis rem gererent, locat. Indè Vrouecium cum pixidarijs. Post hunc Stanislaum Stadniciũ cum altera equitum turma. Huic rursum Vibranouium & Syrneum cum suis quenque cohortibus in subsidijs esse iubet. Vltimo & separato loco Georgium Mniscium cum ijs quos ductabat, equitibus constituit; partem ad tormenta munitionesq; retinet. Germani cùm ad fossam successissent, Ioannesq; Garonna Gallus progressus primus adi tum tentasset, graui casu ab hostibus illo deturbato, cæteri cùm angustiores ruinas, quàm vt commodè transiri per eas posset esse existimarent, conferti ad fossam constiterunt. Poloni qui à tergo vrgebant, cùm non dari sibi locum viderent, per medios illos penetrant; hostes turri lignea, munitioneque quam tignis in angulo turris, quem cum muro coiens efficiebat, ea de qua suprà dictum est, ratione contabulauerant, cespiteque vestiuerãt, deijciunt: in turrim magno ipsi labore euadunt; principesque Vibranouius ac Syrneus in summa turri signa figunt. Germani ad os, quod contra Vngarorum munitiones erat, quòd per id latiorem aditum esse viderent, signa conuertunt. Præscriptus ide, qui suprà demõstrat est, ordo, & Vngaris fuerat, missusq; eius rei causa ad eos Franciscus Veselinius, primarius cubicularius regius. Verùm apud Germanos primũ eo turbato, Vngari quoque, cùm Polonos iam irrumpere cernerent, signo priùs à Rege accepto, per ruinas in turrim euaserãt; primiq; Thomas Dercenus, & Matthias Kerekesius signa in ea cõstituerãt. Hos Gabriel Bekesius arrepto signo, equitem, cui præerat, secum trahens, secutus fuerat; moxque pluribus alijs signis illatis, cùm vlterius indè in vrbẽ contendere vellent, fossa iam antè ab hostibus ducta, ligneæque munitiones nonnullę pręter opinionem obiectæ impetum eorum tardabant. Hostes ab initio nostrorum in subeũdis muris impetu perterriti, suos è pro-

è propugnaculis pulsos, signa diuersis in locis fixa iam videntes fugam circũspectare cœperant. Interim Ioannes Suiscius passim equo saucio volitans, modò minis, modò precibus, tandem ploratu & misericordia: ab altera etiam parte Episcopus vrbis sacra & simulacra obtendens, dum in occupandis mũris nostri retinentur, fugam pauoremque suorum sistunt. Primùm tormentis ac saxis petere nostros cœperunt: nostris vicissim tela in eos adijcientibus, compluribusque vtrinque saucijs, turri, quam à Polonis occupatam suprà ostendimus, puluerem subijciunt; nullamq; in partem milite se commouente, binis alijs vicibus id repetũt. Quo turri tandem correpta nostri ferre ignem diutiùs non valentes primùm descendere: ad extremum etiam cum ex propugnaculo Velikano, quod è nostris tormentis tam breui tẽpore sterni non potuerat, ipsi transuersis hostilium tormentorum ictibus ferirentur, recipere se coacti fuerunt. Indè in Vngaros omnes conuertuntur; qui cùm eas quas diximus illis obiectas munitiones, superare se non posse intelligerẽt, cùm diu hostium impetum sustinuissent, ac nox immineret, cæsis omnib⁹ priùs sublatis morè militari se receperunt. Desiderati eo die sunt ex nobilitate Polonica vltra quadraginta: ex Vngaris nõ pauciores, ac præcipui inter eos nominis Gabriel Bekesius. Magnum hostes quoque detrimentum acceperunt: cæsi complures; in quibus primarij peditum ductores, Nicolausque Cirkasius præfectus Kosakkorum: plurimi vulnerati. Itaq; literis, quas ad præsidium Vdouẽse dederant, quæ exiguo postea tempore interiecto interceptæ à nostris fuerunt; magnum terrorem ostendebant; vtq; sine mora ijs de rebus princeps certior fieret, subsidiaque sibi mitterentur, petebant. Samoscius militi ob eius diei laborem ac aduersitatem consulendum ratus, equitem, qui cũ Georgio Mniscio præfecto Sanocensi in subsidijs collocatus fuerat, integerque adhuc erat, quòd conturbato postea ordine res ad eum non peruenisset, circa tormenta munitionesque excubare iubet: vniuerso autem peditatui ac munitionibus Vrouecio ni oppugnatiõe cõcusso, Stanislaum Penkoslauium præfecit. Altero die consilio habito, ante omnia de tormentario puluere conquirendo cogitari cœptum fuit. Mittitur ad Ducem Churlandiæ, Rigenses aliaq; vicina loca. Exẽpla literarum Plescouiensium, quæ interceptæ fuerant, passim describenda Samoscius dat; quibus si quis fortè grauior de aduerso oppugnationis exitu rumor in Poloniam perlat⁹ esset, hostium incommodo perspecto is deleretur. Proponit eodem tempore Regi, quò minùs casus aliquis, qui obsidionem eos relinquere cogeret, interuenire posset, optimum è re nata sibi videri, si integro adhuc exercitu castella, per quæ miles distributus, longinqua obsidione, ac commeatus inopia premere vrbem posset, aliquot communeantur: ijs perfectis, quòd voluntari⁹ miles diu moram laturus non esset; commeatus præterea difficultatem reliquo exercitui aucturus videretur: nec dignitatis Regis futurum esset, vt voluntarijs dimissis imminuto exercitu remaneret; ipsi in Poloniam, ad comitia obeunda, supplementum scribendum excurreret; se cum exercitu reliquo ad vrbem relinqueret. Si hiems expectaretur, voluntarios incommodis obsidionis, atque hiemis iniurijs adactos, missionem flagitaturos: reliquum militem nullis rebus præparatis, commeatu omni consumpto minùs animi & virium habiturum; castella verò eo tempore vel muniendi vel exstruendi nullam rationẽ fore. Regi cum alijs multis de causis, omnia priùs, quàm ad id cõsilium descenderet, tentanda videbantur; maximè tamen, quòd cùm Posseuinus, qui in Moscouia erat, de animo erga pacem Mosci significaturum se ostendisset, verendum intelligebat, ne, si priusquàm ille rediret, eorum quid susciperetur, hostis defendendæ vrbis spè illi aucta; si fortè de tradenda sibi Liuonia consilij quid iam suscepisset, id tum commutaret. Dum hæc geruntur, pulуisque ac apparatus bellicus expectatur, cuniculis interim munitiones hostium tentare placuit. Bini è Polonorũ munitionibus versus fossam instituti; à rupe dura atq; aspera excepti perduci non potuerunt: Vngari per summum solum fossa ducta, eademq; cratibus intecta, vnum eo modò perduxerant. Is cùm latere hostes non posset, qui vt minus eũ vidissent, ex eo ipso tamen quòd ab oppugnatione tam diu cessaretur, coniecturam de consilio nostrorum capiebant, alium secundùm vniuersum id latus in longitudinẽ, ex quo nostros obseruarent, egerant; ac tum eum puluere subiecto intercipiebant. Iisdem tẽporibus subsidia è Moscouia per Vdouam obsessis mitti cognitum fuit. quæ cùm per Pelbam lacum, ac Velikam flu-

men nauibus ventura Samoſcius intellexiſſet, primùm nauibus aliquot conquiſitis cõtinuas arbores cuneis ferreis in ſingulas impactis, per eosque catenis tranſmiſſis, ea qua flumen erat latitudine connectit: alias à ſuperiori parte fluminis, qua venturus hoſtis erat, ſecundùm aduerſam ripã alligat; ita, vt cùm hoſtium naues tranſijſſent, funibus adductæ regreſſum ab ea parte hoſti clauderent: alias ab inferiori parte verſus vrbem ita obijcit, vt cùm eum in locum perueniſſent, irretitis vtrinque nauib⁹, nullam in partem effugium pateret. In naues, quas cõtraxerat, Germanos, qui earum adminiſtrandarum peritiores credebãtur, imponit: Vniuerſæ rei Vrouecium præficit; cum eoque ſecundum vtramque ripam expeditum peditem diſponit. Aduenerant cõmodùm ſub id tempus Albertus Reſaiſcius Caſtellanus Varſauienſis cum centum circiter & quinquaginta: Stephanus Bilaui⁹ cum ſeptingentis equitibus: Nicolaus Korffius & Vilhelmus Platerus cum Liuonibus aliquot equitibus. Eos cùm extra caſtra adhuc verſarentur, Suatohoram verſus conſidere, ac quò tutiores contra hoſtiles incurſiones eſſent, foſſa caſtra communire iubet. Hoſtes nauibus ſilenti nocte progreſſi, cùm in inſidias, ac noſtras naues incidiſſent, ac ne primùm quidem impetum noſtrorum ferre potuiſſent, mox in ripam ſe eijciunt; ibi ante lucem palantes excepti, ducentique circiter Boiarici generis capti, ac in caſtra adducti fuerunt. Haud multò pòſt aliud à Derpatenſibus ſubſidium obſeſſis mittitur. Verùm id, cùm appropinquanti maturiùs miles ſe oſtendiſſet, celeriter ſe recepit. Aliquanto deinde tempore interiecto Nicolaus Choſtouus inter peditum ductores ſecundùm Koſcecium præcipuę apud Ducem authoritatis cum ſeptem millibus ſubſidio obſeſſis venire ab exploratoribus nunciabatur. Itaque Samoſcius, quòd vereretur, ne ſuperioris ſubſidij caſu fama ab hoſtibus cognito, aliò iter auerterent, totum locum eum, qui à caſtris Suatohoram vſq; vltra duo millia patebat, excubijs complecti ſtatuit. Erant militares ante hac excubiæ à caſtris ad flumen Pleſcouiam vſque poſitæ: ab eo verò ad Suatohorenſem viam, quòd maximum interuallum eſſet, ne miles in tot excubias diſtractus nimium defatigaretur, Lituani voluntarij vltrò eam ad rem operam ſuam Regi deferebant. Choſtouus cùm diu in inſula quadam Pelbæ lacus hæſiſſet, ac de priori ſubſidio, quod nauibus aduenerat, intercepto intellexiſſet, in terram exercitu expoſito, noctuque deuio per ſiluas ad ſiniſtram itinere capto, Pleſcouiam contendit. noctu maior militum pars dilabi ab eo cœpit, vt ex ſeptem millibus vix trecẽti penes eum manerent: ipſe vt diffugientes vel vi contineret, extremum agmen cogebat. Itaque cùm ſuperiorum noctium excubijs Lituani fatigati, ſimul quòd interea temporis nõdum hoſtis veniſſet, de diligentia remiſiſſent, præterque morem excubiarum aëris iniurijs coacti ignes excitaſſent, Daniël Iſlenouus, qui in primo agmine incedebat, cum ijs, quæ ſupererant, copijs, euitatis locis ijs, in quibus ignes cernebantur, in vrbem euaſit. Choſtouus, qui in extremo agmine, vt dictum eſt, erat, ac præterquàm quòd totius noctis maximo in ſiſtenda fuga ſuorum labore confectus erat, corporis inſuper mole homo procera ſtatura tardabatur, cùm è ſiluis egreſſum lux oppreſſiſſet, herbis per aliquot horas cæteris dilapſis ſe texit; ibique ab equitibus Andreæ Viſnouecij Palatini Volinienſis, qui tum eius diei excubias excipiebãt, repertus, ac ad Regem adductus fuit. Qui eum deſeruerant, partim cæſi, partim magno numero capti fuerũt. Aliquot dieb⁹ pòſt Theodorus Meſceodouus itidem cum copijs aliquot ſubſidio obſeſſis miſſ⁹ fuit. Hic cùm iam ferè excubias Lituanicas ꝑterijſſet, extremũ agmẽ à Gabriele Cirkaſſio deprehenſum fuit: qui cùm impetum in id feciſſet, & clamore ſublato Bilauius quoque cum ſuis accurriſſet, centum circiter & quinquaginta conciſi, ad ſexaginta capti fuerunt; cæteri ad trecentos cum Meſceodouo in vrbẽ penetrarunt. Dum ad Pleſcouiam hæc geruntur, Sueciæ interim Rex in aliena victoria ſuam prædam facit; eoque quem in Germania ac Gedani, ijs de quibus dictum eſt literis adiutus, militem conquiſiuerat, quemque è ſuis præterea ditionibus contraxerat, per militiæ præfectum ſuum Pontum Gardyanum Naruam occupat. Opidum id ad Velikam flumen ſitum eſt, quod qua Pelbam Iaſecum relinquit, mutato in Naruam nomine, opidoque à ſe appellato triginta circiter infra id paſſuum millibus in mare influit; eo alueo, vt ad vrbem ipſam maximæ onerariæ naues appellant; eædemque vlteriùs Pleſcouiam vſque non incommodè agi poſſent, niſi ſupra lacũ Pleſcouiam verſus viginti circiter cubitos altæ cata-

tæ cataractæ cursum earum interciperent. Dum in Magistrorum ordinis, priscorum Liuoniæ Principum potestate erat, propterea quòd omnes merces Moscouiticæ Derpatum primò deuehebātur, indè per Reualiam aut Parnauiam in mare exonerabantur, minùs vel à cultoribus frequens, vel munitum erat. Postea Ioannes superior in aduersa ripa aliam multò munitiorem è regione illi arcē Iuanogrodū ab illo, à Liuonibus Russicā Naruam ad suæ, quam Germanicā appellabant, discrimen dictam, tā propinquo ab ea spatio excitauit, vt cū veteri Narua ponte con iungi, abq; vtroque loco telum in alterum adijci posset: ex ea cùm Moscus pro fectus Liuonica quoq; Narua potitus fuisset, cum Germanicis alijsq; vltrama rinis & occidentalibus nationibus com merciorum in ea sedem collocârat, omniaque eò negotia & merces transtulerat. Sub famam expeditionis ad Plescouiam regiæ, quemadmodum ex alijs arcibus, ita illa etiam maiorem pręsidij partem ad Plescouiam tutandam contraxerat. Gardyanus cū tormentis quatere muros cœpisset, ac Mosci, qui in Iua nogrodensi præsidio erant, Liuonicæ Naruæ, cui metuebant, tuendæ studio, pontem transijssent, tormentaque pleraque secum traduxissent, ac verò irrumpente iam in oppidum milite, territi, retrocedere cœpissent, Itali aliquot, qui cum Hieronymo Cagnolo in Suetico exercitu erant, victoriam subitò conclamantes, cumque reliquo milite ad portas vsque eos insecuti, magnum eorum numerum conciderunt. Hac re, cæteri, qui in arcem euaserant, territi; simul tormentis, quibus se defenderent, quæ paulò antè Naruam transtulerant, destituti, exiguitateque ipsa sua de defensione desperantes, deditionem fecerunt. Eadem præsidiariorum consternatione Iamhorodum quoque & Koporiam vicina castella in potestatem redegit. quibus rebus perfectis in penitiorem Liuoniam, vt per reliquas arces, quæ à Moscis tenebantur, arma circumferret, cum exercitu regreditur: primoque Veisensteinium castrum alioquin natura & opere munitissimum, in ea Moscorum trepidatione, præsidij exiguitate, nulla, dum Plescouia obsideretur, auxilij spe in deditionem accepit. Indè Parnauiæ exercitum admouet. Post captam Naruam literas à Principe suo ad Regem mittit, quib9 is ad priores Regis literas, quib9 multò antè, vt à Liuonia tāquam alieni belli præmio abstineret, amicè hortatus eum Rex fuerat, circūducto die rescribebat; ac suum cuiusque iudicium, quibus in locis bellum cum hoste gerere, quasque ditiones eius inuadere vellet, esse debere significabat. Magna spes Regem tenuerat, fore, vt æquitate priorum postulationum suarum perspecta, locum eis Suetiæ Rex relinqueret; non modò quòd Liuoniā vniuersam iam olim in fidem Regum Polonię venisse eò minus ignorare Suecię Regem sciebat, quòd superioribus temporibus, cùm frater eius Ericus Reualiam occuparet, nullo iure id ab eo fieri proprijs literis suis testatum fecisset; verùm etiam, quòd, postquàm ipse maximo labore ac impensa ad legatos de pace mittendos, vniuersam Liuoniam primò cedendam, indè deserendam penè hostem adegisset: ad paratam à se victoriam Sueciæ Regem accessurum expectandum sibi non arbitrabatur. Quare etsi iniuria hac non parum commoueretur, in præsens tamen differendam iudicabat. Iisdem temporibus à regijs quoque Præfectis simili fortuna castra nonnulla Moscis in Liuonia adempta fuerunt: A Duce Magno Kirempesium occupatum: Fabianum subitario opere munitum: à Byringio Pyrchelium: Thoma Embdano Salium captū: A Dembinio Lenouardum & Ascherotum; quæ vtraque Dunæ flumini imminebant, peditatu aliquo à Rigensibus, quibus grauis hostilium præsidiorum vicinitas erat, accepto, Scotoque milite, qui ad Regem ibat, retento, expugnata. Iamque Kokenhausium quoque castrum munitissimum, ab eodem Dembinio obsessum commeatus inopia breui in potestatem nostrorum, per uenturum videbatur. Supra demonstrauimus Christophorum Radiuilum ad vlciscendas hostis in Mohilouensem & Sclouensem agrum excursiones cum parte exercitus Moscouiam versus missum à Rege fuisse; eique Philonem Kmitam ac Haraburdam cum Lituanicis Tartaris coniungere se iussos. Kmita cum duobus circiter millibus equitum, Tartarisque, qui sub Haraburdæ ductu erant, Lukis egressus, octo circiter vltrà Toropeciam millibus ad Nemesam flumen, ac monasterium quoddam, aduentum Radiuili expectare instituerat. Sub idem autem tēpus Moscouiæ quoque Dux, qui non procul inde Stariciæ tum erat, cùm de nostri exercitus aduentu nondū cognouisset, Michaëlē Nosdrouatum, & Petrū Bo-

ratinſcium cum tribus circiter millibus militum eodem conſilio miſerat, vt metu vndique quàm maximo facto, qui è ſuis in Regis fidem venerant, direptionibus ac populationibus vexarent. Eorum exploratores temerè vagantes cùm in pabulatores noſtros incidiſſent, duo ab illis excepti, ac in caſtra adducti, oſtendunt quindecim indè millibus paſſuum ad Saleſam exercitum conſidêre. Cõtra quem cùm Radiuilus, qui iam tum aduenerat, Bochdanum Ogniſcium ſeptingentis circiter magna ex parte leuis armaturæ equitibus ex diuerſis turmis ei attributis miſiſſet; ducenti circiter præter imperium pugnandi auiditate cùm ſtationibus hoſtium cõgreſſi, ad diuerſos pontes, circa quos ſcloppetarios hoſtes in inſidijs diſpoſuerant, pertracti aliquot ex ſuis amiſerunt: verùm alijs ſubſecutis, ac Gabriele Holubkone ſuis, vt de equis deſcenderent, ſcloppetiſque rem gererẽt, mandante, ſummotis per hos à ponte hoſtibus, noſtri hoſtium equites in fugã effuſos ad quindecim ferè millia paſſuum inſecuti, aliquot ex ijs ceperunt. Radiuilus cùm cognouiſſet ad Reſouam aliam exercitus hoſtilis partem cõſediſſe, verſus eam via impeditiſſima, quà nulli ante eum exercitui iter fuerat, cum exercitu progreſſus, triginta à Reſoua paſſuũ millib⁹ ſubſtitit; indè Sukopſciã Iamã, quo nomine locũ in quo diplomata iter faciẽtibus dari ſolẽt, appellãt, ſe cõuertit; ac ad flumẽ Volgã caſtris metatis Halimbekũ cum Tartaris, quos circa ſe habebat per flumen Staricíam verſus contendere, populationeſque ac incendia quàm latiſſimè in hoſtico circumferre iubet. Satis conſtat Moſcouiæ Ducẽ, qui, quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt, Staricíæ tum euentum obſidionis Pleſcouienſis expectabat, cùm aduentantem exercitum, fugas agreſtium, ignes paſſim ſublatos ipſe magna ex parte cerneret; ac, quemadmodum ex Poſſeuino, qui tùm apud illum erat, cognitum poſtea fuit, nõ vltra ſeptingentos milites circa ſe habebat, ſumma in trepidatione verſatum; delectum ex omni genere hominum promiſcuè habuiſſe, fugamque iam circumſpectaſſe. In præſentia mittit, qui agmẽ noſtrorum ſpeculentur, quamprimùmque de eo ſibi renuncient. Hi cùm ad Okomeciã alterum diplomatum locum, in quo Tartari pernoctabant, quinque milliũ paſſuum interuallo acceſſiſſent, diligenterque à noſtris excubias agi, loco præterea munito eos conſediſſe ex agreſtibus accepiſſent, ad latus conuerſo itinere paludeſque quæ ijs in locis erant, tranſgreſſi, ex Nohaienſibus Tartaris ac pabulatoribus noſtris aliquot oppreſſerunt. Interim Daniel Murſa ex ijs, qui in menſæ miniſterio apud Moſcum verſabantur, ad noſtros tranſit: qui cùm de numero exercitus eadem ferè, quæ antea fama, ac captiuorum ſermonibus acceperant, ac inflatius pleraque prædicaſſet, orationique eius tanti principis inueterata potentiæ fama facilè fidem faceret; etſi memorabilis facinoris, ſi Staricíam proceſſiſſet, patrandi ſpes noſtris oſtendebatur: ijs tamen viribus, quibus potentiſſimi principis vitam ac ſalutem ſeptam eſſe credi debebat, minimè pares ſe futuros rati; Dunam indeque Dubnam magnis itineris difficultatibus cõflictari ſe recipiunt. Ex itinere, temerè ab agreſtibus rumore tradito, commeatu Toropeciam laborare, ad eã deflectunt, exercitumque ei admouent. Verùm paucis diebus pòſt cùm falſa de ſtatu præſidij delata ad ſe cognouiſſent, ſe receperunt. Radiuiluſque Chelmam rectà, indè priſcam Ruſſam verſus cõtendit. Collocata ad Opakam contra Nouogardiam Koſakkorum manus aliqua fuerat: quæ partim prædis ex hoſtico agendis hoſtem diſtineret, partim ſubuectiones ſubſidiaque, ſi quæ Nouogardia Pleſcouiam mitterentur, obſeruaret. Hi cùm continuè prædas ex hoſtico agerent, magniſque incommodis hoſtes afficerent, Tartari Moſcouitici, parte eorum negligentiùs agente, parte ex inſtituto ad prædas agendas profecta, repentino aduentu, eos qui in ſtatione relicti erant, oppreſſerant. Tartaris à cæteris reuerſis rurſum deiectis, Moſci alias ſuas duobus locis ad Ruſſam & Miſciagam ſtationes ab Nouogardia noſtris Koſakkis oppoſuerant. contra eos igitur, qui ad Ruſſam erãt, Radiuilus Koſakkos, quos penes ſe habebat, ipſe ſubſequens, præmiſit. Hi hoſtibus fama aduentantis exercitus iam antè territis, ac primo aduentu eorũ in fugam conuerſis Obalinſcium ac Boiarici generis aliquot cãpiunt. Eo deinde ex loco ad Regẽ & reliquum exercitum Radiuilus reuenit. Iam antè Antonius Poſſeuinus etiam, quem à ſummo Pontifice legatum ad Moſcum iuiſſe ſuprà oſtendimus, cùm mox poſt diſceſsũ à Volga Radiuili dimiſſus fuiſſet, ad Regẽ venerat; turmis aliquot equitũ, quas è Nouogardia de ad-

aduentu eius certior Rex factus, obuiã illi miserat,in castra deductus. Afferebat hic, Moscum & si in ea & sua trepidatione,&belli aduersitate cùm primis pacis cupidus esset, nullis tamen alijs conditionibus eam accipere obstinatũ habere, quàm quas iã antè Polotiæ per legatos suos proposuisset. Nam quòd hiems,quæ sęuissima ijs in locis frigora adferre soleret,instaret;militem,quem ne primas quidem iniurias eius toleraturum sibi persuadebat, per hiberna di stributum iri: Regem superiorum annorum consuetudine ad comitia obeunda in regnum se recepturum: interim vrbem obsidione, se metu solutũ iri, facilèque quàmuis aliam sustinendi belli impetusq; regij rationem deinceps se reperturum confidebat. Rege contrà Posseuino ostendente,nec se prius exercitum ab vrbe deportaturum,q̃ vel vrbe potitus esset, vel vniuersã Liuonia Moscus decessisset, hortabatur nihilominùs cùm Posseuinus, ne omnem tamen spem pacis præcideret; locumq; colloquio constitui pateretur, in quem vtrinq; legati conuenirent,ac de pace inter se agerent:quod cùm Rex permisisset,literas per expeditum equitem ad Moscum dat.his eo omninò animo Regem esse ostendit, vt non priùs abscessurus, aut vllum belli finem factурus sit,quàm vniuersa Liuonia Moscus excedat. Quare ne nimium ea in re poneret,quòd frigoris sęuitia coactũ abscessurum tandem exercitum existimaret; videre se obfirmato ad perferẽdam eam omnes animo esse; tum vt obsidio sustineretur, debere eum tamen tot subiectorum sibi innoxiorum calamitatibus atque miseria commoueri; qui cùm pro ipsius salute nullum periculum ac cruciatum recusent,summæ eum iniquitatis condemnari debere, nisi ipsorum vitam suis commodis ac obstinatione potiorem habeat. Eos autem neque propter frigoris vim in siluis iam latere:nec ijs ipsis,quòd paludibus omnibus frigore concretis, peruiæ breui nostris futuræ essent, amplius protegi posse: eorumque ijs ipsis diebus,quibus in castra venisset, magnum numerum partim concisum,partim captum se vidisse. Sub id enim aduentus eius tempus,subsidia, quæ cum Mesceodovo venerant, quemadmodum suprà ostensum est, excepta fuerant.Proinde ipse sibi consilium caperet: se quidem,vt seriò tandem animũ ad pacem applicaret, authorem ei esse; egisseq; hanc ob causam cũ Rege, vt ne omnem tamen de pace agendi facultatem tolleret:impetrasse,vt legatos eius certum in locũ, qui Mosco videretur, accedere, cumq; suis legatis de pace agere se passurum Rex receperit. Moscus literis ijs acceptis sine mora nunciũ vnà cum suo tabellario,literisq; ad Posseuinum remittit.Pagum Sapoliam nonaginta passuum à Plescouia millibus, in diplomatum vsus & ipsum constitutum, ad conuentionem deligit, publicæq; fidei literas,legatis suis mitti postulat. Mittũtur literæ: locus accipitur. Exercitus interim, qui ad Plescouiam erat, maximis cùm hiemis, tum obsidionis diuturnæ incommodis afficiebatur. Itaque cùm & à voluntarijs palam missio flagitaretur, conditionesq; pacis passim sermonibus agitarentur; non deerant,qui remittendum potiùs Mosco de Liuonia aliquid censerent, quàm cum exercitus incommodo diutiùs obsidionem ducendam. quod vt summi Pontificis authoritate persuadere Regi conaretur, Posseuinum etiam tacitè hortabantur: idque quò cõmodiùs perficeret,cùm sententias senatus de conditionibus dicturus esset,eum vocari,præsenteque illo sententias dici debere censebant. Spargebatur in vulgus, Regem vt maximè Liuoniam vniuersam adiunxisset,omnem in Vngaros, vel fratrum suorum filios diuisurum. Itaque stipendiarius etiam miles sermonibus tentabatur; cur pro alienis commodis suo cum periculo depugnaret:pro prouincia,ex qua nec ad ipsum, nec ad rempub. fructus vllus peruenturus esset,vt alij ditarentur, vitam sanguinemque suum ipse in discrimen adduceret. Resistebat rebus hisce summa constantia atq; animi magnitudine Rex:maximè voluntarios obtẽstabatur, ne suo discessu exploratæ penè victoriæ,aut honestæ pacis spem corrumperent. Præter Regem Samoscius omni contentione in id incumbebat. Ostendebat publicè, ad omnia priùs se descensurum, quã infecta re, aut non tali pace,qualem in superioribus comitijs Rex atque nomine Regis ipse ordinibus promisisset, discederet; quòd si maximè necesse esset,eòusq; tamen,dũ comitijs habitis noua ab ordinibus mãdata acciperet,se perstiturum. Vt Posseuinus in senatum vocaretur,cõtra morem maiorum esse disserebat. Virum enim prudentem & inprimis grauẽ & si nihil curiosius in aliena repub.facturum sciebat; ne tamen vel interrogationibus atque studijs aliorum, vel suo

pietatis atque pacis in eam sententiam pertraheretur, vt ipse quoque cum alijs remittendæ Mosco partis Liuoniæ author esset, verebatur. quamuis eandem sententiam suam hac etiam ratione apud Posseuinũ deinde excusabat; quòd cùm ex instituto reipub. omnium aliorum Principum legati publicè audiantur, solius summi Pontificis nuncij priuatim Reges conueniant, ne exemplo suo Priuilegium minueret, illum ipsum vitaturum fuisse, existimasset. Cõsilio deinde ijs de rebus habito, duæ omninò manendi rationes proponebantur. vt vel ex castris atque munitionibus, quemadmodum hactenus factum esset, obsidio vrgeretur: vel castellis extructis, in ijsque milite collocato, diuturna fame, ac commeatus inopia vrbs premeretur. Vtramque cùm hiemis iniurijs, tum soli frigore iam astricti duricie, quæ nec militem sub pellibus diutiùs versari, nec opus vllum fieri paterentur, omnes ferè refutabant. Lituani priuato etiã ijsdem de rebus consilio inter se habito libellũ Regi offerebant. in quo cùm & ipsi manendi consilium omne reiecissent, id petebant, vt quò hibernorum incommoda, quæ superioribus annis continua pertulerant, euitarent, in agro Moscouitico miles haberetur. Interim diem certam Regi præfiniebant; intra quam nisi pax facta esset, nulla conditione diutiùs remanere integrum sibi esse ostendebant. Non poterant latere hæc hostem: quòd propter voluntariorum nullo imperio se suosque coerceri patientium licentiam ex calonibus, ac eo hominum genere, quotidie aliqui ab hostibus excipiebantur: ijsque ipsis diebus Saba quidam cum eius de quo dictum est, libelli exemplo ad eos transierat. Maxima inter hæc flagrabat inuidia Samoscius: illum vnum sententiæ eius esse authorem: hominem à pueritia literarum studijs deditum, atque in Italiæ Gymnasijs versatum consilijs atque obstinatione sua vniuersum exercitum perditurum: legatum cum exercitu in hosti co relicturum: ipsum extra metum periculi ad Comitia pro Cancellariatus sui munere obeunda in Poloniam rediturum. Etenim iam conuentus nobilitatis Rex edixerat. Per eos quo loco res esset, literis nobilitati ostenderat: neue vel exercitum reducere, vel ipse ab obsidione comitiorũ habẽdorum caussa discedere cogeretur, vt in ijs conuẽtibus noua tributa, & quæ alia ad perficiendũ bellum necessaria essent, sciscere, hortatus nobilitatem fuerat; in omnes nihilominùs casus, si res non teneretur, literas, quibus comitia indiceret, simul miserat. Augebat Samoscio inuidiam disciplinæ militaris tuendæ studium, iam ab eo tempore, quo militem habere cœperat, contraque illos potissimum ab eo susceptum, quorum quòd illustrior fortuna esset, peccata etiam, & peccatorum ad deterrendos alios pœnas illustriores esse dicebat. Fremebatur non iam quòd in mulieres, quæ castra irrepserãt, grauissimè animaduerti iussisset: nonnullas capitis supplicio affecisset; sed quod aulicum regium, qui in leges militares aliquid commisisset, in vinculis haberet, nec totius exercitus precibus condonare vellet: quòd pueros nobiles, qui licentius in castris versati fuerant, ad palum alligatos publicè spectandos præberet: turmæ præfecti vicarium suspendio affecisset: ex nobilitate quosdam propter mũdiciem castrorum negligentiùs habitam claua pulsasset. Itaque carmina etiam in eum spargebantur, quibus scholastica vita illi exprobrabatur. His ita non mouebatur, vt cùm semel licentiæ fenestra aperta in alios libelli iacerentur, iactataque ea res in senatu fuisset, ostenderet, nisi priùs in seipsum iniuria ea incurrisset, quæstione habita auxilium suum minimè denegaturum ijs fuisse: iam cùm ab ijsdem ipse priùs læsus esset, verendum sibi esse, ne pusilli animi putaretur, si sub aliena persona proprias iniurias vlcisci videretur; rectiusque facturos eos, si suo exemplo contemnendo potiùs ea diluerent, quàm vindicando vltrò authoritatem ijs tribuerent. Signa militaria huiusmodi plerunq; dabat, quibus modò desidiam, metum, auaritiam domum properantibus vltrò exprobrando: modò ad perseuerantiam & constãtiam nobili homine dignam eos cohortando à desidia ad tolerantiam, si qui minùs alacres essent, binis vt plurimùm verbis reuocaret. Tentârat sub initiũ motus eius veteranus miles, qui ad Gedanum fuerat, cœtus inter se agitare, quò de communi re maximè aut de stipendijs debitis deliberarent. Edixit mox, qui priuatas coitiones fecissent, contra disciplinam ac imperiũ militare fecisse eos iudicaturũ, legeque in eos animaduersurũ: quòd si quid de cõmodis suis agendum existimarent, vel se appellarent, vel præsente se de ijs agerent. Itaque ad tentorium eius conuenerunt. Hic cùm ille angustijs æra-

ærarij demonstratis, è cõtra quid amor patriæ ac reipublicæ postularet, quid constantia boni haberet, concionatus fuisset: tandem non legatum se ad exercitum relicturum, sed ipsum toto ob sidionis tempore remansurum pronũciasset, vtque idem ipsi facerent, vniuersos hortatus fuisset: initio à Ioanne Sborouio facto, reliqui omnes, quoad ipse maneret, se quoque perseueraturos promiserunt. Samosciј consilium manendi secretò amici improbabant: monebant, videret, quam in se rem susciperet, cùm periculi plenã, tum quæ si secus caderet, magna cum inuidia eius superiorum rerum gloriam ipsius omnem corruptura esset. Ijs vnum ille respondebat, existimare se bonum Imperatorem, eundemque bonum ciuem non suæ sed publicæ dignitati studere debere: si re infecta ab obsidione abscedendum sit, è re nata commodius futurum, ad se peccati eius opinionem recidere, quàm ad regem aut rempub. vniuersam. Allato iam antè à Duce Churlandiæ & Rigensibus puluere; ante Regis discessum denuò oppugnationem tentare visum fuit. Ab ea parte, qua Poloni antea è munitionibus suis muros quassauerãt, hostes crebra propugnacula lignea obiecerant, eademque fossis communiuerant. Itáque in superiorem aliquantò partem ad dextram munitionibus translatis, indè rursum tormentis muros percutiebant. Sed eo quoque loco nouũ propugnaculũ, tormenta verò adeò grandia hostes opposuerant, vt, cùm quoddam septuaginta, alterum octuaginta pondo globos iacularentur, trium aggere repletarũ corbium militarium, vt ex ordine positæ erant, seriem, vno ictu penetrarent. Vngari quòd aditum in turrim, quæ ad Velikam flumẽ, & munitiones eorum pertinebat, satis latum patefecerant, modò ipsi per ruinas eas hostes propellebant, modò ab illis pellebantur. Conuersi etiam ad muros ea ex parte à Velika flumine dolabris & securibus subruendos fuerunt: à quib⁹ cùm primùm aqua picéque feruenti, alijsque ignibus in eos effusis, auertere eos conati hostes fuissent, Vngari nihilominus eò processissent, vt parte muri inferiori egesta, superiore tanquàm testudine tegerentur, lædique amplius ab illis, quæ in eos mittebantur, non possent; hostes ligna iustæ crassitudinis, ferreis aculeis vndique horrentia catenis ferreis ad prælongam sudẽ aptata ex vrbe supra muros, ad quos Vngarus subruendos constiterat, ita vibrabant, vt ex ea iactatione verbere subtus detorto tanquam flagello, qui in opere erant, verberarentur, magnisque incommodis afficerentur. nec tamen Vngarus remisit, quoad maiorem eius muri partẽ strauisset. ad extremùm, quòd ab ea quoque parte noua propugnacula cõtra turrim hostes collocârant, fossasque duxerant, oppugnationis consilium omninò dimissum fuit. Erat triginta circiter à Plescouia passuum millibus via, qua in Liuoniam & Rigã itur, imminẽs monasterium Pezzura à Moscis, quasi sepulchretum dictum, Diuæ virginis, cuius eo in loco ex arbore enatam effigiem repertam colunt, religione, sanctitatisque ac miraculorũ quorundam fama clarissimum; ob eamque plurimis ac amplissimis prouentibus, de Nouogroda Liuonica agris nonnullis detractis, eique assignatis à Moscouiæ Duce ditatum. Huic Mosci præsidium imposuerant. Magno id incommodo in ea vicinitate nostris erat. Nã & pabulatores nostros frequentissimè excipiebat: itinera infestabat; eoq; ipso tempore impedimẽta à nonnullis præmissa, tum mercatores quosdã Rigẽses excusserat. Ad quos damna ea pertinebant, quorum non erant pauci; maximè verò, qui impedimẽta sua præmissu rí illac erãt, vt id potestatis suę faceret, à Rege contendebant. Proponebatur ab altera parte, milite ex oppugnationis tam diuturnæ, ac irritæ laboribus nondum recreato, nouam vllam tentari non satis tutò posse. Rex multorũ continuis precibus victus, Farensbekium eò mittit. Huic mandat, vt situ loci cognito, quid sui consilij sit, certiorem se faciat; si non magno negotio potiturũ se eo existimaret, militem tormentaq; illi summissurum; si difficiliorem, quã vt eo tempore suscipi deberet, expugnationem futurã iudicaret, integra re ad se rediret. Farensbekius paucis cùm equitibus eò profectus, in itinere in hostium equites lõgè plures qui Pezzura contra pabulatores nostros egressi, sub id tempus redibant, incidit. quorum alijs cæsis, cæteris profligatis, prelij huius prouentu inuitatus, & ꝙ nec fossa adeò magna, nec propugnaculis aut situ magnopere munitũ cerneret, vtq; homo militaris bene de successu oppugnationis speraret, oppugnationẽ suscipit. Mittit illi Rex Germanum militem cũ tormentis aliquot maiorib⁹. qui cùm actis priùs munitionib⁹ muri partem aliquã strauisset, per ruinas irrũpere conabatur.

tur. iamq; Vilhelmus Ketlerus Ducis Churlādię fratris filius, Gaspar & Reinoldus Tisenhausij, ac alij quidā in turrim proximam euaserant; atque in imam eius partem per scalas se demittebant. Iis ab insequentibus fractis, ac per ruinas etiam, cùm propter angustias earum, tū quòd hostes omnes conferti contra eas se obuerterant, nulla irrumpendi facultate militi relicta, qui in ima turri remanserant, ab hostibus capiuntur. Mittit iterum Rex ad eas, quas antè miserat copias Germanorum, Bornemissam cum quingētis Vngaris peditibus, & maioribus tormentis aliquot: Polonicum militem ad castra Samoscius omnem retinuit. Vngari cùm ab eadem parte, à quā Germani oppugnabant, inferiori tamen loco læuam versus muros quatere cœpissent, iamque aliquam muri partem diruissent, Thomas Solandius manu aliqua calonum & Kosakkorum Polonorum facta auersam à Germanorum & Vngarorum munitionibus turrim, vt hostem distineret, scalis admotis scandere cœpit. ijs iam repulsis cùm Germani per ruinas muri, iterum irrumpere tentassent, omni hostium multitudine in eos conuersa, reijciuntur. Eodem successu cùm donec Germani se recepissent, cessassent, ab Vngaris quoque irruptio tentata fuit; hostibus rem miraculo, nostris incantationibus & magicis artibus tribuentibus. verùm animaduerti hîc potuit, non minùs sæpe in leuioribus munitionibus negligentia, quàm in firmissimis difficultatibus offendi: quòd in his magnitudo periculi, ac ex eo natus metus virtutem militum plerumque acuit: in illis exiguitas rei contentionem animi ac curam vt plurimùm remittit. Non dubitandum enim aliqui existimabant, si coniunctis viribus, ac vno tempore incubitum in oppugnationem fuisset, non adeò magno negotio expugnari potuisse: Interim dum singuli per se, primùm Germani, inde Vngari successissent, & hosti in vnum locum vires omnes suas conuertendi facultatem datam: & nostrorum impetum imminutum. Recipientibus se nostris Scoti milites, qui haud multò antè ad Regem venerant, opportunis locis subsidio collocati, si qui è muris telis aut scloppetis nostros petebāt, certissimis ictibus conficiebant. Antequam discederet Rex, legatos, qui de pace cum Moscis agerent, Ianusium Sbarasium Palatinum Braslauiensem ab regno Poloniæ, Albertum Radiuilum, Palatij Lituanici Marschalcum à magno Lituaniæ Ducatu designat. His Michaëlem Haraburdam hominem ingeniosum, & Moscouiticarum rerum cùmprimis peritum, more maiorum, scribam adiungit. Cùm de conditionibus, in quas pacem fieri placeret, ageretur; vrgebant proceres Lituanici, vt magni Luki, qui proximò anno capti ab hoste erant, quò facilius pax conueniret, hosti redderentur. Ostendebat Samoscius, etsi quantum ad Lituaniam tutandam momenti tam opportuna vrbs, ac eà fertilitate, omniumque rerum copia abundans ager haberet, animaduerteret: quò minùs tamen id fieret, non vsque adeò se repugnare, quod non ea religione eius retinendi, cuius nulla in comitijs mentio facta esset, qua recuperandę Liuonię obstrictus ordinibus esset: molestè tamen se ferre, ante tempus hæc nullo cum fructu, non nullo autem, ne ad hostes efferrentur, periculo iactari. Itaque Rex priuatim re cum Samoscio communicata, pacisque constituēdæ arbitrio ei permisso, cùm quid ab eo fieri vellet, quid cùm in regnum venturus esset, ipse procuraturus esset, ostendisset, optimæ spei & fiduciæ plenus discessit. reliqui ferè omnes ex præteritis obsidionis incōmodis, ac imminentis hiemis difficultatibus de reliquę obsidionis euentu iudicantes, simulq; imminuti ac attriti exercitus opprimēdi tempus nullum hostem prætermissurum cogitantes, nō secus ac si extremū, quos relinquerent, visuri essent, periculum eorum miserabantur. vt non deessent ex primarijs senatoribus, qui Regi Balthasarem, Andreæ fratris sui filium cum Vngaro milite in castris relinquēti, ne id faceret, persuadere conarentur. Cùm Rege vniuersus comitatus aulicus ac voluntarij ferè omnes proficiscebantur. itinere igitur per Ostrouam & Krasnohorodam capto, indè Ludsenium, & Rosittenium, quę hostilibus pręsidijs adhuc tenebantur, sine impedimento prætergressus fuit. sequebantur reliqua agmina properantiùs, omnibus ad Dunam flumen præuertere annitentibus. Itaque & si subsidia contra eruptiones à Radiuilo disposita fuissent; ijs tamen dilabentibus, aliquot nostrorum carri abrepti à præsidiarijs Moscis fuerunt. Transmisso indè ob nauigiorum inopiam non sine difficultate ad Duneburgum Duna flumine Vilnam Rex venit. In castris Polonicus miles stipēdiarius omnis cum Samoscio remansit;

tam is qui ab initio cum eo ad Plescouiam accesserat, quàm quem à Staricicensi excursione cum Radiuilo reuersum receperat. Lituani cum Martino Curtio legato sexcenti; qui ab eadem excursione in castra venerant: & quò ab eius incommodis se reficerent, vt in vicinis pagis Porchouam versus collocarentur, à ductoribus impetrauerant. E voluntarijs Poloni aliqui non multi tamen remanserunt.

REINOLDI HEIDENSTEINII SECR. REGII, DE BELLO MOSCOVITICO COMMENTARIORVM LIBER QVINTVS.



SAMOSCIVS profectò è castris Rege disciplinam inprimis militarē, quam aliâs magna cura tuebatur, quò inter tot difficultates in hostico omnia diligentius circumspicienda sibi videbat, eò accuratiori studio sanxit. Ex præfectis, qui ætate, ordine, ac vsu rei militaris cæteros antecedebant, ad quos de secretioribus quibusque, ac grauioribus rebus referret, sex delegit. Senatorij ordinis Stanislaum Tarnouium Radomiensem: Stephanum Grudsinsciūm Naklensem Castellanos: Ex alijs Ernestum Veierum, Martinum Kasanouium, Ioannē Lesnouolscium, Sigismundum Rosnium: cæteris in rebus omnes ad consiliū adhibebat. Interim quemadmodum Rex cum illo constituerat, eam in rem omni studio incumbebat, vt si pax cum hoste non cōuenisset, ad obsidionē quàm diutissimè continuandam fameque ac omniū rerum inopia ad deditionem vrbem adigendam instructa omnia ac parata haberet. De huius autem rei successu non dubitandum sibi existimabat. quòd quantùm in vrbe virium, apparatus bellici, commeatus ac rei frumentariæ esset, ex Suturma scriba Suiscij: qui in excursione quādā vnà cum fratre captus fuerat: seu quemadmodum ipse, postquàm in potestatem nostrorum peruenisset, præ se ferebat, trāsfugerat, exactè cognitum habebat: subductisque rationibus, si omnes ad importādos in vrbem commeatus ac subsidia aditus præclusisset, non multùm vltra mēsem Maium sustineri obsidionem posse reperiebat. Itaque sic se comparabat, vt vel ex ijsdē statiuis, quemadmodum eò vsque factum fuerat, obsidione vrbem premeret; aut si hiemis sęuitia, ac cōmeatus, qui antè omnis ferè ab exercitu cōsumtus fuerat, angustia, quò minùs id facere posset, prohiberetur, recreato interim prædis ex hosticò agēdis milite, Pezzuræ peditatum omnem, ac tormentorum partem admoueret: quam ob causam & quæ antè eò missa fuerant, tormenta non deduxerat: eaque occupata simili ratione Porchouam ac Vdouam vicina castella oppugnaret: præsidijsque ijs impositis hostes intra mœnia compulsos contineret. si plus difficultatis oppugnationem eorum, quàm vt tentandam putaret, habituram perspexisset, ligneis castellis ex vicinarum villarum ædificijs constructis, opportunissimas quasque vias, maximè verò, quæ à Vdoua, Porchoua, & Plescouia ad Nouogardiam pertinent, occupare. cumque parte exercitus ipse Nouogardiam versus in Prebusio Simeonis supra Ilmenum lacum sub tectis cōsistere: partem dum glacie concretus lacus esset, in prisca Russa, & Ostaskoua continere: ijsq; ex locis omnibus tam Plescouiam, quàm Nouogardiam premere, latissimeque supra Nouogardiam versus Tueram & Moscouiam vastitatem circumferre cogitabat. Ita tamen, vt quoad liceret, primam rationem atque Plescouiam quàm diutissimè retineret: nec nisi hiemis aut cōmeatus difficultatib⁹ adactus ab ea moueret. Militem, quem circa Suatohoram supra Plescouiā ad Vdouense iter obsidendum loco opportunissimo collocatum antè ostensum est, minimè interim dimouendum arbitratus, ne tamen repentina impressio ne opprimi ab hostibus posset, maiorē peditatum, ac minora tormēta aliquot Stanislaumque Penkoslauium ei adiungit. Si hostis incursionem in eos faciat, diē vexillum militare, quo proposito quàm primùm ad opem ijs ferendam accurri possit: nocte ignē tollere eos iubet. Simul ne discessu regio metu om-

omni liberatum se hostis putaret, in omnes rei gerendæ occasiones intentus erat. Quæ cogitanti ex superiorũ temporum pabulatorum licentia, qui partito in duos imperio militari, magna præterea voluntariorum parte nullam imperij necessitatem recipiente, sine metu vel imperij vel hostis vagabantur, nec raro sub ipsos muros succedebant, accidere posse facultatem rei gerendæ ratus: die D. Nicolao sacro, qui vel maximè à Moscis obseruatur, idoneis locis milite in insidijs collocato, carros aliquot propinquo à mœnibus spatio agi iubet. verùm diei religione quamuis obiectam prædam hostibus spernentibus id idem altero die fieri imperat. Consederant partitis insidijs in vicinarum fossarum, quæ imbrium casu factæ erant, vna Vngari equites; in altera Stanislaus Solkeuius adolescens, & Ioannes Kretkouius Prijemscianæ turmæ legatus cum Polonis. Hostes ad primum prædæ aspectum mox erũpunt: protracti in locũ insidiarum ab Vngaris celeriter cõsurgentibus profligantur. Poloni, qui remotiori ab ijs loco erant', propterque præruptum per oppositos colles ascensum, ambitum capere cogebantur, confligendi cum hoste facultate non data, à dextra impetu in eum facto, inclinatum in effusiorem fugam præcipitant; coniunctim que cum Vngaris ad mœnia vsque insequuntur. Et si qui primo loco consederãt Vngari, lectissimi equites, essent, ac in his Petrus Bathoreus, Georgius Sibricus, ac Ioannes Kallaius, omnesque generosissimis equis Thracicis veherentur: Moscouiticorum tamen equorum, quamuis ij magnam partem parui ac deformes sunt; pernicitatem, assequi vix potuerunt. primo tamen impetu triginta circiter interfecti ac duodecim Boiarici generis, in ijsq; maximè strenuus, ac militaribus facinoribus aliquot notus Petr⁹ Koltouiscius, capti fuerũt. Incommodo hoc accepto Suiscius auersa porta maioribus aliquot tormentis magno labore, ad imas muri & propugnaculorum fenestras demissis, locoque opportuno non procul à fossis vrbis magna scloppetariorum manu occultata, subinde viginti circiter equites, qui nostros cis flumen Plescouiam in stationibus positos lacesserent, atque in insidias pertraherẽt, emittebat. verùm cùm excursione hostium nunciata Samoscius ipse cum tribus turmis equitum flumen transijsset, quique in insidijs considerant, ad primum vnius equitis cõspectum, quem propiùs ad locum insidiarum accedere Samoscius iusserat, scloppetos ad vnum omnes in cassum explosissent, sola ferè vrbis ꝓpinquitas, & fossa equiti obiecta quò minus conciderentur, hostes texit. Dum hæc ad vrbem geruntur, aduenerunt interim legati à Mosco ad colloquium missi Demetrius P. Filius Ilecius, Romanus B. filius Olphirionis: proque scriba illis adiunctus Nicolaus Bassorekus. Iis Posseuino cum præsidio Polonico vltra Porchouam obuiam profecto, ac mox nostris quoque legatis subsecutis, paulò pòst initium agendi de pace factum fuit. Ab initio de Sueciæ Rege fœdere comprehendendo propositum fuit. Etsi enim præreptarum arcium iniuriæ non parùm animum Regis alienas sent: quòd tamen superioribus comitijs Annæ Reginæ precibus adductus, quæ sororis suæ Sueciç Reginç amore, ac assiduis literis victa genua Regis amplexa, ne sine Sueco pacem faceret, orârat, daturum se operam vt pace comprehenderetur, pollicitus ei fuerat; ac Posseuinus quoque homo inter principes Christianos pacis conciliandæ cupidissimus, hoc idem summo studio cõtendebat; vt actionum de pace initium ab eo fieret, legatis mandauerat. Qua in re dũ hæretur, Bochdanus quidam omnium legationis eius arcanorũ conscius à legatis Moscouiticis ad Palatinum Braslauiensem transfugit; ab coque ad Samoscium statim mittitur. ab eo hæc legatos mandata habere Samoscius cognoscit: Si Regem exercitumq; à Plescouia discessisse intelligerent, quacumque caussa interposita colloquium tollerẽt: si obsidionem obstinatè continuari sentirent, sine fraude de pace agerent: Eam autem hoc ad extremum concluderent, vt si Rex Lukos aliaq; superioribus annis cœpisset, præter Velisium ac vniuersum Ducatum Polotiensem, quæ Regi concedebat, sibi redderet, vniuersa Liuonia ei decederent. Legati cùm Regem quidem discessisse, obsidionem nihilominùs vrgeri animaduerterent, accesserãt ad conditiones aliquas pacis: sed cùm ob sæuissimas hiemis iniurias, commeatusque omni vicino agro vastato angustias subinde incommodum aliquem rumorem de exercitu expectarent, varias interim moras interponebant; deque leuissimis quibusq; reb⁹ ad principem missitabant. scripserat ex itinere ad Samosciũ Posseuinus, ostẽdisse sibi legatos,

tos, magna cupiditate Moscum alicuius vel exiguę saltem portionis agri Liuonici ad titulum Liuoniæ vsurpandum retinendæ teneri. Samoscius Nouocastrum, Serenescum, Nouogrodecum, deserta nec magni fructus castella ea conditione relicturū se illi rescripserat, vt penes Regem Luki, Sauolocia, Neuela remanerēt. Cùm illi de Lukis nulla se mandata habere renuntiassent, sine Lukis ne palmum quidem terræ in Liuonia se ei permissurum ostendit. Interim Samoscius cùm copias quasdam, quę Plescouiensibus subsidio mitterentur, Nouogardiam contrahi rumor ad exercitum perlatus fuisset; Spitkonem Iordanum virum strenuum, cuius cùm aliâs, tum in pugna Dersauiensi præclara opera extitit, turmis aliquot equitum ei attributis eò misit. Hic stationibus hostium, quæ nō procul à muris se ostenderant, cum trepidatione intra mœnia compulsis vrbi ipsi, omnique vicino agro magnum terrorem intulit. Eundem opportuno deinde inter Porchouam & Nouogardiam pago considere iussit; cùm ad subuectiones subsidiaque si quæ Plescouiensibus ab hoste summitterentur, prohibenda; tum ad pabulationes laxiores nostris faciendas: maximè autem metum vndique hostibus ostentandum. Supra eum verò Kosakki, quos ad Opakam collocatos fuisse antè ostensum est, ad Saionskouium vltra Russam à Samoscio deinde translati omnia infesta reddiderant. Iamque antè eandem ob causam ex Kobilogradensi etiam castello, quod adstricto glacie lacu Pelba, qui ad Plescouiam, Derpatum, & Kobilogradum pertinet, ex Derpatensibus præsidiarijs aliqui insederant, Simonem Charlenscium deijcere præsidium iusserat; indeque ad Prebusium supra Plussam flumen, quà lacu concreto iter ex Derpato, & Vdoua versus Nouogardiam erat, eum collocârat. vnde deinde vlteriùs populationes pferebantur. quibus rebus fiebat, vt quod ab initio sibi proposuerat, nec ipse Plescouia propter commeatus difficultates auocaretur; quòd in omnes ferè partes liberè pabulari nostri possent: & populationibus, quà supra priscam Russam ac Nouogardiam versus Tueram, qua ad Volchodam flumen, ac Lahodam lacum longè latęque factis, cùm opportunissimis vijs occupatis vndique grauissimè hostes premerentur, indies metus eis augeretur. Miserat ad Samoscium Iordanus duos nobiles Moscos repentina excursione oppressos. Ex ijs de Ioānis maioris natu principis filij morte cognitum fuit. Hunc cùm pater opum suarum magnitudinem ac thesauros iactasset: ille verò ijs Regis thesauros virtutem ac animi fortitudinem prætulisset; quibus etsi illis, quibus pater abundaret, inferior esset, nihilominùs ditiones eius igni ferroque vastaret, magnaque parte regni eum exuisset: vel vt quidam dicerent, cùm obstinaciùs à patre exercitum, quo cum regio exercitu dimicaret, flagitasset; iratus verò illi pater, scipionem in caput impegisset, non multò pòst, siue ictus, siue animi doloris vi, in paroxysmos epilepticos, atque inde in febrim incidisse, ex eaque deinde extinctum narrabant. quæ res supra reliquas fortunæ aduersitates eò maiorem dolorem Mosco attulit; quòd hic etsi imperio patris priori vxori, cum qua optimè illi conueniebat, nuncio remisso, aliam duxerat, sine liberis tamen decesserat: alter vero filius Theodorus iunior natu, mentis vitio ad regnum atque omnes adeò res inutilis censeretur. Ab altera parte Suiscius, quòd immensam frigoris vim cerneret, febresque passim ex ea in castris vulgari è transfugis intelligeret: propter vehementiam enim hiemis, quò minùs aliqui transirent, fieri non poterat; ad seruatæ vrbis famam quomodo, castrorum captorum, ac deleti exercitus gloriam adijceret, quærebat. Erat tertia fere pars castrorum morbis implicita; cùm vt quisque frigoris ea immensi prope asperitate correptus esset: quod qui effugeret, nemo erat: febri etiam statim corriperetur: ita tamen vt pauci omninò ex ea morerentur. Non minus autem Samoscius, cùm in tanta aëris inclementia, cùm hoste potiùs, quàm cum frigoris iniurijs confictari militem cupere cerneret, prælio dimicandi facultatem sibi dari expetebat. Eiusque rei, vt extra muros atque munitiones hostem pertraheret, cum varias rationes quęreret, omnia consilia eius vehementer frigoris, quam diximus sæuitia impediebat. Tanta autem eius vis erat, vt vbi quis extra tabernaculū vix pedem protulisset, omnibus ferè mēbris, ijs potissimùm quæ maximè aëri patebāt, naribus, auribus, atq; facie, gelu astrictis emoreretur; quodq; de Moscouitici cœli natura cum miraculo nonnulli prodiderunt, eiusmodi in ijs locis frigora esse, vt aquæ casu ipso dū funduntur, cōgelētur, id experiendo multi cognouerint.

rint. Maximè autem quod necesse erat euenire, excubiæ sæuitia hac frigoris vexabantur; raræque omnino obibantur, ex quibus non plures plerumque aliqua corporis parte mutilata referrentur. Memorabilis cùm primis ex turma Sigismundi Rosnij nobilis equitis casus fuit; cui cùm vtrumque crus planè iam frigore emortuum esset, isque in febrim inde ac mentis alienationem incidisset; interim verò medicus, ferro crura resecasset, vbi ad se rediit, non secus ac si partem aliquam ornatus requireret, de pedibus amissis interrogare cœpit. Alius quidam ludicro penè euentu, maximum tamen & ipse periculum adijt. relictus à Basilio Surannicio in primis excubijs non procul à fossis vrbis concubia nocte fuerat. cumque frigore planè obriguisset, atque equus vti fieri solet ex frigore subito grauiusse concussisset, is qui nec equum, nec se in equo planè iā enectus continere posset, de equo decidit: pedeque ferramentis, quæ ab ephippio dependent, retēto, sub ipsas portas equo incitato magna voce alienam opem, cùm ipse explicare se nō posset, implorās, pertrahitur. Mittit mox Samoscius qui eum eripiant; quod si sine periculo facere non possint, ne ipsi temerè periculum adeant, mandat. Hostes qui in muro constiterant, fraudem subesse rati vltrò irridebant; satisque iam fraudum ac dolorum esse, nec ea ratione amplius se capi posse exprobrabāt. Ita incolumis hic à nostris recipitur. Id autem tum tempus anni erat, quo intensissima ijs in locis frigora esse, vulgari sermone Moscorum ostenditur; qui Nicolai & Christi frigora appellant, cùm maxima designare volunt. Moscouia autem omni sub ipsis ferè trionibus posita, nullo ferè loco, nisi ijs fortè, quæ ad glaciale mare pertinent, quàm in Plescouiensi agro vehementiora frigora existere solet. Itaq; & animalia pleraque omnis generis, quæ cæteris in locis nigro aut fusco colore sunt, vt corui cū primis, noctuæ, gallinæ siluestres, vrsi, lupi, lepores, aliaque eius generis, seu cœli natura, seu frigoris vi, candida hîc esse vulgò animaduersum est: Noctiū verò eam longitudinem esse, vt cùm lōgissimæ sunt, diei non quinque omnino horarum spatium sit. Magna tamē in omnibus hisce incommodis tolerandis militum constantia erat: Samoscius etiam, quantùm eius fieri poterat, ratione ac diligentia ea subleuabat. Excubias quaternis vicibus permutabat: earum ternas per alios obibat. sub crepusculum autem ac primum diluculum, per Stanislaum Vlodekonem affinem suum, quē Sbarasio Palatino Braslauiense ad colloquium cum Moscis missso, sibi legârat; quòd eo tempore eruptiones hostium maximè expectandæ erant. Quò pauciores autem frigoris incommodis afficerentur, pro superiorū temporum cōsuetudine paucos admodum, qui non tam eruptionibus hostium resisterent; quàm de aduentu eorū certiores cæteros facerent, in stationibus & excubijs collocabat. Etenim iam antè toto eo tempore, ex quo exercitus vrbi admotus fuerat, morem hunc Samoscius obseruârat; vt vel diligentissimè excubijs dispositis, in ipsis nihilominùs castris contra repentinas eruptiones subsidia parata haberet: alboq; circum castra misso per vices semper aliquot eam ad rem describeret. Hinc etsi, quod in obsidionibus fieri solet, non rarò eruptio tentata esset, sæpiusque se hostis ostenderet; nulla tamen vnquam in castris trepidatio orta, aut vnquam omnino ad arma, nisi semel fortè mox à discessu regio, cùm ad acuendam militis diligentiam ex industria tumultum Samoscius auxisset, cōclamatum fuit. Ii enim, ad quos cuiusque temporis vices pertinebant, cùm conscensis equis hosti obuiam progressi fuissent, cæteris prope ignaris eum rejiciebant. Tùm verò eò accuratiùs obseruandum id sibi existimabat; quò propter frigoris sæuitiam, ne ea miles affligeretur, pauciores excubitores ponebat; cum vt maximè firmiores posuisset, aëris tamen iniurijs ad rem gerendam penè inutiles futuros cerneret. Itaque in ipsis interim tabernaculis, quæ partim è vicinarum villarum ædificijs, partim cauernis in terra effosis, cratibusque ac palea intectis, contra cœli incommoda ex tēpore sui quisq; vsus causa parârat, more stationū per vices semper aliquot excubare, equosq; quos statim inscenderent, atq; arma expedita habere iubebat: qui eruptione aliqua nunciata recentes, ac ab iniurijs aëris illæsi, conscensis mox equis hosti occurrerent. qua re & securitati castrorum & militis quieti, atque commodis maximè consulebatur. Stationum igitur ea exteriorum infrequentia, ac numero adeò earum ex transfugis à Suiscio cognito, castrorum oppugnandorū, stationibus priùs repentina eruptione oppressis, consiliū cœpit. hunc in vsum septingentos circiter equos, quos obsi-

obſidionis incommoda reliquos fecerant, conquirit; ad eoſque promtiſſimũ quenque reſcribit. Binæ contra vrbem à caſtris ſtationes erant; vna vltra Velikam flumen, quæ Pezzurenſem viam obſeruabat; altera cis flumen ſupra caſtra. Ex altera parte, qui ad Svatohorã erant curabant. Suiſcius trecentos circiter equites delectos vltra Velikam contra eos, qui ad Pezzurenſem, vt oſtenſum eſt, viam, in ſtationibus erant, eo conſilio, quemadmodum ex captiuis poſtea cognitum eſt, mittit, quòd illis occupatis, ſi quod futurum præuidebat, qui à ſuperiori caſtrorum parte cuſtodias agebant, ſtatione ſua relicta flumen glacie concretum ad ferẽdam ſuis opem tranſirent, caſtra nudatum iri, ſibique nullo obſiſtente repentina eruptione ea inuadendi locum futurum cogitabat. Obuenerant diei eius ſtationes Sborouianæ turmę, quę cùm trecentis equitibus conſtaret Thomas Orinſcius cum quadraginta circiter eorum vltra Velikam flumen poſitus erat; cum cæteris Laurentius Scarbecus turmæ legatus ſupra caſtra cis Pleſcouiam flumen excubabat. Iam antè autem ea in vniuerſum cuſtodijs omnibus mandata Samoſcius dederat, vt erumpenti hoſti nulla pugnandi copia facta ambitu capto, verſus caſtra ſtatim ſe reciperent; non modò quò ſubſidium illis propinquiori è loco faciliùs ferri poſſet, verùm hoſtis etiam longiùs ab vrbe ad pugnandi neceſſitatem pertraheretur. Id igitur cùm Orinſcius feciſſet, Suiſcius peditatus partem ſtatim vrbe emittit; qui quòd locus is omnis conuallibus interſeptus eſſet, valle quadam occupata receptuque intercluſo vehementer ſcloppetis eos premebat. Interim Samoſcius Scarbecum, qui quemadmodum oſtenſum eſt, in ſuperioribus ſtationibus erat, flumen mox tranſire, impetumque in hoſtes dare iubet: ſimulque ipſe equo cõſcenſo, ijs qui in ſubſidijs, de quibus antè dictum eſt, conſederant, vt ſe ſequantur, imperat. Scarbeco promtiſſimè flumen tranſgreſſo, Suiſcius vbi primùm ſtationibus nudata caſtra animaduertit, mox reliquum peditatum ac equitatum omnem diuerſis portis ad caſtra oppugnanda mittit. Interim qui ex inſtituto, quemadmodum oſtenſum eſt, in tabernaculis excubabãt, ſequiq; à Samoſcio iuſſi fuerant, ad certamen iã ſe expedierant: primiq; Vngari, qui eã ad Velikam flumen caſtrorum partem tenebant, inde Ioannes Kretkouius, cum turma Staniſlai Prijemſcij: Sarnacius cum Hieronymi Goſtomſcij, quarum legati erant; poſt hos alij tanta celeritate procurrerunt, vt eodem quaſi in veſtigio, vno conflictu, atque impetu trecenti circiter ex hoſtibus caderent; caperentur vltra ſexaginta: magna verò eorum pars vulneraretur. Suiſcius qui è proximo muro euentum eruptionis expectabat, cædem hãc & fugam ſuorum cernens, reuocatos intra vrbem mox recepit. Deſiderati & ex noſtris prælio eo aliquot fuerunt, cùm valle ab hoſtibus occupata circumuentis auxilium ferri ab alijs non potuiſſet. Piontkouius nobilis eques captus, ac ab hoſtibus abductus fuit. Orinſcius cùm diu fortiter hoſtes ſuſtinuiſſet, globo è ſuperiori loco per humerũ & inteſtina traiecto, perijt. Petrus Grudſeſcius cùm per hoſtes manu viam ſibi patefeciſſet, adque noſtros iam & ipſa penè caſtra in tutum penetraſſet, è muro tormenti cuiuſdam maioris ictu interemptus fuit. Ex Vngaris equitibus Franciſcus Kobor & Barrabas Balog viri militares ciciderunt. Quod niſi ſubſidij ijs, qui cùm Orinſcio circumueniebantur ferendi cauſa, celeriùs à caſtris progrediendum noſtris fuiſſet, facilè vniuerſas copias hoſtium ad ipſa caſtra pertrahi, iiſque deletis debellari ferè tum potuiſſe, minimè dubitandũ videbatur. Erat is quartus menſis Ianuarij dies. ſub noctem Samoſcius, quòd maximè omnes Moſcos cupidiſſimos ſuorum humandorum ſciret, Nicolaum Vrouecium in loco prælij excubare, ac ſi fortè hoſtibus ad tollenda corpora egreſſis, gerendæ rei facultas accideret in omnes occaſiones intentum eſſe iubet. Ea nocte nullam in partem ſe commouerunt. Altera Martino Leſnouolſcio notæ virtutis præfecto negotium dat; qui cùm quibuſdam vrbe egreſſis, ac proxima, quæ ad eam iacebant, cadauera ſub trahere incipientibus vnà cum altero equite ſe oſtendiſſet, celeriter in vrbem refugerunt; ſemperque poſtea intra mœnia ſe continuerunt. Samoſcius rei gerendæ nullum amplius locum futurum, quodque pietati ac humanitati deberi arbitrabatur, vltrò hoſti offerendum ratus, ad obſeſſos mittit: poteſtatẽ ſe illis mortuorum facere; ac vel per militem conferri corpora, ac tradi ijs iuſſurum, aut ſi ipſi per ſe tollere ea velint, fide publica integrum id illis futurũ oſtendit. qui in muris erant, laudibus hanc eius pietatem Chriſtianique animi ſenſum magnopere extolle-

bant; req; cum Suiscio communicata, vt sequenti die circa meridiem ad se redeat, quo ea de re constitui posset, rogabant. Ad tempus Stanislaus Solkeuius adolescens singulari ingenio praeditus, Melchior Sauissa stabuli Samoscij praefectus, alijque nobiles iuuenes Thracicis generosissimis equis vecti splendidissimeque omnes ornati iniussi vnà proficiscuntur. Agnoscit ex transfugis Solkeuium quidam: ostendit hostibus, praeterquàm, quòd propin qua cognatione Samoscium contingeret, multorum etiam secretorum cō scium esse. solebat enim Samoscius, quòd praeter aetatem, eximiam in eo indolem ac ingenium perspiceret, in secretioribus rebus ad Regem referendis ipsius plerumque opera vti. Hac re Mosci inducti, mutato consilio, ac pietatis in defunctos officio, praesenti quod ostendebatur, commodo posthabito, verbis rem extrahunt: interim maiores scloppetos complures, & quingentos circiter scloppetarios in muro clam disponunt. Solkeuius cùm variè rem duci animaduerteret, vt tandem se explicent, eos hortatur: continuò vnus è scloppetarijs coortus sclopeto in Sauissam irruens, irrito tamen propter armorum firmitudinem ictu eum ferit: simul caeteri scloppetos omnes vno tempore displodunt. Solkeuius, quique cum eo erant, conuersis equis celeriter se recipiunt. eos è muris alijs mox scloppetis, & quò longius pro uecti essent, eò maioribus indè tormentis hostes persequuntur. incolumes nihilominus in castra nostri redierunt: quòd tantum globorum nimbum euasissent, omnibus mirantibus. Iam antè Ioannes Ostromecius, qui ad tormenta cum alijs curabat, huiusmodi rem ad Samoscium detulerat. In arca ferrea duodecim tubos scloppetarios, quò citius rumperētur, ex industria tenuatos, ordine disposuerat: eosdéque subtilissimo puluere ac arcam ipsam impleràt. in medio eam scloppeti partem, quae rota atque incumbente silice ignem ad puluerem incendendum elicit, tensam paratamque constituerat. arca ea in ligneam cistam imposita, fibulam, quae attracta rotam luxare, ignēque excitare solet, duabus chordis, vna ad inferiorem ligneae cistae fundum, altera ad ipsum ferreae cistae operculū alligârat: ea ratione, vt siue ferream arcā ex lignea quis eximeret, seu ipsius ferreae tectum moliretur, necessario vtraque re puluis inflammaretur, tubisque atque arca ferrea fracta astantes perceI lerentur. Hanc si ita ad Suiscium misisset, minimè sibi obtemperaturum, quin eam excuteret, seque ipse in fraudem indueret, existimabat. Noluerat tum Samoscius permittere, vt huiusmodi artibus contra hostem res gereretur. Iam publica fide ab illo priùs violata, Solkeuioque ac alijs omnibus qui in consilio Samoscio aderant, vrgentibus, vt eius in se perfidiam ea ratione vlcisci sibi liceret, Ostromecio rem totam permisit. Hic captiuum hominem idoneum nactus, per aliquot dies benignè habitum, tamquam magni secreti conscium facturus iuramento adigit, fidemq; eius sibi obstringit. Fingit Ioannem Mollerum quendā se esse: cum Farensbekio quondam apud Principem Moscorum militasse: postea etiam illo ad Regem se conferente, authoritatem ei⁹ secutum: ac & si aliquo apud Regem loco esset, pristinam tamen Moscorum principis in se indulgentiam requirere: eamque ob causam interfecto priùs imperatore exercitus, cùm pro artificio suo rei tormentariae remotis arbitris cōmunicaturus cum eo esset, ad illum rursum transire in animo habere. Interim cistam eam, vt ad Suiscium perferat rogare: in eā pretiosissimas quasque suas ac alias magni momenti res se coniecisse: breui ipsum opera priùs ea, de qua dixisset, principi Moscorum nauata subsecuturum: magni autem sua interesse, ne priusquàm ipse veniat, cista resignetur. In eandem sententiā ad Suiscium literas perferendas illi dat. Moscus duplici laeticia elatus, quòd & libertatē recuperaturus, & tam gratum nuncium ad Suiscium perlaturus esset, perque excubias ab Ostromecio traductus ad Suiscium peruenit. qui cùm eo tempore alijs rebus occuparetur, caeteros qui ad consilium tum fortè conuenerant, nullo ad cognoscendum sibi spatio sumpto, aperire statim cistam iubet. concurrunt complures rei nouitate, atque innata hominibus curiositate ducti. Ferocissimus omnium Andreas Chorostinus alter Palatinus, & aemulus Suiscij, quēadmodum postea cùm ex Alexandro qui pace facta ad Plescouienses à legatis missus fuit, de quo infra dicetur, tū pace facta ab alijs multis compertum est, pede in cistam ligneam imposito, ferream manu sua ipse extrahere nititur. Interim fibula conuulsa, puluereque inflammato, arca ferrea ac tubis disiectis, non modò astantes omnes dis

sipan-

ſipantur, verùm tecti etiam pars aliqua vi ignis ac fractorum ferramentorum conuellitur. præ cæteris maximè inſignes, Andreas de quo dictum eſt Choroſtinus, & Koſecius periêre. Erat & de Suiſcio ſuſpicio, cùm ex ægritudine per continuos aliquot dies copiam ſui non feciſſet: maxime autem apud noſtros opinio hæc confirmabatur; quòd cùm aſſiduè antea in muro verſari, perque ſtationes volitare ſolitus fuiſſet, nunquam poſtea ſe oſtenderet. Verùm hac de re contumelioſæ poſtea literæ ſcriptæ à Suiſcio ad Samoſcium fuerunt: ab ijsq; ad ſingularis certaminis prouocationem deſcenſum inde fuit. Verùm Samoſcio conſtituto die cum demonſtratis antè inſignibus in deſignatum locum progreſſo hoſtis non prodijt. Diſputabatur nhilominùs interim, quemadmodum ſuprà oſtendimus, ab vtraque parte de conditionibus pacis. De Suecię Rege ab initio iam Moſci reſponderant, non recuſare principem ſuum, quò minus pacem cum illo faciat, verùm debere eum more maiorum ad Nougardiæ Palatinum mittere, qui de conditionibus pacis acturus cum illo eſſet: præter exempla inſtitutaque maiorum nihil omninò faciendum ſibi eſſe. qua de ſententia cùm deduci non poſſent, inde ad ſummam Liuoniæ, cæterarumque arcium vtrinque reddendarum conditionem ventum fuit. Plurimum de hac controuerſiæ fuit; cùm prouinciam, quam nouem & viginti annorum bello, multoque ſanguine ſuo vix peperiſſent, ac in qua multi Ruſſici generis nati eſſent: plurimi etiam domicilijs conſtitutis inueteraſſent, non minùs ægrè quàm ſi de Moſcouitico ſolo ipſo ageretur, relinquerent. Ad extremum de Derpato atq; Nouogrodeko Liuonica, cum reliquis vrbibus, atque caſtellis ferè omnibus ceſſiſſent, vehementer reſiſtebant; quòd in illam religionem ſuam iam inuectam, Epiſcopumque in ea à ſe conſtitutum: hanc Diuæ virgini matri Pezzurenſi ſacram dicerent. Tandem cùm præter expectationem ſuam, minùs ad volūtatem ipſorum ad Pleſcouiā res fluere; ac ne ſummam quidē cùm aliarum rerum ferè omnium tum frigoris difficultatem ab obſidione noſtros reuocare: iamque maxima hiemis parte exacta mitiora tempora inſtare intelligerent: maximè autem Poſſeuinus, qui quòminùs ſuſpecta fides ſua apud Moſcos eſſet, cum illis diuerſabatur, ne vllo cum fructu in re tam pia tan tùm elaboraſſet, ſumma apud vtramque partem libertate in pacem incumberet, res conuenit. Pacti vt vaſa ſacra Derpato ac Nouogrodeko tollere ſibi liceret, nec Epiſcopus ſacerdotesúe eorum contumelia afficerentur, vniuerſa Liuonia, quam in ſua poteſtate princeps eorum haberet, deceſſerūt: regis nomine è contra Lukis, Sauolocia, Neuela, alijsque caſtellis nonnullis, quæ ſuperioribus annis ab hoſte cepiſſet, Veliſio ac Polotienſi agro omni recepto, illis ceſſum fuit. De Narua alijsque caſtellis quæ à Sueco occupata erant, diu diſceptatum fuit; cùm noſtri Moſcorum tergiuerſatione, in poteſtatem Sueci veniſſe ea dicerent: Moſci nihil ad ſe præſtationem eorum pertinere contenderent; quæ nec antè à ſe inter arces Liuonicas, quas Regi obtuliſſent, nominata fuiſſent: nec nunc tenerentur. Tandem cùm in eo hæreretur, ita controuerſia ſuſpenſa, vt iuri ſuò in Naruam reliquasq; arces, quæ à Sueco tenerentur, minimè Regem defuturum legati teſtatum facerent; Veiſenſteinio autē, quod iam antè Regi Moſcus obtuliſſet, diſertè legati eius decederent, de captiuis deinde actum fuit. Cùm Moſci vtrinque captiuos ſine pretio reddi vellent: Regis nomine, quòd ex Moſcis primarios homines complures, illi ex regijs captiuū inſignē nullum ferè haberent, Sauolocia, Neuela, ac Sebeſium, ac extremo loco Sebeſium pro captiuis poſceretur; Moſcus verò non tantā hominum quantam poſſeſſionū rationem habendam ſibi iudicaret, in aliud tempus, quo ad exigendum in pacem à ſe mutuò ſacramentum legatos vtrinque miſſuri eſſent, tota hæc res dilata fuit. De tormentis ac apparatu bellico, quæ in præſidijs eſſent, ita conuenit; vt relictis, quæ cùm quæque caperentur in arcibus fuiſſent, quæ vtrinque illata eſſent, ſecum quiſque deferret. Iis igitur conditionibus decennalis pax perfecta fuit: Cùm nec Moſcum in eo amiſſarum prouinciarum dolore opportunioribus temporibus per motus aliquos interregni aut alias occaſiones oblata recuperandi ſpes deſereret: & Rex tanta clade atque vaſtitate Moſcouiæ illata, quæ tam paucorum annorum ſpatio reſarciri nullo modo poſſet, ſi Prouincia Liuonia omnibus interim neceſſarijs rebus à ſe firmata bellum Moſcus redintegrare vellet, maiores res gerendi facultatem ſibi non præcidi non moleſtè ferret. Legati iuramento ſtatim eas firmarunt;

runt; de principum iuramento, vt maiores legati exigendi sacramenti causa primùm à Rege ad Moscũ, inde à Mosco ad Regem mitterentur, constitutum fuit. In literis fœderis conscribendis, per aliquot etiam dies controuersum fuit. quod Mosci ab initio vniuersæ Russiæ Ciariũ: postea cùm de eo iam decessissent, secundũ Moscouiæ & Vlodimiriæ aliosq; cõplures titulos Astrakanensium tamẽ & Kasanensium Tartarorum Ciarium, principem suũ appellari volebant; nostri præter morem maiorum nihil se illi tributuros contenderent. Iam paulò antè autem Parnauiam, quæ à Suecis obsidebatur, cõmeatus inopia vehementer laborare, ac vix quatuor septimanarum spatio tolerare Moscos posse, per Thomam Embdanum, aliosque quorum diligentia in cognoscendis rebus hisce vtebatur, Samoscius cognouerat. à Ioanne Sborouio præterea, qui maximis vadimonijs, necessarijsque suis ac familiæ suæ negotijs coactus in Poloniam redierat, certior factus fuerat, ad res nouas Liuones solicitari, rumoresque spargi, Regem si Liuoniam recepisset, inter Vngaros vniuersam distributurum. Quod cùm ij fieri non posse, nisi ipsi omnes sedibus suis euerterentur, perspicerent, non parum ea re multorum animos commoueri necesse erat. Proponebantur eodem tempore Sueci nomine edicta, quibus suorum cuiq; bonorum, & quas pristinis temporibus, maiores cuiusq; beneficiario iure tenuissent, possessionum restitutio promittebatur; adque possessionem bonorum adeundam, ad quos ea pertinerent, inuitabantur. Inter alios Byringius, qui aliquot castella regia in potestate habebat, vt ex Moscis Parnauia decedentibus cognitũ postea fuit, literas ad Moscos dederat; quibus si diutiùs sustinere obsidionem non possent, vt Sueciæ potiùs quàm Poloniæ Regi eam dederent, hortatus eos fuerat. In hoc igitur Liuoniæ amittendæ discrimine, etsi vel vi tandem, si subsidia sibi à Rege quemadmodum cum eo constituerat, summissa fuissent: aut saltem Mense Iunio, vltrà quem obsessos nõ toleraturos, perspectum habebat, fame atque commeatus inopia in potestatem Plescouiam venturam Samoscius non desperabat: ad pacem tamen animum tandem aduertendum sibi iudicabat. Venerat sub idem tempus in castra à Suecis missu præfecti Naruensis mercator quidam; qui de iniurijs, quas finibus suis à milite nostro, qui supra Vdouam in Prebüssio collocatus erat, illatas dicebãt, quereretur. cui cùm præter opinionẽ Suecorum benignius responsum fuisset, venit postea ad Samosciũ à Ponto Gardiano Laurentius Cagnolus Italus; cuius in Narua occupanda maximè insignis opera extiterat: honorificisq; verbis pro Rege Samoscio salutato, ac literis ad Regem à Ponto scriptis illi redditis, vt ad legatos Moscouiticos ipsius voluntate proficisci sibi liceret, petebat. Samoscius etsi quæ in Liuonia agerentur, non ignorabat: comitatis tamẽ suæ apud exterum hominem, rationem sibi habendam ratus, in præsentia humanè ad postulata ipsius respondit: non potuisse in mentem venire Regi, cùm præsertim tandiu in castris fuisset, nec quisquam à Sueciæ Rege ad se venisset, deinceps legatum vllum missum iri: atque ita nec Regem vlla hac de re mandata sibi reliquisse; nec se sine Regis mandato, ac voluntate quicquam ei permittere posse: literas vel per tabellarium ad Regem missurum: aut si ipse ad eum ire vellet, præsidium se ei adiuncturum. Cagnolus responso hoc accepto, tabellarioque cum literis relicto ad Pontum se recepit. Eum, tabellario ad Regem è castris nondum profecto, perfectæ pacis nuntius in Liuoniã cõsecutus fuit. Iamq; Alexander q de pace facta Plescouiensibus renũciaret, à legatis Moscouiticis Sapolia missus ad Samoscium peruenerat. quem cùm ad prandium Samoscius inuitaret, maximi beneficij loco habiturum se respondit, si ad vrbem quàm primũ aditus sibi permitteretur. Nam dum ipse epulaturus ibi esset, obsessos interim sanguinem bibituros: his enim verbis vtebatur: pransurum se apud eum, vbi lęto pacis nuntio suis impertito, reuersus ad eum fuisset. Samoscius præsidio ei adiuncto, ad vrbem perduci iussit. Cũ sub Pochrouiensem turrim, quæ ad Velikam flumen pertinens ab Vngaris tormentis, quemadmodum ostensum est, quassata erat, successisset, ac quis esset ostendisset, tanta eorum, qui in muris constiterant, lætitia, atq; gratulatio extitit, vt subitò sublimem raptum in muros extollerent; nullaque vel suorum vel nostrorum circumfusorum verecundia prohiberi se paterentur; quò minus ad pedes eius proiecti eos oscularentur, Archangelumque ac pacis nuntium lætis acclamationibus appellarent. ad nostros deinde cõuersi fratres eos appellabant; vtque sine metu

pro-

propiùs iam ad se accederent, libereque vagarentur, inuitabant. Altero die idem Alexander cum alijs nonnullis ex nobilitate ad Samoscium in castra redit: quia pax iam conuenisset, vt lignatio sibi libera permittatur, ipse verò quam primùm exercitum deducat, petunt. Respondit Samoscius, etsi de pace transactum esset, literas tamen in quibus conditiones pacis perscriptæ essent, nondum ad se allatas: multò minus qui præsidia traderent, à principe eorum venisse. conuiuio deinceps eos excepit. Quòd cùm lautissimè instructum fuisset, qui maxima apud nostros commeatus inopia laborari sibi persuaserant, omnium non modò necessariarum rerum; verùm plurimarum quas nunquam ipsi cognouissent, apparatum eò magis admirati fuerunt. Etenim Samoscius quemadmodum superiori anno fecerat, ita iam initio etiam expeditionis huius, præter puluerem tormentarium, quo peditatus, quẽ conscripserat, vteretur, apparatúmque bellicum, commeatus quoque maximam copiam; nonnullam etiam elegantioris victus, externorum hominũ excipiendorum causa contraxerat: partemque eius, quam Gedani & Rigæ comparârat, à Duce Churlandiæ, ciuitateque Rigensi iumentis conquisitis, supra Kokenhausium, quod tum in hostium potestate adhuc erat, exposuerat; indeque aduerso flumine Disnam, ac vlterius Sauolociam nauibus deuexerat: aliam carris deportârat. In eo verò prandio cùm cistæ quoque ad Suisciũ missæ mentio facta fuisset, cùm de Chorostino, ea quæ suprà demõstrauimus, Alexander præ se ferebat; tum nisi pax interim conuenisset, ne ingenio à nostris superati viderentur, vicissim se illis trecẽta aurea poma obiecturos fuisse dicebat. Id satis apparebat, nullam ferè rem ægriùs eos ferre: iamque antè priusquàm pacis conditiones conuenissent, Vngaris propiùs ad muros succedentibus, sæpiusque cistam illis exprobrantibus, adeò eo commoueri se testabantur, vt cùm ijdem in flumine glacie adstricto cistam aliquando illis obiecissent, crebris tormentorum ictibus doloris ac iracundiæ suæ flammas in eam eiacularentur. eodem autem modo frequentiùs deinde ad Samoscium ventitabant; à quo cùm semper benignè habiti fuissent, ac verò captiuorum quorundam permutãdorum causa in Procopium Penonscium turmæ præfectum conuiuium tum fortè agitantem incidissent; qui antea commeatus ac rei frumentariæ difficultate coactum, vltro Samoscium exercitum reducturum existimârant; vt non modò Imperatorem ipsum, verùm exercitum vniuersum in maxima copia versari videbant; sequenti die Theodorum Mesceodouum aliosque frequentes ad Samoscium mittunt; vt pace facta exercitum tandem abducat, obsidio neque vrbem liberet, petunt; quod nisi intra triduum faciat, nolle se pace teneri ostendunt. Respondit Samoscius, existimare; se pace iam facta non ex animo hæc ab illis dici; quam non ingratam illis accidisse, gratiorem quidem, quàm generi hominum ex stipendijs viuenti sciret: exercitum cùm commodum futurum esset, se abducturum. Interim Palatinus Braslauiensis ipse in castra venit; nec alia conditione pacẽ conuenire potuisse, quàm vt nulla mora interposita exercit⁹ reduceretur, docuit. reddendarum quoque arcium eas conditiones placuisse, vt aulici ab vtroque principe ad arces quę restituẽdę essent, quàm primùm mitterentur; qui vbi aduenissent, rusticorum ac agri possessio statim traderetur. Interim ab ijs, qui possessionem adirent iumenta decedentibus ad res suas deportandas præberentur; quæ si præbita essent, tum octauo ab aduentu aulicorum die, præsidio ipso quoque decederetur. si quæ ex vilioribus rebus deportari commodè non possent, eæ consignatæ interim deponerentur, ac primo inde tempore ijs quorum essent restituerentur. Videbat Samoscius magnam hisce in rebus difficultatem. Nam cùm in regione continuis bellis vastata, magnam iumentorum paucitatem existere necesse esset, in Moscorum ferè potestate fore intelligebat, pro suo arbitrio restitutionem extrahere. Vt tamen quid animi haberent, periclitaretur, ac fiduciam simul suam ijs ostenderet, Ostrouiam antequam dies reddendæ eius venisset, tradi illis iussit; ac licet ea sola in re cùm recipiendæ reliquæ Liuoniæ; tum pacis stabilitatem omnem positam intelligeret; vt obsidionis ac exercitus metu in fide Moscos contineret: ne tamen à se violati iurisiurandi legatorum initium profectum iactare possent, reuocatis omnibus ex partibus pabulatoribus, peditatum omnem cum tormẽtis, ac grauiore belli instrumento, Nouogrodekum versus, quo in castello deponere ea cogitabat, octo dierũ itinere antecedere se iubet. inde di-

uersas alias turmas ad recipiendas arces Liuonicas sigillatim præmittit. eas agmen quod ægris præsidio erat, sequebatur: post id impedimenta agebantur. Ipse cum reliquo exercitu die vj. mensis Februarij Plescouia mouit. spectabāt transgredientes copias, partim ex muris atque propugnaculis vrbis, partim è ripis fluminis alijsque eminentioribus locis frequentes Mosci. maximè vltimam hanc exercitus partem admirabantur; quæ cū ad viginti quatuor millia equitum accedere videretur, magis tamen ferè splendore, ornatuque, atque equorum præstantia quàm numero ac multitudine eos in se conuertebat: ita plerisque integris, vt nihil vel parum omninò ex hiemis ac diuturnæ obsidionis incommodis decessisse illis videretur. Hoc ordine ad Seskelium interim aliosque vicinos pagos supra Derpatum eo consilio exercitum traducit; quòd eo ex loco & in Moscouiam, si pacis conditionibus à Moscis non satisfieret, facilem se receptum habiturum, & in Parnauiam intentum se esse posse iudicabat; ac si Sueciæ copiæ, quēadmodum ijs denunciârat, ab ea non decessissent, extempore & re ipsa consilium capere. Etenim iam antè, mox à facta pace Ioannem Lesnouolscium aliquot cum turmis equitum miserat; qui vrbi ac arci præesset; Gardianoque si obsidionem nondum soluisset, vt ab ea tanquàm regij iam iuris vrbe abstineret, denunciaret. Mosci etsi Ostrouam iam recepissent: dies etiam, qua Nouogrodekum se reddituros constituerant, lapsus esset: ex industria tamen moras interponebant. seu quòd in exercitū, si fortè dilaberetur, intenti essent; seu quò è remotioribus præsidijs ad extremas oras, finesque ipsos Moscouiæ omnes sui interim conuenirent, tutoque res suas deportare possent; ne si primis recedentibus vltimi, qui Kokenhausij, Parnauię, ac in lōginquioribus alijs locis erant, tardarēt, iniurijs ac vexationibus nostrorum paterent. Quam moram maximo suo atque exercitus cum incommodo fieri Samoscius videns, Vrouecium iam antè cum tormentis Nouogrodekum versus à se pręmissum aditū in castrum quærere iubet. Hic cùm aditum aliquē amicitię ad præfectum sibi fecisset, familiariter deinde commeare ad eum cœperat. Itaque aliquantò pòst Samoscius ipse, qui interim aduenerat, cum Palatino Braslauiensi, ac sexaginta circiter militib⁹ sigillatim sequentibus, rogantiq; ex more portitori, centurionem venire nostris respōdentibus, castrum ingreditur. Venerat sub id tempus Petrus Volkouiscius. Hic cū Palatinum Braslauiensem ex colloquio ad Sapoliam, cui ipse etiam Volkouiscius interfuerat, agnouisset, incusassetq; pręfectum; quòd cùm centurionem se recepisse diceret, Palatinum recepisset: respondit Palatinus, non se modò verùm Samoscium ipsum adesse. Qua re turbatum eum Samoscius videns; tu quidem inquit castrum hoc iam principi tuo perdideras, nisi ex conditionibus pacis vltrò id tradere deberes: nullumque ea in re dolum à se quęsitum, sed vt castrum quod principis sui esset, videret, ingressum se ostendit: vtque decederet, hortari hominem cœpit. Illo iumentorum inopiam incusante, ex ijs equis qui tormenta trahebant, certum numerum ei dat; quibus subleuatus rebusque omnibus exportatis, castro tradito excessit. Est Nouogrodekum amplitudine quidem nō magnum, sed cùm vicinitate Moscouiæ clarum, tum ob eam ipsam opere, maximè autem triplici muro, crebrisque turribus ac vno insigni propugnaculo diligenter munitum. Inde Seskelium rectà Samoscius venit. vbi cùm per aliquot dies substitisset, dum an Derpatum Sigismundo Rosnio, quem ad accipiendam vrbem pro legato miserat, redditum à Moscis esset, cognosceret; posteaquàm ne iumentis quidem acceptis, quę in magna iumentorum inopia à Duce Magno ac alijs conquisita non paruo numero Samoscius eò misẽrat, decedere Moscos intelligeret, Derpatum ipse contendit: inque proximum ad vrbem Monasterium diuertit. Inde Nicolaum Sebridouium, & Stanislaum Solkeuium filium ad præfectum mittit; vt mox se recipiat, vrbēque ac arcem vt conuentum erat, tradat, postulat; quod nisi intra tertiū diem faciat, continuò se exercitum in Moscouiam reducturum ostendit. Aduenerat iam à Mosco Basilius Halouinus, ex primarijs aulicis ipsius. Hic gemitū ducens meminisse se eius tēporis dicebat, quo Moscis etiam ferocibus esse licuisset: moræ tamen causam esse, quòd à iumentis atque carris nondum satis paratus esset. Itaque, vt ad tridui spatium vnum solum diem adijci pateretur petebat. Cùm ex proprijs iumentis ducenta circiter Samoscius illi adiecisset, Derpatum quoque XXIIII. Mensis Februarij die recepit. Vicesimū nonum iam annum Derpatum Moscus

ſcus tenuerat. Itaq; vt ab ea, in qua geniti magnam partem eſſent, vel adoleuiſſent, maximo cum dolore atque lachrymis plerique diuellebantur. Inprimis fœminæ ad ſuorum partim maritorum, partim liberorum, parentum, ac propinquorum ſepulturas concurſantes nænias ſuas more ſuo decantabant. Eſt enim omnis gens Moſcouitica, ſi quæquàm alia in ſepulchrorum ac mortuorũ cultu cum primis ſuperſtitioſa. Diuerſum autem hac in re ab aliarum gentium inſtitutis hoc maximè habent, vt non ſtatim mortuos ſepeliant, ſed per annum vnum loculis conditos in fornicato aliquo cænaculo aſſeruent; ac exacto demũ anno multis cum lachrymis ac planctu terra cõdant. Fuit Derpatum ampliſſima olim Liuoniæ vrbs; quod vel hodie adhuc publicorum priuatorumque ædificiorum cultus indicat. Agrum etiam Liuonia Derpatenſi meliorem feraciorem que nullũ habet. Priusquàm Germani in Liuoniam immigrãtes religionem Chriſtianam, linguamque ſuam ea in loca inferrent à Sudetibus gente barbara omnis is tractus à mari ſuprà Pelbam lacum Pleſcouiam vſque tenebatur: qua cum Ruſſis frequentia bella interceſſiſſe Moſcorum annales narrant. Poſtquàm à Chriſtianis ora ea coli cœpit, Epiſcopis vſque ad Hermannum Veſſelium paruit. Huc cùm poſt captam Naruam ac Neuhauſium vnà cum Derpato in deditionem Moſcus accepiſſet, poſtea contra fidem datã in Moſcouiam deportàrat; non minori in viuum Epiſcopum perfidia, quàm odio in mortuos vſus; quorum nimirũ ibidem paulò pòſt & cadauera è templo ſepulchriſque eiecit. Vrbs aliquandiu deinde à Liuonib⁹ & Moſcis æquo iure habitata fuit: aliquanto tempore interiecto cùm Liuones iniurijs Moſcorum coacti in necem eorum cõſpiraſſent, Liuonibus vt maiori Moſcorũ numero non difficulter ab ijs ſuperatis, ac pleriſque interemptis, cæteris in Moſcouiam deportatis, Moſcos ſolos deinde incolas habuit. Iam antè Nouogrodeko diſcedentes Moſci ignẽ fundamentis ſubiecerant; qui mox à noſtris deprehẽſus, ſuppreſſusq; fuit. Derpati, quòd præcipua ædificia duo ſunt; arcis alterum, in quo priùs Epiſcopus, poſtquàm in Moſci poteſtatem venerat, Vladica habitabat: alterum ad principis vſus factum; quod Dux ipſe priuatis aliquot primarijs domibus occupatis, moreq; ſuo exornatis pro ſe exſtruxerat; cùm exiſtimarent, in arcẽ Samoſcium diuerſurum: eorum enim moribus capitale eſt, in principis ædib⁹ quen quam habitandi cauſa eſſe: arci diuerſis in locis pulueres ſubiecerant; quorum aliqui intra viginti quatuor horarum ſpatiũ, partim intra quadraginta octo abſumptibus funiculis incẽſi poſt illorum digreſſum tollerentur. Samoſcius cùm in principis domũ rectà diuertiſſet, ruſticorũ quorundam, qui in purganda arce occupati erant, nece periculum redemptum fuit. Hoſti nihilò minùs diligentiſſimè fides conſeruata fuit: ac nõ modò in nullos, qui reliqui è Moſcis in Liuonia erãt, hanc ob cauſam vindicatum; verùm cùm puer etiam quidam Pleſcheoui Derpatenſis Palatini propinquus, non tam interceptus à noſtris, quàm more puerorũ pueriles quaſdam voluptates ſectatus vltrò ad eos ſe contuliſſet, vehementerq; ea re Pleſcheouus perturbaretur, magna diligentia cõquiſitum reddi eum iuſſit. Haud alia verò ratione reliquæ etiam pleræque arces à cęteris pręfectis receptæ fuerunt; Moſcis initio, priùs quàm de Derpato reddito ijs conſtaret, dexteritate potiùs atque ingenio noſtrorum ex ijs deiectis, quàm decedentibus. Derpato recepto ad regios quoque præfectos, qui Sauolociæ, Lukis, ac alijs caſtellis Moſcouiticis præerant, vt Moſcis ea traderent, literæ datæ fuerunt. Ad hanc enim diem nullius à noſtris quoque poſſeſſio præterquam Oſtrouiæ tradita Moſcis fuerat; tum autem ex fide omnes redditæ. Interim Gardianus quoque poſtquàm Leſnouolſcius, quæ ſuprà oſtendimus, à Samoſcio ei denunciaſſet, finibus obiter pro arbitrio ei demonſtratis, obſidioneque ſoluta exercitum Parnauia abduxerat; eque campis contractum per præſidia diſtribuerat. Eodem autem temporé de Veiſſenſteinio quoque Erneſtum Veierum, & Michaëlem Konarſcium ad eum Samoſcius miſit; qui Veiſſenſteinium à Moſco Regi ceſſum oſtenderent, ac an poſſeſſionem eius impediturus eſſet, quęreret. Reſpondit ijs Regem ſuum ipſum legatos ad Poloniæ Regẽ de cõtrouerſijs hiſce miſſurum. Atque hic quidẽ exitus belli fuit, minori animo à Moſco geſti, q̃ quo vel in prioribus quibuſdam vſus fuerat, vel id ipſum ſuſceperat; priſtinaque eius potẽtiæ fama requirebat. Præterquàm enim ꝙ in ſiluis fluminibuſq; ſuperãdis exercitum impeditũ, cùm facillimè id facere poſſet, priusquàm in aperta Moſcouiæ

scouiæ ac viscera regni eius penetraret, transitu prohibere ne conatus quidem omninò sit;nullam etiam iustis viribus pugnādi potestatem vnquam ab eo factam non paucis mirum visum est. Id ea né de causa fecerit,quòd legatorum missionibus suis rei gerendæ tempus eximere se posse, ac inanibus interim sumptibus vires Regis minutum iri sibi persuasisset; an quòd superiorū temporum fortuna edoctus, parum in acie suis se committere posse statueret: seu etiam quod solet facere Deus, vt quos pro scelere eorum punire velit,ijs consilium priùs, ac animum eripiat,ipsum quoque perpetuus crudelitatis comes & vindex metus nihil in rebus suis ratione prouidere, aut fortiter suscipere siuerit nō affirmarim. Hoc satis cōstat, & ab initio, facillimo momento inter siluarum paludumq; ac fluminum eas difficultates,Regis,exercitusque impetum vehementer reprimi potuisse:ac si in summum discrimē rem adduxisset, haud ferè maiorem cladem accipi ab eo potuisse, quàm dum de summa rerū solicitus, certamenque omne defugiens diuersis in locis singulos suos à multitudine exercitus circumuentos nostris objicit, accepta ab eo est. Omni enim Moscouia à Borysthene supra Starodubam ac Radohostiam ad Cernihouam vsque:à Duna deinde flumine,quà Stariciam vsque,quà supra Nouogardiam ad Lahodam vsque lacum longè, lateque vastata, tot præsidijs expugnatis, multis in deditionem acceptis,trecenta circiter millia hominum interijsse: ad quadraginta capta constat; vt aliquot vicibus instaurari bellum tanto hominum numero potuisse videatur.puerorum quidem quanta multitudo capta sit, ex eo conijci pōtest,quòd priuatus ex nobilitate nullus fere sit,qui non vnum atque alterum: multi qui plures in seruitute habeant. quod quidem incommodum specie, quàm superius, minus re ipsa maius est.Iuuentute enim è quibusdam prouincijs maximè autem Lucensi, Sauolociensi, Plescouiensi, ac Nouogardiensi omni ferè sublata,quæ nunc ab adultioribus coluntur, mox sobole omni deficiente vltrò desertum ferè iri apparet.Opida ac castella, quæ ipse in potestate habebat, vltima hac pactione ad octodecim dimisit; Derpatum nimirum,Felinum,Laijsium,Mariemburgum, Kokenhausium, Parnauiam, Volmariam,Rumburgum, Hasselum, Nouogrodekum, Marienhausium, Ludsenium, Rossittenum; Trikatum, Bersonum,Landescum,Sesuegium. Veissensteinij autem cùm id à Sueco teneretur, ius atque repetitionem:quæ verò bello antè capta à Rege tenebantur,numero non pauciora,Polotiam, ac in eodem Ducatu Sussam, Sokolam, Krasnam, Vsuiatam, Sitnam, Ieseriściam, Kosianum, Nescerdam: supra Vitepsciā,antiquioris possessionis Mosciciæ Velisium, cuius ad centum viginti millia passuum ager patet:in Liuonia Vendam, Lenouartum,Duneburgum, Pirkelium, Saliū, Kirempesium, Elsenum,Fabianū;cùm ipse ex ijs,quæ à Rege armis parta possidebantur,Lukos,Sauolociam,Ostrouam,Neuelam, Chelmam, tum ab ipsomet deleta castella, Krasnam, Krasnohorodum,Voronecium, Veliā sola reciperet.Quibus tamen in omnibus detrimentis nullum fortassis maius cēseri debeat,quàm quod portubus cunctis Balthici maris amissis,à Borysthenis autem nauigatione iam antè Turcarum armis exclusus,à mari ferè omni præterquàm glaciali importuosissimo ac periculosissimo,atque aliarum ferè nationum occidentalium,ac meridionalium commercijs in penitiorē Moscouiam tamquam relegatus, compedesque quò minus liberè vagari possit, iniectæ ei videantur.

REINOLDI HEIDENSTEINII SECR. REGII, DE BELLO MOSCOVITICO COMMENTARIORVM

LIBER SEXTVS.



PACATO EVM AD modū, quem superiore libro demōstrauimus,Mosco,nihil prius Rex habuit, q̄ vt prouinciæ constitueñ dę causa,ipse in Liuoniam Rigam vsq; procederet.Quā cùm XII. Mensis Martij die ingressus fuisset,postridie Samoscius ad eū venit.Iā antè aūt alij etiam senatores Polonici aliquot, ac Lituani ci sa-

ci satis frequentes comitati eò Regem fuerant. Ad eos Ducem Churlandiæ ac ex nobilitate Liuonica quàm frequentissimos literis Rex euocat; quæque ad prouinciæ eius statum pertinere videbantur, cum omnibus ijs communicatis, vt scripto sententiam suam explicarent, hortatus eos fuit. Erant, de quibus deliberabatur, capita hæc potissima: de templis cultuque diuino instaurando: de Episcopo restituendo: prouincia ordinis iudiciorumque causa in partes certas diuidenda: magistratibus ac ærario publico constituendo. de quibus cùm quid quisque sentiret, ostendisset, Rex etsi non ignoraret, à maioribus suis etiam sine ordinum authoritate prouincias ab ijs partas priuato consilio constitutas: quò tamen gratius beneficium suum esset, si cùm omnes operam studiumque suum ad eam prouinciam recuperandam contulissent, ex omnium consilio certa eius formula describeretur, in comitia totam rem distulit: legatos tãtùm partim ex comitatu suo, partim ex nobilitate Liuonica designauit; qui prouinciam vniuersam inspicerent: agros reditusque eorum omnes, ac iura describerent, omnibusq; ijs de rebus ad se referrēt; quò rectius deinceps in comitijs statui de ijs posset. Possessionum autem omnium quatuor genera facienda iudicabat. quorum primum esset, quod ad publicam securitatem pertineret, finitimarum arcium; quæque ad illas, vt ex proprijs prouentibus muniri, omnibus necessarijs ad defensionem rebus ornari, retinerique possent, adijciendæ essent: earum alterum, quibus tum Episcopatus cultusque diuinus, tum ærarium publicum stabiliretur: tertium earum esse debere statuebat, quæ priuatis certo iure deberentur, aut cum ijsdem, si hæreditariæ possessiones eorum reipub. causa restitui ijs non possent, permutarentur: Extremum quibus bene meriti & quorum præ cæteris in hoc bello opera eminuisset, virtutis causa donarentur. Inde militibus magistratus præfecturæque quæ vacabant collatæ. quibusdam stipendia assignata fuerunt. In toto autem hoc bello id à Rege obseruatum fuerat, vt si qui in eo perijssent, qui publicas possessiones iure aliquo tenerent, easdem liberis eorum quamuis infantibus, partim etiam puellis confirmaret. multis etiam ex plebe cùm superioribus expeditionibus, tum maximè hac ob præclara facinora aliqua nobilitatis ius datum fuit: qui cùm plerique à Samoscio in insigniorũ communionem recipi se peterent, viris fortibus non inuitus tribuit, vt cùm ipsi antè virtute sua nobilitate dignos se fecissent, à se gentis suæ insignibus non indigni iudicarentur: ijsque aliqua re auctis, vel minutis, aut aliquantùm immutatis, qui id à se petijssent, plerosque donauit. Quibus ita constitutis cum Rigensibus de ijs rebus, quas in aduentum Regis reiectas supra ostendimus, actum fuit. Occupârat ciuitas à morte Archiepiscopi Vilhelmi, cùm sedis ac templi Archiepiscopalis possessionem, tum omnia quæ ad id pertinerent, iura ac prouentus: adque Augustanæ confessionis formulam omnia templa reuocârat. De hoc capite ita conuenit, vt D. Iacobi, & quæ proxima ad illam est, D. Mariæ Magdalenæ ædes ad catholicæ religionis vsus cum omnibus, quæ antiquitus ad eas aliquo iure spectassent, prouentibus redirent: penes ciuitatem curia, quæ Archiepiscopi fuisset, prope muros vrbis sita vnà cum domibus canonicorum, ac areis desertis; quæ ante id collatæ non essent, permanerent: cùm verò census aliqui annui percipi olim publicè ijs ex locis soliti fuissent, vt eorum nomine certam pecuniam annuam D. Iacobi ædi eiusdemq; sacerdotibus ciuitas penderet. De vallo, quod contra arcem ciuitas obiecerat, assensum à Rege fuit, vt eo quo nunc esset loco maneret: cumque se quoque ab omnibus partibus arcem vallo circumdaturum ostendisset, id solùm adiectum fuit, vt ad eius modũ, quo arcem muniturus esset, vrbis quoque vallum æquaretur: ab eademque arcis parte in muro vrbis porta aperiretur. Inter Churlandię etiam Ducem, ac ciuitatem de nauigatione, ac portorio controuersia erat; cùm ille per fluuium, qui ex ditione eius infra Rigam in Dunam illabitur vsum portus Rigensis, merciumque exportandarũ ius ac immunitatem sibi defenderet: ciuitas negaret. Eos vt inter se componerent, hortatus Rex fuit; quod, si conuenire non posset, in comitijs cogniturum de ea se ostendit. Venerat Rigam & Magnus Dux. Hic eius quam possidebat, Liuonię partis confirmationē petebat: adq; homagium accipiendũ, ac iuramentum præstandum se offerebat. Ostensũ huic, more maiorũ non nisi in comitijs id fieri posse. Vltimo loco nobili-

bilitas desideria sua ad Regem detulit. Quæ cùm ad vniuersæ prouinciæ statum pertinerent, responsum & huic fuit, humanitatē ipsam postulare, vt cùm ordines regni tantum laboris, atq; sumtus in prouincia ea liberanda suscepissent, ne sine eorum authoritate ijs de rebus statueretur. Angebatur potissimùm animo Rex, ne cū Moscus, qui in finibus Liuoniæ ex præsidijs Liuonicis, quæ deduxerat, non contemnendas copias coactas habebat, Naruam ijs oppugnaturus diceretur; si minùs forte paratus tum Suecus esset, minusque ad resistendum virium haberet, vtriq; eam perderet. Itaque mox Petrum Visgerdum Lituanum cum literis ad Moscum mittit; ostendit, accepisse se ex legatis suis, quos Sapoliæ habuerit, pacem inter eos, atque ipsius legatos certis conditionibus conuenisse: eam se ratam habere: cùm autem arces Liuonicas, quæ à Sueco tenerentur in conditionibus præteritas intelligeret, si à Mosco oppugnarentur, ius suum ac reipublicæ, quod semper excepisset, negligere se non posse: id se pro sua fide ac religione dissimulare non debuisse: hortari ne fortè ea res pacem turbet, vt dum maiores legati, qui pacem vtrinque firmaturi sint, ac si quid dubitationis in conditionibus adhuc sit, de eo cum illo conuenturi, ad eum perueniant, omnem vim ab illis abstineat. Constituerat ijsdem de rebus Regina ad sororem Sueciæ Reginam, per Christophorum Varsauicium literas dare. Cùm tardaret, Rex qui in ea, cùm voluntatis Mosci, tum aliarum rerum incertitudine nullam moram interponi volebat, non dubitandum sibi existimabat, quin Dominicum Alamannium Culinæ præfectum, quàm primùm ad Suecum mitteret: præ cæteris idoneum ad legationem hanc ratus, quòd ab eo iam tempore, quo primùm de matrimonio inter Regem Sueciæ Ducem tum Finlandiæ & Reginam Catharinam per Ioannem Baptistā Thencinium potissimùm actum fuerat, Alamannius, qui in familia Thecinij tum fuisset, omnium rerum conscius & sequester fuisset: indeq; tam Regi quàm Reginæ notus esset: Reginæ etiā, apud quam potissimum negotia hæc propter summam cum regno Poloniæ necessitudinem, & quòd non parum apud maritum posse existimabatur, agenda videbantur, non ingratus putaretur. Summa legationis erat, vt repetitis ijs, quæ ab initio belli vtrinque intercessissent, tertij anni bellum nullam aliam ferè ob rem, quàm solam Naruam ac vt communi pace Suecus comprehenderetur, à Rege susceptū ostenderet: reliquam enim Liuoniam ferè omnem legatione Vilnam ad Regem missa iam antè Moscum cessisse: eò magis contra opinionem Regis accidisse, quod dum ad Plescouiam cum exercitu Rex esset: quò iturum se pro mutua necessitudine amicè antè ei aperuisset: hostemque ab omni auxilij suis in Liuonia ferendi facultate exclusisset, cùm ab alijs potiùs partibus in Moscouiā illum irrupturum expectasset, non modò Naruam, ac vicina castella, præsidiario milite, quem Plescouiam, ex præsidijs omnibus hostis contraxerat, nudata, commeatuque ac omni spe auxilij destituta: sed Veissensteinium quoque, quod iam hostis cessione Regis esse sciuisset, dissimulatis literis regijs, ac ijs ferè copijs, quas Gedani magna ex parte ministri eius conquisiuerant, occupasset: Parnauiam obsedisset: potuisse Regem, si id tentaturum eum præsciuisset, & sumtu & labore eius anni belli supersedere: iam verò & cursum rerum præclarè contra Moscum geri cœptarum, & obsidionem Plescouiensem, cuius cùm grauiorem partem iam superasset, facilè reliquam etiam superaturus fuisset, interrumpere, ac sine ipso etiam pacem facere necesse habuisse: ne dum pro eius commodis laboraret, maius in Liuonia incommodum, de qua sola bellum tum erat ab eo acciperet. prò quibus iniurijs omnibus vt Regi reique publicæ satisfaceret, postulare iussus fuit. Secretò mandatum ei fuit, vt cùm hæreditatis Sigismundi Augusti: pecuniarum ei creditarum: dotis ab eodem promissæ, nec dum numeratæ, aliarumque rerum quarundam petitionem Suecus relaturus existimaretur, ostenderet quidem, aliam earum rerum petendarum rationem esse, certumque de ijs ius, ac morem iudiciorum antiquissima regni consuetudine receptū: aliam iniuriarum, quibus ab illo Rex affectus esset: quæque cum ijs rebus nihil commune haberēt: si tamen ita animatum videret, vt de Reualia quoque ac omni iure Liuonico simul decidere paratus esset; dotis & mutui, quod peteret, solutionem sine vlla exceptione ei promitteret: reliquarum controuersiarum disceptationem

Ioannes Baptista Tencinius

nem communibus arbitris Regem per missurum: vt communi etiam pace cõprehenderetur, apud Moscum elaboraturum ostenderet. quòd si ne ijs quidem conditionibus permoueri se pateretur; vel pacem cum Moscò certam opera Regis ei fore, vel mille equites in bellum Moscouiticum, sumptu suo regem ei præstiturum reciperet: ex eorum nimirum genere, qui beneficijs Sigismundi Augusti ornati, haud inuiti in militiam eam conuenturi essent, idque pro libertate gentis Polonicæ salua pace publica suo arbitratu facere possent: stipendio autem ac sumptu Regis tandiu futuri apud eum essent, quò ad eadem pace, quam cum Rege haberet, ipsum quoq; Moscus comprehenderet. quòd si eo tempore de Liuonia, quam teneret, vniuersa transigere Suecus alienum existimaret; docere iussus fuit, nõ recusaturum Regem, quo minùs communium amicorum interuentu quicquid inter eos esset cõtrouersiæ, componi pateretur: si quid etiã debere illi videretur, præstaret; modò de Narua interim in omnes casus vtriq; satis prospiceretur: ne dum ipsi inter se de ea disceptarent à Mosco occuparetur. Id ea ratione commodissimè fieri posse, si Regis præsidium in eam immitteret. Cùm enim Moscus propter pacem, quæ cum Rege ei esset, si præsidium regium Narua receptum fuisset, oppugnare eam non posset, nõ modò Naruæ, sed aliorum etiam præsidiorum suorum Liuonicorum, quibus Narua obiecta esset, securitati sine incommodo ac molestia sua eum consulturum: simulque omnibus copijs suis coniunctis, ad defendendam Finlandiam longè futurum paratiorem; si nec arces controuersæ contra vim hostilem defendendæ ei essent, nec copiæ in diuersa præsidia distrahendæ. Interim de arbitris inter se conuenturos: & vel minutum controuersias omnes eorum interuentu iri; vel si tolli eæ non possent, Regem Naruam illi redditurum, aliasque iuris sui persequendi rationes initurum. ne verò fraudi ei esset, quòd propter commune periculum, Naruam sibi tradidisset, idoneè in eum casum ei cauturum. Profectò iam Alamãnio, Varsauicius cum literis à Regina Rigam venit. Dedit & huic Rex eadem ferè quæ Alamannio data fuerant, ad Sueciæ Regem mandata. Iussit autem, vt si priorem legatum aliquid constituisse intellexisset, non exposita legatione se reciperet: si infecta re dimissum comperisset; ostenderet, quòd maiores legati eo ipso tempore in Moscouiam à Rege mitterentur: comitia etiam breui indicturus Rex esset; summam illum, & vt pace à Mosco comprehẽderetur, & de alijs rebus suis cum ordinibus agendi facultatem habiturum: hanc causam fuisse Regi, vt etsi iam antè ijsdem de rebus legatum ad eum misisset: tamen & Reginæ coniugis suæ precibus, & mutua necessitudine adductus, denuò se ad illum mitteret: hancque explicandarum omnium harum controuersiarum opportunitatem ei significaret. In conditionibus nihil, quemadmodum ostensum est, mutatũ fuit. Antequàm Riga Rex discederet, maiores legatos, de quibus dictum est, in Moscouiã designauit, Ioannem Sbarasium Palatinum Braslauiensem, Nicolaum Taluossium Castellanum Samogitiæ, Michaëlem Haraburdam. Mandata hæc ijs data fuerunt, vt iuramento in pacẽ à Mosco exacto, de Sueciæ præterea Rẽge eadem pace comprehendendo agerent. De Narua autem, ac alijs castellis Liuonicis, quæ à Sueco tenerentur, si tentaturus ea Moscus esset, quemadmodum per literas Rex iam ostendisset, non defuturum ijs Regem, vel etiam pacem, si id fieret, ratam habiturum testificarentur. De captiuis quia antè Moscus postulârat, vt vtrinque pariter captiui redderentur, non parem vtriusque captiuorum rationem esse ostenderẽt; cùm in Regis potestate præcipui ipsius ductores essent; ille ex Regijs insigniorem nullum: ex nobilitate paucos: reliquos ex promiscua plebe haberet. Itaque vt vel Sauolociã ac Neuelam, aut alterutram saltem earũ Regi pro illis permitteret, postularẽt: cùm antè integrioribus adhuc reb⁹ suis pro paucioribus captiuis Vsuiatam ac Iesetisciam obtulisset, quarum hæc nondũ tum in potestatem Regis venisset; vel cùm ipse antè Sigismũdi Augusti tẽporibus certa pretia in singula capita exigere solitus fuisset, eodẽ exemplo suos nũc redimeret. Reuenit sub idem tempus Rigam à Mosco ad Regẽ Possevinus, multis incommodis & ærumnis peregrinatione ea perfunctus. Laborârat hic potissimùm apud Moscum de dissensione, qua à Romana Ecclesia, sicut cęteri orientales plerique ita Moscus quoq; dissidet tollenda: adq; ecclesiæ cõmunionem eodẽ reducendo: tũ

pro

pro suo in rempub. Christianam studio fœderis contra Tartarum cum Rege sanciendi vltrò mentionem intulerat; quidque animi Moscus de coniungendo contra barbaros bello haberet, explorârat. De extremo hoc ostenderat Moscus, pacem iam cum Tartaro se fecisse. Venêre vnà cum Posseuino legati, ad Summum Pontificem ac Rudolphum Rom. Imper. à Mosco missi: alter item quem Cõstantinopolim cũ muneribus, quib⁹ cædem filij expiaret, ad patriarcham Constantinopolitanũ ablegârat. Vtrisque literæ commeatus publici datæ fuerunt. Remisit ijsdem etiam ferè temporibus ad Regem Matthiam Preuostium; qui cum literis, quibus ipsius Rex respondebat, de quibus suprà dictum est, Sauolocia ad eum missus fuerat: & mercatores, quos per tempus belli retinuerat. Ad literas paucis respondit; intelligere se, eas in medio ardore belli ad se datas, asperiùs aliquantò scriptas esse: iam cùm pax atque amicitia vtrinque restituta sint, ad eas, quas bellum tum nonnihil exasperârit, pacis tempore respondere necesse sibi non arbitrari; quòd eum etiam, qui literas attulisset, tandiu retinuerit, cùm propter bellum armis viæ omnes obsessæ fuerint, fieri aliter à se non potuisse. Dimissis legatis, quos ad describendã prouinciam designatos suprà ostendimus, Vilnam Rex profectus fuit. Ibi legationem Tartaricam audijt, quæ à Mahomete Chiereio Tauricano rum Tartarorum principe haud multò antè venerat. Petebat donatiua: de Kosakkorum iniurijs & vexationibus querebatur; quæ quidem etsi extiterãt non infrequentes: augebantur tamen ex industria à Tartaro; quò domestici metus, ac vicini periculi simulatione longinquam Persicam militiam effugeret, in quam à Turcarum principe sub idem tempus euocabatur. Responsum à Rege fuit, donatiua more maiorum datum iri; ijsdemque quibus antea fuisset, legibus, pacem cum illo futuram. De Kosakkis idem etiam, quod antè aliquoties ostensum; manum hominum ex diuersarum gentium colluuie coactam, vagam, ac nullis certis sedibus consistentem, nullius etiam in potestate esse: vt tamen quantùm fieri eius posset, ab iniurijs & infestatione prohiberentur, sedulò ac cum fide operã datum iri. Insolentiùs id à barbaris acceptũ fuit, responsoque audito, princeps legationis in ipso quasi discessu publicè testificatus est, vt omnia fierẽt, nisi tamẽ Kosakki in officio continerẽtur, pacem se non seruaturos. Iam antè minoris Poloniæ, ac Russiæ nobilitas, legatis missis, de tributo in suis conuentibus à se decreto certiorem Regem fecerat. Hoc verò tempore priùsquam Vilna Rex discederet à maioris quoq; Poloniæ, Masouiticæ item, ac Podlassicæ nobilitatis legatis aditus, de simili tributo in illis quoque conuentibus sancito cognoscit. Gratiæ vtrisq; actæ, deque animo in rempublicam Regis optimè sperare iussi fuerunt; cuius constituendæ ac Liuoniæ simul, quam cõmuni omnium cõsilio, ac ope partam, communi etiam ordinum iudicio Rex reseruasset, ordinandæ causa intra eum ipsum annum comitia Regem habiturum in responso vltimis hisce dato adiectum fuit. Quibus de causis, quibusq; cum mãdatis tum ad Moscum Visgerdus Lituanus, tum ad Sueciæ Regem Alamannius à Rege missus fuerit, suprà ostendimus. Moscus literis Regis, quibus, vt à Narua cæterisque Liuonicis præsidijs abstineret, hortatus eũ Rex fuerat, statim assensus fuit. Apud Suecum ingrata legatio fuit: nec multum in Regina etiam ad mitigandum animum eius præsidij fuit; cùm præterquàm quòd iracundia eius omnes ad placandum eum aditus omnibus obsepserat, de iniurijs, quibus ob non pręstitam dotem hæreditatemque fraternam, ac non comprehensum pace maritum affectã se existimabat, vltrò quereretur. Itaq; cùm ea Alamannius indè renunciaret, ex quibus istas quoq; res vltra superiores iniurias magis exasperatas appareret, Rex, qui Vilna Grodnã iam venerat, senatoribus plerisque eò euocatis, ex illorum sententia comitia eò maturiùs indicenda statuit; in quibus de Sueci etiam iniurijs ad ordines referret. Interim in Liuoniam ad magistratus & præfectos, quo loco res essent perscriptum; vtque viderent, ne per negligentiam detrimenti quid acciperetur, moniti fuerunt; cum Lituanis actum, vt si quis præter opinionem in vicina Liuonia mot⁹ accidisset, suppetias ferrent: cum Duce item Prussiæ; vt finitimo & ipso Liuoniæ principe per Reinoldum Heidẽsteinium eadem communicata fuerunt. cumque maiores legati ad Moscum missi, quibus mãdata de pace Sueciæ Regi apud Moscum conficienda, data suprà ostendimus, in itinere iam essent; ne vllam eius rei mentionem facerent, & ipsum rem suam agere permitterent, per celerem

rem tabellarium significatum ijs fuit. Grodna sub mēsem Augustum Varsauiam Rex processit. eò Varsauicius quoque è Suecia eodem, quo Alamannius, legationis exitū ad eum venit. Ibidem verò dum comitiorum diem expectat, Iancola Valachiæ palatinus in potestatem eius venit. Hic, quemadmodū suprà demonstratum est, è Saxonibus Transiluanicis, loco humili & obscuro ortus, Valachiæ principum genus ementitus fuerat; Achmetis autem Bassæ opera prouinciæ eius principatum nactus, cùm ab initio statim, quo animo erga Regem futurus esset, ostenderat; prętérque decessorum suorum morem nullos vnquam legatos ad Regem miserat; tum postea varijs iniurijs Regem, hominesque eius affecerat: literas regias ad Turcarum Imperatorem aliquoties interceperat: resignârat: resignatas remiserat: Regem senatumque regni omnibus modis in odium ac inuidiam adducere conatus fuerat: in finitimas aliquot villas nobiliū latrocinijs, ferro, ac incendijs grassatus fuerat: homines regios, qui rerum suarum repetendarum, iurisque obtinendi causa ad illum venissent, pulsatos in carcerem coniecerat. quibus iniurijs cùm Rex permotus, quemadmodum antè ostendimus, Turcarum Imperatorem de ijs appellasset; vtque illum à Valachia, à finibus molestiam hanc amoueret, ex dignitate alioquin sua consiliū capturus, postulasset, res dilata fuerat. Hoc tempore in aulam Turcicam successore ei summisso euocatus, compilata prouincia, omnibusq; rebus con uasatis, ac manu aliqua hominum facta in Cęsareę ditionis Vngariam transfugere constituerat. quà rectà transeun dum illi erat, à Trāsiluanis obsessas vias existimabat. itáque cùm ambitu capto per Pokutiam Polonicæ ditionis prouinciam perrumpere conaretur, atque ab ea parte Nicolaus Iaslouecius præfectus Sniatinensis, alijq; nonnulli ex ditionibus regijs fama fugę eius exciti eum persequeretur, ab ijs captus Leopolimque perductus fuit. Scripsit mox Rex ad Nicolaum Seniauium, qui finitimæ militiæ in Russia præerat, ac Nicolaum Herbortum prefectum Leopoliensem, vt iure gentium supplicium de eo sumerent: bona publicauit: misitq; quęstorem Palatij Hiacynthum Mlodieuium, qui in publicum ea redigeret; vxori & liberis alimenta annua constituit. Appetijt interim tempus comitiorum. Ea in ante tertium Mensis Octobris Rex indixerat. Nam cùm in aduentum tantùm maiorum legatorum, quemadmodum Rex postulârat, oppugnandæ Naruę impetum suum repressurum se Moscus promisisset, ne si maiores legati idem tenere non potuissent, ad consilium pro tempore capiendum imparatior esset, non committendum sibi arbitrabatur, quin primo quoque tempore ad ordines de eo referret. Preterea verò prouincia Liuonia magistratibus, ac legibus fundanda, pręsidijs, com meatu, instrumento omni bellico, alijsque contra repentinos casus ad defensionem necessarijs rebus prouidenda erat: munitiones collapsæ instauran dæ: nouæ instituendæ; quæ & in regione partim continuo tot annorum bello vastata, partim ab hoste ita tradita, vt quæ armis ab inuitis exprimuntur, tradi solent, omnia deerant: & Rex ex omnium ordinum sententia quemadmodum suprà ostendimus, constituenda sibi existimabat. Adhæc nonnihil Tartari etiam, de qua suprà dictum est, bellum denuntiantis oratio eum commouerat. Ad quam cùm crebri etiam rumores ex Russia de tumultu allati ac cessissent, ita vt in procinctu iam Tartariesse nuntiarentur, iam antè quidē viginti duas turmas equitum, qui ad Plescouiam stipendia fecerant, ad Seniauiū præfectum militiæ Russicę præmittere Samoscium iusserat. Vt verò in presentia arma ab illis non sumerentur: quia tamen facili momento impelli eos videret, vt in ditiones suas transirent, dignitatis nihilominùs suæ esse statuebat, vt pro fama rerū à se gestarū ea consilia susciperet, quib⁹ illos suis quoque reb. timere faceret; remq; publicam nō modò ab incursionibus eorum, sed metu omni vastationum in perpetuum liberaret; rationesque quibus id salua pace Turcica fieri posset, proponere, de ijsq; cum ordinibus agere in animo habebat. Stipendia prætérea militi soluenda erant. Etsi enim in cōuentibus particularibus tributum hanc in rem decretū fuerat: longè minùs tamen ex illo redigebatur, quàm in ea ipsa, ac alia debita nonnulla sufficeret; resq; per se opinione minor, exactorum prætérea quorundam seu negligentia, seu culpa, quòd vel minùs quàm deberent, vel tardiùs ea inferrent, minui dicebatur. de quib⁹ & ipsis vt cognosceretur, necessariò ad ordines referendū existimabat. De certa inter regnorum ac electionum ratio ne stabilieda, etsi quid publico nomine superioribus comitijs à se postulatum

fuisset,& ipse recepisset,memoria teneret: hoc tamen tempore, quo superiorum interregnorum vulneribus nondum planè cicatrix obducta esset, ad eas res accedere,quæ sine eorum vulnerum attrectatu agitari non possent, intempestiuum ei videbatur. Etsi autem idem maioribus quoq; senatoribus plerisque, cùm pro more per literas prius sententias eos rogasset, videretur:quòd tamen prioribus comitijs enixè id à se nuntijs nobilitatis petentibus, relatu rū se de eo recepisset,non posse se iam à priori promissione sua recedere existimabat.eademq; cùm de concordia etiam inter sacrum & profanum ordinē tentanda sententia ipsius fuisset, vt ab eius temporis ratione alienam tractationem eam existimaret; ijsdem quas ostendimus, de causis, id tamen caput etiam ferendum ad ordines suscepit. Addidit his, si quid iudiciorum rationi deesse videretur, aut quam illa emendationem desiderarent, operam suam hac quoque in re reipublicæ non defuturam quæ quia magis, vt ordinū studijs, ac suæ in eos voluntati satisfaceret,adiecerat, summam deliberationum omnium, ad ea quæ priori loco recensuimus, capita referebat. Hæc postquam primò ad senatores, inde ad conuentus nobilitatis, qui in singulis Palatinatibus ante comitia ex more haberi solent, delata fuerant; non eodem ab omnibus animo accepta fuerunt; ijdemq; ferè animorum motus, ac hominum sermones renati, quos in superioribus comitijs nonnullis extitisse ostendimus. Alij quòd suffragio suo in electione Regem subleuassent, cùm regnum ipsum eum sibi debere existimarent, minùs vel se expectatione sua,vel quæ ipsi concupissent, alios consecutos dolebant. Non pauci ad hos diuersarum partium supererant, qui in superiorum interregnorum cōtentione victos se meminissent. Quidam qui in concionibus, ac conuentibus nobilitatis plurimùm hactenus potuerant:nomen gratiamque in vulgus ac opes inde parauerant, omnia præmia in milites conferri mussitabant:ijs artibus, quibus ipsi plurimùm pollebant, nullum ampliùs locum relinqui molestè ferebant. Vniuersæ verò nobilitatis animi, vt qua quisque re maximè permouebatur, ita variè afficiebantur. Alij non id agi iactabant, vt de modo aliquo electionis tractaretur, sed vt successor priuato consilio imponeretur; interim cum regio imperio alienæ potentię vicarius ac adiutor cōstitueretur, Samoscium notantes: huc deuinctos beneficijs milites spectare: retentos in pace ex ijsdem non paucos à Samoscio, vt oppressa per metum nobilitate per vim ac arma regnum occuparetur. Diuersum de religione sentientibus libertatis eius imminutio, circumscriptionisque metus obijci. Iudiciorum emendatione non correctionem aliquam à Rege quæri, à nonnullis disputabatur; sed quò cùm in vniuersum ea sustulisset, ad se denuò ea transferret: omniaque secus omninò accipiebantur; ita vt alia eiusdem rogationis capita, quæ regijs opponerentur, detorto ad metum inijciendū sensu in vulgus à quibusdam ederentur:erumpente nonnihil inter hæc inuidia etiam in Samoscium. Publicè quidem plerique honores Vngaris collatos exagitabant; Lādskoronam ferè designantes, quam vidua Gasparis Bekessij marito, qui in castris ad Polotiam ob virtutem iure nobilitatis Polonicæ donatus fuerat, ac fratre eius Gabriele, qui in irruptione Plescouiensi perierat, amissis, vnà cum orbis liberis tenebat; & sub id tempus Francisco Vesselinio nupserat. Interim non deerant, qui Regi, si de successore agi vellet, operam suam vltrò deferrent; cumque Rex, etsi ita de Republica se meritum sciret, vt non minùs, quàm aliorum Regum, suæ quoque familiæ ratio haberi deberet: ab hoc tamen tempore id tentare alienum, studiaq; ordinum vltrò potiùs expectanda sibi existimaret;spretos se rati,ac aliorum opera cōfici id posse Regem sperare,eò magis incendebantur. Nobilitas etsi quid maximis Regis in se ac Rēpublicam beneficijs deberet, agnoscebat:libertatis tamen aliarumq; charissimarum quarumcunque rerum metu iniecto hæsitare; cunctantiusque agere:omnia denique suspecta habere. His igitur animis cùm in comitia ventum esset, Samoscius pro munere Cancellarij verba nomine Regis faciens orsus à voto,quod cùm ex superioribꝰcomitijs discederetur, ipsi fecissent, quoque vt saluus atque incolumis ab expeditione ea Rex ad se rediret, ac ipsi lætis animis in mutuos amplexus ruerent, optarāt; quod à Deo contenderant, ita cumulatè ijs præstitum ostendit, vt non modò incolumem saluo exercitu, sed re etiā bene gesta, immortaliq; gloria parta, reuersum ex hostico Regem viderent: quòd in ipsorū potestate totū fuisset, vt mutuis

mutuis gratulationibus, ac fraterna beneuolentia se exciperent, certorum hominum maleuolentia impeditum ait. quorum opera id factum sit, non arbitrari nunc sibi inquirẽdum: videre autem iam Petilios in Republica quosdam existere: optandum ne mox Catilinæ etiam aliqui existerent. quæ præfatus, domesticarum rerum nihil aliud hisce comitijs proponendum sibi Regem statuisse docet, quàm quæ ipsi non modò viuente adhuc Sigismundo Augusto, ac superioribus comitijs Andreiouiensibus, vt ferrentur, sanxissent: sed postea etiam cùm sæpe aliàs, tum in proximis comitijs efflagitassent: Itáque illorum precibus Regem adductum de modo liberæ ac ordinatæ electionis referre. Cùm de ratione certa eligẽdorum Regum statuere eos debere diceret, non id dicere, vt de relinquendo iure electionis, ac patrimonio hoc libertatis, quo nihil à maioribus eorum relinqui ijs potuerit præstantius, cogitarent: sed quomodo eam, quàm maximè integram conseruarent, & in perpetuum munirent; quę cogitatio num necessariò ab illis suscipi debeat, non aliorum exemplis confirmandum sibi existimare: eos ipsos, si superiorum interregnorum actiones, ac grauissimum discrimen, in quòd respublica adducta tum fuerit, secum perpendant, æstimaturos: nullam hîc Regis rem agi, sed propriam ipsorum: optare tamen se, ne huic suo tempori desint, superiorumque annorum benignitate diuina, qua mirabiliter Rempublicam conseruatam intelligant, ad futurorum poti⁹ consiliorum spem se erigant, quàm ad securitatem ac negligentiam abutantur. Quòd si artibus quorundã in suspicionem mentes eorum adductę, quemadmodum ægri salutares cibos, ita ipsæ sana consilia concoquere non possint; totum in ipsorum potestate futurum; seu statuere quid hac de re velint, seu omninò eam relinquere. Eandem de altero capite, concordia inter ordines faciẽda, quod secundo loco proponendum Rex iudicasset, sententiam eius esse. Optimè ipsos meminisse, quo studio & in Andreiouiensi conuentu, vt deinceps de eo referretur, egissent, & quantopere postea idem à Rege contendissent. In communi omnium ferè regnorum, ac horum temporum fato nos pręcipua tamẽ fortuna vsos, vt concordiam ciuilem egregiè hucusque tutati simus: hãc hisce rebus ferè retineri, vt ab iniurijs & contumelia vtrinque abstineatur: iure ac causa cognita non vi aut extra ordinẽ quid statuatur: maximè verò, vt quod cuiusque est, omnibus tribuatur: Id autem tam ab bona, quàm ab honores etiam ac prærogatiuas pertinere: hac vna re iustitiam perfici: Iustitiam fundamentum esse Reipublicę & qua illa contineatur cõcordiæ. Nemini dubium esse, quin duobus hisce ordinib⁹ ecclesiastico & ciuili respublica hæc potissimùm subsistat. Proinde ipsi, quorum res ageretur, viderent, suscipiendamné an relinquendam huius rei deliberationem existimarent. Iudicijs num quid deesset, omnium optimè ipsos, qui in ijs versarentur, iudicare posse: non posse sanè dissimulari, ita breui tẽpore calumnias in ijs creuisse, vt nõ pauci grauioribus studijs relictis, totos se causidicis ac captionibus excogitandis, quibus alios irretirent, dare dicantur. Regem operam suam, si qua in re emendatione opus habeant, ijs detulisse: qua, si placeret, vterentur: inuitis Regem eam non obtrusurum. Ingressus deinde in orationem de Liuonia, statuque omni eius demonstrato, quidque cum Mosco hactenus de locis, quæ à Sueco tenerentur, actum esset, cõ memoratisque Sueci iniurijs eò potissimum incumbit, vt quo nullum in ea vicinum inueterascere patiantur, ijs persuadeat: omnem societatem imperij infidam: in prouincia nuper parta, dum animi hominum adhuc dubij, nondum legibus ac institutis coaluerint, periculi plenam: neminẽ prudentem in nouam prouinciam eiusdem præsertim cum indigenis linguæ ac nationis vicinum admisisse; aut qui admiserit, non eum statim pœnituisse. Inde de Tartari minis Kosakkorumque, qui subinde bellum Reipublicę conflarent, iniurijs refert. Fuisse superioribus comitijs rogationem latam, qua extraordinaria Iurisdictio ad certum tantùm tẽpus permissa Regi fuerit: aut illos in officio continendos, aut de bello cũ Tartaris suscipiendo cogitandum. Extremum de stipendijs militum fuit. Scitũ quidem superioribus conuentibus tributum; id num in stipendium, ac nomina apud exteros Principes facta dissoluenda: in defensionem Liuoniæ: bellũ Tartaricum sufficeret: per quos item stetisset, vt tardi⁹ minùs quàm deberet, illatũ esset, ipsi inquirerent: in erogãdo quidem & fidem, & diligentiã summam reperturos: ita milites meritos ait, vt ante omnia ipsis cõsulere debeãt, qui pro gloria ac dignitate nominis

Polonici nō modò cum ferocissimo hoste, vrbeq; omnibus rebus munitissima, sed in regione trionibus exposita, cum sæuissima hieme, cum aëris cœlique iniurijs ac natura ferè ipsa ab omnibus rebus imparati, ac seminudi ferè propugnarint: Nihil hîc se de Liuonia dicturum prouincia olim florentissima, ac nunc etiam omnibus opportunitatibus abundante per ipsorum constantiam parta. quantum apud exteros nomen ipsorum virtus omnibus pepererit, eos ipsos testes esse posse, qui quæ post discessum Henrici, cùm Tartari metu ac trepidatione omnia complerent, authoritas eorum apud exteros fuerit meminissent; & quæ nunc de virtute eorum existimatio omnium sit, intelligerent; postquàm potentissimo hoste superato, amissas aliquot prouincias recuperârint, nouas adiunxerint. Nec tamē pluris hæc à se fieri, quàm quem ijs ipsis parandis simul respub. acquisiuisset, plurimorum fortium virorum inæstimabilem thesaurum; qui ita iam & animis parati, & in armis exercitati sint, vt nullum tantum periculum existere possit, quod non promptissimo animo pro repub. suscepturi ij sint: Horum spem ne destituerent, qui ne dignitatem nominis Polonici iacere paterentur, fortunas omnes suas, sanguinem vitamque ipsam profundere non dubitârint: denique non alienis hominibus beneficium præstituros, sed necessarijs, fratribusque quæ virtuti ac laboribus eorum deberentur, stipendia persoluturos. Hæc esse de quibus referendum Rex existimasset; viderent nunc ipsi, num cum ijs, quæ alieno nomine in vulgus à nonnullis sparsa essent, conuenirent. Con uersus deinde ad Regem, optare se, inquit, vt pro tantis eius rebus gestis, vel ea gratia ei referretur, quæ in bene morata, ac grata ciuitate pro multò minoribus non Regi, ac tam amanti reipub. Regi, sed cuicū que exercitus Duci referri soleret: non egere tamen animi magnitudinem eius consolatione sua: plus enim in illa præsidij ad quoscunque fortunæ impetus, ac maleuolorum iniurias perferendas esse, quàm in ills ad eam frangendam virium: Non esse dubitandum has ipsas quorumdam hominum iniurias illustraturas magis laudem atque nomen ipsius: Quem enim, qui ipsius res gestas olim cognosceret, non magis, quòd in totà quibusdam obiectis difficultatibus, tantsa res gerere potuisset, quàm quòd omnino eas gessisset, admiraturum? esse animi magnitudinis eius, ne iniurijs quidē absterreri se pati, quò min⁹ quemadmodū perpetuò fecisset, porrò bene de repub. mereri pergeret. Milites allocutus, non debere eos existimare ostendit, tam ingrati animi notā, tantamque iniuriam in tam fortibus ac bonis ciuibus hærere posse: Vltimo loco nuntios hortatus fuit, vt cùmprimis publicæ dignitati, atque vtilitati studerent. Optare se inquit, adesse alios, integros ac bonos etiam ciues, quorum magna præter ipsos multitudo esset, qui domi liberis suis educandis ac domesticæ rei operam darent: facilè se ijs persuasurum, nihil vt reipublicæ commodis potiùs haberent: eorum omniū partes illos suscepisse, tantoque magis in omnes res intentos esse oportere, quibus reliqui, qui domi remansissent, nō suam modò ac suorum, verùm, reipub. etiam salutem commisissent. Peracta rogatione, sententiæ à Senatoribus dici cœptæ fuerunt. vt de ratione electionis, cæterisque, quæ proposita fuerant, perferretur, omnes ferè statuēre; duobus tantùm exceptis, quorum alter, nullis hominum consilijs à Deo regna mandari; alter, non posse vlla è repub. ac ne oportere quidem ambitum excludi censebant. In nuntiorum nobilitatis concilio principiò Cancellarij oratio exagitata fuit; maximè vero, quòd iam Petilios nonnullos esse dixisset, videndum ne mox etiam Catilinæ existerent. Cùm contrà ab alijs ostenderetur, non vniuersum ordinem, sed certos homines, ac ne homines quidem sed vitia notata; à quib⁹ qui abesse se intelligeret, orationem quoque eam ad se nō pertinere sciret, res discussa fuit. Negotium inde Sueto slao Orselscio datum, qui totius nobilitatis nomine pro bene gesta repub. gratias Regi ageret; deque sermonibus, qui contra dignitatē eius à nonnullis habiti, aut in vulgus sparsi dicerētur, ei satisfaceret. qui cùm in huiusmodi orationē ingressus fuisset, vt in authores eorum Regem inquirere ac cognita causa animaduertere debere diceret, aduerso quorūdam collegarum murmure, ac mox conuitio penè exceptus fuit. De re ipsa, maximè de electionis forma certa constituenda variæ inter eos sententiæ fuerūt; quibusdā omninò ferri de eo oportere negantibus; quòd in re, quà maximè libertas contineretur, quoties aliquid fieret, quò minùs latè ea, quàm antea, pateret, libertas ipsa semper minueretur, angustioribusque quàm antea fuisset

ſet,finibus circumſcriberetur: alij contrà,ita maximè libertatem electionis ſtabiliri diſputabant, ſi fraudes atque ambitus legibus excluderentur: præterea tamquam affecta iam re,ac contracta ſuperioribus comitijs tractatione, inprimis Andreiouienſis fœderis religione obiecta eam vrgebant: plerique ſuſcipi quidem eam, non finiri tamen volebant:vt quæ de ea dicerentur, ad ſuos referrent,quò rectiùs ſequentibus deinceps comitijs ex vniuerſæ nobilitatis ſententia ſtatui de ea poſſet. Dum inter eos diſputationibus hiſce tempus extrahitur, interim primis octo comitiorum diebus, quibus capitalium rerum cauſæ noua lege iudicantur, elapſis, ad aliarum cauſarum cognitionem Rex acceſſit. Adeunt eum nuntij: oſtendunt multos contra leges in regiam euocari: vt ex ſenatu nonnullis negotium Rex det, qui cum alijs ex ſuo corpore, quos ipſi ijs adiuncturi ſint,de euocationibus cognoſcāt, quæque in ea cauſa ſint,vt aboleri debeant, aboleantur, legitimis ratis manentibus,petunt. Reſpondit Rex eſſe magiſtratus, ad quorum curam hæc pertineant;qui ſi muneri ſuo deeſſe doceantur,non recuſare ſe,quò minus eò,vt alios illis adiungat, deſcendat: iterim quemadmodum cœperat, porrò cognitionibus operam dare pergit.Prima Staniſlai Ciarnkouij cauſa ob non relata in theſaurum inſtrumenta quædam cauſæ Brunſuicenſis, quæ à Sigiſmūdo Auguſto in Germaniam miſſus acceperat,in iudicium adducta fuit. Collocata in matrimoniū fuerat Henrico Duci Brūſuicenſi à Sigiſmundo Auguſto Sophia ſoror eius,deq; reb⁹dotalibus in euentum nō ſuſceptorū liberorū reſtituendis pro more ſtipulatio interpoſita. Soluto morte Henrici paulò antè exceſſum Sigiſmundi Auguſti ſine liberis matrimonio, miſſus ad ſororem ab Auguſto Carnkouius fuit, qui res iſthîc inſpiceret, conſilioque viduam iuuaret. quam in rem cùm inſtrumenta pactorum dotalium tradita ei fuiſſent, penes ſe ea retinuerat.Obijt haud multò pòſt Sigiſmundus Auguſtus:creatus fuit Rex Henricus: idē mox ex Regno exceſſit. Mortua interim Sophia, ſorores Anna Poloniæ, & Catharina Sueciæ Reginæ, ſucceſſione hæreditatem petere cœperant. Cùm aliquot annos à Iulio Duce Brunſuicenſi ducerentur, animaduerſum poſtea fuit, non in ea cauſa hæreditatem eam eſſe, vt ſucceſſorio iure peti deberet;ſed ad Reges Poloniæ,remq; publ.pactis,ac interpoſita ſtipulatione pertinere: miſſusque iuris eius perſequendi cauſa ad Ducem Iulium, Laurentius Goſlicius Decanus Plocenſis,cùm monumenta ea, quemadmodum iuſſus erat,tradere ei Ciarnkouius noluiſſet, nihilq; præter pauca quædā exempla,quæ ex tabulario Varſauienſi exceperat, proferre Goſlicius potuiſſet,in eo ferè fuerat, vt non ſatis petitionem ſuam probare poſſe videretur.Itaque cùm iam non modo de re, ſed exiſtimatione etiam publica ageretur; eò acriùs illa à Ciarnkouio primū per literas, indè petente Samoſcio per Stephanum Grudinſcium Caſtellanū Naklenſem ſpeciatim eam ob cauſam ad eum allegatum repetita fuerunt. Cùm lenitate ſua nihil profici Rex videret,per procuratorem fiſci in ius vocari eum iuſſit.Hæc igitur dum agitur, haud multò pòſt altera eiuſdem cauſa in cognitionem venit. Ea res ita ſe habet. Ciarnkoui⁹ hic nobili ac claro loco natus,plurimùm in nobilitatis conuentibus, apudque nobilitatem vniuerſam gratia ac authoritate poterat. à Sigiſmundo Auguſto ad Referendarij munus prouectus ſub exceſſum eius Plocenſem Præfecturam acceperat; ac quamuis Anſelmus Goſtomſcius Palatinus Rauenſis perpetuas controuerſias de ea cum illo haberet, poſſeſſionem tamen eius retinuerat. Poſt diſceſſum Henrici, Stephano Rege in regnum iam ingreſſo,ac pleriſque ad Regis authoritatem ſe adiungentibus, diuerſarum partium legatione ſuſcepta, ad Maximilianum Imperatorē in Germaniam ierat: Cùm Cracouiam Rex veniſſet,inſtarentq;apud eum ordines, vt in vnum atque alterum, quorū inſignior ac præcipua pertinacia eſſet,exemplum ſtatueret, præfectura Plocenſis Staniſlao Kriſcio Palatino Maſouiæ collata fuit.Comitijs poſtea Thoruniū à Rege indictis, cùm in ijs cognitionibus operam dare Rex neceſſe haberet; more autem maiorum ita comparatum ſit, vt ſecundùm Cancellarios referendarij munere in ijs Reges vtātur, Ciarnkouiuſque nondum rediſſet, Nicolaio Firleio, qui & ipſe Cæſarianarum partium fuerat, vnà cum Caſtellanatu Becenſi referendariatum Rex cōtulit.Aliquāto tēpore interiecto,reuocatus ab amicis, maximè fratre Alberto,qui Maiori Poloniæ Præfectus tum erat,literis Regis ab eodē ad fratrē impetratis,in Poloniā Ciarnkouius redijt: benigneq; à Rege acceptus optimè de

Regis erga se animo sperare iussus fuit: eiusque quam fecisset,iacturæ, à largiore liberalitate Regis cum accessione compensationem expectare. Interim Roma ad Regem scribitur, coadiutoriæ Archiepiscopatus Gnesnensis cōfirmationem, quam certo iure sibi vindicaret,inscio Rege,exteris nōnullis principibus sequestris, à summo Pontifice eum petere.Accedebat huc, vt dum ad Polotiam Rex esset, in conuentu Lublinensi,qui primus tum Iudiciorum appellationis à nobilitate habebatur, nouas res à quibusdam tentatas,præcipuū que earum authorē Ciarnkovium fuisse,certissimis indicijs ad Regem deferretur.quæ res non mediocriter rursum animum Regis illi immutauerat.Mortuo interim Iacobo Vchanscio Archiepiscopo, Stanislaum Karnkouiū Episcopum tum Cuiauiensem,à quo inauguratus Rex fuerat,vt promisso suo in augurationis tempore ordinibus à se facto satisfaceret, in illius locum Rex nominauit.Etenim cùm in dissensione electionis Vchanscius, eiusque exemplum secuti cæteri Episcopi ꝑter Cuiauiensem omnes ferè diuersas partes secuti fuissent:ille ad inaugurationem etiam vocatus parere noluisset: itaque à Karnkouio coronatus Rex fuisset: petijt ab eo nobilitas,vt deiecto Vchāscio Karnkovium in locum eius proueheret.Respondit Rex,si dissensionis Vchāscij causa id peteret,malle se,quod consecuturum se non diffideret, lenitate eum adiungere:si alterius ornādi, post mortem Vchanscij,quæ homini ætate decrepita non longè abesse posset, rectius illis præstiturum,quod nunc incommodiori tempore repræsentari vellēt. Ciarnkovius interim Sninum possessionem Archiepiscopalem tenebat: eamque cùm dimittere nollet, in ius ab Archiepiscopo ad Regem vocatus fuit comparere iussus,respondere primùm nolebat.dictum fuit,ostenderet,quo iure in possessione esset:nam si coadiutoriam ipsam sibi vindicaret,nemini dubium esse,quin de iure regio Regis solius cognitio esset:si priuato titulo bona ea occupata possideret,ad tribunalia terrestria,quæ de rebus soli ordinariè cognoscerent,remissum iri:petijt interim procurator eius diem ad monumenta producenda,quam qui petit,iure,quo vtimur peremptorium terminū propria submissione ac sponte sua præfinire sibi putatur. Ad diem non integrum esse sibi illa iam proferre excipit: quòd Romæ ea sint, copiamque exhibendorum non habeat.Inter hæc nuntij rursus Regem adeunt: rogant vt euocationes omnes in regiam,exemplo Sigismundi Augusti, qui citationes omnes, quę in causis fisci editę fuerāt,vno decreto sustulisset,inducat. Postulatum,docerent,quæ eæ essent:nolle Regem contra leges cuiquam negotium fieri:neque etiam æquum esse, sine causa iudicium quenquam subterfugere: quòd si vrgerent,quod antè ipsi petijssent:permittere Regem, vt ex senatu & ipsorum collegio conuenirent, qui legitimas ab illegitimis euocationibus discernerent.Illi nihil ad hæc respondent:secretum saltem cum senatu petunt.Potestate à Rege facta, idem in senatu faciunt:postulant,vt quemadmodum dignitate reliquam nobilitatem præirent,ita in adducendo ad æquitatem Rege, tuendoque iure nobilitatis principes cæteris antecederent. Respōsum,ostenderent,quos contra ius euocatos,aut qua omnino in re Ius nobilitatis minutum putarent:si quid contra leges susceptum probarent, non defuturum senatum muneri suo.Qui verba faciebat,publicam causam se agere:debere singulos,qua in re priuatim iniuriam sibi fieri existimarent,pronuntiare dicebat. Procedit in medium Carnkouius: se contra leges in regiam pertractum ait. Ostensum, quod ad primam causam pertineret,nō posse eam vlla ratione se iungi à Republica:repeti instrumenta ab illo fidei eius commissa:quibus debitum Reipublicæ doceretur:repeti eo iure, quo quiuis priuatus erga eos, qui in ministerium se illi tradidissent,vteretur:qui æquo iure libertatis cum alia nobilitate vti vellet, cui molesta hæc in regiam euocatio videretur, posse eum intra modum vitæ priuatæ se continere: domi viuere: abesse à ministerijs regijs:quibus qui se illigasset,indignum esse eum postulare, ne rationem quidem eorum, quæ vltrò susceperit,reddat. deterioríque cōditione in publica re Regem esse,quàm quemlibet priuatum in sua:qua tamen de re cōstitutio Sigismundi primi esset, cuius sentētia eò pertineret: repudiari deniq; totum à publica vtilitate. quæ si in rebus,quæ moram nullam patiātur, non priùs respublica ius suum consequi possit,quàm longo temporis interuallo comitia habeantur, sæpè maximum periculū aditura sit. Alteram ma luisse senatum ad comitia euocatam fuisse:iam verò postquàm procurator eius diē ad monumenta petierit, vltrò

ipsum

ipſum omnem ſibi præſcriptionem Iudicij vitandi præcidiſſe. Ad hæc ille, ad ordines prouocaſſe ſe, cùm ad monumenta prouocârit: hæc ſe viua monumenra Reipublicæ exiſtimare. ad ſenatum deinde redeunt: vt à ſingulis ſe præſentibus ſententiæ dicantur, petunt. Dictæ huiuſmodi ſententiæ ferè omnes fuerunt; non rectè facere, qui conſtitutionem Sigiſmundi Auguſti de cauſis fiſci ad regias cauſas omnes traherent: eſſe conſtitutionem, qua actiones, quæ ad perſonam principis: ad maieſtatem imperij: ius denique ac poſſeſſiones regias pertinerent, diſertè à cauſis fiſci, ac vectigalium interuerſorum diſcernerentur: videndum quæ eæ ſint, ac num omninò fieri poſſit, vt promiſcuè omnes Rex tollat; cũ hac ratione non modò ſuum ac reipublicę, ſed aliorum quoque ius, in cauſis quæ ad delationem quorumdam ſuſceptæ ad eorundem vtilitatem pertinerent, quod in ipſius poteſtate non eſſet, voluntatibus petentium iſta condonaturus eſſet. Nũtij in ſuo propoſito nihilominùs perſiſtebant; perque complures dies diſputatione hac extracta frequenter in concilio ſuo tumultuabantur. Demonſtrabat ijs Rex, quamquàm iniquum eſſet, ne diſcerni quidem inter legitimas ac illegitimas euocationes eos velle; videre præterea etiã ſe nulla eos hac de re agendi à ſuis mandata accepiſſe: permittere tamen, vt ad ſuos referrent; quò in proximis conuentibus certi aliquid ſtatui de eo poſſet: interim rem integram ſe ijs ſeruaturum, neq; vllas alias cauſas, pręter Ciarnkouianas duas, quę in iudicium adductę iam eſſent, cogniturum. Erant qui ab Archiepiſcopo ob templorum ſacrorumque violationem euocati fuerunt; qui eò vehementiùs ſibi metuebant, quòd rumor per dies eos ſparſus fuerat, conſtituiſſe Regem ſeueriſſimè ius de ijs dicere; opinionemque eam Rex auxerat, quòd dum in venatione non procul à poſſeſſionibus Archiepiſcopi eſſet, Louicium ab Archiepiſcopo inuitatus ad eũ acceſſerat, familiariterq; per aliquot dies cum illo fuerat. non pauci etiam alijs ex cauſis euocati cùm nuntios, quo faciliùs iudicio ſe ſubducerent, creari ſe paſſi fuiſſent, omnia etiam tentanda ſibi ſtatuerant; quò antequàm periculum cauſæ dictionis ad ſe perueniret, ſub Ciarnkouij perſona iudicio omnes eriperẽtur. Itàque etſi liberabantur metu eo, cùm præter Ciarnkouianas cauſas, nullas alias iudicaturum ſe Rex oſtẽderet; quia tamẽ ſemel ita in cauſam ingreſſi fuiſſent, vt exiſtimationis de ſe aliorũ cauſa nõ temere recipere ſe poſſent, ne hac quidem ratione ab inſtituto ſuo deduci ſe patiebantur. Alij ſermonibus eorum permoti, vt in metu grauiſſimarum rerum, in quibus libertas agi prætenderetur, tempus aliquod interponi, dum certiùs de eo cognoſci poſſet, non moleſtè ferebant. quidam cùm in re nihil periculi eſſe intelligerent opinionẽ metuebãt; ne tãquam authores libertatis deſtituiſſent, in vulgus traducerentur. Fiebat hinc, vt qui omninò iſta improbabant, cùm ab alijs impugnarentur, ab alijs non iuuarentur, in tanta diuerſa ſentientium multitudine ipſi nihil poſſent. Latę nihilominùs ſententiæ contra Ciarnkouium fuerunt. prima iam multò antè, qua monumẽta reſtituere iuſſus fuit, in qua cauſa ne ab ipſis quidẽ nuntijs magnopere cõtendebatur. Altera cauſa cũ variè adhuc duceretur, ad id nonnullis decurrendũ videbatur; quòd poſt diſceſſum Henrici coadiutoriam impetraſſe diceretur; eique rei fidẽ faceret, quod alteri⁹ Poſnanienſis Epiſcopatus nominationẽ à diſceſſu Henrici in illum collatã, Regi ipſe exhibere nõ dubitârat. quare cùm Varſauienſi fœdere, qui ab abſente Henrico quicquam petijſſet, contra rempublicam facturum eum iudicatum eſſet, conuentionis eius vi vrgendum cenſebant. Rex vltimo comitiorum die decretum tulit: coadiutoriam ſuſtulit; de poſſeſſione, quæ ab illo tenebatur, cognitionem ad ordinaria nobilitatis iudicia, in quibus quo iure eas poſſideret, doceret, remiſit. Hunc ad modum ſtato comitiorum tempore extracto, ingenti cum omnium dolore, Samoſcio præſertim omnes obteſtante, Liuoniæ ſaltem Ruſſiæque curam ſuſciperent, ne vel illam magno labore, ac ſanguine ſuo partam omni ope nunc deſtitutam rurſum amitterẽt; vel hanc Barbaris diripiendam proderent; Conſtantino etiam Oſtrogiæ Duce, Palatino Kiouienſi recentiſſimos quoſque nuntios de Tartarorum expeditione proferente, nihil tamen actum fuit. Appellatus per eos dies frequenter à Lituanis Rex fuit, vt Liuoniam Lituanicæ formulæ faceret. Vbi nec in ſenatu, nec in concilio nuntiorum magnopere à quoquam illis contradicebatur: in hoc potiùs nõ deeſſent, qui quò Lituanis adiutorib⁹ faciliùs, quod contendebãt, à Rege extorquerent, nõ inuiti deceſſuri illis de ea viderẽtur; Surrexit Samoſcius,

reliquosque intuitus suo suorumque commilitonum periculis Liuoniā hosti ereptam dixit; de quo si qui ambigerent, ad Moscum ipsum se prouocare: nō dubitare, se vel hostis ipsius professione id euincere: ea igitur ne à regno seiungeretur, si à nemine contradiceretur, se tamen pro omnibus intercessurum. Venerant ad comitia Legati Moscouitici, vt iuramentum in pacem à Rege acciperent; quemadmodum regij iam antè ipsorum Principem iureiurando obstrinxerant. Præstitum id à Rege maxima omnium ordinum corona fuit, ara in comitio ad id constitutā, Archiepiscopoque, postquàm tabulæ fœderis à scribis lectę fuissent, in verba ei præeunte. Præter iuramenti exactionem, vt de captiuis vtrinque permutādis agerent, mandatum habebāt. quod cùm tenere non potuissent, vt in locum certum captiui comportarentur, redimendiq; eos potestas, quorum essent, fieret, impetrârunt. Referebant nonnihil & de finibus controuersiæ ex eo potissimùm ortæ, quòd de Velisiensi agro, ne à Polonicis ordinibus à quorum copijs captus erat, vindicaretur, in Sapoliensi fœdere à Lituanicis scribis adiectum fuerat; vt, quemadmodum olim is ad Palatinatum Vitepsciensem pertinuisset, ita posthac pertineret: Moscique ab eo tempore, quo in potestatem eorum Velisium venisset, magnam partem Toropeciensis agri ad eum adiectam contenderent. Placuit vt vtrinque legati ad fines regendos mitterentur. De castellis Liuonicis, quæ Suecus occupârat, iam antè per Boiaros Moscouiticos cum legatis, quos á Rege in Moscouiam missos dictum est, conuenerat, vt per totum pacis tempus à cis Naruanis Moscus, ab vltra Naruanis Rex vtrinque abstinerent. Excepti indè conuiuio fuerunt more maiorū, splendidissimeque habiti; hominibus elegantioris cultus ferè rudibus cùm epularum magnificentiam, tum apparatus varietatem; multò magis tamē Regem ipsum admirantibus. In tam insigni publicarum rerum perturbatione, seu potiùs negligentia præ cæteris tamen militum conditio maximè miserabilis videbatur. Plerique enim non modò tanquam ad paratum stipendium, cuius spes facta illis erat, sed ad magnam honorum, vt bene gesta re agrorumque spem, ij præsertim, qui nobilitate ob virtutem donati, præsidia etiam ista, quibus nobilitatem tuerentur, ac alia præmia sperauerant, omnium rerum egentes, ac nudi alienissimo anni tempore eò venerant; vt non pauci è nobilioribus etiam ad Plescouiam occubuisse se malle dicerent, quàm ad tantam egestatem, atque omnium rerum difficultatem redigi. Iisdem autem temporibus Ioannes Suiscius etiam, quem in defensione Plescouiæ egregiam operam nauasse suprà ostēdimus, à cōspectu principis sui abiectus in luctu ac ægritudine erat. sed militum difficultatibus con quisita vndique pecunia, cùm ab alijs destitutam ferè Rempublicam à se tamen deserendam Rex non existimaret, quòad eius fieri potuit, occursum fuit; agenteque cum ijs Samoscio tanta animorum alacritas innata ijs fuit, vt non modò diem solutionis ad Penthecostes proferri paterentur, sed dum modò certo aliquo loco collocarentur, ex quo commeatus sibi suppeterent, si interim Tartari irruptionem facerent, etiam sine stipendio, quocunque ducturus eos Samoscius esset, ituros se pollicerentur. Solutis comitijs cùm iam nuntij discessissent, Rex cum senatu Liuoniæ etiam, quantam potuit, curam impendit; initioq; à diuinarum rerum cura facto, quòd plerique in Prouincia ea Episcopatus temporum ac bellorum iniuria suppressi essent, Vendam, quam potissimum ad accipiendam nouam sedem Episcopi idoneā iudicabat opidis, castellisque aliquot ac possessionibus ad eam adiectis, Episcopatui attribuit; àque S. Pontifice, vt Episcopatū authoritate sua ibi fundaret, petijt. Prouincialibus etiam iura certa, ac formā prouincię, vt aliquam tamen sui curam habitam cernerent, pro tempore descripta fuerūt. Venerant à nobilitate legati Varsauiam: alij præterea frequētes priuati suarum quisque possessionum, è quibus se, vel maiores suos à Moscis deiectos dicerent, recuperandarum causa. Summa publicorum postulatorum erat, vt pacta inter Sigis. August. ac prouinciæ eius ordines, quo tempore se in potestatem illius dedissent, conuenta, rata Rex haberet. Eorum hæc ferè erant capita; vt non nisi Germanicæ gentis in prouincia ea magistratus essent: Possessiones quas tū singuli haberent, aut postea consecuti fuissent, quo vnquam optimo iure possedisset, possiderent: Iura ac Priuilegia singulorum integra conseruarentur. Addiderunt ad hæc ipsi, vt iudiciorum certa ratio constitueretur: ne castella demoliri, quemadmodum Rigæ à Rege imperatum ijs fuerat, cogerentur: vt

in ca

in captiuis suis recuperandis à rege iuuarentur. Responsum fuit: quòd ad vetera à Sigism. August. concessa ijs Priuilegia pertineret, tenere eos memoria, quid ab eo tempore, quamque varia intercessissent: quid etiam huius tēporis esset, pro sua prudentia perspicere: debere eos se credere iudicio Regis, qui cùm salutis eorum author fuisset, ornamētorum, ac commodorum prouinciæ eius non minorem curam se habere ostensurus esset. Sigillatim verò, quòd præcipuæ authoritatis in illa Prouincia magistratum Germanicæ gentis peterent, cùm ab honore eo ex prouincialib9, si qui ad eum idonei futuri essent, neminem exclusum Rex vellet; eò futurū acerbius, si ipsi propriæ salutis libertatisque authores à dignitate tā præclaræ victoriæ remotos vellent: daturum operā Regem, vt eum Prouinciæ præficeret, qui ex æquitate, ipsorumque iure ac legibus omnia administraret: tum verò in prouinciali publico cōsilio constituendo, iudicijs, cæterisque officijs præsidū, Succamerariorum, & reliquorum præcipuam vetustæ quoq; nobilitatis Liuonicæ in Prouincia ea rationem habitum iri. Inter iura ac priuatas singulorum possessiones id discrimen factum: vt, quæ à superioribus Liuoniæ Principibus, legitimisq; eius magistratibus vsque ad Guilhelmū Marchionem Brandeburgensem Archiepiscopum Rigēsem profecta essent, iure ipso rata haberentur: quæ à posterioribus collata essent, quòd ea tēpora indè consecuta fuissent, quibus multa nō ordine fierent, prouinciaq; nullo ferè certo Imperio teneretur, de ijs Regem ex publicis Prouinciæ commodis, cuius vt opibus ac neruis contra omnes casus muniretur, præcipua ratio habenda ei esset; & cuiusque meritis; genere deniq; ipso possessionum statuturum; ad eaque cognoscenda primo quoque tempore conuentum Prouincialibus edicturum, in quo sua quisque Iura exhiberet. Cùm autem superiori tempestate amisisse pleriq; Priuilegia sua dicerentur; eos quos, & à quibus, quoq; tēpore, & sententia literas habuissent, aperire debere, eaq; omnia suo idoneorumque testium iuramento comprobare. Iudiciorum forma ijs, de quibus suprà ostensum est constitutionibus descripta, tradita illis fuit. Castellorum demolitionem hoc potissimum consilio Rex imperârat, ne vires Prouinciæ, quemadmodum superioribus temporibus factum fuerat, distraherentur; eādemque ob causam, ex suis quoque nō pauca deiecturum se edixerat. Idē hic ijs responsum fuit, non debere eos detrectare, in re quā publicam potissimū prouinciæ salutem Rex spectaret, quò minus eius exemplum imitarentur. In captiuos redimendos certus Boiarici generis numerus promissus ijs fuit. Magnus Dux cum difficultatibus quibusdam suis, quemadmodum Rigæ à Rege monitus fuerat, ipse comitia obire non potuisset, legatos miserat: per quos eadem ferè quæ Rigæ, proposuit. quæ cùm sine præsentia eius explicari non possent, ad sequentia comitia necessariò dilatus fuit. Quibus rebus cōfectis, crebris nuntijs de apparatu Tartarorū Varsauiam allatis, Varsauia Cracouiam Rex proficiscitur. venientem Legatio à Tartaro adijt: quæ, nisi continuò conditiones quas ferebat Rex acciperet, ijsque satisfaceret, bellum denuntiabat. Ad eam Sinan Bassa literas adiunxerat; quibus Turcam etiam iniurias Tartari non neglecturum ostendebat. Iam antè autem, quemadmodum ostensum est, iustam equitatus partem in Russiam Samoscius præmiserat: ad eam quàm potest maximū numerum militum adijcit: quos addictos adhuc habebat, omnes contrahit: nouos suis stipendijs alios conscribit: ex nobilitate nominatim fortissimum quemque euocat: Præter eos Constantinus Ostrogiæ Dux suas copias, quas non contemnendas è clientibus suis coactas habebat, promptissimè Reipublicæ offerebat. Itaque in Russiam Samoscium contra Tartaros Cracouia Rex mittit.

CHRI-

CHRISTOPHORI VARSEVICII IN OBITVM STEPHANI I. REGIS POLONIAE, ORATIO.



Vixit Stephanus Rex: atque vtinam & viuere diutius potuisset. Magna enim hominum iactura est; sed regum bonorū maxima. Quò me vertam? Quæ hoc loco verba faciam? Tali quippè rege laudando, cui deesse posset oratio? sed præ dolore vox & omnia me deficiunt. Cui ego parere non cupio, ac ne debeo quidem: ne, si priuato dolori cessero, ingratus sim, erga regem eum, cui nulla alia referri gratia amplius potest, nec vlla non debet. Qua tamen in re sic moderabor orationi meæ; vt nec veram laudē ei detraxisse, neque falsam videar affixisse. Vos interim oro, vt aura benignitatis vestræ è portu in altū euehatis, hoc lene & demissum genus meū dicendi.

Natus est Stephanus Rex anno Christi supra mille quingentos, tertio & trigesimo, V. calen. Octobris, sub Ioanne rege Hungariæ, Stephano Batthoreo Palatino Transyluaniæ patre, Catharina Thelegdia matre, auis & parētibus clarissimis; vtpotè cuius aui frater germanus, Matthia in Hungaria regnāte, sexaginta Turcarū millia, quæ in Transyluaniam irruperant, in campo vulgò dicto Panis, vna die ꝓfligauit. Fratres habuit germanos duos, Andream & Christophorum; hunc Palatinum Transyluaniæ à se factum, illum Isabellę reginæ Hungariæ supremum palatij præfectum: quibus cum circa patrimonij partitionē coniunctissimè vixit, & hoc turbine ac tempestate Hungariæ, in Sōlio tanquā in quodam sacrario, religionē catholicam sartam tectamque conseruauit. Optimarū artium & humanitatis studia, domi primū attigit, & in ijs tantos profectus fecit; vt maximam virtutis & ingenij sui expectationem apud omnes excitaret. Demùm à domestica disciplina ad aulam Ferdinandi Romanorum & Hungarorū Regis profectus est, quem honoris ergò patrem patriæ sæpius appellabat. Qua in aula, ob ingenij elegantiam quanti fuerit, vel illud in multis argumento est; quòd Catharinæ Ferdinandi filiæ, quæ primùm duci Mantuæ, postea Sigismundo Augusto nostro regi nupserat, Mantuam ad maritum deducendæ honoris gratia adiū geretur. Magn⁹ est enim honos in principum versari comitatu; sed idem ille magnis viris etiam decoratur. Itaq; vidit ea occasione orbis terræ decus, & reginam prouinciarū Italiā in ipso flore iuuētutis. Nec expers erat omni ex parte tam Italici quàm Germanici sermonis. Morum aūt & consuetudinum externarum ita gnarus; vt ijs de reb⁹ eum loquentem qui audiret, nemo non vehementer miraretur. Etenim cùm literis & lectione, tum verò vsu & tractatione rerum, prudētia cōparatur. Erat ille haud dubiè in literis ita versatus; latinè vt scribere & loqui eleganter satis posset. Sed accedebat vsus rerum gerendarum multò præstantior, vt tot populorum moribus & vrbibus visendis, tot principum aulis perlustrādis, tanquam ijs qui in sole ambulant accidit; omnia eius dicta & facta alijs audiendis & obseruandis, non potuerint non colorari. Neque enim hoc loco possum præterire, quod ex ipsius ore aliquando audiui: Venisse eum cum Ferdinando suo rege ad Augustana comitia, quæ Carolus V. Cæsar à Saxonico bello reuersus prima habuerat; & captum Ioannē Fridericum Electorem secum adduxerat: & tum quidem Cesarem suam ei dexteram in comitatu Ferdinandi porrexisse: demùm & reginam Mariam sororē Cæsaris, cum alijs proceribus Hungaris, solenne epulum prębuisse; quę natura & consuetudo reginæ illius fuerat, externos, maximè Hūgaros, apud quos aliquando regnauerat, honorandi. Quæ ego iccirco commemoro; vt summis cum viris & principibus versatum fuisse, eum sciamus: & qualis quantusque semper habitus fuerit, agnoscamus. Pauci enim reges sunt docti: pauciores apud exteros versati: paucissimi vtroque exornati. Iam verò ab his, & eiusmodi (vt ita loquar) artibus & partibus Stephanus progressus, per omnes omnium honorum gradus, quò tandem peruenerit, videamus. Ludouico rege à Turcis ad Mohaciū interfecto, duobus regib⁹ Ioanne & Ferdinādo simul

mul electis,ciuili bello exarsit Hungaria.In hoc bellũ nondum quidẽ eo nato ortum,diu tamẽ, variaq; fortuna & temporibus gestum , ac deniq; Ioanne & Ferdinando mortuis continuatum, patriȩ tempestate delatus Rex,talem se præstitit;vt quarumcunq; tandem partium esset,hostib⁹ terrori,suis verò admirationi vbique euaderet. Quod tamen præter ætatem, & præter consuetudinem,nec opinanti euenisse, nemo dubitabit.Est enim virtutis vbique magna inuidia, sed inter suos maxima.

Quo etiam fiebat,vt cùm germani fratres tres Somlij coniunctissimè(vt dixi) viuerent,& vnam ac orthodoxam religionem vnanimes amplecterentur: Mariani milites,ab æmulis dicerentur. Quas nihilominus ipsorum voces,magno animo Rex contempsit,& mox inuidiã virtute superauit.Fuit enim(vt alia eius industriæ & virtutis signa taceã) fuit in Hungaria primus: qui cùm multa alia,tum etiam candentes globos,mirum , & alijs longè præsentius incendiorum genus contra hostes inuenisset.Quæ res,tantum ei nomen & bellicæ industrie attulit existimationem; vt à Ioanne Transyluanię principe, breui pòst Varadino pręficeretur,& copias eius ductaret,& summo deniq; in honore ab omnibus haberetur.Quo loco si quis fortè miretur,conatibus & consilijs eius exitum non semper respondisse;is meminisse debet,magnorum virorũ gestas res,iniquè euẽtis põderari: ac vt valetudinẽ ijs chariorem esse, qui morbo graui & diuturno oppressi,à limine mortis reuersi sunt;q̃ ijs,qui optimè semper & æquabiliter valuerunt; sic & homines non solùm triumphis, sed & offensionib⁹ belli secura recordatione secũ repetendis, aliquãdo magis recreantur.Fuit quidem Stephanus noster terra iactatus,& alto(quod aiunt): variã & instabilẽ fortunam diu expert⁹ est,multa aduersa tulit,multa pericula adijt, sępè manus cũ hoste conseruit:à Nartendio in pugna quadã capt⁹,& cõpedibus iniectis malè est habitus:ad Hadadũ contra germanicas & hungaricas Cæsaris copias infeliciter pugnauit, & vulnera penè lethalia aliquot accepit: qua ipsa die,aut Stephanum in acie casurũ, aut eo superato malo,magnum aliquãdo principẽ futurum,quidã eius familiariũ fortè prædixerat.Quid multa?vicit & victus est:fortunatus fuit:aduersos etiã casus aliquos habuit: cominus gladio, hasta eminus depugnauit: flauit & reflauit ei aura, vel nonnunq̃: quo ipso est eritq; semper admirabilis: virtutẽ eius posteritas alet,fouebunt literę:& nec edax ętas,neque vlla vnquã inobscurabit obliuio.Tãta enim est virtutis vis , tantaque species: vt vel hostes virtutis ipsi in admirationem virtutis rapiantur. Quid ? tantumnè,inquies,militaribus studijs Stephanus deditus fuit ? Imò verò & legationibus functus est honorificis, & fidem industriamque suã patriæ probauit. Ac primùm quidem ad Ferdinandũ & Maximilianum Cęsares, demùm ad solũ Maximilianũ legatus fuit: in qua ipsa legatione , ob turbatas se absente conditiones pacis,iussu Cęsaris Viẽnę captus, & vltra bienniũ sub custodia est detẽtus. Gasparum Bekeschiũ eius rei authorẽ tradunt fuisse:cui cùm Stephani virtus formidolosa esse cœpisset,vt à Transyluania ęmulũ longius remoueret,aut etiam ꝑrsus amoueret : qua authoritate apud Transyluanũ fuerat, Batthoreo legationẽ imponi curauit,& mox principis sui arma in Cæsarem vertit : vt q̃ accidit legato nihil eorum cõscio periculum crearetur . Est enim proprium inuidię,eos circũuenire arte,quos non possit virtute superare.Illa tamen detẽtio,tantũ abest,vt maculam aliquã Stephano inureret:vt etiã optandũ ei fuerit detineri,dummodò cum virtutis & fidei suæ testimonio,in pristinam libertatem poneretur.Totum quidem illud detentionis suæ tempus optimis transmisit studijs,& tùm antiquitatis monumentis,tùm in aula Cæsaris summis viris & externis legatis cognoscendis: inter quos etiam erat vnus Franciscus Crassinius,qui Sigismundi Augusti Regis Poloniæ apud Cæsarem tum orator,tandem verò Episcopus Cracouiẽsis factus, pro Stephano in libertatẽ asserendo, magnopere laborauit. Mortuus est tandem Ioannes Transyluanus, Sigismundi Augusti regis nostri sororis fili⁹,cuius morte ad nouã noui principis in Transyluania electionem, est peruentum.Erat tùm Spiræ in comitijs Bekeschius apud Cæsarem legatus,quẽ Transyluanus successorem sibi designare, & ille ad eius principatum iam pridem aspirare, multorumq; gratiam & fauores sibi aucupari non dubitauerat.Quapropter non temere difficultatis aliquid, ab æmulo habiturus visus est Batthoreus,cùm subitò eius virtus, non secus ac flamma quædam fulgere cœpit:& in adeundo principatu multis passibus Bekeschium superauit. est enim virtus & inuidia fumo & flammę simil-

simil-

simillima:& sicut ab inuidia seu quodā fumo virtus initio obscuratur: sic dignitate auctus elucet tandem is, cui virtutis ergò meritò illa cōfertur. Electus est igitur Stephanus, nō eblanditis: sed enucleatis suffragijs: non alicuius ope aut patrocinio: sed virtute & ingenio suo admirando. Atque hîc tamen non cessauit Bekeschius: sed vel eo etiā Batthoreo magis minari, ac nouas & perniciosas res, audacter in eum moliri vehementius cœpit. Quibus ille de consilijs certior factus, præuenire quàm præueniri potius ratus, arcem Bekeschij Fogarassum intercepit: eoq; ipso vix fuga elapso, omnem illū Transyluaniæ motum, cōpescuit. Nascētes enim domi seditiones, aut repentè opprimendæ, aut quouis alio consilio sunt potius auertendæ. Bonis exutus fugatusque Bekeschius, contulit se ad Maximilianū Cæsarem, quē diu multumq; sollicitatum, eò tandem perduxit: vt ex præsidijs Hūgaricis militum manus ei daretur: quā Transyluaniā repetere, & eius dominatu tandem aliquando posset potiri. Sed neque tùm conatibus eius fortuna aspirauit: victus est graui & aduerso prælio: ac primùm quidem in Poloniam, mox in Hungariam Cæsarianę ditionis, se recepit, auxilijs omnibus vndequaq; desperatis. Iam tum Batthoreus rerū suarum securus, & animo ac existimatione auctus, non solùm de Transyluania retinenda: sed de acquirenda quoque Polonia cogitabat. Qua etiam de causa pro comitijs electionis, legatos suos in Poloniam misit, regiam dignitatem ab ordinibus regni postulatum. Vidisses rem miram: cùm, Cæsare Maximiliano per Archiepiscopum Gnesnensem primùm renunciato, frequens fremensq; nobilitas, Annam Iagelloniā, & eius maritum Stephanum Batthoreum regem nominauit. Qui principiò quidem Cæsaris legato Tiffenbachio à regno suscipiendo eū dehortante, paulò hæsit: sed mox suorum animos celeritate aduentus confirmauit. Venit enim in Poloniā tùm, & cū Anna Iagellonia matrimoniū iniuit, diademaque regni accepit. Cū Maximilianus Cæsar ordinibus imperij Ratisponæ comitia indixisset, & totus in eo esset, ne imperij auxilijs nudatus adeundæ Polonię spe frustraretur. Quæ vtriusque consilia adeò plurimi mirabantur, ea vt diuinitus proficisci nōn dubitater affirmarēt. Sic enim (vt dixi) Maximiliano celebrāti comitia mors obrepsit, quæ occulta quadam fatorum via hoc regnum trāquillauit. Sub idem ferè tempus sua etiam Polonica habuit Rex comitia Torunij: & morte Cęsaris Maximiliani audita ex incerto certum sibi regnum fecisse iam videbatur: cùm subitò Gedanensis erupit tumultus, nouitate rei atrox, motu grauis, inclinatione temporum formidandus. Hunc tamē Stephanus Rex ita pacauit, vt primū quidem prælio Dersauiensi Gedanēses fregerit, demum & aliquot mensium obsidione presserit: ac tandem interponētibus pro ijs se aliquot præcipuis Germaniæ ducib⁹, ad officiū reuocauerit. Quo eodem ferè aut paulò superiori tempore Bidgostiam literis publicæ fidei nō impetratis, ad regē Bekeschius supplex venit, & non modò culpæ veniā, sed egestati etiam suę luculentum inuenit perfugium. Tanta enim clementia rex erga eum fuerat, & tantū ei cōfidebat: vt aliquoties somno graui oppressus, solū Bekeschium in penetralibus ędium circa se versari ꝓximè pateretur. Quæ tamen spes & de Bekeschio concepta opinio minimè regē fefellit: magnam verò mansuetudinis laudem eidem attulit ad memoriam posteritatis sempiternam. sed ad propositum reuertamur. Bellum Gdanense secuta sunt Varsauiensia comitia, in quibus maxima post hominum memoriam pecunia imperata, bellum est decretum contra Ioannē Basilij filiū, magnum Moschorū ducem: cuius cùm diu multumq; aliâs, tū verò hoc Stephano regnante in Liuonia nobilitata est crudelitas. Quem ille ita domuit, vt quemadmodū sua audacia, vicinorū ignauia paulò ante creuisset: sic Stephani regis virtute, nostrorū verò fortitudine, animo, & viribus concidisse videatur. Erāt præterea superiori interregni tempore, sine certo ordine ac ratione, à nobilitate vsurpata quędā iudicia, quib⁹ publicæ quieti & tranquillitati cauebatur. Itaque in ijsdē illis Varsauiēsib⁹ comitijs, ea iudicia denuò rex firmauit: & prudētia sua certisq; legibus definiuit. Quo, haud scio, si quid aut nobilitati beneficio gratius, aut nominis sui fama ad posteritatē transmittenda, facere potuisset illustrius. Nihil enim iustitia est populare magis, q̃ paulò ante speratu quā obtentu facilior videbatur. Peractis Varsouiæ comitijs, & Gregorio Friderico Marchiōe Brādenburgēsi in Prussia duce, more, & instituto maiorum, in fidem & clientelā regni publicè & solenni cum cæremonia accepto, in Russiam sese contulit: in cuius metropoli, Podkouam hominē Va-

lachum

lachum & obscurū, specie quadā militiæ, libertate & domicilio regni abutētem, pacemq; publicam perturbātem, capite truncari imperauit. Leopoli, cū maximarū rerum cura & cogitatione distentus, integram penè æstatē transegisset, Cracouiam est profectus: vbi magni Moschouiæ ducis tumidos, & sibi præfidentes, audiuit legatos, cum moderationis animi sui gloria, & admiratione omnium singulari. Qui quidem animi tumor, tanto magis in Moscho, & eius legatis est notabilis, quanto recentior erat victoria, de numeroso eius exercitu parta: qui Vendam oppugnans, à regijs copijs cum Sueticis coniunctis, grauissimè fuit profligatus. Dimissis Moschi legatis, & externorum militum conscribendorum ergò, certis turmarum præfectis in vicinas regiones ablegatis, tandem in Lituaniam profecturus, venit rex Varsauiam: atque ibi mensis vnius spatio moratus, mox regina cōiuge valere iussa, in eam ipsam discessit Lituaniam, quam, ex quo in Poloniam venerat, nondum attigerat; toto illo tempore agitans animo bellum, quod pro salute & dignitate Reipub. contra immanem & hæreditarium harum prouinciarum hostem, administratum cupiebat. Deum immortalem, quanta tum in aduentu eius in Lituaniam lætitia, quanta gratulatio, quantus fuit concursus, quantum non dicam ordinum sed hominū inter se certamen, in eo actali rege ad bellum omni ratione iuuando atque promouendo. Præstat enim ducis virtus & scientia vnius, magnis inconditis exercitibus. Hanc igitur Lituaniam Rex aduentu suo, non tàm recreauit, quàm auxit; non tàm passibus, quàm victorijs perlustrauit. Primùm autem Polociam, à Moscho Lituanis aliquando ademptam, aggressus est: ac vna & eadem expeditione Socolam, Sussam, Kozianam, Niescerdam, Krasnam, Vsuiatam, hostiles arces & munitiones in potestatem suam redegit. Magna hæc & penè admirabilis vnius expeditionis erat victoria, autumno Cracouiæ suscepta, hyeme in Lituania apparata, extrema & tempestuosa æstate in agro Polociensi confecta & terminata. Nam & in expugnatione Socolæ, hostilium copiarum duces, Seremetus & alij sunt capti, & aliquot Moschorum millia cæsa ad internecionem, nobiles quidam Palatini capti, Polocia ingens tormentarij pulueris & commeatus omnis generis vis ablata: totus denique ille Polocensis tractus, à quo non iam Lituaniæ, sed Vilnę ipsi imminebat periculum, est recuperatus. Itaque reuersus tandem est Vilnam cum triumpho Rex, & mox Grodnam, ac inde ad conuentū habendū Varsauiam, in viam se dedit: cùm Grodnę Gasparū Bekeschiū, graui antea morbo, & demùm vigilijs apud Polociam confectū, non sine dolore amisisset. Iā verò Varsauiensib⁹ comitijs ad gerendum & cōtinuandum bellum pecunijs imperatis, multorumque exterorum principum legatis auditis, in Lituaniam Rex rursus se recepit. Variè tum Moschus cum eo agere, & extrahendi temporis ergô non tàm oratores quàm exploratores suos solebat ad eum allegare. Quibus tamen artibus, & Moschi pollicitationibus circumueniri se non passus, adulto iam in Lituania vere, & virentibus campis, exercitum duxit ipse in expeditionem: vbi cùm per inuia & immensa terrarū spatia iter fieret, pro se quisque sentiebat aliquid incommodi; ipse saltē rex omnes omnium rerum temporumq; iniurias, patientissimè perferebat. Casnikos quidem vt peruenit, habita deliberatio est, vtrū Vielicolucos an Smolenscum placeret proficisci: quæ hostiles vrbes seu munitiones, pari interual lo distare videbantur. Tandem verò vincente omnium sententia, Vielicolucos est itum. qui paucorum dierum oppugnatione Moschicis legatis inspectantibus, capti & in potestatem regiā sunt redacti, hominum millibus aliquot, qui obstinatiùs se defenderant interfectis, magis furore Martis, quàm ira victoris. Quanquam violata à Moschis fide, & nauata contra se eorum opera, quos captis munitionibus incolumes dimittebat, non poterat non vehementiùs commoueri. Ingrati enim id efficiunt, vt gratis etiam, fons perennis benignitatis exarescat. Captis demùm Vielicolucis, Neuelia, Zauolocia, & vniuersus Vielicolucensis ager in regiam peruenit potestatē. Lituania, post multos annos Vielisio est aucta. De superbo deniq; hoste, ea est parta victoria quæ omniū regum & populorum orā in nos conuertit, & huius regni gloriā penè intermortuam excitauit. Erat antè illud Vielicolucense bellum mortuus regi frater Christophorus Trāsyluaniæ princeps: post cuius mortē Sigismūdo eius filio impuberi, Amurates Turcarum Imperator, tributum dimidiò maius imponere conabatur. sed regis nostri eius patrui authoritas, tāta apud

+ Vna [illegible] generis pereat, quibus inde maritus
Accessit genitor, nata mea Anna, [illegible].
Sic [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] perennis
In cineres [illegible] [illegible] [illegible] suos
Non genus, aut [illegible], non nobis profuit ætas,
(Sunt [illegible] Anna tibi fata molesta minus)

Quid nos quam varii [illegible] tristia casus
Fortunæque grauis pars miseranda sumus.
Anna filia Geor. [illegible].
Et genere et forma et niveo præclara pudore,
Hic sita sum Stephani filia Bathoridis

Turcam fuerat; vt æquiorem se tandē ei præstaret,& nihil infesti in Transyluania moliretur. Qui etiam breui post idē Ianiculā Valachię regulum,ob iniurias quas vicinæ nobilitati intulerat, in Regis gratiam principatu spoliauit. Quo demùm in Poloniam profugo,ac Leopoli capite truncato, Rex omnem Valachi prædam apud se retinuit,& aliquot Turcæ minaces legationes ad se missas,eam prædam repetentes, dignitati suæ posthabuit. Imò verò & Teinia à Kozakis deleta, & aliquot castellis,in confinio contra Tartaros opportunè erectis,testatus est,quantùm expedit Reipub. præstantem animo regem, & bellandi gloria clarum, huic imperio præsidere. Etenim fortitudine regia,rerumque à nobis gestarum fama, aliæ quoque gentes & nationes, vt vel suspiciant, vel contemnant nos, facilè commouentur. Iam ergo Vielicolucis & alijs locis præsidijs firmatis, noua quadam cōtagione morbi omnes tùm peruadente,per immensam Neueliensem syluam, superatuque difficillimā, in Lituaniam Rex contendit:& quoniam Varsauiæ indixerat comitia, ad ea celebranda sine mora properauit. Erat tùm non nemo,qui à bello cessandum, & hostem pacis conditiones vltrò petentem,castigatum,missum faciēdum, dictitabat. Verùm ille magno & excelso animo,hæc consilia reijciens,aut Liuoniam regno restituere, aut cum perfido & insidioso hoste, vel quouis tandem exitu, bellum voluit terminare. Est enim infida cum hoste pax,nō pax, sed pactio maioris bellicæ tempestatis. Aggressus est ergo contra Moschum, & persecutus bellum tertium, ordinū summa consensione decretum,voluntate erga Rempub. iustum principiò, paululùm dubium, exitu tandem & victoria gloriosum. Progressus est magno ad Plescouiam cum exercitu: Ostrouiam, quæ illi oppugnanda prima se obtulerat,cepit:nec mora,& Plescouiam ipsam irruptione pertentauit. Dices, non omnium optimè id ei cessisse:& oppugnationem illam,non suo modo, ordine, loco, tempore institutam & perfectam extitisse. Dicas sanè quod velis:illud certè non negaueris, in re & arte bellica,multos multa opinari; cùm verò ad rem est ventum, nec quod sciunt posse, nec quod possunt velle perficere. Magnorū artificum opera exposita esse inuidiæ, non deesse vbique Phormiones: & facilius notare aliquem vitia etiā minima,quàm summorum hominum virtutem, virtute exequare. Nos quidem belli ipsius fructum & exitum videamus,qui talis est, vt Liuonia prouincia, pro qua occupāda tàm diu multumq; Moschus laborauit, tātos sumptus fecit,tantū sanguinis suorum hostiumque fudit,eo nobis accederet; ille verò totus animo & viribus frangeretur. Memini ego hunc ipsum regem in castris ad Plescouiam (quem vtinam in cælo beatum sic possim aspicere) memini, inquam, dicentem mihi, cùm in Sueciam legatum missurus prius in locum tractandæ paci cum Moscho destinatum me allegaret,decreuisse se,vt extrema pati,quàm vt in fraudem Reipub. vel tantillum in Liuonia terræ, in qua Moschus vestigium faceret,ei relinqueretur. Perfectum igitur est, summa Dei Opt. Max. benignitate, cura & authoritate sacrosanctę sedis,auspicijs regis,fortitudine ducis, legatorum industria, inuicti exercitus tollerantia & perseuerantia; vt vniuersa, quæ Moscho parebat Liuonia,nostræ fieret potestatis. Qua parta, geminatam legationem ad regē Sueciæ affinem suum, mittere placuit, qua,quod adhuc reliqui in Liuonia erat, certis conditionibus sibi ab affine concedi Rex postulabat: & demùm his ita gestis, ad constituendam Rempub. totum se conuertit. Erat ab eo superioribus conuentibus postulatum, vt de modo & ordine electionis certi aliquid constitueret. Omnium quippè comitiorum magnus est æstus; sed electionis maximus. Itaq; à bello victor reuersus, indixit Varsauiæ totius regni cōuentū & in ordinū deliberationē posuit id, ꝙ certa forma & ratione electionis præscribenda, ad salutem & dignitatem Reipub. inprimis spectare iudicauit. Sed latêre hic aliquid nonnulli suspicabantur:infectisq; rebus, tàm ex illis, quàm ex proximè præteritis comitijs discessum est;exemplo, vt mea quidem fert opinio, non satis ad posteritatem commendato. Sunt enim,parui animi, & inopiæ consilij, friuolæ suspiciones argumentum: magno autem animo & multiplici consilio Respu. gubernatur. Spe sua frustratus Rex, clauum nihilominus non abiecit, ad quem diuino nutu & potestate erat positus; sed eo etiam magis, quo pacto fidem & operam suam, laboranti Reipub. probare posset, nulli vnquam rei & tempori indormiuit. Mahmetes primùm, deinde Aschlan Cherei Tartarorum Chani eius regno imminebant: hos perterruit

ruit, & ad mittendam legationem adegit: Podoliam eorum armis obnoxiam pacatiorem cultioremq; reddidit. Magnus Moschorū dux est mortuus. Mox Haraburdam in Moschouiam misit, & gentis illius consilia penitioraque omnia scire, & peruestigare contendit; ad mittendam denique ad se legationem Moschouiam excitauit: nouas & perniciosas res moliri Riga cœpit: hanc primùm literis, pòst & militibus suis sic exterruit; vt per Curlādiæ ducē supplex veniam petere, & Grodnam ad Regem legationem mittere, non dubitaret. Multæ in Lituania & Liuonia arces muniendæ erant: quoâd melius potuit, muniuit, & præsidio commeatuque confirmauit. Salinæ nō ita multum pecuniarum cùm in regnum venisset in ærarium importabant: has ferè dimidio auxit. Gedanenses, Rigenses, ad pēdendum portorium adduci poterant nunquam, hos adduxit. Vectigalia regni accisa fuerant: hæc Marienburgensi, Grodnensi, Derpatensi, Samboriensique œconomia, tot prædijs & præfecturis ei adiunctis locupletauit. Venationes, quibus Lituania claret, immi nutæ videbantur: has circa Grodnam ita excoluit; vt toto orbe terrarum, plurimarum & diuersissimarum ferarum venatus nusquam sit maior & copiosior. Postremò, dimissis Grodna Moschouiæ oratoribus, qui ad eum splēdido & frequenti aduenerant comitatu, in eam curam totus incubuit, vt suo tēpore & loco haberētur comitia: in quibus quàm multa, honesta, vtilia, necessaria decerni volebat, legationes eius, per omnia omnium regni prouinciarum municipia sparsę & dimissę testantur. Iam quid ego de virtutib⁹ eius multis & maximis loquar? Quid pietatem in Deum, charitatem in patriam, beneficentiam in omnes proferam? Quid iustitiam, quid fortitudinem, quid mānsuetudinem, quid temperantiam eius cōmemorem? Maiora hæc sunt, quàm vt non dicam mea, quæ minùs quàm mediocris est; sed eloquentissimi etiam cuiusq; viri par esse possit ijs oratio. Infer oculos in omnes regni hui⁹ partes: Cracouiæ, Vilnæ, Lublini, Polociæ, Claudiopoli Societatis Iesu templa & Gymnasia, ab eo partim fundata, partim locupletata intuēre. Episcopatum Vendensem in Liuonia denuò instauratum, in Transyluania designatum animo alium cōsidera: castissimam Dei Opt. Max. propagatam religionem, multas erectas aras ac sacraria, tot denique atque tanta alia pręstita aspicias, quibus non adumbrata, sed clarissima extant vestigia, præstantis eius animi, & ardētissimæ pietatis. Amor verò erga hanc Remp. quantus in hoc rege fuerit, commodisque & ornamentis ipsius omnibus quomodo prospexerit, ac denique si vita suppetijsset prospicere magis quo pacto voluerit; docent hæc magnifica templa & ædificia publica ab eo erecta: Domus verè regia Grodnæ exstructa: ecclesia ædificari cœpta: Lobsouia nouis ædificijs aucta: Xenodochiū Varsauię cōditū, & emptis possessionib⁹ ditatum. Arx denique Varadinen. totius Transyluaniæ propugnaculum, magna eius cura & sumptu munita facit testatū. De liberalitate & beneficentia eius non loquar, cum difficile sit, eos, quos beneficijs affecit, percensere omnes, postponere alijs alios indecorum videatur. Tantùm illud, & quidem vere libereque dicam: nullum vnquā post conditū hoc imperium, Regē fuisse, qui paratis seu numeratis pecunijs dandis, maiori liberalitate & beneficentia erga suos vteretur. Iustitia fuit tāta, vt vita priùs q̄ recta sententia decederet: nec vllius meritorū aut conditionis rationē in iudicio haberet: nec denique publicorū munerū aut dignitatū, mercatū vllum institueret. Est. n. omnis mercatura vilis, sed dignitatum vilissima: à qua ille ita abhorruit, ita ius dixit, ita iustitiā coluit; vt nō secus quàm Salomon alter in iudicio præsideret. Testes sunt istę lachrymę & suspiria populi: testis squallor & mœror regni vniuersi: testes bonorum omnium voces, qui non dominum sed parentem, non Regem, sed libertatis suæ vindicem & patronum amisisse se profitētur. Age, quanta mansuetudine, & fortitudine pariter fuerit, videamus: quas ille virtutes, quodāmodo inter se disiunctas, diuturno rerū vsu & prudentia cōiugauit. Fuit. n. si quis vnq̄ fortissimus, siue in adeūdo hoc regno eius animū considerès, siue tot pericula adita, tot vitæ incōmoda, tot maledicta, magno animo ab eo lata intueare; & tamen vicissim tā clemēs & māsuetus fuerat; vt non magis fortitudo ipsius in acie hostes terruisse, q̄ mansuetudo victorū animos in amorē rapuisse videatur. Quo etiam est factū, vt si vixisset diuti⁹, Moschouitico imperio auctū eū fore plurimi augurētur. Quā verè nescio: Illud quidem nō dubitāter affirmabo, magnā virtutis & benignitatis ipsius vel apud hostes famam fuisse: eo verò salutari⁹ acci

Flos alius vitæ [illegible] mihi vtroq; parente
Et patria orbato [illegible] tristis fuit.
Erant hæc carmina Cracouiæ impressa apud Hieronymum Vietorem 1544. in 8°.
titulo Pannonia [illegible].

dere nihil Reipub.potuisse:Coniunctæ enim vires crescunt, distractæ pereunt. Restat, vt de temperantia, frugalitate, & sobrietate ipsius, pauca adhuc verba faciam. Quãquam hoc frugalitatis nomine, præpotentes & magnanimos reges, laudare scio nõ solere. Fuit ergo in victu, vestitu, venereis, omnibusq; alijs voluptatibus, quibus potentiores diffluere solent, continens, & moderatus. Fuit omnibus comis: aditu & allocutione facilis: intelligentia sagax: lingua ad respondendũ promptus: fuit & obtrectatoribus adulatoribusq; infestus; eum, qui aliquem apud eum accusasset, cùm expediebat, cælare non est solitus; idem fidei quæ silentio debebatur, custos eximius: ita denique virtutibus omnibus cumulatus; vt non iam præceptionibus, sed instituto vitæ; nõ hortatu, sed exemplo suo, multos à luxu parsimonia, ab impuritate morum continentia, ab omni vitiorum genere & turpitudine, decore & honestate auocare niteretur. Quo, quantum quidem effecerit, iudicent alij, mihi satis fuerit digitum ad fontem (quod aiunt) intendisse: & qualem & quantũ in hac Repub. Stephan⁹ se præstiterit Regem ostendisse. Est sanè factu incredibile, ea quæ tot seculis delapsa fluxerunt, paucorum annorum spatio, vincere vnũ potuisse. Licet tot tantosq; capite plexos, tot infamia ab eo notatos liceat numerare. Multis voluisse sat est, lampas (quod aiunt) quæ tradetur, mortuorum studia & instituta faciliùs illustrabit. Sed age, progrediamur, & quàm multæ & nobiles eius etiam sententiæ, quàm multa plena reconditæ sapientię atque doctrinæ, videamus. Solebat ille crebris vsurpare id sermonibus: Qualis quisque princeps in vita fuisset, supremam eius diem nõ obscurè demonstrare. Multos sibi sepulchra condere, & centum millibus passuum ab eis mori atque tumulari. Homines, si vel indices ab alijs fraudarentur, cum hominibus, & non cum brutis animantibus, viuere oportere. Pugnæ locum in campo aliter eligi, aliter in ædium penetralibus cogitatione designari. Multos de principum consilijs iudicium ferre, sed non peræquè esse conscios causarum. Polonos, si Hungaris sapientiores regibus eligendis non fuerint, nec futuros esse feliciores: multa & magna alia dicta & sapienter eius consulta lubens prætereo, ne longa eorum enumeratio ne sim molestus. Iam quanta dignitate oris & actionis, quanta habitudine corporis, quanta & quàm admirabili militari facundia præditus fuerit, quæ denique & quanta animi & corporis ornamenta omnia habuerit, longum esset percensere. Quare, si olim Gaditan⁹ quidam, Titi Liuij fama commotus, ab vltimis terris visum eum Romam venit, simulque ac vidisset discessit; quot & quantos putamus venturos ad hũc Regem fuisse, si quis & quantus fuerat penitiùs eum cognouissent? Omnia namque in eo concurrebant simul, virtus, sapientia, potentia, vsus & tractatio rerum, cognitio linguarum, literæ, cura, cogitatio, & omnes denique artes, tàm belli, quàm pacis. Quid igitur dicat aliquis? nihilne erit, quod in eo quoque reprehendas? nihil nobis relinquas in vita, moribusque eius notandum; quo à rebus se indignis regum etiam alij fortasse absterreatur? Est enim magistra morum & frænũ improbitatis historia: cuius cùm istę laudationes, quæ in clarorum virorum morte aut funere fiunt, magnam partem occupare soleant; qd obstat, quominùs ijs, quæ laudanda erant, enarratis, vitia etiam molestè breuiterque notentur, ne solis laudationibus mendosa sit oratio? Quo nomine rerum Romanarũ scriptor, nescio quis, Romanos suos reprehendit. Itaque sic dico, sic pronuncio, sic me intelligi volo; quòd aliqua etiam, quæ in Stephano reprehendi poterant, tandem vobis relinquo: & regem hominem esse fateor: ea lege & caligine seculi natum & versatum; vt hanc sarcinã corporis deposuisse, quàm hominem totum exuere potuisse priùs non videatur: Sed illud vicissim cõtendo, per omnem vitam dedisse illum operam, vt quàm minimis paucissimisque vitijs laboraret. Etenim cũ sine vitijs viuere non possumus: expedit vt eo minora paucioraq; habeamus. Fuerit sanè, quàm regem fortasse decuisset, in iram pronior: an cùm recollegisset se, mox nõ fuit sedatus & moderatus? Dissimulare, quod prudentiæ est, nũquam voluit: at & simulare, quod malignitatis habetur, ne cupiuit quidem. Domesticis multis multa credidit: & consilia sua aliqua, quàm par erat, citiùs in vulgus manâsse intellexit. Fuit persuasũ facilior: fuit & obstinatior aliquãdo. Fuit valetudinis negligens, & vitæ prodigus suæ; quod pericula tot ab eo adita; tot superata testantur mala. Fuit plus, quàm regium videbatur, diligẽs ac experiens paterfamiliâs. Interim etiã ęs alienum nobis dissoluendũ nõ reliquit:

& ea quæ accepit, non tantùm sarta tecta'q; cum conseruauisse, sed etiam amplificauisse, quis ignorat? Multa & magna tributa à nobis exegit: multa & magna vicissim ijs perfecit. Vrbes, & ædificia ampla vitabat: minora oppida & rura frequentabat. Promissorum erat tenax; sed & in promissis cunctator est non tatus. Magnarum rerum fuit admonitus; sed & in magnis lapsus est vel nonnunquam. Ingratus erga aliquos est dictus: non est, quod laudē, si verè; pectoris mei angustiæ non capiunt, si temerè. Illud quidem dico, vt ingrati animi magnum est vitium; sic non commemorari sed exprobrari videtur beneficium; quòd, quò maius difficiliusque relatu sit; eò pro gratia odium sæpi⁹ retulerit. Religiosus videri potiùs quàm esse, putabatur; vel ab hoc extremo ei⁹ actu vitæ, sumpto argumento suspicari: intellectus imbecillitatis & hominum est vitium; certò scire & cognoscere, opera sunt diuinitatis. Illud ego quæro, num satis non fuerit, cùm tua omnia omnibus probare non possis, bonis saltem si probaueris? & quisquam dubitabit, hæc leuiora vitia pensâsse eum virtutibus etiam singularibus, omnes anteactæ vitæ sordes, pietate & castimonia eluisse; dedisse non adumbrata, sed oppressa signa suæ religionis atq; virtutis; rerum postremò gestarū splendore & magnitudine (vt ita loquar) suos in corpore neuos obscurasse? ita vt & Regē fuisse, & multa regia eū in se habuisse, nemo negauerit: & cùm virtutib⁹ proprijs, tùm vitijs etiam alienis magnum & admirabilem principem tota Europa extitisse. Nisi fortè, vt dictū est; in hoc extremo quasi actu vitæ, in eo aliquis aliquid desideret: dissimilem quodammodo sui dicat fuisse, & tantùm itineris ardui, tantùm longinquæ profectionis sine sacro comite, sine cælesti viatico, conficere eum voluisse: Cui ego sic respondeo, ne id profectò si diutiùs vixisset pretermittere eū voluisse: Cui ego sic respondeo, ne id profectò si diutiùs vixisset prætermittere eum voluisse. Iam quidem tū cùm mors instabat, cùm membra gelida erāt, omnia cùm difficilis anhelitus occuparat præcordia, vix aliquid aliud præstare eū potuisse: sed illud certè mirandum in eo videbatur, quòd paucis ante mortem diebus sic christianè est philosophatus, verbaque ad senatorem quēdam proferre ea non dubitauit: Liceat me, inquit, affari te verbis illis: Annos tres & quinquaginta exegi: qui, quales sint, scio; quales futuri sint, ignoro.

Enimuerò dubiū esse potest, quàm hoc piè & religiosè dixerit: quā porrò præceps & lubricus iste sit agonis locus: quàm denique omnia in homine plena spei & cōfidentię videantur. Floret hîc; marcescit illic: totū se confert huc; mox trāsit illuc: sperat & exspirat fortis quālibet Imperator. Noster quidē Stephanus, ita vitam egit; vt in contemnenda morte sapiens videri vellet: Mortē certè ipsam obliuioni non traderet, spiritum suum pro Rep. vilem duceret; sed salutis ęternę iacturam ne faceret, sedulò procuraret: venationibus multū temporis daret; sed & cultum diuinū quoad eius fieri maximè poterat, nunquā negligeret; ac de breui & incerto exitu vitæ, dies noctesque cogitaret. In hoc, inquam, cùm totus esset, à venationibus Grodnam reuersus, ex magnis illarum regionum frigoribus, repētinos horrores sentire cœpit; & domi aliquandiu præter morem conquieuit. Mox verò aduentante dominico die, continere se non potuit, quominùs in templo, sacro & concioni publicæ interesset. Vnde demùm, pręgrauante morbo, corpore vasto & repleto, mēbris omnibus iā antè debilitatis, ægritudine animi & corporis aucta, extinctus est Idibus Decembris. Nos in hoc squallore & gemitu, in his miserijs, in hac interregni reliquit tēpestate; vt, cuius antea virtute intercludi hostium audacia; cui⁹ occupatione otiū, labore quies, industria commoda & ornamenta nostra contineri; hæc eadem omnia ei⁹ interitu, & collapsa & prostrata videantur. Quæ, cū ita sint, si Boleslao Chabri Rege olim mortuo, vniuersa Polonia, totum annum in tanto luctu & squallore fuit, vt, ne cōuiuia vlla, neq; choreæ celebrarētur, neq; cultioribus vestibus nobilium virorū aut fœminarum quisquam vteretur; nos tandem in huius & tanti regis morte, quid faciemus? quas voces edemus? quo dolore & gemitu, mortuum prosequemur? Amisimus sapientem regem: iustum iudicem: fortem, & strenuum bellatorem. Perdidimus decus & splendorem patriæ, præsidium stabilitatis, ornamentum dignitatis nostræ. Hic demùm rex, non modò nobis præfuit; verumetiam profuit; non solùm nos rexit: sed & texit: non solùm seruauit: verùmetiam beauit: non modò nobis detraxit calamitatē: sed & auxit cum imperio dignitatem. Quò abijsti pater? Quò raptus es gubernator? Quis te nobis abstulit præsidem & vindicem libertatis? Siccine cæteris animantibus vita

erit longiſſima, hominibus breuiſſima? Viuent annos alij Neſtoreos: tu in medio felicitatis curſu, in media rerum gerendarũ via nos deſeres? Gaudium luctus, mœror gratulationes, gemitus laudationes noſtras includet: hem, quàm fallaces ſpes, & inanes hominum ſunt cogitationes! Tu hoſtium noſtrorum terror: tu amplificandorum commodorum & ornamentorum author: tu noui imperij conditor eſſe debuiſti. Tu verò in ſquallore & gemitu; tu orbatos ope, conſilio, & authoritate deſtitutos tua nos reliquiſti: tu in beatiſſimarum mentium conciliũ; tu in illum plenum ſyderum & illuſtrem locum, longè à nobis diſceſſiſti. Nos iactamur his interregni fluctibus: nos tot & tãtis ſcopulis expoſiti ſumus: nos tanquam ſine nauclero nauis in alto fluitamus. Tibi præter hoc mortale corpus deceſſit nihil: expers es malorum omnium: pro hac caduca & fragili vita (ſi vita & non mors potiùs eſt dicenda) cumularis beatitudine ſempiterna. Nos quidẽ, quam iam tibi gratiã aliam referamus, non habemus; quàm beneficijs tuis erga nos memori mente colendis, & meritis virtutibusque tuis prædicandis. Si omnibus, quibus cum vixeras placuiſti; debuiſti: ſi id non præſtitiſti: neque omninò potuiſti. Tua in Hungaria adoleuit pueritia: in Germania & Italia exercuit ſe adoleſcentia: virtus illuſtrata eſt in Polonia. Rerum abs te ſplendorem & magnitudinẽ totus terrarum orbis eſt admiratus. Hauſiſti inde ab ineunte ætate, diuinarum humanarumque rerum cognitionem omnium: verſatus es in varijs munerib⁹ & aulis principum: functus es legationib⁹ ampliſſimis: idem ſemper fuiſti tẽporibus duriſſimis: adijſti pericula plurima, & maxima: nõ in vmbra, & otio; ſed ſemper in acie & certamine es verſatus. Hoſtes dominandi libidine inflammatos, potẽtia feros, vicinitate infeſtos, fama rerum geſtarum formidabiles alijs, domuiſti. Expertus eſt tua arma rebellis ſubiectus: grauiter ſenſit Moſchus: Turca timuit: Scytha perhorruit. Ampla in patria munera induſtria, honorificas legationes fide & diligentia, Tranſyluaniam fortitudine, Poloniam conſilio, omnia honoris inſignia virtute es conſecutus. Aucta eſt per te Polocia, & Vieliſio Lituania, recuperata Liuonia, pacata Podolia, Mehmete & Aſchlan Cherei Tartarorum Chanis perterritis, Podkoua, & Iancula Valachis caſtigatis, Amuratis Turcæ minaciſſimis legationibus contemptis, omnium Regum, principum, & populorum nationumque ora in te ſunt conuerſa. Plena denique & referta ſunt cũcta, magnificentiæ, bonitatis & religionis tuæ: tot tantaq; tẽpla, xenodochia, arces, ædificia erexiſti. In victoria, quæ ſuperba & inſolens eſt, teipſum viciſti: Rex bello clarus, pace iuſtus, conſilio grauis, animo inuict⁹ extitiſti. Sed finis ſit: bonorum enim regum exaggerãda morte, mortis eſt Reip. quaſi initiũ: q̃ cùm immortalis eſſe debeat; nefas eſt in vnius mortalis vita, poſitã eam eſſe opinari. Te ego Deus Opt. Max. Regũ & regnorum authorem omniũ, te, inquã, imploro & obteſtor: vt quemadmodũ hũc Stephanũ regem, per oẽs omnium honorũ gradus, ad regium faſtigium euexeras, tot bonis auxeras, tot & tã pręſtantibus victorijs illuſtrâras; ita ei defuncto, noxarum veniam, huic regno florentiſſimo Europæ propugnaculo, illibatæ domicilio libertatis, concordiam, regem denique pium, iuſtum, fortem, prudentem, beneficum, quàmprimum nobis largiaris.

(.·.)

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM HVIVS OPERIS.

A.

Aron Gallus primus abbas Tinecenſis 53. a. quando Archiepiſcopus Cracouienſis factus 32.b.53.a
Abas ſiue Ouon rex Vngarorum 53. a.à ſuis interfectus ibid.
Abbatias ſine aſſenſu regio non accipi in Polon. 366.b
Abimelech rex 27.a
Aborigines cur Itali dici voluerint 2.a
Abraam Pincerna 135.a
Abraam Sbanſcius factioſus 314.b hæreticorum fautor 321. b. eius interitus ibid.
Abraamus Palatinus Plocēſis 238.a
Abſolutio Henrico Barbato à iureiurando impetrata 137.b
Academia in Polonia per Cazimirum regem Cazimiriæ inchoata 217.a. per VVladiſlaum Iagellonem Cracouiæ conſummata 258.a
Achilles de Graſſis epiſcop. Modæcenſis legatus Pontificis 544. a Cardinalis ibid.b
Achmates Pazaitis Turcorum Imp. filius ad Zophi Perſarum regem profugit 551.a. eius filiā ducit ib.
Acta inter Polonos & Boemos 260.b
De Actuarijs ſiue notarijs terreſtribus 298.a
Adalbertus Caſtellanus antiquæ Vvladiſlauiæ 135.a
Adalbertus epiſcop. Magdeburgenſis Slauis ab Ottone I. miſſus 31. b. eius brachium Boleſlaus I. Ottoni Imp. dat 36. b. Romæ vbi depoſitum ibid. corpus Gnesnā tranſlatum ib. a. propter Boemōrum metum occultatum 49. a. iter in Pruſſiam 36. a. res geſtæ, cædes ibid. iter in Vngariam & Poloniam ibid. reliquiæ è latebris erutæ 88.b
Adam Conarius epiſcop. Poſnaniēſis 491.b
Adamus Conarſcius epiſcop. Poſnanienſ. pacem inter Ioannem Sigiſm. & Ferdinand. imperat. componit 714.a
Adiuratio ſtulta 374.a
Adleida Andreæ Vngarorum regis filia 63.a
Adleida Cazimiri filia 117.b
Adleida Henrici V. imperat. ſoror nubit Boleſlao III. principi Polon. 80.a
Adleida Leſci ſoror quando mortua 130.a
Adleida Miecislai Boleſlai III. filij vxor tertia 102.b
Adleida Miecislai ſoror 33.a
Adleus Chiereius Deuletis Tartarorum principis filius 794.b. Galga à fratre creatus ibid. à Perſis captus & interfectus ibid.
Adolphus Cæſar 181.b
Adolphus Holſatiæ Dux iure feudi Liuoniā à Stephano Polon. rege petit 762.a
Adrianopolim ſedem ſuam vnde & quando tranſtulit Turcarum princeps 283.b
Adrianus VI. Papa creatur 585.a. moritur 587.a
Aduocati domus Cracouiæ 192.a
AEgeum mare à Turcis infeſtatum 446.a
AEgidius abbas Boleſlai III. tutelaris 88.b. eius monaſterium & ſepulchrum 63.b
AEgidius Cardinalis epiſcopis in Polonia creandis præeſt 33.a
AEgidius Mutinēſis epiſcopus 117.a
AEgyptiorum origo 2.a
AEmus fluuius 684.a
AEneas Syluius ſiue Pius II. papa 363.b. cur Polonis iniquior 37. b. eius de Ciecho & Lecho ſententia 14.a. error 37.b.157.a
AEſtus & ſiccitas in Polonia 412.b
Africa per Gothos & Vandalos vexata 3.a
Agathia Ruſſa Conradi Maſouiæ ducis vxor 134.b. ei⁹ contumelia in cadauer Ioānis Ciaplæ 141.b
Agathocles Siculorum tyrānus priſtinæ fortunæ memor 22.b
Agnes Henrici III. mater 36.a
Agraria ſiue iugeralis contributio quando noua decreta 260.a
Alanus ſecundus, primus ex Aſia in Europam profectus 2. a. quot & quos filios habuerit ibid.
Alba regia à Maximiliano Cæſare capta 437.a. Vngarorum regum ſepultura celebris 233.a
Albę Ruſſiæ magna pars amiſſa cui imputanda 466.b. à Moſchis ſubacta 430.a b
Albania à Turcis vaſtata 438.b. eius munitiones 330.a. incolas quando Turcæ profligauerint 228.a
Albertus aduocatus cuius defectionis author 192.a
Albertus Auſtriæ archidux rex Vngariæ 633.a. pacificatio cum Crucigeris quaten⁹ ei permiſſa 366.a
Albertus Auſtriæ Dux; rex Vngarorum & Boemorum creatus 319. a. quando & à quibus cæſar appellatus 320.a. cur ei Morauiam Sigiſmundus cæſar donauerit 296. b. cum eo quale fœdus icerit Cazimirus III. 375.b
Albertus Auſtriæ Marchio cum Boleſlao III. confligit, & in fugā vertitur 88.b & ſeq.
Albertus Bauarus cur regnum Boemiæ oblatum repudiauerit 325.a
Albertus Brandeburgēſis Marchio dux Pruſſiæ 320. a. 396. b. 524. b. ſummus magiſter Crucigerorū creatur 545.b. Regi Polon. rebellis ibid. quāti Sigiſmundum Auguſtum fecerit 709. b. bellum in Sigiſmundum I. molitur 566.a 574.a. Fabiano Varmienſi epiſcopo bellum indicit ibid. b. victus deditionem meditatur 576. a. literas ad Sigiſmundum dat ibid. ad eum veniendi ſalui conductus literas impetrat ibid. ſupplex ad eum venit; ſed auctus nouis copijs poſtridie ſpe pacis ſublata redintegrat bellum 577.a b. ad Ludouicum Vngariæ regem profectus, fruſtra petit, vt pro eo intercedat apud Sigiſmundum pro pace 590.b. hinc ſententia mutandę religionis ibid. fit Lutheranus, habitum exuit, & quibuſcum conditionibus cum Sigiſmundo paciſcitur 591.b. fit dux Kinsbergenſis 592.a. eius gemina victoria de Mathiæ regis exercitu 427.b
Albertus Cæſar 185.b. à quo & quando interfectus 186.b. eius laus 321. a. mors qualis 322.a
Albertus Ceſſinenſium Dux in Sileſia 27.b
Albertus Coſcelecius palatinus Breſtenſis 203.b
Albertus Cracouienſis epiſcopus cancellarius Poloniæ 285. a. eius odium ibid.b
Albertus Crantius Hiſtoricus 3. a eius error 11.a
Albertus Gorſcius contra Crucigeros miſſus 374.a
Albertus Iaſtrembecius Gneſnenſis archiepiſcopus 291. b. per ambitionem epiſcopus Cracouienſis factus 280.b. ægrè epiſcopam retinet 282.b. eius cādor 312. b mors 318.a
Albertus Laski palatinus Siradienſis 713.b
Albertus Miſnenſis marchio à Boemis fugatus 407.a
Albertus Narbuthus Lituanus Kiouienſis epiſcopus 413.a
Albertus Rigenſis archiepiſcopus 132.a
Albertus Rudolphi Imp. filius quādo Auſtriæ, Styriæ &c. dux appellatus 170.b
Albertus Sendomirienſis Palatinus à Tartaris occiſus 209.b
Albertus Stempocius à quibus cæſus 143.b
Albis fluuius 14. a. 662.a. ei præſidia impoſita 24.b
Albus Poloniæ Dux Dijoni ſepultus 728.b
Alcairum vrbs à Turcis ſubacta 568.b
Aldemburgum Holſatię vrbs à quibus condita 103.b. eius Ducum origo 46.b
Alemannus Germanorum rex 2.a
Alexander Cazimiri III. F. magnus Dux Lituanorum 438.a Polonorum rex renunciatus 449.a coronatus 450.a. paralyſi affect⁹ 454. a. eius iuramentum 449.b. pacta cū Bogdano Valacho 455. b. de funere contentio 457. b. effigies, liberalitas, prodigalitas ibi.
Alexander Iaroſlai filius Pleſcouiā in libertatem vindicat 799.b. Liuonienſes vincit ibid.
Alexandri Magni bellum fabuloſū cū Polonis 21.a. eius legati excoriati remiſſi ibid. pictorū & ſculptorum delectus 460.a
Alexander Medices fit dux Florentiæ 587.a
Alexander III. Pontifex Maximus 109. b. eius fuga ad Venetos ibid. IV. 158.b. V. 264.a. VI. 432.b
Alexander Tridentinus epiſc. legatus ad Polonos 662.a
Alexander Valachiæ Palatinus quan-

quando & vbi in verba regis Polon. iurauerit 283.b. 345. a. quomodo extinctus 304.b

Alexander Vigundus veneno sublatus 250. b.251.a

Alexādra Iagellonis regis soror cui nupserit 247.b

Alexij Constantinopolitani Imperatoris fuga 121.b

Alexius Emmanuelis filius extinctus 109.b

Alfonsus Calabriæ princeps 432.b

Alfonsus II. Neapolitanorum & Arragonum rex 467.a

Algardus Comes Hoenstenensis 250. a

Alla fluuius 487.a

Allenburgum Prussiæ oppidum 272.a

Allesteinum arx 487. a.quando à Polonis captum 283.a

Almus Colomanni frater Vngar. rex à Polonis reductus 73.b.75.a

Allonis de Stemberk Boemi interitus 210.a

Alueus à Cracouia Bochniam ductus 217.b

Amantium exemplum insigne 660. a.b.& seq.

Ambitio pestis rerumpub.18.b.quā tum malum 602.a

Amedeus Allobrox à Concilio Basiliensi Pontifex maximus creatus 324.b

Amedeus Vngariæ palatinus 185.a

ἀμνησία 51.a

Amurathes primus Turcarum Dux 228.a

Amurathes Turcarum rex quando Vngaros vexare cœperit 320. b. quibus conditionibus Vvladisl. Polon. regi fœd⁹ obtulit 635 a.suos in Europam reportat 684. a.eius superba ad VVladislaum III. legatio 327.b. clades ad Bielogrodum ibid. mors 338. b. ei quibus conditionibus inducias decem annorum concesserit Vvladislaus III. 330.a

Anastasia Vvseuolodimiri Halicicensium principis filia vxor Boleslai Crispi 101.a. quando mortua 103.a

Andreas Aurea vastat Epirum 610. a.inde Peloponesum ibid.

Andreas Belæ Vngarorum regis filius qua fraude Haliciam occupauerit 114.b

Andreas Bninius Posnaniensis episcopus Sbansinum arcem armis adortus 321.b.moritur 428. b

Andreas Brochocius 274.b. ei⁹ laus & pietas 290.b.victoria de Nessouiensibus præsidiarijs ibid.

Andreas Caligarius legatus Pontificis 762. a

Andreas Cazimirus VVladislai Iagellonis filius natus 294. b. eius fatum ab astrologo prædictum ibid.

Andreas Cedrouicius proditor à Crucigeris pecunia corruptus 190.b

Andreas Chorostinius Palatinus Moscus 818.a.eius interitus ibid.

Andreas Cōstantinopolitanus theologus legatus ad Polon. principes 296.b

Andreæ Coscelecij obitus 563.a

AndreasGryphius Scholasticus, Plocensis episcopus factus 140.a

Andreas Iagellonis frater 246. a. quas pœnas temeritatis dederit ibid. quomodo dimissus 251.b

Andreas Kiouiensis arcis præfectus 86.a

Andreas Ladislai Calui F. in Poloniam profugus 46.b. exulans in Russia reuocatur, & rex Vngariæ fit 53. a. Christianismum reuocat ibid.b. Belam fratrem ab exilio reuocat, & regnum cum eo partitur 54. b. eius fuga & mors 56.a

Andreas Lascaris præpositus Vvladislauiensis 279. a. Posnaniensis episcopus electus vix assensus est 282.b

Andreæ Masouij equitis facinus audax 197.a

Andreas Odrouanzus Palatinus Russiæ 357. a. eius impotentia 385.b. ei tutela Valachiæ mandata 341.a

Andreas Olgerdi filius 242.b

Andreas Opporouius Varmiensis episcop. designatus 408.b

Andreas Patricius 716.b

Andreas Posnaniensis episcopus 184.b

Andreas Rosa archiepiscopus Gnesnensis 451.a

Andreæ Rospirensis castellani timiditas 190.b

Andreas Sniradouius Camenensis castellanus 235.b

AndreasTaranouius legatus in Turciam 715.a

S. Andreæ templum extra Cracouiam contra Tartaros defensum 144.a

Andreas Tencinensis Tarnouiam cum exercitu missus 658. a. Presburgensem agrum vastat ibid.b

Andreas Tencinius de stupro reginæ insimulatus 262. a. Voiniciensis castellanus 274. a. eius consilium de soluenda obsidione Marieburgi ibidem. charitas in patriam 301. b. crudelis cædes, eiusque caussa 369. a. de cæde iudicium regium 370.b

Andreas Tencinius Lublinensis Palatinus 564. a. Legatus ad Boemos ibid.

Andreas Vassilo episcopus Vilnensis in Lituania 247.a

Andreas Venetus Vngarorum rex 185.b

Androuiense monasterium à quibus conditum 98. b. eius tributa 99. a. à quo communitum 138.b

Andronicus Emanueli necato filio Alexio succedit 109.b

Angelos sanctissimas mentes dici 270.a

Anglia quando Romano Pontifici vectigalis facta 122.a

Anglorum cum Gallis belli origo 115.b. in Moscouiam nauigationes 744.b

Animi bona & appellatio 468.b

Animorum habitudines vitamque exprimere difficile 460.a.b

Anna Basilij & Constantini Imperatorum soror 34.b

Anna à Boleslao Masouiorum duce repudiata 425.b

Anna Cazimiri II. filia cui nupta 223.b

Anna Cazimiri II. regis vxor lusibus & musicis dedita 207.a

Anna Cazimiri III. filia Boguslao Pomeraniæ duci nupta 437. a.462.a

Anna Conradi ducis Masouiæ filia 27.b

Anna Henrici Pij vxor 146.a

Anna Iagellonis vxor quando mortua 284.a

Anna Masouiæ dux 546.a. à Masouijs in arce Makouua obsessa 566.b. eius gubernationem Masouij fastidiunt ibid. filio Stanislao concedit ibi.

Anna Mechelburgensis ducis filia 539.b

Anna Sigismundi Augusti soror 718. a. b. & sequenti. eius obitus 576.b

Anna VVladislai regis Vngar. & Boem. filia, vxor Ferdinandi. 462. a.eius desponsatio 561. b

Annonæ caritas in Polonia 85. b. 365.b.398.a.401.b.402.a

Anonymos historicus 14.a

Ansiaticæ ciuitates se Sigismundo Augusto subdere volunt 711.a

Antæ populi Slauinorum consanguinei 4. b. Vinidæ appellati 11.a. eorum situs ibidem b. vita 6.b

Antonij Sabellici de Slauorum diuisione locus 16. a.b. error multiplex 395.b

Antoninus Bonfinius Vngaricæ historiæ scriptor 3. a. 53.b, 328.b vide etiam B.

Antoninus Zenus legatus Pontificius cur in Poloniam missus 289. b.eius integritas ibid.a

Antonius Posseuin⁹ Legatus à summo Pontifice ad Moscos 795. a. è Polonia ad Moscos profectus ibid. b. ad Stephanum regem reuertitur 808. b. & seq. literis Moscos ad pacem hortatur 809. a. b. cur in Senatum Polonicum non admissus ibidem & sequent. quæ cum Mosco egerit 828.a

Apelles pictor 460.a

Apostoli 30.a. eorum Diuisionis festum in Polonia celebre 271.a

Apostolica sedes quamdiu vacauerit 164.a

Appiani Alexandrini Illyricus quid tractat 4.a

Apulia à Turcis vastata 432.a

Aqua à Prussis culta 42.b

Aqua mulsa Russorum & Podoliorum potus 434.b

Aquila alba Polonorum principum insigne 17.b.266.b

Aquilæ quatuor defendunt proiectum cadauer Stanislai episcopi 61.b

Arabum origo 2.a

Arcadum migratio 3.b

Armenia à Turcis subacta 40.b

Armeni in Podoliæ & Russiæ oppidis 500.b

Arnoldus comes 135. a

Arnoldus Culmensis episcopus 349.b

349.b
Arnolphus Imperator Occidentis 31. a. contra Morauos pugnat 28.b
Arte & dolo quando vtendum in bellis 201.b
Arteſia quando ad Auſtriacam familiam peruenerit 411.b
Aſarmoth qui dicatur à Moſe 12.a
Aſcherotum Moſcis deditum 735. a. b. Moſcorum in eam crudelitas ibid.
Aſcolta Giulæ Tranſyluanorũ ducis filia Geiſæ vxor 33.b
Aſia minor à Perſis vaſtata 409. b. in Aſiam quando Turcæ imperium protulerint 40.b
Aſſentatio quale malum 477. b. aſſentatoribus optimum apud principem locum eſſe 131.a
Athenienſes αὐτόχθονες dicti 2.a
Atintani Dalmatiæ populi 4.a
Auaritia quantum malum 706.a
Auguſtiniani monachi in Poloniam ducuntur 101.a
Auguſtinus Campanus 629. a. tormentis ſubiectus interijt ibidem.
Auinio vrbs cur Rom. Pontifici donata 210.b
Aulæ Principum quibus rebus refertæ 82.a
Aurei nobiles ſiue duplices ex Mariebutgo arce exportati 274.a
Aurum in fame vile 328.b
Auſtria ab Aba infeſtata 53. a. ab Andrea Vngarorum rege ibid. b. à Mathia & Vngaris 411. b. 431. b. 435. a. à Tartaris 146. a. à Turcis 604. a. à Maximiliano imperatore recuperata ib. b. quando in ditione Boemorum venit 155. b. eius ducum & archiducum origo 170. b. inter Auſtriæ domum & Cazimiriadem familiam odia ob Vngariam & Boemiam 556.a

B.

BAbeberga Frãconiæ vrbs 80.a
Bacchibotum 24.a
Baiazetes Mahometis filius Turcarum imperator 286. a. à Selimo F. pulſus & extinctus 451. a. à Tamerlano captus, & in cauea circumuectus 256. a. bellum infert Moldauis 432. b. cur ad Polonos de pace miſerit 445. b. 446. a. pacem petit à Sigiſmundo I. 469.b
Balduinus Cracouienſis epiſcopus 74.b
Balduinus Gallorum Imperator 121. b. Conſtantinopoli pulſus 161.a
Balduinus de Noris Marſalcus Cypri 306.b
Balga Pruſſorum arx à Crucigeris retenta 148.b
Balgenburgum Pruſſiæ cui donauerit rex Polonorum 272.a
Balthaſar Ederus Legatus Maximiliani Cæſaris ad Moſcum in vincula coniectus 567.a
Bambergenſis epiſcopa 151.b
Baptiſta Camerinenſis epiſcopus legatus pontificis ad Cazimirum III. 337.a
Baptiſta Cigalla legatus Cæſaris ad Vitoudum, captus 298.b
Barbaræ Antiochenæ nomen celebre apud Chriſtianos 149.a
Barbara Cazimiri III. filia cui nupta 440.a. 462.a
Barbara Radzivvila vxor 2. Sigiſmundi Auguſti 709.a. eius mors & ſepultura ibid.b
Barbara Scepuſienſ. Comitis filia vxor Sigiſmundi I. 548. b. Cracouiam venit ibid. coronatur ibidem. Heduigim filiam enixa 551. a. fœmina religioſiſſima 467. a. eius mors 563. b. ob mortem dolor Sigiſmundi ibidem. filiæ ibidem. ſepultura ibid.
Barbara Sigiſmundi Imperat. vxor 319. a. vbi capta ibidem. qua occaſione Sendomirienſi præfectura à VVladiſlao III. donata 320. a. eius nequitia & libido ibid.
Bardum à Prædiſlao Boemorum duce captum & incenſum 68.b
Barladus amnis clade Turcarum clarus 418.b
Barenſis ducatus Bonæ Sphortiæ reſtituitur 587 a.b
Barlotũ oppidum Moldauiæ 340.a
Barnimus Caſſubiorum & Slauorum dux oppugnauit Santocum 152. a. eius in Sileſiam excurſio 153.b
Barnini Pomeraniæ Ducis nuptiæ 591.a
Barta Succamerarius 135.a
Bartfa ſiue Bardeouia 277.a
Barteſteinum Crucigeris deditum 367.a
Bartholomæus Budlerus à Churlandiæ duce cum copijs ad Pleſcouiam venit 802.b
Bartholomæi Chotecij conat⁹ 234. b. latrocinium 231.b
Bartholomæus Coſminius 239. a. turbator ibid. à rege proſcriptus 246.b
Bartholomæus Munſterburgenſis dux in Danubio miſerè ſubmerſus 559.b
Bartholomæus Veiſemburgius præfectus Breſtenſis 226.b
Bartholomæus Vvlodicus Sulimeus 287.b
Barum in Podolia conditum 343.a Rouum antea dictum ibid.
Baſco annalium ſcriptor 158.b
Baſilicæ primæ in Polonia quando & à quo fundatæ 32.b
Baſilienſe Concilium 306. a. Eugenio pontificatum abrogat 320. b. ab eodem Ferrariam fruſtra reuocatum ibid. & 308. b. eius oratores ad regem Iagellonem 308. b. diſſidium cum Pontifice Eugenio ibid.
Baſiliſcus Danielis Ruſſorum regis frater 160.b
Baſiliſcus ſiue Valiſcus Iaropelcum captum quanto pretio redemerit 90.b
Baſilius Ioannis Zemiſcæ filius Imperator Græcorum 31.a
Baſilius Magnus Moſcouiæ dux Baſilij filius Vitoudi gener 252. a. regno exutus, luminibuſque orbatus 741. b. Nouogardienſium opere regnum recuperat ibid.
Baſilius Maguns Moſcouiæ Dux Ioannis filius 535. a. 742. a. quomodo Moſcorum principatum inuaſerit 456. a. Ciarium id eſt regem ſe appellat 742. b. coronam & inſignia regni à Maximiliano Cæſare petit 552. a. Pleſcouiam qua arte ceperit 543. a. b. 742. a. 800. a. eam diripit ibid. b. Sigiſmundo I. Polon. regi bellum indicit 535. a. pacem à Sigiſmundo oblatam ſuſcipit 538. a. Inducias quinquennales cum eo icit 556. b. Lituanis rupto fœdere bellum infert 550. b. Smolenſcum obſidet 552. b. ingreditur 553. a. in Moſcouiam reuertitur ibid. b. Smolenskum cum exercitu redit ibid. in Moſcouiam fugit 466. a. 555. b. eius arrogantia 554. a. b. bella cum Tartaris 556. b. exercitus contra Sigiſmundum quàm magnus 552. b. fœdus cum Tartaris 572. a. b. mors 614. b. ei bombardarum artifices à Maximiliano Cæſ. miſſi ibid.
Baſilius Premiſlienſium dux ad expeditionem Ruſſicam cum Boleſlao Poloniæ rege profectus 86.a
Baſilius Roſciſlai filius Ruſſorum dux 62. a. Poloniæ fines populatus ibid.
Baſilius Viſſegradenſis caſtellanus 255.b
Baſſa Aſiaticus à Vvladiſlao III. interfectus 332.a
Battus Tartarorum Imperator 143.a Batti via vnde dicta ibidem. Vngaria cum finitimis prouincijs ab eo triennio vaſtata ibidem b
Bauaria ab Aba infeſtata 53.a
Bauarorum funera ex Polonia domum remiſſa 77.b
Bauolus pagus 211. a. ad eum templum corporis Chriſti qua occaſione conſtructum ibid.
Bazaradus Tranſalpinenſium Valachorum palatinus 199.a
Beatrix altera Mathiæ regis vxor 423. a. eius fauor erga VVladiſlaum Boemiæ regem 435. b. ei nubere expetit ibid.
Bela Ladiſlai Calui F. in Poloniam fugit 46. b. Mieciſlai Polonorum regis gener & Pomeraniæ dux 47. a. exulat apud Boleſlaum II. Poloniæ regem 54. a. reuocatus à fratre Andrea in Vngariam ibid. b. rurſum in Poloniam cum vxore & liberis fugit ibid. à Polonis reductus 56. b. primus eius nominis Vngariæ rex ibidem. eius mors 58. a. filij duces Vngariæ vocantur ibidem. eorum fuga in Poloniam ibid.
Bela II. cæcus Vngariæ rex 88.b
Bela III. Stephani regis frater Vngariæ rex 107. a. eius expeditio in Polonos 115.b
Bela IV. Vngariæ rex 139. a. Auſtrijs bellum infert 156. a. à Morauis fugatus ibid. à Tartaris in Dalmatiam 143.b
Belgradum à Turco oppugnatum 648. a. 650. ad deditionem ſolli-

citatum ibid. b. egregiè contra Turcas defensum 650.b. Turcorum ad id clades ibid.& sequen. eius ab obsidiõe discessum 651. a. situs 648.a
Bellum famelicum 283.a
Belli gerendi ratio commoda Boleslai Polonorum ducis contra Henricum Cæsarem 77.b
Belsum munitio Russorum Lituanis deditum 212. a. Iaroslao VVladimiriensium duci 86. a. à Ludouico Vngarorum & Polonorum rege obsessum, quomodo deditum 228. b. Georgio Russorum duci redditum ibid. eius conflagratio 412.b
Belsensis prouincia à Cazimiro II. subacta 211. b. in verba regis Poloniæ iurat 372. a. eius officiales 509. b. de ea & Plocensi ditione iudicium 375.a
Benassus Boleslæ frater 106. b. eius interitus 107.a
bendinum oppidum exustum 336. b. à Cazimiro II. munitum 220. b. eius arx munita 220.b
Benedictini monachi Cluniaco acciti in Poloniam 52.b
Benedictus Benedictensis monachus trucidatus 106.b
Benedictus Macrinus 281.b
Benedictus monachus ab Vngaris cæsus 35.a
Benedictus VII. Papa cur diadema regium Miecislao Polonorum duci negarit 35.a
Benedictus IX. Papa 32.b. 50.a
Benedictus XIII. cur à papatu reiectus 264.a
Beneficentiæ remuneratio 27.a
Berda fluuius 164.a. 275.a. 487.b
Berezina fluuius 485.b
Berlinus nouus marsalcus Crucigerorum 149.b
D. Bernardini cœnobium Cracouiæ conditum 347.a
Bernardinus Vilcicus archiepiscopus Leopoliensis 451.a
Bernardus Boleslai Calui F. Legniciæ dux, quando obierit 177.a
Bernardus Clareuallẽsis abbas 87. b. 99. b. Cisterciensiũ monachorum conditor 99.a
Bernardus Oppoliensis dux 282. b. eius fœdus cum VVladislao III. & Cazimiro fratre 319.b.
Bernardus Prætficius Silesius 464. b. eius victoria apud Cameneciam ibid.
Bernardus Suidniciensis dux Boleslai filius 184.a
Bernardus Sumbergius captus 352. a. eius periculum 361.b
Bernardus Vapouius Polonicæ historiæ scriptor 16.b. Canonicus Cracouiensis, secretarius Sigismundi I. 532.a. Cubicularius Iulij II. Papæ 542.b
Bernensis pax inter Vngaros & Boemos irrita 427.a
De Berosi testimonio iudicium 7.a b
Bertholdus Carinthiæ dux, & marchio Morauiæ 129.a. eius filia Henrici Barbati vxor ibid.
Berualdum castellum regi datum 518.b. dirutum 425.a
Bessarabia 317.a. à Turcis subacta 434.a. 481.a. ob id Polonorum pauor 420.a
Bestia oppidum vastatum 432.a
Bethikarei Mendligeri Cæsaris filius in Tyra demersus 545.b
Biala fluuius 186.a
Biale lacus 488.a. lauantes fuscos reddit ibid.
Bialogradum Pomeraniæ oppidum à Boleslao III. Poloniæ rege expugnatum 73.b. eius incolæ feroces ibid.
Bialogrodum Bessarabiæ arx 317.a. à Turcis expugnata 420.a
Biecense oppidum ex quo tempore in Polonorum potestate 192. a. eius nobilitas contra Vngaros in præsidio relicta 265.a
Bielaui oppidum obsessum 367.a 368.b
Bielogradum Nandor alba, & Alba Græca, olim Taurunum dictum 327.b. à Turcis frustra obsessum & oppugnatum 327.a
bielscius Moschus transfuga 475.a
Bielscum Masouijs ereptum 325.b
biecz arx & oppidum 87.a. ab Vngaris capta 186.b
Biscupice villa Verneri episcopi 106.b
bisons fera 489. a. eius venatio 489.b
bissouisuerderum à Polonis captum 283.a
bithomiensis dux quando paruerit regi Boemorum 194.b
bithynia à Turcis subacta 40.b
bitouium Georgio Stolpensi Pomeraniæ duci à Sigismundo I. in feudum qua lege concessum 596.a
blondi de Slauis locus 5.a
bludus Palatinus Russus 39.b
bninum arx incensa à quo refecta 137.b
bobrouunici Crucigeris dediti 263.a
bochdanus Bilscius ad Polonos à Moscis transit 792.b
bochna olim pagus 154.a. quando exusta 336.b
bochnenses salinæ quando inuentæ 154.a
boconiensis sylua in Vngaria 56.a
boemia infestata vndique 407.a. ab Andrea Vngarorum rege 53. b. ab impijs concionatoribus 432.a. à Mysnensibus 258.a. à Polonis 37.a. 75.b. à Tartaris 146.a. Romano imperio obnoxia 411.b. eius motus 110.a. 264. a. 396.b. Rex septimus elector 36.a. status varius 406.a.b
boemi Diui Adalberti Martyris reliquias se habere iactitant 49.a. Christiani quando & sub quo facti 31.a. Hæretici 461.a. ad sacrorum communionem in Polonia admissi 306 a. Polonis præfecti 185.b. iisdem rebelles facti 45.b. qui & vnde appellati 13.b. 14.a. nomen habent à Ducibus 16.b. quando ita appellari cœperint 14.a. vnde venerint, an è Croatia 15.a. è Russia profecti 14. b. Sigismundo Imperatori & Germanis finitimis graues 246. b. Slauorum populi 1.b. tributarij Cæsaribus 29.a. 52.b. victi à Boleslao secundo 58.b. à Boleslao III. 80.b. 82.b. à Cazimiro magno 210.a. à Cõrado Albo Olesnicensium duce 302.b. ab Hẽrico Imperatore 52.b.
Boemorum dissidium in creando rege 325.a. 406.b. 407. a. Ducum genus 20.a. propago 32.a. excursio in Poloniam 48. b. & sequent. 55.a. 71.b. 180. a. 392.b. in Silesiam 55.a. 68. b. 89.a b. fuga 55.a. 82.b. fœdus cum Polonis 92.b. hæreses ex vno calicis vsu ortæ 623.b. incommoda ex dissidio religionis 317 a. Priscorum mores 35.b. Procerum consilia contra Georgium regem 396.b. regnum à quibus conditum 2.a. regum stirps quando defecerit 186.b. sacrilegia 49.a. secessio ex pugna 270.b. ijs qua lege sub vtraque specie Eucharistia concessa in Concilio Basileensi 317.a. eos Christianos fuisse ante Henricum Bauarum Imperatorem 41 b. Gallos fuisse 9.b
bogarodiza Pæan D. Adalberti 267.a
Bogdanus Alexandri filius Valachiæ Palatinus 339.a b. quæ pacta cum Polonis bellum ei inferentibus fecerit ibid. à quo & quomodo interfectus 341.b. eius fraus 339.b
bogdanus Stephani filius Valachiæ palatinus 452.a. luscus est ibid. Pocuce subigit 455.a. victus in verba regis Polon. iurare cogitur 465.a. res nouas contra Polonos molitur 534.b. Podoliam Russiamq; vastat. 540.a. Cameneciam, Haliciam & Leopolim obsidet ibid. in Moldauiam reuertitur ibid. in syluis ob metum Polonorũ latet 541.a. Tartaris quomodo resistit 547.b. eius victoria à Tartaris 571.b. ei quibus conditionibus pax à Sigismundo I. concessa 542.a
bogorij nobiles 117.b
bogusalus Pomeraniæ Dux 422.b
bogusalus præpositus in vincula coniectus 158.b
bogumilus Posnaniensis palatinus 148.a
bogus fluuius 379.b 487.a
boguslai Stecinensium Ducis cum sponsa filia aduentus Cracouiã 218.a
boguslaus Pomeranorum Stolpensium Dux cum suis iurat in verba regis Polonorum 272.a
boguslaus Varcislai filius gente Gryphius Pomeraniæ dux 110 b. 111.a. à Danis victus in Polonorũ clientelam se dat ibid.
bogussa Gdani præfectus 187.b. cũ præsidiarijs captus à Crucigeris 188.a
boij Gallorum populi 19.b
boleslauecia arx à quo & vbi condita 169.b. septem annis obsessa 254.a
boleslauice oppidum captum 165.a
boleslaus altus siue procerus VVratislauiensium dux 103 b. 112 b. Cazimirum patruum ad expeditionem Russicam sequitur 116.b. quando mortuus 122 b. eius virtus

tus 104.a

boleslaus I. eius nominis Boemiæ Dux Venceslao fratre interfecto Ottoni I. Cęſari rebellat 29.a.32. a.quomodo in Ottonis poteſtatem venerit 29.a

Boleſlai II. eius nominis Boleſlai filius Boemiæ Dux 32.b. Pius dictus 34 b. eius bellum fabuloſum cum Polonis 34.b.

Boleſlaus III. eius nominis, Pij filius Boemiæ Dux 34.b.excæcatus 37.a. eius ingenium ibidem

Boleslaus Boleslai Boemorum ducis filius 32.b

Boleslaus Boleslai Suidnicienſis filius Sambicenſium dux 184.a

Boleslaus Bregenſis, quo authore fratri bellum intulerit 194.b.quibus filios oppignerauerit 195.b. cur bellum fecerit Conrado Oleſnicenſium duci 194 a. eius prodigalitas ibid.b

Boleslaus Caluus Henrici Pij filius 151 b. princeps factus quos magiſtratus conſtituerit 146.a.cur ſuis exoſus 148 a. mente captus 153 a. cur excommunicatus 158 b. a fratre captus & dimiſſus 153 a.159 a. quomodo ſecundò captus & elapſus 153.b. quo animo pertulerit eiectionem ſui è maiore Polonia 148 a.eius cum Præmislo Sputatoris filio affinitas ibi.dominandi libido 151 b.fuga 169.a. impium facinus in Eccleſiaſticos 158. b. in fratrem Henricum ingratitudo & ſeditio 153.a b. ſecundæ nuptiæ 168. a. obitus & liberi relicti 170.b

Boleslaus Cazimiri I. filius 51 b. 53.b. viperæ morſu extinctus 117.b

Boleslaus Ceſſinenſis dux 282 b.pacem cum Polonis facit 335.b

Boleslaus Conradi Ducis filius 139 a.quando mortuus 151.a

Boleslaus Criſpus Boleslai III. filius quo anno natus 88 a.Polonorum princeps 99 a. in Cæſaris caſtra veniens bellum ſuſtulit 100. b.poſtulata filiorum fratris refutat 106.a. quando mortuus & vbi ſepultus 107. a. eius benignitas 99. a. principatus 94.a.vxor 101.a.filij 102. b. reſponſum ad legationem Cõradi Cæſaris 99.b

Boleslaus Dipoldi Morauiæ Marchionis filius 144 b.à Tartaris in pugna occiſus 145.a

Boleslaus Henrici V. VVratiſlauienſis ducis filius 181. b. eius auaritia & prodigalitas quarum rerum cauſſæ 193.b.194.a. victoria 191.a

Boleſlaus Leſci III.filius 23.b

Boleſlai Maſouij Conradi filij crudelitas 138.a.mors, vxor & liberi 192.b

Boleslaus Maſouiorum Dux rex à Polonis creatus 334. b. eius bellum cum Lituanis 330. b. obitus & liberi 354.a

Boleſlaus Maſouius Ruſſorũ Dux 207.a.veneno extinctus ibid.b

Boleslaus Miecislai ſenis filius, in prælio occiſus 119.a

Boleſlaus I.eius nominis Polonorum Rex 35. b. Miecislai Polon. principis filius 33.a. quando natus ibid. Chrobry cur dictus 35. b.40. a.quando, à quo & cur rex appellatus 36.b. qua munificentia Ottonem Ruffum III. Imperatorem acceperit ibid. Corpus D. Adalberti à Pruſſis redemit 36. a. cum Volodimiro Ruſſiæ duce pacem fecit 37. a. Saxonibus bellum infert 41. a. quibus finibus Poloniam terminauit 56 b.Kiouiæ hyemare ſtatuit 39. b. eius bellum cum Boemis 37. a. columnæ in Boryſthene. 39. b. 40.a. in Sala 41.b. ad Oſſam 43. a. comitas erga omnes 44 a.corporis habitudo 45 a.dictum præclarum 44 b.expeditio in Ruſſos 39.a .fœdera cum Ottone III. renouata 80. a. liberalitas 44. b. mors, ſepultura & ætas 45 a.oratio ad milites 40.a. ad proceres ante mortem 45.a. religio 44.a. ſtudia in pace 43. b. victoria de Ruſſis 43.b. virtutes,& merita in Polonos 35.a.vxor Iuditha 33.a. de eo & Miecislao falſa narratio refellitur 45.b.arces ab eo munitæ 44.b

Boleſlaus II. eius nominis Polonorum Rex Cazimiri I.filius 54. a. Boemos fugientes fruſtra perſequitur 55.b. Kiouiæ hybernat 57.b. Præmiſliam Ruſſorum oppidum captum militibus in prædam dat 58. a.honorificè ab Vngaris dimiſſus ibid. b. victor Ruſſorum delitijs diffluit 59. b. cognomentum audacis & liberalis habet 62.b.qua arte deuicerit Pruſſos 55.b.56 .a. quam vxorem duxerit, & quàm diu ab Vngarico bello quieuerit ibid.b . eius indoles 54 a.de Vngaris, Germanis & Boemis victoria 56.a b. De Ruſſis cruenta 59.a.liberalitas in milites 57.a. ad milites oratio 56. b. erga deuictos Kiouienſes clementia 59.b. ſæuitia in ſuos,& ſcelera 60 a.crudelitas in mulieres ibid.adulterium ib. receptus è Ruſſia fugæ ſimilis ibid.peruicacia ibid. b. fuga in Vngariam cum filio 61. b. ſatellites in cæde D.Stanislai epiſcopi, qui, & quomodo puniti ibid. ei bellorum ſeminarium qui 54. a.diris deuoto regnum abrogatur à Gregorio VII. Pontifice maximo 61. b. cum quid mouerit ad reducendum Belam in Vngariam 56.a.de eius interitu opiniones quædam 62.a

Boleslaus III. eius nominis Polonorum Rex 71.a. Criuouſtus dictus ibid. vnde id cognomen acceperit 93.b. obuiam it Boemis in Poloniam incurſuris 73. a.quando & per quem cum Sbigneo fratre in gratiam redierit ibid. b.Boemiam inuadit 75. b. Henrici V. Cæſaris ſororem Adleidam vxorem ducit 80. a. ad Henricum profectus pacem petit ibid.à primoribus temeritatis obiurgatus, quid reſpõdit 73.a. veniam dat Suentopelco & Naclenſibus 85.a in Vngariã ducit exercitum 89.a.Babenbergã ad Lotharium Cęſarem proficiſcitur 91.a.cũ Boemis recõciliatur eius ibid. bellũ cũ Boemis 75 b.80 a.82 a.89 b.cũ Pomeranis 76. a. clementia in Bialogradenſes 73.b. in malè merentem fratrem 74. b. cohortatio ad Polonos ante prælium cum Henrico V. incundum 79.a. cõuentus cum Boemiæ rege 83. a. credulitas 92. a.donarium templo Gneſnenſi oblatum 88. b. excelſus animus 92. b. expeditio in Boemiam 80. b. 82. a.in Daniam 86. b.in Pomeranos 72 a in Ruſſos 86.a.91.b.in Vngariam 88.b. cum Boemis fœdus 92 b cum Colomanno Vngarorũ rege 75.a.in patrẽ amor, mores, vxor 71 a b. peregrinatio in Narbonenſem prouinciã ad D. AEgidium 88. b. in Vngariam ad D.Stephani ſepulchrum ibi. Gneſnam ad S. Adalberti reliquias ibid pœnitentia & pœna ob interfectum fratrem ibid.a. religionis ſtudium 88. a.vaticinium, mors, anni vitæ & regni, figura, ingenium, ſtudia, 93.a.b. in venatione periculum & fortitudo 72.b. victoriæ 92. b. de Boemis 80.b.de Henrico V.Cęſare 79 b.de Pomeranis & Pruſſis 81. b. virtus in prælio cum Germanis 79. a. in prælio Ruſſico 92 b.ei quid acciderit in reductione Iaroslai Halicienſiũ Ducis 92.a. inter eum & Henricum V.imp. pax. & affinitas 80.a

Boleslaus Oppolienſis dux mercatores Polonos diripuit 329 b. Polonis bellum indixit 343. a. eius fœdus cum VVladislao III. & Cazimiro 319. b. mors 192.b

Boleslaus Pius VVladislai Sputatoris filius Caliſſienſium dux 141.a.quando obierit 169. b.eius bellum contra Cazimirum Siradienſem ducem 159.b. contra Brandeburgenſem Marchionem 165.a b.tranſactio cum Ziemomyslo 164. a. victoria & audacia 159.b

Boleslaus Plocenſis dux ad principatum vocatus 178. b. cur deſeruerit ibid.

Boleslaus Pudicus Leſci albi filius quo anno natus 129.a. Polonorum princeps 135 b.à Vvladislao adoptatus 137 a.vnde Pudicus dictus 141. a. quando ad principatum reuocatus 146. b. quo dolo à Conrado captus,& elapſus 137. b. 138.a. quomodo principatum recuperauerit 147. a. reuerſus quomodo à ſuis exceptus ib.vbi à Conrado victus & fugatus 150. b. eius affinitas cum Bela Vngariæ rege 141. a. auxilia ad Nacli obſidionem 157 b.contra Cazimirum 160.a conuentus cum rege Boemorum 166. b. expeditio in Iazyges populos 162.a.in Oppolienſem & Ratiborienſem oram 167.b.fuga 143 b. in Vngariam 160.b.mors, ſepultura, ætas 169 b.170 a.prauitas in iudicijs 166.

b. studia in pace 151. a. de tutela & principatus administratione controuersia 135. b. victoria de Conrado 147. b. de defectoribus 167. a. de Iazygibus 162. a. in victos saucios moderatio 147. b
Boleslaus Sambicensiũ seu Monsterbergensium Dux 184. a
Boleslai Suidnicensiũ Ducis Cracouiam aduentus 217. b. immanitas 181. a b. obitus & filij 184. a.
Boleslaus VVladislai I. filius baltheo militari donatus 70. b. in Boemiam profectus, quàm honorificè tractatus fuerit ibid. a b. per D. AEgidium impetratus 63. b. eius generosa indoles 66. a
Boleslaus VVladislai II. filius 103. b. eius & Sbignei conspiratio contra Secechum 69. a b
Boleslaus VVratislai minoris filius 32. a. quomodo fratre interempto dominatum redintegrauerit ibid.
Bolesta castellanus Viznensis 106. b. parricida viuus exuritur 107. b. eius familia 106. b
Bombardas quis, quando, & vbi inuenerit 230 b
Bona Sphortia Barensis Mediolanensis ducis filia 467. a. ex Aragonum familia orta 570. a. vxor Sigismundi I. Polon. regis 467. a. 707. a. ei desponsata 570. a. ab eo quomodo excepta ibid. in Poloniam qua pompa deducta ibid. Cracouiam venit ibid. b. coronata ibid. Isabellam filiam parit 572. a. Sigismundum Augustum 578. b. ob cum natum Polonorum lętitia ibid. eius fides & obsequium 467 b. laus 707. b. & seq. mater obit 587. a. nuptiarum celebritas 570 b. ei Barensis ducatus, hæreditarius a Carolo V. redditus 587. a b.
Bonfinius Vngaricarum rerũ scriptor 41. b
Bonus campus 144. b
Bonorum partitio 461. a
Borbonius Caroli V. imperatoris copiarum Dux 599. b. ex Lombardia Romam profectus 600. a. eam obsidet ibi. tormento in mœnibus interfectus ibid. eius milites vrbem capiunt & diripiunt ibid.
Borcouiorum Pomeranorum latrocinia 230. a
Borcum Silesiæ oppidum Lubussensi episcopo donatum 139. a. b
Borissus & Glebus sancti apud Russos 39. a
Borissus Olgerdi filius 242. b. 243. b
Borissus VVlodimiri filius quando Rostouiensis Dux factus 39. a
Boriuoius Boemorum Dux Christianus fit 31. a. primus Christianismum fundat in Boemia 32. a
Boriuoius Henrici Barbati nepos 137. b. eius impotentia, iniuriæ & cædes 140. a
Boriuoij Scrinnij latrocinia 366. a
Boriuoius Vratislai filius Boemorum Dux 71. b. à Boleslao Criuousto in Boemiam reductus 80. a. à Cæsare captus ibid. iterum fugit fratrem VVladislaum 84. a. exul apud Boleslaum III. 85. b
Borusci populi 42. a
Borysthenes fluuius 578. b. 585. a. 586. b. 593. a. 737. a b. eius situs ibi. qui populi ad eum habitant ibid. in pontum Euxinum fluit 742. b
Bosna quando à Tartaris vastata 143. b. à Turcis subacta 379. b. à Mathia rege Vngarorum recepta 385. a b. Vngaris à Turcis erepta 283. b
Bosnenses Slauorum populi 1. b. quando & à quibus Christianismum acceperint 31. a. eorum regnum à quibus conditum 2. a
Bossinæ regis legatio ad VVladislaum Polon. & Vngariæ regem 640. b. ei quid responsum 641 a. fœdus cum eodem ibid.
Bossinenses populi à Polonis procreati 640. b. cum ijs eiusdem linguæ ibid.
Bothus Germanorum Dux contra Polonos 56. a
Bozenta Cracouiẽsis episcop. 211. b
Bozenta Seligius Gnesnensis archiepiscopus 232. b. eius iusta pœna 238. b
Bozentinum arx & oppidum 219. a
Brabantia quando ad Austriacam familiam peruenerit 411. b
Brabantinus equitatus duce Carolo Imperatore & Ferdinando contra Turcas 609. b
Branda Cardinalis Placentinus 292. a b
Brandeburgensis Marchia vnde dicta 24. b. quomodo ad Burgrabios Nurenbergenses peruenerit 288. b. eius ditio vnde exorta 46 b. eam a quo emerit Carolus Imperator 225. a. eius marchiones sunt Electores Imperij 36. b. sunt gentiles Columnensium 292. a b. Vide Marchia.
Brandeburgum arx expugnata 576. a. rebus omnibus spoliata semidiruta à Polo. relicta 578. a
Brandeburgum Prussiæ vrbs 272. b. cur & quando condita 157. a. capta à Germanis 29. b
Brathianum à Crucigeris proditione captum 357. a. Prussiæ arx 272. a
Bratislauia arx incensa 307. b. instaurata 444. a. regi Polon. data 316. a. oppidum incensum 379. b
Braunsbergenses quem eiectis Polonis receperint 370. a.
Brega oppidum 184. a. Bregensis nobilitatis fœdus cum VVladislao III. & Cazimiro fratre 319. b
Brema vrbs vnde dicta, quando, vbi & à quibus condita 18. a. 24. a
Brena Boleslai Boemorum ducis vxor 32. a b
Brescense monasterium à quo, & vbi conditum 142. b
Bresnicensem arcem quis muniuerit 220. b
Breste Cuiauiæ oppidum 582 a. obsessum 203. b. 239. b. à rege Polõ. captũ 248. b. eius arcis situs 212. a. Prouincia subacta 211. b. territorium à Lituanis vastatum 180 b. in eo quæ Sigismundus I. egerit 582. a
Brestensis palatinus senator regni est 505. b. etiam castellanus ibid.
Britannia per Saxones vexata 2. b
Brodniciæ obsessio 283. a. 370. b. redemptio 427. a. ea quando potiti Crucigeri 371. b
Brosouecius miles Polonus gnanus Germanum giganteæ staturæ capit 579. a
Brostecum ab Vngaris incensum 413. b
Brozouicia altera incensa, altera dedita 326 b. ab Isera obsessa, fortiterque defensa 661. a
Brunsberga vrbs 492. b. quando condita 157. a. à Crucigeris intercepta 574. b. à Polonis obsessa 577. a b. tormentis frustra quassata 578. a. maxima diligentia & pertinacia à Crucigeris defensa ibid. b. ad eam naues militibus onustæ ab Alberto Cruciferorũ magistro missæ 577. b. Patres societatis Iesu in ea 492 b
Brunsuicum oppidum 48. a
Bucouecia arx castellum latronum 373. a. Mathias rex ea potitus 412. b
Bucouina sylua 442. b
Bucum oppidum 236. a
Buda regia Vngarorum vrbs 58. b. à Boleslao III. petita 89 a. in eius potestatem redacta 323. b. à VVladislao Boemorum rege occupata 435. b. à Turcis direpta & incẽsa 598. b. eius arx à quibus constructa ibid. Solimanno Turcarum imperatori à Germanorum pręsidio dedita ibid. eam ingressus eius munitionem admiratur ibid.
Bugus fluuius 40. a. 43. a 212. a. 303. a. 486. b. ad eum infeliciter pugnatum à Polonis 604. a
Bulgaria à Tartaris vastata 143. b. in VVladislai III. potestatem redacta 328. a. eius situs 668. a
Bulgari Sarmatiæ populi 8. b. Slauorum populi 1. b. 455. b. primi ex Slauis Christiani quando facti 31. a. Podoliam cum Turcis vastant 588. a. Sinkouium oppidum direptum incendunt ibid. à Turcis profligati 228. a. à VVlodimiro Iaropolci filio subacti 34. a. ad VVladislaum Polonorum & Vngariæ regem deficiunt 667. b, & sequen. à Ludouico rege ad officium redacti 233. b. à Suentoslao Rurici ex Olga Plescouiensi filio victi 741. a. eorum bella in Thracia cum Imperatoribus 23 b. regnum à quibus conditum 2 b. sedes 9 b. apud Bulgaros qualis germanicæ linguæ vsus 7. a
Burculabus 339. b
Burgrabij qui 253. a
Burgundia quando ad Austriacam familiam peruenerit 411. b. Burgundiones Vandalos esse 6 b.
Buscense monasteriũ 144 b. vbi conditum 117. b
Buscensis præfectura in Belsensi satrapia est 510. b
Buthauus Olgerdi filius 242. b
Bydgostia arx Boleslao Calissiensi tradita 164 a. à Crucigeris proditione capta 263. a. à Polonis recepta ibid. b. quomodo in potestatem regis Poloniæ vene-

venerit 225 b. Pomeranis ducibus concessa 249 a. quis eam muniuit 220 b. eius tractum cur pro Russia dederit VVladislao Oppoliensi Ludouicus 229.a
Bydgostiensis castellanus quo ordine est in Senatu 506.a
Bysantium 579 a. vide Constantinopolim.
Bythin castellum à quibus oppugnatum 241.a
Bythomia arx vbi condita 153 b. à Cæsare infeliciter oppugnata 76 b. à Polonis exusta 102 a. Ioanni Alberto concessa 436. b. in Mieciślai senis potestate manet 122 b. eius metalla cur euanuerint 219.a
Bythouia arx Pomeraniæ 111. b. 481 a. Prussiæ vrbs 272 a. cui donata ibid. Stolpensium duci reddita 593 b. Crucigeris dedita 367.a
Bzura flumen 181.b

C.

Cacicense monasterium à quo & quibus conditum 130.a
Cacybæus portus in ditione Polonorum 283.b
Caduceatores Crucigerorũ 268.b
Cæculi à Stephano Valachiæ palatino subacti 418 b. eorum auxilium contra Turcas Ludouicus Hungariæ rex non expectauit 597.b
Cafa, olim Theodosia Genuensium colonia, quando à Turcis capta 419.b
Caica Dux Brosouiciæ præfectus 660. b. Epericsum nocte tentat & capit ibid. cum præda recedit 661 a. ab Iscra victus & captus ibid. in vinculis pace facta detentus ibid.b.
Calamitosi in bona ecclesiastica immissi 305 a
Calicis vsus Boemis à Concilio Basileensi concessus 317 a. quid mali peperit apud Boemos 623 b. non concedendus ibid.
Calissia Henrico VVratislauiensium duci tradita 174 b. à Lituanis incensa 187. a. VVladislao Sputatori dedita 133 a. contra Crucigeros defensa 200 a. à Cazimiro II. munita 220 b. à Ziemouito Masouiorum duce obsessa 238. b. à Chotecio tentata 135 b. eius situs 200 a. collegium à quo conditum 123. b. monasterium 220. b. regio à Cazimiro vexata 160.a. à Crucigeris 199 b. synodus 229.b
Calissiensis palatinus quo ordine sit in Senatu 505 b. castellanus ibid.
Calissiensis satrapia 482 a. eius officiales 590.a
Calixtus III. papa 354.a
Calũniæ pœna 141.b. calumniatores coerciti 129 a
Caluus mons 40.b
Camelorum odor equis intolerabilis 331.b
Camenecia arx in Silesia 68. b. Polonis à Boemorum duce donata 70. b. à quibus redempta & munita 381.b quãdo capta 248. b. eius episcopa 32.b.228. b. diœcesis olim Polonorum 46. b. ei remissa pensio nummi S. Petri ibid.
Camenecia vrbs 492.a. à Valachis obsessa 540. a. in eam Ioannes Vngariæ Rex à Ferdinando victus fugit 601. a. apud eam Tartari à Polonis profligati ibidem b.
Camenecensis castellanus senator regni Poloniæ 505 b. etiam episcopus ibid.a
Camenensis castellanus senator regni Poloniæ 505 b. episcopus olim fuit ibid. nũc in Pomeraniæ ducum potestate est ibid.
Cameniza riuus 132.a
Camenum arcem quis condiderit 224.b
Camenum Pomeraniæ vrbs à Danis capta 111. a. deditur Boleslao III. 73.b. quo dolo intercepta 238 b
Camerarij in Polonia qui 509 a. eorum officium ibid.
Camillus Porcius Romanus orator 556.b. in laudem Sigismundi I. Polon. regis perorat ibid.
Camiona fluuius 143.a
Cancellarius Magnus regni Poloniæ 506 a. eius officium 507.b
Canciuga oppidum 444.a
Caninus campus vnde & cur dictus 79.b
Caniouia oppidum 481.b.599.a
Canonici apud Polonos 32.b
Canonici sepulchri Christi per quẽ in Poloniam deducti 101.a
Canum in Lituanos sæuitia 172.b
Caphata Tauricæ vrbs 583. b. Genuensium olim Colonia fuit 593.a. Turcorum imperio paret ibid.
B. Capistranus 597.a Vilacum oppidum eius tumulo clarum ibidem
Capitanei duo in Polonia an ad Senatum pertineant 506 a. vnus generalis dicitur alter campestris 508 a. eorum officia ibid.
Cappadocia quando à Turcis subacta 40. b. seruis Moscouiticis repleta 583.a
Capreæ feræ in Polonia 489.a
Carambæus Asiæ præfectus Turcarum dux, contra VVladislai III. exercitum 328.a.669.a. captus 328.a. 670.a
Cardinalis dignitas qualis 338. b.
Cardinales Poloni 324.a. 326. b. 438.b
de Cardinalatu constitutio comitialis 340.b
Carinthia Craci expeditionem experta 19.b. à Turcis vastata 413. a. 423.a 428.a. 601.b
Carlisteinum arx Boemiæ à Coributho frustra obsessa 291.b
Carmanorum rex à Mahomete Turcarum principe subactus 344.b
Carni Slauorum populi 1.b
Carniola à Turcis vastata 423.a
Carnisprivium quid 218.a.353.a. ab Alberto Crucigerorũ magistro celebratum 582 b
Carnissinum arx Massouiæ capta & recepta 384.b
Carnouiensis dominatus Ioanni Alberto concessus 436. b
Carolstadius hæreticus in Germania 623.a
Carolus Burgundionum dux 401. a.411.a. quando ab Heluetijs interfectus ibid.b
Carolus Caroli Magni filius nothus 23.b
Carolus Crucigerorum magister 191.a
Carolus Danorum Rex exul 359.a
Carolus Gallus Siculorum rex 185.b
Carolus Ludouici regis Francorum frater 161.b
Caroli Magni bellum in Pannonia, & cum Polonis 23.a. b
Carolus Morauiæ Marchio quando Imperator & rex Boemorum designatus 210 b. quomodo à principibus & sponsa exceptus sit 218 a. eius aduentus Cracouiam ibid. nuptiæ, vxor ibid. inimicitiæ cum Ludouico rege Vngariæ 217.b
Carolus Neapolitanus rex quando ad regnum Vngariæ vocatus 234 b. quomodo interfectus ibid.
Carolus V. Imperator 170 b. eligitur 572 a. Bononiæ in regem Lombardorum coronatus 605 a. Francisci Galliarum regis conatibus obuiam it 589 b. fœdus cum Sigismundo I. Polon. rege init 593 b. eidem aureum vellus mittit ibid. Gallos Italia pellit 601 b. Genuam ijs pulsis recuperat ibid. quo animo Romam à suis captam tulit 600. b. ad Pontificis Maximi pedes stratus ibid. Augustam Vindelicorum ad conuentum profectus 605 a. eius in Belgium aduentus Gallo suspectus 577 a. cũ Clemente Pontifice maximo congressus Bononiæ 605. a. maternum genus 467 a. contra eum bellum à Sigismundo I. dissuasum 469 b. contra eum fœdus Francisci Galliarum regis cum Henrico Angliæ 577 a. plurimorũ Christianorum principum 593. b
Carolus Vngarorum rex successor Cazimiri II. regis Poloniæ quando designatus 206 b. eius periculum 198 b. tertiæ nuptiæ 193 b. mors 208.b
Carpathus mons 8.b.584.a
Carthusij monachi Crucigericarum rerum studiosi 370.a
Casana Tartarorum in Scythia Metropolis 583 a. Basilij Magni Moscouitarum ducis imperio paret ibid. à Machmetkero Cæsare occupatur ib. magnus Moscouiæ dux ad eam recuperandã exercitum comparat ibid. b
Caspar Nostiuicius Silesius 373. b. eius fuga 374. b
Caspium mare 128. b.586.b
Cassanus Tartarus 161.a
Cassouia à Ferdinando Vngariæ rege expugnata 601 b. ab Elysabethæ reginæ partibus est 654 a. cum VVladislao bellũ gerit ibid.a b. ab eo oppugnata, & ab Iscrauis acriter defensa 657.a b

Cassouiæ fames 657.b. obsidio 435. b. 657.b

Cassubia 482.a. quibus filijs Lesci III. obtigerit 24.a. Cassubica expeditio 66.b. cassubicum bellum 73.b. cassubicarum vrbiũ deditio ibid. & seq.

Cassubij Slauorum populi 1. b. sub Pomeranis comprehensi 64.a. Santocum arcem obsident 70. a. Vsce arcem intercipiunt 75 b. eorum regnum à quibus conditum 2.b. ijs bellum à Ziemouito Piasti filio illatum 28.b

Castor fera 489.a

Catalani Hispani 11.a

Cataphracti Germanorum 20^.b

Catharina Ferdinandi Imperatoris filia vxor III. Sigismundi Augusti 709. b. Cracouiam deducitur ibid. à viro separata, & à fratre Maximiliano Imp. reuocata 710.a

Catharinus Zenus Persarum regis legatus ad Polonos 414 b

Cauuna oppidum 249 b. quomodo & quando à Crucigeris obsessum 250.b.

Cazimiria Poloniæ maioris vrbs 40.b. Lubussensi Episcopo donata 139.b. à Cazimiro II. munita 220.b. ab eodem vbi condita 211.a. eius conflagratio 452 b. in ea canonici regulares à quo instituti 313.a b. Casimirienses cur à Sigismundo I. puniti 472.b

Cazimirum oppidum à quibus direptum 241.a

Cazimirus Boleslai III. filius nascitur 85.b. moritur 88.b

Cazimirus Boleslaij III. filius 93.a. exors hæreditatis paternæ manet ibid. Masouiam & Cuiauiã Lesco approbante sibi subijcit 114.b. quæ monasteria condidit 117. b. quando natus 93 a. Princeps Polonorum 109.b. & seq. ad principatum reluctans vocatur 109.b. principatum recuperat 116.a. Russos latrocinantes reprimit 115.a. à Senatu reprehenditur ob reductionem Miecislai senis 111. b. Sendomiriensium Dux creatus 105. b. eius ætas 117. b. anni regni ibid. clementia in defectores victos 161. a. indulgentia erga Ioannem Conarium 109.a. laus ibi. lenitas & mansuetudo 113 . b. liberi 117 b. mores 117 a. mors ibid. oratio ad milites 113.a. pietas 117.a. pietas erga fratrem Miecislaum senem 111.b. responsum eis qui principatum sibi deferebant datum 106.a. studia 112.a. 117.a. victoria de Russis 113.b. vxor 105.b

Cazimirus Cazimiri III. filius sanctus 462.a. miraculis claret ibid. 572.a. eius mors & castitas 431. b. & seq.

Cazimiri Cazimiri III. filij in Vngariam profectio 407.b. receptus ex Vngaria 408.a. verecundia 409.a

Cazimirus Cazimiri Cuiauiensis filius Lenciciensium dux 163. b. quo prælio cæsus 181.b

Cazimirus Conradi filius 139.a. 151.a. Cuiauiæ & Lenciciæ Dux 149.a. 155.b. à filijs Siradia & Lencicia pulsus 160.a. quando mortuus 163.b. eius expeditio in Landense territorium 152.a. filij 163. b. scelera 159.a. vxor 139.a

Cazimiri Gneuucouiensis liberi 225.b

Cazimirus I. Miecislai regis filius 45.b. pro Benedictinis monachis sibi mittendis legationem mittit Cluniacum 52. b. Carolus mutato nomine dictus Cluniaci in monasterio ab Oratoribus Polonis inuenitur 50. a. vbi primus eius nominis rex Poloniæ coronatus 51.a. Henrico imperatori auxilia contra Vngaros misit 53.b. Mariam Iaroslai Russorum ducis sororem vxorem accipit 51.a. Monachus quando, vbi, & cuius ordinis factus 48.a. Poloniæ instaurator pacificus 53.b. à quo in Saxoniam missus 48.a. septennis ad literas assuefactus 45.b. eius bellum in Massouienses 51.a. cohortatio ad milites 52. a. comitas 50.a. coronatio propter ętatem dilata 47 a. effigies 54.a. fuga in Vngariam 48.a. labor in prælio 52.a liberi ex Dobrogneua 53.b. modestia erga oratores Polonos 50. a. mors 54. a. oratio ad Polonos 50. b. pietas ibid. reditus in Poloniam 50. a. sepultura 54.a. Visum in somnis, eiusque interpretatio 52. a. ei Boleslaus filius natus 51. a. cũ regni pœnitet 52.a

Cazimirus II. cognomine Magnus Rex Polonorum creatus 214.a. diris deuotus 212.a. vnde Magni cognomen adeptus 220 a. quem sibi successorem designauit 206.b. eius ætas 220. a. casus grauis 219.b. effigies & statura 221.b expeditio in Russiam 206.b. in Silesiam 208.b. flagitia & scelus in presbyterum 211 b. fœdus cum Lituanis ducibus 206.b. cum Ludouico Vngarorum rege contra Carolum Imperatorem 219.a. leges 211. a. libidines 208.a. mors 220. a. pacta cum Boemorum rege 205. b. cum Ziemouito Masouiorum duce 214.a. pœnitentia & absolutio 217. a. profectio in Prussiam 219.a. in Vngariam 205.a. 206.a. studia 206.b. testamentum 220.a. transactio cum Crucigeris 208.b. de Russia cũ Vngaris 211.b. in Teuthonas indulgentia 214.b. virtutes & præclara facta 220.a. vicia 221. a. arces ab eo munitæ 217.b. 220.b

Cazimirus III. VVladislai Iagellonis filius ad Boemicum bellum incitatus 395. a. à Boemis ad regnum vocatus 319.a. quando rex Poloniæ coronatus 336. a. Lituaniæ præfectus à fratre VVladislao III. Poloniæ rege 323.a. Lituanorum & Russorum insidijs petitus 335.a. à Lituanis magnus dux Lituaniæ creatus 325.b. Paulo II. papæ cur minus æquus 624. a. Poloniam quantum neglexerit 336. b. Polonis quas cõditiones præscripsit ante susceptionem regni 335. b. Polonorum regnum quomodo suscipit 336. a. puerorum clamoribus exagitatus 369. b. à Sbigneo Cardinali & senatu cur grauiter obiurgatus 345. b. à Sẽdiuoio Guesnensi Canonico 352. b. eius altercatio cum legato pontificio ob Iacobum Senneuium 376. a. castrorum incendium 417. b. Cautio 343. b. comitatus ad conuentum Opauiensem 412.a. Consilium de Valachicis rebus 433.a. conuentus cum Crucigerorum magistro 343. a. cum Georgió Boemorum rege 372. b. ad coronationem quæ omninosa acciderint 336.a donationes cum Gedanensibus mutuæ 400. b. 405. a. egestas 409. a. excusatio quod non præstaret promissa 343.b. expeditio in Prussiam quo tributo redempta 380. b. filij & filiæ 461. b. inter filios fœdus 445. a. fœdus cum Baiazete Turcarum Imperatore 435. a. cum Friderico Imperatore 405. a. fortitudo 352. a. Induciæ cum Moscis 437.a. Indulgentia erga vxorem 418.a. iusiurandum Polonis datum 346. b. mors 437. b. nuptiæ cum Elizabetha Alberti Cæsaris filia 347.a. pacta cum Georgio Boemorum rege 372.b. pax cum eodem 365. b. pœnitentia ob non susceptum regnum 335. a. postulata à Nicolao V. papa 336. a. b. querela de minoribus Polonis ad maiorum conuentum 342 a. b. responsum ad legationes Pontificis & Imperatoris 351 a. soror 422. b. subsidium Friderico Imperatori contra Mathiam missum 425 a. transactio cum Conrado Olesnicensium duce 388. a. cum militibus de emeritis stipendijs 369 a. tergiuersatio in suscipiendo Poloniæ regno 335 b. ei quando regnum Poloniæ oblatum 334 a. cur sacris interdictum 427 a. ad eum quas legationes pontificis & principum excitauerint Crucigeri 366 a. sub eo censuum octaua pars ab Ecclesiastico & equestri ordinibus exacta 365.a

Cazimirus Lesci III filius 24.a

Cazimiri Masouij ducis obitus 336.a

Cazimiri Oppoliensis ducis mors, & filij relicti 139 a. crudelitas in fratrem 151.a

Cazimirus Plocensis episcopus homo nihili 408.b

Cazimirus Ratiboriensium dux 175 a. b. cur bello petitus ab Hẽrico Probo ibid.

Cazimirus Scecinensium Pomeranorum dux vbi captus 270. a. 271 a quomodo & vbi interfectus 227 a. eius fœdus cum Iagellone 310.b. supplicatio coram Crucigeris 189.b

Cazimirus VVladislai Iagellonis regis alter filius quando natus & mortuus 29: b

Cazi-

Cazimirus VVladislai Loctici filius 191 a. quando natus ibid. à patre Poloniæ præfectus 199 a. eius fuga ibid. b. vxor Lituana 196. b
Cecerinum à Polonis expugnatum & incensum 431 b. 432. b
Cechanouia oppidũ Masouiæ 150. b. à Lituanis captum & direptum 206. b
Cechocinum quis episcopo VVladislauiensi ademerit 197. b.
Cercassi munitio 252. a
Cerequicia oppidum 156. a
Ceres siue Marzana Polonorum dea 30. b
Cervenum arx à Russis oppugnata 33. b. capta ibid.
Cessinensis dux regi Boemorum paret 194. b
Cessinum vrbs 24. a
Cethegus iudex 135. a
Chalinus pagus 87. a
Chelma Moscouitica incẽsa 791. b
Chelma oppidum 492. a
Chelma Russorum arx 58 b. quando à Polonis recepta 218 b. 228. b. conflagrata 412. b
Chelmum siue Culma Prussiæ vrbs 272 a. Chelmensis episcopa à quo instituta 313. a. prouincia à Cazimiro Magno rege subacta 211. b
Chermiscus amnis 42. a
Chersonesus Cimbrica 41. a
Chersonesus Taurica 586. b
Cherubim Posnaniensis Episcopus 112. b
Chesmarcum à Boemis occupatũ 657. b
Childibius præfectus 4. b
Chlumecium Boemiæ oppidum 87. b
Chmelicum pagus 143. b
Choinicia à Crucigeris capta 190 a. à Germanis 581 a. ad eam recuperandam Nicolaus Firleius cũ Polonis profectus ibid. b. deditione ab eodem recuperata ibi. à Polonis obsessa 309. a. b. 391. b. ijs dedita 393. b. ad eam res gestæ 351. b. prælium 352. a. clades à Cruciferis accepta Polonis cur ibid. a. b.
Choinicienses impunitate donati 393 b.
Choreuus Russorum Australium princeps 28. a
Chorsus Russorum deus 31. a
Chossno siue Ernisberga præsidio munita à Polonis 317. b
Chostek 25. b
Christiani ritus in moriente 476. b
Christianorum expeditio in Prussiam 156. b. in Syriam 115. b. in Turcas 574. b. & seq. res in Asia cuersæ 122 a.
Christianorum regum & principũ inter se fœdus contra Carolum V. Imperatorem. 593. b
Christianus Cisterciensis monachus primus Culmensium episcopus constituitur 131. a
Christiburgum arx Crucigerorum 152. a. quando Crucigeris erepta 172. a
Christiernus Danorum rex 410. b. regno pellitur 585. b. eius crudelitas ibid.
Christophorus Kersdorfius Silesius captus 271. a
Christophorus Radiuilus cum exercitu cõtra Moscos missus 794. a b. eius res gestæ 807. b. & seq.
Christophorus Rosdrasceuus præfectus Lanciciensis 809. a
Christophorus Saffranecius capite plexus ob latrocinium 432. a
Christophorus Sidlouecius 539. b. legatus ad VVladislaum Vngariæ, & Boemiæ regem 557. a. cur ad eum missus ibid. b. Palatinus Cracouiæ, & summus cancellarius regni Poloniæ 563. a. cum alijs proceribus ad concitandã ad arma nobilitatem Sandomiriam missus 589. a. eius mors & laudes 611. a
Christophori Transiluaniæ Principis Stephani Poloniæ regis fratris obitus 793. a. 841. b
Chrobersum arx 40 a
Chronius amnis hodie Memel seu Nemen dictus. 592. a
Ciapconis ducis in Boemos acerbitas 309 b
Ciarnicouum in Boleslai III. potestatem redactum 74 a
Ciaslaus Cracouiensis episcopus si ne authoritate pontificis maximi factus 72. a
Cibina fluuius 82. a
Cichonum à Cazimiro II. munitum 220. b
Cidlina fluuius 80. b
Ciechi Polonorum consanguinei 19 b. Slauorum populi 1. b
Ciechus & Lechus fratres 16 b. quã do in Boemiæ & Poloniæ oras venerint 17. a. eorum peregrinatio vnde, quare & quò, & quando facta ibid. principatus 16. b. eos longè post Diluuium fuisse 14. b
Cienstochouiense monasterium 484. a. vbi conditum 254. a. quorum populorum peregrinationibus celebratum & ditatum 302. b. ab hæreticis Boemis direptum ibid. 392. b.
Cieslaus Dominicanus pro Polonis contra Tattaros quomodo orauerit 144. b
Ciessimirus Lesci III. filius 23. b
Cimbarca Ziemouiti Masouiorũ ducis filius quam vxorem duxerit 279. b. 294. a
Ciorstenum arx ab aulico comitatu Iagellonis expugnata 258. b
Circassi 481. a. versus meridiem profecti 16. a. corum præfectus nomine Sigismundi I. Osstophæus 586. b
Cirsecum arx 137. b
Ciruensense monasterium 266. a
Ciruenum deditur Iaroslao 86. a
Cisa tributum 400. b
Cista puluere infecta Plescouiensibus à Polonis missa 818. a. b
Cistercienses monachi à quo conditi 99. a. ijs quis Oliuense monasterium condiderit 111. a
Ciuitatum sex iudicium 215. a
Cizouius cur à Cracouiensi præfectura amotus 361. a
Clauus sacer VVladislao Iagelloni à põtifice maximo dono missus 292. b
Clecicum quando exusserint Crucigeri 199. b
Clemens Clementouius Cracouiensis castellanus 141. a
Clemens Cracouiensis palatinus 160. b Glogouiensis 145. b
Clemens II. Papa 50. b
Clemens III. 115. b. 148. a
Clemens IIII. 161. a
Clemens V. 191 b. eius literæ de facinoribus Crucigerorum ibid.
Clemens VII. 587. a. Cardinalis de Medices natione Tuscus in Papam creatus ib. fœdus cum Frãcisco Gallorum rege & alijs christianis Principibus contra Carolum V. init. 593. b. obsidetur à cæsarianis 600. b. neptem suam dat secundo genito regis Galliarũ in vxorem 614. a. sacratum ensem inauratum, pileumque gemmis distinctum Sigismundo I. Poloniæ regi mittit 592. b
Clementis Kiouiensis episcopi mors 413. a
Clemens Mascoronius Castellan' Visliciensis mendacij damnatus 262. a
Clemens Pelcinicius à quibus trucidatus 145. b
Clemens de Ruscia palatinus Cracouiensis 146. a
Clementia arx Crucigeris erepta 172. a
Clepariense oppidum, templum & sacrum canonicorum collegiũ à quo conditum 117. a. eius incẽdium 601. b
Clicendorfia arx 184. a
Clistichium oppidum 656. b
Clobuscum oppidum direptum & incensum 360. b
Closcum oppidum Poloniæ 37. a. exuritur 82. a. à quo Rex Boemorum emerit 194. b. ei traditũ 169. a Silesijs redditum 170. b. ci' ager à quibus vastatus 53. b
Cnipouia à Crucigeris diu obsessa 354. b. eius deditio 355. a
cobena vrbs Daniæ regia 585. a. in ea Fridericus Alsatiæ dux diademate exornatus ibid.
cœlestinus III. Papa 120. a
cœnobium D. Marci conditũ 170. a
colacicc ab Vngaris incensum 413. b
colberga Pomeraniæ oppidum 382 b. à Boleslao III. oppugnatur 72. a. ei se dedit 73. b
colensem arcem quis muniuerit 220. b
collecta seu contributio ad instaurationem templi Cracouiensis 187. b
colloquia generalia in papilionibus habita 60. b
Colocensis Archiepiscopus Franciscanæ obseruantiæ religiosus Ioannis Vngariæ regis Legatus ad Sigismundum I. Polon. regẽ 601. a
Colocẽsis Metropolita copiarum Ludouici Vngariæ regis dux cõtra Turcas 598 b. monachus ibid. eius interitus ibid.
Colomannus dux Geisæ filius, Stephani Vngarorum regis frater 86 a. Vngarorum rex 73 b. an à Cracouiensi episcopo coronatus 127 b. Haliciæ coronatur ibid. Halicia reijcitur ibid. eam recu-

recuperat 128 a. à Russis cum vxore captus quamdiu asseruatus ibid. eius colloquium cum Boleslao III. 75 a. vxor Salomea Lesci soror 127.b
Colomeia Valachiæ palatinę concessa 337.b
Coloniensis Archiepiscopus Elector Imperij 36 b. Colonienses in quæ monasteria Polonica soli recepti 124.a
Comes Palatinus Rheni Elector Imperij 36.a
Cometes 128 b. 310 b. 358 a. 401 a. 408 b. 447 a. 605 a. 610 a. 613.b
Comitia Germanorum Francofordiæ ad Mœnum 572 a. Lituanorum in Berzeste 571 b. Breste 366 b. 381 b. Lublini 337 a. Parsouiæ 340 b. 341 a. Polonorum Bernensia 286 a. Breste in Cuiauia 368 b. Budæ 231 a. Chencinensia 199 a. Coli 356 b. 388 a. Corcini 260 a. 311 b. 318 b. 321 a. 356 b. 370 b. 380 b. 386 a. 420 a. 745 a. Cracouiæ 93 b. 118 a. 239 a. 308 b. 340 b. 397 a. 534 a. 535 b. 570 a. Crusuiciæ 26 b. Gnesnæ 18 b. 44 b. 229 b. Grodlensia 281 a. Lenciciæ 112 a. 262 b. 287 a. Lublini 337 a. 451 b. 454 b. Miloslauiæ 234 a. Nysiæ 410 a. Parsouiæ 305 b. 340 b. 341 a. 345 a. Petricouiæ 320 a. 330 b. 336 b. 338. b 340 b. 346 a. 350 b. 356 b. 359 a. 361 a. 362 b. 363 b. 375 a. 376 b. 381 b. 384 a. 388 b. 395 a. 401 b. 405 b. 411 a. 415 b. 422 b. 423 b. 426 a. 428 a. 448 a. b. 533 a. 539 b. 543 b. 546 a. 551 a. 572 a. 681 a. Radomscensia 234 a. 240 b. Sandeciæ 241 a. 637. a. Scarbimiriæ 146. b. b. in Scepusio 232 b. Sendomiriæ 129 a. 301 b. & seq. 308. b. 368 b. Siradiæ 236 b. 237 b. 238 a. 305 b. 333 b. 343 a. 421 a. Toruniæ 735 a. 840 b. Varsauiæ 736 b. 737 b. 763 a. 789 b. 829 b. & seq. 840 b. 842 a. b. Vartæ 292 a. 301 b. Vislíciæ 234 a. 413 b. Vngarorum Budæ 227 a. 327 b. 329 b. 633 a. 673 a. b. & seq. Nyssę 410 a. Comitia particularia in Polonia in quibus oppidis fiunt. 521 a. generalia vbi ibid. b. quomodo fiunt ibid. vetusta 520 b. in Prussia quomodo fiunt 528 b. comitiorum locus in Polon. 522 a. comitialia iudicia ibid. Comitia nouem dierum inusitata olim 346 b. quadraginta dierum 404.a
Commeatus ab ecclesiasticis in Polonia regi negatus 246.b
Commendatores Crucigerorum sunt consiliarij regis Polonorum 394.a
Commentum sapiens Miecislao se ni oblatum 108.a
De Commissarijs quid constituerit Iagello rex 298.a
Comorouius ad defectionē à Mathia rege sollicitatus 423 b. 424 b. bonis exutus Crasnostauiam ægrè impetrat à Cazimiro III. Poloniæ rege 425.a
Conari arx quando diruta 258.b
Conath dux Iazigum vbi interfectus 162.a
Concordiæ effectus 705.a
Coninum à Cazimiro II. munitum 220. b. eius conflagratio 412.b
Coniugum continentium exemplum Boleslaus Pudicus, & Cunegundis vxor 141.a
Conscientia infatigabilis scelerato rum carnifex 62.a
Consiliarij regis Poloniæ duodecim constituti 43.b
Consilium castrense 267 a. improbum Cazimiro VVladislai Iagellonis filio datum 335 b. salubre in rebus turbatis 51.a
Consilij senilis & iuuenilis exemplum 149.b
Conradus Albus Cozlensis dux 282.b
Cōradus Boemorum dux 65 b. 66.a eius mors ibid.
Conradus Brandeburgensis Marchio 163 a. 165 b. eius bellum cū Boleslao Calissiensi de Santoco arce 163 a. 164. a. b
Conradus Cazimiri I. filius 117. b
Conradus Celner magister cruciferorum Prussiensium 246.a
Conradus Conradi filius 145.b
Conradus Crispus Henrici Barbati filius 129 a. eius bellum cum fratre de principatu ibid. interitus ibid.b
Conradus Friderici Imperatoris filius Cæsar appellatus 151.b
Conradus Glogouiensium dux quomodo insidiatus Henrico Legniciensi 181 a. eius filij 184 a. obitus ibid.
Conradus Henrici Pij filius 151 b. quomodo portionem patrimonij sui repetiuerit 153.b
Conradus Landisbergius dux 135.a
Conradus Lasconogus Glogouiēsis & Crosnensis dux 103 b. VVladislai II. filius ibid.
Conradus Lesci Albi frater bis victus ab Henrico Barbato 136 a. eius bellum ciuile cum eodem de principatu ibidem. nequitia 130.b
Conradus Lubussensis episcopus 128.a
Conradus Masouiæ Cirnensis dux 176 a. à Lesco Nigro victus ibid. b. eius obitus 181.b
Conradus Masouiorum dux 33 a. anathemate ictus 150 b. Boleslao Pudico bellum infert 147. b. 151 a. cœdis absolutus à Pontifice maximo 142 b. Cracouienses à se alienat 146 b. à Cracouia rebus infectis discedit 138 b. principatum inuadit 146 b. Sendomiriensem terram vexare tentat 141 a. eius filij 151 a. fuga 147 b. obitus 151 a. pacta cum Teuthonibus fratribus 134 a. b. pœnitentia 141 b. vxor 134.b
Conradus Masouiorum dux iurat in verba regis Poloniæ 440 b. eius mors & liberi 451.b liberorum de hæreditate transactio cum rege Polon. ibid.
Conradus Masouiorum Varsauiēsium dux 375.a
Conradus Morauiæ marchio captus & excœcatus 56.a
Conradus Nemcius Silesius 290.a
Conradus Niger Olessnicensium dux 191 a. 238 b. 255 a. 282 b. 302 b. vbi captus 207 a. 271.a
Conradus Sueuus Imperator 37 a. quando electus 45 a. Poloniam bello aggressus cur statim recesserit 49. a b. eius mors ibid.
Conradus Sueuorum dux 87 b. cæsar 93 a. b. per Poloniam in Asiā iter faciens, quomodo à Boleslao Crispo acceptus 100 a. eius bellum contra Lotharium Cæsarem 87 b. obitus 101.b
Conradus Stinauiensium dux, cur archiepiscopam Salisburgēsem repudiauerit 184 a. b. à fratre captus ibidem. eius mors ibidem.
Conradus Valerodus Prussiensium magister 249.b
Constantia Præmisli filia 158.b
Constantia Sicula Henrici Imperatoris vxor 122.a
Constantiense concilium 282 a. b. ei controuersiæ Prussicæ disceptatio permissa 283.a
Constantinopolis à Gallis & Venetis capta 121 b. à Turcis 344.b
Constātinopolitanum imperium per quem, & quando Græcis restitutum 161.a
Constantinus Ioannis Zemiscæ filius Imperator Gręcorum 31.a. Slaui sub eo christiani facti ibid.
Constantinus Ostrogiæ dux 762 b. eius in hostiles ditiones excursiones ibid.
Constantinus Ostrogius dux 464 a. eius reditus 450.b
Constantinus Ostrouiensis dux 537 b. 572 b. infeliciter pugnat contra Tartaros 573 a b. eius consilium salubre reiectum 572 b. egregia victoria 599.a
Constantinus Russorum dux à Polonis captus Lesco Albo traditur 128.b
Constitutio contra fautores hæreticorum, & eos qui armis suum ius persequi volunt 318.b
Contributio contra Turcam 228 a. eam à pontifice maximo regi Polonorum concessam cur negauerit Polonicus clerus 289.a
Conuentus Polonorum cum Crucigeris irritus 316 b. 543 b. & seq. Slonsci 282 a. cæteros inuenies in proprijs locis.
Copanicia arx à quo munita 152.a
Copestrinum vicus 454.b
Coprinum arx Culmensis 131.b
Copriuunicense à quo & quibus conditum 157 b. à Tattaris direptum 142 b. 143.a
Copriuunum, siue Engelsberga Prussiæ vrbs 272.a
Corcinum Noua ciuitas 238 a. Corcinense monasterium quis condiderit 220 b. templum ibidem Corcinensis arx à Russis incensa 185 a. à Cazimiro Magno munita 220.b
Coributhus Olgerdi filius 242 b. cum vxore & liberis à Vitoudo captus 251. b. qua occasione ad Boemorum regnū vocatus 292. b. quando & cum quibus ad regem Iagellonem venerit 302 a. in Boemiam à Vitoudo missus 289 b. cius

b. eius acta apud Boemos 292. a. interitus 76. b. minæ contra episcopum 302 b. cum quis ex Boemia reuocauit 291.b.292 a
Corigello Olgerdi filius 242. b. captus & occisus 249.b
Corinthus vrbs Græciç à Mahomete Turcarum Imperatore capta 365.a
Cornelius centurio 27.a
Coronam Peloponesi vrbem occupat Andreas Aurea 610. b. à Turcis oppugnatam idem defendit 614. a. Turcæ quando Venetis ademerint 446 a
Coronouia oppidum 275 a. ad eam prælium inter Crucigeros & Polonos quoties intermissum & receptum ibid. b
Corradinus Friderici Imperatoris nepos occisus 161.a
Corsunum vrbs Ponti quib' à VVlodimiro erepta 34.a
Cosarorum gens tributaria facta Iaroslao 43.a
Coscenum vicus 54.a
Cosciolense monasterium Benedictinorum à quo conditum 124 a
Cosminum cur confiscatum 215. b
Cosmus Boemus 2.b
Cosselinum Pomeraniæ vrbs deditur Boleslao III. 74 a
Costenum oppidum 415.a. quomodo in Polonorum potestatē redactum 204.a
Costrinum à Crucigeris incensum 199.b
Cotificius proditionis damnatus 359.b
Couale arx à Crucigeris incensá 197.a
Couale Prussiæ oppidum 272.a
Coualouia siue Schonesee à rege Polon. obsessa 291.a.
Cozle oppidum exustum & instauratum 74.a. Ioanni Alberto concessum 436.b
Cozuchouia Ioanni Alberto concessa 436.b
Cracouia vrbs 491. a. Archiepiscopum cur & quando habere desierit 55. b. an in Boemorum ditione fuerit 38. a. in Boemorum potestatem quomodo venit 180. a. in Boleslai III. iuniorum filiorum potestatem redacta 98. b. à Boleslao VVladislai I. filio occupata 70. a. à quo & vbi condita 19.b. à Conrado duce obsessa 151.a. in Henrici VVratislauiensis potestatē redit 179. a. incensa 87. b. 144. a. 160.b. 262. a. 321. b. 354. a. 372. a. b. 386. a. 420.b. 437. b. 439. a. 586. a 601. b. in Lesci Nigri fide quando mansit 176. a. Præmislo seruata 179. b. à Tartaris direpta 146. a. tentata 177. b. Teuthonico iure quando vti cœperit 170. a. à VVladislao Loctico rege recuperata 186.b. 192. a. eius academia 491. b. Archiepiscopus primus 32.b. arx 491.a. à Cazimiro II. munita 220 b. firmata 253. a. à Sigismundo I. reædificata 550. a. per quem defensa 160. b. eius Burgrabij 511. a. incendium 187. a. 447. a obsidio 147. a. Basilica 32. b. à Boleslao III. exornata 88. a. eius ærarium consumptum cœlesti igne 129. b. argentum Cazimiro III. negatum 356. b. incendium 140. a. prærogatiuæ 170. a. 225.a. 232.a. ei decimæ & supellex à Vincentio episcopo donantur 129.b. de episcopa lis 140. a. 367. b. episcopus Archiepiscopus primò fuit 32. b. ei metropolitica dignitas reddita, nec retenta 140.a. laus 19.b. & seq. munitio 444.b. obsidio 210.a priuilegium 514. b. regimen cur & quando Teuthonibus commissum 176. b. situs 25. a. tumultus contra senatum 322. a. Cracouiæ canonicatus viginti à Boleslao III. additi 88. a. Cracouiensis castellanus Palatino prælatus 84. a eius prærogatiua 507. a. dioeceseon fines 224. b. ditio principatui addicta 106. a. Nobilitatis conspiratio in Conradum ducem 138. a. motus contra Boleslaum Crispum 106. a. ora à militibus infestata 452. b. principatus per quem Miecislao seni tertiò redditus 123.b. Satrapia 482.a. eius officiales 509. a. præfecti priuilegium 510. a. salinæ 485.a. senatus cur ab episcopo multatus 357 b succamerarius 509. a. tractus quando à VVladislao Loctico vastatus 180.a
Cracouienses quot capitali pœna mulctati 371. a. 381. b. à VVladislao Loctico ob defectionem puniti 192. a. quomodo Cazimirum principem electum exceperint 110. a. mercatores direpti à Duce Toscensi 344. a. nuncij cur nisi sub fide regis ad comitia venire voluerint 363.b. proceres à Cōrado capti, & quomodo elapsi 146. b. & seq. eorum in Miecislaum senem conspiratio 122 b. Cracouiensium canonicorum cultus 368 a. Consulum creatio 514. b. constantia & fides erga Lescum Nigrum 176. a. b. defectio à VVladislao Loctico rege 192.a
Cracus Lechitarum dux 146.b. qui, cuias, & quo tempore fuerit regnum Polonorum adeptus 19. a. an idem apud Boemos regnauerit 20. a. eius expeditio in Carinthiam 19. b. obitus & monumentum 20.a
Craina 482.a
Craiouice pagus in Cuiauiensi tractu 188.b
Crascus pagus 106.b
Cremenecia VVladislao III. regi tradita 316.a
Crempac mons 186.a
Crepiciensem arcem quis muniuerit 220.b
Creslaus Curosuancius Lusci præfectus 247. b. episcopus VVladislauiensis 440.b. & seq.
Creslaus Sciucouius 236.b
Cressouia 211.b
Creuensis paræcia in Lituania quādo constituta 247.a
Crinice lacus 488.a
Cristiburgum Polonis traditum 393.b
Cristina Mecislai vxor à Boleslao II. rapta 60.a
Cristina VVladislai II. vxor quibus verbis maritum contra fratres incitat 94. b. eius ingenium & mores 94.a.b. oratio in Senatu 95.a. obitus 103.b
Cristinus Castellanus 176.a
Cristinus Cozegiouius quomodo vltus Silesios, & Gliuiciam ceperit 315.b
Cristinus Deus à Prussis inuocatus 131.a
Cristini eremitæ corpus Olomucensibus concessum 49.a
Cristinus Leopoliensis archiepiscopus 217.a
Cristinus Ostrouius 202.b. castellanus Sendomiriensis 254.a
Cristini Plocensis palatini authoritas apud exteros 131. a. magnus Masouiæ palatinus ibid. qua iniuria affectus à Cōrado Lesci fratre 131.a
Criue sacrorum antistes apud Prussos 42. b
Crisanouicense monasteriū à quo conditum 170.a
Croatę siue Carnati Slauorum populi 1.b. quando & à quib' Christianismum acceperint 31. à VVlodimiro Iaropolci filio subacti 34 a. eorum regnum à quibus cōditum 2. a. eos quis ad officium redegit 233 b
Croatia à Tartaris vastata 143. b. à Turcis 551. a. sine armis in VVladislai III. potestatem redacta 325.a
Crobia Posnaniensi episcopo donata 137.b
Crocouecia arx Boemiæ 20.a
Crocus Boemorum rex. ibid.
Crosna à Polonis alienata 165.a. Brādeburgensi Marchioni oppignerata 169.a. redempta ab Henrico VVratislauiensi 168.b. 169.a. à Cazimiro II. munita 220.b. Ioanni Alberto concessa 436. b. defensa 413.b
Crosnensium ad Conradum à Boleslao Caluo defectio 153 a.b
Cruciburgum à Polonis captum 283.a
Crucigeri 134. b. anathemate deuoti 193. b. 206. a. belli quàm pacis cupidiores 266 b. copias nouas ex Germania accipiunt 579. b nō desunt sibi 348. b. fœderati cum Lituanis 357. a. hostes Polonorum & Lituanorum 296. b Lituanis bellum inferunt 249 b. in Polonorum regis fide & clientela 394. a. in eius verba iurant 461. b. ab eo pacem petunt 291 a. à Polonico bello deterriti 424. b. Polonorum castra oppugnātes, fortiter repelluntur 387. b. cum Pomeranis pacem faciunt 152. b è Prussia à Sigismūdo I. eiecti 470. a. contra Prussos missi 131. a. à Prussis obsessi 349. b. vastant Cuiauiam 203 b. 304. b. Lituaniam 259. b. Varmiam 389. b. Vngariam 384 b. victi in Adamo Vilcanouio 383. b. à Gedanensibus 381. a ab Hērico Stolpensiū duce 387. a. à Masouijs 578. a. à Polonis 197 a. 202. b. 269. b. 276. a b. 277. b. 304. b. 363. a. 367. a. 381. a. à Prussis 152. b. 162. a. à Sencignouio 578. b. à Suen-

à Suentopelco 149.b.victoria vti neſcij 353.a.eorum arces à Vitoudo exuſtæ 248.a.artes 366. a.bellum cum Lituanis 229.b. in Polonos 426. b. 577. b. cæſorum & captorum numerus 270. a 277. b.caſtra capta 269. b. clades apud Colbergam 382.b.apud Fridelandiam 355. a.apud Neſſouiam 373. b.apud Nezamyſlum lacum 200. a.apud Paſſenheimũ 365. a.apud Reſſam 389. b.apud Scampe 378.a.apud Sipelbeinum 368.b.apud Vormitam 378.a. conatus 307.b.congreſſus cum Polonis & poſtulata 543.b.copiæ dilapſę 366.b.385|a.contra Polonos ductæ 270.a. crudelitas 201. a b 263.a.in Polonos 189.b.expeditio in Lituaniam 209.b 246.a 252. b in Poloniam 198. a 199. a b.facinora 191. b.ferocia 268. a.fœdus cum Marchionibus 189. a.iniuriæ in Eccleſiaſticos, & eorũ bona 192.b.in ſuos epiſcopos 184.b in Polonos 282. a.militaria ſigna in baſilica Cracouienſi viſuntur 279.a.pacta cum Boguſſa de defendendo Gdano 188. a. cum Leſco Cuiauię duce 188,b.cum mercenarijs militibus 353. a Prælium cum Polonis, Lituanis, & Tartaris 268.b & ſeq. res aduerſæ apud Choiniciam 393. a. in Pomerania 348.b.proſperæ 370. a.in Pomerania 386. b 387. a.geſtæ in Pruſſia 148.b.ſocietas cum Boemis & Saxonibus 196.a.vicinitas cur Polonis ſuſpecta 182.b.victoria de Suẽtopelco 194. a.ijs quæ donata 134. b & ſeq inter eos & Polonos induciæ 198.b.pax Toruniæ conſtituta 393. b.inter eos & Suentopelcum 149 b.eos promiſſis non ſtetiſſe 291. b.non ſatisfeciſſe decreto Cæſaris 287. a.pactis conuentis cum Polonis non ſtetiſſe 205.b & ſeq.ab ijs quæ oppida incenſa in Cuiauia & Dobrino 304 b.cum ijs cõuentus irritus factus apud Racianzum 315. b.cum ijs bella geſta à Polonis ſub Sigiſmũdo I.465.a. b de ijs in Tenedon inſulam transferendis tentatum 365.a

Crucis militia contra Turcas 382. a quando cõcitata per orbem 264 a.cur Iagelloni regi negata à Põtifice 279.a

S. Crucis monaſterium 484.a

S. Crucis parœcia Cracouię à quo condita 130 a

S. Crucis templum & ſacerdotes VVratiſlauiæ à quo inſtituti 175. b

Crudelitatis exemplum in Henrico V. VVratiſlauienſi exhibitum 181.a

Crupſcius eques Polonus 436.b

Cruſuicia direpta, & in ſolitudinẽ redacta 68. a.eius arx regia eſt 25. a.arcis conditor, ſitus ibi. quis eã muniuit 220.b.Cruſuicienſis epiſcopa VVladiſlauiam tranſlata 32.b 107.b.territorium arce diruta cui redditum 165.a

Cuiauia 482.b.à barbaris vexata 161 b. à Leſco Albo Conrado fratri conceſſa 129 a.à Leſco Cazimiro principi adſcribitur 114.b. à Mieciſlao ſene dolo ſubacta 121 a. à Ziemouito Maſouio 238.a.à maioribus Polonis infeſtata 159. b. à Suentopelco 149. b.à Crucigeris 203. b.Polonis adiudicata 206. a Sbigneo conceſſa 71. a.eius lacus 488. a.Cuiauienſis nobilitas in q̃ præſidia diſtributa 275.a.ora à Lituanis quãdo vaſtata 169.a.Cuiauienſium ducum propago 225. b Cuiauienſibus quæ immunitas promiſſa 298.a

Culma ſiue Chelmnum arx 148.b.à Crucigeris redempta 427. a. ipſis prodita 360. a.Pruſſis erepta 135.a

Culma vrbs 492.a.eius ius ibid. Culmenſis baſilica 32. b. ditio Polonis adiudicata 206. a.reddita 393 b.epiſcopa quando condita 32. b 33. a.Gneſnenſi metropoli ſubiecta 394 a. in ſtatum priſtinum reſtituta 397.a.eius bona & reditus 131 b.epiſcopus à quibus Rigenſi archiepiſcopo ſubiectus 182.a.ora à Lituanis vaſtata 169.a. palatini in Pruſſia eminentia 395.b. tract⁹ à Polonis ſub VVladiſlao Loctico vaſtatus 197.a.à Pruſſis 104.b à Suentopelco 152. a.à Conrado duce receptus Chriſtianiſmum accipit 131. a b.à Pruſſis in poteſtatem redactus 131. b.Boleſlao Criſpo quando obtigit 94.a. Polonicæ ditionis eſt 42.b.Teuthonibus fratribus qua ratione conceſſus 134.b 148.b

Cultus Dei externus 476.a

Cunegundis Vngarorum regis filia quando nupſit Boleslao Pudico 141.a

Cuni ſiue Hunni Polouucij 54. a b 63.b. quis eos ad veram religionẽ perduxit 233.a

Cuniglianum Venetorum oppidũ 425.a

Cunilia Ziemouiti Maſouiorũ ducis filia 294 a

Cunouienſe territorium quãdo afflictum 150.b

Cupa cognatus Stephani Vngarorum regis 45.a

Curentnicum oppidum 267.b 272.a

Curlandiæ dux 481.b

Curouienſes fidei nõ tenaces 278. a

Curſus publici cur inſtituti 44.b

Cyprianus Polotiæ epiſcopus 758.a ad regem Stephanum adductus ibid. eius fides in ſuum principẽ ibid.

Cyrillus & Methodius Apoſtoli Slauorum 51.a

D

DAlemburgum quis condiderit 24.a

Daleſſicenſis paræcia à quo condita 130.a

Dalmatæ quando, & à quibus Chriſtianiſmum acceperint 31 a. Slauonicè loquuntur 15 a.Dalmatarum regnum à quibus conditum 2.b

Dalmatia quando Slauonia dici cœperit 8 a.Romanis erepta à Slauis 1 a.Venetis 233.b .Vngaris à Venetis 280.b. Romanis eſt cis Iſtrum 4.b.à Roxanis ſubacta 8.a.dalmaticæ vrbes vetuſtæ 4.a

Dambrouuca Boema Miecislai vxor 32.a.cuius filia ibid.eius mors 33.b.parentes 32.a

Dambrouucium ſiue Gilgenburgũ oppidum à Polonis direptum & incenſum 268.a

Damoborij ſæuitia 392.a

Danaſter fluuius 11.a

Dania regio 12 a. Romanis erepta à Slauis 1 a. à Traiano Imperatore ſubacta 216 a.eius deſcriptio 86.b 215. b 216 a. fœdus cum Polonis 285. b. pars tributaria facta Polonis 18.a

Dani à Polonis bello petiti & victi 18.a

Daniel Romani ducis filius 128. a qua occaſione rex Ruſſorum factus 160 b 161 a.eius mors 162. b

Dantiſcum ſiue Gdanum vrbs Pomeraniæ citerioris 110 b.quando condita 18.b. totius orbis emporium ibid.vide Gdanum.

Daporta mala à quibus propagata in Polonia 123.a

Dardani Dalmatiæ populi 4.a

Dauid Gartinenſis præfectus à quo interfectus 197.a

Dauid Olechus Pereaſlauienſiũ Ruſſorum dux 70.b

Dauid Turca profugus in Poloniã venit 340. b & ſeq.

Decima decimarum regi Polonorũ à Papa conceſſa 213.a.decima imperata eccleſiaſticis à Põtifice maximo 115.b.regi negata 446.b. decimæ epiſcopis attributæ in Polonia 32 b.à crucigeris ſuppreſſæ 192. b.manipulares in pecuniarias in VVratislauienſi diœceſi mutatæ 159.a.decimarum conuectio & venditio 213.a. de decimis Pomeranicis tranſactio 198.a

Delatorum exitus 141.b

Delminium Dalmatarum vrbs 4.a

Demboüecia ab Vngaris incenſa 413.b

Demetrius Moſchorũ princeps 455. b & ſeq.

Demetrius Strigonienſis archiepiſcopus 239.a

Derpatum quomodo in Moſcorũ poteſtatem venerit 823.a. quamdiu Moſci tenuerũt ibi.b & ſeq. quàm ægrè ab ea diuelluntur 823 a. Polonis pace facta redditũ 822 b.eius deſcriptio 823 a. fertilitas ibid.incolæ ibid. arci puluęres à Moſcis ſubiectæ 823.b

Derſauia à Germanis capta 581 a.recuperata ibid.b.Cazimiro III.dedita 359 a.Crucigeris 190.a 353.a incenſa 309.b.derſauienſe territorium Cazimiro III. donatum 401.a

Derslaus Glouinius occiſus 439.b

Derslaus Rithuianius factioſus 314. a. eius ſeditio 318.b

Deruancia fluuius 42. b 134. a eius traiectus 198.b

Derzanzina epiſcopo Cracouienſi donata 174.a

Derzanſnenſis paræcia à quo condita 130.a

Deſiderius vltimus Langobardorũ rex 628.a

Deſpotus è principatu à Turcis eiectus 641. a.ad pacem cum ijs faciendam inclinatus 675.a.eius miſerabiles preces ad VVladislaum Poloniæ & Vngariæ regem 686.a

Deuletes Chiereius Tartarorũ princeps

ceps 794.b.eius liberi ibid.
Deus scelerum vltor 97.a
Dij Lituanorum 245.a. Polonorū & Slauorum 306.b. & seq. Prussorum 42.b. deorum simulacra deiecta 33.a
Dionysij Areopagitæ de hierarchia Ecclesiastica libri Slauica lingua inuenti 758.b.& seq.
Dipoldus Kikericius miles 269.b
Dipoldus Morauiæ marchio 137.b
Ditiuonia siue Lusacia quibus Lesci III. filijs obtigit 24.a
Ditrichus marsalcus Crucigerorū 149.a
Dlubnense monasterium à quo cōditum 130.a
Dlubnia flumen 21.a.132.a
Dlugosedlum pagus 161.b
Dlugossi historici incuria 111.a. perplexitas 139.b.eius domus direpta 368.a
Dobeslaus Olesnicius 260.a
Dobeslaus Puchala 277.b
Dobessus de adulterio Cristinæ suspectus 96.a
Dobrinum Crucigeris donatū 134.b.traditum 197.b.quanto precio oppigneratum 254.a.quanti vendiderit rex Boemorum 197.b.a. Crucigeris vastatum 263.a. à Lituanis 185.a 193.b.à Polonis 254.b.à Prussis captum & incensum 177.a. eius dominatum Lescus Albus Conrado fratri concedit 130.b.eo VVladislaus Locticus potitus 196.a.pro eo quanta pecunia Crucigeris numerata 201.a.Dobrinensis ditio Polonis adiudicata 206. a. mons præsidio firmatus 385 b. nobilitas in quæ præsidia distributa 275 a. tractus 132.a. quando Boleslao Crispo obtigit 94.a.eum cur Ludouicus pro Russia dederit VVladislao Oppoliensi 229.a. dobrinenses Crucigeris vectigales 367.a. ab ijs fusi 359.b.immunitas ijs promissa 298.a
Dobrogneua Cazimiri I. vxor 51.a. schismate abdicato coronatur ibid. VVladislai I.mater 64.a. moritur ibid.
Dobrogostius Posnaniensis episcopus ad Pontif.max.missus 247 a. Gnesnensis Archiepi. fit 248.b. electo Ludouic⁹ rex obstitit 232.b
Dobrogostius Posnaniensis palatinus occisus 133.a
Dobrogostius Samotulius Nalencius 191.a.voluntariè militat 275.a
Doigertus Vilnensis palatinus captus 301.a
Domaratus Pirschnicius præfectus maioris Polon.228.a. à Suiduua profligatus 236. a.eius expeditio contra Bartholomæū Choteciū latronē 231.b.odiū apud Polon. 235.a.factio quas munitiones obtinuit ibid b.
Dominicani cur Prædicatores dicti 130.a.à Dominico Calaguritano orti ibi.quando floruerunt ibid. Cracouiā per quem inducti ibi. Kiouiam & Haliciā colonias deducunt ibi. eorū in Breste monasterium à quo conditum 164.a
Dominicus Alemannius Culinæ præfectus legatus ad Sueciæ regem 826.a
Donaiccius fluuius 35.a.186.a.486.a
Donina arx 82.a
Dopsice oppidum 360.a
Dougotus Keistuti filius 242.b
Draconis specus Cracouiæ 20.a
Dracula Transalpinensis palatinus à Ioanne Huniade cum filio captus & interfectus 335.b.336.a
Dragomira vxor VVratislai impia 32.a
Drahimum arx à Polonis recuperata 261.a.à Pomeranis occupata 395.b.capta & recepta 291.a
Draua flumen 183.a
Drausen lacus 487.b
Drauus fluuius 428.a
Drenum arx 64.b.à Præmislo quomodo recepta 166.a. qua lege regi dedita 258.a. diruta 163.a refecta à quib.intercepta 164.b. Dreni Comites se regi Polonorum dedunt 219.a
Dreuantia fluuius 487.b
Drogossius Chrobrius Volboriam intercepit 239 b
Drohicinum arx incensa 240.a
Drohicinum oppidum 147.b. ereptum à Masouijs 325 b.drohicinēsis ora à Cazimiro principe recuperata 112.b. tractus quibus conditionibus Ioanni Masouiorum duci donatus 250.a
Druuanza fluuius 207.b
Druziniorum familia 61.b
Duclia ab Vngaris incensa 413.b
Duellū Silesij & Polō.equitū 275.b
Dulepij à VVlodimiro Iaropolci filio subacti 34.a
Dunaiouia defensa 416.a
Duneburgum Liuoniæ oppidum 259 b.in potestatem Polonorum redit 736.b.& seq.
Duninus vbi & quàm grauiter vulneratus 374.b
Dupinum arx à quo condita 169.b
Dyrrhachium vrbs Venetorum à Turcis capta 438.b

E.

EBerhardus Crucigerorum generalis magister 291.b
Eberhardi Virceburgensis episcopi fuga 270.b
Ecclesia veritatis columna & fundamentū 476.a.ei Christus præsto est 625.a. qui se ab ea separāt ibi & b.Ecclesiastica bona à proceribus vexata 112.a.360.a b. immunitas Cracouiensis diœcesis 213.a. immunitas quanta à Iagellone rege concessa 247.a b. supellex à Crucigeris conflata 353.a.vasa à Polonis conflata 355.a. Ecclesiasticę contributionis summa 446 b.ecclesiastici ordinis aduersarij extincti 316.a.benignitas erga Cazimirum III regem 409 a.contributio 375 a.cū equestri Cracouiensis diœcesis ordine cōtrouersiæ, quando & cur ortæ, quomodoq; compositæ 215.b. exemptio à iurisdictione iudicū laicorum quandò constituta 130 b.immunitas 44.b.prærogatiuæ regio decreto confirmatæ 455.a
Edessa Mesopotamiæ vrbs expugnata 99.a
Ediga Tartarorum dux 284.a.285.b
Eduardus Danorum rex 137.a
Educationis bonæ vtilitas 462.b. prauæ mala 708.a.diuersæ diuersi fructus 32.a
Eginhartus de Slauorum attritione, in vita Caroli 24.b. eius locus ex vita Caroli Magni 23.a
Ekenbergus arcis Donini præfectus 82.a
Elbinga 492.b. Episcopo Varmiensi paret 527.a.hæretica labe infecta episcopi iurisdictioni se subtrahit ibid. Prussiæ vrbs 272.a. Polonis tradita 393. b. à Crucigeris retenta 148. b. ipsi eam frustra occupare tentant 582.b. Elbingēses cum Polonis Sambiam popūlati 368. b. eorum studium erga Polonos 272.a
Electores Romani Imperij 36.b
Elias Valachiæ palatinus iurat in verba regis Polonorum 310.b. quando in verba VVladislai III. iurauit 317.a. eius conditio 311.a. eius fuga 316.b
Elyzabetha Boguslai filia Caroli Imperatoris vxor quarta 218.a
Elyzabethæ Cazimiri III. vxoris studium erga Ioannem Albertum F.438 a.mors & pietas 454.b
Elyzabetha Ferdinandi Imperatoris filia Sigismundi Augusti I. vxor 467.b.708.b. eius laus 467.b.mors 709.a
Elyzabetha Ludouici Vngariæ & Poloniæ regis mater quando in Poloniam venerit 222.b. quomodo commissam Poloniæ gubernationē administrauerit 224.a.musicis & choreis dedita 227 b. eius mors 230.b.reditus in Poloniam 227.a
Elyzabetha Ludouici vxor II.a. quo interfecta 244.a. eius miser interitus 234.b. oratores ibid.a
Elyzabetha Pilecia VVladislai Iagellonis vxor III. 284. a.cur infensa Alberto Cracouiensi episcopo 287.a. eius mortem omnibus præter regem fuisse gratā ib.
Elyzabetha Vngariæregina arceri VVladislaum Poloniæ & Vngariæ regem ex Vngaria iubet 638.b. Coronam Vngariæ pro filio rapit 639 a. Albam regiam se cōfert ibid.b. ad VVladislaum veneno extinuēgdum aliquem subornat 646.b. Vngaros execratur 647.b.in Austriam commigrat, Fridericoque Imperatori filium commendat 648.a. Vngarorum principum animos ad se allicit 653.a b & seq.in Austriā rursum se confert 656.b. Presburgum venit, arcemq; eius oppugnat 658.a.Viennam se recipit ibid.b.eius conatus contra VVladislaū 648.a. inconstantia 636.b. conditiones pacis Vvladis.oblatæ 664.a. obitus 327 a.665.a
Elyzabetha VVladislai Loctici filia cui nupserit 193 b
Emanuel Cōstantinopolitanus Imperator 100.b.occidentale imperium ambit 107.a.captus à Turcis & mortuus 109.b
Emericus Agriensis episcop. 229.a
Emericus Bebecus Russiæ præfectus ibid.
Emericus Stephani Vngariæ regis filius in diuos relatus 48.a
Emericus Vngarorum rex 122.a
Enilias Masouiorum dux 306.a
Entius Friderici filius captus 151.b
Eperiessū à Polō.incensū 326.b. ab ijs captū statimq; relictū 660.b

Episcopi electio in Polonia abrogata 253.a.eius culpa penes pontifices maximos 377.b.libera electio apud Cracouienses 127.a
Episcopi quales olim fuerint 377.a. eorum confirmatio ab Archiepiscopo 107.b dignitas & authoritas 377.a.electiones liberæ 376. b. subditi immunes à Poradlinc vectigali 225.a.
Equorū lues 309. b. cursus de principatu 22.a b
Erasmus Ciolcus episcopus Plocensis 457.b
Erasmus Stella 42.a
Eremitæ sex martyres in Polonia 40. b. ipsorum necis caussa ibid. tuguria non arsisse ibid . interfectorum pœna & pœnitentia ibi. quinq; corpora Pragam à Boemis asportata 49.a
Erenfridus comes Palat.Rheni 36.b
Ericus Daniæ, Sueciæ & Noruegiæ rex 285.b.regno Polo.grauis 703. a.vrbes aliquot Liuonię occupat 703.a. in vincula à suis coniectus 714. b
Ericus Scecinensium Pomeranorū dux,quæ oppida Crucigeris dediderit 367.a.eius perfidia 374.b
Ermanaricus Gothorum rex.10.a b
Ermeland, Varmia 156.b
Erminius siue Varmiensis conuentus quando Christianismum receperit 152. b
Euboea quando à Turcis subacta 406.b
Eucharistia inuenta in Posnaniensibus pratis 259.a. Turcis non ostendenda 677.a b
Eudoxia Russa Izaslai filia Miecislai Boleslai II. filij vxor 63.a
Eudoxia VVseuolodimiri Haliciensium principis filia nubit Mieciflao Boleslai III. filio 101.a
Eufemia Ziemouiti Masouij filia cui nupsit 294.a
Eufemia Præmisli filia 158.b
Eugenius III.Papa 100.a
Eustachius Dascouitius in gratiam receptus 538.a
Eutropius 216.a
Ezigeris Tartarorum ducis amicitia cum Cazimiro III.353.b. 388. a. consilium ibid.

F.

FAbianus Maulus 395.b
Falckenbergensium dux cur se Boemo subdiderit 195. b
Fames in Polonia 103.a . 130.b. 146. b.173.a. 191.a.192.b.217.b.323.a
Fedco Nesuissensis dux captus tradit se in clientelam VVladislai III.316.a
Fedco dux Ostrogius Polonos vexat 307.b.308.a
Feliciani cuiusdam crudelis impetus in regem Vngarorum 198 b.
Felix papa Nicolao V. pontificatu cessit 336.b
Ferdinandus Austriæ archidux in regem Boemiæ coronatur 599.b rex Vngariæ 601 a
Ferdinandus Cęsar & rex Romanorum 462.a.eius liberi ibid.
Ferrariam cur reuocauerit conciliū Basileense Eugenius papa 320.b
Fidei & religionis negotia quibus diiudicanda 625 a
Filiorū 12.partus prodigiosus 197.b
Finni populi 455.b
Firstensteinum 418.a
Fisshausum oppidum Prussiæ 36.a
Flagellantes sese secta 212.b
Flandria quando ad Austriacam familiam peruenerit 411.b
Florentiam domat Carolus Cæsar, & libertatē reip. eripit 587.a
Florentinum concilium 327.a
Floriani martyris reliquiæ per quē Cracouiam apportatæ 117.a
Florianus Morscius 219. a . legatus ad Ludouicum regem 222.b
Florianus Shari eques 203 a
Fogelsang castellum à Teuthonib. Crucigeris excitatum 135.b
Fortuna bellorum domina 469.a
Foroiuliana Venetorum ditio à Sigismundo infestata 279.b.à Turcis 425.a b
Franci Galli dicti 11.a. Teuthonum populi 24.b.Francorum orientalium regnum 19.b
Franciscani monachi archiepiscopi interdictum contemnunt 175. a.iis quis & quando cœnobium Cracouiæ condidit 142.b
Franciscus Crassinius Cracouiensis episcopus 839.b
Franciscus Galliæ rex Imperatoriā Maiestatem ambit 572. a . fœdus cum præcipuis Christiani orbis principibus init.593.b.cum Henrico Angliæ rege 577.a. Genuam & Mediolanum occupat 589. b. capitur ab Hispanis 592.b
S. Francisci festum quando apud Polonos celebrari cœperit.541.b
Frankensteinū cur & quando Suidniciensi duci donatum 181 . a. à quo emerit rex Boemorum 194.b
Francofordia ad Oderam 196.b
Fratres siue acephalus exercitus 411 b. Austria quomodo eiecti 412. a.calce sali & farinæ immixta extincti ibid.
Fraumberga ab obsidione Crucigerorum liberata 373.a
Freistadia seu VVschouua 415. a . à Germanis condita 214 b
Fricius Silesius præfectus maioris Poloniæ 185.b
Fricius Raunechius Austrius 373 b. cæsus 374.b
Fricius Reptius Silesius 267.b
Fridericus Alberti Brandeburgensis Marchionis filius gener Cazimiri III. 428.b
Fridericus Austriæ dux 150 a. 151.a. Cæsar 197.b
Fridericus Barbarossa Cæsar 101.b. cur multum laborarit pro restitutione VVladislai II. filiorū 103 b.104.a.eius acta 109 . b . expeditio in Asiam 115.b.in Italiam 103. a.in Poloniam 102.a.consultatio de reducēdo exercitu ex Polonia ibid.b.mors 115.b
Friderici Brādeburgensis marchionis affinitas cum VVladislao Iagellone 288.b.ingentia promissa regi facta 289.a
Fridericus Brandeburgensis marchio 401 a.fauet Crucigeris 355.a
Fridericus Cazimiri III filius Cardinalis 462 .a. archiep . & episc. Cracouiensis 438.b.462.a.quando natus 399. a. Polon. gubernator 450. a. eius mors, effigies & mores 451.a
Fridericus Drabatensis episcopus eiectus 184.b
Fridericus II. Cæsar 122.a.vnde rex Hierosolymorum dictus 135 . b. Henrici filius trimulus Cæsar renunciatus 122 . a . eius diploma Crucigeris datum 134.b . expeditio in Syriam 135. b. ipsi imperiū in Concilio Lugdunensi abrogatum 151. b
Fridericus Holsatiæ dux Danię rex fit 585 b. moritur 613.a.
Fridericus III.Cæsar 324 b.bis Romæ coronatus 344.a.in noua ciuitate obsessus ibid.cur regnum pariter & administrationē Boemiæ recusauerit 325.a . eius arbitrium inter Prussos & Crucigeros 346.b.mater q̄ 294 . a cū cur Prussi iudicē recusauerint 347.b
Fridericus imperator obsidione liberatus à Georgio Boemorum rege 362.b.quamdiu à Viennensibus ciuibus obsessus 376.a.Mathiæ regi Vngariæ reconciliatus 390.a.eius bellum contra perduelles suos 423.a b. consilia contra Cazimirum III.& Polonos 403. a.conuentus cum Carolo Burgūdiæ duce 411.b.cum Mathia rege dissidium 404.b. fœdus cum Cazimiro III. 405. a . mors 439.a. inter eum & Mathiam regem pax constituta 425.b
Fridericus Prussiæ orientalis magister 452.a.detrectat iusiurandum 448.a
Friderici Saxoniæ ducis magistri Crucigerorum obitus 545.b
Fridericus Lubussensis episc.404.a
Fridericus VVladislai Boemorum regis filius Sobeslaum victum principatu eijcit 110.a
Fridlandia Polonis dedita 369 . b. à præsidiarijs incensa 382 . b. eam cui donauerit rex Poloniæ 272.a
Fridlandenses qua fraude regium præsidium contrucidarint 370 a. quādo Cazimiro III.dediti 392.a
Frisij Teuthonum populi 24 b
Fristatum ab Vngaris incensum 413.b
Fulco Cracouiensis episcopus 116. a.117.b. quem successorem Cazimiro dederit 118. a.quando mortuus 127.a
Fulco Gnesnensis archiepiscopus 150 b.eius acta contra Boleslaū Caluum 158.b.159.a
Fuldensis abbas 103.b
Funtzol teloniū apud Prussos sublatum 350.b

G.

GAbriel Veronensis Franciscanus inquisitor hæreseon 397.a
Galardus Titulēsis prepositus 206.a
Galatiæ & Lodomiriæ regnum cur sibi vendicent Vngari 128 a
Galeatius Mediolanensiū dux 258.b
Galli ad meridiē profecti 16 .a.19 b. quando Neapolitano regno & Mediolani dominatu potiti 446 b.Neapolitanū regnū inuadunt 601.b. Neapolim frustra obsidēt ibid. Genuam occupant 589. b. quando Constantinopoli pulsi 161.a.Italia & Mediolano 548. a. eorum origo 2.a.mores 729.b
Gallia per Francos & Gothos vexata 2. b. Gallia Cisalpina dicitur nunc Longobardia 101 , a . eius motus & calamitas 726 , a.

INDEX.

laus ibid. cum Polonia consonantia & harmonia 728. b. 730. a b.dissonantia ibid.

Gallus anonymus Polonicarum rerum scriptor 46.a.

Gambriuius Germanorum rex 2.a

Gaspar Bekesius 763. a. victus à Stephano rege 840.a.supplex eidem ibid.b.eius fuga adMaximilianũ Cæsarem ibid. a. mors & res gestæ 763.a b

Gaspar Pomesaniẽsis episco. 349.b

Gastoudus Lituanus 341. a. 357. b à Polonis captus 303.b.turbator Lituaniæ 353.b.eius potentia & authoritas 335.a

Gaudentius Gnesnensis archiepiscopus 36.a. eius corpus pro Adalberti corpore à Boemis asportatum Pragam 49.a

Gaudẽtius Lubussensis episco.112.b

Gdanum Prussiæ vrbs 272.a.492.a. à quo munita 182 b. à quibus recepta 188. a. Crucigeris prodita 189.b.prope prodita 380. b. 381.a. Brãdeburgensi marchioni in pignus data 165 b.Stephano regi rebellat 735.a b.ipsi se dedit 736. b. eius arx à quibus expugnata 165. b.in Crucigerorum potestatem redacta ibid. a b .arcis defensio quomodo Crucigeris Prussiensibus mandata 188.a.nũdinæ 189 b. palatinus Pomeraniæ præfecto subiectus 110.b.seditio 421.b.422 a.567 a.713.a.à Sigismundi Augusti cõmissarijs pacata ibi. à Sigismundo I.470.a.à Stephano rege 840 b.ab Vdalrico Ceruõca 357. b.territorium à Crucigeris vexatũ 385.a.Cazimiro III. donatum 401.a. ei q̃ Iagello rex donauerit 272.a b.eã Germani obsidẽt 581.a

Gdanenses quid Cazimiro III. regi debeant 350.b.à Polonis ad Crucigeros se inclinant 274.b.277.a. cogitatæ defectionis insimulati 400 b.Marchionibus se dãt 187 b. Sambiã vastant 373.a b.incõmodo à Sumbergio affecti 367 a.seditiosi à Sigismundo I.puniti 472. b.473.a .Lutheranã sectam assumunt,templa diripiunt &c.591.a. Lutherani primò deinde Catholici ad Sigismundũ I.legationem mittunt 392. a . Lutherani capiũtur,& capite plectuntur 595.b.Catholicam religionẽ recipere coguntur 595 b.eorum in nauigando industria 587.b. munificentia in Cazimirũ III.359.a.400.b.naues à Crucigeris captæ 386.b. reditus publici 359. b . studium in Polonos & regẽ 362.a.terror adueniente Sigismundo I. 594.a

Gedeon Gryphius episc.Craco 99. a.101.a.107.b .112 .b. eius liberior oratio ad Miecislaũ senẽ 108 a b.

Gedeon Plocensis episcopus 131.b

Gediminus 242. a. Lituanorũ magnus dux 196.a.eius filij 242.a

Geisa Belæ Vngariæ regis filius ad Boleslaum II. Polon.regem cur fugerit 58.a.Vngarorum rex Austrios vicit 96 b

Geisa siue Iesse Vngarorũ princeps quando Christianus factus 33.a b

Gelasius II.pontifex electus 83.a

Gelda quid Crucigeris 393.b

Geldria quando ad Austriacam familiam peruenerit 411.b

Gembice oppidum direptum 238.b

Gensericus vnde dictus 6.b

Gentiũ in Dalmatia & Illyrico mutatarũ argumentũ 4 b.migratiões 3.a b.origines obscurę quomodo antiquitatem affectent 1. b.2. a. studium in conscribendis rebus gestis aliorum 3.b

Georgius Belsensium dux 218.b

Georgius Boemorum rex à Viennensibus profligatus 376 a. hęresi infectus 362 b. inuisus Morauis,Silesijs & Lusacijs ibid. quãdo à Cazimiro III. liberis suis metuere cœpit 395 a. eius bellũ in rebelles 396 b. cum Cazimiro III. conuentus & pacta Glogouiæ 372 b. filij quando duces Munsterbergensium in Silesia creati 376 a. inconstantia 406 b.mors ibid.res meliores quando 405 . a . responsum oratoribus Polonis datum 398.a

Georgius Brandeburgensium marchio 576. a. ad Sigismundum I. Torunium venit ibid.

Georgius Brutim Lituanus 397.b

Georgius Danibronius Slochouiæ præfectus 391 a

Georgius Fridericus Marchio Brandeburgensis ad Alberti Friderici Prussiæ ducis curam admissus 739.a.840.b.inuestitus Prussiæ dux 739 a.ei⁹ auxilia Stephano regi missa ad Polotiã 754.a

Georgius Gakel Transyluanus dux rusticorum in Vngaria 556 b.ab ijs rex creatus 557. a. eius crudelitas in optimates & Satrapas Vngariæ ibid.in episcopum Cenadiensem ibid.rapinæ ibid.pœna & interitus ibid.b

Georgius Haraburda legatus ad Moscum 740. b. à Mosco detentus ibid.remissus 747.b

Georgius Iazlovvieczki Russiæ palatinus 704.a

Georgij Kerdeij acta contra Russos 309.a

Georgius Ostrogiensium dux Russus 357.b

Georgius Podiebradius 350.a .Boemiæ gubernator 336.a.rex 358.b. quomodo dominatũ apud Boemos arripuerit 325.a

Georgius Radiuilus 465.b

Georgius Russorum dux à Polonis captus traditur Lesco Albo 128.b

Georgius Russorum dux quomodo se,Belsumq; dediderit Ludouico regi 228.b

Georgius Stossus Morauus latro in Polonia 356.a

Georg.Zuderes Russię p̃fectus 229.a

Gerardus præpositus 135.a

Gerardus Russorum episcop. 155.b

Gerardus Vvladislauiẽsis epi.193 a b

Gerlicia oppidum à quo oppignoratum 153.a

Gerluca Græcus proditor Constantinopolis 344.b

Germani Boemia per quem eiecti 29.a. canum & auium esca facti 79.b. quomodo Poloniæ incolæ facti 214.b. qui nulla vi adacti arcem Budẽsem Turcis dediderãt perfidè occiduntur 599. a.soluta obsidione Glogouiæ quò se receperint 78 . b. diligentiores patres familias quàm Poloni 214.b. 215. a.olim humanis hostijs deos placarunt 201.b. à Boleslao II. victi 56.a. eorum auxilia contra Polonos ibid.bellum cum Polonis ob Pomeraniã & Prussiam 558. b. cum Sclauis 28 a. clades apud Prusmarcum 575. b. duces capti 56.a. militum humanitas 582. a. origo 2 . a . de subacta Polonia iactantia 46.a.prælium cum Polonis 79.a.cũ ijs simultatis caussa quæ 558.a b.principes ab Henrico V.alienati 83. a . pacem inter Polonos & Crucigeros inficiunt 383.b. reges & progenitores qui 2.a

Germania Poloniæ grauis 703. a. 704 b.quando in excidium Polonorum conspirauit 270. a. eius bellum ciuile 73 . a. motus 83.a.151.b.sedati ab Imperatore 107.b. Germanicæ linguæ vsus apud Boemos & Polonos 7. a. apud Prussos 42.a

Gertrudim Belæ cæci filiam Miecislaus Boleslai III. filius vxorẽ ducit 101.a

Gertrudis Henrici Barbati filia 139.a

Gertrudim Leopoldi Marchionis Austriæ filiã Vvladislao Boleslai III.filio nupsisse an verũ 80.a

Geruasij martyris dies , & ara Cracouiæ 126.b

Gibellinorum factiones 151.b

Gilauia Cazimiro III.dedita 359.a. Crucigeris 360.a

Gildericus vnde dictus 6.b

Giula Transyluanorum dux 33.b

Gladium distringendi mos in Polonia sub recitatione Euãgelij 35.a

Gladios duos cur miserit regi Poloniæ Crucigerorũ magister 268.b

Glebus & Borissus sancti apud Russos 39.a

Gliuicensis dux captus à Mathia rege 418.a

Glogouia qua fraude à Boemorum rege in potestatem redacta 194 b. à Cæsare oppugnata , & à Polonis defensa 77.a à Polonis exusta 102.a. Glogouiense sacerdotum collegium à quo institutum 184 a. Glogouiensis dominatus Boleslao Caluo concessus 156.b. Ioanni Alberto 436.b. Sigismundo I.462.b.eius diuisio 191.a

Glogouiensium dux cur se Boemo subdiderit 195.b fides & constantia 77. a.induciæ quinque dierũ cum Cæsare ibid.legatio ad Boleslaum III.pro auxilio ibid. obsides pallijs alligati obuertuntur ad mœnia ibid.

Glouuna fluuius 98.a

Gnasdo Polonicè nidus 17.b

Gnesna vrbs condita ibi . à Boemis incensa 49.a. Cazimiro principi concessa 110.b.à Crucigeris exusta 199 b.ab Henrico Barbato oppugnata 140.b.à VVladislao Lasconogo obsessa 136 b. Gnesnam ex Crusuicia regia translata quãdo & à quo 27. b.ex Cracouia 25. a.Gnesnense tẽplũ hostiũ spolijs ornatũ 40.a. Gnesnensis Archidiaconus captus & abductus à Pomeranis 74. b. ab ijsdẽ dimissus ibi. Archiepisc.legatus natus 506. b.516.a.primas 507.a.qua occasione Canonicus Plocensis factus 141.b.eius iurisdictio 516. a. officium 507. a. prærogatiua 522.a. 695.a.

695.a.696.a. ei monetæ cudendæ & venandi ius concessum 137.a.qui episcopi parent 516.a. à Leopoliensi ad ipsum prouocatur ibid.basilica 32.b.de cœlo tacta 354.a. eius dedicatio 68.b. diœcesis fines 224.b.domus sacerdotum direpta 239.b.ecclesię immunitas & prerogatiua 137.a
Gneua arx quando condita 173.a
Gneua Prussiæ vrbs 272.a.Gneuense territorium Crucigeris à quo donatum 173.a
Gneuomirus Ciarnicoui dominus 74.a.Christianus factus à Boleslao III. è sacro fonte suscipitur ibid.fuste capite communito interficitur 76.b
Gneuossius Daleuitius infamia notatus 248.a.eius opes vnde 244.b
Gneuum à Polonis obsessum 380 b. per deditionem ab ijs receptum 382 a b.eius deditio 353.a
Gneucouia arx oppugnata à Crucigeris 203. b. incensa à VVladislao Albo 226.a.eam rex Polonię quanti à VVladislao Albo emerit 225. b. Gneuucouiensis conuentus cum Crucigeris 260. b.
Golessia arx defensa 413.b
Goltiberga 129. b. Goltibergensiũ metallorum fossores 144.b
Golubum Prussiæ oppidum & arces duæ 152.a.272.a.290.a. Crucigeris proditum 367.a.à quo receptum 375.a
Gonianzum oppidum à Lituanis interceptum 345.b
Goplus lacus 68.a.488.a
Gora Ioanni Alberto cõcessa 436.b
Goricia castellum Maximiliano imperatori ereptum 539.a
Gorlicia à Germanis condita 214.b
Gorzouum à Polonis expugnatum & incensum 326.a.duci Cessinẽsium oppigneratum 255.a
Gosdouia familia 126.a
Goslaus Plocẽsis episcop.131.a.182.a
Gostinensis conuentus fidem regis Poloniæ secutus 372.a
Gostinium à Conrado quando surreptum 176.b
Gostininum à Boemis oppugnatũ 185.a/b.quando à Ziemouito Masouiorum duce occupatũ 222.a
Gotardus Cancellarius 135.a
Gotardus Curlandiæ & Semigalliæ dux creatus 711.a. inuestituram à rege Stephano petit 748.b in clientelã ab eo susceptus 750.a. eius iusiurandum ibid. de eo Polonorum consultatio ibid.
Gotardus Radlinius dux à Polonis militibus creatus 387.a
Gothi in Sarmatia 12.a. ad meridiẽ profecti 16.a.an Polouucii 54.ab
Gouorcus Chrobranius 314.a
Gouoricius exul à Boemico exilio reuocatur 121.a b
Gouoricius Rauita contra Silesios pugnat 119.b.captus ibi.
Gouoricij Sendomiriensis palatini pietas in principem suum 124.b
Grabinũ Prussiæ vrbs 272.a
Grabouecia à Polonis recepta 228.b
Grabouia oppidum 336.b
Gradocensis tractus Sobeslao concessus 83.a
Gradiscũ obsidione liberatũ 405.a
Graduum preces in Cracouiẽsi diœcesi 53.a
Græci quando cum Latinis coniuncti 161.a. eorum ad concilium aduentus 320.b
Græcium siue Grez arx 66.a.71.b
Grambina à quibus cæsus 143.b
Granata quando à Saracenis subacta 122.a
Gregorius Bartoslauitius à Mosco captus 538.a
Gregorij Magni ad episcopos Istrię de Slauis epistola 5.a
Gregorius Oscikus proditor 769. a b & seq. proditione detecta captus ibid.supplicio affectus 770.a
Gregorius Sanoceus 638 b
Gregorius Sanocius archiepiscop. Leopoliensis 340.a.quãdo mortuus 425.b
Gregorius succancellarius 115.a
Gregorius V.Papa 36.b. VII. quid in Polonos & regem Boleslaum II. statuit 61 b.IX.142.b.XI.228. a.quando Auinione Romã migrauit ibid. XII. cur à papatu reiectus 264.a
Greifensteinum oppidum quomodo à Polonis alienatum 165.a quando ab Henrico VVratislauiensi redemptum 168.b
Griffina Lesci Nigri vxor 168.a
Grimala Olesnicius Costrinensis castellanus 235.b
Grimalij & Nalencij reconciliati 246.a b.
Grimislaua Iaroslai Russorum ducis filia, vxor Lesci Albi 129.a
Grodecum arx Prussorum 55.b
Grodecum oppidum Russiæ 312.b
Grodlum oppidum à Polonis obsessum 303.a.receptum 228.b
Grodnum quãdo obsederint Poloni 248.b
Grona vrbs à Germanis capta 29.a
Grossi lati siue Pragenses, quale numisma 189.a.503.b
Grotcouia oppidum 184.a
Grothecium arx Silesiæ constructa; & Polon. principi dedita 101 b
Grothus Ceisnicus Rauæ prefectus 376.a
Grotus Slupecius latronum princeps 258.b
Grudentum arx Culmensis tractus 131 b
Grudentum Prussiæ oppidum 272. a.quãdo Crucigeris ereptũ 172.a
Gruneualdum pagus 268.a
Grusciniorum dissidium 413.a
Gryffonum familia equestris 82.a. 98.b
Gryphina Lesci Nigri vxor cur Boemorum duci Venceslao Sendomiriensem principatum donauerit 179.b. eam qui in Boemiam duxerint 180.a
Guida flumen 133.a
Gualto episcopus Beluacensis legatus Pontificis maximi in Poloniam venit 72.a
Guelforum factiones in Italia 151.b
Guilelmus Germanorum dux contra Polonos 56.a
Guilelmus Hollandiæ comes Cæsar quando electus 151.b
Guilelmus Mutinensis episcopus legatus Apostolicus ad Prussos quando & cur missus 148.b
Guilelmi Petri Dunini patris authoritas apud regem Daniæ 86.b
Guilelmus Siciliæ rex 115.b
Guntherus Episcop.Plocensis 134.b
Gutstauus fit rex Sueciæ 586. a. Lutheranus regno catholicos episcopos pellit ibid.
Guttestadia à Polonis capta 283.a
Gyncium frustra obsidet Solymannus 609.a

H.

HAbdanci nobiles 117. b. vnde dicti 78.b
Habela fluuius 23.b
Habus lacus 42 b.368.b. 487. b .duplex est ibid.
Hæretici omnes verbo Dei vti volunt 620.a. Cracouia cur Cazimiriam à rege eiecti 302.b. eorum licentia non quiescit 623. b.eorũ caussa à sacris cessatum Cracouiæ 302.b.illis nihil in religione mutanda concedendum 623.a. hæresum nostri temporis absurditates 624.a
Hagecus 66.a.eius error de Miecislao 34. b.nugæ 156.a
Hainensis paræcia in Lituania quãdo constituta 247.a
Hainouia VVratislauiensibus adẽpta 195.a
Halicia obsessa 115.a.ab Vngaris & & Polonis capta 128.a. à Polonis Romano tributa 120.b.incẽsa 540. a. eius archiepiscopa per quem Leopolim translata 228 b. 279.a.arx à Bogdano obsessa & defensa 540.a b. Eliæ Valacho à VVladislao III rege concessa 317.b. à quo munita 220.b. principatus Romano duci concessus 120. b. situs 92. a. Haliciam coloniæ Dominicanorum deductæ 130.a.Halicienses Romano duci iurant 121.a. eorum bellum sub Cazimiro principe 113. a.clades 92.b.deditio 113.b
Halius Chereius Deuletis Tartarorum principis filius 794. b. Galga creatus ibi.à præfectura deiectus ibid. fugit 795.a.à Kosakkis captus ibid.
Hamersteinum Prussiæ vrbs 272.a. cui donata ibid. Hamersteinenses Cazimiro III.dediti 392.a
Hanco molitor quam proditionẽ molitus sit 226.b
Hannonia quando ad Austriacam familiam peruenerit 411.b
Hanselicus filius nothus Mathiæ regis 435.b.à VVladislao Boemiæ rege victus 437.a
Hanulo præfectus Vilnensis 243.b.
Hasenemerus Austrius 326.a
Hebræorum origo 2.a
Heccardus canonicus à quo in vincula coniectus 158.b
Heduigis Bertholdi ducis Carinthiæ filia, vxor Henrici Barbati 129.a maritum liberat, & pacem inter cognatos facit 136.a b quantum res humanas despexerit 140.b.quando mortua 148 a.in diuos relata ibid eius constantia, & gratiarum actio ad mortem Henrici Pij filij 146. a. sanctimonia 129.b
Heduigis Cazimiri II. filia cui nupserit 223.b
Heduigis II.vxor Cazimiri II.quãdo mor-

do mortua 215.b
Heduigis Cazimiri III. filia 386. b. Georgio Bauarorum duci nubit 420.b.462.a
Heduigis Ludouici filia, regina Poloniæ 461.a. eius aduentus in Poloniam 241.b. coronatio, mores & forma ib amor in Vilhelmum Austrium 244.a b animum quid alienum fecerit à nuptijs Iagellonis ibid. pia munificentia 247. a. pietas 246 . b . vaticinium in Crucigeros 255 b. mors & laudes 256.b
Heduigis Sigismundi I. ex Barbara filia cui nupsit 467.b.563.b
Heduigis VVladislai. Iagellonis regis filia quando mortua 305.b
Heduigis Vvadislai Loctici vxoris in monasterium discessus 205.a
Heilsberga oppidum 492 . b. frustra obsessa à Crucigeris 578. b. secundò. 580.b. tertiò 582.a
Helena Cazimiri principis vxor Lesci Albi mater quibus artibus à Mieciflao sene decepta 123.a. eius pro filijs solicitudo 122. b. qua conditione imperium ei cō missum 118.b
Helena Mosca Alexandri regis Poloniæ vxor 447 . a. cur non coronata 450.a. eius obitus 552.a
Helena Rosciflai Præmisliensium principis filia, altera vxor Boleslai Crispi 103.a
Helena Suētopelci filia, vxor Vvladislai Sputatoris 132.b
Helena VVseuolodi Belsensium ducis filia 105.b
Heligebeila oppidum 378.b. expugnatum 576.a
Helmericus Crucigerorum magister 162.a
Helmoldi presbyteri Chronicō 31.b
Heluetiorum incrementa 221.b
Henrichouicense monasterium à quo conditum 129.b
Henricus Anglorum rex regno pellitur à filio 107.a
Henricus Austriorum dux ab Vngaris & Germanis victus 96.b
Henricus Barbatus Boleslai proceri filius 122. b . cur Barbatus dictus 140.b. à quo ad interuertendum principatum cōcitatus fuerit 132. a . principatum obtinet 139.a. à Conrado captus 136.a. à quo protectus & seruatus 134a. quando & vbi mortuus 140 . b. VVratislauiensium dux quomodo principatum inter filios diuiserit 129.a. eius acta in tutela Boleslai Pudici 139. a. bellum ciuile cum Conrado de principatu 136.a. cū Heduige vxore continentia 140. b. expeditio in Cracouiēsem principatū 132.a. in minorē Polon. 138.a. in maiorem contra Vvladislaum Sputatorē 140 .b . inter eū & Lescum Album pax constituta 132.b
Henrici Bauarorum ducis querela de Polonis 100.a
Hēricus Boemus astrologus 294.b
Henrici Boleslai Calui F. fortitudo 169.a
Henricus Boleslai III. filius nascitur 88.b. ad Hierosolymitanam militiam proficiscitur 101.a
Henricus Boleslai Suidniciensis F. Iauoriensium dux 184.a
Hēricus Camenecius occisus 439.b
Henricus Carinthiæ dux (uand) princeps Boemorum ren. nc atus 160.b
Henricus Crucigerorum magister 188.b. eius respōsum ad Vvladislai Loctici expostulationē 189.b
Henricus Danorum rex à fratre Abele occisus 86.b. eius thesaurū quis receperit ibid.
Henricus Francus Valesius Andiū dux in regem Poloniæ electus 688.a. 720.a. quando 690.a. 697. b. vbi 694.a. 695.b. rex renunciatur 690.b. 697.b. quanta lætitia in Poloniam veniens exceptus 694. a b . è Polonia in Galliam excedit 721.a. 726.b. rex Galliæ factus ibidem. eius in Poloniæ regem electio 695.b. & seq. 689. a b. & seq. an rite facta 692 . b. 697.a. diuinum est beneficium 691.a. in electione Polonorum concordia 688.a. 689. b. 691. b. 694.b. 696.a b. 698.a. 725.a. in ea duorum equitum factum insigne 691.b. ob eum electum Polonorum lætitia 690 . b . 694. b. 698.a b. renunciatio in diem sequentem cur dilata 697 . b . & seq. renunciationis verba 698.a. laus 693.a b. 699.b. & seq. 723. b. 724.a. 729.a. ipsi quam charum regnum Poloniæ fuerit 722. a. de discessu immeritò Polonos queri 727.a. Gallorum & Sarmatarum de eo querelæ 721 . a b. Gallorum refutantur 721 . b . & seq. Sarmatarum 724. b. & seq. legati ad eum in Poloniam deducendi missi 699.a. qui honor ad eum è regno Poloniæ 723.a b. 724.a. quid ab eo electo Poloni petunt, quidq; illis debeat 699.b. & seq. eo non meliorem potuisse Polonos eligere probatur 725.a b
Henricus Georgij Podiebradij F. dux Cozlensium 414.b
Henricus Glogouiensium dux 239. a. eius interitus & filij 191.a
Henricus Gnesnensis archiepiscopus 121.b. eius opera 130.b
Hēricus Hērici Barbati filius 129.a
Henricus Henrici Pij filius 151.b
Henricus Henrici V . VVratislauiensis ducis filius 181.b
Henricus Hessorum Lantgrauius 208.a
Henricus I. Bauarus Imperator 29. a. 37.a. 41.a. b. an Polonos debellauerit ibid.
Henricus II. Imperator Conrado patri in imperio succedit 49. b. cur bellum in Polonos suscipere decreuit 53.a. susceptum per Cazimirum auersum ibid. eius animus benignus erga Cazimirum 50. b. bella in Vngaros irrita 53.a b. expeditiones in Boemiam 52.b
Henricus III Imperator 56. a . puer imperium init ibid.
Henricus IIII. Imperator captus 75.a. Solomonem in Vngariā reducit 58.a. Boemorum ducem regem appellat, & ei Poloniā attribuit 65.b. eius bellū cū Boleslao Criuousto 139 b. cum Henrico V. imperatore 73 a. cum Rudolpho Sueuorum duce 73.a
Henricus V. imperator quādo bellum cōtra Vngaros gesserit 75. a. eius arrogantia 78 a. cum Germanis & Boemis expeditio in Poloniam 76 b. in Vngaros 75 a. fuga 79 b. sæuitia in Polonos 77 a. inter eum & Boleslaum III. Poloniæ regem pax & affinitas 80.a
Henricus VI. Friderici filius Imperator 122.a
Henricus VII. Imperator 186 b. 191 b. veneno in Eucharistia extinctus 192.b
Henricus Ketlicius malus consultor Miecislai senis 107 b. in exilium missus 116.b
Henricus Lantgrauius Thuringię, Cæsar quando electus 151 b. eius interitus ad Vlmam ibid.
Hēricus Legniciensis dux quomodo VVratislauia potitus 179.b
Hēricus Munsterbergēsis ad quid à Mathia coactus 435.a
Henricus Pius 139 b. Henrici Barbati filius 141 a. Gnesna potitus ibid. eius filij 151 b. fortis pugna contra Tartaros 144 b. & seq. exercitus contra eos ibid. fuga & cędes 145 a. b. cadauer quo argumento inter occisos inuentum 146 a. caput hastæ à Tartaris infixum 145.b
Henricus Plauenius commendator Elbingensium 381 a. Succensis 266 a. Crucigerorum Magister iurat in verba Cazimiri III. regis 404 a. cur magistratu amotus, & in carcerem coniectus 282 a. Marieburgum præsidio firmat 271 a. eius ad Iagellonem regem oratio 272 b. responsum magnanimum 273.b
Henricus Probus VVratislauiensis dux IIII. 168 b. ad dolos factus 174 b. Probus nomine, non re 171 b. dolo à Boleslao patruo captus 168 b. eius detestabile facinus in Episcopi & ecclesiæ Vvratislauiensis bona 175 a. trāsactio cum Thoma episcopo ibid. b
Hēricus Ratisponēsis episcop. 418.a
Henricus Richtembergius Crucigerorum magister iurat in verba regis Poloniæ 405 b. eius fides suspecta 421.b
Henricus Saxonum dux 110 a. cur dominatu pulsus ibid.
Henricus Sēdomiriensis dux à Prussis interfectus 105.b
Henricus Silesiæ dux 131.b
Henricus Stolpensium Pomeranorum dux Cazimiri III. regis fœderatus Crucigeros profligat 387 a. eius perfidia 392.b
Henricus V. VVratislauiensium dux quomodo Cracouia & principatu potitus 178 b. 179 a. dolo captus custodia asseruatus 181 a. ei9 mors & liberi ib b.
Henricus VI. VVratislauiensium dux 194.a
Henricus Zeganensis dux 191.a
Henricus Ziemouiti Masouij filius Plocensis & Lenciciēsis præpositus quomodo factus 230 b. Plocensis episcopus designatus 250 . b. qua vxore ducta

veneno sublatus 251.a
Hertaboldus palatinus Posnaniensis captus 159.b
Hercinius saltus 73.a
Hermannus Ciliæ comes 264.b
Hermannus Contractus 46.b
Hermannus Elbingensis commendator 200.a
Hermanni Liuoniensium Crucigerorum magistri callidum consilium 273.b
Hermannus de Salza primus magister Teuthonum in Prussia 134.b
Hermannus Vessellius Derpati episcopus 823.a.à Moscis in Moscouiam deportatus ibi.
Hermiogi episcopi Camenensis clades apud Colbergam 382.b
Hermion Germanorum rex 2.a
Hernestus Austriorum dux quando Cracouiam venit 279.a b
Hester Iudæa concubina Cazimiri II. 221.a
Hibernia quando Romano pontifici vectigalis facta 122.a
Hicinum Germanos condidisse 214.b
Hierassus, qui & Prutus, fluuius 215.b
Hieronymus Cretensis Archiepiscopus legatus Pontificis maximi in Poloniam 365.a. eius ingenium & fides 390.a
Hieronymus Laski fit à Grito episcopus Varadinus 616.a
Hieronymus Pragensis 264. a. cur exustus 282.b
Hierosolyma à Turcis quando capta 40.b.à Saracenis 115.a.à Sultano Cæsari reddita 135.b
Hierosolymitani fratres hospitalarij 124.a
Hiltenseimum oppidum à Polonis vastatum 41.a
Hippolitus Ferrariensis cardinalis 570.a.Bonam Sigismundi I. vxorem in Poloniam deducit ibidem
Hippolitus Gnesnensis archiepiscopus 45.b
Hirundines in Polonia quomodo se hyeme custodiunt 490.a
Hispania per Gothos & Vandalos vexata 2.b.& seq.
Hispanorum origo 2.a
Historias scribendi difficultas 733. a. eius diuersitas ibid.eius laus veritas 734. a. commentarij Historiæ genus 733.a
Histria quando à Turcis vexata 410.b
Hoensteinum à Polonis captum 271.b.283. a
Hoesteinum magnum quando à Boemo interceptum 382.b
Holandia Prussiæ vrbs 272.a.à Crucigeris capta 381.a.à Polonis recuperata ibid. Vitoudo donata 272.a.à Polonis obsessa & capta 575.a b.
Hollandia quando ad Austriacam familiam peruenerit 411.b
Hollandorum cum Lubecensibus nauale bellum 548.a. naues captæ,incensæ,& demersæ 548.b
Holophagus monstrum à Cracoextinctum 20.a
Holsatiæ comitum origo 46.b
Homicidij pœna in Polonia aucta 413.b
Hominum mentes quàm sint mutabiles 353.a
Honestas fundamentum libertatis publicæ 706.a.
Honoldus Italus episcopus 107.b
Hornisperg arx 194.a
Horuatus Banus Croatiæ 234.b
Hospitalarij fratres de Saxia 130.a
Hospitale ab Iuone episcopo Cracouiæ conditum ibid.
Hospitale Posnaniense à quo conditum 124.a
Hostasius Odrouansiorum comes 132.a
Hostiuitus Boemorum dux 32.a
Humericus vnde dictus 6.b
Hunni sine Cunan Polouucij 54. a b.versus meridiem profecti 16. a.eorum origo 2.a
Husancassani Persarum regis bella contra Turcas 409. b. eius promissa Cazimiro III. facta 414.b
Hus Boemis quid 264.a
Hussus vbi condemnatus & exustus 282.b.eius fauor apud Boemos vnde 264.a b Hussicæ sectæ initium & incrementum ibid.
Hydruntum captum à Turcis 432. a. à Christianis recuperatum ibidem b.
Hyemes asperæ in Polonia 33. b. 218. b. 323. a. calida in Lituania 281.a

I.

Iacicus siue Iacinctus monachus quando mortuus 158. b. in diuos relactus ibi.
Iacobellus & Petrus Mysnensis propagatores hæresis in Boemia 264.b
Iacobus Brosouecius nanus vincit gigantem Germanum 579.a
Iacobus Cobiscnius de stupro reginæ insimulatus 262.a
Iacobus Corskeuius auditor palatij Apostolici,episcopus Plocensis fit 251.a
Iacobus Dembenius dux exercitus regij 366.b præfectus Cracouiensis 392.b
Iacobus Leodiensis archidiaconus Legatus Papæ in Poloniam missus 152.b
Iacobus Piso legatus Papę Sigismũdum I.ad pacem cum Mosco faciendam hortatur 553. b. Romã redit ibid.
Iacobus Ratiborij filius castellan' Sendomiriensis 143 b
Iacobus Sencignouius Tartaros fugat 567.a.Germanos apud Prussmarcum profligat 575.b.Helsbergam tuetur 580.b.eius de Germanis victoria 576.a
Iacobus Sennenius ad Papam orator missus 365.a. cur à rege proscriptus 367. b.cessit episcop.376 b. Gnesnensis archiepiscopus 413.a
Iacobi Sidlouecij regni thesaurarij obitus 543.b
Iacobus Strusius cæditur 578.a
Iacobus Suinca quomodo & quando Gnesnensis archiepiscopus factus 175. a.eius diræ in Henricum Probum ibid.
Iacobus Suincius Castellanus Zarnouiensis 202.b
Iacobus Vchanscius Gnesnensis archiepiscopus 834.a. Stephanum regem coronare non vult ibid.
Iacobus Znenensis,archiepiscopus Gnesnensis 84. b. VVladislaum II.diris deuouet 97. a. quando mortuus 100.a
Iacobus Zuder præfectus 326.b
D. Iacobo dicatum monasterium Frãciscanis quis cõdiderit Vvratislauiæ 146.a
Iacubouius Roseus vbi interfectus 270.b
Iadera Dalmatarum vrbs 4.a
Iagellonicæ domus laus 707. a Iagellonica stirps 461.a
Iancola Saxo Transiluanicus Valachiæ palatinus 745.a.829.a. à Polonis captus & supplicio affectus 829.a.842.a. eius fuga 829. a. in Stephanum regem & Polonos iniuriæ ibid.
Ianicus VVratislauiensis Episcopus 98.b.Gnesnensis archiepiscopus 99.a.100.a
Ianislaus Sulimæus Gnesnensis archiepiscopus 187.a
Ianizeri phalanx Turcica quando lingua Slauica vti cęperint 379.b
Ianus Cypriorum Hierosolymorum & Armeniorum rex 306.b
Ianussius Cracouiensis palatinus 141.a
Iapeti genealogia 2.a
Iarandus Znenæ præfectus 240.a
Iarmericus Syuardi filius obsidis loco seruatus 18.a
Iaromirus Boleslai Boemorum ducis filius à fratre excæcatur 37.b
Iaromirus Prædislai Boemię ducis filius 54. b. episcopus Pragensis fit 55.b.in Poloniam fugit ibid. a.exul apud Boleslaum II.54.a
Iaromirus VVlodimiri filius Rostouij dux 39.a
Iaropolcus Izaslai filius Vissegradensibus præfectus 59.b
Iaropolcus Kiouiensium dux cur fratri Olgo bellum intulerit 34. a. à VVlodimiro F. interfectus ibid.
Iaropolcus VVlodimiri filius Kiouiensium princeps auctor defectionis Russicæ 89. b. captus & post annum redemptus 90. b. eius oratio 89.b
Iaroslaus Bogorius Gnesnensis archiepiscopus 208. a. 221.a b. vbi aulas archiepiscopales construxit 224 b. quomodo archiepiscopam ornauerit ibidem. cæcus se archiepiscopa abdicat ibid. eius magnanimitas ibid. mors ibid.eum non rite factum archiepiscopum ibid.
Iaroslaus Boleslai Alti filius 119 b
Iaroslaus Henrici Barbati filius VVratislauiensis episcopus 123.a
Iaroslaus Haliciensium dux principatu eiectus ad Polonos fugit 91 b.& seq.
Iaroslaus Iaropolci filius 70.b
Iaroslaus Nouogrodensis dux quã do factus 39.a. bellum renouans superatur ibid. b
Iaroslaus Russorum dux 45. b. à Mescislao fratre superat' & principatu exutus 43 a è pugna fugit ibid.

ibid. b. quomodo Russiæ principatum inter quinque filios partitus fuit 54.a. eius bellum cōtra Boleslaum I. regē Poloniæ 43.b. expeditio in Kiouiensem principatum ibid.a. in Poloniā 48.b. fœdus & affinitas cum Cazimiro I. rege, & Polonis 51.a
Iaroslaus Russorum dux à Polonis captus traditur Lesco Albo 128.b
Iaroslaus Vvlodimiriensium Russorum Dux in Poloniam cum vxore & liberis fugit 84.b. exul apud Boleslaum III. affinem 85.b. in pælio cum Kiouiensibus sauciatus moritur 86.a
Iaroslauia incensa 444.b
Iaroslauienses Russorum populi 9.a
Iarossinum pagus 150.b
Iascus Cmitha 226.b. interfectus 227.b
Iasenecia arx capta & incensa 310.a
Iasenij receptus ex Vngaria qualis 409.a
Iaslouecius ab Oslam Sultano per fidè deceptus 603.a
Iaslum ab Vngaris incensum 413.b
Iastrembeciorum familia 61.b
Iauanus Iapeti filius 2.a
Iauoria Suidniciensi duci donata 181.a
Iaurinum communitum & à Vvladislao obsessum 643.b
Iauunutus Gedimini filius 242.a. vbi à fratre captus ibid.
Iaxa Gryphius eques 101.a. conspirationis in Boleslaum Crispum author 106.a
Iaxas Serborum seu Vinidarum Dux 96.b
Iazyges Metanastæ 147.b. populi Prussiæ 51.b. quinam fuerint 147.b. à Boleslao Pudico quando victi & prope deleti 162.a. à Polonis profligati 52.a. à Vvlodimiro subacti 34.a. eorum origo 51.b. quindecim millia cæsa 52.a. excursio in Poloniā 150.b. reliquiæ à quo Christianam religionem accipere coactę 162 a. quando prorsus deletæ 172.b
Ibraimus Chausius legatus Turcicus ad Sigismundum I. Polonię regem 742.a
Iedinouuladez monarcha dictus apud Russos 45.b
Iedlinæ comitia 297.b
Ieiunij Quadragesimę à Polonis temerati pœna 65.b. moderata remissio Polonis data 152.b
Ielitorū familia vnde orta sit 203.a
Ieseriscia arx Polonis dedita 784.a. eius situs 751.b
Iesus Christus quomodo tenebras dispulerit 30.a
Iglauia à Georgio Boemorum rege obsessa 362.b
Ignis à Prussis cultus 42.a. sacer in Lituania quando & à quo extinctus 246.b
Igorus siue Gregorius Iaroslai monarchæ filius Boleslao II. se dedit 58.b
Igorus Rurici filius 28.a. 33.b
Illyricum Romanis cis Istrum 4.b. Romanis ereptum à Slauis 1.b
Illyrij quando & à quibus Christianismum acceperint 31.a
Imaus mons 128.b
Imbraimus Turcorum imperatoris legatus 545.b
Ilouum vrbs 24.b
Imbramus Ciulicus vbi interfectus 270.b
Imperator Romanus quomodo eligendus 36.b. & seq. eius electioni quid accesserit sub Conrado Sueuo imperatore ibid.a
Imperium Occidentis ad Francos translatum 23.a. quamdiu vacauerit ante Carolum magnum ibid.b. eius diademata 37.a. electores qui, quando, & à quo instituti 36.b
Impietatis gradus 30.a
Impiorum prosperitas 475.b
Ina flumen 183.a
Incendiarijs præmia à Crucigeris proposita 204.b
Induciæ inter Crucigeros & Polonos 204.a. 205.a 239.a. 263.b. 283.b. 289.b. 310.a. 311.a 315.b. 362.a. 418.a. 583.a. à Crucigeris violatæ 363.a. inter Polonos & Boemos 414.a. inter Polonos & Vngaros 409.b. 411.a. 414.a. 421.a. Inter Boemos & Georgium regem suum 398.a. Inter Mathiā & Cazimirum III. 429.b. damnosæ sunt 303.b
Infans exanimis cum serpente viuo dorsum cadaueris depascenté natus 419.b. infantis vaticinium 168.a
Ingenia hominum quæ insatiabilia 132.a
Innocentius II. Papa Roma pulsus 88.a. III. 122.a. 127.a. IIII. 155.a. quæ egerit contra Fridericū Imperatorem 151.b
Inouuladislauia Cuiauiæ oppidū 141.a. quando à Crucigeris occupatum 203.b. quomodo à VVladislao Albo captum 225.b. & seq. eius obsidio 226.a. satrapiæ officiales 509.a
Interdictum Cracouiæ 357.b. propter Boemos hæreticos 306.a. interdicti Polonis dati relaxatio 63.a. interdictorū ratio 61.a
Interregnum primum in Polonia 26.b. post Miecislai regis mortē 47.a. post VVladislai III. 333.a. post Lesci Nigri 178.a
Inuidia in principum aulis regnat 131.a. principibus bonis comes 123.a. clariores persequitur 629.a
Inundatio aquarum in Polonia 84.b. 130.b 155.b. 323.a. sanguinis in Silesia 165.a
Ioachimus Brandeburgensis Marchio elector Romani Imperij 467.b
Ioannæ Neopolitanæ reginæ scelera & libido 210.b
Ioannes Albertus Cazimiri III. filius natus 365.b Rex Polonorū 438.a. vnde claruerit 435.a. eius castra rumor incertus tumultu implet 443.b. consilium ad expeditionem Valachicam 441.b expeditio in Vngariam 435.b. fœdus cum fratre VVladislao Boemiæ rege 438.b. 439.a. fortitudo & fuga 436.b. indoles 438.a. induciæ cum Stephano Valacho 442.a. ingenium 439.a 448.b. libido & nocturnum periculum 444.a. mors & mores 448.b. tyrannicum dictum 441.a
Ioannes Basenus Prussiæ gubernator constitutus 350.b
Ioannes Basilij filius Moscorum dux Nouogardiam capit 742.a. Tartarorum iugū excussit 742.a. eius excursiones in Russiam Albam 430.a. b. res gestæ ibid. b. mors 455.b
Ioannes Basilius Moscorum dux qua arte Liuoniam inuasit 735 b. & seq. ex Liuonia in Moscouiam se recipit 736.a. Legati Polonorum quomodo ab ipso habiti 739.b. Vendam oppugnahat ibid. Vnde suum genus se ducere iactat 784.a. vxore repudiata alteram ducit 788.b. operam Christianitati contra Turcas offert 792.b. in Stephanum Poloniæ regem inuehitur 795 a.b. eius cædes & homicidia 743.a. crudelitas ibid. literæ ad Stephanum Poloniæ regē 736 a. 769.a. 771.b. 774.b. 775.a. 783.b. & seq. 795.a. ad Lituaniæ proceres 768.b. ad præsidium Susæ 762 a.b. mater quæ 797.a. postulata à Stephano rege superba 745.b. potentia 743.a. res gestæ, victoriæ, & regni propagationes 742.a. responsum ad Stephani regis literas 735.a. trepidatio Stariciæ 808 a.b. ei Liuonia fere tota subdita 736.a. arces ab eo conditæ 751.b. & seq. Polonis pace facta concessæ 824.b
Ioannes Bibersteinus comes 191.a
Ioannes Boemorum rex 193.a. cur diris deuotus 195.b. Crucigeris in auxilium venit 197.b. eius expeditio in Lituaniam 209.b. vafrum ingenium 194.b. & seq. mors 210.b
Ioannes Boratinius 465.b
Ioannes Boratinskus Polonici equitatus dux contra Moscos 571.a. eius victoria à Moscis ibid.b
Ioannes Brandeburgensis marchio 153.a. eius in Pomeraniam expeditio 187.b
Ioannes Brezius procancellarius regni 367.b. de proditione suspectus 362.a
Ioannes Broglouius præfectus Bydgostiensis 278.a. eius victoria de Crucigeris 266.a
Ioannes Cæcus cur bellum intulerit Polonis 209.b. & seq.
Ioannes Camenecius 464.b
Ioannes Calissiensis castellanus 166.a
Ioannes Capistranus Franciscanus quando in Poloniā venerit 347 a. eius victoria de Turcis 358.a. mors ibid.
Ioannes Carncouius cognomento Polacus 434.a
Ioannes Chanadiensis episcopus 234.a
Ioannes Chodkeuicius administrator Liuoniæ constitutus 711.a
Ioannes Choinius Cracouiensis episcopus, & Cancellarius Poloniæ 78.b
Ioannes Ciapla scholasticus Plocēsis Cristino palatino infensus 131.a. à Conradi suspensus 141.b

Ioannes Ciſtes eques Boemus 77.b
Ioannes Colda quomodo Zialdouiam recuperauerit 354.a
Ioannes Conarius Cracouienſis epiſcopus 451.a
Ioannes Conarius eques palma Cazimirum in faciem percutit 109.a
Ioannes Coſcelecius Marieburgi præfectus 365.a
Ioannes Coſtka Sendomirienſis palatinus 25.a. 27.b. Marieburgenſis præfectus 527.a
Ioannes Cropidlo VVladislauienſis epiſcopus 239. b. quodnam regis arcanum prodiderit 282.a. quomodo archiepiſcopa à rege excluſus VVladislauienſem epiſcopam amiſerit 248.a b.
Ioanni Czarncouuski quid rex Iagello mandauerit 298.b
Ioannes Dantiſcus epiſcopus Varmienſis 479. b. 562.b
Ioannes Dlugoſſus hiſtoricus Polonus 2. b. regiorum liberorum præceptor 399.b. archiepiſcopus Leopolienſis quādo obierit 431.b
Ioannes Dobroslaus magiſter 135.a
Ioannes & Paulus martyres ſub Iuliano 27.a
Ioannes Falcembergius cur in carcerem coniectus 284.b
Ioannes Finlandiæ dux rex Succiæ 714.b. eius vxor 719.a. inter eū & Daniæ regem per Sigiſmundum Auguſtum pax conſtituta 714.b
Ioannes Franciſcanus monachus legatus pontificius 217.b
Ioannes Fridericus Brandeburgenſis marchio Stephanum Poloniæ regem ad bellum Moſcouiticum hortatur 745. b. ei tormenta bellica dono mittit ibid.
Ioannes Galeatius Sphortia Mediolanenſium dux 467.a
Ioannes Gamratus 315.b
Ioannes Gels Sileſius prædo 340.b. 341.b.
Ioannes Gerbiſſus Poſnanienſis epiſcopus 182.a
Ioannes Gneſnenſis archiepiſcopus 166.a. eius in Cracouienſes interdictum ibid.
Ioannis Gneſnenſis archiepiſcopi mors & mores 232.a. bona eius direpta ibid.
Ioannes Grotus epiſcopus Cracouienſis 197. a. 206. a. quo anno mortuus 211.a
Ioannes Gruſcinius epiſcopus Cracouienſis 376. b. VVladislauienſis 367 b. archiepiſcopus Gneſnenſis 385. b. eius mors & vitia 412. b
Ioannes Gryphius ignominia notatus 132.a
Ioannes Huniades 633. a. contra Ladislaum miſſus quæ egerit 654. b. & ſeq. prorex Vngariæ factus 335.b. 337.b. à Deſpote Raſciæ captus 338.b. cum Iſcra quorum opere reconciliatus ibid. ab Iſcra victus 342.a. Turcos inopinantes adoritur 667 a. ad pacem cum Turcis faciendam inclinatus 675. a b. in Vngariam fugiens reuertitur 688.b. Tranſyluaniæ dux declaratus 656. a. eius fuga 687.b. genus, honores & res geſtæ 325.a. prælium cum Ladislao 655.b. de certamine cū Turcis ſententia 685.a. res magnæ in Vngaria geſtæ 335.b victoriæ de Turcis 327.b. 358.a 665.a. 667.b. mors 358.a.
Ioannes Huſſ. 264.a. vide Huſſ.
Ioannes Ioannis Moſcouiæ ducis filius 815.b. eius mors & mortis cauſſa ibid. patris ob mortem dolor ibid.
Ioannes Iſcra Boemus 324. b. pacis ſequeſter inter Polonos & Crucigeros 361. a. Boemorum auſtralium dux 654. a. Scepuſienſem agrum vaſtat 656. a b. aliquot oppida capit ibid. Caſſouiæ obſeſſus quæ egerit 657. a. Polonos fundit fugatq; 661. a. Broſouiciam obſidet, capitque ibid. Richnouam capit ibid. b. ad expeditionem Turcicam ſitne à Vvladislao euocandus diſputatur 673.a b. fere ab Vngaris captus VVladislai regis opera euadit 674.a. eius pax & affinitas cum Agrienſi epiſcopo 661. b. eam non ſeruat ibid. res geſtæ contra Polonos 326.a
Ioannes Iuani filius 145.b. eius fortitudo contra barbaros ibid.
Ioannes Laſcus Poloniæ cancellarius 451.a
Ioannes Laski Gneſnenſis archiepiſcopus ad concilium Lateranenſe legatus 551. a. Roma redit 563.b. legatus perpetuus à Leone X. pontifice maximo creatus ibi. eius oratio ad collegium Cardinalium 551.b
Ioannes Lauſanenſis epiſcopus 283.a
Ioānes Lincopenſis epiſcopus Gdani moritur 586.a
Ioannes Lozia epiſcopus 183.b
Ioannes Lubinenſis dux 282.b
Ioannis Lubranski Poſnanienſis epiſcopi obitus 576.b
Ioannes Lucemburgenſis comes quando Boemorum rex creatus 186.b
Ioannes Lutecus Brezius procancellarius regni 376. b. epiſcopus Cracouienſis 385.b
Ioannes Maſouiorum dux ad regnum Polonicum aſpirat 438. a. à Crucigeris captus 260. b. obit. 439 b
Ioannes Melſtinius Cazimiri III. mandatum contemnit 368.a. Caſtellanus Cracouienſis moderator Cazimiri II. regis 205.a
Ioannes Merignola Florentinus archiepiſcopus 2.b
Ioannes Muſcata Cracouienſis epiſcopus 183. a. 186. a. cur captus 192.a
Ioannes Naſciokinus legatus Moſci ad Stephanum 769.a
Ioannes Odrouanzus Leopolienſis archiepiſcopus 317 b
Ioannes Oleſſnicius 250.a. eius acta contra Vitoudum & Crucigeros ibid.b
Ioannes Olgemundi F. dux. Kiouienſium 252 a
Ioannis Oppolienſium Sileſiorum ducis fœdus cum VVladislao III. & Cazimiro fratre 319.b
Ioannes Oſtromecius 818.a. eius induſtria in facienda ciſta puluere infecta ibid. & b.
Ioannis Oſtrouicij virtus in pugna Coronouienſi 275.b
Ioannes Palæologus Græcorum imperator 320. b. 672.a. VVladislaum Poloniæ & Vngariç regem ad bellum Turcis inferendum hortatur 678. a. eius legatio gratulatoria ad eundē 329.a
Ioannes Pienianſcus Gneſnenſis archidiaconus adulterij & homicidij reus 389.a. quomodo punitus ibid.
Ioannes Plocenſis abbas 135.a
Ioannes Podkoua Valachiam inuadit 737.b. captus ad Stephanū regem miſſus ibid. à rege ſupplicio affectus 745.a
Ioannes Prærembius Gneſnenſis archiepiſcopus 451.a
Ioannes Radlicius medicus, epiſcopus Cracouienſis 232.a
Ioannes Ratiborienſis dux 282.b
Ioannes Reſſouius Cracouienſis epiſcopus 408.b. Corçinenſis præfectus captus 396.a
Ioannes Rigenſis archiepiſcopus à Crucigeris in vincula coniectus 184.b
Ioannes Rituianius dux Polonicarum copiarum in Sileſios 416.b
Ioannes Rogala latronum princeps 258.b
Ioannes Romca VVratislauienſis epiſcopus 182.a
Ioannes Ruſſus dux Ciartorienſis 323.a
Ioānes Saffranecius Vuladislauienſis epiſcopus 294.a
Ioannes Samoſcius Polonos ad bellum Moſcouiticum hortatur 764.b. & ſeq. ad Veliſium oppugnandum miſſus 771 b. & ſeq. Vitepſciam venit 772.a. à Vitepſcia ad Suraſſum profectus 772.b. exercitum ad profectionem quomodo inſtituit. ibid. per ſyluas ad Veliſium venit 773. b. generalis exercitus dux creatur 797. b. & ſeq. munus illud renuit ibid. & ſeq. Pleſcouiam ſpeculandi gratia circumit 799. a b. inuidia flagrat 810. a b. calumnias contemnit ibid. militum motus componit ibid. & ſeq. ſuorum humandorum poteſtatem Pleſcouienſibus cōcedit 817. b. Moſcos nobiliores conuiuio excipit 821. a. contra Tartaros miſſus 837. b. eius lautitiam & victus copiam Moſci admirantur 821 a. militaris diſciplina 810. b. 813. a. periculum 799. b. ſedulitas in ſuperando frigore 816.a b. ipſi Derpati inſidiæ à Moſcis ſtructæ 823.a b
Ioannis Sbaraſij Braſlauienſis palatini de Moſcis victoria 782.a b
Ioannes Scalius 389.a
Ioannes Scieccocinius Odrouāzius 265.a. præfectus Lublinēſis 350.a
Ioannes Scolthzius Lutheranæ ſectæ Gdani anteſignanus 594. b. capitur, & capite plectitur 596.a
Ioannes Scycius Doliuius 275.b
Ioannes Sempinius eques Polonus legatus ad Pontificem maximū 397.b
Ioannes Sendomirienſis palatinus 171.a. 174.a.

171.a.174.a.176.a
Ioannes Sigiſmundus Vngariæ rex 714.a.eius mors ibid.b.pax inter eũ & Ferdinandum Imperatorẽ ibid.a
Ioannes Smiritius Boemus 260.b
Ioannes Socolus veneno extinctus 274. b. eius liberi regijs impendijs educati ibid.
Ioannes Srancus 395.b
Ioannes Sprouius Gneſnenſis archiepiſcopus electus 345.a
Ioannes Stinauienſis Dux 191.a
Ioannes Straſſus cur in carcerẽ con iectus 294. b. factioſus contra VVladiſlaum III. 314.b
Ioannes Strelcius cancellarius Poloniæ 222. b. Cracouienſis decanus 220.a
Ioannes Suchyuilcus Gneſnenſis archiepiſcopus 224.b
Ioannes Sueciæ rex III.eius nominis ad Naruam claſſem mittit 789.b
Ioannes Suirzouius 466.a
Ioannes Suiſcius ſuos fugientes ſiſtit 805.a
Ioannes Tarnouius, Sendomirienſis caſtellanus 240. b. Cracouienſis palatinus 294. b. eius auctoritas 287.b.integritas & conſtantia 297.b.ſententia in ambitionem Vitoudi 296.a
Ioannes Tarnouius comes in Vngariam contra Turcas mittitur 584 a.eius laus 27. b. in defendenda Podolia vigilantia 614 b. & ſeq.
Ioannes Tencinius palatinus Cracouienſis 339.a. captus 443 a.eius oratio in comitijs Siradienſibus habita 237.a
Ioannes Thomas Droiouius Præmislienſis præfectus legatus ad Turcam 794. b. cauſſæ legationis ibid.
Ioannes Tifenus magiſter Crucigerorum 440.b
Ioannes Trencinius Scepuſienſis comes palatinus Tranſyluaniæ contra Georgium Gakel turbatorem Vngariæ miſſus 557. a. eum profligat ibid. b. à Turcis profligatus 560.a.ſe regem Vngariæ facit 599.a. vincitur à Ferdinando Imperatore, & in Poloniam fugit 601. a. Vngariam facit Turcis vectigalem 602. a. à Turcis reſtituitur 604.a. eius intempeſtiua ad regnum ambitio 470. a.erga eum quomodo ſe geſſerit Sigiſmundus I. ibid.
Ioannis Turzonis vita, & obitus 539.b
Ioannes Vapouius 450.b
Ioannes Varſauienſis dux Ziemouiti Maſouij F.230.b. quando mortuus 295.a
Ioannes Venetius punitus ob iniuſtum iudicium 246.b
Ioannes Viclefus Anglus 264.b
Ioannes Vranus Belgradi præfectus 648.b
Ioannis VVlodici Sulimæi patientia 320.a
Ioannes XIII. Papa 33. a. XXIII. 278.b
Ioannes Zabrzoſinski interfectus 536.a
Ioannes Zaiecius Boemorum Catholicorum princeps 402.a. Cazimiri III. liberorum fautor ibid.b
Ioannes Zapolæus Ruſſiæ præfectus 229.a
Ioannes Zaremba 580. a. dux exercitus 369.b.465.b
Ioannes Zatorienſis dux à Laurentio Myſkovvski interfectus 552.b
Ioannes Zimiſces Græcorum Imperator 31.a
Ioannes Zuuierczouuski Polonicis copijs præfectus 569 a. eius negligentia in oppugnanda Opoſca 569.b.temulentia ibid.
Iocus pernicioſus 96.a
Iodocus Morauiæ marchio cur regi Polonorum infenſus 265.a
Iolenta Boleslai Pij Caliſſienſis ducis vxor 170.a
Ionium mare à Turcis infeſtatum 446.a
Iornandes Alanus de rebus Geticis ſcripſit 3. a. quando Hiſtoriam ſuam conſcripſit 15.a
Ioſephus patriarcha Conſtantinopolitanus 320.b
Iracundiam & libidinem domare difficile 62.b
Iſabella regina Vngariæ 463. b. Sigiſmundi I. filia 467.b
Iſaſlaus VVlodimiri filius Pultuſi ſiue Poloſci dux 39.a
Iſidorus Ruſſus Kiouienſis & totius Ruſſiæ metropolites 327.a. cardinalis cur à Ruſſis pulſus 344. b. legatus à Pontif. maximo ad Imperatorem Conſtantinopolitanum miſſus ibid.
Iſilza arx & oppidum 143.a
Iſter & Danubius idem 4.b
Iſtiuarta amnis 224.b
Iſtria quando Slauonia dici cœpit 5.a. Romanis erepta à Slauis 1.b
Italia à Cymbris, Gothis, Vandalis, & Langobardis vexata 3.a. à Friderico Imperatore 107 a.151.a b. à Slauis 1.a.eius motus 83.a. 258 b.428.b.446 a b.tyranni 210.b
Itali cur Aborigenes dicti 2. a. Vngaris antepoſiti 53. a. Mathiæ regi ſubſidium mittunt 423.a
Iubilæus annus 446. a. quando & per quem Romæ inſtitutus 184. b.qua ratione Polonis à Nicolao V. Papa conceſſus 341.b eius pecuniæ diſpenſandæ ratio ibi. pecuniæ ſumma 446.b.
Iudæi in Polonia 500.b. ob facinus aliquod in Italia, Germania, & Gallia trucidati 212.a. Cracouię 262.a.à quibus Cracouię direpti 382. a. à Ludouico rege proſcripti 233.b. eorum bona direpta à cruce ſignatis militib⁹ 447. a.domicilium Cracouia Cazimiriam translatum 439. a. b. prærogatiuæ in Polonia vnde ſint 221. a
Iudex iniuſtus quomodo punitus 246.b
Iuditha Boleslai III. filia 75.a
Iuditha Conradi Maſouij filia 139.a
Iuditha Prædislai Boemiæ ducis vxor 54.b
Iuditha Vngarorum principis filia 33.a
Iuditha VVratislai Boemorum ducis filia, VVladislai I. vxor 63.a eius mors 64.a
Iulianus Cæſarinus auditor Cameræ Apoſtolicæ 292 a. legatus Pontificis maximi pacem inter VVladiſlaum & Elizabetham Vngariæ reginam tentat 663. a b. VVladiſlaum ad bellum contra Turcas hortatur 665 b. & ſequen. 682. b. etiam Vngaros 678 b. & ſeq. fœdus cum Turcis initum reſcindit 680 b. ſaucius ſeminudusque à Sanoceo relictus 688 b. eius interitus ibid. & 332 b. ſententia de certamine cum Turcis 684 b. vis ei inter fugiendum illata 688.b
Iulianus Imperator martyrio affecit Ioannem & Paulum 27.a
Iulinum Pomeraniæ oppidum 88 a. Polonorum colonia 24 a. à Danis captum 111.a
Iulius II. Papa ad bellum Turcicũ Sigiſmundum I. hortatur 542 a. Concilium cur Romæ indixit 548 a. eius zelus in debellando Turco 542 b. obitus & res geſtæ 543.a
Iuncum quando Venetis ademerint Turcæ 446.a
Iuo Sauli filius Cracouienſis epiſcopus 129 b. profectus Romam ad papam 137 b. 140 a. eius beneficentia in egenos 130 b. morbus & mors 140 a.
Iurgenburgum exuſtum 248.a
Iuriſiurandi morem barbarum apud Polonos quis ſuſtulit 211.a
Iuſtitia qualis virtus 472 a. ea ſublata quæ mala 705 b. & ſeq.
Iutha Ottonis Ruffi Imperatoris filia à quo rapta 57.b
Iuuenem in aere conſpectum pro Polonis pugnaſſe 52.a
Iuuentus 709.a.b
Izaſlaus Iaroſlai filius princeps Kiouienſium 54 a. à quibus Kiouia eiectus ſecundum Ruſſorũ annales ibid. b. in Poloniam fugit ibid. à Boleſlao II. reſtitutus 57 a. ab eodem ſummæ rerum in Ruſſia præpoſitus 59 b. Ruſſorũ dux 97 a. Poloſco occupato præficit filium Meſciſlaum 57. b. eius gratitudo erga Polonicum exercitum 57 b. reſponſio ad legationem fratrum ibid.

K.

Kaidanus Tattarorũ dux 143.b
Keiſtutus Gedimini filius quomodo Vilna potitus 242 a. captus, & in carcere necatus 243. a. eius liberi 242 b. inter eum & Olgerdum fratrem præclarum certamen 242.a
Kelcenſe oppidum, & collegium à Gedeone epiſcopo Cracouienſi cõditum 107 b. territorium quãdo afflictum 150.b
Kemlicius quomodo pugnam contra Ruſſos inſtaurarit 308.a
Kempnum arx à latrunculis capta 356.a
Keſgello Samagitiæ præfect⁹ 282.a
Keueſſum oppidũ Vngariæ 324.b
Kilia vrbs 422.a
Kiouia vrbs Ruſſorum metropolis à quo condita 28 a. Ruſſici imperij ſedes ibid. quando ſplẽdorem ſuum amiſerit 284 a. ob-

ſeſſa 86 a. oppugnata 59 b. cui dedita ibidem & 57. b. cui à Vitoudo tradita 252. a. Stopolco reſtituta 39.b.à Polonis militibus direpta ibi. Græcorum cõmercijs corrupta 59. b. eius ſitus planus ibid. illecebræ 57.b in eam quãdo Dominicani monachi colonias duxerunt 130.a. Kiouienſis epiſcopa à quo inſtituta 313. a. metropolites in Ruſſia 9.a. principatus à Iaroſlao occupatur 43. a. quando in formã prouinciæ redactus 406.a
Kiouienſes quorum opem implorauerint 57. a. eorum iniuria in Polon. milites 39.b. motus 406.a
Kius Ruſſorum Auſtralium princeps 28.a
Knes quid Slauis 431.a
Kokenhauſium obſeſſum 807.b
Koriatus Gedimini filius 242.a
Korupki dux Moſcorum transfuga ad Polonos 715.b
Koſakki qui 737. b. Petrum Valachiæ palatinum ex Valachia deturbant 745. a. eorum militiæ munia 801.b. Tartarorum de ijs querelæ ad Stephanum Poloniæ regem 828. a
Koſſianum à Koſakkis captũ 752.a
Kozleroghi familia quę 203.a
Kraſna à Koſakkis capta 752. a. à Moſcis rurſum intercepta 755.b
Kraſnohoroda arx à Moſcis deleta 796. a. à Koſakkis rurſum communita ibid.
Krincos venit VVladiſlaus Iagello rex 311.b
Kunegundis Boleslai Pudici vxoris mors, caſtitas, religio, &c. 180. b. vide C.
Kylia vrbs à Turcis capta 432.b
Kynixberga arx, à quibus, & vbi cõdita 157.a
Kynixberga Pruſſiæ vrbs 272. a. 492. b. cui donata 272.a. ad Crucigeros deficit 354. a. ſedes magiſtri ordinis Teuthonici 576. b. à Polonis obſeſſa ibi.
Kyſſaria Germanis dedita 581.a

L.

LAbencia familia vnde nomen habet 87.a
Labor 723.b
Lachus ſiue Lechus Polonorum cõditor 14 b. Vide Lechus.
Lacicus Crauarius Morauiæ præfectus 282.b
Lacius Moſcus transfuga ad Polonos 475.a
Lactis equini vſus apud Tartaros 430.b
Ladislaus Boemorum regis tutor 37.b
Ladislaus Caluus Vngarorum dux 46.b
Ladiſlaus Gara ad VVladislaũ Poloniæ & Vngariæ regem deficit 641.b. fide publica ad eum Budam venit 323.b. captus ob coronam ab Elyzabetha regina interceptam 646. b. Viſſegradi præfectura amotus 646. b. rurſus ad reginam ſe confert 324.b 654.a. ad defectionem Vngaros ſollicitat 654.a. Agrienſem epiſcopum criminando Dalmatiã totam ad ſe allicit ibid. b. quid legato Huniadiani reſpondit 655.a. cum ſuis ab Huniadiano victus ibid.b. & 324.b ad reginã fugit 656.a. à Friderico Imperatore captus, 324.b. 656.b. à Vvladiſlao rege redemptus ibid. eius periculum 324.a
Ladislaus Geiſæ frater Vngarię rex 62.a. 122.a. an Polonis ſub VVladiſlao I. bellum intulerit incertũ 63.b
Ladislaus Huniadis filius cur capite plexus 358.a
Ladislaus Hunnus Vngarorum rex 158. a. eius nequitia, improbitas, & interitus 173.a
Ladislaus Neapolitanus rex quomodo ab Vngaris ad regnum vocatus receſſerit 258.a b
Ladiſlaus poſthumus Alberti F. 322.b. 323.b. 325. a. in regem Vngariæ coronatur 640.a. qui coronationi interfuêre ibid. eius coronatio abrogata 647.a
Lampertus Belæ Vngarorum regis F. Cracouiam fugit 58.a
Lampertus Cracouienſis archiepiſcopus cur ad Pontificem maximum miſſus 35.a
Lampertus Cracouienſis epiſcopus Stanislao ſuccedit ibid.b. 63.a
Lampertus Saffnaburgenſis ſcriptor 41. b. 46. b. 120.a. eius error 31.b. 62.b
Lampertus Zula 32. b. Cracouienſis epiſcopus 55.b. 140.a
Lancaſter Henrici Anglorum regis F. 249 b
Landa & Pacoſſum Boleſlao Pio quomodo reddita 160.a
Landenſe monaſterium 124.a. quãdo captum 152.a. & 159.a
Landenſe territorium à quo infeſtatum 152.a
Landisberga oppidum 309.a
Landishuta in Polonia 184.a. à Germanis condita 214.b. quando amiſſa & recuperata 210.b
Landiſcoronenſem arcem quis muniuit 220.b
Lãgobardi verſus meridiem profecti 16.a
Langobardia à Friderico Imperatore vexata 107.b
Languinus Olgerdi F. 242.b
Lanſcum pagus 275.b
Lapi populi 455.b
Lapſicenſe templum quis condiderit 220.b
Laskovvski Polonus orator Selimi Turcorum imperatoris ad Sigiſmundum I. 551.a
Laſſinum fruſtra à Polonis obſeſſum 355.b
Lateranenſe Concilium 551. b. in eo controuerſia inter Maximiliani Imperatoris & Sigiſmundi I. Poloniæ regis oratores 551.b
Latini quando Græcis coniuncti 161.a
Latinus Vrſinus Cardinalis legatus Pontificis in Poloniam 292.b
Latrocinia in Polonia 336. b. 364. b. 373. a. ob non ſoluta ſtipendia militibus 385.a b. in Polonos mercatores 340.b
Latronum caſtella direpta 361.a
Latrunculi Polonorum à Cazimiro I. puniti 53.b
Laudandi cauſſa iuſta 460. b
laurentius Hedreuarus palatinus Vngariæ 324.a
laurentius Hendreuera arcis Budenſis præfectus 639.b
laurentius Myskovvski Zatorienſem ducem interficit 552 b. in gratiam recipitur ibid.
laurentius Vvratiſlauienſis epiſcopus roſarum odore extinctus 139.b
lechitæ Poloni dicti 14 b. Lechitarum cum Gallis & Alexandro Magno bella ibid.
lechus I. & Ciechus fratres 17 a. quãdo in Boemię & Poloniæ oras venerint ibid. eorum peregrinatio, vnde, quare, quo, & quãdo facta ibid. poſteri quamdiu regnauerint 18 a. principatus 17 a. res geſtæ 18 a. ſtudia in imperio conſtituendo ibid. eos lõgè poſt Diluuium fuiſſe 14.b
lechus II. Craci minor filius quomodo principatum arripuerit 20 a. quando obierit 22 b. eius parricidium & pœna 20. a. b
lechus Popieli iunioris filius 25.b
lecnum oppidum à Domaratianis incenſum 239.b
legatio Baſilienſis concilij ad Albertum Imperatorẽ 320 b. ad Vvladiſlaum Iagellonem ibid. Boemorum ad Carolum Magnum 23 a. ad Cazimirum III. Poloniæ regem 370 b. 396 a. 397 a. 402 a. 403 b. ad VVladiſlaum Iagellonem 287 b. 288 a. 306 a. Bogdani Valachiæ palatini ad Alexandrum Poloniæ regem 455 a. ad Sigiſmundum I. 542 a. Boleſlai & Sbignei fratrum ad patrem VVladiſlaum 69 b. Boleſlai III. ad Henricum V. imperatorem 78 a. ad Vvladiſlaum Boemorum principem 82 a. Boſſinæ regis ad Vvladiſlaum Poloniæ & Vngariæ regem 640 b. Cazimiri III. Polonorum regis ad Boemos 407 b. ad Brandeburgenſem marchionem 401 a. ad Fridericum Imperatorẽ 405 a. 411 a b. ad Georgium Boemiæ regem 365 b. 370 b. 405 a b. ad Ladiſlaum Vngariæ & Boemię regem 344 a. 350 a. ad Mahometem Turcarum Imperatorem 419 a. ad Mathiam regem Vngariæ 427 a b. 428 a. ad Moldauiæ palatinum 337 b. 341 a. 420 a. ad Plocenſem conuẽtum 372 a. ad Polonos 334 b. ad Pontificem maximum 206 a. 336 a. 349 a. b. 397 b. 405 b. 427 a. ad ei⁹ legatum 379 a. Conradi Cæſaris ad Polonos 99 b. Conſtantinopolitani Imperatoris ad regem Poloniæ pro frumentario ſubſidio 283 b. Crucigerorũ ad Polonos 262 b. 303 a. ad Pontificem maximum 394 b. Cypri regis ad VVladiſlaum Iagellonẽ 306 b. Daniæ regis ad Sigiſmundũ I. 543 b. Deſpoti ad Vvladiſlaum Polonorũ & Vngariæ regẽ 648 a. Exulũ Polonorũ ad Magnum Vvratislauienſiũ pfectum 67 a. Friderici Barbaroſſæ imperatoris ad Polonos 102 a. Friderici Brãdeburgenſis Marchionis ad

Cazimirum III. Poloniȩ regem 349 a. 370 b. Friderici III. imperatoris ad Cazimirum III. 338 b. 351 a. 423 b. Georgij Boemorum regis ad Cazimirum III. 362 a. 396 a. 399 a. Germanorum ad Sigiſmundum I. 575 b. Huſancaſiani Perſarum regis ad Polonos 409 b. 414 b. Ioannis Alberti Poloniæ regis ad Crucigerorum magiſtrum 448 b. ad Moldauiæ palatinum 440 b. Ioannis Palæologi Græcorum Imperatoris ad VVladiſlaum Poloniæ & Vngariæ regem 672 a. Lituanorum ad Cazimirum III. 357 a. ad Polonos 243 a. 345 a. 449 a. ad Vngaros 543 b. & ſeq. ad VVladiſlaum Polonorum & Vngarorum regem 637 a b. Lotharij Cæſaris ad Boleſlaum III. de bello Boemico 91 a. Ludouici Bauarorũ ducis ad Cazimirum III. 418 a. Mathiæ Vngarorum regis ad Cazimirum III. 416 b. 428 a. 429 b. Maximiliani Imperatoris ad Sigiſmundum I. 543 a. 560 b. ad VVladiſlaum Vngariæ & Boemiæ regem ibid. a. Miſnenſium marchionis ad Polonos 416 b. Moſcorum ad Polonos 610 b. ad Põtificem maximum 792 b. 828 a. ad Rudolphum Imperatorem 792 b. 828 a. ad Sigiſmundum I. 538 b. ad Stephanum Polonorum regem 745 b. 747 b. 771 a. 777 b. 784 a. 792 a 841 a. Pauli Ruſdorfij Crucigerorum magiſtri ad Polonos 299 a. Polonorum ad Albertum Cæſarem VVratiſlauiam 321 a. ad Alexandrum Poloniæ regẽ 449 b. ad Annam Mechelburgenſis ducis filiam 539 b. ad Baſileenſe concilium 312 a. ad Boemos 397 b. 399 b. 403 a. 423 b. ad Carolũ Magnum Aquiſgranum 23 b. ad Cazimirum Iagellonis filium pro ſuſcipiendo regno 335 b ad Cazimirum III. regem 358 a. ad Cazimirum principem 49 b. & ſeq. ad Cõſtantienſe Conciliũ 283 b. ad Crucigeros 262 b. ad Elizabetham reginam 322 b. ad Fridericum Imperatorẽ 423 b. ad Ludouicum regem 229 b. ad Opauienſem conuentũ 411 a. ad Pontificem maximum 112 b. 193 a. 394 b. ad principes externos 404 a. ad Pruſſos 354 b. 397 b. 399 b. ad Sigiſmundũ I. in Lituaniam ad deferendũ ipſi regnũ 535. a b. ad Sigiſmundum Imperatorem 287 b. 288 a b. 315 a b. ad Solimannum Turcarum Imperatorem 610 b. ad Stephanum Valachiæ palatinum 399 b. ad Suitrigellonem 302 a. ad Vitoudum 296 b. ad Vngaros 409 b. ad VVladiſlaum Iagellonẽ 244 a. ad VVladiſlaum Polonorum & Vngariæ regem 672 b. 681 a. ad VVladiſlaum Vngariæ & Boemiæ regem 534 b 543 b. 544 b. Pomeraniæ ducum ad Stephanum Poloniæ regem 739. b Pontificis maximi ad Albertum Cæſarem 320 b. ad Cazimirum III. 337 a. 397 a. 404 b. 408 a. 409 b. ad Ioannem Albertum Poloniæ regem 446 b. ad Ludouicum Vngariȩ & Poloniȩ regem 228 a. ad Polonos 72 a. 120 a. ad Sigiſmundum I. 542 a. 544 a. 553 b. 575 a. ad Vitoudum 296. b. ad VVladislaum Iagellonem 283. a. 296. b. 320. b. ad VVladislaum Polonorum & Vngariæ regem 662. a. Pruſſorum ad Cazimirum III. 371. a 386. a. 388. a. 389 a. 390. a. ad Polonos 362. b. Rudolphi Legati Pontificij ad Cazimirum III. 401. b. Sigiſmundi I. ad Boemos 564. a. ad Francfordienſia comitia 572. a ad Ludouicum Vngariæ & Boemiæ regem 571. a. ad Maximilianũ Imperatorem 560. a. 571. a. ad Pontificem maximum 551. a b. 556. a. ad Venetos 562. b. ad Vitoudum 298. b. ad Vngaros 554. a. Sigiſmundi Imperatoris & Vngariæ regis ad Crucigeros 265. b. ad VVladiſlaum Iagellonem 279. b. 285 b. 290. a. ad VVladiſlaum III. regem 316. b. Slauorũ ad Carolum Magnum Aquiſgranum 23. b. Solimanni Turcarum Imperatoris ad Polonos 612. a. Stephani Poloniæ regis ad Moſcos 735. a. 740. b 827. b. ad Sueciæ regem 826. a. ad Turcas 794. b. Stephani Valachi ad Cazimirum III. 419. a. ad Ioannem Albertum Poloniæ regem 441. b. ad Mahometem Turcarũ Imperatorem 419. a. ad Polonos pro auxilio contra Turcas 422. a. Tartarorum ad Cazimirum III. 370. b. 402. a. 426. b. ad Polonos 448. a. 612. a. ad Stephanum Poloniæ regem 745. a. 748. a. 828. a. ad VVladiſlaum Iagellonem 280. b. Tauricanorum Tartarorum ad Alexandrum Poloniæ regem & Lituanos 454 a. Themeſuarienſis Baſſæ ad Stephanum Poloniæ regẽ 772. a. Tranſalpinenſis palatini ad Sigiſmundum I. 613. a. Turcarum ad Cazimirum III. 426. b. ad Ioannem Albertum 439. a. ad Sigiſmundum I. 545. b. 551. a. ad Stephanum Poloniæ regem 803. a ad VVladislaum Poloniȩ & Vngariæ regem 322. b. 635. a. 665. a. 675. b. Valachica ad Polonos 448. a. Venetorum ad Alexandrum Poloniæ regem 450. a. ad Ioannem Albertum 438. b. ad Perſas & Moſcos 414. b. Vngarorum ad Polonos 204. a. ad Siradienſia comitia 237. a b. ad VVladislaum III. Polonorum regem 634. a. VVladislai Boemiæ regis ad Polonos 415. b. VVladislai Iagellonis ad Leſcũ Album 125. a. ad Polonos 243. b. ad Pontificem maximum de Vitoudo non coronando 297. b. ad Vitoudum 298. b. VVladislai I. ad Pontificem maximũ 63. a. VVladislai Poloniæ & Vngariæ regis ad Polonos 651. b. ad Turcas 648. b. ad Vngaros 636. b. VVladislai Vngariæ & Boemiæ regis ad Maximilianũ Imperatorem 560. a. ad Sigiſmundum I. 542. a. 548. a. VVſcuolodi & Stoſlai Ruſſorum ducũ ad Izaslaum 57. a

Legati Cæſaris ad Vitoudum cur vacui retroceſſerint 299. a. Cardinales duorum pontificum quà de re ad VVladislaum III. miſſi 326. b. & ſeq. Elizabethæ reginæ ad Polonos 234. a. Polonorum ad conuentum cum Vngaris 403. a. in Narbonenſem prouinciam 63. b. Romam profecti 50. a. eorum ſupplicatio apud Henricum Imperatorem pro duobus diadematis ibid. b. Pontificij cur Cazimiro III. & Polonis ſuſpecti 366. a. Vngarorum ad VVladislaum III. regem Poloniæ 322 a. reuocati è Polonia ibid. b.

Leges ſub Sigiſmundo I. rege 466. b. 468. b. malæ ab Henrico Barbato abrogatæ 139. a

Legnicia arx contra Tartaros defenſa 145. b

Legnicienſis dominatus quomodo in clientelam regis Boemorũ venerit 195. b

Legnicienſes æs alienum ducis ſui exoluunt ibid.

Lelouia oppidum 151. a. à quo interceptum 159. a. à VVladislao Loctico in poteſtatem redactum 186. a. eius arx munita 159. a. 220. b. in poteſtatem Boleslai Pudici redacta 151. a

Lemberga à Germanis condita 214. b

Lembergenſes ſe redimere volunt ne Crucigeris dedentur 367. a

Lemburgum vrbs Pomeraniæ 111. b. alia Pruſſiæ 272. a. 481. a. quis eam Crucigeris dedidit 367. a. Stolpenſium duci reddita 393. b

Lencicia quando exuſta 181. b. per quem Ziemouito Maſouio dedita 238. a. eius arx à quibus munita 160. a. 220. b. cui tradita 160 a. quando à Crucigeris incenſa 199. b. baſilica cum vicinis domibus conflagrat 412. b. incendium 372. a. monaſteriũ à quo cõditum 220. b. ſatrapia 482. b. eius officiales 509. a. Synodus epiſcoporum 112. a. 293. a. tractus à Lituanis quando vaſtatus 169. a. 181. b. Sbigneo conceſſus 71. a. eius princeps VVladislaus II. 94. a

Lencicienſium pax cum Plocenſibus 177. a

Lentcouice pagus cur præpoſito Miechouienſi ademptus 192 a

Leo Boemorum dux à Carolo Caroli magni filio Notho interfectus 23. a

Leo Danielis Ruſſorum regis filius 162. a. Ruſſorum dux 160. b 171 a

Leo X. Papa 551. b. eius lætitia & gratiarum actiones ob victoriam Sigiſmundi I. de Moſcis partam 556. b. eius mors 585 a

Leodium Inferioris Germaniæ à quo euerſum 401 b

Leopolis Ruſſiæ vrbs 491. b. à quo condita & dicta 171. b. à Bogdano obſeſſa & defenſa 540 b. à Cazimiro II. Polonorum regẽ capta & incenſa 207. b. quomodo & à quo munita 212. a. eius archiepiſcopæ vacatio 425. b. ar-

chie-

chiepiscopo qui episcopi parẽt 516.a.arx à quo munita 220.b.

Lescus Albus Cazimiri filius 117.b. cum Helena matre principatū Poloniæ primò adipiscitur 118. a b. secundò 122.b.& seq. tertiò 127 a. pacis studia amplexus 129 a.quo ætatis suæ anno vxorem duxit 129 a. vbi interfectus à Suentopelco 134 a. vbi sepultus,& quamdiu regnauit ibid. eius curatores qui 118 b. indoles 120 b.iustitia & animi magnitudo 124 b. liberi 129 a. sub eo quæ in Polonia contigêre 129.a

Lescus Bobricius 638 b. in bello Turcico quod virtutis specimen edidit 331.a

Lescus Boleslai Crispi filius 103.a

Lescus I.Poloniȩ princeps 22 a.Prȩmislus dictus ibid.

Lescus II. ibid.homo obscurus fortuito principatum adeptus ib. b.pristinæ fortunæ semper memor ibid. sobrietatis studiosus ibid. certamina militaria instituit ibid. eius studia in pace & bello ibid.mors ibid.

Lescus III. Lesci II. filius Poloniæ princeps 23 a.quomodo se gesserit ibid. Popielum successorem sibi designat ibid. b. filios illegitimos sacramento ad parendum Popielo adstringit ibid.quam regionem illis decernat ibid.& seq.eius filij ibid. obitus 25.a

Lescus IV. Ziemouiti filius Polonorum princeps 28 b. eius consiliarij ignaui 29 a. imperiū moderatum ibid.mors ibid.b

Lescus Lechitarum dux 14.b

Lescus Masouiensis dux 112 b. vbi mortuus,& à quo sepultus 114 b. eius pœnitentia de admisso Miecislao Sene procuratore 114.a

Lescus Niger Cazimiri Cuiauiensis ducis filius 160 a. princeps Polonorum 171 a. cur Teuthonico cultu vsus 176 b. quando hæres à Boleslao Pudico nuncupatus 166 b.eius bellum in Henricum Probum cur susceptum 171 b. in defectores benignitas 173 a. oratio ad milites ibid. b. somnium 172 a. insignis victoria de Lituanis & Iazygibus ibid.b.mors 178.a

Lescus quidam Procerum competitor Poloniæ principatus 22 a. cursu equorum de principatu victor,deprehensa fraude trucidatur ibid.eius dolus & vafrum consilium ibid.

Lescus Ziemomysli filius Gdanum quando occupauit 183.b

Lestici etymon 22.a

Letaua arx 373.a

Leuenta Ladislai Calui filius in Poloniam fugit 46.b. Andreæ fratri regnum Vngarorum concedit 53.a

Lex Rhodia de mercibus naufragio eiectis 193 a.

Libertatis recuperandæ occasio à Iaropelco Russorum principibus proposita 89.b

Libidinem & iracundiam domare difficile 62.b

Liblium siue Leuocia oppidū 439.a

Libon Romanorum dux 42.b

Liburni Dalmatiæ populi 4.a

Libussa Craci filia regnum adepta 20.a

Lida arx 456.b

Ligæ Smalcaldicæ clades 469.b

Limburgum quando ad Austriacam familiam peruenerit 411.b

Lipnum oppidum Crucigeri vastarunt 263.a

Lisontius amnis 425.b

Lissorum siue VVlpiorum familia 116.a

Literæ restibus ligatæ 265.a

Litoldus Conradi filius Olomucensis dominus 83.a

Lituania quando Poloniæ adiuncta 245.b.vndique vexata & vastata 259.b.263.b.à Crucigeris 217.a.251. b.à mercenarijs militibus 447.b.à Moscis ibid.a b.à Prussis & Liuonijs 247.b.à Smolensciorum duce 246.a.à Tartaris 454 b.à Vitoudo 247 b.à Zauolgensibus 403.b. eius diuisio inter filios Gedimini 242.a.motus 534.b.637.b.452.b.parœciæ primæ 147.a

Lituani damnum à Crucigeris passi 227.b.vbi se,vxores,liberos & cæt.cremarunt 206.b. imbelles quomodo facti 431.a. ignominia notati 537.a.inscij induciarū tria oppida Russiæ incendunt 263.b.supplices regi Alexandro & reiecti 453.b.rerum nouarum studiosi 357.b.Tartaros in Russiam immittunt 343.b.Cuiauiā vastant 180.b.Masouiam 177.a. 197 a.208.a.240.a. Sendomiriensem tractum 212.b.quæ vectigalia Russis pendere coacti 126. b.bis à Lesco Nigro victi 174 a. à Masouijs 206.b. à Moscis 447 b. à Polonis in Belsensi tractu 303.b.eorum aduentus ad Ioannem Albertum regem 443.b. balnea 42.b.baptizatio & vestitus 247.a.bellum contra Boleslaum Masouium 329.a.cum Masouijs 330.b.680.b. clades in Chelmensi territorio 304.a.apud Cremeneciam ibid. collegium Pragæ 257.a.conatus 381. b.coniunctio cum Polonis vtrisq; vtilis 449.a.712.a. Consilium de retinendo Cazimiro 334.a.consilium cum Polonis ad expeditionem Turcicam 419 a.consultatio 173.b.conuentus cum Crucigeris 284.a.b. apud Grodlum 281.a.cum Polonis irritus 384.a b.apud Vilnā 246. b.conuersio ad Christum 461. a.crudelitas 196.b.266.b. domandorum difficultas 196.a.duces quando iurauerint in verba regis & reginæ 245.b. ducū dissensio 247.b.exercitus quibus incommodis in Moscouia affectus 261 b.excursio in Calissiensem & Siradiensem tractum 189.a.in Crucigerorum ditiones 184.b. in Lublinensem orā 167.a.in Marchiam 197.a.in Masouiā 155.b.156.b.206.b.in Moscorum ditiones 326.a.in Poloniam 150.a b.155.b.206.b.222.a. 227.b.in maiorem 187 a in Prussiam 156.b.in Sendomiriam 173. a.impia facinora 267.a.fides dubia erga dominos suos 364.a. fœdus cum Polonis quando renouatum 449.a.fuga ex castris 537.b. fuga in pugna Crucigerica 269.a. in accepta & iterum abiecta religione inconstantia 155.b. induciæ cum Moscis 431. a. mercatores à Crucigeris interfecti 262.b.militum crudelitas 266.b. oratores ad Polonos 296 b.cum Polonis pacta 307.a. vbi renouata 320.b.pax cū Moscis 447.b. peccata in Polonos 364.a.postulata à Cazimiro III. rege 368.b.à Polonis 337.a. alia ab ijsdem de reddendis quibusdam ditionibus ibid. b.quomodo à Polonis refutata 341.a.præda ex Lenciciensi ora 181. b.promissa cum Suitrigellone, Vvladislao Iagelloni regi data 301 a. purpurati aliquot Michaelis Glinski factionis capti 539.a.signa 268.a.stirps & propago 242. a.strages 249.b. superstitiones & dij 245.a. vulgus quali pane vtatur 249.a.ijs quot arces & castella ademerint Mosci 455.b. fides publica negata 341.a. quas prærogatiuas & leges rex Poloniæ dederit 281.a.eos quomodo VVladislaus Iagello rex in Suitrigellonem ducem concitauerit 307.a

Lituinouia exusta 416.a

Liuonia 480.b.à Lituanis quo duce vastata 309.a. à Moscis quomodo capta 735.b.Sigismundi Augusti Poloniæ regis opem implorat 703.a.710.b. ei se subijcit 711.a.de eius arcibus à Sueco occupatis Stephani regis cum Sueco controuersia 826.b.& seq.nobilitatis postulata à Stephano rege 836.b.de possessionibus cōstitutio 825.a.837.a.de statu constituendo Rigæ cōuentus 825.a

Liuones populi vnde dicti, & vbi consederint 42.a. per quem ad Christianismum adducti 126 b. à Cazimiro III. Poloniæ rege pacem petunt 406.a

Lituaniam quando infestarint 406 a.Polonorum præsidia eijciūt 735.b.ad res nouas sollicitantur 820.a.eorum clades in Samagitia 388 b.classis à prȩsidiarijs profligata 381.a

Liuonienses Crucigeri à Samagitis profligati 315.b

Liuonienses milites Christi contra Prussos euocati,ab ijsdem deleti 132.a

Liuoniensis magister quando Prussiensibus in auxilium venit 273.b

Locustæ in Polonia 205.a. 209.a. 420.b

Lodomeriæ regnum cur Vngari sibi vendicent 128.a

Loricæ veterum Polonorum magni ponderis fuëre 56.a

Lotharius Cæsar 87.a.b. 89.a.eius mors & successor in Imperio 93.b

Lothariorum siue Lotoringorum duces Miecislai Senis generi 110.a

Louatus fluuius 776.b.796.a

Louicia arx à quo condita 224.b. archie-

archiepiſcopo Gneſnēſi donata 141.b Louicienſe territorium à Lituanis quando vaſtatum 161. b.Louicienſes reditus 224. b
Lubaciouienſem arcem quis muniuit 220.b
Lubartus Gedimini Lituanorum ducis F. 207.a.242.a.
Lubartus Olgerdi filius ib.b
Lubartus Ruſſorum dux vbi captus & elapſus 212 .b.quando ditione ſua eiectus 218.a
Lubauiæ defectio ad Crucigeros 363.a.Lubauienſis tractus a Conrado duce receptus 131.a
Lubeca 24 a.eius Reſpublica vnde creuerit 46.b
Lubecenſes arbitri pacis inter Polonos & Crucigeros 383. a. eorum de Hollandis victoria 548 b
Lubencenſe monaſterium à quibus poſſeſſum 52.b
Lubenenſe monaſterium à quo cō ſtructum 78.b
Lubenſe monaſterium 122.b.ad Odram fluuium 124.a
Lubenſum oppidum ad Odrā 52.b
Lubicenſis moletrina 293.a
Lubinenſe monaſterium ad Vartā fluuium 124.a
Lublinecia in tractu Oppolienſi eſt 254.b.Spitconi donata ibid. duci Ceſſinenſium oppignerata 255.a
Lublinum vrbs 491. b. à Cazimiro II. munitū 220.b.à Turcis quādo interceptum & turri munitum 160 a. eius arx à Lituanis incenſa 155 b. à Tartaris 142 b. à Polonis recuperata 185 b. & ſeq.à Cazimiro II. munita 220 b. incendium 336.b.obſidio per Romanum ducem facta 125 b. ora latrocinijs per eundem infeſtata ibid. quando à Tartaris vaſtata 177.a. templum cur condiderit Leſcus Niger 172 b. Lublinenſis palatinus quando inſtitutus 415 b. ſatrapia 482 b. eius officiales 509 b.tractus quo authore auelli nequiuerit à Baſilica Cracouienſi 313 a Lublinenſe monaſterium à Iagellone rege conditum 313.a
Lubouuliæ conflagratio 412.b
Lubus arx à Cæſare capta, & archiepiſcopo Magdeburgēſi donata 76 a. Lubuſſenſis diœceſis olim Polonorum 46 b. 129 b. epiſcopa 32. b
Lubuſſenſe territorium 164 b.quādo Brandeburgenſibus oppigneratum in Saxonum poteſtatem venit 153.a
Lucardis Vinidarum ducis filia cui nupſerit 167 b.à quibus iugulata 174.b
Lucemburgum quando ad Auſtria cam familiam peruenerit 411. b
Lucenſis arx quomodo à Polonis obſeſſa 303 b.diœceſis à quo cō dita 162 a. plebs ruſtica in verba regis Poloniæ iurat 799 a. principatus 32. a
Lucenſium priuilegium à rege datum 307.b
Lucius III. Papa 117.a
Lucomlia arx à Crucigeris capta 246 a.à Lituanis recepta ibid.
Luctus publicus Polonorum propter Boleſlaum I.regem 45.a
Ludi priſci in Polonia 30.b
Ludouicus Galliarum rex 519.a
Ludouicus Griti Venetorum ducis filius Vngariam vaſtat 615 b.eius facinus indignum 616 a. miſer interitus ib. b
Ludouicus Pius Imperator Caroli Magni filius 26.b
Ludouicus Vngarorum & Polonorum rex 222 a. cum Carolo Imperatore in gratiam redit 224 b.& ſeq. Cracouiam profectus 218 a. quomodo & quando Moldauiam Tranſalpinam recuperauit 224.a. quibus conditionibus Poloniæ rex deſignatus 211 b.quando Cracouiæ coronatus 223 a. cur ſolium in Gneſnenſi Baſilica ſibi paratum aſcendere noluerit ibid. b. rerum Polonicarum negligens ibidem a. ſermones hominum de ſe captauit 233 b. eius cunctatio 222 b. profuſa donatio Oppolienſium duci facta 223 b.effigies 233 a b.expeditio in Italiam cur ſuſcepta 210 b . 232 b. mores 233.a.b.mors ibid. priuilegium quibus de rebus datum 213 b. regnorum anni 233 a. b. res geſtæ ibid cum duce Pomeranorum tranſactio 223 a. vxor ſecunda quæ 225. b
Ludouicus VVladiſlai Vngariæ & Boemiæ regis filius bimulus in regem Vngariæ & Boemiæ coronatus 461 b.539 a.octo annos natus regnum init 564 a. bonum conſilium Sigiſmundi I. patrui ſui negligit 469 a b. exercitum contra Turcas conſcribit 584 a.cum Solomāno Turcarum Imperatore pugnat, & in fuga ſubmergitur 598.a
Lugdunenſe concilium quando & cur collectum 151 b. 175 a.
Lugdunenſis eccleſiæ ritus in VVratiſlauienſem baſilicam inducti 100.b
Luitprandi de Ruſſorum rege locus 33.b
Luitici ſeu Vilſi à Conrado Cæſare vectigales facti 46 b
Luki magni arx 768 a. à Stephano rege bello petita 775 b. ab eodem obſeſſa 777 a. b. oppugnata 778 a.b.779 a.incēſa ib. & 780 b.acriter defenſa ib. vi capta 781 a.841 b. reſtaurata 781 a. munita 783 b. vide Vielicoluki.
Lunchini vrbs maritima 29.a
Luneburgum vnde dictum 24.a
Lupus Gozembius Plocenſis epiſcopus 107 a.112.b
Luſacia in Polonorū ditione 129.b
Luſacij Slauorum populi 1.b
Luſcum Ruſſorum arx & oppidū à Boleſlao II.. fruſtra oppugnatum 58 b.ſex menſibus obſeſſum quibus conditionibus eidem deditum ibid. à quo incenſum 303 b. à Lituanis quando occupatum 342 a. à Polonis quando ſubactum 218 b.Polonici iuris eſt 337 a. Sigiſmūdo Lituanorum duci traditum 318 a. à Suitrigellone rurſus intercep tum 323 a. VVladiſlao III.
quādo redditum 318 a.eius præfectus Polonus eſt 247.b
Luterberga oppidum Crucigerorum 267.a
Lutherus magiſter Crucigerorum 204.a
Lutherana hæreſis ex paruis initijs paulatim creuit 624.a.b
Lutici in Henricum V.VVratiſlauienſem dominum ſuum infidelitas 181.a
Luſtrandi impius Ruſſorum ritus 304.a
Lyſecenſe monaſterium 40.b.à Lituanis direptum 222 a. à Tartaris Poloniam vaſtantibus cur inractum 177.b
Lyſecius mons ſiue caluus 40.b
Lyſippus ſculptor 46c.a

M.

MAcedonia à Roxanis vexata 10 b. à Slauis 1 a. eam ab alijs regionibus qui mō tes ſeparent 328.a
Macedonum cum Illyricis & Dalmatis bellum 4.a
Machinæ Polonorū à Naclenſibus accenſæ 85.a
Machmetkeri vide Tauricanus cæſar.
Machtildis Ottonis III. Imperatoris ſoror 36.b
Mæotis ora 5.b
Magdeburgum oppidum 48.a
Magdeburgum vrbs ſiue Mezibozus à quo condita 24 a.à Polonis vaſtata 41. a
Magiſtratus apud Gdanenſes à plebe mutati 357 b. & ſeq. magiſtratus & honores non ſupprimendos eſſe vbi cautum 225 a. ad magiſtratus & honores apud Polonos externos non eſſe admittendos ibid. Magiſtratuum peccata 108.a
Magnopolenſes duces vnde originem habuerint 46.b
Magnus Comes Maſouiæ præfectus 80.b
Magnus Holſatiæ dux 735 b. pollicitis lactatus à Moſco ibid. Moſco ſupplex 736. a. à Moſco ad Stephanum Poloniæ regem ſe transfert 740 a quibus conditionibus à rege ſuſceptus ibid. b eius vita & res geſtæ ibid.
Magnus Nicolai Danorum regis filius 88.b
Magnus VVratiſlauienſis præfectus 67 a. præfectura amotus 68.a
Maguntiæ VVratiſlaus I.rex Boemorum appellatus 65.b
Mahometes Chiereius Tartarorum Princeps 794. b
Mahometes Turcarum Imperator 338. b. quando Corinthum, Lemnum & Mitylenem ceperit 365. a. eius fuga 358. a.413. a. de Moſcouitarum potentia iudicium 746 a. res geſtæ contra Græcos 344. b. reſponſum ad legationem Cazimiri III. regis Poloniæ 422.a.mors 432.b
Mahometes Turcarū princeps 283. b.quando mortuus 286. a

Maiores ſequendos eſſe 626 b. & ſeq.
Maleſium caſtellum 344.a
Mamacus ſacerdos Turcicus ab Huniadiano captus 667 b.quæ de ſua religione dixit ibid.
Mamalucorum cum Turcis bellũ 567 b.& ſeq. clades ibid. & 568 b.quando eorum regnum ceſſauit 568.b
Manfredus Friderici Imperatoris nothus à quo occiſus 161.a
Mannus Germanorum rex 2.a
Manſionarij ſacerdotes in templo Louicienſi quis inſtituit 367.a eorum in baſilica Cracouienſi collegium quis inſtituit 232.a
Manſus ſiue laneus quid 192.b
Mantuæ concilium ſub Pio II. 382.a
Marca Polonica 324.b
Marchia noua vnde conſtituta 183 b. Caſſubiæ pars antiquitus fuit 349 a. quanti à VVladiſlao Iagellone rege oppignerata 259 b.à Polonis ſubacta 309 a.eam quando Fridericus Brandeburgenſis marchio occupauit 349 a.in eam excurſio Polonorum 166 a.expeditio VVladiſlai Loctici regis cum Lituanis 196.b
Marchio Germanis Margrauius 139 b
Marcomanni qui Germani fuerint 19.b
Marcus Gryphius Cracouienſis palatinus 132.a
Marcus Venetus legatus Pontificis ad Polonos 409.b
Margarita Virboslai Comitis vxor triginta ſex pueros vno partu edidit 164.b
Maria Caroli Burgundi filia, Maximiliani Imperatoris vxor 411.b
Maria Iaroſlai ſoror Cazimiro I. nubit 51 a. appellatur Dobrogneua ibid.
Maria Ludouici Vngariæ regis filia cui nupſit 225 a.regio diademate ab Vngaris coronata 234 b. à quo capta & reddita ibid. quando obijt 253.a
Maria Philippi Hiſpaniarum regis filia Ludouico regi Vngariæ nupſit 561.b
maria Valachiæ Palatina quando & cur opem Cazimiri implorauit 341.a
S.mariæ monaſterium Carmelitis mendicantibus Cracouiæ quis condidit 253 a
S.mariæ templum Cracouiæ 130. a
mariæburgũ 492 b. Cazimiro III. deditum 359 a. Polonis 366 b. à Polonis obſeſſum 361 b.366 b. captum 271 b.eius arx quomodo obſeſſa à VVladiſlao Iagellone rege 271 b. obſidio ſoluta 274 a.b.præfectus 526 b. proditio à Crucigeris quomodo inſtructa 359 b.Mariæburgo quando præfecti Ioannes Coſcelecius & Predota Lubeſſouius 365.a ad Mariæburgum res geſtæ Polonici & Pruſſici exercitus 351 a. quod incommodum Poloni acceperint 272 b. quæ ſtrages hominum & equorum acciderit 361.b
mariæuerderum Crucigeris à Pruſſis quando ereptum 172.a
marquardus Saliſbachius ſupplicio affectus a Vitoudo 271.a
marſalci Crucigerorum prudentia 352.b
marſalci Poloni comitatus 260.b
marſus Germanorum rex 2.a
martinus Bariſca iuſſu Cazimiri II. demerſus 211.b
Martinus Brzenius quomodo Gneſnam defenderit 387.a
martinus Coga ſeditioſus 357.b
martinus Cromerus inter Daniæ & Sueciæ regem pacem facit 714 b.orator ad Ferdinandum Imperatorem 463 b.eius ad Sigiſmundum Auguſtum ſub perſona Sigiſmundi I. oratio 477 b. ſtemmata & inſignia 498. a
martinus Crucigerorum magiſter vix adductus, iurat in verba regis Poloniæ 430.a
martinus Cruſuicienſis ſignifer 150.a
martinus Cuiauienſis palatinus à quo captus 159.b
martinus dapifer 135.a
martinus Gallus 22.b
martinus Gneſnenſis Archiepiſcopus 70 a. vbi latuerit propter vim Pomeranorum 74 b. quando mortuus 84.b
martinus IIII.papa 175 a.V.282 a.eius ſtudium de liberando Vvladiſlao Iagellone in Lituania detento 301. b
martinus Truchſeſſus Crucigerorum magiſter 424.b
martinus Vurocimouicius Cracouienſis vexillifer 269. a
martis alea incerta 120.a
martyrum dies Sendomiriæ vnde celebrari cœperit 161.a
marzana ſiue Ceres Polonorum dea 30 b eiuſdem ſimulachrorũ demerſio 33.a
maſlaus Maſouiæ tyrannus 48 b. à Cazimiro I. victus 51 a. fugit ad Pruſſos ibid.ad bellum cum Cazimiro gerendum illos incitat ibid.exercitum apud eos reparat ibid.a.b. ab ijs in crucem actus 52.a
maſouia 483 b. vnde dicta 48 b. à Leſco Albo Conrado fratri cõceſſa 129 a.cum Poloniæ regno redintegrata & vnita 52 a.213 b. 467 a.596 b.602 a. à Maſlao recepta 51 b.Sbigneo conceſſa 71 a.à Lituanis vaſtata 163 a.169 a. 193. b. 218. b. à Pruſſis 104.b. 135.a. 156. b.161 b.à Sigiſmundo I. rege 233. a. ab Vngaris & Polonis 239 b. à VVladiſlai Loctici exercitu 196 b. Cirnenſis quomodo à Leſco Nigro vaſtata 177.a.quo autore à Siradienſibus ibid.b. Plocenſis quomodo in Boemorum poteſtatem venerit 197. b. Maſouiæ diuiſio 214 a.inter filios Ziemouiti ducis 293. b.& ſeq. officiales 509 b. poſſeſſio Cazimiro principi à Leſco adſcribitur 114. b. princeps Boleſlaus Criſpus 94. a. de ſucceſſione quæ controuerſia orta 371. b. quæ territoria Cazimiro III. adiudicata 401.b.tumultus 566.a.in ea Culmenſe ius viget 509. a. de ea pacta Cazimiri III.cum Georgio Boemorum rege 305.b.trãſactio Ioannis Alberti Polonorum regis 439. b. Maſouienſe bellum 51.a
maſouij Vaſalli Polonorum 206. b.in verba Polonorum regis iurant 213. b. 214. b. 295. b. ad rebellionem ſollicitati 424. a.à Sochaciouia repulſi 421. a. à Ruſſis victi 161. b. eorum cum Sileſijs bellum infauſtum 209.b.clades à Crucigeris apud Cechanouiã accepta 386.b.diſceſſus è caſtris & è Pruſſia 273. b.ditiones quando incommodorum belli expertes fuerint 305.a. ducum cum Sileſijs affinitas 136.b coniugia diſparia 425. b. controuerſia cum epiſcopis de loco iuxta regem 314.b. & ſeq.336.a. genealogia 214.a. poſtulata 381. b. equites à Valachis cœſi 443. b. in Ruſſiam excurſio 176.b. poſtulata à Cazimiro III. 377. b. preces apud eum & Lituanos irritæ 349. b.prouocationes in iudicijs 520 a.ijs contra Lituanos auxilia Polonorum decreta 330.b.cum ijs tractatus 405. b. tranſactio Alexandri regis 451.b
maſſagetarũ ſedes 566.a. motus ib.
de matrimonio diſparium religione, quam legem tulerit VVladislaus Iagello rex 247.a
mathæꝰ caſtellanꝰ de Racianz 135.a
mathæi Cracouienſis epiſcopi ingluuies 107.b
mathæus Siradienſis Palatinus quo in prælio occubuit 178.a
mathias Borcouicius Poſnanienſis palatinus latro 215.a
mathias Dreuicius Præmislienſis epiſcopus 451.b
mathias Drzeuicius Gneſnenſis archiepiſcopus 605.a
mathias Golancieuius VVladiſlauienſis epiſcopus 197.b.221 b
mathias Gurcenſis Sancti Angeli Cardinalis, legatus à Maximiliano Cæſare ad Sigiſmundum I. & VVladislaum Vngariæ & Boemiæ reges 559.a.ei qui honor à regibus exhibitus ibid.
mathias Huniadis filius captus 358. a rex Vngarorum creatus & redemptus ibid. quomodo æmulos ſibi conciliauerit 380.a. quibus militibus contra Turcas vſus ſit ibid. à Boemis orthodoxis in regẽ ſuſceptus 398. b. rex Boemorum renunciatus 402.a. pacta conuẽta non ſeruat 412.a. quomodo inducias violauit 418.a.Auſtriã fere ſubegit 425.a quantũ literatos coluerit 423. a. podagricꝰ eſt 431. b.eiꝰ acerbitas 418.a.affinitas cum Georgio Podiebradio Boemorum rege 358. b. animus generoſus 417. a. hoſtilis in Cazimirum III.& Polonos 423. b. bellum contra fratres Acephalos 412. b. conatus 410. a.b. congreſſus cũ Georgio Boemorũ rege 402. a.cũ Vvladislao Boemorũ rege Olomuciæ 429 a.b. conſilia cõtra

tra Polonos 403 a. doli 414 a. exercitus in Boemia 410 a. è Silesia fugatus 424 a. bis à Brandeburgensi marchione fusus, & aditu in Prussiam prohibitus 427 b. fusus fugatusque 416 b. expeditio in Moldauiam 398 b. fœdus cum Crucigeris 423 b. cum Friderico Imperatore ibid. cum Georgio Podiebradio 358 b. iactantia 419 a. 423 a. induciæ cum Georgio Boemorum rege 402 a. ingenium 404 b. inquietudo 435 a. mors ibid. res gestæ in Austria ibid. res aduersæ 403 a. res apud Boemos qui infecerint 406 b. responsum legato Cazimiri III. datum 427 a. b. tyrannis & suspecta fides 474 a. vanitas 418 a. ei cur noluerit filiam suam dare Elizabetha Poloniæ regina ibid. cõtra eum societas Polonorum & Boemorum regum ibid.
Mathias Logophetus cancellarius Moldauiæ captus 541.b
Mathias Miechouiensis historicus Polonus 2.b
Mathias Schimnam iureconsultus proditor Gdanensis 386 b. & se.
Mathias Taloncius Dalmatiæ & Croatiæ Banus 327.b
Mathias Vansossius Calissiensis Palatinus 271.a
Mathiæ Vilnensis episcopi mors 345.a
D. Mauricij lancea est Cracouiæ 36. b
Maurus Cracouiẽsis episcopus quã do mortuus 84.a
Maximilianus Austriæ dux 376.a
Maximilianus Imperator ad accipiendam coronam in Italiam proficiscitur 539 a. inducias à Venetis petit ibid. Sigismundo I. Poloniæ regi cur infensus 550 b. Moscum cum eodem fœdus iniens in Sigismundũ incitat ibid. & 558 b. Viennam venit 560 a. Sigismundo regi secundas nuptias suadet 566 b. à VVladislao Boemiæ rege victus 437 a. eius bellum cũ Heluetijs 446 a. cum Ruperto Palatino Rheni 452 a. cum Sigismundo I. Poloniæ & Vladislao Vngariæ & Boemiæ regibus congressus Viennæ 560 b. post congressum amicitia cũ Sigismũdo 562 a. eius mors 572 a. inter eum & Sigismundũ odij & simultatum caussæ 558. a. b
Maximilianus imperator rex Poloniæ renunciatus 840 a. eius obitus ibid.
Mechelburgum oppidum 24 a. à Polonis vastatum ibid.
Mechelburgẽsium ducũ origo 46.b
Mediolanum euersum 103 b. à Gallis occupatũ 446 b. 589 b. Mediolani Imperatores ferro coronati 37 a. Mediolanensis belli inter Germanos & Venetos initium 452 a. Mediolanensis eques à Boleslao Procero prostratus & victus 104.a
Medirecia arx à Pomeranis interceptа 66 b. à Polonis recepta ibid. in potestatem Mathiæ Vngariæ regis redacta 417 b. Boleslao Caluo reddita 152 a. munita 164 b. 220 b. oppidum à Brandeburgensibus incensum ibi.
Mednicensis episcopa in Samagitia quando instituta 281.b
Mednicensis parœcia quando constituta 247.a
Mednici exusti 250.b
Medzibozensis præfectura à Tartaris vastata 567.a
Medziretium arx à Germanis capta 580.a
Meinardus Boemiæ gubernator 325.a.b
Melnicum quis eripuerit Masouijs 325.b
apud Melnum lacum quæ conditiones pacis cõscriptæ sint 291.a b
Melsacum oppidum à Polonis interceptum 389.a. b. à Crucigeris occupatum 579.a
Memela fluuius 42.b
Mendocus Lituanorum dux 156.b
Mengligeres Tattarorum Tauricanorum Cæsar 402 a. 420 a. 450 a. 544 b. pacem à Sigismundo I. petit 549 b
Mercatorum tabernæ in circo Cracouiensi cuius opus sint 220. b
Mercatoribus externis cur domicilijs interdictum in Polonia 440.b
Mercaturæ apud Prussos libertas 350.b
Mergẽburgum à quo exustũ 248.a
Mescislaus Chrobrus Russorum dux eijcit Colomannum Halicia 127.b
Mescislaus Izaslai filius Russorum dux 57 a. Kiouiam occupat ib.
Mescislaus Russorum dux 45 b. cum Iaroslao fratre principatũ partitur 43. a
Mescislaus Russorum dux in Haliciensium principatus restitutus, in clientela Polonorum se fore promittit 113 b. cur à suis veneno sublatus 114.b
Mescislaus VVlodimiri filius Torocani dux 39.a
Mesciugus Pomeranorum dux 179 b. Suentopelci filius 149 b. 164. a
Mesciugus quæstor & gener Miecislai senis 111.a
Messis præmatura 447.a
Mestouia oppidum 415.b
Mestouiense monasterium quis condiderit 130 a
Metallorum decimas quis Cracouiensi episcopo donauit 178 a
Metanasti populi Vngariæ 51.b
Methodius episcopus propagator Christianæ religionis apud Slauos 28.b
Methonam quando Turcæ Venetis ademerint 446.a
Metropolites Kiouiæ constitutus 31.b
Metropoliticæ sedis vacatio 187.a
Meuensis commendatoris consilium 266.b
Michael Buciacius Podoliæ præfectus à Tartaris interfectus 320 a. eius factum 301.b
Michael Ciartoriensis dux 379.b
Michael Cochmeisteri nouæ Marchiæ præfectus 262 b. vbi captus & asseruatus 276 a. quando summum apud Crucigeros magistratum gessit 282.a
Michael Cuiauiensis episcopus 135.a
Michael Glinscius Lituaniæ ducatum affectat 534 b. se purgare apud Sigismundum I. regem nititur ibid. ad VVladislaum Vngariæ & Boemiæ regem Budam profectus 535 a. ad Moscum deficit ibid. b. ducatum Lituaniæ inuadit 536 a. aliquot oppida capit ibid. fugit ibid. b. dux exercitus à Mosco constitutus Lituaniam vastat 550 b. pollicitis Smolenscum per deditionem capit 553 a. Sigismundo per VVladislaum Vngariæ & Boemiæ regem reconciliatus 534 a. Smolenscum Sigismundo tradere cogitat ibid. in vincula coniectus miserè perijt 554 b. cognatio eius in Moscouiam abducta 538.a
Michael Sigismundi Magni ducis Lituaniæ filius 316 b. à quo patrimonio spoliatus 325 b. eius à Cazimiro III. repulsa 336 b. exilium 337 b. apud Moscos interitus 342.a
Michael Vadasius Vngarorum præfectus ad Poloniam globo traiectus 755.a
Michalouiensis ditio Polonis adiudicata 206 a. 393 b. eam quomodo adepti Crucigeri 188 b.
Michalouiensis ora Prussiæ nomine accepta 42.b
de Michalouiensibus decimis transactio 192.b
Micislaus Andreæ Susdaliensis dux, cis filius VVlodimiriæ sedẽ impetrij ponit 741 a. magnus dux primus vocatus ibid.
Miechouiense cœnobium 101.a
Miecislaus Boleslai II. filius ex Vngaria reuocatus quando, & per quos extinctus 63.a
Miecislaus Cazimiri Oppoliẽsium & Ratiboriensium ducis filius sine liberis obit 139 a
Miecislaus I. Poloniæ princeps 31 b. & se. Ziemomysli filius 29 b. 32 a. Miesco, Miecick, Miesica, & Mesco etiam dictus 29 b. cœcus natus, miraculo visum accepit ibid quomodo educatus ib. vxores septem duxit 32 a. quomodo regnauit ibid. quamdiu regnauerit, & cum quibus bellum gesserit 33 b. quando Christianus factus 32 b. diadema regium à Pontifice maximo petit 35 a. eius cura religionis propagandæ 32 b. etymologia 29 b. in Boemos expeditio 34 b. regni & vitæ finis & sepultura 35 a. quid de eo cœco nato prædixerint arioli 29. b
Miecislaus II. Polonorum rex 45 a. Boleslai I filius ibid. successor à patre designatus ibid. iudicia ei mandantur ibid. quando & vbi coronatus ibid. b. expeditionem facit in Russos ibid. ex Russia rediens cur Poloniæ regiones obiuerit ibid. amentia correptus 47 b. captus à Boemis & exectus ibid. quando mortuus ibi. vbi sepultus ib. eius vicia ibid. a. b. eius vxor dominatũ ad se transfert ibid. a. bellum cum

Boemis, bellique occasio 145.b

Miecislaus III. Poloniæ princeps 107 b. 121 a. 123 b. Boleslai III. filius 88 b. quando natus ibid. Senex cur dictus ibid. & 107 b. incundo principatu mores mutat ibi. asperè & impotenter dominatur ibid. & seq. Calissiensium princeps 94 a. à Gedeone Cracouiensi episcopo correptus, contumax fit 108 a. b. à principatu deiectus 109 b. quamdiu principatum obtinuit ibid. recuperare eum conatur 110 a. è maiore Polonia (quam sibi retinuerat) ab Ottone filio etiam eiectus ibid. Ratiboriæ exulat 111 b. Pomeranorum ope Poloniam recuperat ibid. & seq. filium Ottonem in gratiam recipit 112 a. Masouia & Cuiauia potitùr 113 b. & seq. hæres & tutor à Lesco earum domino scribitur ibid quomodo se in suscepta Lesci curatione gesserit ibid. Masouiam & Cuiauiam amittit ibid. b. à minoribus Polonis ad principatum reuocatur 116 a. Cracouiam ingreditur, aditu arcis prohibetur ibid. quas arces principatu recuperato condidit ibid. principatu rursum deiectus, ibid. iterum ad principatum aspirat 118 b. Silesiorum duces ad principatum sollicitat ibid. & seq. vulneratus in prælio 119 a. Cuiauiam rursum in potestatem subigit 121 a. iterum princeps ibid. qua calliditate principatum recuperauit ibid. a. b. blandam & callidam legationem ad Helenam Lesci matrem mittit ibid. quod iusiurandum cum proceribus ipsi dedit ibid. iusiurandum & promissa ipsi facta cur non seruauit 122 a. à proceribus odio habitus ibid. b. principatu tertiò deiectus 123 a. ad eum rursum aspirat ibid. blanditijs & dolis Helenā decipit ibid. tertiò princeps pactorum immemor 123 b. quo ętatis suæ anno mortuus, & vbi sepultus ibid. quæ templa & monasteria condidit 124 a. eius filij ibid.

Miecislaus Oppoliensium & Ratiboriēsium dux 118 a. 119 b. 144 b. VVladislai II. filius 103 b. gener Conradi Masouiæ ducis 151 a. quod monasterium condidit 129 b. vbi & quando obierit 151 a. eius fuga 145 a. strages in Tartaris edita 144.a

Miesca Cossisco dux à muribus absumptus 139.a

Miesco Cazimiri I. filius, quando mortuus 53.b

Miezirzecz arx 66.b

Mikul archidiaconus 135.a

Miliaria Polonica 481.a

Milicia arx quomodo à Boemis intercepta 195 b

Militandi ratio iusta 184 a. qualis Polonis præscripta à Boleslao I. 44.a

Milites Boemi in Basilicam Gnesnensem irrūpentes cæcitate percussi 49 a. milites ex vniuerso orbe Christiano cōtra Turcas collecti 75 a. milites mercenarij externi an Polonis vtiles sint 265 b. militum latrocinia 409 a. sub VVladislao Loctico licētia 184 b. Militis gregarij præclarum facinus erga Boleslaum III. 92.b

Mindacus Lituaniæ rex creatus 155 b. à quo interfectus 161.b

Ministris sacrorum vis illata à Polonis 48.b

Miraculum 27 a. 29 b. 36 a. 49 a. 144 b. 155 a. 211 a. 222 b. 571.a

Mircius transalpinensis palatinus fœderatus Polonis 253 b

Misica Licicauicorum Slauorum dux 34.b

Mislouice oppidum 360.a

Misna oppidum incensum 41.a

Misnense fœdus cum rege Polonorum 259 a

Misnensis Marchio 138.b

Mnata Boemorum dux 32.a

Mocra fluuius 134.a

Modestia à quibus hominibus plus impetretur, quàm violentia exprimatur 471.b

Modocæ populi Sarmatiæ Asiaticæ 8 b

Modœciæ Imperatores palea coronati 37.a

Modragora arce quando Mathias rex potitus 412.b

Mœsia seu Mysia à Slauis Romanis erepta 1 a. à Roxanis subacta 8. b

Mogila pagus 21.a

Mogilēse monasterium à quo & vbi conditū 130 a. à quo consummatum 220 b. eius incendium 336.a

Mogilnense monasterium à Boleslao II. constructum & ditatum 62 a. direptum 133.a

Moguntinensis archiepiscopus Imperij elector 36.b

Moldauia vnde dicta 632 b. Valachia dicta 216 a. à Polonis vastata 452 a. 541 a. 607 b. à Turcis 432 b. Vide Valachia.

Moldaui feri & indomiti 442 b. vectigales regi Polonorum 339 b. fusi fugatique 340 a. Polonorum exercitum infestant 443 a. ex Pocucia pulsi 605 b. eorum ad Vngaros defectio 441 a. Vide Valachi.

Monachæ cuiusdam memorabile facinus 196.b

Monachus supremus Vngarici exercitus cōtra Turcas dux 598. b

Monarchia quando clanguerit in Polonia 135.a

Moneta, & eius ius apud Prussos 350 b. leuis in Polonia sub Cazimiro III. 364 b. monetæ cudendæ ius quibus episcopis cōcessum à VVladislaō Sputatore 137 a. monetæ probandæ magistri quando apud Polonos designati 320 b de moneta constitutiones Iagellonis regis 298.a

Moniuidus Lituanus lęsæ maiestatis damnatus 311.b

Moniuidus Lituanus regias partes tuetur 357.b

Monsterbergensis ducis fuga 276.b

Monstra siue portenta 439 b.

Monstrum humana figura, collo & auribus leporinis &c. natum ibid.

Monstrum vituli Calissiæ natum 165.a

Montes Macedonici 328.a

Motiuidus siue Moniuidus Gedimini filius 242.a

Morangum arx à Crucigeris obsessa 368.b

Morangum oppidum quando à Polonis occupatum 271 b. eius deditio 276.b

Moraqua fluuius 308.a

Moraua flumen 328.a

Morauia Boemis qua conditione concessa 52 b. Ottoni & Conrado fratribus à VVratislao 55 a. Boemiæ iuncta 66 a. per quem Polonis erepta 45 b. quando in Mathiæ Vngarorum regis potestatem venit 399 b. vndique vastata 28 b. à Boleslao III. 71 b. à Miecislao rege 45 b. & seq. à Polonis 89 a. ab Vngaris 258 a. eius magna pars quando à Polonis subacta 55 a. marchiones 55 a. Marchionis expeditio cum alijs christianis in Prussiam 156 b. Morauicæ nobilitatis primores prehensi 55 a. expeditionis sub Boleslao Pudico caussa 155 b. & seq.

Moraui Slauorum populi 1 b. vnde nomen habeant 16 b. à Polonis pulsi 21 b. quando & sub quo duce Germaniam afflixerint 28 b. quando & cum quo rege christiani facti ibid. & 31 a. Polonorum regi tributarij 38 b. & seq. eorum regnum à quibus conditum 2 a. à quibus populis discerptum, & quem finem fecerit 28.b

Morbus incognitus per orbem vniuersum 786.b & seq.

Mores principe digni qui 22.b

Morimundense Burgundiæ monasterium 99.a

Mos distringēdi gladium apud Polonos sub recitatione Euangelij 35.a

Moscheni populi 8 b. & seq.

Mosci Russorum populi 8 b. 261 b. vnde & quando ita appellari cęperint 9 a. Col. his finitimi 8 b. & seq. conciones ad populum non habent 759 a. suorum humādorum cupidissimi 817 b. inducias a Polonis impetrant 585 b. Lituaniam vastant 535 a. 554 a. 574 a. 617 b. Liuoniam inuadunt 711 a. munitionibus maximè fidunt 744 a. pacem à Polonis frustra petunt 578 a. Poloniæ regno graues 702 b. 704 a. Polonos & Lituanos cum præda recedentes insequuntur 537 b. principem suum quanti faciant 742 b. cur tam fideles 743 a. b. in sepulchrorum & mortuorum cultu superstitiosi 823 a. Tartarorum tributarij & serui 430 b. iugum sub quo principe excusserunt 455 b. victi à Polonis 261 b. 465 b. apud Orsam 466 a. 555 a. ad Poloscum 571 a. b. à Tartaris 565 b. eorum belli gerendi ratio 744 a.

744 a. bellum cum Cazimiro III. 431 a. bello cum Stephano gesto quot millia interierint 824 a. quot millia capta ibid. aliquot captiui Pontifici maximo missi per Maximilianũ imperatorem intercepti 556 a. castella 744 a. clades 574 a. conciones quæ & quales 759 a. crudelitatis exemplum insigne 758 b. cum Tartaris excursiones in Lituaniam 326 a. 535 b. 554 a. feritas 702 b. fodinę 744 a. fuga 537 a. b. Ioannes dux quando amicitiam & societatem cum rege Polono iunxit 445 b. Legati pedes pontificis maximi osculantur 793 a. Legatorum absurda postulata 777 b. leges 742 b. libido 744 b. mercatura ibid. Metropolites in Russia 9 a. nobiles 743 b. & seq. origo 740 b. & seq. Pœnarum genera 743 b. præfecturæ 744 b. prælium cum Tartaris 565 b. in Orsensi prælio occisorum & captiuorum numerus 555 a. principatus hæreditarius 455 b. principes dominatum totius Russiæ sibi arrogant 9 a. Princeps cur externos legatos audiens manus abluit 743 a. Lituano duci genero suo bellum infert 447 a. erga eum charitas, fides, & constantia 743 a. 746 b. 758 a. religio 742 b. Senat⁹ 793 b. sepeliendi ritus 823 a. tormentorum administrandorum apud eos ratio 746 b. velitatio inter eos & Polonos ibid. Voieuodæ qui 744. b
Moscouia à Tartaris expugnata 741 b. à Polonis & Lituanis vastata 537. b. à Tauricano Cæsare 583 b. eius clades bello pro Liuonibus gesto accepta 824 a b. frigus 815 b. vbertas 784. b
Moses precibus profligauit Amalechitas 81. a
Mosgaua flumen 119. a
Mosina arx 152. a
Mosinum Vngariæ arx 58. b
Mosqua arx 9. a
Mosqua Moscorum regia 466 a. incensa 539. a
Motus domestici à Cazimiro principe compositi 112. b
Mozaiscenses Russorum populi 9. a
Mucha Russiam infestat 437 a. b. captus & extinctus ibid. b
de Mulctis constitutio 298. a
Muliebris improbitas & consilium atrox 25 b. & seq. stultitiæ exemplum 227. a. b
Multani Valachi qui 216 b
Muncatium arx in Vngaria 252. b
Munera honoraria in Principis Polonorum cellam delata 96 a. Munera sapientum mentes excæcant 104. b
Munitiones Ecclesiasticæ apud Prussos quamdiu nobilitati cõcessæ 350. a
Murium depastioni quis sibi suisque deuouerit 25 a
Murzæ apud Tartaros qui 343. b
Musianus lacus, qui & Mysianus 8. a
Mussina Vngaris dedita 413. b
Mutina ex Rauitis ortus 75 b. cum duobus filijs & alijs Rauitis supplicio affectus ibid. ei summa rerum Boemicarum commissa ibid.

N.

NAclum Pomeraniæ arx à Crucigeris incensa 198 a. à Polonis obsessa 65 a. 81 a. ijs dedita 81 b. & seq. oppugnata & capta 85 a. à Suentopelco intercepta 148 a. per quos recepta, & Præmislo reddita 149 a. b. à quo munita 220 b. eius oportunus situs 65. a
Naclum noua arx è regione à Præmislo condita, à Suentopelco frustra oppugnata 157 b. 158. a
Naclense territorium Crucigeris tributarium, quando à Polonis vastatum 369. b
Naclenses machinas Polonorum incendunt 85 a. eorum obsessorum in bellis gerendis industria ibid.
Nactaginus conuentus in Prussia quando Christianismum recepit 152. b
Nalencij capti & dimissi 153 b. cum Grimalijs reconciliati 246 a. Prẽmisli regis interfectores 183. a
Namyslouiensium deditionem cur repudiauerit Cazimirus III. 363 b. pietas & fortitudo ibid.
Nancerus Cracouiensis episcopus 187 a. cur VVratislauia excessit 195 b. è Cracouiensi episcopa ad VVratislauiensem trãsit 197 a. eius obitus 208. a
Napiuonum familia 215. a
Narimundus Gedimini filius 242. a
Narimundus Olgerdi filius ibidem. b
Narimundi Iagellonis regis fratris miserandus interitus 250. a
Naron Dalmatiæ fluuius 4. a
Narua flumen 206 b. 487 a. venenosis caret ibid.
Narua oppidum 806 b. Suecis deditum 807 a. eius mercimonia, ibid. munitiones ibid. situs 806 b. de eo Stephanus Poloniæ rex sollicitus 826 a. de eo cum Sueciæ rege agit 827. a
Narzas pensio Prussis remissa 350. b
Nauanzum à quo exustum 248. a
Naues Polonicæ à Crucigeris cum frumento interceptæ 262. a
Naufragæ merces quomodo à Prussis tractari debuerint 350. b
Nauoius Tencinius 217. a
Nauorotnicus Russus quando & vbi prostratus 87. a
Neapolitanum regnum quis & quando Gallis addixit 161 a. Ioannæ reginæ quo autore Ludouicus restituit 210 b. & seq. eo quando Galli potiti 446. b
Necisalca oppidum à Polonis captum 353. b
Necla Vissegradensium dux 32. a
Neimarcum oppidum cum templo incensum 153. a
Neitichum oppidum 360. a
Nemcium arx in Silesia à quo constructa & subacta 101. b
Nemcium oppidum 184. a
Nemencinensis parœcia 247. a
Nemen & Chronem siue Chrones fluuius 42 b. eius fontes 456. a
Nemo sine crimine viuit 710. a
Nepolomicensem arcem quis muniuit 220. b
Nepolomicense templum quis cõdidit ibid.
Nepolomiciæ comitia 264 b. 288 a. b. 305 b. 310 b.
Neprest quid Prussis 200. a
Neringa Peninsula 386 a. Polonis tradita 393. b
Nesco mons à Masouijs expugnatus ibid.
Neslussium arx à quo condita 169. b
Nessouia arx Crucigeris fratribus donata 135 a. quo translata 373 b. præsidio firmata 304 b. eius præsidiarij à Brococio fusi 291. a
Nester fluuius 486. b
Netupa flumen 263. b
Neuaza fluuius 261. a
Neuela arx 782 b. à Polonis obsessa ibid. dedita 783 a. præda in ea reperta quanta ibid.
Nezamislus Præmisli filius patris successor in principatu Boemico 32. a
Nia siue Pluto Polonorum deus 30 b. eius templum Gnesnæ 31. a
Nicephorus Imperator à Bulgaris interfectus in Mœsia 23. b
Nicolai Blazeouij Præmisliensis episcopi mors 418. a. b
Nicolaus Bogoria Zauicostensis castellanus 236. b
Nicolaus Calissiẽsis Palatinus quomodo & à quo captus 159. b
Nicolaus Camenecius 464 b. Cracouiensis Palatinus capitaneus generalis in Valachiam cum exercitu missus 540 b. quæ in ea expeditione egit 541 a. b. in Poloniam cum præda reuertitur ibid. eius memorabilis victoria de Valachis ibid. obitus & laus 563. a
Nicolai Chodecij virtus & res gestæ 437. b
Nicolaus Chostouus in subsidium Plescouiæ missus 806 a. captus ibid. b
Nicolaus Comorocensis præfectus Podolini 658. a
Nicolaus Coscelecius regni thesaurarius salinas incensas extinguit 545. a
Nicolaus Cossutouius Gnesnensis præpositus 224. a
Nicolaus Cotificius 315. a
Nicolaus Cracouiensis palatinus 113 a. contra Russos mittitur 115 b. Fulconis episcopi frater 118 a. conscribit exercitum contra Miecislaum Senem 119 a. Cracouia recuperata Lescum Album cum matre in principatum restituit 122 b. obex Miecislai conatuum 123 a. Miecislao Cracouiensem principatum tradit ibid. b obit 126. b

eius familia, & pium facinus erga Cazimirum 116 a. implacabilis iracundia 124.b
Nicolaus Cranſtouius de ſtupro reginæ inſimulatus 262 a. Præmiſlienſis epiſcopus 318.a
Nicolai Curnicij Poſnanienſis epiſcopi miſer obitus 232.a
Nicolaus Curouius Gneſnenſis archiepiſcopus 259 a. gubernator Poloniæ conſtitutus 265 b. eius facultates à fratribus direptæ 279 a. mors ibid. reſponſum animoſius quàm cōſideratius 262.b
Nicolaus Cutenius Goſtini præfectus 376.a
Nicolaus Danorum rex 88 a
Nicolaus Dorohoſtaiſius Polotienſis palatinus 760.b
Nicolai Dreuicij charitas in patriam 301.a
Nicolaus Firleius de Dambrouicza gente Leopardius 435 a. Palatinus Sendomirienſis 45 b. regni Poloniæ referendarius 532 b. ſupremus exercituum capitaneus 536 a. 574 b. & ſeq. terras Cruciferorum populatur, & multas ciuitates & arces expugnat 575 a. Hollandiam oppidum obſidet ibid. capit ibid. b. Hebigebeilam & Brandeburgum capit 576 a. Kœnixbergam obſidet ibid. b. Brunsbergam 577 b. Germanos fugat à Gdano 581 b.
Nicolaus Francus Secechouienſis abbas 138.a
Nicolaus Friſtacius ſiue Vilachius 234.b
Nicolaus Gara Vngariæ palatinus 234.b
Nicolai Gneſnenſis archiepiſcopi authoritas in concilio Conſtantienſi 284.b
Nicolaus Gnoinius à ſenatu Cracouienſi ſupplicio affectus 357.b
Nicolaus Henrichouius ſecretarius Henrici Barbati 129.b
Nicolaus I. Papa 31 a. V. legatio ad Cazimirum III. 327.a
Nicolaus Kelbaſſa 269.a
Nicolaus Laſocius electus, non cōfirmatus Poſnanienſis epiſcopus 321 b. quomodo VVladiſlauienſis epiſcopus factus poſſeſſione excluſus ſit 338 a. eius laus ibid. tenacitas 331.a
Nicolaus Maioricenſis epiſcopus pontificius legatus in Poloniam 228 a. belli incenſor 427.a
Nicolaus Michalouius dux Polonici exercitus contra Crucigeros 309.a
Nicolaus Mieletius Podoliæ palatinus dux exercitus cōſtitutus 747 a. eius cum Samoſcio diſſidium 749 a. virtus in reducendo exercitu è Valachia 747.a
Nicolaus Moſcorouius cum exercitu in Lituaniam miſſus 247.b
Nicolaus Myſcouius 463.a
Nicolaus Opauienſis dux minori Poloniæ præfectus 185.b
Nicolai Oppolienſium ducis fędus cum VVladiſlao III. & Cazimiro fratre 319.b
Nicolai Petri Macedonis filij res geſtæ contra Turcas 283.b
Nicolaus Pienanſcus Vitouic⁹ Cracouienſis præfectus 361.a
Nicolaus Poſnanienſis epiſcopus captus 232.b
Nicolaus Radiuilus palatinus Vilnenſis cum quibuſdam copijs Polotiam præmiſſus 749 b. Dunam traijcit 750 b. propter ſyluas remoratus ibid. & ſeq. Polotiam peruenit 752 a. orator ad Ferdinandum Imperatorē 463 b.
Nicolaus Sābienſis epiſcopus 349 b
Nicolaus Samotula Poſnanienſis archidiaconus quando interfectus 191.a
Nicolaus Senauius 464 b. 466 b. 474. b
Nicolaus Strosbergus vicarius archiepiſcopi 246.b
Nicolaus Synouez Stariconius 275.a
Nicolaus Tramba procancellarius 270 b. Leopolienſis & Gneſnenſis archiepiſcopus quādo factus 279 a. eius conſilia de Marieburgi obſidione 274.a.b
Nicolaus Tungenus Varmienſem epiſcopam inuadit 410 a. à Cazimiro III. in gratiam receptus 429 a. eius conatus 415.b
Nicolaus Turſcius presbyter à Senatu Cracouienſi necatus 357.b
Nicolaus Veiſenbachius Bauarus 382.b
Nicolaus Vitouius à quibus cæſus 143.b
Nicolaus Volski Ieroſolymitanus miles 556.a
Nicolaus Zembocius comes 60.a
Nicolaus Zialinius 385. b
Nicopolis Bulgarię metropolis 331 a. 681. b
Nida amnis 91 b. 101 a. 488.b
Nidburgum Pruſſiæ vrbs cui donatum ibid. à rege Crucigeris redditum 401 a. à rege Polono captum 282 b. à Crucigeris receptum 275.a
Niemcz Polonis quid 344.b
Nieper fluuius 485.b
Ninus primus Aſſyriorum rex 2.a
Niſcerda à Koſakkis capta 767.a.b
Niſouij populi 737 b. eorum in Moſcouiam excurſio 789.a
Nix ingens in Polonia 205 a. nix & gelu poſt medium Maium 213.b
Nobiles Poloniæ quando & quas ob cauſſas capi, & ſupplicio affici poſſint 298.a
Nobilitas Polona bellum detrectat 363 a. eius contentio 416.a b. in Eccleſiaſticum ordinem fremitus 315 a. in Cazimirum III. 369 b. licentia 413 b. & ſeq. onera ſub Boleſlao Pudico 167 a. ſtudium erga Sigiſmundum I. 472 a. ſubditorū immunitas ſub VVladiſlao Iagellone rege confirmata 298 a. ijs quæ prærogatiuæ à ſacerdotibus conceſſæ 316.a
Nogaienſes Tartari 453.b
Nogaius Tartarorum dux 160.a
Nogatus fluuius 271.b
Nomina vrbium diuerſa à veteribus 4.a
Norembergenſibus mercatoribus cur domicilijs in Polonia interdictum 340.b
Normanni verſus meridiem profecti 16 a. eorum in Syria res à quibus inclinatæ 99.a
Noſs⁹ dux à quo vict⁹ & capt⁹ 309.a
Noteſſius fluuius 183 a. 486. b
Nouogardiæ imperium à quibus conditum 740.b
Nouogrodekum à quibus incenſum 250 b. qua induſtria à Samoſcio pace facta de Moſcis recepta 822 a. b. quàm munita ibid.
Nouogrodum magnum Lituanorum duci tributarium 430 b. à Moſcis captum ibid. quomodo in Moſcorum poteſtatem venit 466 a. Nouogrodi archiepiſcopus cōſtitutus 31 b. Nouogrodēſis prędę magnitudo 430 b. principatus à Iaroſlao receptus 43 a. Nouogrodenſes Ruſſorum populi 9 a. quando pacem à Vitoudo redemerint 295.a
Nouum Pruſſiæ oppidum 272 a. quādo à Crucigeris captum 190 a. à Polonis, & incenſum 277 a. ad Crucigeros deficit 361 b. à Polonis obſeſſum 384 a. ijs deditum 385 a
Numus S. Petri cur à Polonis Papę ſoluendus 50 a. eius penſio 46.b
Nuncij terreſtres in Comitijs 399 b. & ſeq. 521 a. eorum poteſtas 399 b. poteſtatis cauſſæ & periculum 400.a
Nurduuuladus Tartarorum princeps 395 b. & ſeq.
Nyſſa fluuius 68 b. 83.a
Nyſſa vrbs epiſcopæ VVratiſlauienſi donata 123 a. ab Henrico Probo iniquè occupata 175 a. in ea conuentus Vngarorum, Polonorum & Boemorum 410 a. pacta ibid.

O.

OBlecomum arx 180.a
Obolcenſis parœcia in Lituania quando conſtituta 247 a
Oborniki oppidum 236.a
Obſeruantes Franciſcani monachi 347.a
Obſidentium patientia 249.a
Obtrectatoris mendacis pœna apud Polonos 248.a
Occa fluuius 261.b
Ocecenſem arcem quis muniuit 220.b
apud Ociacouiam Polonorum clades 466.b
Odalanouia quomodo regi quæſita 231 b. quando in regis poteſtatem venit 246.b
Odra fluuius 13 a. 54 a. 66 a. 485.b
Odrouanzus ſubditicius 443.a
Odruſcenſes duces Vitoudo ſubditi 252.a
Oecumenicum diluuium 14.a
Ofca ſiue Agathia Præmiſli filia 158.b
Ofca quæ & Agathia Ziemouiti Maſouiorum ducis filia 294.a
Officialis quis dicatur 381.a
Olaua fluuius 54.a
Oleſcum arx 303 b. quando à Polonis ſubactum 218 b. eius obſidio 307.b
Oleſnicia oppidum 156.a
Oleſnicenſium dux cur ſe ſubdiderit Boemo 195.b
Oleſnum quanti Ceſſinenſium duci oppigneratum 255.a
Olga ſiue Helena Chriſtiana quando &

do & vbi facta 31.b.34.a
Olgerdus Gedimini filius 242.a. princeps seu Magnus dux Lituaniæ ibi.b.& 207. b. eius amicitia & fœdus cum Keistuto 242. b. vxor & liberi ibid.
Olgus Igori tutor 28. a. morsu extinctus ibid.
Olgus Rezanensis dux 262.a
Olgus Stoslai F. legitimus 34.a. Pereaslauicensium dux à fratre Iaropolco peremptus ibi.
Oliuense monasterium à Samborio quibus monachis conditum 111.a. 117.b. incensum 310.a
Olle sponte nascentes prope Sremū oppidum 485.b
Olobocense monasterium 137.a
Olobocum à maioribus Polonis quando recuperatum 174.b
Olomucensis episcopi expeditio cū aliis Christianis in Prussiā 156.b
Olomucensis tractus in Morauia Sobeslao concessus 83.a
Olstinum quàm cito à rege expugnatum 254.a
Omen infaustum 97. b. 146.a. 274.b 331.b
Onager fera 489.a
Onoldus VVladislauiensis episcopus 112.b
Opatouia oppidum Lubussensi episc. à quo donatum 1.9. a. in eo conuenticulum factiosorum iuuenum 314.a
Opatouecium oppidum 35.a
Opatouicum à quo conditū 224.b
Opauia à Miecislao VVladislai II. filio amicæ donata 103.b. quando à Boemis occupata 156.a. quo modo Boemo q̄sita 179.b. Opauiensis conuentus Polonorum, Boemorum & Vngarorum 412. a. dominatus Ioanni Alberto cessus 436.b. Sigismundo I. 462. b. tractus cur à Boleslao Pudico vexatus 156.a
Opisso Abbas Messanensis legatus pontificis maximi in Poloniam 150.a. 155.b
Opocica arx à Polonis frustra oppugnata 569.a b. eius situs & munitio ibid. Polonorum & Lituanorum ad eam clades ibid.
Opocinū 211.b. à Cazimiro II. munitum 220.b. eius arx à quo munita ibid. templum à quo conditum ibid.
Oporouia arx 345.a
Oppida munita à Cazimiro II. 217. b. 220. b. eorum conflagratio 412.b. 413.
Oppidani in Polonia cuius constitutione immunes facti sunt à rastrali pensione 298.a
Oppoliensis dux quando Boemo regi paruit 194 b. principatus Boemorum principi addictus 178. a. tractus à rege Polonorū vastatus 254.b
Oppolienses fusi apud Clobuscum 417.b
Oratio ad Gallos & Sarmatas 721 a. b. & seq. Alexandri Episcopi Tridentini pro Felice papa 662.a b. Christophori Verseuicij in obitum Stephani regis 838.a b. & seq. Despoti legatorum ad VVladislaum Poloniæ & Vngariæ regē 641. a b. Elyzabethæ Vngariæ reginæ ad Iulianum Cæsarinū 663. b. & seq. Gregorij Sanocei ad VVladislaum Polonorum & Vngarorum regem, ac Vngarios 676. b. & sequent. Huniadiani 645.b. ad milites 655. a. 668. a b. 685.a. Ioannis Demetrij in mortem Sigismundi Augusti 701. a b & seq. Ioannis Samoscij pro Stephano rege 764.a b. & seq. in comitijs Varsauiensibus 830. b. & seq. Iuliani Cæsarini pro Eugenio papa 662. a. ad Elyzabetham Vngariæ reginam 663. a b. ad VVladislaum Poloniæ & Vngariæ regē pro bello Turcico 665. b. ad Vngaros ibid. & seq. 678. b. & seq. Sanocei legati ad Polonos 651. b. & seq. Stanislai Karnkouij ad Henricum Valesium 695. a b. Strigoniensis archiepiscopi ad VVladislaum Polon. & Vngariæ regem 642. a b. Telesi Cassouiæ præfecti ad milites 659. b. & seq. Turcorum Imperatoris ad suos 648. b. & seq. Turcorum Legatorum ad VVladislaū Polon. & Vng. regem 675. b. & seq. Vngarorum ad Vuladislaū Polon. regem 634. a. Vvladislai Draculæ Valachiæ principis ad Vvladislaum Polon. & Vng. 682 b. Vvladislai Iagellonis ad Boemos hæreticos 302. a b. Vvladislai Poloniæ & Vngariæ regis ad Ciliæ comitem 644. a. ad milites 669. a. ad Vngaros 644. b
Orda quid apud Tartaros 255.b
Ordo militiæ Christi in Lituania 126 b. quid in pallio gestet 132.a
Ordinum profani & ecclesiastici dissidia, & eorum causæ 316.a
Orphani Boemorum hæreticorum duces dicti 302.a
Orsa expugnata 251. b. ad eam memorabilis de Moscis victoria 466.a
Orsimauia arx à quo intercepta 161.b
Osiecum castellum incensum & seruatum 389.b
Oslam Sultanus eiecto Satkero petitur in Tauricanum Cæsarem 593. a. Moscouiam populatur, & Poloniæ minatur 613. b. eius legatio ad Sigismundum I. ibid. perfidum in Polonos facinus 503. a b.
Osna à Danis capta 111.a
Ossa amnis 42. a. 43. a. 104. a. Poloniam à Prussia dirimit 56.a
Ossmianense collegium 308.b
Ostaphæus 464. b. à Sigismundo I. honoratus 474. b. eius laus 612.a
Ostentum 442. a. de monachi & regis in cælum pugna 270.a
Osterroda Prussiæ vrbs 272. a. cui donata ibid. à Crucigeris recepta 275.a
Ostressouiensem arcem quis muniuit 220.b
Ostrorogum castellum 236.a
Ostrouia arx 24. a. à Polonis obsessa 798. b. quàm munita ibid. tormentis oppugnata ibid. dedita 799. a. 842. a. pace facta Moscis reddita 821. b. de eius oppugnatione deliberatio 798. b. situs ibi.
Osuencimum prope è latronibus captum 360. a. eius arx frustra tentata à Ioanne duce 346. b. ducis pacta cum Polonis ibid. duces in regis Poloniæ fide & clientela 318. b. principatus quando redierit in potestatem regis Polonorum 346. a. territorium Silesiæ additum per Cazimirum principem 112.b
Otas Lesci III. filius 23.b
Othmuchouia arx 175.a
Ottocarus siue Præmislus Venceslai Lusci regis Boemorum filius 155. b. quando Austria potitus ib. quando regnare cœpit apud Boemos 156. a. II. eius nominis Boemorum rex quo in prælio occisus 170. b. eius expeditio in Prussiam 156.a
Otto Bauariæ dux 185 b. cur Cracouiam venit 218. a. eius auxilia cōtra Boemos 402.a
Otto Brunsdorfius commendator magnus 201.a
Otto Burgundiæ dux 115.b
Otto Cazimiri I. filius quando mortuus 53.b
Otto Friderici Imperatoris filius à Venetis captus 109.b
Otto I. Imperator Henrici filius 41.a.
Otto Longus Brandeburgensis marchio 153. a. 164. a b. 169. b. eius auxilia contra Polonos Boemis missa 180.a
Otto Lutebergius Crucigerorum dux 199.a
Otto Miecislai Senis filius 102. b. 124. a. patris ditiones occupat 110 a. patri reconciliatur 112.a
Otto Morauorum dux 73. a. Morauiæ marchio 83. a. Boemis dux datus 78. a. eius bellum cum Sobeslao Boemorum duce 87. b. cū Vvladislao de Boemiæ principatu contentio 80.a
Otto Pilecius Sendomiriensis palatinus 211. b. præfectus maioris Poloniæ contra leges 224.a
Otto Posnaniensis dux 112.b
Otto Prædislai Boemiæ ducis filius 54.b
Otto Ruffus III. eius nominis imperator Germanus 62. b. in Poloniam profectus 36. a. Romam redit ibid. b. mors 37.a
Otto Saxonum dux 122.b
Otto Seecarouicius proditor 212.b
Ottomannus Turcarum rex I. 185.a
Ouansense monasterium quis cōdidit 158.b
Ouo siue Abas Vngarorum rex 53.a

P.

Pabianicensis comitatus Cracouiensi Ecclesiæ donatus 64.a
Pacificatio inter cognatos duces 106.a
Pacoslaus Sēdomiriensis palatinus 143. b. cur capite plexus 181.a
Pacosium oppidum à quo captum 159. b. Boleslao Pio redditum 160.a
Pacta publicè conuenta inter regē Poloniæ & Marchionem Brandeburgensem 289. a. Pactorum inter Polonos & Lituanos renouatio & declaratio 445.a b.
Palatinatus siue Satrapiæ 44.a

Palatini duodecim apud Polonos 18 b.in ambitionem verſi, quid fecerint ibid. quando ſecundò imperium Polonorum habuerint 21 a.eorum dignitas 19.a
Palatini cuiuſdam fuga in prælio Ruſſico 92 b.eius interitus ibid.
Pallia quid 77.a
Paluci regio à Crucigeris infeſtata 373.a
Pamiſus fluuius 683.a
Pancratius Sanctonicolaus Vngariæ turbator 674 a.captus in comitijs ibid.
Panis fluuius 46.b
Panis Lituanicus 249.a
Pannones à Polonis pulſi 21 b. eorum regnum à quibus conditum 2.a
Pannonia per quos vexata 3 a. à Roxanis ſubacta & habitata 11 b. Romanis à Slauis erepta 1 a. eius incolæ 3.a
Panthera fera 489.a
Papouia à Crucigeris intercepta 361 a.incenſa ac diruta ibid.b
Paradiſi monaſterium 142.b
Parœci Gdanenſis fraus 274.a
Parnauia à Suecis obſeſſa 820.a
Paſchalis pontifex maximus cum Cardinalibꝰ captꝰ à Cæſare 83.a
Paſſaria fluuius 487.a
Paſſenheimum oppidum clade Crucigerorum clarum 365 a. à Polonis occupatum 582.b
Patricius Keiſtuti filius 242.b
Pauli Apoſtoli parœciam apud Sēdomiriam quis condidit 130.b
Paulus Cameneceēſis epiſcopus 301 a.eius mors 345.a
Paulus Cracouienſis epiſcopus 176 a. ab Ottone & Zegota iuuenibus captus, & Siradiam aſportatus 166 a. dimiſſus ibid.a b. iterum à ſatellitibus Leſci captus 174 a. à Sileſijs 179 b.diuinitus quomodo admonitus 167 a. b. eius conatus improbi, & ſeditio contra principem 166 b.vita & improbitas ibid. a. mors & homicidium 180.b
Paulus & Ioannes martyres ſub Iuliano 27.a
Paulus Gizicius Plocenſis epiſcopus à quo confirmatus 321 b.gubernator Maſouiæ 356 a. quando obijt 380.b
Paulus Grabouius Chelmenſis epiſcopus moritur 428.b
Paulus II.Papa 385 b. 628 a. doctis parum æquus ibid. qui in eum coniuraſſe dicuntur ibid.
Paulus III.fit Papa 615.b
Paulus Iaſenius Belſenſis & Chelmenſis præfectus 403 b.quo dolo à Crucigeris captus 388 a. dux exercitus in Boemiam 407 a. eius audacia 374.a
Paulus Iouius taxatur 629 a. eius error 432.b
Paulus Poſnanienſis epiſcopus captus 140.a
Paulus Pruſſienſium Crucigerorū magiſter 291 a
Paulus Ruſdorfius Crucigerorum magiſter 299.a
Paulus Spicimirius Lencicienſis palatinus 197.b
Paulus Varmienſis epiſcopus pacis arbiter inter Polonos & Crucigeros 387 a.quando in partes regias conceſſerit 388.b
Paulus VVladimirius Cracouienſis canonicus 289.b
Pax inter Fridericum Imperatorem & Henricum iniqua 169 a. inter Fridericum Imperatorem & Mathiā regē Vngariæ 409 b. inter Ludouicū Vngariȩ regem et Carolū imperatorē 217 b.inter Poloniæ duces 138 b. & ſeq. inter Polonos & Crucigeros 205 a.393 b.583 a. ea quibus ingrata fuit 395 a.infecta 261 a.eius conditiones à Polonis Crucigeris propoſitæ 266 a. deſiderium apud Pruſſos 378 b. inter Polonos & Moſcos 812 a.& ſeq.legati Polonorum ad eam componendam miſſi qui ibid. Moſcorum 814 b. de Sueciæ rege fœdere comprehendendo agitur 814 b.conditiones à Moſco propoſitæ ibid. quæ arces & qua conditione in Liuonia Moſco conceſſæ 815 a. de Derpato & Nouogrodeko controuerſia 819 a.de Narua alijſque arcibus à Sueco occupatis 819 b.de captiuis ibid. de tormentis & apparatu bellico ibid. pax decennalis conſtituta ibid. de literis fœderis controuerſia 820 a. legati Polonorum ad iuramentum accipiendum in Moſcouiā miſſi 827 b.eorū mandata de arcibus à Sueco occupatis ibi. de captiuis ibi. legati Moſcorū ad Stephanū ad iuramētum accipiendum 836 a. Stephani regis iuramentum ibid. de caſtellis Liuonicis à Sueco occupatis tractatur 836.a
Pax inter Polonos & Vngaros 430 a.inter Solomonem & Belæ filios 58.a
Pazaites cum filio Selimbico bellum gerit & cur 547 a.Selimo filio imperio ceſſit 550 b.eius obitus 547 b.551.b
Pecinigi populi 34 a.eorum memoria extincta 39.b
In pecudibus quibuſdam vigor ſenſuum 468.b
Pecunia quando Polonis adhuc incognita 18 a. pecuniæ exactæ à Iagellone ſumma 260.a
Pelca præpoſitus Curelouieēſis qua fraude occiſus 231.b
Pelca Zambrus iudex Sendomirienſis 223.a
Pelcina in Mathiæ Vngarorum regis poteſtatem redacta 414.b
Pelcinicia à Polonis occupata 395.b
Pelciſca eccleſiæ Cracouienſis arx à VVladislao Loctico occupata 186.a
Pelopōnesꝰ à Turcis infeſtata 446.a
Pelpinenſe monaſterium à quibus direptum 309.b
Peregrini Veiſemburgij pium pro principe ſuo facinus 134.a
Peregrinus Vengleſſinius maioris Poloniæ præfectus 238 b.ciꝰ factio 239.b
Perfidiæ pœna in VVratiſlauienſibus oſtenſa 195.a
Pericula Poloniæ impendentia ſub initium regni Vvladislai III. 315.a
Permij populi 455.b
Perſarum cum Turcis bellum 451 a.534 a. origo 2 a.reges à Caſſano originem & nomen habent 161.a
Peſcoua ſcala cur à rege Petro Saffranecio donata 228.b
Peſtis Budæ 657.a. in Podolia 551.a. in Polonia 130.b. 185.b.202.a.218 b.235.b.301 b.310 b.323 a.341 b.344 a.358 b.397 b.431 b.437 b.440 b.in Vngaria 358.b
Peta Tartarorum dux 143.a
Petraſsius Malocha Cuiauiæ præfectus 228.a
Petraſſius Turſcius 222.a
Petrauinus pagus a Stanislao Epiſcopo Cracouienſi emptus 60.b
Petreſſum arx à VVladislao III.expugnata 331.a
Petricouia à Cazimiro II. munita 220.b .eius turris à Sigiſmundo I.ædificata 550.b
Petricouienſe monaſterium à quo conditum ibid.
Petricus eques Polonus mortuus quomodo, cur, & à quo reſuſcitatus fuit 61.a
S. Petri Cathedra quamdiu vacauerit tempore VVladiſlai Loctici Polonorum regis 193.a. numꝰ in Sileſia 195.b eius ratio quomodo mutata ibid. idem cur Polonis ſoluendus 50.a
Petrus Alexandri Senioris nothus Bogdanum Valachum interficit 341.b. dominatum Valachiæ inuadit ibid.
Petrus Arragonenſis 172.a
Petrus de Bnino VVladiſlauienſis epiſcopus 631.a
Petrus Capuanus legatus papæ in Poloniam miſſus 120.a
Petrus Ciruenenſis eccleſiæ prior 135.a
Petrus Cmitha qua occaſione Lenciciæ præfectus factus 227.b.Maximiliano Imperatori charus 560 a.maior marſalcus regni Polonici 448.b.602.b
Petrus Comorouius ſeptem arcibus à Mathia rege ſpoliatur 414. b.eius liberalitas erga Cazimirū iuniorem 409.a
Petrus Cracouienſis palatinus 171. a.eius contra Ruſſos præliū 162.b
Petrus de Crempa 160.b
Petrus Cypriorum rex quomodo & cur Cracouiam aduectus 218.a
Petrus Danus 96.a. eius opes ibid. b.calamitas, & mors ibid. de eo miraculum ibi.
Petrus Duninus 86.b. quot templa in Polonia extruxerit 87. a. eius poſteri ibid.
Petrus Duninus 370.a . dux exercitus in Vngariam 407.b . Marieburgenſis præfectus 426.a b.
Petrus Ercleus 397.a
Petrus Falcouius 211.a
Petrus Geruaſius 206.a
Petrus Gneſnenſis archiepiſcopus 117.b
Petri Gunicij fortitudo 415.a
Petri Kendij Vngari obitus 803.b
Petrus Kuza 145.b
Petrus Lubuſſenſis Epiſcopus 219. a.cum eo tranſactio Cazimiri II.219.a

Petrus magister 135.a
Petrus Miezuuecius 275.a
Petrus Moldauiæ palatinus quando iurauit in verba regis Polonorum 357.a
Petrus Mysnensis Germanus 264.b
Petrus Odrouansanus cum voluntaria manu in Vngariam venit 658 b.ob Tartarorum incursiones in Poloniam remissus 659 a.quæ ipsi Agriæ acciderunt 659 a.captus à Telefo ibid. b. & 326 b.Budam remissus 660.a
Petrus Opalenius 463 a. orator ad Solimannum ibid.b
Petr⁹ Opaleski magister curię 708.b
Petrus Pomeraniæ Cācellarius proditor à quibus captus & dimissus 187.b
Petrus Prochnicius captus 465.a
Petrus Ritercius eques 301.b
Petrus Safranecius 228 b. 315 b. Podoliæ præfectus 261 a. dux exercitus contra Crucigeros 276 a. de latrocinijs suspectus 339 a. à Crucigeris redemptus 3.9 a. eius bellum cum Silesijs 344 a. pacta ibid.
Petrus Samotulius dux 361 b. 369 b. cur maioribus Polonis inuisus ibid.
Petrus Stephani Voieuodæ Valachorum filius 216 b. palatinus Valachiæ 337.b
Petrus Tomicius Præmisliensis antistes, regni Poloniæ vicecancellarius, Posnaniensis episcopus 576.b
Petrus Valachiæ Palatinus victus 465.a
Petrus Valachus capite plex⁹ 448.b
Petrus Visius 253 a. 264 a. quomodo ad Posnaniensem episcopam detrusus 280 b.eius obitus 282.a
Petrus Vngarorum rex 53 a.excæcatus ibid. b. à quo restitutus ibid. a.eius mors ibid.b
Petri VVlostouicij consilium de defectione Russorum 90.a b.facinus audax cum Iaropelco defectionis Russicæ authore ib.b
Petrus à Zborovv legatus in Turciam 715.a
Pezzura monasterium 811 b. præsidium ei à Moscis impositum Polonis Plescouiam obsidentibus graue ibid. Iarensb kius ad id oppugnandū missus ibid. oppugnatum 812.a
Phecusa mulier Bulgara de infelici euentu VVladislai Poloniæ & Vngariæ regis vaticinata 683.a
Philippus Bissouius Sigismundo I. fidelis 594.b
Philippi Burgundionum ducis legatio ad Cazimirum III. regem 341 b
Philippus Callimachus Italus Historicus 2 b.328 b.431 b.440 a. b. Roma in Poloniam fugit 629 a. moderator liberorum Cazimiri regis ibid. Ioanni Alberto charus ib.quæ scripsit ib. & seq. vbi sepultus 630 a. quare suam historiam scripsit 631.a b. eius epitaphia 630 a.vita & res gestæ 440 a b.628 a.quid de eo scripsit Martinus Cromerus 629 a.quid Paulus Iouius ibid.
Philippus Firmanus episcopus legatus papæ in Poloniam & Vngariam 173.a
Philippus Gallorum rex 115.b
Philippi Macedonum regis dictum ad Alexandrum filium 724.a
Philippus Maria Mediolanensium dux 467.b
Philippus Sueuorum dux pro Cæsare se gerit 122.a
Philo Kmita præfectus Orsanensis 763.a.eius excursiones ad Smolenskam ibid. & 782.b
Phocensium migratio 3.b
Piastus Crusuiciæ oppidanus qua occasione princeps Polonorum electus 26.b.& seq. quousq; propagauerit posteritatem suam 27.b. eius genus & conditio 26.b. principis iam facti beneficentia 27.a.dignitas apud subditos ibi. a.b ætas & mors ibid.b
Picturæ facilitas 460.a
Pieciari specus apud Kiouiam 252.a
Piecinigorum fuga 57.a
Pienina arx, & ei⁹ situs 144 a.177.b
Pieta locus qualis 162.b
Pietas 475.a
Pilcia amnis 117.b
Pilsna à quibus Germanis condita 214.b.ab Vngaris incensa 413.b
Pincenses salinæ in Polonia 427.a
Pinciouia arx 367.b
Pinum Culmensis arx 131.b
Piorunus Russorum deus 31.a
Pipinus Caroli magni proauus quando Francis orientalibus imperauit 19.b
Pipo Florentinus comes Themessiensis 283.b
Piratæ combusti 309.b
Pisanum Concilium in Hetruria 363.b.& seq.
Pisanorum classes cur in Asiā missæ 115.b
Piscaria Prussiæ vrbs 272.a
Piscatorum fraus in Lituanos 213.a
Pislia flumen in Masouia 375.a
Pius II. Pontifex maximus 628.a. Germanis æquior quàm Polonis 365.a.eius mors 384.b
Platina 628 a.à Paulo II.papa in carcerem coniectus 629. a. eius ad Paulum papam literæ 628.a
Plauenius Boemus 351 b
Plauenius Crucigerorum magister à Melsaco & Holandia repulsus 389 b.eius responsum magnanimum 273.b. ei quale responsum à rege Polonorum datum 273.a
Plebeiorum rex cur dictus Cazimirus II. 215.a
Plescouia vrbs quàm amœna 801. a.à Germanis capta 799. b. Russię ducibus se subdit 800 a.à Moscis in seruitutem quomodo redacta ibid.a b 543.a.ab ijs munita 793.b. 801. a b. quàm munita ibid a.à Polonis obsessa 799.a b. 803.b.tormentis oppugnata 803 b.frustra oppugnata 811.a b.eius descriptio 799.b.& seq. aëris inclementia & frigus quàm magnum 815.b.& seq.noctium longitudo 816. a. politia & incolæ 799.b.& seq.præsidium Moscorum 801 b.princeps quis 800. a. Senatus in Moscouiam abductus ibid.b situs ibid de ea obsidenda Polonorum consultatio 795 b.801.b.& seq.an primò oppugnanda 748.a b. cur non ibi. b.de castris ad eam ponendis 802.b.castra ad eam 803 a.cuniculi ad eam ducti 805.b.excubię ad eam 806.a.exercitus Polonorum ad eam incommoda 809. b.missionem flagitat ibid. & seq.febri correptus 815 b. in eā irruptio irrita 804 a b.& seq.subsidia ei missa à Polon.capta 805 b.& seq.ab obsidione pace facta discessum 822.a
Plescouiensium res gestæ 799.b. & seq. insidiæ in Polonos 814. a. irruptio in castra 817. a b.ob pacem factam lætitia 820 b.ijs insidiæ à Polonis structæ 814.a
Plocense oppidum à Polonis incēsum 196. b. eius arx à Lituanis incensa 156.b. instaurata 161. b. munita 220.b.basilica 32.b. igni absumpta, quamdiu caruerit episcopo 131.a.canonici 1.5. a.collegij dissensio in eligendo episcopo 408.b.dioecesi sacris interdictum quando & cur 141.b. ditio quomodo in regis Polonorum potestatem venerit 214. b. 439 b.de ea iudicium 375 a.Episcopæ iniuria 231.b. episcopi cū Culmensi transactio 164.a.monasterium sub quo principe cōditum 117. b. satrapiæ officiales 509.b.
Plocenses quo authore à rege Poloniæ alienati 372.a.eorum pax cū Lencicienſibus 177.a
Ploche arcem quis Cracouiensi episcopo donauit 186.a
Plochum arx Culmensis 131.b
Plodecz 103.b
Plomycouius virtute infamiam deleuit 265.a
Ploniny sylua Valachorum 216.b
Ploscum oppidum Masouiæ caput incensum 131.a.150.b à Marchione Misnensi interceptum 138. b à VVladislao Loctico 177. a.à Conrado recuperatum 138. b.à Cazimiro II. munitum 214. a. 220 b.à Sbigneo obsessum 70 a. à Ziemouito Masouio occupatum 222.a. à Boemis oppugnatum 185.b.eius arx à quibus incensa 177.a
Plouuce pagus Crucigerorum clade nobilis 201.a
Pobedisca quando à Crucigeris exusta 199 b
Pochuiscel quid 31.a
Pochuist Polonorum deus ibid.
Pocuce à Moldauis intercepta 451. b.à Polonis recepta 452.a. à Valacho subacta 455.a
Pocuciensis tractus Palatino Valachiæ oppigneratus 278.b
Podolia 483 b.quando contra Lituanos munita 357.a. à Polonis recepta 307. b. Polonici iuris est 337. a. in potestatem Polonorū regis quomodo redacta 261. a. Spitconi Melstinio donata seu oppignerata 256. a. Suitrigelloni cur attributa 259. b. 301. a. à Rusſis vexata 422. b. à Tartaris Zauolgensibus 403. b. 416. a. à Turcis 422 b.quomodo in Vitoudi potestatem venit 252. a. Vitoudo à Polonorum rege cōcessa 278.b.non à Vitoudo sed à Cazimi-

Cazimiro Magno rege ſubacta 252 b. eius officiales 509 b. de ea Lituanorum cum Polonis pacta 307 a. in ea lacus ſalis 485.a

Podolij quomodo à Tartaris profligati 320 a. eorum facinus præclarum 301 a. potus 434 b. ſtudia in Polonos 381 b. Podolica nobilitas quando cum Polonis exæquata 3315.a

Pogeſanus cõuentus in Pruſſia quãdo Chriſtianus factus 152.b

Pokucia recuperata 605 b

Poleſſe ſeu Podleſſe, ſiue Podlaſſe quid 147 a. 482.b

Poleſſenſis terra à Maſouijs deuaſtata 167.b

Poleſſia ſeptentrionalis Polonia dicta 48.b

Poleſſiani Pruſſi 116 b

Polocenſium deditio 246.a

Polonia quamdiu ſui generis reges & principes habuit 221 a. regio mediterranea 47 a. in regiones duodecim diuiſa 18 b. ab Andrea Vngarorũ rege vaſtata 53 b. à Boleſlao Boemorum duce 37 a. à Mathiæ Vngariæ regis copijs 417 b. à Germanis 26 b. à Ruſſis 87 a. à Sileſijs 343 a. à Tartaris 146 a. ab Vngaris 413 a. VVratiſlao I. Boemorum regi ab Henrico IIII. Imperatore attributa 65.b

Poloniæ animalia domeſtica 490 a. aquarum mira natura 488 b. arces 493 a. aues 490 a. aulici equites 512 a. Camerarij 509 a. balnea 493 b. Cancellarij & vicecancellarij officia 507 b. & ſeq. capitanei ſeu duces exercitus duo 508 a. eorum officia ibid. caſtellani officium & nomen 507 a. caſtellani ibid. eorum ordo & numerus 505 b. & ſeq. conſilij conuocandi ratio 506 b. damna quæ ob abſentiã regis 229 a dignitarij 507 a. diuiſio 24 a 61 b. 71 a. 93 a. 94 a. felicitas ob Henricum Valeſium Francũ regem electum 727 b. ferarũ copia 489 a. fines à Boleſlao I. poſiti 56 b. quãdo & à quibus acciſi 24 b. acciſi & prolati 480 b. priſci qui ib. a. fluuij nauigabiles 485 b. & ſeq. frigus 484 b. cum Gallia conſonãtia 728 b. 730 a. diſſonantia ibid. gelu 484 b. hypocauſta 493 b. iudex caſtrenſis 510 a. limites qui 482 a. lingua & loquela qualis 490 b. & ſeq. magiſtratus pertinentes ad conſilium publicum 506 a. magiſtratus terreſtres 508 b. eorum officia quæ ibid. Mareſchalci regni officia 507 b. mareſchalci curiæ officium 512 a. marmor 485 b. mercimonia 501 b. metalla 485 a. monaſteria 493 a. montes 484 a. motus 26 b. 48 a. 222 a. 239 a. b. 673 a. 674 b. nomen vnde 14 b. notarius caſtrenſis 510 b. notarius theſauri 511. b. numorũ varia genera 501 a. opes in Lituaniã exportatæ 364 b. palatini officiũ 507 a. Palatini 505 b. eorũ ordo & numer⁹ ibi. de palatinis & caſtellanis lex 507 a. pagi 493 a. pars à Germanis ſubacta 46 a. piſcationes & varia piſcium genera 488 a. b. piſcinæ ibi. a. poduodæ 512 b. pomaria 484 b. pfecti à Ludouico rege conſtituti 229 a. præfecti ſiue capitanei 509 b. & ſeq. eorũ officium 510 a. præfecti tenutarij ib. b. & ſeq. eorum officium ibid. præfecturæ 510 b. earum adminiſtratio & reditus 511 a. de præfecturis leges 510 a. referendarij 506 b. 518 b. eorum officium 512 a. reges ex Gallia orti 728 b. reginæ comitatus 512 b. coronatio 503 a. officiales 512 b. & ſeq. regnum Vitoudo à VVladiſlao Iagellone oblatũ 296 b. & ſeq. eius origo 36 b. 502 a. amiſſio & reſumptio 502 a. officiales 507 a. ſymbola 508 a. reip. libertas 473 b. Rex Poloniã primò obibat, & quare 503 b. & ſeq. arbiter controuerſiarum inter Eccleſiaſticum & equeſtrem ordinem 522 a. eius coronatio ibid. a. electio ibid. libera eſt 502 a. impenſæ 504 b. iuſiurandum 503 a. metalla 504 a. poteſtas 502 a. b. poteſtatis fines 520 b. redituũ quarta pars ad vſum belli conceſſa 524 a. ſatellites ſeu ſtipatores 512 b. telonia 504 a. b. vectigalia 503 b. eorum imminutio 504 a. priſcorum nomina 503 b. ei alienationes interdictæ 504 b. ſacrifici 512 a. ſal natores 511 a. ſalinæ 485 a. ſal quale 485 a. Satrapiæ & partes 482 a. ſcriba caſtrenſis 511 b. ſecretarij 506 b. eorum officia 511 b. ſenatores ſeu conſiliarij 505 a. eorum diuiſio 506 a. numer⁹ 505 a. 506 a. 529 a. b. & ſeq. officia communia 506 a. Senatus conſtãtia ad Sbignei orationem contra regem habitam 312 b. conſultatio de Vngarorum regno oblato 322 a. decretum de iuuandis Maſouijs contra Lituanos 330 b. libertas 95 a. ſuffragia de nouo rege 334 b. ſitus 1 a. Geographicus qualis 481 a. figura, longitudo, latitudo & amplitudo ibid. ſolum quale 484 a. ſuccamerarij officium 509 a. 512 a. ſuccinũ 485 b. ſyluæ 484 a. b. telonæ & tributorum exactores 511 a. thermæ 488 b. theſaurarij regni officium 508 a. theſaurarij curiæ 512 a. vbertas 484 a. vicecapitaneus 510 a. vineæ, cæterique fructus 484 b. vitreolum 485 a. vrbes præcipuæ 491 a. b. & ſeq. vrbes quales 493.a

Poloniæ iubilæus à Papa conceſſus 566 b. finitimi populi 481 a. ſacris & regio nomine à Papa interdictum 61 b. ſalus inſperata offertur 26.b

Poloniam quindecim epiſcopos habuiſſe, falſum eſt 62.b

In Poloniam quando Benedictini monachi inducti 52.b

In Polonia abbatum electio 514 a. bellum non indicitur ſine comitijs 523 a. belli gerendi leges ibi. ratio 522 b. milites mercenarij 523 b. militum tam equitum quàm peditum ſtipendia ibi. a. pœna non militantium 522 b. militiæ immunitatem qui habent ibid. bellica iuriſdictio 518 a. caſtrenſe iudicium 517 a. Eccleſiaſticus ordo 500 b. liber eſt ibid. quam contributionem penſitat 514 a. eius diſtinctio 501 a. honores, magiſtratus & dignatio 513 a. iudices 516 a. iudicia 515 b. fori cauſſæ quæ 516 a. executio rerum iudicatarum ibid. oppida non ſubſunt iuriſdictioni regiæ 519 b. à tributis immunitas 524 a. epiſcoporum electio 513 b. nominatio ibid. reditus 515 a. equeſtrium magiſtratuum creandorum ratio 514 b. Germanicæ linguæ vſus 490 b. halecum copia 488 b. hæreſes 499 b. & ſeq. quæ importantur & exportantur 501 b. iudicium ſex ciuitatum 520 a. homicidij eiuſque pœna ibid. b. iuratum 519 b. Magdeburgenſe 520 a. iuris ſupremi Teuthonici ibid. Iudicia 515 b. commiſſaria 517 a. conſulum 519 b. magiſtrorum contuberniorum 519 b. præfectorum ſeu capitaneorum 517 a regia ibid. b. eorum cauſſæ ibid. termini ibid. citatio poſt curiam ibi. ruſticana 519 b. ſcabinorum ibid. ſcultetorum 520 a. terreſtria 516 b. eorum cauſſæ 517 a. loca 516 b. præco ſeu miniſterialis 519 a. rerum iudicatarum executio ibid. Iudiciorum appellationes ſeu prouocationes 518 a. de ijs vbi cognoſcatur ibid. b. comperendinationes ibid. a. duellum 518 b. latinæ linguæ vſus 490 b. Magiſtratus & honores perpetui 514 b. Magiſtratuum creandorum ratio 513 b. reditus 515 a. moneta quando cudi cœpit 501 a. nationes variæ 491 a. Nobiles qui & quales 497 a. Nobilium prehenſio quando licita 519 a. familię & gentes vnde appellatæ 497 a. b. earum cognomina vnde & qualia 497 b. fœminarum comitatus 498 b. famuli & pediſſequæ ibid. ſtudia ibid. iuuenum & adoleſcentum famulitia 499 a. Nobilitas æqualis eſt 497 a. à quo, & quomodo conferatur 497 a. ad bellum quomodo vocatur 522 b. Nobilitatis amiſſio 497 a. in bello officium 523 a. confœderatio contra turbulentos & hæreticorum fautores 298 a. b. fremitus apud Choiniciam 311 a. habitãdi & viuendi ratio 408 b. inſignia 497 b. & ſeq. inuidia in Secechum vnde concepta 66 b. oppida non ſubſunt iuriſdictioni regiæ 519 b. prærogatiuæ 49,6 b. ſtudia 499 a. oppidanorum in bello munia 523 a. iudicia 519 b. eorũ executio 250 a. Plebs 499 a. 513 b. plebeij qui dicantur 499 b. à nonnullis honoribus Eccleſiaſticis arceantur 500 b. Plebis iudicia 519 b. magiſtratus & officiales 513 b. magiſtratuum creatio 514 b. ſacerdotiorũ collatio ibi. a. reditus 515 a. ſcultetus ſiue aduocatus hæreditarius ibid. tributa ſiue exactiones 523 b. qui ab ijs immunes ibid.

Polonia maior 482 a. eius defectio

ctio ad Henricum Barbatũ 137 b. diuisio inter VVladislai Sputatoris filios 152 a. 156 a. lacus 488.a.motus 140.a.238 b. 241.a

Polonia minor 484.a. eius motus 137.b

Poloni qui 14.b quando ita appellari cœperint ibid.& seq. vnde venerint 15.a.quando in eas oras quas incolunt venerint ibi. a.b vnde dicti 16.b Boemorum consuetudine non corrupti 310 b.cõtra Boemos hæreticos quo modo se gesserint 626. a. quam ampla hostium castra ad Puscum ceperunt & diripuerunt 374.b. Cazimirum principem redeuntem quomodo acceperint 50.b.Christiani quando facti 32 a.ante Henricum Bauarũ imperatorem fuerunt 41. b. cũ Conrado Cæsare voluntarij in Asiam profecti 100.a. Crucesig nati contra Prussos missi 131. a. in Crucigerorum ordinem quatenus recipiendi 394. a. a Crucigeris læsi 271.a.b.externo homini non parent 229. b. Friderico Barbarossæ quomodo restiterint 102. a. à Gneui obsidione cur dilapsi 559.a.Haliciam quibus conditionibus Romano duci tradiderunt 120.b. iurisiurandi Mariæ & Sigismundo regi dati religione soluti 236.a. b. ex Kiouia in patriam clam rege cur se receperint 60 a. Lachi à quibus dicti 17. a. latinæ linguæ studiosissimi 494. a. Lengel ab Vngaris dicuntur 16. b. maris fortunam feliciter tentarunt 18.a. ante Mauritium Imperatorem fuerunt 12. b. monarchiam amplexi 19 a. 502. a. quando non & cur 18. b. munitionum expugnandarum quando adhuc imperiti 197 a.contra Nouogrodienses qur cum Vitoudo expeditionẽ fecerint 295. a. occidentales à Germanis debellati 29.a.Polaci & Polani dicti 480.b quando sua populati 444.b.cum quibus populis cõmercia habent 502.a b. Romano imperio nunquam tributarij fuerunt 46. a. cum Romanis Imperatoribus quæ bella gesserunt 23. a. Sarmaticum mare quando amiserunt 702.b. Slaui seu Slauini dicti 1. a. 480. a. ob Secechi acerbitatem solum vertunt 66 b.&seq. rebus secundis securi 389.b.à Rixa regina despicatui habiti 47.b.Masouiam vastant 196. b. Morauiam 71. b. Moscouiam 569 a. Prussiã 266. a. victi ab Isera 326. b. à Moldauis 607.b.à Pomeranis 158.a.230 b.à Tartaris 143.a.145.a.439 b.a Valachis 216. b & seq. victoria vti nesciij 271.a. in Vngarorum regis verba quando iurauerunt 211.b. VVladislai Iagellonis regis alterutrum filium sibi regẽ designant 298 a. VVladislai II. consilium de violandis pactis Turcicis improbant 330.a

Polonorum per septem annos absentium vxores quomodo se domi gesserint 60.a. Agrestium onera & seruitus 499. b. alacritas ad arma capienda 73.a.armatura leuior 56.a. auxilia Cæsari ad Italicum bellum missa 102.b Coomanno contra Russos 127. b. Valachis contra Turcas 434. a. VVladislao III. regi in Vngariam 325. b. bellum ciuile à Miecislao Sene motum 119.a. 235. a. cum Germanis sub Conrado Cæsare belli gerendi ratio 100.b. cũ Turcis belli occasio 505 a.b.captorum à Turcis eximia virtus 332 b.castra à Pomeranis incensa 65. b.cereuisia 494. a. ciuilitas 471. b.494.a.clades apud Bucouinam syluam 442.b.apud Chmelicum 143 b.apud Choiniciam 362.a.apud Nouum 383.b. apud Sokalũ 572.b. & seq. compotationes & æquales haustus 496. a. conatus contra regem Cazimirum III. 342.a.concordia 692.a.b. confœderatio contra hæreticos facta explicatur 626.a.b.consiliũ VVladislao III.datum 329.a. constantia in religione catholica tuenda 618.a.b.constitutiones 738.a. b. consultatio de Cazimiro principe reuocando 49 b.de iniquissimo decreto Cæsaris 287.a. de oratione Plauenij Crucigerorum magistri ad regem ibid.de Valachia in Prouinciæ formam redigenda 339.b.de subsidio VVladislao Poloniæ & Vngariæ regi mittendo 653.b.contemptus 47. a.controuersiæ de iudicijs 738 a. b.& seq. conuentus cũ Boemis Bythomiæ 365.b. cum Crucigeris 191.a.b 311.a.378.b.cum Lituanis 281.a.326.a. cum Vngaris apud Kesmarcum 291.b. ad Nouam villam 278 b conuiuia 495. b. copiæ nouæ in Vngariam ad VVladislaũ Vngarorum & Polonorum regem missæ 658. a b. & seq.ex Vngaria à Boemis arcentur 658.b. corporum habitudo 494.a.Crucesignatorum virtus 669.b.cum Germanis conflictandi cupido 79. a. cura rei familiaris 495. b. a VVladislao II. defectio 98.b.dij falsi 30 b.disciplina militaris soluta 416.a. dissidium in creando rege 438. a.ditiones à Russis infestatæ 34. b.doctrinæ studia 495.a. b. educatio 494.a.b.elegantia 466. b. & seq. equitum immunitas & libertas 225.a. apud Vngarorum regem factum laude dignum 265 b. exercitus Kiouiæ delicijs diffluit 59.b.ad expeditionem Moldauicam missus 441.b. eius lætitia quod ad mare peruenisset 310 b.expeditio in Boemiam 37.b.& seq 319.a.in Crucigeros 263.a.in Culmensem tractum 204. a. in Marchiam 166.a.in Prussiam 105 a.353.a.355.a.361 a. in Silesiã 204 a.in Tartariam 602.b. & seq. fœdus cũ Boemis 92. b. cum Lituanis 196. b. cum Stephano Valacho 399. b. cum Vngaris 207. a. 237.b.fortuna in Prussia quomodo mutata 273. b. fremitus contra Cazimirum III 342.a.contra Cazimirum principem 113.a. fuga 145.a.352.a.habitãdi ratio 491 a.hospitalitas 494 a. humanitas erga externos 47.b erga regem suum 345.b.induciæ cum Alberto Cæsare 321.a.cum Boemis 91 a.167.a cum Crucigeris 263. b, 284.b.285. b. cum Turcis 439. a, 448. a.cum Vngaris 116. a.ingenia 494.a.interfectorum à Tartaris numerus 145.b.cum Vngaris iurgium quale 228. b.ius antiquitus 44.a. laus 495. b.723.b legati ad Cazimirum III 342.a leges 504.b & seq.licentia 355.a, 408.a.luxus 496.a.medo siue aqua mulsa 494. a. mercatores malè à Basilio Moscorum duce tractati 539.a. merita in familiã Iagellonicã 364.a. militaris rei studium 495.b.militum in suos crudelitas 582. a. mores 449. a. 729. b. & seq. antiqui 35. a.vnde corrupti 730. a. nobiliores qui ad Choiniciam cæsi & capti 352.a.b.qui ad bellum Tartarorum nomina dederunt 256.a. qui cum VVladislao Poloniæ & Vngariæ rege in Vngariam profecti 638. b. nomen quando Turcis formidabile 43.. a. nominis etymon 480.a.duplex 16. b. obsequium erga principes suos 47.b. Kiouiæ infelix oppugnatio 59 a.oratores ad Ludouicum regem cur missi 222.b. ordines & status hominum 496 b.origo 480.a. pacificatio cum Boemis 53.b.cum Russis 128. b. cum Vngaris 17 a. pacta cum Boemis 205.b. cum Silesijs 315. b.cum Vngaris 278.b.pauor ob captam Casam à Turcis 381. b. peregrinationes 494. b. pietas 267.a.b.499.b.postulata à Cazimiro III.336.b. 346 a.præda ex Boemia aucta 75. b. prælium cum Germanis 79. a. cum Moscis 555. a. cum Russis 92. a. b. 308.a.cum Tartaris 144.b.&seq. præsidia à Russis oppugnata 45. b primorum Castouiam profectio 237. b. principum insigne 17. b. procerum confœderatio 346.b regnum à quibus cõditum 2. a. b. quam diu vacauit 182.a.religio 30.b.499.b. respõsum ad Imperatoris legationem 102 a.ad Lituanorũ postulata 337 a ritus sacri 30.b.in Pomeranos sæuitia 76.b. de rege creando variæ sententiæ 448.b.& seq.signa quot contra Crucigeros educta 268.a. splendor 372. b. strages 332.b 373.a.studium erga regem Iagellonem 301.b studia quæ 44.a.494 b. transactio cũ Crucigerorum militibus 356. b. vestitus 493.b victoria de Crucigeris 266.a.374.a b.389.b. de Moscis 555.a.748 a. b. de Sumbergio 360.a.de Tartaris geminata ductu Ioannis Alberti 434. b. de Turcis ad Sauum fluuium 380. a victus ratio 493 b. vrbanorũ & agrestium discrimen 499.b

Polonis quæ onera à Pontifice maximo iniuncta 50. a. b. tonsura in morem monachorum imposita ibid.

apud Polonos Christianismi occasio 32.a

Poloni maiores cur se Henrico Glogouiensi, non VVladislao Loctico subiecerunt 186.b. quo authore à Lesco Nigro ad Conradum Masouium defecerunt 176 a. à minoribus profligati 119 a. quando expeditionē in Prussiam decreuerunt, quam minores negarunt 363 a. in Prussia militant, & tributum sciscunt 386 a. quo authore regnum VVladislao III. decreuerunt 313 b. quando in fidem VVladislai Loctici venerunt 191 a. eorum conspiratio contra omnes homines excepto rege 213 b. in proprios agros crudelitas 351 b. expeditio in Cuiauiam cur suscepta 159 b. in Prussiā 359 a. 360 a. licentia 303 a. studium in patriam 299.a

Poloni minores cur & quando expeditionem in Russos susceperunt 185 b. cur ægrè tandem assenserunt maioribus de creando rege VVladislao III. Iagellonis filio 314 a. eorum conspiratio in Boleslaum Pudicū principem 166 b. conuentus Corcini 324 b. alius ad cohibenda latrocinia 339 a. defectio ad Vvladislaum Oppoliensium ducem 167 a. expeditio contra latrones Sueborouios 360 b. fremitus in regem Cazimirū III. 424 b. ad maiores legatio 236 b. studia in Cazimirum Iagellonis filium 335.a

Poloscum Visseslai propugnaculū 57 b. quando à Lituanis receptum 246 a. eius seditio quomodo placata 246.a

Polotia quàm munita 749 a. quibus primò paruit, & à quibus antiquitus regebatur 751 a. 760 a. in Polonorum potestatē quomodo deuenit 751 a. à Moscis capta ibid. à Stephano rege an ante alias arces oppugnanda 749 a. ab eo cum exercitu petita ibi. b. obsessa 752 b. oppugnata 754 a. b. & seq. incensa, sed incendium acriter restinctum 755 a. rursum incensa 756 a. 757 b. ei dedita 758 a. eius descriptio 751 a. b. 752 b. situs 569 a. 749 a. 751 a. b. 752 b. templum D. Sophiæ sacratum 757 a. ei obsessæ subsidium à Mosco missum Sokolæ substitit 755 b. fluuij ipsam alluētes 751 a. b. ad eam castrorū Polonorum situs 753 b. & seq. Polonorum commeatus penuria 755 b. & seq. Vngarorum virtus 756 a. in eam globi candentes missi 754 a. Polonorum & Vngarorum irruptio irrita 757 a. præsidium Moscorum ex ea deductum, & à Mosco per vicina castella distributum 758 a. præsidij crudelitas in Polonos quos in obsidione ceperāt 758 b. bellicus apparatus in ea à Polonis inuentus 759 a. bibliotheca inuēta 758 b. & seq. præda inuenta ibid. propter prædam Polonorū & Vngarorum iurgia 759 a. Castellanus & Palatinus in ea constituti 760 a. b. religio resque diuinæ constitutæ 759 b. & seq. Patres societatis Iesu in ea 760.a

Polouucij 483 b. vnde dicti 54 b. 128 b. Poliouucij etiam vocati ibid. Russiam vastant 54 a. b. bello à Tartaris petiti, & victi 128 b. eorum auxilia Russis contra Polonos iuncta ib. a

Poltouia à Lituanis direpta 196 a. 206 b. ab ijsdem incensa 218 b. Poltouiense collegium quando institutum 380.b

Pomerania Crucigeris à Ioanne rege Boemorum donata 197 b. ab ijs subacta 190 b. quibus Lesci III. filijs obtigit 24 a. Marchionibus à quo prodita 187 b. Polonicæ ditionis est 111 a. Polonis à quibus iudicibus adiudicata 206 a. ijs tradita 393 b. Præmislo maioris Polonię duci à quo donata 179 b. Prussiæ nomine censetur 42 b. vastata vndique 165 b. à Crucigeris 152 b. à Polonis 73 a. 277 a. 309 b. à Scarbimiro militum magistro 72 b. eius descriptio 110 b. & seq. duces quādo sua donarint Crucigeris 173 a. regi Poloniæ feudales & vasalli 111 a. b. 481 a. 596 a. Polonis obnoxij 404 a. quādo in fidem VVladislai Iagellonis regis venerunt 249 a. eorum filias Miecislai senis filijs nupsisse 110 b. fœdus cum Cazimiro II. rege 209 a. origo 46 b. fines mutati 111 a. b. præfecti à Cazimiro dati ibid. a. à VVladislao Loctico 187 a. præfectus à Lesco Albo constitutus 129 a. vectigal ibid. vrbium deditio 73 b. eam quanto precio Crucigeri à Marchionibus Brandeburgensibus emerint 191 b. in eam expeditio Polonorum 64 a. b. 65. a. 66 b. 72 b. 73 b. 76 a. 81 a. 84. b

Pomerania citerior à Polonis subacta christianismum tertiò recipit & conseruat 85 b. eius metropolis Dantiscum 110 b. duces, eorumque origo 110 b. & seq.

Pomerania vlterior 111 a. amissa & à Suentopelco recepta 137 a. eius duces 110.b

Pomerani à Christianismo quamdiu alieni 74 a. Christianam religionē quādo acceperint 74 b. ad nouandas res procliues 68 a. à Polonis subacti 29 a. Santocum obsident 70 a. Santocum adorti repelluntur 68 b. Slauorum populi 1. b. Poloniam vastant 49 b. victi & profligati à Boleslao adolescente 70 a. b. 76 a. 81 b. à Crucigeris 150 a. à Magno comite Masouiæ præfecto 80 b. à Polonis 47 a. 369 b. Vsce arcem quomodo interceperūt 75 b. VVladislao I. se subdunt 64 b. quando & vbi in verba VVladislai Loctici iurauerunt 187 a. eorum in Boleslaum III. inter venandum impetus 72 b. castra à Polonis expugnata 81 b. exercitus 80 b. in Masouiam excursio ibid. munitiones quomodo tractarit VVladislaus I. 64 b. in Polonica castra irruptio 64 b. & seq. à Polonis defectio ibid. rebellio ibid. sacrilegium quomodo punitum 74 b. sub VVladislao I. deditio 65 b. ijs bellum à Ziemouito Piasti filio illatum 28 b. quantum à Crucigeris tributum & cur impositum 193.a

Pomerani Stolpenses à Sigismundo I. in clientelam accepti 467.a

Pomeranus quispiam à duabus mulieribus captus 81.a

Pomesanienses episcopi in Prussia 148.b

Pomesaniensis episcopa quando Crucigeris relicta 394.a

Pomesanus Prussorum conuentus quando Christianam religionem acceperit 152.b

Pomorzani defensi 416.a

Pompo magister Teuthonicorum in Prussia 142 b. 144. b. vbi occisus 145.b

Pomponius Lætus 628 a. 629. b

Poneciam arcem à Silesijs incensam, qui Poloni instaurauerint 239.a

Pontus Gardianus Gallus Sueciæ militiæ præfectus 793 b. castella aliquot Liuoniæ capit ibid. Naruam occupat 806 b. à Parnauia pace facta discedit 823 b. Veisensteinium ei deditum 807.a

Popielus I. Lesci III. filius 23 b. successor in Poloniæ principatu à patre designatus ibid. Poloniæ princeps 25 a. murium depastioni se & suos deuouere solitus ibid. eius ignauia ibid. ingeniū ibid. obitus ibid.

Popielus II. I. filius impubes principatum init ibid. Chostek cur vulgo dictus ibid. b. Patruos & proceres veneno extinxit 26 a. cum vxore, & liberis miserè à muribus absumptus perijt ibid. eius tutores 25 a. iuuenilia studia ibid. b. luxus nimius ibid. vxor quæ ibid. auaritia & tyrannis ibid. parricidium 26.a

Popielus Popieli II. filius 25.b

Populi aliquando in vna regione diuersi 10 b. & seq.

Populi Septentrionales vrbibus carent 39.a

Poradline siue rastrale vectigal in Polonia 503 b. quomodo imminutum 225. a. qui ab eo immunes 504.a

Porsus amnis 45.b

Portense monasterium 123. a

Portenta in Polonia 164 b. 168.a

Posnania vrbs 491 b. à Boemis direpta 48 b. à VVladislao II. obsessa 97 a. VVladislao Sputatori dedita 133 a. eius arx à quo munita 220 b. basilica 32 b. de cælo tacta 224 a. ecclesiæ immunitas 137 a. de episcopalis 294 a. episcopi interdictum 184 b. ei monetę cudendæ, & venandi ius à quo concessum 137 a. satrapia 482 a. satrapiæ officiales 509 a. præfectus maioris Poloniæ generalis capitaneus est 510 a. præfecti officia quæ ibid.

Posnanienses quo authore Henrici ducis præsidium receperint 191 a. eorum pœna ibid.

Posonium incensum 559 b. eius arx obsidione liberata 326 a. in ea Sigismundi I. & VVladislai Vngarorum & Boemorum regum con-

conuentus 559 a. cur Viennam tranſlatus ibid.b
Poſuiſdus VVlodimiri filius Volyniæ dux 39. a
Prabutha oppidum à Polonis captum 283.353. b
Prædboria oppidum 219 b.eius arx à quo munita 220.b
Prædborius Brezius 227.b
Prædicatores monachi vnde dicti 130. a
Prædiſlaua per vim ſtuprata 39.b
Prædislaus Goluchouius prefectura maioris Poloniæ mot⁹ 224.a
Prædiſlaus Lanſcoronius 464. b. 465.b
Prædiſlaus Pogorelecius VVratiſlauienſis epiſcopus 208.a
Prædiſla⁹ VdelriciBoemiæ ducis filius 37 b.45 b princeps Boemorum factus meridionalem & occidentalem Poloniam deuaſtat 48 b.Romam cur & à quo poſtulatus 49 a. Henrico Imperatori tributarius fuit 52 a.b. ei⁹ filij 54 b.& ſeq.
Prædiſlaus VVratiſlai I.fili⁹ ex Vngaria reuocatus Boemorũ princeps fit 65 b.& ſeq.Poloniam infeſtat 66 a. eius excurſionis in Poloniam falſus rumor 68 b.odium in Polonos 67.a
Prægola flumen 354 b
Præfectorum regiorum iniuriæ in viduas & pauperes 364.a
Præliũ crudele & anceps inter Boleſlaum I. & Iaroslaum Ruſſum 43 b. inter Boleſlaum II. & Ruſſos 59 a. 119 a. inter patrem & filium 68 a. inter Polonos & Pomeranos 65 a. inter Turcas & Vngaros 598 a.
Præmenta arx maioris Poloniæ 152 a.expugnata 148 a
Præmiſlia vrbs 491 b.& ſeq. à Ruſſis capta 33 b.obſeſſa & capta in prædam militibus datur 58 a incenſa 444 b. eius ſitus 57 b. tractus à Boleſlao rege bello petitus ibid.
Præmiſlienſis arx corona obſeſſa deditur Boleſlao II. 58 a. à quo munita 220 b.epiſcopa inRuſſia 228 b.ei⁹vacatio418 b ora à Cazimiro principe recuperata 112.b
Præmiſlus Boemorum princeps 20 a.32 a ruſticus ad principatũ vocatus 20 a.eius vxor & filius 32.a
Præmisl⁹ Cõradi fili⁹ occiſus 136.a
Præmislus Glogouienſis dux 191. a veneno ſublatus 194.b
Præmislus Leſci III filius 23.b
Præmislus Opauienſium dux 255.a
Præmislus ſeu Ottocarus Boemorum rex 122 a.à quo imperatore regium diadema acceptum, Boemis reliquit ibid. quando obijt 136.b
Præmislus Poloniæ maioris dux Crucigeris quãdo in auxilium venit 149 a.per quem in gratiã cum fratre redijt 156 a. Sileſiam infeſtat ibid. eius in bello religio ibid b. eius mors & virtutũ laudes 158 a.liberi ibid.b.
Præmislus Poloniæ maioris dux Præmisli filius poſthumus natus 158 b. quibus ſucceſſionibus fortunatus 179 b. vbi & quando rex Polonorum creatus 182 a.inſidijs Brandeburgenſiũ marchionum ſublatus 182 b. eius ingenium ibid. a. mors miſerabilis 183 a. opes 182 a.ſtudia ibid.b Bacchanalia ab eo celebrata ib.
Præmislus Polonorũ princeps Leſcus I. dict⁹ 22 a.ex aurifice princeps factus 21 a. b. eius ſtratagema in Alexandri Magni copias ibid.de rebus geſtis nihil conſtat 22.a
Præmislus Poſnanienſium dux 155 b.idem Caliſſienſium 153 b. qua occaſione Rudenſe territorium receperit 154 a.vbi captus 169 a. eius legatio ad Henricum & Boleslaum Caluum 153 b. nuptiæ 167 b.tyrocinium 166.a
Præmisl⁹ Toſcenſiũ dux à Sbigneo Cardinale repreſſus 340 a.ei⁹ excurſio in Poloniam 343 b.& ſe.
Præmislus Venceslai Boemorum principis filius 151 a.patrem regno pellit ibid.
Prẹmislus Vvladislai Sputatoris filius 141.a
Præmõſtratenſis ſectæ puellę 117.b
Præmonſtratenſes monachi quando extiterint 87 a.
Præmõſtratenſiũ virginũ monaſterium à quo & vbi conditũ 101.a
Præslai Lanſcorunij laus 580.a
Præuerſcum incenſum 444.b
Praga quando & à quo expugnata 34 b. & ſeq. regi Polono dedita 37 a. à Boriuoio capta 80 b. eius tumultus 539 b. Pragenſis academia quando inſtituta 217 a. archiepiſcopi ius 210 a. epiſcopi cũ alijs Chriſtianis expeditio inPruſſiam 156 b.altera inPoloniã 180.a
Pragenſes Sigiſmundo Cæſari repugnant 286 a. eorũ potentia ib.
Prandnicus fluuius 22 a.136.a
Prandocinenſe templum à quo munitum 138.b
Preces Graduũ in Cracouienſi diœceſi inſtitutæ 53.a
Precum piarum efficacia 163.a
Pridipelcus Poſnanienſis palatinus 166.a
Pregla fluuius 157 a
Preſmarcum quando Polonis deditum 271.b
Preimarcenſium defectio ad Crucigeros 353 a
Prencota Cracouienſis epiſcopus cuius iuramenti author 147.a
Prendota Galca 210 a
Prendota Lubeſſouius dux exercitus 359 a. Marieburgi p̃fectus 365 a.eius virtus 359.b
Presburgenſis arx obſeſſa 658.a
Pribiſlaus Boemus 2.b
Pribislaus Leſci III.filius 23.b
Principatus multorum pernicioſus reipublicæ 93.a
Principatum Polonorum obſcurus iuuenis currẽdo adipiſcitur 22.b
Principis Polon. officium 99 b. iudicia 129 a.reditus 18 a. vide plura Poloniæ & Polonorum.
Principes alienis oculis & auribus ſentiunt 377.b
Principũ aulæ quales olim, & quales nunc ibid.a
Principum peccata maiora quã priuatorum 60.a.b.
Prinum oppidum à Polonis alienatum 165 a.ab Henrico VVratislauienſi redemptum 168.b
Pripetius fluuius 487 a
Priſca Ruſſia direpta 792.b
Priſſouienſis arx munita 220.b
Priuilegia Polonis à Cazimiro III. confirmata 405.b
Procerum Polonorum indulgentia in ſuos propinquos 339.a
Procopi⁹Cracouiẽſis epiſcop⁹180. b
Prodigia in Polonia 164 b. & ſeq. 169 b.224 b.373 a. 437 b.
Proditio principibus grata, proditores odioſi 91. b
Proditio quomodo à Polonis refutata 274 a. eius merces iuſta 344 a.præmium 91.b
Proditores in Polonico exercitu 303 b.quomodo habiti à Mathia rege 412 b. eorum bona confiſcata 213 a. pœna 233.b
Promona vrbs 4.a
Proſna amnis 235.a
Proſper Columna Caroli V.Imperatoris copiarum dux cõtra Frãciſcum Galliarum regem 571.a
Protaſij martyris dies & ara Cracouiæ 120.b
Protaſius Olomucenſis epiſcopus 398 a. ei quid à Cazimiro III. reſponſum ibid.b
Prouiſores quando & cur in Polonia inſtituti 315 a. cur abrogati 318 b.320. b
Prouocatio Teuthonum ad Magdeburgẽſe tribunal abrogata 215.a
Prudentia 468.b
Pruſſia 484 a.à quibus olim habitata 11 a in Epiſcopas diſtincta 148 b.& ſeq.Ladiſlao regi dedita 349 b. Marchionibus in feudum conceſſa 473 a.Polonis adiuncta 461 b quando fere omnis in deditionem à rege Polonorum accepta 271 b.& ſeq.in Sigiſmundi I. clientelam accepta 467 a. à Crucigeris vaſtata 138 a. à Cuiauijs & Maſouijs 167 b.à Polonis 582.b
Pruſſiæ arces cur Polonis, nõ Pruſſis à rege Polonorum commiſſæ 353 a. conſiliarij ſedecim quando conſtituti 350 a.diuiſio vetus 483 a. epiſcopi abiecto cultu Crucigerico in Cazimiri III. regis verba iurant 349 b.fines 42 b. fluuij 487 a. gubernator ſublatus 395 b.lacus 487 a.motus 410 a.421 a. nobilitatis ſtudium ac fœdus erga Polonos 424 a. oppida à rege Polonorum capta 283 a. ſitus 42 b vnio cum regno Poloniæ 712 b.vrbes & oppida 271 b.271 a. 483 a. b. & ſeq. earum ſtudium erga Cazimirum III.regem 352 b. erga Polonos 424.a
In Pruſſiam expeditio & bellũ Boleſlai Criſpi 104 a. Boleslai I. 41 b.& ſ.Boleslai III.76 b.83 a. b. 84 b.Cazimiri III.427 b. Cazimiri principis 116 b.Vvladislai Iagellonis 276 a. 282 b. 308 b. & ſeq. Vvladislai Loctici 197 a. legati cum exercitu miſſi à Polonis 423 b.& ſeq.
In Pruſſia Chriſtianæ religionis doctores a Polonis conſtituti 43 a. quales & quando vermes venenoſi extiterint 177.a
De Pruſſia quomodo conuenerit inter Sigiſmundum & Iagellonem reges 279.b

Prussia ducalis 480 b. 483 a. 524 b. à quib⁹ habitatur 481 a. 524 b. feudalis facta Polonis 524 b. eius duces vasalli regis Poloniæ 481 a. 524 b. motus 712 b. in eam commissarij à Sigismundo Augusto missi eam pacant 712 b. & seq.

Prussia regia 483 a. eius accisa tributum 528 b. belli gerendi ratio 529 b. ciuitatum magistratus & præfecti 527 b. & s. consiliarij ad Senatum Poloniæ regni pertinent 526 b. ecclesiasticus ordo 525 b. episcopi 526 a. iudicia 528 a. b. leges 524 b. magistratus 526 b. magistratuum conferendorum ius ad quem pertinet 527 b. nobilitas 525 b. Palatini & officiales 526 b. plebs 525 b. portus 528 b. & seq. præfecturæ 527 a. respublica 524 b. satrapiæ 483 a. senatus 525 b. & seq. vectigalia regia ibid. a. in ea ius 524 b. & seq. Culmense, Lubecense, Magdeburgense, & Saxonicum ibid. regiæ constitutiones ibid. liberi qui vocantur 529 b. nascentia in ea 526. a

Prussi D. Adalbertum confodiunt 36 a. in Alexandri regis verba iurant 452 a. Borusci dicti 42 a. Cazimiro I. se tributarios faciunt 52 a. Cazimiri III. opem cõtra Crucigeros implorant 345 b. quas ditiones munitionesque suas ei subdiderint 347 a. ab eodem qua occasione in fidem accepti 348 b. in eius verba iurant 349 a. 426 b. Christianismum quomodo susceperint, & rursus abiecerint 104 a. ad conuentum à Legato pontificio cur nõ admissi 378 b. Crucigeris quas munitiones & quando eripuerint 172 a. ab excommunicatione à Pio II. papa absoluti 365 a. Fridericum Imperatorem inter se & Crucigeros cur iudicem recusauerint 347 b. qua lingua vtantur 42 a. munitionibus olim caruêre 43 a. ad res nouas spectant 424 a. Prisci qui & quales 11 a. Polonos pro iustis domi nis agnoscunt 348 a. à Magistro Crucigerorum puniti 387 b. quã regionẽ tenuerunt 42 a. apud Suece malè accepti 263 b. tributarij Polonis facti 43 a. tributum in octo annos quando sciuerint 400 b. victi à Boleslao II. 56 a. à Boleslao III. 81 b. à Cazimiro I. 52 a. à Masouijs 150 b. à VVladislao I. 64 b. à VVladislao Iagellone 283 a. VVladislao I. sese subdunt 64 b. 65 b. eidem rebelles 64. b

Prussorum balnea 42 b. à Boleslao Crispo & Polonis defectio 104 b. à Christiana religione & Crucigeris 148 b. ciuitates primariæ arces suas diruunt 349 a. comitia Grudenti 350 a. commercia 525 b. compotationes ibid. confœderatio inter se contra Crucigeros 347 b. consilium fidele 274 a. conuentus & regiones quot & quando à Crucigeris subactæ Christianismum receperint 152 b. de Crucigeris querelæ 347 b. deliciæ 42 b. dij ibid. excursio in Masouiam & Culmensem tractum 80 b. 131 a. 150 b. in Poloniam 51 b. 55 b. 56 a. in Pomeraniam 55 b. exequiæ 42 b. legati à latrunculis capti 347 b. linguæ quomodo latina vocabula admixta 42 a. quindecim millia cęsa 52 a. mores antiqui 42 b. origo ibid. a. prærogatiuæ & priuilegia 350 a. b. religio 500 a. studium erga regem Poloniæ 274 a. 371 b. erga Polonos 356 b. victoria de Polonis 505 a. b. victus 42 b. vnio cum Polonis 350 a. b. vires à qui bus fractæ 141 a. viuendi ratio 525. b

Prussis bestiæ pro Dijs habitæ 42 b. aues ibid. quale ijs tributũ decretum 350. a

apud Prussos externi ab honorib⁹ excluduntur 350. b

De Prussis in tutelam recipiendis variæ senatus Polonici sententiæ 348. b

Prussi Polessiani cur bello à Cazimiro petiti 116 b. quibus conditionibus pacem ab eo acceperint ibid.

Prutus fluuius 443. b

Psalteristarum collegium in basilica Cracouiẽsi quis instituit 253. a

Pscouenses Russorum populi 9. a

Psola fluuius 256 b

Ptarsco Boemiæ gubernator 325 a. eius interitus 210. a

Puellarum Polonicarum à Tartaris captarum numerus 177. b

Puer dẽtatus natus, & quãdiu à partu locutus 168. a

Pueri triginta sex vno partu editi 164. b

Pullen arx obsessa à Crucigeris 206. b

Puseum oppidum à Crucigeris interceptum 367 a. à Gdanensibus per deditionem acceptum 384 a

Puscẽse territorium Cazimiro III. donatum 411. a

Puterborgum arx 50. a

Pysdrensis arx 20. b

Pysdri à Cazimiro II. muniti ibid. à Crucigeris capti & incensi 99. b

Q.

Quadragesimæ ieiunium temeratum 65. b

Quecissouum direptũ 238. b

Quidzinum expugnatum 375 a. b. Pomesaniensi episcopo paret ibid.

R.

Raba fluuius 176. b

Rachelinus sextus Cracouiensis episcopus 53. a

Rachesburgum oppidum 431. b

Racianzũ arx munita 221 b. à Crucigeris captum 198 a. triplex est 157 b. Pomeraniæ incensum ibi. captum 159. a

Racouecia palus Turcarum clade insignis 418. b

Rudaua fluuius 151. a

Radeuicus Phrysingensis de rebus Friderici Imperatoris 103. a

Radeouia à Polonis cremata 198. a

Radimnum incensum 444. b

Radimum oppidum à Polonis receptum, & incensum 276. b

Radinum arx Culmensis 148 b. per deditionẽ accepta à Polonis 274 b. à Crucigeris obsessa, sed non expugnata 276. b

Radlouiensia bona episcopo restituta 213. a

Radogostia à Polonis capta 465. b

Radomia à Cazimiro II. munita 220. b

Radomscis quando & quæ comitia de nouo rege creando habita 234. a

Radossice oppidum 278. a

Radosius Polonus Cracouiensis episcopus 84 a. 88 a. 99. a

Radulo Valachus captus 425 b. eius bellũ cum Stephano Moldauo 405. a

Radvvancouius proditor 579. a

Raphael Iaroslauius Leopoliensis præfectus 403. b

Raphael Lescinius legatus Imperatoris ad Polonos 404. b

Rapstinum arx Spitconi Melstinio adempta 321 a

Rascia quando à Tartaris vastata 143 b. à Turcis afflicta 320 b. sub acta ab ijsdẽ 338 a. 633 a. eius munitiones 330. a

Rasciani Slauorum populi 1. b. eorum dubia fides 380. a

Rascij à quibus & quando Christianismum acceperint 31. a

Rasliz dux excœcatus 28. a

Rastenburgum à Crucigeris obsessum 368. b

Rastralis vectigalis moderatio ex agris Ecclesiasticis 229. b

Rathnum qua proditione captum & incensum 304. a

Ratiboria flumen 144. a

Ratiboria ab Olomucensi episcopo incensa 154. b

Ratiboriæ à quo collegium sacerdotum institutum 175. b

Ratiboriensium ducum pax cum Polonis 335. b

Ratiborius Suentopelci filius 164. a

Raua à Ziemouito Masouio occupata 222 a. eius arx munita 220 b. satrapia 482 b. satrapiæ officiales 509. b

Rauia gens Polonis semper amica 75. b

Rauitæ Boemorum familia 37 a. eorum excidium in Boemia, & in Poloniam migratio ibid.

Recenum oppidum ab Henrico V. Imperatore receptum 76. b

Rededa Cosarorum dux à Iaroslao interfectus 43. a

Regis peragratio regno vtilis 44. b

Reges inclyti 464 a. externi in Polonia quando fuerunt 221. a. b

Regum miserrima conditio 710 b. 718. b

Reginaldus Hostiensis episcopus 155. a

Regius mons 157 a. vide Kynixberga.

Regni felicitas ex cultu Dei 475. a

Regna plura non benè ab vno administrari 222. b

Reichembachum cur Suidniciensi duci

duci donatum 181.a
Religio 705 a.b. animos hominum cum Deo, & inter ſeipſos religat 623 a. eius contemptus non negligendus principibus 104 b. controuerſia ad quos ſpectat 621 a. ad regendas reſpublicas efficacia 27 b. incrementa apud Polonos 33 a. propagandæ cura ibid. propagatio 619 a. vi expreſſæ inſtabilis ſedes 104 b. eam oppugnant dæmones, & eorum ſatellites hæretici 619 a. & ſeq. ea omnes mouentur 705 a.b. ea ſublata quæ mala ibi.b
Religiones falſæ quando & quomodo incœperint, & earum gradus 30.a
Remca aduocat⁹ Suẽtopelci 149 b
Remenſe concilium 100.a
Repicha Piaſti vxor 26.b
Rerum nouarum qui ſoleãt eſſe cupidi 166.b
Rerumpublicarum adminiſtratio ad quos ſpectat 620 a. diſciplinæ obſeruantia ſtabilitur ibi.
Reſſellam fruſtra tentant Cruciferi 578.b
Reſtes ternæ 354.b
Reualienſes alimenta à Stephano rege petunt 746 b. quæ ijs donata ibid.
Reuſina palus 149.b
Rezanenſes populi 9.a
Rezania vaſtata 252 a. 261 b. & ſeq.
Rha ſiue Volga flumen 128.b
Rhoatinum à Turcis captum 586.b
Ribnicenſis dux captus 418.a
Ribnicienſe monaſterium quibus & a quo conditum 129.b
Ricardus Anglorum rex 115.b
Richnoua ab Iſera obſeſſa tandem dedita 661.b
Riga archiepiſcopo erepta, & Crucigeris tradita 191 b. de eius arce conſtitutio 825 b. de archiepiſcopi poſſeſſionibus ibid. de portorio 789 a. b. de religione 8-5 b.
Rigenſes ſe Polonorum regi ſubdunt 789 a. b. res nouas contra Stephanum moliuntur 843 a. domiti ibi. eorum controuerſia cũ duce Churlandiæ de nauigatione & portorio 825.b
Ripinum oppidum vaſtatum 263 a
Riſemberga a Crucigeris munita 135.b
Rithigerus Teuthonum dux Vendæ coniugium ambit 20 b. eius miſer interitus 21.a
Rithuianij oratio ad Cazimirũ III. 363 b. 419.b
Rixa Erenfridi Palatini Rheni filia Miecislao Polonorum regi deſponſa 36 b. cum marito coronatur 45 b. regnum quomodo adminiſtrauit 47 a. in Saxoniã fugit 48 a. implacabilis in Polonos oratores 50.a
Rixa Præmiſli Poloniæ regis filia 185.a
Robertus Gneſnenſis archiepiſcopus 36.a
Robertus Palatinus Rheni Cæſar 258 a. eius mors 264 b
Rochezana pſeudarchiepiſcop⁹ 358 b. Georgio regi formidabilis 398.a
Rochiciana Boema Cazimiri II. pellex 221.a
Rochuoldus Polotiç dux 751 a. eius mors ibid.
Rodus à Turcis capitur 585 b. quando à Rodo ijdem reiecti 432 a
Rogerius Normannus vtriuſq; Siciliæ primus rex 88.a
Rogouia Pruſſis erepta 135.b
Rogoznum Poloniæ oppidũ 182.b
Rogoznum Pruſſiæ oppidum 135 b. 272.a
Roma à Borbonio & Cæſarianis capta 600 a.b. à Ladislao Neapolitano rege 279.b
Romani à Barbaris euerſi 3. b. eorũ Imperium à Slauis vaſtatum 9 b. Imperij electores 36 b. cũ Illyricis & Dalmatis bellum 4 a. origo ad Martem refertur 2 a. in Pruſſiam aduentus 42 a b. reſpublica tribunitijs furoribus euerſa 400.a
Romanus Ruſſorum dux 160.b
Romanus Volhinenſis 567 a. eius mors ibid.
Romanus VVladimirienſium dux 113 a. cum Ruſſicis copijs in auxilium Leſci Albi venit 119 a. grauiter vulneratus ibid. in Leſci verba iurat 121 a. Haliciam ambit 120 b. eius in Polonos excurſiones & latrocinia 125 b. 126 a. minæ, fuga, & interitus 125 b. & ſeq. ſomnium 126 b. in Halicienſis tyrannis & ſuperbia 125.a
Romoue vrbs 42.b
Romualdus abbas Camaldulenſis 40 b. 48.a
Ropcice oppidum 162.b
Roſcislaus Dauidis Ruſſorum ducis filius 128.a
Roſciſla⁹ Meſciſlai ducis filius ibi.
Roſcislaus Slauorum dux quando & à quibus Chriſtianiſmum acceperit 31.a
Roſcislaus Volodori filius, Ruſſorum dux 87.b
Roſẽberga à Germanis cõdita 214.b
Roſpra à Cazimiro Conradi filio vexata 151.a
Roſtocum vrbs 24.a
Rouum caſtellum à Tartaris captum 343.a
Roxani populi 16.a
Roxolani populi ibi.
Rubicouo lacus 267.b
Rublus 256.b
Ruch arx 131.b
Rudenſe ſeu Velunenſe territorium à Præmiſlao receptum 154.b
Rudolphus Cæſar cur Boemis bellum intulerit 168.a.b
Rudolphus Lauantinenſis epiſcopus legatus Apoſtolicus in Poloniam 390 a 393 a. qua ratione conſiliarius regius Poloniæ factus 344 b. Vvratislauienſis epiſcopus factus 399 b. eius integritas & laus 394.b
Rudolphus Sueuorum dux Imperator electus 73.a
Rugia, quæ nunc Myſnia, quibus Leſci III. filijs obtigit 24.a
Rugianorũ ducũ filiæ Mieciſlai Senis filijs nuptæ 110 b. origo 46.b
Rumboudus Lituaniæ marſalcus vbi à Polonis captus 303 b. læſæ maieſtatis damnatus 311.b
Rumor celer 308.a.b
Ruricus Varaij frater Ruſſorũ ſeptentrionaliũ princeps fact⁹ 28.a
Ruſinonia ob latrocinium ſuſpendio necata 453.b
Ruſlaus comes quem heredem cõſtituerit 117.b
Ruſſa Vngariæ regina Andreæ regis vxor 54.b
Ruſſia Lituanis ab Vngaris præfectis prodita 233 a. ab ijſdem occupata 207 a. à Polonis ſubacta ibid. b. ijſdem vectigalis facta 59 b. ab ijs vaſtata 171 b. etiam à Tartaris 413 a. 416 a. 444 b. 451 b. Vngaris à Ludouico Vngarorum & Polonorum rege attributa, & cur 229.a
Ruſſiç dominium Iaroslao donatum 51 a. epiſcopæ quando conditæ 228 b. munitiones quæ ab Heduige regina receptæ 249 b. nobilitas quando cum Polonis exæquata 315 a. officiales 509 a. pars recuperata à Polonis 112 b. quæ pars ijſdem adiũcta 245 b. quanta Ziemouito Iuniori Maſouiorũ duci donata 254 a. præfecturæ quãta ſtipe ab ipſis Ruſſis collata redemptæ 385 b. & ſe. principatus inter duodecim filios Vvladimiri diuiſio 39 a. initium 27 b ſalinæ 485 a. trepidatio 57 a. vbertas & opulẽtia ib.b
In Ruſſiam expeditio & bellum Boleſlai Criſpi 100 a. Boleſlai I. 39 a. Boleſlai II 56 b. 58 b Boleſlai III. 86 a. 91 b. Boleſlai Pudici 162 b. Cazimiri I. 114 b. Cazimiri II 211 b. 212 b. 218 b. Ludouici Vngariæ & Poloniæ regis 228 a. Miecislai regis 45.b
De Ruſſia quomodo conuenerit inter Vngaros & Polonos 279 b
Ruſſia Auſtralis quando à Polonis defecit 207. a
Ruſſia Rubra 483 b. eius diuiſio ib.
Ruſſi vnde dicti 42 a. à Boleſlao III. quomodo habiti 80 a. Caſenſiũ auxiliares qua de cauſſa à Lituanis & Volynijs deleti 379 b. Chriſtiani quãdo facti 31 a. 742 b. Eccleſiæ orientalis ritus obſeruant 31 b 742 b. à Latinis in quib⁹ diſcrepent 500 b in libertatẽ quãdo ſe aſſeruerint 64 a. magis, ſagis & incantationibus dediti 113 a. 304 a. a Moſcis ſubacti 430 b. Polonis iure & priuilegijs à quo & quãdo exæquati 208 a. 298 a. ab ijs qua occaſiõe ſubacti 90 a. 526 a. 128 a. cum ijs pacem faciũt 128 b. religionis tenaces 127 b. Roxani etiam dicti 8 b. Slauorum populi 1 b. θ quomodo pronunciẽt 134 b Tartaris ſubditi facti 741 a. ijs tributarij ibid. & 128 b. & ſe. ab ijs læſi 177 b. vaſtãt Poloniam 34 b 48 b. 62 b. Sendomirienſem agrum 185 a. victi à Boleſlao I. 39 b. à Boleſlao VVladislai I. filio 70 b. à Leſco Albo 120 b. à Polonis 40 a. 85 b. 162 b. 171 b. 185 b. 308 a. à Polouucijs 54 b. 63 b. à Tartaris 128 b. 741 b. à Vvladislao Iagellone rege cõtra Turcas Cęſari in auxilium miſſi 293 b. ab eodem contumaces coerciti ibid. Vvladislao II. opem negant 99.a
Ruſſorum annales 9 b. annalium fides de rebus geſtis Polonorũ 54 b. Auſtralium principes 28 a. bella ciuilia 39 a. bellum cum Græcis 28 a. à Iaroslao contra

Polonos motum 43a. b. à Romano contra eosdem 125 b. captiuorum ingens multitudo 444 a. castra direpta 98 a. castrensis negligentia 97 b. clades 326 b. à Polonis defectio 89 b. ab ijsdem ad Lituanos 212 a. a Suitrigellone ad Sigismundum Lituaniæ ducem 316 b. dij 31 a. dolus in Sendomiriensis arcis præfectum 160 b duces qui & quot capti 128 a b. ducum intestinum dissidium 87 b. 127 a. episcopi 505 a episcopus Catholicus 155 b. excursio in Masouiam 176 b. in Poloniam 70 b. 87 a. 162 b 171 a. 182 a. expeditio in Turcas 422 b. fraus in Polonos 92 a. fuga 57 a. historia 40 a. Imperij origo 8. b 740 b. & seq. sedes 28 a. 740 b. successus 741 a. ingenia fluxa & infida 90 a. leuitas 59 a. lingua apud Lituanos 42 a. munitiones ex qua materia constructæ 58 b. à Moscis subactæ 447 b. nomen 9 b. onera 315 a. perfidia & periuria 161 b. populi qui, quando, & quomodo Moscorum nomen adepti 9 a. portus 434 b. prælium cum Polonis 92 a. cũ Tartaris 360 b. principum stirps 33 b. regnum à quibus conditum 2 a. religio 50 a. sæuitia 304 a. schisma 50 a studia erga Suitrigellonem 300 b. venatiões 264 b. victoria de Polonis & Vngaris 128 a. vires 90. a
Russis quorum intercessione pax data 86. a
apud Russos qualis Germanicæ linguæ vsus 7. a
Russus Lechi frater vel nepos 14. a
Russus Plauius 201. a
Rusticorum tumultus in Polonia 48. b
Rutheni Galliæ Aquitanicæ populi 8. b
Rutheni Slauorum populi 1 b. vide Russi.
Ryphæi populi 42. a

S.

SAbacensis arx Vngariæ à Turcis capta 584 b
Sabell⁹ Sulentiæ præfectus 164. b
Sabinus Nossonus Moscus captus 780 a
Sacerdotes in Polonia nobilitati quas prærogatiuas concesserũt 316. a
Sacerdotum Cracouiensium bona iussu Cazimiri III. direpta, ipsique Cracouia pulsi 368 a. à collegio quàm iniquum iusiurandum extorserit Cazimirus ibi. Gnesnensium domus direptæ 239 b. gratitudo erga Polonos 391 b. purpuratorum collegium 83 a. redituum inæqualis æstimatio 388. b
Sacerdotibus honos habitus 44 a. quando vxores ademptæ 120 a. 130. b
Sachmates Tartarorum Zauolgensium princeps 448 a. fugit 450 a. è fuga retractus 454 b in Poloniam ductus 453 a. carcere dãnatus ab Alexandro rege 456 a. eius in dicendo libertas 453. a
Sacra Slauico sermone Cracouiæ instituta 253. a
Sacris interdictum ob hæreticos 403. a
Sacrificium solenne apud Lituanos 245. a
Sacrificulorum apud Boemos impotens dominatus 317. a
Sacrilegij pœna 74. b
Sadachmetis Tartarorũ ducis fortuna prospera & aduersa 343. b
Sala fluuius Turingos à Sorabis diuidit 24 b. ei p̃sidia imposita ib.
Salefeldum Rixæ emptum 48. a
Salinæ in faucibus Carpathi 424 b. decimæ de salinis Cracouiensi episcopo donatæ 183 a. è salinis quale stipendium iniussu regio muneratum 360. b
Salisburgensis archiepisc. 151. b
Salomea Boleslai Pudici soror Haliciensis regina mortua 163. b
Salomea Lesci Albi filia quo anno nata 129. a
Salomea Lesci Albi soror, Colomãni regis vxor 128. a
Salomea Præmisli Posnaniensium & Calissiensiũ ducis, soror Conradi Henrici Barbati filij vxor 153. b
Salon Dalmatarum vrbs 4. a
Samagitæ populi 42 a. Crucigerorum dominatum detrectant 261 a quando falsos deos abdicarint 281 b. quibus insidijs Liuones circumuenerint 388. b
Samagitia quomodo & quãdo ad fidem Christianam conuersa 281 b. Crucigeris à quo concessa 261 a. 281 a. ab ijs vastata 227 b. ab ijs quomodo à Vitoudo recepta 262 b. Poloniæ adiuncta 245 b.
Sambia regio à Polonis & Elbingensibus infestata 368. b
Sambiensis episcopa in Prussia 14 b. episcopi à rege ad Crucigeros defectio 353 a. terra à quibus subacta, & ad religionem Christanam acta 15 a
Samborius Suentopelci Pomeraniæ ducis frater 10. a
Samborius Suentopelci filius 64. a
Samborius Ziræ filius Pomeraniæ præficitur 10. b
Samoscius vide Ioannes
Samotuli oppidum 235 b. à quibus direptum 241. a
Sandecia oppidum 144 a. à quo & vbi conditum 186 a. in ea sacrũ collegium à quo institutũ 354. a
Sandecense monasterium 170 a. 177 b. quando conditum 265. a
Sanderbeius Turcis quis 338. a
Sangeminianum à quo conditum 628. a
Sanguine quando pluit 165. a
Sanocum à Cazimiro II. munitum 220 b. quando & cur a Barnimo Cassubiorum duce oppugnatũ 152 a. maiori Poloniæ adiunctũ ibid.
Santocum Boleslao Caluo redditum ibid. dirutum 163 a. ab Ottone Brandeburgensi instauratum 164 b. quando Polonis ereptum 222 a. eius comites se regi Polonorum tradunt 219 a. præposituram quis Posnaniensi ecclesiæ detraxit 183. a
Sanus fluuius 57 b. 486 a. b
Saraceni 99 a. eorum origo 2. a
Sardica, alias Sophia 328. a
Sarleium arx 226. a
Sarmatia Asiatica Babylone propior quàm Europea 7. b
Sarmatiæ descriptio 631 b. & seq. fines 7 b. latitudo 722 a. b. laus ibid. montes 424 b. opulentia ibid. & 723. a
Sarmatæ non sunt Germani 7 b. nõ ex Tuiscone progeniti ibid. eorum origo ibid.
Satkerus Tauricanus Cæsar à suis profligatus 593. a
Sauolocia à Kosakkis tentata 767 b. obsessa 784 b. & seq. quã munita 785 a. frustra primò oppugnata ibid. b. secundò 786 a. tertiò 787 a. b dedita ibid. & se. cur candentibus globis non oppugnata 788 a. eius situs 784 b de obsidione consultatio 783 a. b. tormenta bellica in ea deposita 788 a. præsidium in ea relictum ibi.
Saus siue Sauus Dalmatiæ fluuius 4. a
Saxonia à Polonis vastata 41 a. eius dux Imperij Elector 36 b. quam oram Boleslaus I. Poloniæ rex recuperauit 41. a
Saxones Teuthonum populi 24 b. Henrico V. Cæsari rebellant 83 a. Poloniæ oras sub quibus Imperatoribus occuparunt 41 a. victi & profligati à Boemis 87 a. b. à Polonis in Gdano arce 165 b. eorum duces Miecislai Senis generi 110 a. funera ex Polonia domum remissa 77. b
Sbansinum Boleslao Caluo redditum 152 a. à Præmislo quando recuperatum 154. a
Sbarassum captum 416. a
Sbigneus Brezius dux copiarũ Polonicarum contra Moscos 261. b
Sbigneus Lesci III. filius 23 b
Sbigneus Olesnicius captus 217 a. redemptus ibid.
Sbigneus Olesnicius Cracouiensis episcopus 291 b. Cardinalis in Concilio Basileensi à quibus designat⁹ 324 a. b hæreticis quomodo restiterit 302 b. iuuenum cõsilia quomodo dissipauit 314 a. cum Spitcone Melstinio in gratiam redit 318 b. Toscensem ducem quomodo repressit 340 a. eius animus periculi contemnẽs 306 b. cũ Archiepiscopo cõtentio & cur orta 338 b. discessus è comitijs 339 a fides erga regẽ 269 b. 299 b. grauitas dicendi contra regem 342 b integritas 297 b. libertas dicendi 305 a. b. 343 a. oratio ad VVladislaum Iagellonem sibi propter Boemos hæreticos iratum 306 a. b. periculum apud Keuessum Vngariæ 324 b. sententia fortis in Vitoudum 295 b. & seq. mors & laudes 353. b
Sbignei Olesnicij Gnesnensis archiepiscopi obitus 438. b
Sbigneus VVladislai I. filius nothus 63 b. monachus factus dux exulum Polonorum fit 67 a. cũ ijs VVratislauiam occupat ibi. b. cum patre prælium init 68 a. Crusuiciam fugit ibidem. captus

tus in patris poteſtatem venit ibid in gratiam receptus, & Boleſlao fratri exæquatus ibid. b. in Secechum cum fratre conſpirat 69 a. veniam cum eodem à patre petit 69 b. fratri Boleſlao III. iam principi facto exitium molitur 71 b. per quem cum eodem in gratiam redijt 73 b. rurſum offendit 74 a. per quos iterum eidem reconciliatus ibid. b exilio multatus in Boemiam abit 76 a.b. à Polonis inter Pomeranos captus ibid. a. fratris clementiam implorat 74 b. eius cum fratre diſſidium 68 b. doli aduerſus fœdus cum fratre initum ibid. & 74 a. faſtus ab exilio redeuntis 83 b. perfidia in fratrem 76 a. pollicitationes ad Hēricum V. imperatorem contra Polonos 76 b. de theſauro cum fratre contentio 71 a. cædes & mors 83.b
Sbinco archiepiſcopus 264.a
Sbislaua Suentopolci Kiouienſium principis filia Boleslao III. nubit 71 b. quando mortua 73 b.
Scala oppidum 136 a
Scala Præginenſis arx 138 a. per quē Conrado Maſouiorum duci dedita 146.b
Scalenſe monaſterium quo tranſlatum 163.b
Scampe oppidum 378.a
Scania Polonis conceſſa 18.a
Scarbicus Comes, legatus Boleſlai III. ad Imperatorem 78 a. quomodo Cæſaris iactantiam notauit ibid.b
Scarbimirus Cracouienſis palatinus Magiſter militiæ ſub Boleslao III. 81.b. contra Pomeranos miſſus feliciter pugnat 72 b. oculo priuatus ibid. quo ingenio fuit 84 a. propter arrogantiam excœcatus ibid.
Scarbimiriēſe templum munitum 138 b. eius præpoſitura 211 b.
Scardona Dalmatarum vrbs 4.a
Scauina à Cazimiro II. munita 220.b
Scenauia Ioanni Alberto conceſſa 436.b
Scepuſium 482 b. Polonorum regi oppignoratū 281 a. Sbigneo epiſcopo commendatum 323 a. eius territorium 75 a. Auſtriaci vaſtant 604.b
Schiſma in Eccleſia 232 b. 258 b. 336 b. 548 a. 662.a
Scholæ ſacerdotū ſeminaria 377.a
Sciborius Baſenus 395.b
Sciborius Chelmius 360 a. præfect⁹ Marieburgenſis 362 a
Sciborius Gozacicius Plocenſis epiſcopus 380.b
Sciborius Polonus Danubium armatus tranat 255 b. eius erga Sigiſmundum Vngariæ regem fides 259 a.b
Sciborius Touaciouius Morauus Boemorum dux 392.b
Sciecus Ruſſorum Auſtraliū princeps 28 a
Sciricienſe monaſterium quando conditum 142.b
Sciricienſis nobilitas in præſidio contra Vngaros relicta 265.a.b
Scitniza Bulgariæ fluuius 358.a
Sclaui qui apud Italos 13.b
Scordiſci Dalmatiæ populi 4.a
Scordiſci Gallorum populi 19.b
ſcrinnenſis comitatus Petro Danino donatus 86.b
ſcripinius per ebrietatem Zlotoriam amittit 226.a
ſcrobotouum pagus 165.b
ſcubelæ Boemi victoria de Crucigeris 355.a
ſculteti immunes à raſtrali penſione 298.a
ſcuta duo ad Bialogradenſes cur à Boleſlao III. miſſa 73.b
ſcythę verſus meridiem profecti 16 a. Scythæ mulieres in bello viris ſe iungunt 588 b. Scytharum appellatio 7. b. Scythica impietas ab Vngaris reſumpta 53.a
ſcythnum Pruſſiæ oppidum 272 a. Ziemouito donatum ibid.
ſdenco Sternbergius Pragēſis Burgrabius 396.b
ſecechouia arx à quo munita 220 b. eius templum 40 b. territorium à Barbaris deuaſtatum 150.b
ſecechus Cracouienſis palatin⁹ 40 b. 64. b. contra Boemos in Morauiam miſſus 66 a. in Ruſſiam exulatum abit 70 a. quàm acerbam in Sbigneum dixit ſententiam 76 a. eius inuidia, opes, ingenium 69 a. nomen Polonis & VVratislauienſibus exoſum 67 a. potentia, acerbitas, & occaſio rerum nouandarum 66 b. apud Vvladiſlaū I. gratia 69 b. & ſ.
ſedetkeri Tauricanus Cæſar fit 586 b. 593 a. pacem petit, & impetrat à Polonis 586.b
ſegedinum 329.b
ſegeſta Dalmatarum vrbs 4.a
ſeguta dapifer 135.a
ſelandia quando ad Auſtriacam familiam peruenerit 411.b
ſelimus Pazaitis Turcarum Imperatoris filius 547 a. Anagoram recuperat 567 b. Antiochiam expugnat ibid. Alepum capit ibid. Damaſcum ibid. Caphatam vrbem 547 a. Mendligeri Præcopenſium Tartarorum Cæſaris filiam vxorem ducit ibid victus à patre ibid. b. Hieroſolymam, & terram ſanctam ſibi ſubijcit 568 a. Sepulchrum Chriſti inuiſit ibid. Chriſtianis id adeundi facultatem dat ibi. ſepulchrum D. Catherinæ adit ibid. Alcairū ingreditur ibid. b. eius bellum cum Achmate fratre 547 b. 551 a. cū patre 547 a. cum Perſis 568 b. cum Sultano Aegypti 567 a. liberalitas in monachos Sepulchri dominici 568 a. in monachos Sinai montis ibid. mors 579 a. potentia 568 b. prælium cum Sultano Aegypti 567 b. 568 a.b. de eodem victoria 567.b
ſemeſtris infantis vaticinium 168.a
ſenatus conſultū 240 b. conſultatio de regno Vitoudi 295 b. & ſ. electio quādo in Palatinū translata 192 a. regij factū inſigne 293 a b. in Senatu proditio exorta 297.a
ſenco dux occiſus 303.a
ſendiuoius eques 140.b
ſendiuoius Gneſnenſis Canonicus 352.b
ſendiuoius Ioannis Poſnanienſis Palatini filius Caliſſienſis arcis præfectus 174.b
ſendiuoius Oſtrorogus 275 a
ſendiuoius Sleſſinius 222.a
ſendiuoius Subinius 224 a. 226 a. 236 b. 240 a. eius celeritas ibid.
ſendiuoius Virius Pomeraniam infeſtat 230.a
ſendiuoius Zidouius 407.b
ſendomiria à Boleſlao occupata 70 a. 138 a. à Cazimiro munita 220 b. à Tartaris expugnata 142 b. incenſa 160 b. eius ager à Lituanis vaſtatus 212 b. à Ruſſis 185 a. arx munita 220 b. à Tartaris incēſa 160 b. fertilitas 219 b. monaſteriū 130 a. nobilitas q̄d cōtra Romanum ducem egerit 125 b. Conrado Maſouiæ quando ſe dederit 150 b. præfecturæ priuilegiū 426 a. 511 a. præfectus qua fraude à Tartaris cum ſua nobilitate occiſus 160 b. ſatrapiæ officiales 509 a. tractus vaſtatus à Tattaris 142 b. 177.a
ſendomirienſium à Leſco Nigro defectio 172 b. ſtrages a Tartaris facta 160.b
ſenio aliquid condonādum 474.a
ſenſuum vigor in pecudibus 468.b
ſepinenſis tractus quo pacto regi & regno Polonico reſtitutus 317.b
ſepnicum vicus 443.b
ſepnum palus 152.a
à ſeptentrione ad meridiē populos plerunque migraſſe 16.a
ſeptentrionales prouinciæ Romanis a Slauis ereptæ 1.a
ſerbia quibus Leſci III. filijs ceſſit 24 a. quando à Turcis afflicta 320 b.
ſcerbi Sarmatiæ populi 8 b. Slaui ſunt 1 b. 9 b. quando & à quibus Chriſtianiſmum acceperunt 31 a. à Turcis profligati 228 a. à quo ad officium redacti 233 b. eorū ſedes 1 b. 9. b
ſerethus fluuius 293 b. ad eum Polonorum clades 466.b
ſerpentes à Lituanis culti 245 a. à Pruſſis 42.b
ſeruitutis incommoda 89.b
ſeueri Pragenſis epiſcopi ad diripienda templa impium conſilium 49.a
ſeueria oppidum 179 a. à duce Toſcenſi infeſtatum 340 a. eius ditio a Michaele occupata, & a Cazimiro III. recuperata 338 b. dominatum quanti & à quo emerit Sbigneus Cardinalis 329. a
ſeuerienſium deditio 447 b. ad Moſcos defectio 436.a
ſeuerinum oppidum 224 a
ſeueritas 477.b
ſeuoloſſum à Polonis receptum 228.b
Sfortiarum familiæ laus 707.b
ſgorelecia quibus Leſci III. filijs obtigit 24 b. Brandeburgenſis marchia dicitur ibid.
Shadecum à Crucigeris incenſum 200.a
ſibiri populi 455.b
ſiciliæ à Gallo ad Hiſpanum defectio 172.a
ſiculę veſperæ ibid.
ſiculum regnum Gallis addictum 161.a
Sidlouia oppidum 143.b

Sifridus Crucigerorum magiſter 291 a. eius improbitas 190 a. interitus ibid b

Sigericus 6.b

Sigiſmundus Auguſtus Sigiſmundi I. filius animorum perſcrutator 717 a. inter Daniæ & Sueciæ reges pacē facit 714 b. Geometer eſt 717 a. indefeſſus etiā ſuo incommodo 718 b. latinæ linguæ peritus 716 b. quas linguas nouit ibid. Lituaniæ Magnus Dux creatus 604 b. 709 a. Lituanos cum Polonis vniuit 712 a Liuoniam tuendam ſuſcipit 703 a. eam quando ſubegit 710 b. Moſcouiam à Turcis quomodo defendit 715 a. b. Muſicus eſt 716 b. naturæ tempeſtatumque obſeruator 717 a. quando & vbi natus 708 a. Poloniæ rex factus 604 b. quæ Polonis pro teſtamēto reliquit 719 a puer decem annorum coronatus 467 b in Pruſſiam ex Lituania profectus quo honore exceptus 709 b. Pruſſiā ducalem pacauit 712 b. Pruſſos cum Polonis vniuit ibid. quam religionem coluit 718 b. & ſeq. bonæ Spei nutritor 716 a vidua rū & pupillorū protector 718. a

Sigiſmundi Auguſti belli fortuna 713 b & ſeq. comitas 716 a. conniuentia ibid. coronatio 708 b. corporis lineamenta 718 b. cunctatio 717 b. educatio indulgentior 708 a. epitaphium 720 b. facundia 716 a. frugalitas 717 a. humanitas 716 a. indoles 708 b. laus 701 b. & ſeq. 705 a. liberalitas 717 a. modeſtia 716 a. mores 715 b. mors 719 a. ob mortem Polonorum luctus 701 a. parentes 707 a. patientia 717 b. pietas 708 b. præceptores ibi. b. pudicitia 718 b. religio ibid. in Rempublicam beneficia 710 b. & ſeq. ſorores 719 a. ſtudia 708 b. teſtamentum 719 a. in transfugas beneuolentia 715 b. victoriæ 713 b. & ſeq. virtutes 715 b. vitiū 710 a. vxor I. 708 b. II 709 a. III. ibid. b

Sigiſmundum Auguſtum quanti Albertus Marchio Brandeburgenſis Pruſſiæ dux fecerit 709 b. quanti Turcarū Imperator 715. a. quāti ſummi monarchæ 714. a

Sub Sigiſmundo Auguſto pax domeſtica 710 b. quæ pericula foris imminebant 702 a. & ſeq. qualis Reip. ſtatus 702 a. 705 a. b. viri docti & excellentes 715. b

Sigiſmundus Caroli imperatoris filius 225 a. 232 a. Boemorum rex quando appellari cœpit 317 a. Brandeburgēſis marchio 225. a. 232 b. Cæſar quando creatus 264 b. Cracouiam ex Vngaria quando & cur venit 256 a. Cracouia à quo excluſus 234 a. Crucigeris cur fauerit 264 b & ſeq. in Galliam cur & quando profectus 284 b. Imperator quando & quomodo factus 308 b. Ludouici regis Poloniæ ſucceſſor deſignatus 232 b. in Poloniam exercitum cur duci iuſſit 277 a. in Poloniam venit 232 b. 253 a. Polonis quomodo bellum indixit 267 b. inter Polonos & Crucigeros arbitriū quomodo ſibi ſumpſit 280 a. à Polonis cur contemptus 233 b. ſocrui etiam ingratus 234 b. vaſtat Cuiauiam 239 b. victus à Turcis vix fuga elapſus 255 a. ad Viſlicienſia comitia cū quibus venit 234 a. Vngaria cur exceſſit ibid. b Vngarorum regnum quando adeptus ibid. ab Vngaris ſuis captus 258 a. VVladislai III. tutelam expetiuit 311 b. eius bellum cum Turcis 286 a. 295 a. cum Venetis 279 b. in pacanda Boemia ſtudium 317 a. calliditas 280 a. 285 a. conatus 289 b. & ſeq. congreſſus cum rege Poloniæ 286 a. 291 b. 295 b. copiæ vbi a Polonis profligatæ 277 b. decretum ex compromiſſo 286 b. doli & artes 265 a. fuga 286 b. iracundia præceps 287 a. maleuolentia 294 b. & ſeq. mors 318 b. offenſæ apud Polonos 234 a. pacta cum Vitoudo 295 b. cum VVladiſlao Iagellone 279 b. 280 a. ei Maria Ludouici Poloniæ regis filia deſponſata 225 a

Sigiſmundus Coributus Keiſtuti filius 242 b. 263. b

Sigiſmūdus Danorū rex 217 b & ſe.

Sigiſmundus Herberſtenius Maximiliani Cæſaris legatus ad Moſcum 567. a

Sigiſmundus I. Poloniæ rex 78 b. abſtemius eſt 471 b. æger Leopoli decumbit 540 b. Barbaram Scepuſienſis Comitis filiam vxorē ducit 548 b. Bonæ Sfortiæ vxori cur plurimum indulſit 467 b. Cazimiri III. filius 395 a. quomodo coronatus 533 b. & ſeq. Cracouię quomodo exceptus ibid. Cracouiam redit 542 a. 548 b. 563 a. 570 b. cunctator eſt 470 b. Gdanum profectus 593 b. de Gdanenſibus Lutheranis ſupplicium ſumit, & catholicam religionem reſtaurat 595 b. & ſeq. Glogouiæ & Opauiæ dux 445 b. Lituaniæ dux declaratus 533 a. in Lituaniam profectus 535 a. 553 b. 563 b. in Moſcouiticum bellū incumbit 552 a 553 b. Moſcis quomodo pacē obtulit 538 a. pacē cū ijs facit 538 b. quando natus 395 a. 578 b. pacis tempore quæ egit 466 b. pacem inter Vngaros & Turcas ſuadet 469 a. 589 b. Petricouię comitia celebrat, & quæ in ijs egit 540 a. Petricouiam Vilna ſe confert 539 b. pileum & ſacratum enſem à Papa accipit 593 b. Poloniæ rex electus 533 a. Poſonium profectus 559 a. regna quæ oblata, & cur repudiauit 469 a. ex Sileſia latrocinia ſuſtulit 445 b. Sueciæ regnum oblatum recuſat 585 b. Tartaris cur ſtipendium negat 550 a. Tauricanos Tartaros contra Moſcum ſubornat 535 a. tormento petitur, ſed fruſtra 586 a. Torunium profectus 574 b. Turcis cur tantum inducias annuas concedit 545 b. cum ijs inducias ad ſuam & filij mortem vſque facit 610 b. ad Valachiæ bellum ſe præparat 540 a. Valachos cum exercitu inſequitur ibi. b. vellus aureum à Carolo V. accipit 593 b. Vilnā ingreditur 538 b. in Vngariam ad VVladislaum fratrē profectus 444 b. Sigiſmundi I. adoleſcentia 462 b. ærarium nō inane 474 b. ętas 477 a. amicitia cum maximis regibus & Pontificibus Romanis 463 b. cum Carolo V. Imperatore ibid. a. cum Ferdinando Cęſare ibid. b. cum Maximiliano Imp. ibid. a cum Solimanno Turcarum Imp. ib. b. Animus conſtans 470 b. 561 a. bella 464 a. bellum cum Alberto Pruſſiacæ militiæ magiſtro 574 b. & ſeq. beneficentia 474 b. apud Boemos fauor & gratia 462 b. clementia in Crucigeros, & victos Germanos milites 473 a. b. in Gdanenſes ibid. cū clariſſimis principibus comparatio 404 a. congreſſus cum Maximiliano Imp. 463 a. 561 a. b. cum fratre VVladislao Vngarorum & Boemorum rege 559 a. 561 a. b. coniugia 467 a. b. conſilia quieta 326 a. conſilium extremum Polonis datum 477 b. conſultatio de bello Turcico 544 b. corporis bona ingētia 468 a. diligentia circa fratrem Ioānem Albertum Poloniæ regem 443 b. Eccleſiaſticorum inſtitutorum obſeruātia 475 a. edacitas 471 b. educatio 462 a. b. 471 a. epitaphia 479 a. exercitus cōtra Moſcos eductus quàm magnus 536 b. expeditio contra Moſcos 536 a. b. 553 b. contra Tartaros Ruſſiam populantes 549 a. felicitas 468 a. fides & ſinceritas in promiſſis & fœderibus 472 b. in fide & religione catholica cōſtantia 467 a. fiducia 471 a. fœdus cum Selymo Turcarū Imp. 551 a. fortitudo 470 b. in funere oratio Martini Cromeri 460 a. & ſeq. in honoribus & magiſtratibus diſtribuendis iudiciū 470 a. b. indoles 438 a. in iure, legibus & ſententijs dicendis dexteritas & æquitas 326 a. 474 a. iniuriarum obliuio 471 a. labor 472 a. laus à virtutibus & bonis animi 468 b. & ſeq. lenitas 472 b. liberalitas 561 b. liberi ex vtraq; vxore 467 b. libidines moderatæ 471 b. linguarum peritia 462 a. b. literarum ſacrarū pius vſus ibi. modeſtia 471 b. nobilitas 468 a. opes & theſauri 467 a. 561 b. oratio ad Polonos 477 a ad Sigiſmundum Auguſtum filium ibid. b pacis ſtudia 466 b. & ſeq. pietas 475 a. prælium cum Tartaris 549 a. apud Polonos gratia 463 a. pudicitia 471 b. 472 a. religio 475 a. reſponſum oratoribus Papæ datum 542 b. ſedulitas in templis 475 b. ſenium 473 b. & ſeq. Sigiſmundi Auguſti filij pathetica commendatio 477 a. ſobrietas 471 b. temperantia ibid. a. tolerantia ibid. verecundia ibid. b. victoriæ 464 a. victoria de Moſcis 466 a. de Tartaris apud Viſnouecium 549 b. apud Vngaros gratia 462 b. virtutes 460 b. 477 a b. in ſpeculum principibus propoſitæ ibid. vxores 467. a. b

Sigiſmundum I. Barbari reueriti 463. b

463b. inter eum & Maximilianum Imp. odij & simultatum caussæ 558 a.b.arces ab eo instauratæ 466 b. eo regnante quas clades Poloni acceperunt ibid.
Sigismundi Rosnij casus 816 a.crura ei resecata ibid.
Sigismundus Rothus Silesius Cæsaris legatus ad Vitoudum, captus 298 b.eius interitus 316.b
Sigismundus Vitoudi frater, Dux Lituanis à quo præfectus 307 a. ijs inuisus 311 b.ab ijs interfectus 323 a.637.a
Signa militaria Crucigerorum in basilica Cracouiensi appensa 279. a
Silesia à latrocinijs purgata 472 b. in Polonorum ditione est 38 a. 52 b.482 b.vastata à Boemis 48 b.89 a.b.94 a.à Polonis 326 a.à Præmislao Poloniç maioris duce 156 a.b.à Tartaris 143 a.VVladislao II.exuli attribuitur 102.b
Silesiæ à Boemis interuersæ caussæ 193 b.diuisio inter fratres 194 a. inter filios Henrici Pij 151 b. inter filios VVladislai II. 103 b. dominatus aliquot Ioanni Alberto concessi à fratre 436 b.duces 118 a.ducum origo 103 b. eius fines & nomen vnde ibid.
In Silesiã excursio Boleslai III. 74 a.expeditio Boleslai Pudici 167 b.Cazimiri III. 415.b
Silesij Slauorum populi 1. b. in Mathiam Vngariç regem propensi 415 b.quando Poloniam latrocinijs vexare cœperunt 319 a.343 b.&seq.in Polonos male animati 392 b.Posnania à Polonis eiecti 191 a. à Tartaris fugati 145.a
Silesiorum auxilia contra Polonos 270 a.duces cur se subdiderint Boemo regi 195 b.in Boleslaum Crispum concitantur 105 b.ducum affinitas cum Masouijs 136 b.bella intestina 152 b.168 b. & seq.193 b per Cazimirum principem sublata 112 b. pacta cum VVladislao III.& Cazimiro 319 b.pax cum maioribus Polonis 152 a.cum ijs induciæ Iagellonis 250 a.militum acerbitas 191 a.offensæ mutuæ cum Polonis quomodo cõpositæ 333 a.in Poloniam crebræ excursiones 321 a.prouocationes 518 a.de Polonis victoria 119.b
Simon Agriensis episcopus 326.b
Simon Kiouiensium dux 357.b
Simon Lipniciensis 431.b
Simonis Plocensis episcopi pietas, & precatio pro Polonis pugnantibus 81.a
Simon Rosgonius Agriensis episcopus 639 a.Eperiessi oppidum intercepit ibid.ad Budam occupandam missus ibid.b.eius auctoritas apud VVladislaum Poloniæ & Vngariæ regem 647 b. ei nouum regni Vngariæ sigillum commissum ibid.
Simulachrorum demersio 33. a
Simultatum sedator quis 473. b
Senapolis à Persis capta 409.b
Sineus Russorum Septentrionalium princeps 27. b
Sipelbeinũ à Crucigeris obsessum 368 b.cui donauerit rex in Prussia 272.a
Siradia à Boleslao VVladislai I. filio occupata 70 a.à Cazimiro vexata 151 a.à quo & cui prærepta 159 a.exusta 180 b.200 a.336 b.eius arx munita 220 b. Satrapia 482 b.Satrapiç officiales 509 a. tractus vastatus 180 b.200.a
Siradienses fusi, & præda exuti à Masouijs 178.a
Sirmium à Turcis vastatur 597.a
Sitnum incensum 752.a
Sixtus IV. Papa 408.a
Skirgello Kiouiæ dux 252 a. eius mors ibid.
Skirgello Olgerdi filius 242 b. Lituaniæ præfectus ibid.
Slauecus Hũbouius proditor 354.a
Slaui 4 b.vnde prodierunt 8 a. vnde dicti 13 a.b.quæ loca antiquitus tenuerunt 2 a.b.quo tẽpore eas, quas nunc tenent, sedes occuparunt 15 a.Benedictini sectæ monachi Praga Cracouiam acciti 253 a.Christiani quando facti 4 a.vnde in Dalmatiam & Illyricum progressi 4 b.15 a. Dalmatiam & Illyricũ sub Phoca Imperatore quomodo subegerunt 5 a. quam Germaniæ partem olim inuaserunt 10 a. idololatriã diutius retinuerunt 30 b. à literis alieni 3 b.quando eas acceperunt 4 a.citra Panim fluuiũ habitauerunt 46 b. in Pannonia regnauerunt 15 b. Romanis quas regiones eripuerunt 1 a in Vandaliã vnde aduenerint 11 a. Vandali existimati 2 b.11 a. Vandalis successerũt 12 a.Vendi & Vindæ appellati 2 b.11.a
Slauorum auxilia contra Polonos cõsanguineos 270 a. deditio in Saxonia 41 a.dij falsi 30 b.ingeniũ 4 a. lingua ab alijs omnibus diuersa 7 a.cius vsus in Germania 25 a.in sacris 31 a.apud Valachos 216 a.nomen quamdiu ignotum fuerit 1 a. nomina varia 480 a.origo à Iapeto Noe filio repetita 2. b. Russis accepta referenda 11. b.de origine tres opiniones 2 a. b.populi 1 a.b.quousq; se extendant ibid.regnum à quibus conditum 2 b. religiones 30 b.reliquię apud Saxones 11 b.sedes 12 b
Slauis Lescus III.auxilio venit 23 b. bellum à Ziemouito Piasti filio illatum 28. b
Slauos non esse Dalmatas aut Illyricos 4 a.non esse Germanos 7 a.Sarmatas esse 8 a.Sclauos perperam dici 13 b.non à Tuiscone ortos esse 7 a.non esse Vandalos 5.b
Slauini vnde dicti 13 a. quãdo Istrũ transgressi 4 b.Spori vnde à Græcis dicti 6 b. Vinidæ appellati 10.a
Slauinorum in Illyricos crudelis expeditio 4 b. situs 8 a. vita 6.a.b
Slauonia 4 b.à Slauis, non contradicta 13 a.à Turcis infestata 404 a.in VVladislai III. potestatem sine armis redacta 325 a
Slauonica Marchia à Turcis vexata 410. b
Slauucouia à quibus incensa 356.a
Slezaci Polonis quid 103.b
Slochouia qua fraude intercepta 391 a. à Polonis recuperata ibi. b. eius periculum 378.a
Slonenses Prussiæ populi Maslao dant exercitum 51.b
Slupcia quando à Crucigeris incensa 199.b
Slupia oppidum 265. b
Slupum villa 43.a
Smalcaldense fœdus 469. b
Smiderouia quando à Turcis obsessa 320.b
Smigrodum oppidum ab Vngaris captum 413.a
Smogorouiensis basilica 32 b. ecclesia à quo constituta 38 a. episcopa Vvratislauiam translata 52. b
Smolenscum arx 770 a.à Moscis obsessa 550 b.552 b.& seq. oppugnata 450 b acriter à Polonis defensa 553 a.quomodo in Moscorum potestatẽ venit 466 a.553 a. an à Stephano rege oppugnanda consultatur 770 a. b. eius ager à Moscis vastatus 447 a.duces Vitoudo subditi quomodo facti 252 a.obsidio soluta 553 a. potiũdæ occasio à Polonis neglecta 555 b. principatus inter quos diuisus 64 b.ei subsidium missum ad eam penetrare non potest 550 b.552.b
Smolenscij quando à Vitoudo subacti 259 b.item à Lituanis & Polonis 246.a
Smolensciorum plebs à Cazimiro Lituaniæ duce cohibetur 325 b. virtus 269.a
Sniatinum arx 233.a
Sobeslaus Boemorum princeps 92 b.captus & elapsus 82 a.qua occasione Princeps factus 87 b crudelis in suos ibid.fœderis immemor Polonorum fines inuadit 94 a. febri Pragis extinguitur ibid.
Sobeslaus Lesci III.filius 23.b
Sobeslaus Sobeslai filius dux Boemis ab Imperatore datus 107 a. gener Miecislai Senis 110 a.à quo principatu eiectus ibid.
Sobota arx 181 b
Sochaciouia arx à quibus incensa 177 a.in potestatem Polonorum regis quomodo venit 421 a. à Ziemouito Masouio quando occupata 222.a
Sochaciouia oppidum 181. b
Sociauia Moldauiæ metropolis frustra obsessa & oppugnata à Polonis 441.b
Socolnici oppidum 211 b
Sokola arx 759 b. copijs Moscorum firmata ibid. Milecius ad eam obsidẽdam missus ibid. ad eam venit 760 b globis candentibus incensa 761 a. præsidium ex ea fugit ib. vi capta ibid. 841 a.in ea cædes ibid. præda in ea inuenta ibid. b
Sol Prussorum deus 42 b
Sola fluuius 372.a
Solecense templum à quo conditũ 220.b
Solecensis arx munita ibi.
Solecia sylua 159.b
Soles quinq; in Polonia visi 592.b

Solimannus Turcarum fit Imperator 579 b. Nanderalbam capit 584 a. eius in Vngariam expeditio 583.b
Solomon Andreæ Vngarorum regis filius 54 b. à patre in Germaniam miſſus 56 a. ab Henrico III. Imperatore in Vngariam reductus 58 a. propter Belæ filios in tutum ſe recipit ibid. b in Vngaria regnat ibid.
Soltani Tartaris quid 456.a
Sophia Cazimiri III. filia Friderico Brandeburgenſi Marchioni deſponſata 428. b & ſeq. ei nupta 46_.a
ſophia Erici Stecinenſium ducis vxor, quomodo maritum cum rege Cazimiro III. reconciliauit 369.b
ſophia Henrici III. Imperatoris ſoror, vidua nubit VVladiſlao I. 64.a
ſophia Sigiſmundi Auguſti ſoror 833.a cui nupta ibid. de eius hæreditate controuerſia ibid. & ſeq.
ſophia Iagellonis vxor qua celebritate, & quando coronata 292 a. in eius pudicitiam inquiſitio 294 a. de eius adulterio rei ibid. purgatio ibid. b. morbus, mors, mores, & munificentia in cultum diuinum 370.a
ſophia vrbs capta 328 a. 666. b. incenſa ibid.
ſophi Perſarum maiorisque Armeniæ rex 534 a. eius victoriæ de Sultano AEgypti & Bayſeto Turcarum Imperatore ibid.
ſorabi populi 9.b. ijdem cum Slauis 24.b
ſorſtenenſis arx munita 220.b
ſpectra 65.a.b. 169 b. 485.a
ſpicigneuus Leſci III. filius 32.a
ſpicimirum arx à Cazimiro Conradi filio vexata 151.a
ſpicimirus Leſci III. filius 23.b
ſpicimirus vicus a Pomeranis direptus 74.b
ſpiritus Sancti prodochium Cracouiæ à quo conditum 130.a
ſpitco Iordanus contra Moſcos ad Nouogardiam miſſus 815 a. quæ egerit ibid.
ſpitco Melſtinius Cracouienſis palatinus 236 b. 238.a eius mors præclara 256.b
ſpitco Melſtinius factioſus 314 a. Corcinenſia comitia quo dolo turbauit 321 a. Sbigneo epiſcopo cur infenſus 321 b. Vſſeuenſe caſtellum ipſi eripit 318 a b. perduellionis damnatus & interfectus 321.a
ſpitigneuus Boriuoij filius 32.a
ſpitigneuus Prædiſlai Boemiæ ducis filius 55 a. eius dominatum adepti acerbitas ibid.
ſponſio turpis 412.b
ſprotauia Ioanni Alberto conceſſa 436.b
ſremum arx incenſa à quo refecta 137 b. a quo & quomodo recepta 140.b
ſrenauiorum familia 61.b
ſreda quando à Crucigeris exuſta 199 b.
ſrodienſe monaſterium translatum 158.b
ſtaniſlaus Borgius 463.a
ſtaniſlaus Carncouius Gneſnenſis archiepiſcopus 434.a
ſtaniſlaus Charbinouius Sulimæus 275.a
ſtaniſlaus Ciarnkouius 833. a. Plocenſis præfectus ibid. b. in iudicium à Stephano rege vocatus 833 b. legatus ad Maximilianum Imperatorem ibid. in gratiam à Stephano receptus ibid. ab archiepiſcopo Gneſnenſi in ius vocatus 834.a
D. ſtanislaus Cracouienſis epiſcopus Sciepanouius familia 60 b. Boleslaum II. obiurgat ibid. ipſi odioſus ibid. ipſum diris deuouet 61 a. ab eo trucidatur ibid. a b. cur in ius vocatus ibid. mortuum reſuſcitat & cur 61. a. quādo inter Diuos relatus 154. b. eius corpus diſſectum ac diſiectū coaluit 61. b. ab aquilis defenſum ibid. miracula 155. a. templum Cracouiæ, eiuſque ornamenta 550 a. b. ei quis dies Maij dicatus ibid. quanta celebritate peractus ibid. cum Polonis contra Crucigeros dimicantibus adfuiſſe 270.a
ſtanislaus Douoina Poloniæ palatinus in Moſcouiam captiuus abductus, à Sigiſmundo Auguſto redemptus 760 a. de eo Moſci iocus ibid.b
ſtanislaus & Franciſcus Craſinij fratres 141.b
ſtanislaus Hoſius Cardinalis Varmienſis epiſcopus 62.a. 134 b. 492 b. 712 b.
ſtanislaus Karnkouius VVladislauienſis epiſcopus 525. a. commiſſarius Gdanū miſſus 713. a. Gdanum pacat ibid. Henricum Valeſium regem ad defenſionem regni hortatur 700. a. b. & ſeq. Sigiſmundum Auguſtum reprehendit 717 b. eius epiſtola de Hērici regis electione 688. a. Panegyricus ad eundem 694. a. b & ſeq.
ſtanislaus Lanſcoronius 464.b
ſtanislaus Laſcus 463.a
ſtanislaus Maſouiæ dux 566. b. Germanos profligat 575. b vrbes aliquot ab ijs capit ibid. eius periculum 566.b
ſtanislaus Odrouanzus Ruſſiæ palatinus 27.b
ſtanislaus Poſnanienſis epiſcopus cur Abraamo Sbanſcio ceſſit 321 b
ſtanislaus Solkeuius 818 a. eius ad Pleſcouiam periculum ibid.
ſtanislaus Tarnouius verſus Oſtrouiam cum copijs miſſus 798 a.b
ſtanislaus Turko Olomucenſis epiſcopus 563a. eius hoſpitalitas erga Sigiſmundum I. ibid.
ſtanislai Vantropcæ religio 368.a
ſtanislaus VVlodimiri filius Smolenſci dux 39.a
ſtargarta Crucigeris quomodo proditum 370.a
ſtarigradum Holſatiæ vrbs 24.a 103.b
ſtarigradum Pomeraniæ à Polonis obſeſſum 387.a ijs deditum 391 b. à Crucigeris redemptum 4_7.a
ſtarodubum euerſum 465.b
ſtationes abbatum & præpoſitorū monaſteriorum in Polonia 504. a. oneroſæ ſub Cazimiro III. 364.b
ſtauiſſinum à Cazimiro II. munitum 220 b. à Lituanis incenſum 187.a
ſtauū à Crucigeris incenſum 200.a
ſtephanus Agrienſis epiſcopus 234. a
ſtephanus Battor I. Poloniæ rex 840 a. Catharinam Ferdinandi Romanorum regis filiam Mantuā ad maritum deducit 838 a b. Cracouiam reuertitur 745. b. 841 a. enſe ſacrato à ſummo pontifice donatus 770 a. exercitum vndique conſcribi curat 747 a 792. a. 841. a recenſet 750. a. 770. b & ſeq. 798. a. ad Ferdinandi regis aulam ſe confert 838 a. cum eodem ad Auguſtana comitia venit ibid. b. Gdanenſium motus ſedat 735. a b. 736 b. 840 b. globorum candentium incendium inuenit 839. a. Grodnam profectus 767. a. 841 b. 789 a. in iram pronior 844 b. legatos qui cum Moſcis de pace agerent deſignat 812 a. Leopolim Varſauia profectus 744 b. 840 b. in Lituaniam venit 841 a qua lætitia exceptus ibid. ad Lukos ab Vſuiata venit 775 b & ſeq. Marianus miles vocatus 839 a. Moſcouiticum bellum cur ſuſcepit 736 b. Moſcis indicit 747. a eius cauſſæ ibid. in id incumbit 767. a. b & ſeq. Moſcorum ducem ad ſingulare certamen prouocat 797 b. cum Moſcis de pace agit 755 a. quando natus 838. a. Neuelam venit, ibique manet 783 b. quæ & quot oppida pace facta a Moſcis recepit 824 b. pecuniam mutuam ſumit 789 a. ad Pleſcouiā cum exercitu profectus 799 a. Poloniæ rex electus 840 a. Poloniam cum exercitu petit 749 b. ad eam venit 75_ b. de ea oppugnanda deliberat ibid. & ſeq. Rigam venit 824 b. ſalinas, vectigalia, & venationes auget 843 a. Suirum Vilna venit 748 a. cū Tartaris pacem facit 745 a. tormenta bellica fundi curat 747 b. Tranſyluaniæ princeps electus 840 a. tributum ſancit 738 a. bello gerendo non eſt par 745 b. Varadino præfectus 839 a. Varſauiam ad comitia venit 789 b. 842 a. comitia habet, quæque in ijs acta 737 b. 789. b & ſeq. 840. b & ſeq. 842. a in ijs Polonorum poſtulata 790. b Viennæ captus 839 b. Vilnam venit 762. a 812 b. 841 b. qua gratulatione exceptus 762 a ad Vſuiatam profectus 775. a. vulneratus 839.a
ſtephani Poloniæ regis cum Bekeſcio res geſtæ 840 a. conſtitutiones in comitijs Varſauienſibus 766. b & ſeq. conſultatio de bello Moſcouitico 748. a b. 770. a. edictum cur contra Moſcos bellum ſuſceperit 749 b. educatio & inſtitutio 838. a. exercitus contra Moſcos educti elegantia 750 a. ordo ad Vſuiatam proficiſcētis 775 a. expeditio prima

in Moscos 841. a. fides erga eos singularis 758 b. fortitudo 843. b. fortuna varia 839 a. fratres 838 a de iudicijs constitutio 738 a.b. iustitia 843 b laus 839 b. 844.a.b. 845.b. legationes quas ipse obiuit 839 b. quas ad vicinos principes misit 745 b liberalitas 843.b. literæ ad vicinos principes 735. a. ad Moscum ibi. & 761.b. mansuetudo 843.b. mors 845. a b. anteactæ vitæ dissimilis ibid. parentes 838 a. periculum ad Polotiam 757 a. pietas in Deum & res diuinas 843 a. erga Polonam temp. amor 843. b. ad Polonos hortationes 791 a. 842 a. pugna infelix contra Germanos & Vngaros ad Hadadum 839 a. purgatio de querelis Polonorum 766 a b. responsum Mosco inducias seruandas petenti datum 747 b. & seq. ad Mosci literas 796 b. & seq. sententiæ & egregia dicta 844 a. cum Sueciæ rege de bello Moscis inferendo conditiones 794 a. controuersia de arcibus Liuoniæ à Sueco occupatis 826 a. b & seq. temperantia 844 a. virtutes 843 a. vitia 844 b & seq. vxor 840.a

Stephano regi Carolus V. Imperator manum præbet 838 b. pacis conditiones à Moscis propositæ 792.b

Ad Stephanum regem mortuum Christophori Verseuicij apostrophe 846 a.b

De Stephano rege familiaris cuiusdam vaticinium 839 a. Polonorum querelæ 763 b. & seq. 830 a. b. & seq. Turcarum legati iudicium 803.a

Stephani Bosnensium regis miser interitus 379.b

Stephanus Colomanni regis filius quam vxorem duxit 75.a

Stephanus Cracouiensis palatinus 109 a

Stephanus Despotes Rasciæ & Albaniæ quàm miserè à Turcis pulsus 327.b

stephanus Gnesnensis Archiepiscopus 49.a

stephanus Miecislai Senis filius 102.b

stephanus Slauoniæ & Dalmatiæ dux 211.b

stephanus Stephani Valachorum Voieuodę filius ad Cazimirum II. fugit 216.b

stephanus Valachorum Voieuoda 216 a.b. eius liberi ibi. mors ibid. post mortem q̃ acciderint 216.a.b

stephanus Valachorum Voieuoda in Polonorum regis verba iurat 317 b. 376 b. 402 a. 420 a. 433 b. contra Polonos ab Vngaris incitatus 441 a. eius animi moderatio in victoria 418 b. & seq conatus 441 b. crudelitas 403 b. 443 a. fides dubia 376 b. legatio ad VVladislaum III. Polon. regem 317 b. mors 452 a. cum Polonis & Lituanis fœdus 403 a.b. cum Polonis pacta conuenta 311 a. res gestæ 452 a. contra Trãsalpinenses & Turcas 425 b. responsum ad legationem Ioannis Alberti 441 a. in Transyluaniam prosperæ excursiones 403 a. victoria de Mathia Vngarorum rege 399 a. de Transalpinis 423 b. de Turcis 418.b

stephanus Virbenius cum Andrea filio vbi & à quibus occisus 145.b

stephanus Vngariæ rex I. eius nominis princeps diadema à Papa impetrat 35 a. quando, & à quo Christianismo initiatus 33 b. moritur 48 a. in diuos relatus ibid.

stephanus Vngariæ rex II. Colomanni filius cur in Poloniã exercitum duxit 84 a. nuptijs VVladislai Polon. ducis cum Cristina Henrici Imp. filia interfuit 85 b. eius bellum cum Constantinopolitano Imperatore 87.b

stephanus Vngariæ rex III. Geisæ filius quo anno obijt 107.a

stephanus Vngariæ rex IV. Boemis bellum facit 166.b

stiborius Moscicius 238.a

stinauia à Polonis diruta 209 a

stinauiensis dux cur se Boemo subdiderit 195 b

stipendium equestre ingens apud Prussos 350 a. de stipendio nobilitati soluendo cautio 311.a

stolpensium ducum legatio ad Cazimirum III. 390.b

stopolcus Michael Izaslai filius Kiouiensium princeps apud Russos 71 b. Nouogrodensibus præfectus 59 b. etiam Polocensibus ibid. & 57.b

stopolcus VVlodimiri filius Turouiæ dux 39 a. eius fuga in Poloniam ibid. fugiẽtis in itinere interitus 43.a

stoslaus Cernechouiensium dux 54.b

stoslaus Iori filius Russorum dux 34.a

stoslaus VVlodimiri filius Dereuorum dux 39.a

stoslai & VVseuolodi Russorum ducum legatio ad Izaslaum fratrem. 57.a

stradomiæ cõflagratio 412 b. 539.b

stragis inter Polonos & Tartaros magnitudo 145.b

stratagema Alexandri Magni copijs in Polonia editum 21.a

stregomum Suidniciensi duci donatum 181.a

strelce arx quando condita 166 a. à quibus capta & incensa ibid.

strelinum Suidniciensium duci donatum 181.a

stremech sylua 143.a

stremeniorum familia 61.b

strigoniensis archiepiscopi à VVladislao III. defectio 324.b

stroinati parricidium, dominatus, & interitus 161 b. & seq.

stropcouia Vngaris reddita 411.a

stroza vectigal 44.b

strussi fratres interfecti 455 a

stuma Prussiæ arx & vrbs à Crucigeris recepta 272 a. 276 b. Cazimiro III. dedita 351 a. Polonis tradita 393.b

stumensium defectio 353.a

stuorzonagaci lacus 487.b

styli cæci 22.a

styria à Turcis vastata 413 a. 423.a

styrus fluuius 303.a

suanouum vrbs 24.a

suarno Russorum dux 161.b

suatana VVladislai Boemorũ principis mater 82.a

suatoboius Suatoplugi filius Morauorum rex monachus factus 28.b

suatoborus Pomeranorũ dux 230.a

suatohorense monasterium 801.a

suatopelcus Ottonis Morauorum ducis filius, Boemorũ princeps cum Henrico V. Imperatore cõtra Vngaros proficiscitur 75 b. Polonorum violentię cum Boemis obiectus 77 b. dolo interfectus ibid. eius expeditio in Polonos 73.a

suatopolcus Slauorum dux quando & à quibus Christianismum acceperit 31.a

suatoplugus Marothi filius 15.b

suatoplugus Slauorum rex 31 a. Morauorum ductor contra Germanos 28.b

subbassæ milites Turcici 413.a

subsidium ad bellum cur Ecclesiastici regi negarint 228.a

subuectio oppidis à Boleslao I. iuncta 44.b

succamerarij in Prussia Senat⁹ pars 401 a.

ad Suchodolum pagum prælium commissum 147.b

sudislaus Vulodimiri filius Plescouiæ dux 39.a

suebodinum Ioanni Alberto concessum 436.b

sueborouiorum latrocinia 360.a

suece arx vbi à Suentopelco condita 150 a. quàm grauiter à Crucigeris obsessa & oppugnata 190 a. ijs dedita ibid. b. ab ijs intercepta 367 a. à Polonis & Gdanensibus recepta 370.a

suece Prussiæ oppidum 272.a

suecensis palatinus Pomeraniæ præfecto parere iussus 110.b

sueciorum regnum à quibus conditum 2.b

suentochna Boleslai II. soror nubit VVratislao 55.b

suentochna Cazimiri I. filia 53.b

suentopelcus ex Gryphonum familia ortus Pomeranicis vrbibus à Boleslao III. præfectus 81 b. & seq.

suentopelcus Mesciugi filius Pomeraniæ à Lesco principe præficitur 110 b. 111 a. 129 a. à Prussis bello præfectus 148 b. eius ambitio 133 b. bellum contra Crucigeros Prussienses 148 b. defectio a Lesco principe 133 b. insidiæ in Lescum Album & Henricum Barbatum ibid.

suentopelcus Morauorum dux cũ Polonis confligit 71.b

suentopelcus Nacli præfectus Boleslao III. rebellis 84 b. ei se dedit, & iterum rebellat 85 a. ab eodem incarceratus perit ibid.b

suentopelcus Pomeraniæ citerioris dux Culmensem & Cuiauiã infestat 149 b. Naclum intercipit 157 a. quando se pro Pomeraniæ duce gessit 134 a. bis à Crucigeris victus 152 a. b. eius liberi 164 a. liberorum dissidium 165 b. obi

ctus 164 a. pax cum Crucigeris 152 b. cum Præmislo 158 a. præceptum de Crucigeris filijs datum 164 a. de ijs victoria 149.b
ſuentoslaua Boleſlao III. naſcitur 73.b
ſuentoslaus Iaroslai monarchæ filius 54.b
ſuentoslaus Meſcislai filius Ruſſorum dux à Polonis captus 128.a
ſuentoslaus coniurationis in Boleslaum Criſpum auctor 106.a
ſuentoslaus Rurici ex Olga filius Bulgaros & Græcos deuicit 741 a. in Bulgaria ſedem imperij ponit ibid.
ſueones populi 455.b
ſuesta Ruſſus quantum amatus à Cazimiro Iagellonis filio 335.a
ſuetoslai Smoleſciorum ducis in Lituaniam expeditio 246.a
ſueuus Germanorum rex 2.a
ſuiduua victus & fugatus à Virbenta Smoguletio 236.a
ſuidnicienſes ſoli in fide Polonorũ permanent 195 b. eorum duci cur bellum intulerint Boemi 210.b
ſuincæ fortitudo 416.a
ſuinigrodum munitio 252.a
ſuiradi monachi mors 35. a.b
ſuirchlenecia Ioanni Alberto conceſſa 436.b
ſuitenſium ſocietatis incrementa 221.b
ſuitrigello Olgerdi filius 242 b. quã ta inſolentia Lituanorum principatum arripuerit 300 b. è Pruſſia reuocatus 259 b. Moſcis contra Vitoudum adeſt 261 b. à regio exercitu quo duce fuſus & fugatus 308 b. cum Liuonienſibus Crucigeris à Polonis Lituaniſque victus 316 b. pacem petit 304 a. cum Sigiſmundo Lituanorum duce cur non potuerit in gratiam reduci 318 a. legatum regium violat 303 a. quando obijt 342 b. eius expeditio in Lituaniam 307 a. fœdus cum Crucigeris 303 a. fuga ibi. b. 307 a impotentia animi 300 b. ad Pruſſos tranſitio 251 a. reſponſum ferox ad legationem Polonorum 302 a. cum quomodo Crucigeris commendauerit Iagello rex 303 a. cum eo induciæ regis 304.b
ſulconis ad Boleslaum Pudicum fuga 147.a
ſulentia arx à quo, vbi & quãdo cõdita 164 b. à Boleslao Caliſſienſi expugnata ibid.
ſulcouienſe monaſterium à quo, vbi, & quibus monachis extructum 117.b
ſuliſlaus VVlodimiri Cracouienſis palatini frater 144 b. Sendomirienſis caſtellanus 128 a. à quibus cæſus 145.b
ſultanus AEgypti & Syriæ cũ Turcis bellum gerit 567 a. Anagorã capit ibid. eius mors ibid.b
ſultanus ex pacto Hieroſolyma Friderico Imperatori reddit 135.b
ſumbergius ſupplicio à Crucigeris affectus 271 b. eius pactum cum Cazimiro III. 382.b
ſumenum arx à Vuladislao III. expugnata 331.a
ſupplicij ſumendi mos apud Lituanos 267.b
ſuraſſum Stephanus Sbaraſius Vitepſcienſis palatinus munit 773.a
ſuſdali Ruſſorum populi 9.a
ſuſſa arx cur à Polonis non obſeſſa 759 b. Polonis dedita 762.b
ſuſurronum exitus 141.b
ſydlouia arx munita 220.b
ſynodi ſacerdotum 522 a. b. vbi fiãt in Polonia ibid.b
in Syriam quando Turcæ imperi protulerint 40.b
ſytzouia oppidum 156.a
ſyuardus Danorum rex à Viſſimiro victus 18 a. Viſſimiro rebellat ibid.b

T.

TAbernæ mercatorum in circo Cracouienſi cuius opus 220.b
Tamerlanes Tartarorum princeps maximus 256 b. eius mors ibi.
Tanais fluuius 8.b
Tannebricum pagus 268.a
Tarnouia in Culmenſi ditione 131 b. Tarnouiæ collegium ſacerdotum inſtitutum 259.a
Tarnouij comitis laus 465.a
Tartari fugiendo pugnant 145 a. in Lituania quando collocati 253 b. à Lituanis quomodo accepti 338 a. à Lituanis contra Polonos exciti 416 a. magica arte multũ vtuntur 145 a. quàm malicioſi 177 b. natandi periti 144 a. in Podolia 500 b. Polonię graues 702 a. 703 b. Ruſſos inuadunt, & ſuperant 741 a. b. in Sarmatia 128 b. Scythiæ populi 128 b. à Suitrigellone euocati ipſius ditionẽ inuadunt 311 b. in templis ſuis quid habeant 500 b. vaſtant Belſenſem tractum 340 a. Lituaniã 583 a. 599 a. Moſcouiam 704 a. Podoliam 213 a. 284 a. 320 a. 326 a.b. 3?9 a 337 b. & ſeq. 343 a.b 360 b. 446 b. 450 b. 578 a. 588 b. 613 a. Poloniam 143 a. 146 a. 160 a. b. 177 a.b. 209 a b. 446 b. Ruſsiam 213 a. 284 a. 326 a.b. 337 b. & ſeq. 343 a b. 360 b. 427 b. 434 a. 446 b. 450 b. Sendomiriam 181 b. Vngariam 176 b. victi à Lituanis 252 a. 457 a. 538 b. 599 a. in Podolia 434 b. 578 a. 588 b. à Polonis 162 b. à Ruſsis 345 a. à Sigiſmundo I. 464 a. à Stephano Valachiæ Palatino 311 a. 403 b. à Valachis 422 a. à Vitoudo pacem petunt 286 a. VVladislai Locticí vires quando debilitarunt 181.b
Tartarorum auguria 566 a. auxilia Polonis iuncta contra Crucigeros 282 b. bellum ciuile 343 b. 448 a. 543 a. 544 b. & ſeq. captiui quomodo elapſi 143 a. Chriſtianorum in Aſia res geſtæ 161 a. clades ad Horiuiam flumen 563 a. crudelitas 366 b. 564 b. equi natandi periti 144 a. excurſio in Lituaniam 256 b. 538 b. in Moldauiam 547 b. 571 b. in Morauiam 145 b. in Podoliam 562 b. 564 a.b. 566 a. 567 a. 572 b. in Poloniam 737 b. & ſeq. in Ruſsiam 256 b. 548 b. 564 a. b. in Volyniã 570 a. 571 b. 737 b. & ſeq. iuſiurandum 448 a. legati a Ruſsis trucidantur 128 b. libido 160 b. motus 794 b. origo 741 a. è Polonia præda abducta 177 b. cum Polonis prælium ad Legniciam 144 b. & ſeq. in eos ſtratagema 145 a. Polouucijs deuictis ſedes 128 b. potus lac equinum 430 b. principes quomodo adorentur 160 b. pugnandi mos 143 b. ex Ruſſia præda & captiuorum abductorum numerus 565 a. ſagittæ loricas, thoraces & galeas penetrant 145 a. vaſtationes 564 b. victoria de Lituanis & Polonis 256 b. de Moſcis 565 b. vires 702 a. 703 b. ab VVratiſlauienſi arce diſceſſus fugæ ſimilis 144.a
Tartaris à Sigiſmundo I. ſapienter ſtipendium datum 470.a
Tartari Nogaienſes exercitum Polonorum ex inſidijs tentant 776 a. Tauricam populantur 548.a
Tartari Tauricani contra Moſcos à Sigiſmundo I. ſubornati 535 a. Nogaienſes inuadunt 543 a. 544 b. & ſeq vaſtant Lituaniam 545 a. Moſcouiam 535 a. 565 a. Valachiam 545 a. victi à Moldauis 571 b. à Nogaienſibus 448 a. 543 a. à Polonis 567 a: 571 b. apud Viſnouecium 549 b. eorum fœdus cum Cazimiro III. 396 a. motus 593 a. princeps cum fratribus à Turcis captus 419 b. principis legatio Cazimiro III. fœdus & amicitiam deferens 402 a. victoria de Nogaienſibus 544 b. & ſe.
Tartari Zauolgenſes in Lituaniam, Podoliam, & Valachiam excurrunt 403 b. eorum defectio à ſuo principe 450 a. legatio ad regem Poloniæ 449.b
Tarzecenſe, quod nunc Bozentinẽſe, territorium afflictum 150.b
Taſſa Viſſemburgius Cuiauię præfectus 185.b
Tauricanus Tartarus Cazanam Moſco adimit 583 a. Cercaſsiam fruſtra obſidet 608 a. Nogaiẽſes ſibi ſubijcit 579 b. Scythas inuadit 586 a b. victus ibid.
Tauriſci Gallorum populi 19.b
Telephus Boemorũ dux 326 b. 660 a. Caſſouiæ præfectus Agriam inuadit 659 a. ſe cum præda recipit ibid. a b. Poloni & Vngari cũ inſecuti 659 b. prælium cum ijs init 660 a. victus & captus ibid. & 326.b
Telonium annuum quando inſtitutum 365 a. vetus & nouũ 504 b. qui ab ijs immunes ibid.
Tempeſtas Leopoli 545 a. ingens in Maio 454.a
Templarij in Poloniam deducti 101 a. deleti 191.b
Templum Corporis Chriſti Cazimiriæ 211 a. Poſnaniæ 191.b
Templi S. Franciſci tectum fulmine ictum conflagrauit, & imago Crucifixi in medio eiuſdẽ templi bis comminuta eſt 421.b
Templa quę condiderit Cazimirus II. rex 213 b. 220 b. exornata à Sigiſmundo I. 466 b. templis quan-

quando vis illata 48.b
Terponum Dalmatarum vrbs 4.a
Terræmotus insolens in Polonia 47 a.159 a. & vicinis locis 121 b. per Vngariam, Boemiam & Poloniam 328.a
Teuthon Germanorum rex 2.a
Teuthones Cistercienses monachi, quæ monasteria acceperint in Polonia 124.a
Teuthones Vngaris antepositi 53 a. eorum authoritas & fauor apud Rixam Poloniæ reginam 47 b. auxilia Crucigeris contra Pomeranos missa 150 a. bellum per Kiligerum Polonis indictum 20 b. aliud 75 a. fœdus cum Venda 21 a. strages à VVladislao Loctico rege accepta 202. b
Teuthonici supremi iudicij institutio Cracouiæ 215.a
Teuthonicorũ S. Mariæ ordo 134.a
Theodoricus Aldenburgius Crucigerorum marsalcus 162.a 199.a
Theodoricus Bernensis dux 130.b
Theodoricus Buciacius captus & liberatus 311 b. Podoliæ præfectus 336 b. eius acta contra Tartaros 338.a
Theodoricus Margoninius 235.b
Theodoricus Misnensis Marchio 165.a
Theodorus Cedro Cracouiẽsis palatinus 142 b. eius ad Boleslaum Pudicum fuga 147.a
Theodorus Mesceodouus Plescouiæ in auxilium missus 806.b
Theodorus Seueriensis dux in verba regis Polonorum iurat 251 b
Theophilus Mindaci consobrinus 162 a
Thesaurus quantus Leopoli inuentus 207.b
Thomas Calscius vbi interfectus 255.b
Thomæ Cantuariensis archiepiscopi cædes 107.a
Thomas Piotricouicius à Tartaris trucidatus 145.b
Thomæ de Plaza Visliciensis Canonici epistola ad lectorem 532.a
Thomas Polonorum dux contra Crucigeros 383.b
Thomas Posnaniensis Castellanus 148.a.153.b
Thomas Strempinius Cracouiensis episcopus 354 a. eius factum 355 a. mors & testamentum 367.b
Thomas Strigoniẽsis cardinalis 551 b. sacram militiam contra Turcas in Vngaria publicat 556 a. ex ea publicatione bellum rusticũ ortum ibid. & seq.
Thomas Venglessinius Sendomiriensis castellanus 261.a
Thomas VVratislauiensis episcopus in vincula coniectus 158.b. quomodo iram Henrici Probi hostis fregerit 175 b
Thomislaus Nalencius pincerna 153.b
Thomislaus Posnaniensis palatinus 191.a
Thomislaus Vissota cur, & à quo captus 239.a
Thracia a Roxanis vexata 12 a. à Slauis 1 a. Thraciæ vetera monumẽta 331 a. Thracum origo 2.a
Thuuerenses Russorũ populi 9.a
Tibiscus fluuius 51 b.56.a
Ticocinum oppidum à Lituanis interceptum 345.b
Tifen Crucigerorum magister Leopoli mortuus 442.a
Tilemannus Slechthus legatus pontificius 408.a
Timor dei sapientiæ principium 470.b
Tinecense monasterium à quibus possessum 53.a
Tinecensis arx à quo condita 151 a. à Boleslao Pudico recuperata ib.
Tineciæ arcis situs 52.b
Tirnauia à Boemis infestata 405.a
Tirolensis comitatus cedit Maximiliano Imperatori 435.b
Tobias Pragensis episcopus 180.a
Tolchemita oppidum Polonis traditur 393.b
Tonsura primæ comæ 26.b
Topororum vires 228.b
Toropecia incensa 782.b
Torunia Prussiæ vrbs & arx 148 b. 272 a.492 a prope prodita 354 b. prope à Crucigeris capta 384 b. contra obsidionem Crucigerorum defensa 277 a. Torunensiũ ad Crucigeros defectio ibid. motus à Gdanensibus compressus 357 a. naues à Crucigeris captæ 386.b
Toscum Ioanni Alberto cõcessum 436.b
Totiuilus Keistuti filius 242 b. eius interitus 250.a
Transalpina Valachia quomodo in Turcarum potestatem venerit 418 b. à Ioanne Huniade vastata 335 b. à Stephano Valacho 425 b. eam Ludouicus Vngariæ & Poloniæ rex quando recuperauit 224.a
Transalpini Valachi qui 216 b. eos quis ad officium redegit 233.b
Transuolgani cum Vitoudo contra Crucigeros profecti 266.a
Transyluania à Tartaris vastata 176 b. à Turcis 431.a
Transyluaniẽses à rege Mathia mulctati 499 a. cur non in clientelam suscepti a Cazimiro III. 414.a
Trapezuntinum imperium 398.b
Trapezus à Persis capta 409.b
Trebesiouum vrbs 24.a
Trebnicia oppidum 156 a. monasterio Trebniciensi dicatum 129.b
Trebniciense monasterium vbi, & à quo conditum ibid. eius prouentus, & monachæ ibid.
Treboulliensem arcem quis muniuit 220.b
Tremesnense monasterium 36 a. 133.b
Treuerensis Archiepiscopus elector 36.b
Triballi Dalmatiæ populi 4.a
Tribunicij furores quomodo Romanam remp. euerterint 400.b
Tributum in Polonia scitum 356 b. 369 b. 382 a. 402 a. 454 a. archiepiscopo Louiciæ nomine remissum 370. a.
S. Trinitatis monasterium Cracouiæ Dominicanis concessum 130.a
S. Trinitatis templum à Russis violandum, per Cazimirum conseruatur 116.b
Triumuiri quando in Polonia 231.a
Trocensis arx à duce Ciartoriensi occupata 323.a
Troci à Crucigeris incensi 249.b
Troianorum migratio 3.b
Troianus Posnaniensis præpositus 239.b
Troidemus Lituanorum dux 181.b
Trubor Russorum princeps factus 27.b
Tucholia arx à Crucigeris obsessa 274 b. qua fraude ijs dedita 276.a
Tucholia Prussiæ oppidum 272.a
Tugumirus dux proditor 29 a. eius proditio 41.a
Tuiscon 2.a. Germanorum omniũ conditor 7. a. eius imperiũ quousque se extenderit 3.a
Tumigrala proditionis damnatus 306 a. eius proditio 304.b
Tungeni res aduersæ in Prussia 428.a
Turcę versus meridiem profecti 16 a. à Christianis vndique sibi timentes ad Despotum de pace mittunt 675 a. Eubocam subigunt 406 b. Græciam inuadunt 228 a. à Iaice arce quomodo repulsi 398 b.414 a. pacem petunt à Ioanne Alberto 439 a. a VVladislao III.329 b. Vngaris offerunt 589 b. pace simulata plus quàm bello nocent 590 a. Poloniæ regno graues 702 a. 703 b. à Sabaciæ arcis obsidione reiecti 437 b. Scythica gens 40 b.99 a. à Stephano Moldauiæ Palatino fatigati 434 a. vastant Austriam 604 a.608 b. Croatiam 439 a.551 a. Podoliam 586 b. 588 a. Russiã 444 b. Slaucniam 404 a. Vngariam ibi. 406 b.586 b.604 a. 608 b. victi, fugati & profligati 327 b.328 a.338 b. à Persis 413 a. in Podolia 588 a. à Polonis 465 a. à Russis 444 b. in Transyluania 380 b. ab Vngaris 328 a. 450 b. 587 a. Vngaros profligant 439 a. ad VVladislaum Polonorum & Vng. regem è Thracia arcendũ montes insident 668 b. & seq. ei obuiam profecti 684 b. eum reuertentem insequuntur 671 a.
Turcarum bellum ciuile 432 b. 547 a. bella varia 432 b. cum Venetis 446 a clades 683 b. 715 b. in Austria 610 a b. apud Barladum amnem 418 b. apud Nandor Albam 358 a. in Valachia 422 a. in Vngaria 587 a. classis à Christianis disiecta 344 b. eius naufragium 423 a. ditio ab Vngaris vastata 450 b. excursiones 408 a. 410 b. in Carinthiam 428 a. in Podoliam & Volyniam 565 b. in Valachiam 422 a. in Vngariam 597 a. expeditio in Moscũ 715 a b. exercitus contra VVladislaum III. ductus 341 b. Imperatoris responsum legatis VVladislai regis datum 651 a imperium quàm latè extensum 469 a. imperij sedes quando Constãtinopolim translata 344 b. incrementa 40 b. induciæ cum Polonis per quem firmatæ 450 b. perfidia 599 a. potentia 682 a. prælium anceps & victoria non

incruenta 687 b. res gestæ contra Græcos 344 b. timor post victoriam 332.b
Turcis bellum communi regum consilio & ope inferendum 469 b. quo euentu bellum fecerit Sigismundus Cęsar 295 a. cur tantum annuas inducias dederit Sigismundus I. 469.b
Turingi Teuthonum populi 24.b
Turingus curator Zbislai 32.a
Turnum profundum Culmensis arx 131.b
Turoulia arx 759 b. eius situs ibid. Martinus Kurcius ad eam obsidendam missus ibid. hostes ex ea fugiunt inq; Polonorum potestatem venit ibid.
Turscum pagus 143.a
Tustanensis arx munita 220.b
Tutelæ finiendæ legitimum tempus apud Polonos 320.b
Tyras qui & Nester fluuius 216.a
Tyriorum commigratio 3.b
Tyscionum Prussiæ vrbs 189 b. 272 a. Dersauia etiam dicta ibid.

V.

VAca amnis 255.b
Valachia 481 a. in clientela est Polonorum 247 b. 481 a. à Tartaris Zauolgensibus infestata 403 b. à Turcis 357 a. 418 b. eius diuisio inter duces fratres 317 a. de dominatu cōtentio 398 b. duces Voieuodæ dicuntur 216 b. 481 a. palatini qui in verba regis Poloniæ iurauerint 259 a. 261 a. 283 b. 337 b. partes 481 a. situs 432 b. de ea quomodo conuenerit inter Vngariæ & Poloniæ reges 279.b & seq.
Valachi Cæsari contra Turcas in auxilium missi 293 b. clientes Polonorum 461 b. Polonorum exercitum reuertentem inuadunt 541 b. qui nobiliores capti ibid. Poloniæ regno graues 702 b. Russiam populati 444 a. Turcis tributarij facti 357 a. cur à Sigismūdo I. rege non subiugati 469 a. victi 304 b. 340 a. 44 b. 455 a. b. 541 b. eorum auxilia ad bellum Prussicū regi Polono missa 290 b. lingua, mores, origo, religio, studia, 216 a b tributum VVladislao III. datum 317 b. victoria de Prussis 290 b. ijs Polonica auxilia à Cazimiro III. missa 413 b. de ijs principū contentio 295 b. Valachici motus 337 b. Valachicum bellum 216 b 405 a b. 605 a. sub Cazimiro III. 339 b. sub Ioanne Alberto 440.b
Valcia à maioribus Polonis obsessa 366 b. à Crucigeris intercepta ibid. a incensa ibid.
Valentinus Cusborius Cracouiensis canonicus 62.a
Valterus VVratislauiensis episcopus 100.a
Vambrezinum olim sedes Episcopi Culmensis 290.a
Vanchoscense monasterium à quo conditum 117. b
cum Vanconis Plocensium ducis vxore pacta 214.b
Vanda Polonorum regina 6.a
Vandalus Alani II. filius maximus 2 a. Germanorum rex ibid. vnde deduxerit originem 3. a eius liberi quæ regna condiderint 2.b
Vandalus, qui & Vistula, fluuius 6.a
Vandali à Procopio Vandili dicti 6 a. vnde & quò progressi ibi. versus meridiem profecti ibid. Iustiniani armis deleti 10 b. eorū epistola ad Constantinum Imperatorem 6. b. impetus in Francos ibid. a sedes 5. b. migratio in Pannoniam 10 a. è Pannonia ib. quæ gens eorum sedes occuparit 12. b. eos esse Germanos 6. b Gothorum gentem ibi. semper sub regibus fuisse ibid. Vandalicorū regum nomina à Germanis sūpta ibid.
Vangrouecense monasteriū Teuthonibus attributum 124.a
Vapenna mons 360.a
Vapscum arx Culmensis 131.b
Varaiorum fuga 57 a. memoria extincta 39.b
Varcislaus Cassubiorum dux 159.b
Varcislaus Gotartouicius cum alijs infamia notatus 263.a
Varcislaus Pomeraniæ dux Christianus 111.a
Varcislaus Suentopelci filius 164.a
Varmia 483 a. eius collegium absente episcopo iurat in verba regis Polonorum 349 b. diœceseos ius & prærogatiua 527 a. quæ in diœcesi numerantur ibid. episcopa 149 a. AEneæ Syluio negata 37 b. de ea controuersia 397 b. episcopus 526 a. nulli nisi summo pontifici paret 526 a. supplex regi Polonorum 283 a. episcopi designatio & confirmatio 527 b. iuramentum 526 a. expeditio cum alijs Christianis in Prussiam 156 b. & seq. lacus 487 b. prælatorum & Canonicorum creatio 527.b
Varmiensium libertas 528.b
Varna vrbs, quæ & Dionysiopolis 331 b
Varsauia vrbs 491 a. in ea quis collegium sacerdotum instituerit 260.b
Varsius Cracouiensis castellanus 171 a. 176.a
Varta fluuius 17 a. 98 a. 152 a. 486.b
Varta à Crucigeris incensa 200.a
Vasco VVladislai Boemorū principis consiliarius 82 a. vastatæ Boemię culpam in Mutinam reijcit 75 b. à Sobeslao interfectus 82 a. ci summa Boemicarum rerum commissa 75.b
Vauelnicia à Cazimiro II. munita 220.b
Vauelus collis ad Vistulam 19.b
Vdalricus Boemiæ dux Miecislao regi tributum negat 45.b
Vdalricus Cieruonca Boemus 358 a. à quo in carcerem coniectus 375 a
Vdalricus Conradi filius Olomucensis dominus 83.a
Vdalricus Eisenhouenus commendator magnus Crucigerorum 382.b
Vedelius cum Polonis infestat Pomeraniam 230.a
Vedrossus fluuius 447.b
Veiadus comes Crucigeris obses datus 149.b
Veisensteinium Suecis deditū 807.a
Velegradum Suatoplugi domicilium 31.a
Velenum munitū 220 b. à Boleslai III. exercitu oppugnatum 76.a
Velika fluuius 806.b
Velinum Pomeranię vrbs Boleslao III. dedita 73.b
Velisca à Cazimiro II. munita 220 b. conflagrata 412.b
Velisium arx 771 a. quando condita 773 a. eius descriptio ibid. situs 774 a. ad oppugnationem Samoscius missus 771 b. & seq. de oppugnatione controuersia 772 a. obsidio 774 a. deditio ibid. b. præda in ea reperta ibid.
Velunum à Cazimiro II. munitum 220 b. eius ora à Silesijs vexata 341 b. terra Henrico Probo data 172.a
Velunenses à VVratislauiensibus vexati 326.a
Velzani exusti 250.b
Venandi ius quibus episcopis in Polonia concessum à VVladislao Sputatore 137.a
Venationes solius principis in Polonia fuerunt 107.b
Venceslaus Boemorum pius dux à fratre necatur 29.a
Venceslaus Caroli Imperatoris filius Cæsar & rex Boemorū 229 b. voluptatibus deditus 260 b. eius arbitrium iniquum inter Polonos & Crucigeros 263 b. 265 a. auaritia 264 a. fortuna varia 260 b. mors 286.a
Venceslaus Duninus Boemus 271.a
Venceslaus Grodecius 481.a
Venceslaus Hagecus Boemus historicus 2 b. 14.b
Venceslaus Luscus Boemorum rex 155 b. quando mortuus 156.a
Venceslaus Opauiensis dux 282.b
Venceslaus Osuencimensium dux 318.b
Venceslaus Ottocari filius Boemorum rex 179 b. quoto ætatis suæ anno rex factus 170 b. cum Iuditha vxore coronatus 184 b. à Polonis quoque rex expetitus ibid. quando & vbi rex Polonorum coronatus 185 a. Rixam Præmisli regis filiam vxorem ducit ibid. eius in Poloniam cum marchione Brandeburgēsi expeditio 180 a. b
Venceslaus Præmisli filius Boemorum rex 136.b
Venceslaus Ratiboriensiū dux 319 b. pacem cum Polonis facit 355.b
Venceslaus Ribnicensiū dux 414.b
Venceslaus Venceslai filius Boemorum rex in Poloniam excurrit 186 b. eius obitus ibi.
Venceslaus VVratislai minoris filius 32.a b
Venceslaus VVratislauiensis episcopus 255.a
Venceslaus Zeganensis dux 282.b
Venceslauum Prussiæ vrbs 272.a
Venda arx quomodo in Moscorū potestatem venit 7 6 b. à Polonis recuperata 737 a. à Moscis oppugnata 739 b. à Dembinio defensa ibid. & seq. rursum à Moscis obsessa

sessa 746 a. eius clades 736 a. ad eam Polonorum de Moscis victoria 745 a. b. tormenta bellica Moscorum ad eam capta ibid. b. in ea episcopi sedes à Stephano Polon. rege constituta 836. b
Venda Craci filia principatũ à Polonis accipit 20 b. se in Vistulam proijcit 21 a. vbi sepulta ibid. eius animus virilis & mors ibid. etymologia 20 b. tumulus 130. a
Vendali falsa etymologia Vandalorum 6. a
Venedi an Germani 10 a. b. an Vandali ibid. à Gothis victi ibid.
Venedicus sinus Balthicus vnde dictus 2. b
Venedicæ vrbes 24 a. earum nomina 6. b
Veneti quanti redemerint pacem à Turcis 428. b
Venetorum bellum cum Vngaris & Græcis de Dalmatia 107 a. 115 b. belli origo cum Pisanis ib. & se. copiæ à Turcis profligatæ 425 a. b. classes in Asiam missæ 115 b. legati Polonos contra Sigismundum incitant 279 b. pax cum Turcis 446. a
Vengrouia Masouijs à quo erepta 330. b
Veprus amnis 301 b
Verbum Dei apud quos est 621. a
Verinci Germani dignitas ac magnificentia 218. a
Verla vrbs 24. a
Vernerus Plocensis episcopus Boleslæ fraude occisus 106 b. ad ei' sepulchrum miracula facta 107. a
Verneri Tetingeri Elbingẽsis commendatoris ferocia 266. b
Veronica Præmisli filia 158. b
Versouicij seu Rauitæ Boemorum familia 37 a. 53. b
Vestfali Teuthonum populi 24. b
Veteris montis monasterium 124. a
Vexillum regium quomodo à Polonis recuperatum 269. a
Vexilla quæ & quot Polonorũ capta à Valachis 217. a
Vgra fluuius 261. b
Viatici populi à Vvlodimiro subacti 34. a
Vicinus malus 203 a
Victorinus Georgij Boemiæ regis fili' dux à Mathia dimissus 410. a
Vidaua amnis 156. a
Vieliciensium salinarum cõflagratio 545. a
Vielicoluki arx 768 a. an oppugnãda consultatio Polonorum 770 b. ab ijs exercitu petita 775 b. & seq. obsessa 777 a. b. castrorum ad eam situs 778. a. oppugnata ibid. a. b. & 779 a. incensa ibid. & 780 b. 781 a. an deserenda con sultatio 778 b. & seq. quàm munita 780 a. Polonorum in eã irruptio irrita 779 b. acriter defensa 780 b. vi capta 781 a. 841 b. cædes in ea 781 a. præda omnis cõbusta ibid. b. restaurata ibid. munita 783 b. eius descriptio 777 a. præfecti ibid. situs 768 a. 776 b. & seq.
Vienauia gens 142. b
Vienna Austriæ vrbs à Mathia rege capta 435 a. à Maximiliano Imperatore recuperata ib. b. à Mathia frustra obsessa 425 a. à Turcis 604 a. in ea Maximiliani Cæsaris, Sigismundi I. Poloniæ, & Vvladislai Vngariæ & Boemiæ regum congressus 561 a. b. & se.
Vierus Vierussoui dominus captus 326. a
Vierussouum oppidum incensum ibid.
Vigmannus dux 34. b
Vigri sylua 284. b
Vigundus Olgerdi filius 242. b
Vilcicus Naborouius subiudex Cracouiensis 223. a
Vilcomiria incensa 250. b
Vilhelmus Austriæ dux 242 a. Cracouiam venit 244 a. cur arcis ingressu exclusus ibid.
Vilhelmus Ciliæ comes 223. b
Vilhelmus Misnẽsis marchio 259. a
Vilhelmus Misnensium & Turingorum dux 396. b
Vilhelmus Saxoniæ dux 358. b
Vilia fluuius 249. b
Villebrandus Magdeburgensis archiepiscopus 159. b
Villisazum Culmensis arx 131. b
Vilna à Crucigeris oppugnata 252 b à Keistuto intercepta 243 a. muro à quo cincta 454 b. eius arx incensa 249 b. 552 a. fortiter à Polonis defensa 249 b. episcopa quando condita 247 a. Palatini iusiurandum VVladislao III. datum 318. a
Vilsi seu Luitici Conrado Imperatori vectigales facti 46. b
Vimarus Burgrabius obses Crucigeris datus 149 b
Vincentius Cadlubeus Cracouiensis episcopus 127 a. an cum Colomanno rege Halicia eiectus ib. b. episcopa se abdicat 129. b
Vincentius Cothus Gnesnensis custos 301. b
Vincentius Dembenius Gnesnensis archiepiscopus 130 b. 318. a
Vincentius Gnesnensis decanus 189. b
Vincentius Granouius maioris Poloniæ præfectus 263 a. quomodo se in familiam Leliuiorum inseruerit 284. a
Vincentius historicus 140 b. eius fabulosa narratio de Lesco III. 23. b
Vincentius Kelbassa Culmensis & Pomesaniensis designatus episcopus 394 b. eius obitus 428. a. b
Vincentius Kempius Posnaniensis palatinus 235. a
Vincentius Kosakkorum ductor ad Moscum missus 793. b
D. Vincentij monasterium à Vvratislauiensibus demolitum 87. b
Vincentius Prærembius Vvladislauiensis episcopus 451. a
Vincentius Samotulius quomodo cum rege in gratiã redierit 200 b. pristino honori restitutus 203 a. eius ad Crucigeros fuga 199 a. proditio 202 b. cædes 203. a
Vincentius Starogrodensis castellanus 198. a
Vindæ Slauorum reliquiæ i. b. vnde 10 b. quando, & à quib' Christianismum accipere coacti 41 a. quã occasione socios Romani Imperij se fecerint 46 a. Vindarum à Polonis defectio ibi. spontanea deditio 40. a
Vindicæ Glinianorum præfecti virtus contra Tartaros 326. a. b
Vineta Polonorum colonia 24. a
Vinidæ an ijdem cum Vandalis 10 a. b
Virbenta Smoguletius 235. b
Virbina castellum in Saxoniæ finibus 46. b
Viri magni contumeliæ impatientes 123. b
Virtus & eius partes 468 b. Virtutis præmium 92. b
Vislaus Lesci III. filius 23. b
Vislaus gente Zabauius Cracouiensis episcopus 140. a
Vislicia oppidum 91 b. à Cazimiro II. munitum 220 b. à Boemis captum 180 a. ijs rursus ereptum 186 a. ab Vngaro præfecto proditum, à Russis direptum & incensum 91 b. à Vvladislao Locti co receptum 180 a. eius territorium Cazimiri filijs ademptum 123. b
Visloca fluuius 87. b
Vismaria à quo & vbi condita 24. a
Visnensis prouincia quibus à Sigismundo I. concessa 546. a
Vissegradum arx munita 220 b. à Boriuoio capta 37. a
Vissegradum Cuiauiense oppidum captum 85 a. à Crucigeris expugnatum 149 a. incẽsum 198 a. à Ziemouito occupatum 222 a. eius principatus 32 a. præfectura cui mandata 324. a
Visseslaua Boleslai II. vxor 56. b
Visseslaus Polocensium dux incarceratus, à quo liberatus 54 a. Kiouiensis dux constituitur ib. b
Visseslai Russorum ducis fuga 57. a
Vissimiria, quę nũc Vismaria, vrbs, quando & à quo cõdita 18. a. b
Vissimirus Lesci III. filius 23. b
Vissimirus Polonorum dux contra Danos 18. a
Vistula fluuius 486 a. à Vandalo nomen sortitus 2 a. 42 b. 134 a. eius inundatio 420 a. flumina eam influentia 486 a. vrbes, arces & oppida ad eam sita ibid.
Vitenes magnus Lituanorum dux 242. a
Vitepscum quomodo Olgerdo obuenerit ibid. à Vitoudo receptum 251 b. eius seditio quomodo sedata 247. a
Vithenen Lituanorum dux 180 b. 181. b
Vitichindus historicus Saxo 1. b
Vitoudus Keistuti filius 242 b 461 a. Boemiæ regnum oblatum repudiat 288 a in custodia asseruatus quomodo per coniugẽ suam liberatus sit 243 a. in Lituaniam regi reconciliatus redit 247 b. & seq. Lituanorum magnus dux creatus 251 a. in verba regis Polonorum cum vxore iurat ibid. a. b. Crucigeros quã clade affecit ibid. cur se in syluã abdiderit 263 b. ad Sigismũdum in Vngariã à rege missus 264 b. quę dona regi dedit 284 a. in Senatum Polonicum admissus 295 b. repulsam passus 296 a. Vilnã qua calliditate oppugnauit 250. b
Vitoudi ætas 297 a. authoritas apud

pud Polonos ibid. conatus 298 a. conſilium malum 278 a. callidum in Iagellonem regem 299 a. cōſilijs eius Iagello nixus 295 a. ad coronationē in Lituaniæ regē qui ab ipſo inuitati 299. a. ad Crucigeros altera trāſitio 248 a. diſceſius ex caſtris 273 b. 283 a. effigies 300 b. excurſio in Lituaniam 250 a. expeditio in Pſcouenſes Ruſſos 293 b. in Tartaros 255 b. exercitus contra Crucigeros regi iunctus 266 a. fœdus cum vtriſq; Crucigeris 297 b. fuga in Maſouiā 247 b. in Pruſſiā 243 a. 247 b. in Tartarico bello 256 b. ad Grodni obſidionē cum Crucigeris aduentus 248 b. importunitas 293 a. in Lituaniam reditus 251 a. morbus 299 a. mores 300 b. mors ibid. reſpōſum ad Cęſaris legationem 290 b. ad Polonicam 298 b. ad oblatum Polonicum regnum 297 a. ad Sbigneum Oleſnicium allegatio 299 b. temeritas 293 a. vxor altera quæ 284.b

Vitoudo cur draco à Cæſare miſſus 297.a

Vitouienſe monaſteriū 117 b. à Tartaris direptum 144.b

Vitreolum 485 a.b

Vitulus biceps Cracouiæ natus 444.b

Vitulus duobus caninis capitibus Caliſſiæ natus 165.a

Vitus Caſtellanus de Plonsk 135.a

Vitus Lituanorum epiſcopus 155.b

Vitus Plocenſis epiſcopus 117 b. legatus ad Romanum Ruſſorum ducem 125.b

Vizna à Crucigeris exuſta 181.b

Vla arx 714 a. Moſco erepta ibid.

Vlani apud Tartaros qui 343.b

Vldericus Boemiæ dux Polono regi tributarius 37.a

Vlricus Cieruonca à Cazimiro III. rege honoratus 359.a

Vlricus Ciliæ comes à Ioanne Huniade ad deditionem coactus 335 b. ad occupandam Budam miſſus 639 b. Iaurini obſeſſus 643 b. clam fugiens captus ibid. & ſeq. ad VVladislaum Budam perductus 644 a. veniam petit ibid. in cuſtodiam traditus ibi.

Vlrici Gdanenſis commendatoris fuga ad Poloniæ regem 282.a

Vlricus Iuningus Crucigerorum Pruſſienſium magiſter 262.a

Vneouia arx à quo condita 224 b. à Crucigeris incēſa 200 a. à quo intercepta & cui reddita 231 b.

Vneouienſe collegium 224 b.

Vneouienſis Synodus cur & à quo congregata 228.a

Vngaria bello ruſtico conflictata 556 b. & ſeq. liberata per Ioannem Scepuſienſium comitē 557 b. à quo rege perdita 459 b. à fratribus Acephalis vaſtata 412 a.b ab Auſtrijs 151 a. à Tartaris 143 a. b. à Turcis 404 a. 406 b. 420 b. 423 a. 586 b. 604.a

Vngariæ ducatus 54 b. fines quando Poloni vaſtauerint 277 b. opulentia 650 a. regni principium 35 a. regum coronandi ritus 647.a

Vngari Andream Ladiſlai Calui filium ab exilio reuocatum regem creant 53 a. Chriſtianiſmū reuocant ibid. b. Chriſtianorū principum auxilia ad expeditionem Turcicam fruſtra implorant 328 a. Haliciam interuertunt 114 b. ex ea à Polonis eiecti 115 a. quando tota exciderint 128 a. à Mathia rege defectionē meditantur 426 a. Pannoniam quando occuparunt 21 b. cur noluerint cum rege ſuo arma contra Polonos ſumere 277 a. Ruſſiæ dominatu quando ſe abdicarint 116 b. 128 a. è Sarmatia Aſiatica venerunt 21 b. Solimanni legatis nares & aures præſcindunt 589 b. vaſtant Germaniam 28 b. Morauiam ibid. Scepuſienſem tractum 384 b. victi & profligati à Stephano Valacho 419 a. à Turcis 338 a. Vvladiſlao III. Polonorum regi quibus conditionibus regnum obtulerunt 322 a. 633 b.

Vngarorum auaritia 590 a. auxiliarij quomodo à Boleſlao III. habiti 80 a. bella fabuloſa 46 a. b. bellum cum Venetis de Dalmatia 115 b. cædes quanta Cracouiæ facta 227 b. quanta in Valachia 399 a. à Chriſtianiſmo defectio 53 a.b. conſultatio de nouo rege creādo 633 a.b. & ſe. de expeditione Turcica 673 b. diſſidium in creatione regis 435 b. 636 b. & ſeq. excurſio in Lituaniam 209 b. in Poloniam 239 a. equites ignominia notati 380 a. expeditio in Turcas 338 a. fides fluxa 324 b. 407 b. hiſtoria 39 a. de Ruſſorum principis reſtitutione 86 b. ira in proditorē 324 a. latrunculi à Polonis profligati 414 b. mos renunciandi regis 324 a. oratores ab Elyzabetha Alberti Cæſaris vidua capti 322 b. origo 2 b. prelium cum Turcis 431 a. 687 a.b. procerum animi à Mathia rege alienati 406 b. à Mathia defectio ad Cazimirum Cazimiri III. filium 407 b. cōuentus cū Polonis apud Keſmarcum 291 b. fœdus cum ijſdē 207 a. 237 a. 259 a. rapinæ 223 b. 227 b. regis cum Polonis pacta ſecretò inita 279 a. reſponſum ad orationem Vvladislai III. Budæ 324 a. res 53 a. ſententiæ variæ de pace inter Vvladislaum III. & Elyzabetham conſtituenda 664 a.b. violentia 223 b. 227 b. virtus contra Turcas 432.b

Vngaris bellum cum Turcis quàm gratum 680 b. pax cum ijſdem quàm accepta 676.b

Vngaris & Polonis eundem eſſe regem cur non expediat 449.a

Vngarus quidam perfugam ad Boleſlaum III. ſe ſimulans Viſlicienſis præfectus fit 91. a

Voicechus Pragenſis epiſcopus ſanctus 35.b

Voidatus Keiſtuti filius 242.b

Voidilo quomodo ex humili fortuna euectus 242 b. eius exitus 243.a

Voieuodæ ſiue Palatini duodecim à Polonis eliguntur 18.b

Voiſalcus Mindaci filius Lituanorum dux à quo interfectus 162.a

Voislaus Boleslai pueri principis pædagogus 68 a. Vvratislauienſibus præficitur ibid. præfectura amotus 69.a

Voislaus Pomeraniæ præfectus 183.b

Volboria arx intercepta 239.b

Volcomirienſis paræcia 247.a

Volcouiſcos quomodo inuaſerint Crucigeri 263.b

Volcū arcem quis inſtaurauit 346.b

Voldemari Brandeburgenſis marchionis in Pomeraniam expeditio 187.b

Volga fluuius 403 b. Rha etiam dicitur ibid.

Volodimir⁹ Nouogrodenſiū Ruſſorum dux 70.b

Volodimirus Rurici ducis filius 128.a

Volodimirus Suentoslai ſiue Stoſlai filius 31 a. Ruſſorum dux ibi. à Polonis captus, traditur Leſco Albo 128.b

Volodimirus Volodori filius 86 a. quando principatum Kiouienſium adeptus 84.b

Volodor Præmislienſium dux 85. b. captus quanto pretio ſe redemerit ibid. contra fœdus Poloniā inuadit 87 a. à Polonis profligatus Haliciam fugit ib. eius obitus ibid.b

Vologoſtum vrbs 24.a

Volynia Ruſſorum regio in Boleslai II. poteſtatem venit 58 b. à Cazimiro II. ſubacta 211 b. cui ab eodem tradita 218 b. in Lituanorum poteſtatem redacta 233 a. à Tartaris infeſtata 439.b

de Volynia, Lituanorum cum Polonis pacta 307 a. b. Vvladislai III. cum Sigiſmundo Lituano 318.a

Vormatia à Crucigeris per proditionem occupata 579.a

Voronecia oppidum munitū 792 a. eius ſitus 791.b

Vorſcla amnis 256.b

Vrbanus IV. Papa 162.a

Vrbanus VI. Papa 239.b

Vriel Gorcanus Poſnanienſis epiſcopus 428.b

Vrſorum in Polonia venatio 490.a

Vrus ſiue thurus fera 489.a

Vſce arx à Vvladislao Sputatore intercepta 133 a. eius obſidio ibid.

Vſcenſe territorium 141.a

Vſio piſcis magnus in Danubio 317.b

Vſuenſia bona quādo epiſcopo reſtituta 213.a

Vſuiata arx Polonis dedita 775 b. eius ſitus ibid.a

Vualdampt quid 393.b

Vuauurincienſem paræciam quis condiderit 130.a

Vucieleia familia 306.a

Vucra fluuius 266.b

Vuladica epiſcopus apud Ruſſos 126.a.b

Vuladimiria Ruſſorum arx 58 b. Iaroſlao deditur ibid. à Lituanis per deditionem recepta 222 a. à Polonis ſubacta 218 b. incēſa 303 a. mu-

a.muro latericio cincta 218.b

VVladimiriẽsis episcopa in Russia 228. b

Vvladimirienses Russorum populi 9.a

Vvladimirus à patre Izaslao Smolenscijs præficitur 59.b

Vvladislauia vrbs 492 a. eius arx munita 221 b. à Crucigeris incensa 197 b. Basilica à quo & quando noua condita 221 b.collegium ius suum in villa Vissin donat Crucigeris fratribus 134 b.& seq.episcopa 107 b. episcopus 526 a.etiam Pomeraniæ titulum habet ibid.Prussiæ gubernator 426 a.358 a.eius officiales 526.a

Vvladislaus Albus Cazimiri filius monachus vnde ad regnum à Polonis accersitus 225 b. quibus incommodis obsidentes se, ex arce Zlotoria affecerit 226.b

Vvladislaus Belæ Vngarorum regis filius Cracouiam fugit 58.a

VVladislaus Boemiæ princeps 80 b.principatum occupat 78 a.eius cũ Sobeslao fratre iurgia & prælium 85.b

Vvladisla9 Boemiæ princeps Vvladislai regis filius 94 a.99 a.cum Cæsare ad expeditionem Asiaticam profectus 100 a. rex fact9 103.a

Vvladislaus Boemiæ & Vngariæ rex 461 b. Cazimiri III. fili9 357 b.Boemiæ rex designatus 402 b.407 a.quanto comitatu ad regnum suscipiendum profectus ib.à Friderico Imperatore inuestitus 424 b à Cazimiro patre exhæredatus 437 b.Bogdano pacẽ à Sigismundo I. impetrat 541 a. iuramẽtum fidelitatis à Silesiæ ducibus petit ibid eius conuentus cum Ioanne Alberto fratre apud Lublium 439 a. fœdus & pacta ibid. egestas 411 a. exercitus contra Mathiam Vngariæ regem 417 a. eius mors & laudes 564 a. ei quæ conditiones cũ regno à Boemis oblatæ 402 b.cur sacris interdictum 427.a

Vvladislai Damoborij improbitas & cædes 396.a

Vvladislaus Dracula Valachię princeps ad Vvladislaum Poloniæ & Vngariæ regem venit 682 a. fœdus cum Turcis cur fecit ib. à bello Turcico Vvladislaum abhortatur ibid. quæ munera Vvladislao dedit ibid.b.eum ad bellum Turcicum inclinatum quæ retardarunt 683.a

Vvladislai Gnesnensis archiepiscopi è comitijs discessus 338 b.cum Sbigneo Cardinali contẽtio de loco ibid. de nuptiali ceremonia Cazimiri III. 347 a. mors 345.a

Vvladislaus Henrici Pij filius 151.b

Vvladislaus Henrici Vuratislauiensium ducis filius 181 b. Legniciensis dux 194 a.quoties à fratre captus ibid.eius latrocinia ibid.

Vvladislaus I. Poloniæ princeps Boleslai II.regis frater,Cazimiri I.filius 62 a.b.Hermannus dictus ibid.cur se regem noluerit appellari ibid. princeps & hæres regni Poloniæ dici vult 63 a. Miecislaum fratris filium reuocat ibid.quando natus 52 a. die assumptionis Mariæ cur pugnare noluerit 64 b. cum Sbigneo Notho confligit, eumque vincit 68 a.eius expeditio in Pomeranos 64 a.b. 65 b. in Prussos ibid. contra exules Polonos 67 b.in Masouiam discessus 68 b. mors 71.a

Vvladislaus II. Poloniæ princeps Boleslai III. cognomento Criuousti filius 93 a. b. 94 a. quando nat9 72 a.Silesiæ princeps 94 a. tributum fratribus imperat, & possessiones ipsorum vi inuadit 95 b.cum Russis fratres suis ditionibus propellit 97 a: vincitur & fugatur à fratribus 98 a. principatu pulsus in Germaniam fugit ibid.b.exul quos principes in sui restitutionem sollicitauit 99 a.Poloniæ fines infestat 101 b. quãdo mortuus,& vbi sepultus 103 b.eius ætas ib.ambitio 94 a.filij 103 b adFridericũ Barbarossã pro reductione supplicatio 101 b.& se. nuptiæ cum Cristina Henrici Imperatoris filia 85 b.oratio in senatu 94 b. ei quæ regiones obtigerint ibi. a. summa rerum permissa ibid.

Vvladislaus III. Poloniæ princeps Miecislai Senis filius Lasconogus dictus 124 a. 125 a. Magnus appellatus ibid. absens princeps creatur ibid. tutor VVladislai Sputatoris ib.à quo victus 133 a. vbi & quando mortuus & sepultus 137 a. eius æquitas & modestia 125 a. fuga Ratiboriã 136 b. principatu moti modestia 127.a

Vvladislaus I. Poloniæ rex Cazimiri Cuiauiensis & Lenciciẽsis ducis fili9, Locticus dictus 183 b.186 b.amoribus deditus, & excommunicatus 184 b.Boemos è maiore Polonia quomodo fugauit 203 a.Brestensium dux 163 b. Siradiensem dominatum quomodo occupauit 178 b.qua causa Poloniæ principatum bello petierit 179 a. princeps renunciatus,& rursum Cracouia pulsus ibid.Cracouiensem tractum qua occasione infestauit 181 b. quo iure Lencicienseni dominatum adeptus sit ibid.quando rex designatus 183 b. regnum amissum qua occasione repetiuit 186 a.quando iterũ adeptus ib.b. quando cũ vxore coronat9 193 b.eius aulicorũ acies in Crucigeros missa 202 a. bellum contra Henricum Glogouiensem 187 a. difficultates & consultatio 195 b.& seq.expeditio in Brandeburgensem marchiã 196 b. in Prussiam 198 a.in Silesiam 184 a. expostulatio cum Crucigeris 188 b.fuga & peregrinatio 185 a.incuria & ignauia 184 a. ad milites oratio 201 a. potentia & rei militaris peritia 183 b. victoria de Silesijs 179 a.virtutes & mors 204.b

Vvladislaus II. Poloniæ rex Iagello dictus 245 a. b.Olgerdi filius 242 b.ex acie cur excedit 268 b. quæ beneficia priorum regum confirmauit,& quæ noua Polonis est largitus 297 b. & seq Boemiæ regnum oblatum cur repudiauit 288 a. è Boemia centuriones & rei militaris periti quando acciuit 265 b. de captiuorum redemptione quid statuit 298 a. nouo diademate quando coronatus 245 b. vbi crus fregit 293 a. rei diuinę ante alia opera semper vacare solitus 268 a. ab episcopo cur & quomodo veniam petijt 281 a. Euangelistæ & catechistæ officio functus 246 b.quomodo in febrim inciderit 312 b. à Friderico marchione Brandeburgẽsi cur alienatus 292 a. vbi & quando fulmine exanimatus 285 b. Lituaniæ princeps designat9 242 b. in Lituaniam quo comitatu cum regina profectus 246 b.obiurgatus à consiliarijs 266 b. à Gnesnensi archiepiscopo & Sbigneo Cracouiensi episcopo ob largitionem ecclesiasticorum bonorum 305 a.b.à Senatu 296 a Poloniæ regnum cur relinquere cogitauit 257 a.cur sub mortẽ Vitoudi Polonos præsentes ablegauit 300 a. Plocensibus cur bellũ intulerit 243 a. Sbigneo Cracouiensi episcopo cur iratus 306 a. Vilnam & Trocos qua arte recuperauit 243 a. Vngariæ regnũ inuadere conatus 253. b. VVladislai nomen baptizatus accepit 245 b. Vvladislaus filius infans vt rex designaretur quãtum laborauit 293 a.eum regẽ & successorem vbi & quando designauit 305 a. b. eius auxilia Cæsari contra Boemos hæreticos missa 292 b. bellum contra Suitrigellonem fratrem 303 a. cum Vvladislao Oppoliensi duce 253 b. & seq. beneficentia in calamitosos 305 a.clementia persusi à muliercula sordibus culinæ 260 a. congressus cum Sigismundo Cæsare 285 a.291 b. cum Venceslao Cæsare & Boemorũ rege apud Vvratislauiam 260 b. Cracouiam aduentus 244 b. credulitas & candor 285 a. 461 a. cum Crucigeris transactio 278 a. cultus corporis 313 b.effigies ibid.etymon 461 a. exercitus cõtra Crucigeros expeditio in Lituaniam 248 b. 250 a. 264 b. extrema 313 a. filij 461 b. filiorum educatio quibus commissa 301 b. fœdus contra Keistutum 242 b.contra Sigismundum Cæsarem 278 b.cum Venceslao Cæsare & rege Boemorum 254 b. cum Friderico Brandeburgẽsi marchiõe affinitas 288 b. humanitas 270 b.erga captiuos 276 a. ieiunia 313 a. largitio in Prussia 272 a.laus 707 a. lenitas 313 a. liberalitas siue prodigalitas ibid. mandata ad Cæsarem 286 b. matrimonij cũ Heduigi conditiones 243 b. morbus in Vngaria vnde acciderit 280 b. mors 313 a. munera ad reginam & Polonos proceres 843 b. munitionum negligentia 313. a.

313 a. obsides & fideiussores reginæ dati 245 b. oratio ad Deum pia 266 b. pacta cum Crucigeris Prussiensibus 260 a. cum Friderico marchione Brandeburgensi 289 a. cum Vitoudo & Lituanis renouata 244 b. 257 b. pax cum Crucigeris Prussiensibus 260 a. cum Sigismundo Cæsare 291 b. pietas 270 b. profectio in Lituaniam 278 a. in maiorem Poloniam cum regina 246 a. Toruniā 260 a. in Russiā 278 a. religio ante bellum Prussicum 266 a. in religione propaganda studium 461 a. res gestæ ib. 707 a. contra Turcas 283 b. responsum oratoribus Basileensis concilij datum 208 b. Crucigerorū caduceatorib⁹ 268 b. ad indictum à Sigismūdo bellum 270 b. erga Sigismundū Vngariæ regem studium 259 a. statuta de damnorum solutione 297 b. & seq. de Ecclesiarum immunitate ibid. de honorum & magistratuum collatione ibid. superstitiones 313 a. venandi studium ibid. victus ibid. vitia 312 a. cum Vitoudo reconciliatio 244 b. vxor I. 245 b. II. 257 b. III. 284 a. IV. 289 b. cum Ziemouito transactio 254. a

Vvladislao II. Iagelloni insidiæ à Crucigeris intentæ 284 b. quis & quomodo mortē p̄dixit 310 b. curā Vngariæ absente Sigismundo quis commendauit 283 b. de eo astrologicū vaticiniū 294. b

Vvladislaus III. Poloniæ & Vngariæ rex Iagellonis filius 313 a. b. 558 a. Budam veniens qua pompa exceptus 640 a. b. 671 b. è Bulgaria cum suis reuertitur ibid. a. Elyzabethæ reginæ mortem cur ægrè tulit 665 a. furunculo laborat 684 b à Ianizaris confossus vbi interijt 328 b. 461 b. 558 a. 687 b. quando natus 292 b. ad Nicopolim venit 681 b. ad pacem cum Turcis faciendam inclinatus 675 b. decennalem cum ijs facit 676 b. pestem quàm fortiter contempsit 326 a. Poloniæ rex quando coronatus 314 b. in Poloniam ex Vngaria proficisci cogitat 674 a. Presburgum Buda accurrit 658 b. Segedinū profectus 675 b. Sophiā vrbem capit 666 b. Sumium ac Pesechium expugnat 683 b. Thraciæ montes à Turcis occupatos oppugnat 670 a. b. ad Turcicum bellum subsidia vndique petit 666 a. ad id à Christianis incitatus 672 a. b. 677 b. & seq. ad id propensus 678 b. Turcarum aliquot oppida capit 684 a scaphas incendit 683 a. ad Varnam castra ponit 684 a b. venando suos à periculo mortis liberat 667 a. ad Vngariȩ regnum accersitus 324 a. 634 a. cur ab eo abhorret 635 b. cur suscepit 636 a. se id deserturum simulat 644 b. & seq. Albæ Regiæ coronatur 647 a. b. eius acies ad Varnam contra Turcas 331 b. audacia contra eosdem ibidem. clementia in proditorem quendam 324 a. congressus cum Elyzabetha Vngariæ regina Iaurini 664 b. cū Polonis consultatio de bello Crucigeris inferendo 255 b. de prælio cum Turcis 684 b. de coronatione consultatio 646 b. controuersia 314 b. in ea quæ turbæ excitatæ 314 b. edictum de templis non violandis 683 b. effigies 333 a. b. expeditio contra Isceram 656 b. in Silesiam 319 b. in Turcas 330 b. & seq. 666 b 681 a. b. exercitus exiguus 330 b. exercitus in Bulgaria fames & penuria 328 b. 668. a. in violandis templis licentia 683 b. fides 324 a. fortuna diuersa in Vngaria 326 a. induciæ cum Ladislai Posthumi parte 329 b. iusiurādum Polonis datum 320 b. laus 634 a. b. 687 b. liberalitas profusa 326 b. mandata ad Polonos 330 b. mores 333 a. b. mors 332 a. mortis signa 687 b. & seq. pacta cum Crucigeris 317 b. cum Vngaris de oblato regno 322 b. pax cum Crucigeris 317 b. cum Elyzabetha Vngariæ regina 327 a. 664 b. & seq. prælium cum Turcis 669 b. 685 b. 686 a. b. & seq. responsum ad orationem Strigoniensis archiepiscopi 643 a. studia 333 a. b. ad Turcicum bellum apparatus 673 b. victoria de Turcis 670 a. virtus contra Turcas 331 b. in Vngariam profectio 323 b. 638 b. Vngariæ regni nouum sigillum 647 b. ei in Vngariam iter paranti omnia aduersa 323 a. 637 a. cur Vngariæ regnum suscipiendum 634 a. b. & seq. 635 b. 638 a. cur non 635 a. 637 b. ad eum Christianorum principum gratulationes 329 a. 672 a. b. Vngarorum ad eū defectio 639 a. b. 640 b. 641 b. ab eo gubernatores in Polonia constituti qui 323. a

Vvladislaus Lesci III. filius 23. b

Vvladislaus Oporouius Gnesnensis archiepiscopus 338. a

Vvladislaus Oppoliensis dux 154 a. 155 b. quale iuramentum Ludouico Poloniæ & Vngariæ regi dederit 223 b. Russiæ dux appellatus 229 a. Poloniæ gubernator qua occasione factus ibid. ad regnum aspirat 236 b. regi Iagelloni recōciliatus 254 b. eius aduētus Cracouiā 218 a. in regias ditiones latrocinia 254 b. ei quid Ludouicus rex donauit 223. b

Vvladislai Plocensis ducis mors & liberi 356. a

Vvladislaus Salisburgensis archiepiscopus 163. b

Vvladislaus Sputator Ottonis Miecislai Senis filij filius 124 a. quando & cur Calissiam arcem intercepit 132 b. quando maiorē Poloniam occupauit 133 a. quod monasterium cōdidit 137 a. quomodo Sremensem arcem recepit 140 b. eius corpus vbi sepultum 141 a. exilium in Vngaria 132 b. filij 141 a. 148 a. capti & elapsi fuga 136. b

VVladus Transalpinæ palatinus quando in clientelam regis Polonorum venit 255 a. quid cum Vvladislao III. egit 331. a

VVlai arx 358. b

Vvlastislaus Boemorum dux 32. a

Vulgus nouitatis auidum 95. b

Vvlodicus Scrinnius prædo 340. b

Vvlodimirus Haliciēsium dux 113 a. à Bela Vngariæ rege captus 114 b. elapsus principatum Haliciensem repetit ibid. à Cazimiro restituitur 115 a. quo anno mortuus 120. b

Vvlodimiri Cracouiensis palatini in Tartaros expeditio 143. a

Vvlodimir⁹ Stoslai nothus Nouogrodensium dux fit 34 a. Russorum dux ibid. & 33 b. Russiā duodecim filijs suis distribuit 39 a. eius bella cum Piecinigis 34 a. filiæ loco obsidum retentæ 39 b. res gestæ & vxor 34. a. b

Vvratislauia Silesiorum vrbs 52 b. direpta & incēsa 48 b. 144 a. 208 a. 217 b munita, & Teuthonico iure dotata 153 a. trimestrem obsidionem sustinet ibid. à Vvladislai I. filijs subacta 69 a. eius basilica 54 a. basilicæ ritus 100 b. conuentus postulata à principe, & excusatio de receptis exulibus 67 b. dominatus per quem regi Polonorum deditus, & ab eo redditus 195 a. donatio quomodo ab episcopo refutata 176 a. ecclesia à quo constituta 38 a. emporium 546 b. quando sublatum 587 b. episcopȩ vacatio 228 a. episcopus contra Prussos missus 131 b. in vincula coniectus 158 b. episcopi bona qua violentia ab Henrico Probo vsurpata 175 a. b. cum Cracouiensi episcopo de loco contentio 139 b. principatus quando Boemorum principi dicatus 178 a. situs 79 a. synodus cur conuocata 152 b. tractus à Sobeslao Boemo vastatur 89 a. eam Polonis à Prædislao redditam falsum 53 b. iter ad eam Polonis mercatoribus cur clausum 340 b. ea qua fraude Boemorum rex potitus 195. b

Vvratislauienses episcopo supplices 208 a. monasterium S. Vincentij demoliti 87 a. à Vvladislao I. veniam petunt, & impetrant 68 a. iuramentum fidelitatis VVladislao Vngarorum & Boemorū regi cur non dant 546 b. clades apud Franchesteinum 396 b. contumaciam quomodo coercuerit Vvladislaus Locticus 184 a. deditio quare à Cazimiro III. repudiata 363 b. pietas & fortitudo ibid. penuria propter emporium 547 a. cum ijs commercia cur Polonis interdicta 546. a

Vvratislaus Boriuoij filius Boemorum dux 32. a

Vvratislaus Lesci III. filius 23. b

Vvratislaus Prædislai Boemi filius cur in Vngariā fugit 55 a. à fratre Spitigneo reuocatus, & Boemiæ princeps factus ibid. Silesiam vastat ibid. Boleslai II. sororem vxorem ducit ibid. b. Vngaris auxilio contra Polonos venit 56 a. capitur ib. 1. Boemorum rex à quo & vbi appellatus 65 b. eius pax cum Boleslao II. 55. b

Vvrocirissum pagus 136. a

Vvronci oppidum 235 b. 236. a

INDEX.

VVschoua à Polonis capta 208 b. incensa & defensa 415 a. eius territorium à Glogouiensibus ducibus vastatum 239.a
VVseborius Cracouiensis palatinus, magister militiæ 92.a
VVseborius Sendomiriensis palatinus 96.a
VVseuolodimirus Haliciensium dux 97 a
VVseuolodus Belsensiũ dux 113.a
VVseuolodus Iaroslai monarchæ filius Pereaslauiæ dux 54.a
VVseuolodus Russorum dux contra Boleslaum bellum parat 59 a. eius ad milites cohortatio ibid.
VVseuolodus VVlodimiri filius VVlodimiriæ dux 39.a
Vxorum suasiones apud viros efficaces 95.b

X.


Xansnicẽsia bona Tinecensi monasterio dicata 64.a
Xiansum oppidum cur incenderit Ziemouitus 238 a. quando exustum 336.b
Xyna oppidum 158.a

Z.

Zagiz Boemi cædes 210.a
Zagosce pagus ad Nidã amnem 101.a
Zantir arx à quo & vbi cõdita 150 a
Zantira vicus 391 b. eius præsidium à quibus expugnatum 393.a
Zantirum Crucigeris ereptũ 172.a
Zarembæ interfectores Præmisli regis 183.a
Zarnouecia 69 b. 208.b
Zarnouius Boemus quanta & cur infamia notatus 270.b
Zartauicia Pomeraniæ arx à Crucigeris intercepta 149.a
Zascitnicus Russus quando interfectus 87.a
Zaslauiensis dominatus cui concessus 242.b
Zatecensis tractus Sobeslao à fratre VVladislao attributus 82.a
Zatoria oppidũ quomodo à Derslao Rithuianio interceptũ 318.b
Zatoriensis ditio quando recuperata 467 a. ducatus regno Poloniæ incorporatus 552.b
Zauichostum oppidum ad Vistulã prælio notum 125 b. à Boleslao Pudico receptum 138 a. incensum 142 b. eius arx à quo munita 220.b
zauichostense monasterium à quo conditum 160 a. quando & per quos direptum ibid.
zauissa Cracouiensis episcopus 231 a. eius mors pudenda ib. b. & se.
zauissius Niger vbi & cur à Boemis captus 288 b. eius mors 295.a
zauolgenses Tartari à Tauricanis profligati 450 a. vide Tartari.
zbislaus VVlastislai filius à quo necatus 32.a
zdislaus Gnesnensis archiepiscopus 112.b
zebrace mons 360.a
zeganensis dux cur se Boemo subdiderit 195 b. pacem à Cazimiro II. petit 209.a
zeganensis dux occisus 352.a
zeganensis dux Polonis bellum infert 415 a. vbi ambustus ib b
zegota Morauicius Cracouiensis palatinus 174 a. 176 a. 202.b
zegota Toporius 146.b
zelislaus Polonorum dux in expeditione Morauica 71 b. pro amissa in bello dextera, aurea manu à Boleslao III. donatur 72.a
zelonagora Ioanni Alberto concessa 436.b
zementa à quibus cæsus 143.b
zialdouia Russiæ vrbs 272 a. à Crucigeris recepta 275 a. 354 a. à Masouijs capta 383 b. Ziemouito donata 272.a
ziemianus Lesci III. filius 23.b
ziemomyslus Cazimiri Cuiauiensis ducis filius 160 a. VVladislauiensiũ dux 164 a. eius mors 178.a
ziemomyslus Lesci III. filius 23.b
ziemomyslus Lesci IV. filius Polonorum princeps 29 b. quamdiu regnauit 30 a. eius virtutes 29.b
ziemouitus Cazimiri Cuiauiensiũ ducis fili' Dobrinensiũ dux 163.b
ziemouitus Conradi Masouiorum ducis 139 a. 151 a. Masouiorũ dux 155 b. à fratre cum vxore captus ibid. & 159 a. à quo & vbi interfectus 161 b. eius auxilia ad obsidionem Nacli 157 b. contra Cazimirum fratrem 160 a
ziemouitus Masouiorum Cirnensium dux 205 a. 218 a. à Cazimiro II. condemnatus 221 a. Cazimiro mortuo quas munitiones occupauit 222 a. à Iaroslao archiepiscopo cur diris deuotus 224 a. vxorem cur occiderit 230 b. eius mors & liberi ib. mores ib.
ziemouitus Masouiorum dux ad Poloniæ regnum adspirat 235 a. cur Cracouiam non intromissus 238 a. Cuiauiam in suam potestatem redigit ibid. vbi rex Polonorum renunciatus ibid. VVladislao Iagelloni reconciliatus 293 a. eius mors, & liberi ib. b. cum eo Heduigis reginæ pacta 244.a
ziemouitus Masouiorum dux iunior quam vxorem duxit 247.b
ziemouitus Masouiorum Plocensium dux veneno sublatus 371.b
ziemouitus Piasti filius à Prussis sua recuperat 28 b. quãdo & vbi mortuus ibid. eius virtutes heroicæ ibid. a
ziemouitus ziemouiti filius Plocẽsis dux 230 b. eius in archiepiscopalia bona iniuria 232.a
zieuana siue zieuonia, id est, Diana Polonorum dea 30 b. eius simulachrorum demersio 33.a
zindramus Mascouicius dux belli delectus 267 a. eius consiliarij ibid.
zira Lesci Boleslai Crispi filij curator 113.b
zirgonum oppidum Polonis deditum 271 b. ab ijs captum 283.a
ziroslaus VVratislauiensis episcopus 68 a. 112.b
ziscæ cæci Boemorum hæreticorũ ducis immanitas 302.a
zitnum oppidum 254.a
ziuecia arx destructa 225.a
zlopum frustra oppugnatum 230.a
zlotoria arx à VVladislao Albo capta 226 a. Crucigeris dedita 263 a. à quo munita 220.b
znena oppidum 238 b. quomodo interuersum ibid. ab archiepiscopo recuperatum 240 a. à Crucigeris exustum 199 b. 336.b
zuermecense cœnobium 101.a
zulana insula 486.a
zuuina oppidum & arx Liuoniæ quando à Vitoudo capta & incensa 259.b
zythauia à quo oppignerata 153.a

FINIS.





1179 sh
521 [illegible]
224 L



CROMERI

POLONIA



COLONIAE

